R. 59647

A
42
16 (3-1)
(3-2)

TOMVS VII. OPERVM D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

CONTINENS RELIQVAM PARTEM ΤΩΝ ΠΟΛΕΜΙΚΩΝ, IN ALIAS duas diuisam; quarum priore aduersus Donatistas; posteriore contra Pelagianos dimicat.

VNA CVM APPENDICE PSEVDEPIGRAPHORVM.

NVNC *demùm post varias editiones ad complurium* MS. *fidem à non paucis mendarum milibus incredibili labore expurgatus: id quod ex subiectis ad calcem Castigationibus & Scholiis facilè cognosci poterit.*

ANTVERPIAE,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regii.
M. D. LXXVI.

R. 59647

A
42
16 (3-1)
(3-2)

TOMVS VII. OPERVM D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

CONTINENS RELIQVAM PARTEM ΤΩΝ ΠΟΛΕΜΙΚΩΝ, IN ALIAS duas diuisam; quarum priore aduersus Donatistas; posteriore contra Pelagianos dimicat.

VNA CVM APPENDICE PSEVDEPIGRAPHORVM.

NVNC *demùm post varias editiones ad complurium* MS. *fidem à non paucis mendarum milibus incredibili labore expurgatus: id quod ex subiectis ad calcem Castigationibus & Scholiis facilè cognosci poterit.*

ANTVERPIAE,
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regii.
M. D. LXXVI.

CATALOGVS PRIORIS PARTIS, QVÆ LIBROS HABET CONTRA DONATISTAS.

Psalmus contra partem Donati. Pag.3.
Contra Epistolam Parmeniani Donatistarum Episcopi, Libri III. 6.
De Baptismo contra Donatistas, Libri VII. 32.
De vnico baptismo contra Petilianum Donatistarum Episcopum, Liber I. 82.
Contra literas eiusdem Petiliani, Libri III. 89.
De vnitate Ecclesiæ contra eiusdem Petiliani epistolam, Liber I. 141.
Contra Cresconium Grammaticum, Libri IIII. 161.
Breuiculus Collationum cum Donatistis. 215.
Epistola nomine Cirtensis Concilij ad Donatistas. 230.
Post Collationem ad Donatistas, Liber I. 232.
Sermo ad plebem Ecclesiæ Cæsariensis de Emerito. 247.
De gestis cum eodem Emerito Cæsariensi Donatistarum Episcopo, Liber. 250.
Contra epistolas Gaudentij Donatistarum Episcopi, Libri II. 254.

APPENDIX.

Contra Fulgentium Donatistam incerti authoris, Liber I. 271.

PARTIS POSTERIORIS, QVÆ CONTRA PELAGIANOS AGIT.

De peccatorum meritis & remissione ad Marcellinum, Libri III. Pag.277.
De spiritu & litera ad eundem, Liber I. 309.
De natura & gratia contra Pelagianos, Liber I. 310.
De gratia Christi, & de peccato originali contra Pelagium & Celestium, Libri II. 325.
De nuptiis & concupiscentia ad Valerium Comitem, Libri II. 343.
Contra Iulianum Pelagianum, Libri VI. 365.
Contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Romanæ vrbis Episcopum, Libri IIII. 450.
De anima & eius origine, Libri IIII. 481.
De perfectione iustitiæ contra Celestium, Liber I. 508.
De gratia & libero arbitrio ad Valentinum & cum illo Monachos, Lib. I. 517.
Epistolæ duæ ad eundem. 528. & 529.
De correptione & gratia ad eundem, Liber I. 531.
Epistolæ II. *ad Augustinum, altera Prosperi, altera Hilarij de reliquiis Pelagianæ hæreseos.* 542. & 544.
De prædestinatione sanctorum ad eosdem, Liber I. 546.
De dono perseuerantiæ ad eosdem, Liber I. 558.

APPENDIX.

D. Prosperi Regiensis episcopi aduersus calumniatores doctrinæ B. Augustini, de gratia Dei, Responsionum Libri IIII. 573.
Celestini pontificis Romani pro B. Augustino ad Episcopos Galliarum epistola. 594.
Concilium Arausicanum secundum aduersus reuiuiscentes per Gallias Pelagianæ hæreseos errores. 595.
Contra Pelagianos Hypognosticon incerti authoris, Lib. VI. 597.
De prædestinatione & gratia suspecti authoris, Liber. 616.
De prædestinatione Dei eiusdem farinæ Opusculum seu fragmentum. 620.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI CONTRA PARTEM DONATI

PSALMVS.

Ex lib. I. Retract. D. Augustini cap. 20.

VOLENS *etiam causam Donatistarum ad ipsius humillimi vulgi, & omnino imperitorũ, atque idiotarum notitiam peruenire, & eorum quantum fieri posset per nos inhærere memoriæ, Psalmum qui eis cantaretur per Latinas literas feci, sed vsque ad* V. *literam, tales enim Abecedarios appellant; tres verò vltimas omisi, sed pro eis nouissimum quasi epilogum adiũxi, tanquam eos mater alloqueretur ecclesia. Hypopsalma etiam quod respondetur & proœmium causæ quod nihilominus cantatur, non sunt in ordine literarum; earum quippe ordo incipit post proœmium. Ideo autem non aliquo carminis genere id fieri volui, ne me necessitas metrica ad aliqua verba quæ vulgo minus sunt vsitata, compelleret. Iste Psalmus sic incipit:*

Omnes qui gaudetis de pace, modo verũ iudicate.

Hypopsalma quod ad singulas Psalmi partes succinitur & respondetur.

A BVNDANTIA peccatorum solet fratres conturbare:
Propter hoc Dominus noster voluit nos præmonere,
Comparans regnum cælorum reticulo misso in mare
Congreganti multos pisces, omne genus hinc & inde,
Quos cùm traxissent ad littus, tunc cœperũt separare,
Bonos in vasa miserunt, reliquos malos in mare.
Quisquis recolit Euãgelium, recognoscat cũ timore:
Videt reticulum Ecclesiam, videt hoc sæculum mare,
Genus autem mixtũ piscis, iustus est cum peccatore:
Sæculi finis est litus, tunc est tempus separare:
Quando retia ruperunt multum dilexerunt mare.
Vasa sunt sedes sanctorũ, quò non possunt peruenire.
Repetitio. Omnes qui gaudetis, *vt suprà.*

Matth. 13.

Bonus auditor fortasse quærit, qui ruperunt rete?
Homines multum superbi, qui iustos se dicunt esse.
Sic fecerunt scissuram, & altare contra altare.
Diabolo se tradiderunt, cùm pugnant de traditione,
Et cũ men quod cõmiserunt, in alios volũt transferre:
Ipsi tradiderunt libros, & nos audent accusare,
Vt peius committãt scelus, quàm cõmiserunt & antè.
†Quod possent causam librorũ, excusare de timore,
Quod Petrus Christũ negauit dũ terreretur de morte:
Modò quo pacto excusabũt factũ altare cõtra altare?
Et pace Christi conscissa spem ponunt in homine?
Quod persecutor non fecit, ipsi fecerunt in pace.
Repetitio. Omnes qui gaudetis, *vt suprà.*

f. Quum

Matthæi 26.

Custos noster Deus magne tu nos potes liberare
A pseudoprophetis istis, qui nos quærunt deuorare;
Maledictum cor lupinum contegunt ouina pelle:
Qui nouerunt scripturas, hos solent circumuenire.
Audiunt enim traditores & nesciunt quod gestum est antè.
Quibus si dicam, probate, non habẽt quid respõdere.
Suis se dicunt credidisse, dico ego mentitos esse:
Quia & nos credimus nostris, qui eos dicũt tradidisse.
Vis nosse qui dicant falsum? qui non sunt in vnitate.
Olim iam causa finita est, quod vos non statis in pace.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *vt suprà.*

Deesse videtur negatio, non.

Optatus lib. contra Parmenianum.

Dixerunt maiores nostri & libros fecerunt inde,
Qui tunc causam cognouerunt, quod recens possent probare.
Erant quidam traditores librorum de sancta lege,
Episcopi de Numidia, & non quilibet de plebe,
Cùm Carthaginem venissent episcopum ordinare,
Inuenerunt Cæcilianum iam ordinatum in sua sede.
Irati sunt quia ipsi non potuerunt ordinare.
Erant Botrus & Celestius hostes Cæciliano valde,
Impij fures, superbi, de quibus longum est referre.
Iunxerunt se simul omnes crimen in illum conflare.
Dicunt ordinatorem eius sanctos libros tradidisse.
Sic pacis retia ruperunt, & errant modò per mare.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *vt suprà.*

Psal. 132.

Ecce quàm bonum & quàm iucundum fratres in vnum habitare.
Audite vocem Prophetæ vt sitis in vnitate.
Crimen nobis quis probauit antiquum de traditione?
Quis obiecit in iudicio, qui sederunt iudicare?
Quibus testibus conuicit, quis ausus est affirmare?
Sed hoc libenter finxerunt quod se nouerunt fecisse;
Quia fama iam loquebatur de librorum traditione,
Sed qui fecerant latebant in illa perditione:
Inde alios infamauerunt, vt seipsos possent celare.
Per illos cæteri errauerunt principes ex ipsa parte:
Quia non credere collegis putauerunt sibi turpe.
Iam fratres †finitur error, & simus in vnitate.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *vt suprà.*

f. finiatur.

Fecerunt quod voluerunt tunc in illa cæcitate:
Non iudices sederunt, non sacerdotes de more,
Quod solent in magnis causis, congregati iudicare:
Non accusator & reus steterunt in quæstione,
Non testes, non documentum; quo possent crimen probare.
Sed furor, dolus, tumultus, qui regnant in falsitate.
Proferantur nobis gesta quæ in concilio solent esse,
Videamus quæ res coegit fieri altare contra altare.
Si malus erat sacerdos, deponendus erat antè:
Si non poterat deponi, tolerandus intra rete:
Sicut modò toleratis tam multos malos apertè,
Et qui fertis pro furore, ferretis vnum pro pace.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *vt suprà.*

Gaudium magnum esset nobis, si tunc nolletis errare:
Sed si tũc non visum est verũ, vel nũc ex parte videre.
Multos nũc habetis prauos, qui vobis displicẽt valde.
Nec tamen hos separatis à vestra communione.
Non dico de illis peccatis, quæ potestis & negare:
Fustes, ignes, mortes dico, quæ cõmittũt vestri in luce.
Et tamen suffertis illos vel errore, vel timore.
Quantum erat ferrẽt vnum patres vestri pro vnitate,
Si tantus erat tumultus vt non possent [illegible] tradare.
Addo quod innocens erat, & nil poterant probare.
Sed ne crimen quæreretur, vbi se videbant esse,
Finxerunt se nimis iustos cùm totũ vellẽt perturbare.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *vt suprà.*

Honores vanos qui quẽrit nõ vult cũ Christo regnare,
Sicut princep[illegible]ius mali; de cuius vocantur parte.
Nam Donatu[illegible]ùm volebat Africam totã [illegible]inere,
Tunc iudices [illegible]ansmarinos petiit ab imperator[illegible]
Sed hæc tam in[illegible]ista petitio non er[illegible] de charitate.
Hoc ipsa verita[illegible] clamat, quam vo[illegible] modò referre.
Nam consensit [illegible]mperator, misit qui sederent Romæ
Sacerdotes [illegible] possent Cæcilianũ cũ illo audire,

Dicta causa est, nil probatũ est, ausus est & appellare.
Et post collegarum sedem, audire ab imperatore.
Hic petitio illa probatur non esse de charitate.
Deinde vbique victus cœpit Christianos rebaptizare.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *vt suprà.*

Iustitiam sequi si vultis, totam causam cogitate.
Quod postea fecit, quare factum non est antè?
Dissentiebant sacerdotes in tota Africana parte;
Sacerdotes transmarini possent inde iudicare,
f. recurritis Quid ſcurritis ad schisma, & altare contra altare?
Vt quod postea iudicatum est iam nõ possetis audire,
Et à iudicibus vestris cogeremini appellare,
Dum vultis erroris regnũ quoquo modo confirmare?
Et nunc & vos totum nescitis, & fingitis vos nescire.
Et cùm vos veritas vrget, partes dicitis errasse,
Quasi vos aliquis vetet iam recedere ab errore.
Sed superbia vos ligauit in cathedra pestilentiæ.
Repetitio. Omnes qui gaudetis, *vt suprà.*

Charitatem Christi qui habet, pacẽ non potest odisse.
Vel vos iam populi audite, & nobiscum recordate,
Qui non tenetis cathedram pro qua pugnetis iniustè.
Si modo Episcopi vestri ex vna aliqua regione
Haberent inter se litem, quos velletis iudicare,
Nisi alterarum regionum, qui non essent de ipsa lite?
Sed cùm discussissent causam, pronunciarent pro vna parte;
Nunquam cõmunicaretis qui illis nollent consentire.
Quare ergo consensistis istis qui hoc fecerunt antè?
Nam & ipsi non cõsenserunt transmarinorũ sentẽtiæ,
Qui pro nobis iudicarũt, nam nobis iungũtur hodie.
Si iudex Christus hoc dicat, quid habetis respondere?
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *vt suprà.*

Lumen cordis si est in vobis, verum potestis videre.
Sunt preces Donati & acta, quibus quod dictum est probate.
Quæ si credere non vultis, vos huc aliqua proferte,
Quibus si & nos non credimus, erit rixa sine fine.
Amplectamur ergo pacem, quid ad nos quod gestum C est antè?
Obiicitis traditionem; respondemus vos fecisse.
Clamatis vos de Macario; & nos de Circumcellione.
Illud nostrum iam transactum; vestri non cessant vsque hodie.
Habeat paleas area vestra, vos hoc solum vultis esse:
Vos enim non vultis pacem; illi minantur de fuste,
Et vtinam minarentur, & non tunderent quotidie.
Hos si expellũt isti, vestri non habẽt per quos regnare.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *&c.*

Modum si excessit Macarius, conscriptum in Christiana lege,
Vel legem regis referebat, vt pugnaret pro vnitate:
Nõ dico istum nihil peccasse, sed vestros peiores esse.
Quis enim præcepit illis per Africam sic sæuire?
Non Christus nõ imperator probatur hoc permisisse.
Fustes & ignes priuatos, & insaniam sine lege,
Matth. 26. Quia scriptum est; reconde gladium; scelus non putant in fuste.
Non vt homo moriatur, sed vt conquassetur valde,
Et postea moriatur, inde iam cruciatus languore.
Sed tamen si miserentur, occidunt & vno fuste.
Fustes Israeles vocant, quod dixerunt cum honore.
Vt plus vastent ipsum nomen, quàm corpus quod cædunt inde.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *vt suprà.*

Nolite [illegible]bis iam fratres tempus Ma[illegible]rij imputare.
Si [illegible]deles erant illi, & nobis displice[illegible] valde.
Sed autem falsa de [illegible]is dicunt, Deus p[illegible] est iudicare.
Nos amemus pacem Christi, gaude[illegible]mus in vnitate.
Si qui mali sunt in ecclesia, nil nobis possunt nocere;

A Si non possunt vobiscum esse, excludantur salua pace:
Si non poterunt excludi, excludantur vel de corde.
Dixit Ezechiel sanctus, quosdam consignatos esse, Ezech. 9.
Qui gemunt peccata fratrum, & non se separãt inde.
Sic nos propter malos fratres, non separemur à matre.
Quod tunc impij fecerunt, extra leuantes altare,
Vt peiores nunc haberẽt, quàm quos se singũt fugisse.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *&c.*

Omnis qui scripturas legit, nouit quod volo aperire,
Ioannes Baptista dixit tunc ad Iudæos apertè, Matth. 3.
Quod illos, tanquam aream suam Christus posset ventilare;
Misit in messem operarios discipulos prædicare; Matth. 9.
Per quos area collecta est, & ventilata de cruce.
Tunc iusti tanquam frumentum, ecclesias impleuerunt castè,
Vendentes quæ possidebant, & mundo dicentes vale.
Illi tanquam semen erant, quod toto dispersum est orbe,
B Vt alia surgeret messis, quæ ventilanda est in fine. Matth. 13.
Hæc crescit inter zizania, quia sunt hæreses vbique;
Huius palea sunt iniusti, qui non sunt in vnitate,
Ex quibus si erat Macarius, nos quid vis rebaptizare?
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *vt suprà.*

Pone in corde areas duas, vt possis quod dico videre.
Certè & priores habebant sanctos, sicut ostendunt scripturæ: 3 Reg 19. Rom. 11.
Nam & septem milia virorũ Deus se dixit reliquisse.
Et sacerdotes & reges, multi iusti sunt in lege.
Vbi habes tãtos prophetas, habes multos & de plebe.
Dic mihi quis tunc iustorum separauit sibi altare?
Multa scelera admittebat iniquus populus ille,
Idolis sacrificatum est, tot occisi sunt prophetæ;
Et nemo tamen iustorum recessit ab vnitate.
Iusti iniustos sufferebant, venturo ventilatore.
Vno templo miscebantur, sed mixti non erant corde,
Dicebant in illos tanta, & vnum habebant altare.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *&c.*

Quid vobis ad hæc videtur? secunda messis ecclesiæ,
Quæ per totum orbem crescit, plura debet sustinere. Matth. 10.
Habet enim Domini exemplum, & in Iuda traditore.
Hunc inter bonos ferebat, hunc misit & prædicare.
Malus seruus prædicabat, sed Christus erat in fide.
Quia qui iudici credebant, non curabant de præcone. Matth. 26.
Quando dedit sanctam cœnam; nec tunc illum exclusit inde:
Et posset per illum tradi, etiamsi exisset antè.
Sed nobis exemplum datũ est malos fratres tolerare,
Vt quando non possunt excludi, solo separẽtur corde.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *&c.*

Rogo respondete nobis, quid vultis rebaptizare?
Lapsos sacerdotes vestros pellitis à communione,
Et nemo tamen post illos ausus est rebaptizare.
Et quoscunque baptizarũt, vobis cõmunicant hodie.
Quid ab iis acceperunt, si non habebant quid dare?
D Legite quomodo adulteri puniantur in sancta lege,
Non enim dicere possunt, quod peccarunt à timore:
Si sancti soli baptizant, post istos rebaptizate.
Quid calumniamini nobis quia sumus in vnitate,
Qui nondum eramus nati in illa persecutione? Deut. 24.
Scriptum est peccata patrum ad filios non pertinere. 4. Reg. 14.
Sed nemo dat fructum bonum, si præcisus est de vite.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *&c.*

Scitis catholica quid sit, & quid sit præcisum à vite:
Si qui sint inter vos cauti, veniant, viuant in radice,
Antequam nimis arescant, iam liberentur ab igne,
Ideo non rebaptizamus, quod vnum signũ est in fide.
Non quia vos sanctos videmus, sed solam formam [illegible]tenere.

Quia

Quia ipsam formam habet sarmentum quod præcisum est de vite.
Sed quid illi prodest forma, si non viuit de radice?
Venite fratres si vultis vt inseramini in vite.
Dolor est cùm vos videmus præcisos ita iacere.
Successio pontificum in Cathedra Petri. Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede,
Et in ordine illo patrum quis cui successit videte.
Matth. 16. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *vt suprà.*

Talis si quis ad te veniat plenus catholica fide,
Quales illos sanctos viros omnes solemus audire.
Et si tibi dicat; Frater, quid me vis rebaptizare?
Quid sit antè factum nescio, nũc autem sum in Christi fide.
Si me maculat quod nescio, tu qualis sis nunc ostẽde:
Vultus tuos ecce attendo, ignoro quid sit in corde.
Si me maculat quod nescio, tu me maculas fortasse.
Et si credo esse sanctum, quibus communicas vide.
Si maculat quod nescimus, iam nõ potes sanctus esse,
Quem maculant tot peccata, quot committunt vestri occultè.
Si autem quod nescis non curas, nec ego quod factum est antè.
Et tamen Christianum talem audes rebaptizare.
Repetitio. Omnes qui gaudetis. *vt suprà.*

Væ qui pro cathedris vestris sic contenditis iniustè.
Clamatis vos solos sanctos, aliud dicitis in corde,
Quia videtis & vos, multos malos abundare vbique,
Nunquid dicere potestis, mixti sumus intra rete?
Respondetur enim vobis iam vos illud dirupisse.
Neque dicere potestis, paleas vos sustinere:
Iterum enim respondemus, hoc fecistis & antè,
Non enim peiores erant illo Iuda traditore.
Matth. 26. Iuanis 13. Cum quo apostoli acceperunt primum sacramẽtum C cœnæ,
Cùm tanti sceleris reum inter se iam scirent esse,

A Nec tamen hos inquinabant sordes in alieno corde.
Et tamen Christianos fratres audetis rebaptizare.
Repetitio. Omnes qui gaudetis.

Audite fratres quod dico, & mihi irasci nolite:
Quia nõ sunt falsa quæ auditis, potestis & cõsiderare,
Quid si ipsa nunc Ecclesia vos alloquatur cum pace, Ecclesia ad Donatistas prosopopœia.
Et dicat, O filij mei quid querimini de matre?
Quare me deseruistis iam volo à vobis audire.
Accusatis fratres vestros, & ego laceror valde.
Quando me premebant gẽtes, multa tuli cum dolore,
Multi me deseruerunt, sed fecerunt in timore;
Vos verò nullus coegit sic contra me rebellare.
Dicitis mecum vos esse, sed falsum videtis esse.
Ego catholica dicor, & vos de Donati parte.
Iussit me Apostolus pro regibus mundi orare, 1. Tim. 2.
Vos inuidetis quòd reges iam sunt in Christiana fide.
Si filij estis, quid inuidetis, quia auditæ sunt preces meæ?
B Quando enim dona miserunt, noluistis acceptare.
Et obliti estis prophetas, qui illud prædixerunt antè, Psal. 60.
Quod gentium reges magni missuri essent dona Ecclesiæ,
Quæ dona cùm respuistis, ostendistis vos non esse,
Et Macarium coegistis suum dolorem vindicare.
Sed ego quid vobis feci, vestra mater in toto orbe?
Expello malos quos possum, quos non possum cogor ferre,
Fero illos donec sanentur, aut separentur in fine.
Vos me quare dimisistis, & crucior de vestra morte?
Si multum malos odistis, quales habetis videte.
Si & vos toleratis malos, quare non in vnitate,
Vbi nemo rebaptizat, nec altare contra altare?
Malos tantos toleratis, sed nulla bona mercede,
Quia quod debetis pro Christo, pro Donato vultis ferre.
Cantamus vobis fratres pacem, si vultis audire.
Venturus est iudex noster, nos damus, exigit ille.

FINIS PSALMI CONTRA PARTEM DONATI.

AD LECTOREM.

Subiungi debebant hoc loco D. Augustini *liber contra epistolam Donati,* cuius meminit lib. 1. Retract. cap. 21. & alter *contra partem Donati,* de quo 2. Retractat. cap. 5. sed hactenus reperiri non potuerunt.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
CONTRA EPISTOLAM PARMENIANI
LIBRI TRES.

Ex Retractationum lib. 2. cap. 17.

IN *tribus libris cõtra epistolam Parmeniani Donatistarum Carthaginiensis episcopi, successoris q̃ Donati, quæstio magna versatur, & soluitur: vtrum in vnitate & eorundem communione sacramentorum mali contaminent bonos; & quemadmodum non contaminent, disputatur propter Ecclesiam toto orbe diffusam, cui calumniando schisma fecerunt. In quorum libro tertio cùm dissereretur, quomodo sit accipiendum quod ait Apostolus: Auferte malum ex vobisipsis; illud quod didixi, vt ex seipso quisque auferat malum, non sic esse intelligendum, sed sic potius vt homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod sit pro ecclesiastica disciplina, satis Græca lingua indicat; vbi sine ambiguitate scriptum est, vt intelligatur, hic malus, non hoc malũ: quamuis & secundũ istũ intellectum responderim Parmeniano. Hoc opus sic incipit:*

Cap. 1. & 2. 1. Cor. 5.

LIBRI PRIMI
CAPVT I.

MVLTA quidem & alia aduersus Donatistas pro viribus quas Dominus præbet, partim scribendo, partim etiam tractando disserui: nunc autem quoniam incidit in manus nostras Parmeniani quondam Episcopi eorum quędam Epistola, quæ scribitur ad Ticonium, hominem quidem & acri ingenio præditum, & vberi eloquio, sed tamen Donatistã, cùm eum arbitraretur in hoc errare, quod ille verum coactus est confiteri; placuit petentibus, imò iubentibus fratribus, vt huic eidem Parmeniani Epistolæ responderem, propter quædam maximè quæ de Scripturis testimonia non sicut accipienda sunt, accipit. Ticonius enim omnium sanctarum paginarum vocibus circumtusus euigilauit, & vidit Ecclesiam Dei toto orbe diffusam, sicut de illa tanto antè per corda & ora sanctorum præuisum atque prædictum est. Quo præcepto suscepit aduersus ipsos suos demonstrare & asserere, nullius hominis quamuis sceleratum & immane peccatum præscribere promissis Dei, nec id agere quorumlibet intra Ecclesiam constitutorum quamlibet impietatem, vt fides Dei de Ecclesia futura & diffundenda vsque ad terminos orbis terræ, quæ in promissis patrum retenta & nunc exhibita est, euacuaretur. Hoc ergo Ticonius cùm vehementer copioseque dissereret, & ora contradicẽtium multis & magnis ac manifestis sanctarum Scripturarum testimoniis oppilaret; non vidit quod consequenter videndum fuit, illos videlicet in Aphrica Christianos pertinere ad ecclesiam toto orbe diffusam, qui vtique non istis ab eiusdem orbis communione atque vnitate seiunctis, sed ipsi orbi terrarum per cõmunionem connecterentur. Parmenianus autem cæterique Donatistæ viderunt hoc esse consequens, & maluerũt suscipere obstinatissimum animum aduersus apertissimam veritatẽ quam Ticonius asserebat, quàm ea concessa superari ab Aphricanis ecclesiis, quæ illius vnitatis quam Ticonius asserebat, cõmunione gauderent, vel ab illis separassent. Et Parmenianus quidem primùm eum per Epistolam velut corrigendum putauit, postea verò ex concilio eorum perlatus est damnatum. Epistolæ itaque Parmeniani quam scripsit ad Tico-

Ticonius tãtet si Donatistæ agnouisset Ecclesiam toto orbe diffusam. Vide epistolam Augustini 48.

Ticonius in .tit.

Ticonius à concilio Donatistarum damnatus.

A nium, reprehendens eum, quòd ecclesiam prædicaret toto orbe diffusam, & admonens ne facere auderet, hoc opere statuimus respondere.

ILLVD itaq; primũ videamus, quale sit quòd *Gallos & Hispanos & Italos & eorũ socios*, quos vtique totum orbem vult intelligi, *traditoribus Aphricanis commercio scelerum & societate criminum dicit esse cõsimiles.* Homini enim de Scripturis sanctis proferẽti tam multa & tam ingentia documẽta, ipse sine documentis loquitur, & vult nihil probans credi sibi, inuitans eũ videlicet ad imitationẽ sui, quia & ipse quibusdam coepiscopis suis contra tot ecclesias per tantam latitudinẽ terrarum omniũ constitutas, non nisi loquentibus credidit. Qua credulitate quid magis temerariũ reperiri potest? Dicit enim legatione functos quosdã, sicut ipse asserit, fidelissimos testes ad easdẽ venisse prouincias, deinde geminato aduentu sanctissimorũ, sicut ipse dicit, Dñi sacerdotum, dilucidè, plenius ac verius publicata esse quę obiiciunt; Homo putans sibi magis credi debere quàm Deo. Profert Ticonius diuini testamẽti tonitrua, quod factum est in promissione Abrahæ, Isaac & Iacob, quorũ se Deum testatur dicẽs, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Iacob, hoc nomen est mihi in æternũ. Et iste opponit narrationes consacerdotum suorum. Quid dictũ est ad Abraham? In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quid dictũ est ad Isaac? In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, pro eo quòd audiuit Abraham pater tuus vocem meam. Quid dictum est ad Iacob? Ego sum Deus Abrahæ patris tui, & Deus Isaac, ne timeas. Terrã enim supra quam dormis, tibi dabo & semini tuo, & erit semen tuum sicut arena maris, & replebitur in mare & in Aphricum & in Aquilonem & in Orientem, & benedicentur in te omnes tribus terræ & in semine tuo. Ne autem de Iudęis dictum putent, quid sit semen Abrahæ, in quo dictũ est, benedicendas omnes gentes, exponit Apostolus, Abrahæ, inquit, dictæ sunt promissiones & semini eius: non dicit, & seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in vno, & semini tuo qui est Christus. In Christo ergo omnes gentes benedictionẽ habituras, tanta autoritate promissum est, tanta exhibitum veritate, & contradicunt qui se Christianos dici volunt. Et cõtra hoc quid opponunt? *Legatione*, ait, *functi quidam fidelissimi testes ad easdem prouincias venerunt: deinde geminato aduentu sanctissimorũ Domini sacerdotum, dilucidè plenius ac verius esse publicatum.* Quid quæso te, quid per ipsos fideles testes, quos vultis Deo esse fideliores, quid publicatũ est? An quia per Aphros traditores semen Abrahæ, quod est Christus, non est permissum peruenire vsq; ad omnes gẽtes, & ibi exaruit quò peruenerat? Dicite iam magis collegis vestris credendũ esse quàm testamẽto Dei. Et hoc dicentes, ipsum testamentum vos à flamma conseruasse gloriemini quod lingua delere conamini. Sed eligat quisque quod placet, & si contra cælestia fulgura mẽdacij terreni fumus aliquid præualet, dimisso cęlo euanescat ventos. Si enim Parmenianus cathedræ suæ non faueret, magis eligeret Scripturæ Dei credere quàm collegis suis. Deus enim dicit ad Iacob, Non relinquã, donec faciam quæ locutus sum tecum. Istos autem multò est vtique credibilius, (quia iam iusto iudicio fuerant reprobati ad sociãdam cõmunionem in illis partibus,

CAP. II.

Psal. 115.

1. Ioannis 8.

Donatistæ solos se Christianos dixere.

CAPVT III.

Exodi 3.

Gen. 12. 22.

Genes. 26.

Genes. 28.

Lib. 1. contra Parmen.

Genes. 28.

tibus, vbi iam Deus complebat quod promiserat patribus,) non esse admissos, & propterea de sanctis sacerdotibus Dei, à quibus recipi non meruerãt, iactasse talia, quibus infirmos animos deceptarum à se plebiũ falsis rumoribus agitarent, & temerè credulas mentes superbia sui nominis irretitas, ab orbis terrarum pace dirũperent. Quid hac stultitia, imò verò dementia reperitur insanius? In tot gentibus orbis terrarum & ex magna parte compleuit Deus & adhuc complet, donec ad omnes omnino veniat, quod promisit qui dixit, Non relinquã donec faciam quæ locutus sum tecum. Et isti iam credunt nunciãtibus non impleri quę promisit Deus, & ideo ex partibus terrarũ in quibus iam impletũ erat, perisse Abrahæ sẽmẽ, quod est Christus, & euacuatas promissiones Dei, quia ipsi non sunt admissi ad eorum cõmunionem, apud quos hoc iam retinebat orbis impletũ: & non eis dicitur, solus Deus verax: omnis autẽ homo mendax. De vestro ista dicitis, quia qui loquitur mendacium, de suo loquitur: vos autem sicut homines mentimini, quia sicut homines irascimini. Nõ eis hoc dicitur, sed insuper creditur eis, de orbe terrarũ, quem possidere iam cœperat perisse Christũ. Et quia hoc credunt cùm impudenter dicãt, Christiani sumus, audent dicere, nos soli sumus.

DICIT etiam Parmenianus, *hinc probari consceleratum fuisse orbem terrarum criminibus traditionis, & aliorum sacrilegiorum: quia cùm multa talia fuerint tempore persecutionis admissa, nulla propterea facta est in ipsis prouinciis separatio populorum.* Quasi fieri non potuerit vt partim latuerint mali, neque fuerint accusati, vt possent sine vlla temeritate damnari: partim etiã fuerint proditi atque damnati; & quia rebus manifestis non arguebantur, ab ecclesiis perturbandis diuidendisq; cessauerint: atque ita factũ sit, vt cùm quidam non accusarentur, quædam verò incerta crimina pro certa pace Deo dimitterẽtur: quædam autem ita manifestata & conuicta damnarentur, vt nullus damnatus posset simulata innocẽtia decipere populos, nequaquam vnitatis vinculum rumperetur. Neque enim & in Africa fieret hoc tam immane præcisionis malum, nisi magis factio falsa fingentium, quàm ratio vera conuincẽtium præualeret. Legant qui volũt quæ narret, & quibus documentis quàm multa persuadeat venerabilis memoriæ Mileuitanus episcopus catholicæ communionis Optatus, siue de Lucilla pecuniosissima tũc & factiosissima fœmina, quam pro ecclesię disciplina sanctus Cęcilianus adhuc diaconus læserat: vel de cæteris factionis eius consortibus, siue furibus ecclesiastici argẽti, siue ad episcopatum se non peruenisse dolẽtibus, & sibi prælatum Cæcilianum insidiis quibus poterant insectantibus, siue de Numidis episcopis quos ista factio conuocauerat ad perniciem Cæciliani, vt illo deposito alter eis ordinaretur. Qui veniẽtes cum primate suo tunc Secundo Tigisitano, & aliis quibus traditionis confessa crimina Secundus ipse donauerat, veluti paci cõsulens, sicut ecclesiastica gesta testãtur, absentem Cæcilianũ sine vlla dilatione diligentioris inquisitionis, nullo respõsionis loco seruato, traditorem esse censuerunt: vt ei videlicet obessent absenti traditionis crimina tãtummodo obiecta, cùm sibimetipsis præsentes confessa donauerint. Ita contra sedẽtem in cathedra, cui totus orbis Christianus in trãsmarinis & lõgè remotis terris, & in ipsis Africanis grauioribus & aduersus eiusmodi fallacias robustioribus commutiaret ecclesiis, episcopum alterũ ordinauerũt, vt possent pro suo facto cõtradicere promissionibus Dei, ne in semine Abrahę benedicerentur omnes gẽtes, vt eas etiam partes orbis terrarũ à traditoribus Afris inquinatas dicerent, quæ nec Cæciliani nomen audissent. Insuper etiam contra orbem terrarũ dicentem, qui ciuibus tuis obiicis, nec cognoscere potui, nec damnare incognitum debui, aut certè quomodo se haberet eius vita: quam tamen isti de nullo crimine conuicerunt, ille tanquã innocens audisset, proferunt testimonium Apostoli dicentis, Non solum qui faciũt ea, sed etiam qui cõsentiunt facientibus. Parumne eis fuit tot & tantos Christianos populos damnare inauditos, nisi etiam contra Apostolum ipsum eius quidẽ verba sed non eius intellectũ deprimere auderent? Si enim hoc est consentire malefacientibus, esse cum eis in ecclesia, consentiebat etiam ipse falsis fratribus, inter quos se periclitari contestabatur, & quos non castè, sed per inuidiam sine charitate prædicãtes Euangeliũ, prædicare tamen permittit. Si autẽ nihil est aliud cõsentire malefaciẽtibus, nisi mala facta eorũ approbare atque laudare, exemplo Apostoli, orbis terrarum non cõsentiret criminibus Afrorum, etiã si ea cognita pro pace ecclesiæ toleraret, quem tamen ea cognouisse isti non probant etiam si vera fuisse probare potuissent.

Roman. 1.

1. Cor. 11.

Philip. 1.

FRVSTRA itaque dicit Parmenianus *damnatos in Africa traditores in consortiũ damnationis acceptos à prouinciis transmarinis.* Hoc enim est quod credere non debemus, ne temeritate sacrilega totum orbem terrarum in Christi vnitate fundatum, ex istorum falsa criminatione damnemus, potius quàm ex vera Dei promissione diligamus. Quid enim magis credendũ est, quod dixit Deus, in semine tuo benedicentur omnes gentes: an quod isti dicunt, In semine traditorũ Afrorum maledicentur omnes gentes: vt plus valeat quod cõmisit iniquitas, quàm quod pollicita est veritas? Cur ergo non potius credimus, quòd illi qui recepti sunt in cõmunionem à prouinciis transmarinis, aut innocentes opprimi non potuerunt à calumniatoribus, quod multis documentis probabilius persuaderi potest: aut certè cùm conuinci non possent, etiam si mali fuerũt innocẽtes crediti, sine vlla suscipientiũ cõtaminatione suscepti sunt? Quid quod etiã si per malos fratres, quales Apostolus in ecclesiæ vnitate tolerauit, quales martyr Cyprianus in Epistola De lapsis gemit? Si ergo per tales fratres etiam in iudicum numero cõstitutos, actum esset aliqua prauitate, vt traditores excludi, nec cõuinci possent, & Christianus orbis simulata eorum innocentia falleretur, nullo modo suam innocentiam perdidisset. Quod enim de Osio dicunt Cordubensi quondam catholico episcopo, flagitandũ est vt probẽt non solum talẽ illum fuisse qualẽ dicunt, sed quod talis fuerit manifestum illis fuisse quibus eum cõmunicasse asserũt. Hoc enim nisi probauerint, frustra dicũt se scisse qualis fuerit, quia nescientibus obesse non potuit, à quibus se isti innocentibus separando, propter ipsam separationis sacrilegam iniquitatem innocẽtes esse nõ possunt. Hoc enim magis credibile est, si tamẽ Osius ab Hispanis damnatus, à Gallis est absolutus: sic fieri potuisse, vt falsis criminationibus Hispani circũuenti, & callida insidiarũ fraude decepti, contra innocentem ferrẽt sententiã, & postea pacificè in humilitate Christiana cederẽt sententiæ collegarum, quibus illius innocentia cõprobata est, ne peruicaci & animosa peruersitate priores suas sententias defendẽdo, in sacrilegium schismatis, quod omnia scelera supergraditur, cæcitate impietatis irruerent: sicut uti miseri fecerunt, & nec sero saltẽ totiens diuisi atque conscissi sentiunt quod fecerũt. Satis igitur satisq; declarant vnde insanabiles facti sunt, videlicet ne sententias suas quas in absentem Cæcilianũ temerè protulerũt, cõdemnare cogerentur, si transmarino iudicio vbi à Cæciliano præsente superati sunt, consideratione veritatis & pacis acquiescerent, maiorem reportaturi victoriam, si animositatem humanam saltẽ post iudicium, quo si hominẽ in ipso iudicio superarent, iam illa victoria precelsior est, & triumpho celsior plenior, quę si non solũ de homine vno victo, sed de vniuersa subiugata

CAPVT IIII.

Gen. 12. & 22. & 26.

Sermo appellatus in eine 19.

Calumnia aduersus Hosium Cordubensem.

Sacrilegium schismatis omnia scelera superat.

Proueb.16. ciuitate referatur dicēte scriptura: Melior est qui vincit iram, quàm qui capit ciuitatē. Illi ergo hominem vincere cupiebant quos ira vincebat. Et quia hominē vincere nequiuerūt, & ab homine & ira superati sunt. Ab homine, quia in iudicio victi sunt: ab ira, quia nec victi quieuerunt, prauissimo corde vel audiētes vel legentes Apostoli sententiam dicentis: Si enim quæ destruxi hæc iterum ædifico, præuaricatorem meipsum cōstituo. Quæ verba scilicet si tam sinistro animo ipse Apostolus intelligeret, nec Christianus nec Apostolus fieret, nec prædicator ę dificaret ecclesias, quas persecutor antè destruebat. Nusquā itaq, isti se tam apertè indicarunt, cur nec superati corrigi voluerūt, quàm cùm detestantur Hispanos, quòd post sententias suas aliter prolatas collegarum discussioni posteriorię; iudicio cesserunt. Quam enim hoc factū est de mansuetudine Christiana, tam illud de contēctione diabolica: & ideo non mirum quòd ista humilitate pax custodita est, & illa elatione dirupta. Proinde illis rectè redditur quod fecerunt. Docuerūt enim talia posteros suos. Nam & Maximianistæ non ob aliud in trecentorū & decem collegarū suorum, à quibus Primianus, quē primo ipsi damnauerunt, innocens iudicatus est, iudicio consedere noluerunt, nisi pro dicta cōtumacia sententiam Apostolicā imperitis opponendo & dicēdo, Si enim quæ destruxi, hæc iterū ædifico, præuaricatorem meipsum cōstituo. Destruxerant enim centū collegæ Primianum, & eum propterea cum trecētis rursus ædificare noluerūt. Ita cùm se cauere fingunt ne hominem ædificent quē destruxerāt, seipsos malo schismatis sacrilegi destruxerūt. Sed tamen si viueret Parmenianus, non auderet iam reprehēdere Hispanos, & eos appellare præuaricatores; quia sentētia sua in collegarum sententiam defluxit, ne ipsi offenderent collegas suos, qui multi Primiano iam à se damnato in melius correcti, ad trecentorū conciliū transierunt, magis eligentes contra suas proprias venire sentētias, quàm cōtra pacē vnitatis, etiā in parte Donati. Et maximè prætextato Assuritano, & Feliciano Mustitano parceret Parmenianus, qui etiā damnati à trecentis & decē cōpiscopis suis, ad eosdē ipsos à quibus damnati fuerāt, studio cōcordiæ redierunt, & à suis damnatoribus eodem studio sine vllo sui honoris detrimento, pro pace suscepti sunt, nec quisquā rebaptizandos putauit, qui fuerāt ab eis foris in schismate baptizati. An fortè quia multū displicent Parmeniano qui corrigunt sentētias suas, & eos, non intelligens Apostolū, præuaricatores vocat, detestaretur eos, quia intrò redire quàm foris remanere maluerunt, & adiunctis sibi nonnullis similibus sociis, etiā Parmenianistas crearet, sicut iam multa frusta de isto frusto per totam Africā facta sunt. Sic sic necesse est, vt minutatim secti cōscissiq; dispereāt, qui tumorē animo sitatis suæ catholicæ pacis sanctissimo vinculo prętulerūt. Neq; enim tā timēda sunt quę cōminatur Parmenianus, quā intuenda quę cōfitetur.

Galat.2.

Galat.2.

Pars Donati in multas partes dissecta.

CAP. V. CVM enim diceret, *per Osium Hispanum adiutorium præstitum Cæciliano, vt ad eorum cōmunionem, sanctorum & illibatorum numerus cogeretur, & huic impietati fidem seruorum Dei integrā restitisse*, vltro fassus est suos ipsos adiisse Constantinum, & arbitrio eius à iudicibus episcopis causam cognitam, quibus præfuit Melchiades Romanæ vrbis episcopus. In quo iudicio, sicut ecclesiastica gesta testantur, quia victi sunt isti, & innocens Cæcilianus inuentus est, eundem Melchiadē crimine traditionis accusant. Quod quæro quomodo cognouerint? Si enim ante iudiciū, non sibi præiudicare debuerunt, vt apud talē iudicē causam a[illegible]re inciperent, etiā ex [illegible]pto imperatoris quem ip[illegible]adierant, tale su[illegible]e iudiciū. Si autem post dictā c[illegible]sam prolatāq; sententiam eū tr[illegible]rē didicisse perhi[illegible]ēt, vsqueadeo dementēs sunt [illegible] vt †ducen[illegible]os iudices apud quos victi sunt, victis litigatoribus credant esse postponendos. Et tamen in his omnibus quamuis magna temeritate, Italos, Gallos, & Hispanos accusant, relictis cæteris tam multis prouinciis atque gētibus, à quibus nefando sacrilegio separati sunt, quibus vtique obesse non possent crimina Italorū, Hispanorum, atque Gallorum, etiam si vera dicerentur: iam cæteras terras cæco more, vel potius furore arguunt, & eis irascuntur: quia *cùm duæ partes essent in Africa, vna*, inquiunt, *traditorum, & altera innocētium, traditores sibi quàm innocentes adiungere maluerunt.* Quę vna cōminatio breuissimè atque verissimè ita refellitur, quia cùm duas partes audissent esse in Africa, vnam traditorū, alterā innocentium; eam innocentē esse crediderunt, quæ causam suam apud vicinos ecclesiasticos iudices obtinuerat. Quapropter illi semper innocentes manserūt, qui nescientes quemadmodum ista in Africa gesta sint, id tamen crediderunt quod pacificè ac religiosè credere debuerunt, à quibus innocentibus separatio nullo modo innocens esse potuit.

Cæcilianus in Romano concilio absolutus.

Legentili, decem & nouem, aut simile quid.

CAPVT VI. Cæcilianus in Arelatensi cōcilio iterum absolutus, & tertium Maiolani ab ipso imperatore Constantino.

FATETVR etiam Parmenianus ad Arelatense oppidum & episcopos iudices & partes ex Africa conuenisse, Cæcilianū scilicet atque Donatistas; vbi omnia suis credidit, qui nihil victi potuerūt de iudicibus cōqueri: nec tamen negat rursus eos ad Constantinum venisse: & quia ibi quoq; vltimo iudicio superati sunt, etiam ipsum gratia corruptum esse criminatur. Quibus omnibus consideratis, qui sine studio partium iudicat, eligat quibus credat, vtrum iudicibus sententias proferētibus, an litigatoribus cōtra quos prolatæ sunt, litem finire nolētibus. Certè orbis terrarum iudicibus credidit. Qui autem Donatistis consentiunt, eosque defendunt, fatentur se illius ecclesiæ esse, quæ causam suam, qualiscunque illa fuerit, non potuit tamen in transmarinis tot disceptationibus obtinere, & eorum aduersus iudices murmura & crimina, credula vanitate suscipiunt. Qua in re si innocentes se dicunt, & eos quos superatos scimus: quanto innocentiores sunt qui temere aliquid mali de ipsis iudicibus credere nolunt, de quibus necesse est vt qui victi fuerant conquerantur. Non solum enim qui bonam causam perdidit, de iniquo vel tardo vel negligenti iudice queritur, sed etiam qui iustissimè victus est, ea cæcitate de innocente iudice murmurat, qua cæcitate cum innocente aduersario litigabat. Quapropter isti nō ideo scelerati sunt, quia de omnibus victis nolunt temerè aliquid credere: sed ideo quia se furore schismatis præciderunt ab eis innocentibus, qui multo rationabilius nolunt tale aliquid de ipsis iudicibus credere.

Prosopopœia Ecclesiæ.

Psal. 21.

CAPVT VII. Apocal. 30

EXISTAT enim aliqua illarum partium in nomine Christi nobilissima ecclesia, vel ex illis septē, si placet potissimum Philadelphia, quę de mystico nomine per linguam Græcam fraternam intimat charitatem. Audiamus igitur vocem eius, nec eius palea loquatur, sed frumentum. Si ergo dicat istis, quid me arguitis fratres, qui accusatis? Quanto interuallo secundum terrenum locū ab Africa remota sim, partim nosse, partim audire potuistis. Quid ibi tunc siue traditores, siue traditorum vel accusatores vel damnatores, siue innocentium vel calumniatores vel oppressores egerint, prorsus ignoro. Sed ille Dominus noster qui emit totum mundum precio sanguinis sui, cuius sancta cōmercia Propheta tanto antè cecinit dicens: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò considerauerunt & inspexerūt me, diuiserunt sibi vestimēta mea, & super vestem meam miserunt sortem: inter nos & vos non spatia constituit vacua & nuda Christianis, impleuit hæc omnia sanctificatione nominis sui: in ipso quippe psalmo passionis non solùm quanti, sed etiam quantum emerit declaratum est: ibi enim paulo pòst dicitur: Reminiscen-

Ibidem.

tur

tur & conuertētur ad Dōm vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium, quoniā ipsius est regnum, & ipse dominabitur gentiū. De causa itaq; vestra tunc fortassè cogerer iudicare, si vel vicina essem, vel ita remota, vt inter nos & vos non habitarēt alij Christiani eodē nomine signati, eadem vnitate pacati. Multæ interiacent patriæ gentiū, simul mecum emptę illius sanguine, in cuius conspectu mecum pariter adorant. Per illas ad me trāsit fama de vobis, ipsę de vicinitate causam vestrā examinare potuerunt. Quod si non est factum, vos neglexistis. Neque enim neglecti à cæteris, non vsque ad nos etiā veniretis. Si autē aliquid iudicatum est, date veniā, nō audeo vobis superatis temerè credere, & iudices vestros eadē temeritate damnare. Accedit huc aliud, quod me plurimum moueat, quia si vos innocentes oppressi essetis, nos saltem fratres qui nihil vobis nocuimus, amaretis. Cùm verò nos qui bene nobis conscij sumus, causam vestrā vicinis vestris recto ecclesiæ iure cōmissam fuisse dicamus, qui coram Deo sciunt quemadmodum iudicauerint, lacerare tamen maledictis & acerbis odiis insectari, & quasi propter vos Christus apud nos hereditatē perdiderit suam, etiam rebaptizare conamini, quid boni de illa vestra causa sentire poterimus? Qui enim lōgè remotissimos fratres temerariis suspicionibus damnare minimè dubitatis, quàm iustè à vicinis vestris damnati fueritis, ostenditis. Cur enim non credam rectè damnari potuisse à vicino iudice auditum, qui me fratrē tam longè absentē damnare non dubitat inauditum: hoc mihi obiiciens maximum crimen, quoniam qui præsens esse non potui, eis ad quos causa perducta est, iudicibus potius quàm victis litigatoribꝰ credidi? Quibus iudicibus si non potius credidissem, etiam si illi qui victi sunt innocentes essent, ego innocens esse non possem. Magno enim delicto implicaremur, si cùm corda humana nō cerneremus, nec disciplinam ecclesiasticā teneremus, cùm eis nollemus iudicantibus credere, vltra quos non potuit causa transire, & per quos potuit ad nos fama percurrere. Ab istis innocentibus impia te direptione discindis, & innocētem te dicis: quod vtique si esses, cùm videres in Scripturis sanctis messem Dñi Dei tui ante vltimā segregationem & ventilationē, à zizaniis & palea non posse separari, eligeres potius fortis esse in tolerandis malis, quàm impius in deserēdis bonis. Cur enim ecclesiarū per orbem longè remotarū non putamus esse istas, & quàm iustissimas voces, quas in Philadelphia figurauī?

Romanis 13.

CAPVT VIII. Constantinus Donatistas capitali sententia damnauit.

QVINETIAM audet cōqueri Parmenianus, *quòd eos Constantinus ad campū, id est, ad supplicium duci iussit*, qui victi apud ecclesiasticos iudices, nec apud ipsum quæ dicebant probare potuerūt, & adhuc in sanctæ ecclesiæ præcisione sacrilego furore ferebantur: *& hoc eum tanquā immaniter iussisse, Hispano Osio suggerēte* criminatur, suspicionibus videlicet suis sicut semper, damnando inauditos. Quasi verò non humanius ac probabilius alius crediderit Osio tanquā episcopo suggerente potius factū, vt in leniorem coercitionē quamuis immanissimi sceleris, id est sacrilegi schismatis, sententiam flecteret imperator. Quid enim non isti iustè patiuntur, cùm ex altissimo Dei præsidentis, & ad cauendum ignem æternū flagellis talibus admonētis iudicio patiuntur, & merito criminū, & ordine potestatum? Prius enim probēt se non esse hęreticos vel schismaticos, tum demū de indignis pœnis suis luridam emittant vocem, tum demū sese audeant cum mali aliquid patiuntur, veritatis martyres dicere. Alioquin si quisquis ab imperatore vel à iudicibus ab eo missis pœnas luit, continuò martyr est, omnes carceres martyribus pleni sunt, omnes catenæ iudiciariæ martyres trahunt, in omnibus metallis martyres ærumnosi sunt, in omnes insulas martyres deportantur, in omnibus p[illegible]

Donatistæ martyres se veritatis appellabant.

nalibus locis iuridico gladio martyres feriuntur, ad omnes bestias martyres surriguntur, aut iussionibus iudicum viui ignibus concremantur. Si autē, sicut dicit Apostolus, non est potestas nisi à Deo, & minister Dei est, vindex in iram ei qui malē agit, nec sine causa gladium portat. Vis non timere potestatē? Bonum fac, & habebis laudem ex illa: bonus quicquid passus fuerit, laus illi prouenit ex potestate faciētis: malus verò qui merito patitur iniquitatis, non deputet sæuitiæ potestatis. Et tamen quid tale isti patiuntur, quale faciunt, nisi quia hominū multitudo non in corde cor habet, sed in oculis? Nā si sanguis exit de carne mortali, quisquis aspicit exhorrescit. Si pro pace Christi præcisæ animæ atque separatæ in hæresis vel schismatis sacrilegio moriuntur, quia non videtur, non plangitur, imò verò mors tetrior atq; luctuosior, & vt planè dixerim, verior, iure consuetudinis deridetur: cùm autores tantarum mortiū publicè insultant, & nec veritatis manifestandæ causa sermonem nobiscū conferre dignātur. Et si quid temporalis molestiæ passi fuerint per certissimum atque rectissimū ordinem potestatū, cùm ipsi priuatis furiosorum agminibus multa grauiora passim atque quotidie, nulla regia, nulla ecclesiastica lege cōmittant: nos corporum persecutores vocāt, se animarum interfectores non vocant, cùm priuata licētia nec corporibus parcant. Sed quia semper per mansuetudinem Christianam multò seuerius oculus iudicatur euulsus in lite, quàm animus excęcatus in schismate, & aduersum nos loquuntur, & nobiscū loquuntur, & cū eos obmutescere compellat veritas, silere non permittit iniquitas.

Donatistæ coll. lationem semper omnem cum Catholicis detrectarunt.

CAP. IX. AN fortè de religione fas nō est vt dicat imperator, vel quos miserit imperator? Cur ergo ad imperatorē vestri venere legati? Cur eū fecerunt causæ suę iudicē, non secuturi quod ille iudicaret? Sed quorsum ista dicuntur? nūquidnam etiā si obtineāt non pertinere ad imperatorē aduersus eos aliquid statuere, qui praua in religione sectantur, an propterea si interfecerit eos, quos punierit martyres erūt? Hoc enim modo ista hæreticis omnibus vox patebit, in quos ex occulto imperio Dei, per manifestū hominum imperiū multa quibꝰ coercerētur, seuerissimè cōstituta sunt, nec solū hęreticis quoquo modo saltē Christiano nomine dealbatis, sed etiā ipsis paganis. Nam vtiq; & ipsi falsa religione sunt impij, quorū simulachra euerti atque confringi iussa sunt recētibus legibus, inhiberi etiā sacrificia sub terrore capitali. Si quis ergo eorū damnatus in tali crimine fuerit, martyr cōtinuò æstimādus est, quia pro superstitione quā piam religionē putabat, pœnas legibꝰ luit? Nullus certè quoquo modo Christianus audet hoc dicere. Non ergo quisquis in aliqua religionis quæstione fuerit ab imperatore punitus, martyr efficitur. Neque enim vidēt qui talia sentiunt, in eū locū se progredi, vt ipsos etiā dæmones martyrū sibi gloriam vendicare posse cōtendant, quia istam patiūtur persecutionem per imperatores Christianos, vt penè toto orbe terrarū eorum tēpla euertantur, idola cōminuantur, sacrificia subtrahantur, qui eos honorāt, si deprehensi fuerint puniantur. Quod si dementissimū est dicere, non ergo ex passione certa iusti[illegible] sed ex iustitia passio gloriosa est. Ideoque Dominus, ne quisquam in hac re nebulas offunderet imperitis, & in suorum damnatione meritorum laudem quæreret martyrum, non generaliter ait: Beati qui persecutionem patiuntur: sed addidit magnam differētiam, qua vera à sacrilegio pietas se[illegible]ernatur. Ait enim, Beati qui persecutionē patiunt[illegible] propter iustitiā. Nullo modo autem propter iustitia[illegible], qui Christi ecclesiam di[illegible]unt, & cum ea quasi si[illegible]ulata iustitia conantur ante tem[illegible] à palea separari, a[illegible] frumenta eius fal[illegible] criminationibus insectantur, du[illegible] ipsi ab ea potiu[illegible] tanquam leuissima

Martyrium non pœna, sed causa facit.

Matthæi 5.

palea, variis rumorũ flatib° separati sunt. Sed inquiũt: Non hæc fecimus. Videant ergo ex hac quæstione se primitus liberari debere, & tunc audere si quid molestiarum siue pœnarũ à Christianis imperatoribus patiuntur, vel deponere in querimoniã, aut assumere in gloriã. De qua re, id est, ipsius schismatis quæstione, si nihil aliud diceré, ea quę superius sunt dicta sufficerẽt.

CAP. X. *In hæreticis & schismaticis coercendis puniendisq; quid inris habeant principes Christiani.*

AN fortè dicent: Etiã si conuincuntur in sacrilega dissensione, vt pro ea demẽtia si quid passi fuerint, martyres non sunt: non tamẽ ad imperatorũ potestatẽ hæc coercenda vel punienda pertinere debere. Qua in re quæro quid dicãt: An quia de religione vitiosa vel falsa nihil curandũ est talibus potestatibus? Sed multa iã etiã de Paganis diximus, & de ipsis dæmonibus, quòd persecutiones ab imperatoribus patiuntur. An & hoc displicet? Cur ergo ipsi vbi possunt templa subuertũt, & per furores Circumcellionũ talia facere aut vindicare non cessant? An iustior est priuata violẽtia, quàm regia diligẽtia? Sed hæc omitto. Illud quæro quod manifestè enumerat Apostolus dicens: Opera carnis, quæ sunt, inquit, fornicationes, immunditiæ, cõtentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidię, ebrietates, comessationes, & his similia. Quid istis videtur, vt crimen idololatriæ putent iustè ab imperatoribus vindicari? Aut si nec hoc volunt, cur in veneficos vigorẽ legum exerceri iustè fatentur: in hæreticos autem atque schismaticos impia dissensione nolũt fateri, cùm in iisdẽ iniquitatis fructibus autoritate Apostolica numerentur? An fortè nec talia potestates istæ humanæ cõstitutionis permittuntur curare? Propter quid ergo gladium portat qui dictus est minister Dei, vindex in iram eis qui malè agunt, nisi fortè quẽadmodum nonnulli eorũ sanè imperitissimi hoc intelligere solent de honoribus ecclesiasticis dictũ esse, vt gladius intelligatur vindicta spiritalis, qui excõmunicationem operatur, cùm prouidẽtissimus Apostolus cõsequenti contextione lectionis satis aperiat quid loquatur. Ille quippe addidit, Propter hoc enim & tributa præstatis. Ac deinde subiunxit, Reddite omnibus debita, cui tributum, tributũ: cui vectigal, vectigal: cui honorẽ, honorem: cui timorẽ, timorem. Hoc ergo iam restat, vt istis disputationibus suis prohibeãt Christianos tributa persoluere, cùm & Dns talia sentiẽtibus Pharisæis, quos imitãtur isti, numo inspecto respõderit, Reddite, inquit, Cæsari quod Cæsaris est, & Deo quod Dei est. Hi verò in vtroque inobedientes atque impij, nec Deo reddunt Christianũ amorem, neque regibus humanũ timorem, ita cæci & insani, vt cùm schismaticos suos Maximianistas per potestates à catholicis imperatoribus missas de basilicis excluserint, & vi magna iussionum & auxiliorũ cedere sibi compulerint; arguant catholicam, si pro ea catholici principes tale aliquid fieri præceperint. Ipsi verò Maximianistæ antequam essent Maximianistæ, id est, cùm adhuc vno simul Donatistarum consortio tenerentur, quæ ab eis Rogatus ille Maurus per regem barbarum Firmum, quàm sæua, & quàm acerba perpessus sit, recolant: & taceant, nec cõqueri audeant si quid huiusmodi vel à Primianistis propter suum schisma, vel cum Primianistis propter Donatistarum non pro religione sacra, sed pro animositate sacrilega patiuntur.

Galat. 5. Roman. 13.

Roman. 13.

Roman. 13.

Matth. 22.

Maximianistæ. Donatistis posteriores.

CAP. XI. FORTASSIS enim dicunt, grauiora se perpessos à catholicis imperatoribus, quàm isti fecerunt per reges barbarorũ Rogatistis, vel per iudices catholicorũ imperatorum Maximianistis, vel etiã faciũt per furorem Circumcellionũ quibuscunq; possunt. Quasi verò inde quæstio sit, vtrum grauiora patiantur quàm faciunt, quod quidẽ nullo modo concesserim. Multa enim eorũ sacrilegissima numerantur, im numerari non possunt, quæ si patiora essent, vel eo in quos admittuntur minus affligerent, eo ipso essent certè grauiora, quòd non ab ordinatis potestatibus iuberẽtur, sed extraordinariis furoribus admittuntur. Non enim tam multa sunt quæ aduersus Maximianistas per iudices humanę cõstitutionis egerunt, in eo genere actionum ponant, si volunt, quàm quæ etiã ad persequẽdum Rogatum Maurũ ab eis per Firmum barbarũ gesta sunt, etsi illum licet hostẽ immanissimum Romanorũ in legitimis numerent. Sed hęc non tam multa sunt, quàm multa quotidie agũt per furiosos ebriosorũ iuuenum greges, quibus principes constituunt, qui primum tantummodo fustibus, nunc etiã ferro se armare cœperunt, qui Circumcellionum notissimo nomine per totam Africam vagantur, & sæua contra omnem ordinem legum potestatumq; committunt: quorum scelera cùm ad eos deferũtur, fingunt se ignorare tale hominum genus, vel omnino ad se non pertinere contra omnes homines ore impudẽtissimo affirmant: neque hanc saltem vocẽ totius orbis accipiũt, multo probabilius veriusq;, dicentis, nescire se quid in Africa gestũ sit, siue à parte, siue contra partẽ Donati, quàm scilicet in ipsa Africa Donatistarũ episcopos, Circumcellionum vel facta nescire, vel dicta ad se nõ pertinere. Sed vt dicere cœperã, hoc non quæritur modò, vtrum patiantur grauiora quàm faciunt, sed vtrũ aduersus hæreticos & schismaticos tale aliquid fieri liceat. Si enim dicunt non licere, cur ipsi faciunt? Si autẽ licere fatentur, etiã sic ostendant, quod nullo modo possunt, grauiora se perpeti à catholicis imperatoribus, quàm ipsi per iudices eorũ, vel per regem Barbarorum schismaticis suis fecerunt, vel per insaniã Circumcellionũ omni generi hominum faciunt. Neque hoc mirandum est, si plus possunt principes, quàm missi à principibus iudices: si plus possunt Romani imperatores, quàm barbari reges. Etsi meritò grauiora legibus patitur latro, quàm contra leges ipse cõmittit: vnde meritò constitutionibus iustis grauiora patiũtur Circũcellionum mancipes, quàm faciunt Circumcelliones: & tamẽ est tanta mansuetudo Christianorũ, vt pœnas eorũ incõparabiliter superent facinora eorũ. Sed ecce damnauerunt in concilio suo Maximianistas, trecẽti decem episcopi Donatistæ. Illi autem pertinacia peruersitatis suis basilicis cedere nolebant. Aditi sunt iudices, cõcilium eorũ proconsularibus gestis inductũ est. Deinde visum est, vt illi qui tanto episcoporũ numero damnati sunt, cederent locis: & facilè cesserunt, nec multa passi sunt: qui autẽ resistere tentauerunt, quemadmodum afflicti sint, quis ignorat? Sed tamẽ si tanta fuisset immanitas resistentiũ, vt ad iniurias iudicum peruenirẽt, nónne multo acerbiora Romanis legibus paterentur? Sic & tunc cùm post terminũ causæ, in qua se isti à catholica præciderunt, cõsequenter agi cœpisset, vt basilicas non tenerent, & tenerent imperialibus resistendo iussionibus, ita vt vis illa notissima Circũcellionum præualeret, addendo insuper etiã, vt cum donis ecclesię, quos miserat Imperator per Africam euntes turbulentissimis & sæuissimis seditionibus agitarent: tales in eos leges proferuntur, vt ne ipsas quidem basilicas quæ non erant vnitatis, sed à separatis atque in suo schismate constitutis fuerant fabricatæ, retinere sinerentur. Qua in re iam suas iniurias potestas regia vindicauit. Quid enim vãlent iustè possidere inimici iustitiæ?

Circumcelliones fustibus primum, pòst etiam ferro armari cœpere.

Optatus lib. 3

NEC pro eis aliquid promulgasse quis inuenitur CAPVT XII. nisi apostata Iulianus, cui pax & vnitas Christiana nimiũ displicebat: quãdoquidẽ ipsa ei vnde impiè cecíderat religio displicebat. Cui quidẽ isti Donatistę, sicut iudicũ gesta testãtur, quib° hi quod impetrauerãt allegarũt, talibus verbis supplicauerũt, vt ei fortasse mitius id idolorũ cultũ quidã timore consenserint, quàm eũ isti furiosi laudauerũt. Dixerũt enim, *quòd apud eũ sola iustitia cũ haberet.* Quid ergo aliud dixisse reperiũtur, nisi

Iulianus apostata Donatistis basilicas restituit.

Donatistæ Iulianum laudarunt.

nisi Christianam sanctitatem non esse iustitiam, quæ apud illum nullum haberet locum: aut honorem dæmonum esse iustitiã? Aliorum autem imperatorum iustitiam legesq; quæ vehemẽtes aduersus eos latę sunt, quis ignorat? In quibus vna generalis aduersus omnes qui Christianos se dici volunt, & ecclesiæ catholicæ non communicant, sed in suis separatim conuenticulis congregantur, id continet, vt vel ordinator clerici, vel ipse ordinatus denis libris auri mulctentur. Locus verò ipse quo impia separatio congregatur, redigatur in fiscum. Sunt & aliæ iussiones generales, quibus eis vel faciendi testamẽta, vel per donationes alicui conferendi facultas adimitur, vel ex donationibus aut testamentis aliquid capiendi. Nam in quadã causa cùm homo nobilis Imperatoribus supplicasset, quòd soror eius quæ de parte Donati fuerat, cùm defungeretur, nescio in quos communionis suæ, & maximè in quẽdam Augustinũ episcopum eorum plurima contulisset, ex illa generali lege præceptum est, vt omnia fratri restituerentur: vbi etiam Circumcellionũ mentio facta est, si more suo violẽter obsisterẽt, quo genere auxiliorum & adminiculis repellerentur. Sic enim noti, sic multis prælis probati sunt, vt de his & supplicatio imperatori fieret, & imperator tacere non posset.

Lex Theodosij contra omnes hereticos & schismaticos.

CAPVT XIII. QVÆ cùm ita sint, cùm & diuinis & humanis legibus ita damnentur: tanta est tamen mansuetudo Christiana, vt non solùm teneant basilicas, quas iam præcisi ædificauerũt, sed nec eas omnes reddiderint vnitati, quas ab exordio vnitas tenuit. Et cùm ipsi Maximianistas de basilicis ad partẽ Donati pertinẽtibus, per iudices à catholicis imperatoribus missos instãter excluserint, tamen à multis locis quos catholica antè vnitas retinebat, nec ipsorum catholicorum imperatorũ legibus excluduntur. Postremò si quid fortè aliquando immoderatius in eos factũ est, quod Christianã excederet lenitatẽ, displicet omnibus frumẽtis messis Dominicæ, id est, in Christo laudabilibus Christianis, qui siue centenario, siue sexagenario, siue tricenario fructu in catholica ecclesia toto orbe succrescunt.

CAPVT XIIII. QVAPROPTER zizania vel paleã catholicæ segetis nobiscũ copiosissimè accusent, sed nobiscũ ferre patientissimè non recusent. Noluit enim Dns ante tẽpus eradicare zizania, & à frumentorum permixtione separare. Sinite, inquit, vtraque crescere vsq; ad messem. Et cùm inuolucrũ eiusdem similitudinis quærentibus discipulis explicaret, non ait, Ager est Africa: sed ait, Ager est hic mundus. Per totũ ergo mũdum seges ista seminata est, per totũ superseminata zizania, per totum crescit vtrunq; vsque ad messem. Nunquid aut Donatus fuit maior messor, aut eo tẽpore, quo se isti à terrarum orbe separarunt, tempus messis aduenerat: cùm idem Dns ne alicui liceret interpretari quod vellet, apertissimè dixerit: Messis autem est finis sæculi, messores autẽ angeli sunt? Tales enim messores errare non possunt, vt vel frumenta pro zizaniis colligant, vel pro frumentis zizania religent. Isti autẽ cùm quasi zizania germinata fugiunt, seipsos esse zizania demonstrarunt, in manifestissimo sacrilegio contra sententiã Domini prædicantes, vt cùm ille dicat, Sinite vtraque crescere vsque ad messem: isti per tam magnum agrũ, id est, totum mundũ, zizania crescere, frumẽta verò diminuta, & in sola Africa remansisse contendant, Christo regi & principi nostro sacrilegam facientes iniuriã.

Matth. 13.

Proverb. 14. Scriptum est enim: In lata gente gloria regis: in diminutione autem populi contritio principis. Sed iam tẽpus est, quantum existimo, ipsa testimonia Scripturarum, quæ malè interpretata decipiunt imperitos, diligenter attendere, & quantum Dominus donat, secundum intellectum catholicæ veritatis aperire.

LIBRI PRIMI FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI EPISCOPI HIPPONENSIS

CONTRA PARMENIANVM

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. QVÆ tandem vis nisi cæcitas & vanitas animi cogit hominem clausis, vt dicitur, oculis tanquam in alterum iacere, quod in eum qui iecerit, cõtinuò redeat, eumque ictu reciproco affligat, intacto illo quẽ vulnerare voluerat; sicut isti Donatistæ de omnibus ferè Scripturarum testimoniis faciunt? Quæ cùm se aduersum nos proferre arbitrantur, velut admonere nos videntur quales eos ipsa Scriptura cõuincat esse. Quid enim facit aliud, quando vel pro se, vel contra nos Parmenianus putat esse quod scriptum est: *Væ his qui dicunt quod nequam est bonum, & quod bonum est nequam: qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem: qui ponunt id quod amarum est dulce, & dulce quod amarum?* O stultissimam cæcitatem! quid enim tam bonum & tam iocundum, quam habitare fratres in vnum: quod illi nequam dicunt & amarum ponũt, qui se ab omnibus fratribus separarunt, dum vanas suspiciones suas, ne dicam factiosas calumnias, vel non excitare, vel excitatas tollere noluerunt? Quòd si veram paleam odissent, & ipsi palea non essent: non propterea se à Dominico tritico per totum agrũ, id est, mundum, seminato, & crescente seiungere debuissent. Exclament itaque, quod possunt, *Væ his qui dicunt quod nequam est bonum, & quod bonum est nequam.* Respondemus breuiter, hoc verum est: & addimus aliud, Væ his qui perdiderunt sustinentiam, dum ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem. Quid enim lucidius promissis Dei, qui temporibus nostris exhibuit, quod ante annorum milia prænunciauit, in semine Abrahæ quod est Christus, benedictionem omnes gentes habituras? Et quid tenebrosius præsumptionibus hominum, qui propter temerè obiecta, & nunquam probata crimina traditorum, (quæ si vera essent, nunquam Deo præiudicarent, quo minus quæ promisit impleret,) periisse dicunt Christianum nomen de tot gentibus in orbe terrarum, & in sola Africa remansisse? Et hanc præsumptionem suam lucem dicunt, promissa verò Dei iam ipso effectu rerum illuminata mendaciorum tenebris operire contendunt. Insuper aduersum nos factis suis clamant, dicentes: Vę his qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem. Itáne lux erat Optatus, cùm totum orbem tenebras appellauit? An eum potius esse tenebras tota Africa sentiebat, & isti eum lucem vocabant, qui ponũt lucem tenebras, & tenebras lucem? *Sed displicebat*, inquiunt, *Optatus in communione nostra omnibus bonis.* Non ergo eum lucem vocabatis, & tamen ei communicabatis. Eligite itaque quod velitis, aut non obesse in vna communione tenebras luci, sed sufficere luci vt tenebras improbet, & eas pro vnitate si expellere non potest, toleret, atque ita non fuisse causam cur ab innocentibus fratribus, quos malos certè non potuistis ostendere, si vobis cognitos etiam fuisse dicatis, tenebroso schismatis sacrilegio disiungeremini: aut si non sufficit luci vt improbet quas expellere non potest tenebras, id est, si non sufficit bonis vt improbent malos, quos excludere vel e[illegible]ndare non possunt, facilius vnus Optatus partem Donati in vna Africa notissimus & apertissimus m[illegible]ulauit, quam quilibet [illegible] tot gentes per orbem terrarum [illegible] si non o[illegible] falsis criminibus accusatus, ta[illegible]n quod impudentissimè negatur signotus. Accipientes itaque peruersò corde

Lex Theodosij contra omnes hereticos & schismaticos.

Matth. 13.

Proverb. 14.

Esaiæ 5.

Optatus, Gildonio.

Esaiæ 5.

corde Scripturas, non eas faciũt obesse nobis, sed sibi: quando ad hoc putant esse scriptum, Væ his qui dicũt quod nequam est bonum, & quod bonum est nequã: quo paleam frumenta inter se non tolerent adusque tempus ventilationis, vt cùm malè intelligant, Væ his qui dicunt quòd nequam est bonum, & quod bonum est nequam: compleatur in eis, Væ his qui perdiderũt sustinentiam. Si autem intelligant in eos hoc esse dictum, qui opinantes quod malum est bonum esse, malum committunt in eos qui talibus laudãdo atque approbãdo consentiũt: quæ duo genera in vno loco Scriptura commemorat, dicens: Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur: rectè intelligent, nec turbabũtur cùm apud ipsos inuenientur mali, nisi quòd eos pro parte Donati tolerãt, quos pro Christi vnitate tolerare debuerũt, & per hanc obstinationem animositatis suæ coguntur miseri in schisinate suo ferre, quos norũt ab orbe terrarum accusatos & damnatos esse. Quisquis ergo vel quod potest arguẽdo corrigit, vel quod corrigere non potest, saluo pacis vinculo excludit, vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus, & ab isto maledicto immunis quod Scriptura dicit, Væ his qui dicunt quod nequam est bonum, & quod bonum est nequã: qui ponunt lucem tenebras, & tenebras lucem: qui ponunt quod amarum est dulce, & quod dulce est amarum: omnino liber, prorsus securus, penitus alienus.

Psal. 9.

2.3.4.c. Quisquis vel quod potest.

Esaiæ 5.

CAPVT I. Prouerb. 17.

OBIICIVNT iterũ aliquid simile huic solita cæcitate. *De vobis*, inquiunt, *dicit Scriptura, Qui iudicat iustum iniustum, iniustum verò iustum, execrabilis est apud Deum.* Cur non ista execratiò potius in illos cadit, qui vniuersum orbem terrarum Christianũ damnare ausi sunt inauditum, in quo tam ingenti hominum numero sine vlla dubitatione fuerunt & sunt ab eorum criminibus innocentes? Hoc ergo modo quod iustum est iniustum iudicarũt, cùm Optatum Gildonianum decennalem totius Aphricæ gemitum, tanquam sacerdotem atque collegam honorantes in communione tenuerunt. Aut si eum corde improbabant, sed pro pace tolerabant, discant nullius pacifici patientiam malo non consentientem, ab vllis malis posse maculari, atque ita sentiant in qua perditione iaceant, qui propter falsa siue vera, non enim quæruntur nunc crimina Aphrorum, vnitatem spiritus in vinculo pacis non seruant, cùm orbem terrarum inauditum damnant. Quod si dicerent, nescimus an sint per tot gentes terrarum transmarinarum boni Christiani, impudentissimè dicerent, Deus enim perhibet testimonium frumentis suis, quę per totũ agrum seminans, quãuis cum zizaniis à diabolo superseminatis, tamẽ vsque ad messem crescere mandauit. Vnde & si homines ipsos minus nouimus esse bonos, tamẽ eos ideo nouimus, quia mẽtiri Deũ nõ potuisse, fide certissima retinemus. Cũ ergo sacrilega impudentia dicãt, nescimus vtrum sint in cætero orbe terrarum boni Christiani, videant qua insania dicere audeant. Quotidie enim non dubitant dicere, scimus ibi non esse Christianos. Aliud est vtique, nescimus an sint: aliud, scimus quòd non sint: vtrunque & infuele & impium est. Sed si detestandus est qui dicit, nescio an vera dixerit Deus: quis est ille qui dicit, scio quòd non vera dixerit Deus? Certè arbitror, quòd neminem istorum offendere debeo, si Donato Deum præposuero. Quantumlibet enim ament Donatum, plus timent Deum. Postremò quantùm ipsi amẽt Donatũ, nos nouimus, quia solus Deus verax est, omnis autem homo mendax. Christus ergo qui per omnia Deus est benedictus in sæcula, & qui verissimè de se ipso dixit, Ego sum via, veritas & vita: cùm serui eius ab illo quærerent, vtrum vellet eos ire & colligere zizania, Sinite, inquit, vtraque crescere vsque ad messem. Donatus autem dicit zizania quidem creuisse, frumenta verò esse diminuta. Eligant isti cui credant. Christus, id est, veritas, dicit, ager est hic mundus. Donatus autem dicit, agrum Dei in sola Aphrica remansisse. Eligant cui credant. Christus, id est, veritas, dicit, In tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania: & exponit dicens, Messis est finis sæculi. Donatus autem dicit per præcisionẽ partis suæ ante messem à frumentis zizania separari. Eligant cui credãt. Christus, id est, veritas, dicit, Messores sunt angeli. Donatus autem dicit, se atque collegas suos hoc fecisse ante messem, quod ille dixit angelos in messe facturos. Eligant cui credant. Certè Christianos se dicunt, Christum eis Donatumque proponimus. Si verba dant Christo, cor autem Donato, quid sint considerent. Ego parco, non inuehor, non exaggero, dolorẽ nostrum melius premo quàm promo. Si autem dicũt se Christo dare cor suum, Christo ergo credant dicenti, quòd per totum mundum & filij regni crescant, & filij maligni: non Donato dicenti, quòd per totũ mundum filij maligni tantummodo creuerint, filij autem boni vsque ad solam Aphricam diminuti sunt. Quòd si Christo credunt, non iam dicimus cum ecclesiis orbis terrarũ, sed cum ipso Euangelio pacẽ habeãt, quod ab igne se cõseruasse iactitãt, quod factis non probant.

Rom. 3. Rom. 9. Ioannis 14. Matth. 13.

IAM illud quò pertinet quod idem Parmenianus ex propheta Esaia nobis obiiciendũ putauit, *Nunquid non valet manus Domini saluos facere, aut aggrauauit aurem ne exaudiat? Sed delicta vestra distinguunt inter medium vestrum & Dei, & propter peccata vestra auertit faciem à vobis ne misereatur. Manus enim vestræ sanguine coinquinatæ sunt, & digiti vestri in peccatis: labia vestra locuta sunt iniquitatem, & lingua vestra iniustitiam meditatur. Nemo loquitur iusta, non est iudicium verum. Confidunt in vanis, & loquuntur mala, quia parturiunt dolorem, & pariunt iniquitatem. Oua aspidum eruperunt, & telam araneæ texuerunt: & qui erat de ouis illis manducaturus, conterens inuenit olidum, & in ipso basiliscum. Tela ergo eorum non erit ad vestendum, neque se operient de operibus suis. Opera enim illorum opera iniquitatis, pedes autem eorum ad nequitiam currunt, veloces ad effundendum sanguinem, & cogitationes eorum cogitationes insipientiæ. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Quos isto loco Scriptura describit, vbicunque fuerint inter bonos, non obsunt bonis, sicut non obest palea frumentis, donec veniat Dominus areæ, ferens ventilabrum in manu sua vt mũdet aream suam, frumenta recõdat in horreum suum, paleas verò comburat igni inextinguibili. Sicut etiam non obfuit bonis tanta multitudo sceleratorum, qui per Ezechielem prophetam dicti sunt, illis videlicet qui gemebant & mœrebant facinora populi quæ fiebant in medio eorum. Vnde quia eos corrigere non poterant, nec ab vnitate populi Dei se vllo modo separare volebant, pro merito innocentissimæ tolerantiæ suæ signari meruerunt, & in illorum perditorum vastatione atque interitu liberari. Verũtamen isti qui hæc catholicis obiiciunt: cur non sese respiciunt, quorum cateruæ gregum furiosorum huc atque illuc armatæ ferro ac fustibus volitant: & tam crebris vbi potuerint stragibus, nequaquam tamen tanta immanitate satiãtur, vbi per busta cadauerum eorum cum fœminis, quæ cum illis passim commixtæ contra ordinem rerum diuinarum & humanarum diebus ac noctibus euagantur, tanta feruet ebrietas, vt inde insaniam quotidianam, non solum alios insectãdi, sed etiam seipsos præcipitandi concipiant? Horum pedes ad malum non currunt, nec veloces sunt ad effundendum sanguinem? Ab istis non recedit iudicium, qui sibi etiam in[illegible] licentias inordinatæ potestatis vsurpant? Isti non fiunt lux tenebræ, dum non valent sustinere

CAPVT III. Esaiæ 59.

Ezech. 9.

Circumcelliones.

nere lumen in falso martyrio? Nónne isti in media nocte ambulãt etiam per diem: quandoquidem dicit Apostolus, Qui inebriãtur, nocte sunt ebrij? Nónne isti palpant in meridie quasi in media nocte? Quod quidem omnium hæreticorum est, qui rem manifestissimam in lucem omnium gentium constitutam videre non possunt, extra cuius vnitatem quicquid operãtur, quamuis magna solertia & diligentia fieri videatur, tamen illis nihil prodest aduersus iram Dei, quos nec aranearum telæ possunt defendere à frigore. Quid ergo de hoc prophetico capitulo ponunt, quod in ipsos retorqueri non possit, nisi fortè de ouis aspidum quorum multo antè meminerat dictator illius sententiæ plenarij concilij trecentorum decem, qui cum vniuersis prouinciis Aphricæ conuenerunt? Hoc certè si viueret Parmenianus, non diceret, nec ex Esaia propheta poneret aduersum nos, Oua aspidũ eruperunt. Respiceret enim adiunctum collegio suo Felicianũ Mustitanum & Prætextatum Assuritanũ, quos ex numero damnatorum quasi bono pacis, non tamen Christi, sed Donati, velut integros denuò receperunt, qui & erant oua aspidũ & eruperant. Sic enim eos describunt trecẽti decem plenarij concilij ore veridico, sicut eorum etiam proconsularibus gestis scripta allegata testantur. Hæc certè concilij eorum verba sunt, *Licet enim viperei seminis noxios partus venenati vteri aluus diu texerit, & concepti sceleris vda coagula in aspidum membra tardo se calore vaporauerint; tamen conceptum virus euanescente vmbraculo celari non potuit: nam etsi serò, publicum tamen facinus & parricidium suum fœta scelerum vota pepererunt.* Hæc oua aspidũ eruperant, iamq; horriblia & maleolentia, cum venenosis fœtibus erãt ab eorum cõmunione proiecta. Sed erat intus Optatus basiliscus qui nutu quodam regali, quo inter serpentes excellere dicitur, etiam proiectas aspides reuocaret. Aut si hæc pro pace non obsunt, quid catholicis obiiciunt quos conuincere nequiuerunt, cùm ipsi receperint quos ore proprio damnauerant? Si hæc, inquam pro pace non obsunt Christi, obsunt tamen pro pace Donati, cui multũ fauetur in iniuriã pacis Christi, pro quo sacrilegio quicquid corporalibus molestiis patiuntur, admonitio Dei est cauendæ damnationis æternæ. Nam ipsi verè sanguinem non solum corporaliter per furias Circumcellionum, sed etiam spiritaliter fundunt, qui orbem terrarum si possunt rebaptizare conantur. Aut si solus ille sanguinem fundit, qui carnem mortalem vel vulnerat vel vulneratam perimit: ille autem non fundit qui seductas animas sacrilegio schismatis occidit, quare in schismaticos suos Maximianistas per eandem plenarij concilij sui sententiam talia dixerunt, Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: cùm ab eis constet corporaliter neminem occisum, neminem vulneratũ: insuper eos ab istis multa perpessos, cùm de basilicis per iudiciarias potestates excluderentur, qualia ante separationẽ Maximianistarum, cùm in vnum pariter essent, multa fecerunt eis, qui priora ex parte Donati schismata fecerãt? Cui enim vnquam schismatico suo pepercerunt, qui sibi ab orbe terrarum, cuius ipsi schismatici sunt, nimis impudenter parci volunt, cùm à sola ipsa vera vnitate iustissimè schismata puniantur, si eo modo ista punienda sunt?

1. Thess. 5.

Esaiæ 59.

Esaiæ 59.

CAPVT IIII. Eccles. 10.

ET illud quod scriptum est, *Secundum principem populi, sic & ministri ipsius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes:* si intelligerẽt quo pertinet, nec nobis talia obiicerent, nec ipsi vana iactantia superbirent. Nos enim vt hominum spem quæ in solo Deo tuta recteque secura est, non in hominibus collocemus, quoniam scriptum meminimus, Maledictus qui spem suam ponit in homine: non intelligimus hoc loco principem populi & rectorem ciuitatis epis[illegible]oum significari. Non ideo quia non possumus innumerabiles sanctos in catholica fide episcopos intueri, sed ne cuiusquam, vt dixi, spes hominis collocetur in homine, & si fortè ei contingat in ea viuere ciuitate vbi non sit bonus Episcopus, arbitretur impunè se malum fieri, vsurpans ad defensionem suam tam peruerse istam Scripturam, quàm peruerse ab istis intelligitur, & dicens ideo se bonum esse non posse, quia secundum principem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales inhabitantes. Contradicitur enim huic errori, veritatis ore dicentis, Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. Habentes itaque plebes tales episcopos, qui bona dicunt ex cathedra Moysi, & ea quæ dicunt non faciunt ex pestilentia sua, si illi faciunt ea bona quæ dicunt, & non faciunt ea mala quæ faciunt, sicut præcepit Dominus, nónne satis indicant non ita intelligendum esse principem populi & rectorem ciuitatis quomodo isti intelligunt? Possunt enim esse populi boni vbi fuerint episcopi mali, sicut potuit esse populus malus vbi fuit Moyses princeps & rector bonus. Errantes enim in verbis sanctarum Scripturarũ, & sicut dicit Apostolus, Non intelligentes neque quæ loquũtur, neque de quibus affirmant, ipsi potius secundum peruersitatem intellectus sui magnas patiuntur angustias, cùm eis dicitur, Ergo qualis fuit Optatus, talis fuit & plebs Thamugadensis: & si communione sacramentorum, sicut dicitis, contaminantur, & illi qui facta mala improbant, & illi qui etiam ea pro pace tolerant vnitatis: tales estis & vos omnes, qui & illi collegæ & illi plebi communicastis, cùm illum tota Aphrica Gildonis satellitem manifesto gemitu declamaret. Quem propterea sæpe nomino, quia ita manifestus apparuit, vt vbicunque fuerit nominatus, nullus eum se ignorare respondeat. Nam ipsi respiciant & recordentur, quàm multos inter se similes habeant, quorum par malitia est, sed impar notitia, & aliquando veniant ad veram sententiam istorum verborum, & intelligant vnum principem Dominum nostrum Iesum Christũ, cuius ministri sunt boni, & ipsum rectorem ciuitatis illius Hierusalem, quæ est mater nostra in cælis æterna, cuius rectoris dignitati congruunt habitantes, non ad æqualitatem, sed pro modo suo, quia dictum est eis, Sancti eritis, quoniam & ego sanctus sum: secundum quandam scilicet imaginis similitudinem, in qua transformamur de gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu, munere illius qui nos facit conformes imaginis filij sui. Est & alterius mali populi diabolus princeps, & rector eius ciuitatis quæ mysticè Babylonia dicitur, quem principem & rectorem tenebrarum harum, id est, peccatorum, ipsum & angelos eius Apostolus appellat: & illius ministri similes ei sunt, quia transfigurant se in ministros iustitiæ, sicut ille in angelum lucis, & inhabitantes rectori pessimo in factis similibus congruunt. Sed istorum populorum atque ciuitatum, tunc erit aperta separatio, cùm ista messis fuerit ventilata, quod donec fiat, omnia tolerat dilectio frumentorum, ne dum grana paleam præproperè fugiunt, à consortibus granis impiè separentur.

Matth. 23.

1. Tim 1.

2. Corinth. 3.

Epheſ. 6.

CAPVT V.

QVID igitur iam valet ad causam quod isti nobis obiiciunt, *quia de malis sacrificatoribus Dominus per Esaiam prophetam dicit, Facinorosus qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem occidat, & qui similagine n[illegible] quasi sanguinem porcinum, & qui offert thus quasi qui benedicat. [illegible]o?* Hæc omnia multo congruentius de illis dicun[illegible]r, qui contra Ecclesiam Dei toto, sicut promissa est, orbe diffusam, al[illegible] schismatis erexeru[illegible]t, quod eos sacril[illegible] uoluit, & quilibet vbilibet o[illegible] corde vel factis hæc vt audire

Esaiæ 66.

sibi infert, non illis bonis qui accipiunt ab eis sacra-
Ezech. 9. menta eadem, qui secundum prophetam Ezechielem
gemunt & mœrent peccata quæ fiunt in medio eorũ,
quamuis non se inde corporaliter separẽt. Vnicuique
enim Deus retribuit secundum cor suum. Nam si pri-
mis temporibus non obfuerunt mali sacerdotes, vel
Luca 1. collegis bonis, sicut fuit Zacharias: vel popularibus,
Ioannis 1. sicut fuit Nathanael, in quo dolus non erat: quãto ma
gis nihil obest in vnitate Christiana episcopus malus
vel coepiscopis vel laicis bonis, cùm iam ille sacerdos
Psal. 109. in æternum secundum ordinẽ Melchisedech, & pon-
tifex noster sedens ad dexteram patris, interpellat pro
nobis, qui traditus est propter delicta nostra, & resur-
rexit propter iustificationem nostram? Nec illud bo-
nis obest, sed offerentibus malis, quod verissimè dictũ
Eccles. 34. est, Dona iniquorum non probat altissimus. Nõ enim
dixit, Dona eorum qui pro pace iniquos tolerant, non
probat altissimus, cùm tamen nec isti ea quæ obiece-
runt probare potuerint eo tempore quo schisma fe-
cerunt, alioquin illis exclusis, istos hæreditas Christi
B toto orbe diffusa in communione catholica retineret.

CAPVT VI. SACRIFICIA *impiorum execratio est Domino. Et-
enim*, inquiunt, *iniquè offerunt illa.* Iam suprà respõsum
est, quia nõ est iniquus Christus qui pro nobis seipsum
obtulit, & noster in cælo mediator est, quo suam Eccle-
siam gubernante bonis mali non oberunt, qui vel
ignorantur vel pro pace tolerantur, donec ipse veniat
ac separet præmissis messoribus à messe zizania, & ven
tilabro paleas à frumẽtis: quanquam isti quod sæpe di-
cendum est, falsa crimina obiecerint, quæ etiam si ve-
ra essent, bonorum charitati pro vnitate in vnitate o-
mnia toleranti nihil nocerent, si ea fortè etiam cogni-
ta, iudicibus ecclesiasticis persuaderi non possent. Sa-
crificia ergo impiorum eisipsis oberunt qui offerunt
impiè. Nam vnum atque idem sacrificium propter no
men Domini quod inuocatur, & semper sanctum est,
& tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesse-
rit. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium si-
bi manducat & bibit. Non ait aliis, sed sibi. Qui ergo C
manducat dignè & bibit, gratiam sibi manducat & bi
bit. Illi ergo videant, vtrum dignè manducent, qui in-
ter tam multos parentes & filios, maritos & vxores, in-
Roman. 8. ter tam multos, quod est patentissimum, Dei hæredes
& cohæredes Christi toto orbe diffusos, nephario schi
smate diuiserunt, cùm possent vtique si boni essent, &
verè malos arguerẽt, fructuose tolerare pro pace Chri
sti, quæ perniciose tolerant pro pace Donati.

CAPVT VII. IN *Exodo*, inquiunt, *scriptum est, Sacerdotes qui acce-*
Exodi 19. 30. *dunt ad Dominum Deum sanctificentur, ne fortè derelin-*
quat eos Dominus. Et iterum, Cùm ministri ad altare ac-
Leuit. 21. *cedunt, non adducant in se delictum, ne moriantur. Et il-*
lud in Leuitico, Homo qui habuerit maculam & vitium,
non accedat dona offerre Deo. Bene quidem de veteribus
libris ista testimonia proponunt. Dicãt ergo mihi, cui
sancto secundum salutem spiritalem obfuerit, vel in
sacerdotibus, vel inter populum constituto, malus aut
maculatus sacerdos? Vbi erat Moyses & Aarõ, ibi mur
muratores sacrilegi, quos Deus à facie sua semper per-
dere minabatur. Vbi erat Caiphas, & cæteri tales, ibi
Zacharias, ibi Simeon & cæteri boni: vbi Saul, ibi Da-
uid: vbi Hieremias, vbi Esaias, vbi Daniel, vbi Eze-
chiel, ibi sacerdotes mali & populi mali: sed sarcinam
suam vnusquisque portabat. Omitto dicere quàm sce
lerata superbia dicant, *neminem esse inter collegas suos*
vel seipsos cum aliqua macula & vitio, non membrorũ,
sed quod peius est morum. Quod [illegible] agere cum eis
cœper[illegible]us respondebunt, interesse [illegible]ualis macula &
[illegible]ir, quæ sic Scriptura dis[illegible]euerit quæ ait,
[illegible]t maculam aut vi[illegible]ium, non acce-
[illegible] Nullámne maculã habuit & vi-
[illegible] sed ipse Parmenianus, aut ipse

A Donatus? Sed tanto isti amore hominum cæci sunt, &
corde impudico adulteros mẽtis suæ, vni legitimo vi-
ro coæquare non dubitant, vt quod de solo Domino
Iesu Christo dici potuit, etiam in Donato, perfectum
fuisse contendant. Quis dabit oculis meis fontem la-
Hieremiæ 9. chrymarum? Quis congruus huic sceleri gemitus con
cusso pectore exprimetur? Sed iterum attendant, vtrũ
saltem Optatus habuerit aliquam maculam aut ali-
quod vitium? Non vsque adeò cæci sunt, vt istius vi-
tam omnino immaculatam, & omnino vitio carẽtem
fuisse respondeant. Cur ergo accedebat dona offerre
Eucharistiæ oblatio. Deo, & ab eo cæteri coniunctis manibus accipiebant,
Eucharistiæ coniunctis manibus accipiebatur. quod maculosus & vitiosus obtulerat? Attendãt in cę-
teris collegis suis vtrũ nulla sit macula ebriositas. Sed
prius legant quibus sceleratis ebriosos adiunxerit A-
postolus. Vtrum auaricia nulla sit macula, quam idem
apostolus sic detestatur, vt idolorum comparet serui-
Galat. 5. tuti? Qui autem rectissimè sapiunt, intelligunt quem-
libet hominum, quamuis iam pro consortio societatis
B humanæ non absurdè dici possit iustissimè viuere; non
tamen posse esse sine aliquo vitio, quamdiu caro con-
Nemo sine vitio. cupiscit aduersus spiritum, spiritus autẽ aduersus car-
nem. Et qui natus est ex Deo, non peccat. Et si dixeri-
mus, quia peccatum non habemus, nosmetipsos sedu-
cimus, & veritas in nobis non est. Quamuis enim in-
quantum ex Deo nati sumus non peccemus, inest ta-
men adhuc etiam quòd ex Adam nati sumus, quia nõ-
dum absorpta est mors in victoriam, quod etiã in cor-
1. Cor. 15. porum resurrectione promittitur, vt omnino beati &
immaculati & incorrupti simus; qui iam secundum fi-
dem filij Dei sumus, sed secũdum speciem nondũ ap-
paruit quod erimus. Nondũ enim in re, sed spe salui fa
cti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: quod
Roman. 8. enim videt quis, non sperat. Si autem quod non vide-
mus speramus, per patientiam expectamus. Quamdiu
autem expectamus per patientiam corporis nostri re-
demptionem, non audeamus dicere carere nos omni
vitio, ne ipsa superbia sit immanissimum vitium. Eui-
C gilemus igitur aliquando, atque videamus in sacerdo-
tibus illius temporis, cùm corporalia vitia vitabantur,
illum præfigurari qui cùm esset Deus, factus est pro-
pter nos homo, solus verus agnus immaculatus & sa-
cerdos sine vitio. Ideoque & tunc sacerdos solus intrã-
bat in sancta sanctorum, populus autem stabat foris:
sicut nunc ille sacerdos post resurrectionem suam in-
trauit in secreta cælorum, vt ad dexteram patris in-
terpellet pro nobis. Populus autem cuius ille sacerdos
est, adhuc foris gemit. Nam cùm Episcopus solus in-
tus est, populus & orat cum illo, & quasi subscribens
ad eius verba respondet, amen. Vsque adeò tunc quan
do sine vlla macula & sine vllo vitio, quia non poterãt
animi sacerdotum, corpora quærebãtur, solus ille pon
tifex noster præfigurabatur, non isti superbi & impij,
D qui fornicantem animam non zelant sponso, sed ei au
dent se ostentare pro sponso.

IN *Euangelio*, inquiunt, *scriptum est, Deus peccatores* CAPVT VIII.
non audit: sed si quis Deum colit, & voluntatem eius facit, Ioannis 9.
hunc audit. Et hæc absoluta responsio est. Si enim duo
simul orent, vnus peccator, & alter qui Deum colit &
volũtatem eius facit, nimirũ illum audit, & illum non
audit. Quid ergo sibi vult hoc testimonium, vel quo-
modo pro se arbitrantur esse proferendum, cùm his
verbis maximè securi fiant inter malos boni, nec vlla
causa corporalis separationis existat, vt nefario schi-
smate homines etiam à bonis per talem discordiã se-
parentur, quandoquidem possunt & mali inter bonos
exaudiri propter fidem suam? Deus enim qui cordis
inspector est, non errat vt aliũ pro alio vel exaudiat vel
re[illegible]ellat. An propterea dicunt hoc, vt intelligatur ma-
lus ep[illegible]copus nõ exaudiri cũ pro populo rogat? Quod
ets[illegible]a esset, non ideo tamen populus si bonus atque
fidelis

fidelis est, sollicitus esse deberet. Securos enim illos fa-
1 Ioan. 2. cit illa Scriptura quæ ait: Fratres, hæc scribo vobis vt
non peccetis. Et si quis peccauerit, aduocatum habe-
mus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est
propitiatio pro peccatis nostris. Hoc quàm veraci &
pia humilitate dictum sit audiant, si habent aures vũ-
de audiant. Ioannes enim dixit, Hæc scribo vobis vt
non peccetis. Si itaque sequeretur, & diceret: Et si
quis peccauerit, aduocatum habetis apud patrem Ie-
sum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro pec-
catis vestris: seipsum à peccantibus quasi segregasse
videretur, vt iam non ei opus esset propitiatione quæ
Rom. 8. fit per mediatorem sedentem ad dexterã patris, & in-
terpellantem pro nobis. Quod vtique non solùm su-
perbè, sed etiam falsò diceret. Si verò ita diceret, Hæc
scripsi vobis vt non peccetis, & si quis peccauerit, me-
diatorem me habetis apud patrem, & ego exoro pro
peccatis vestris, (sicut Parmenianus quodã locò me-
diatorẽ posuit episcopũ inter populum & Deũ) quis
B eum ferret bonorum atq. fidelium Christianorum?
Quis sicut Apostolum Christi, & non sicut Antichri-
stum intueretur? Et tamen lacus detriti fumosam a-
quam, istorum superbiam ferũt, & Spiritum sanctum
continere non possunt, vt seruent vnitatem spiritus in
vinculo pacis, & in omnibus orationibus suis de vno
mediatore securi sint. Homines enim omnes Chri-
stiani inuicem se commendant orationibus suis. Pro
Mediator quis. quo autẽ nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic
vnus verũs que mediator est, cuius typus quoniã præ-
figurabatur in sacerdote veteris Testamenti, nũllus il-
Hebr. 9. lic inuenitur orasse pro sacerdote. Paulus autem apo-
stolus quamquam sub capite præcipuum membrum,
sed tamen quia membrum est corporis Christi, & no-
uerat non per figuram in interiora veli ad sancta san-
ctorum, sed per expressam & firmam veritatem in in-
teriora cæli ad sanctitatem non imaginariam, sed C
æternam, pro nobis intrasse maximum & verissimum
sacerdotem ecclesiæ, se orationibus fidelium & ipse
commendat. Nec mediatorem se facit inter popu-
lum & Deum; sed rogat vt pro se orent inuicem om-
nia membra corporis Christi, quoniam pro inui-
cem sollicita sunt membra, & si patitur vnum mem-
brum, compatiuntur omnia membra: & si glorifica-
tur vnum membrum, congaudent omnia membra,
ac sic orario pro inuicẽ membrorum omnium adhuc
in terra laborantium, ascendat ad caput quod præces-
sit in cælũ, in quo est propitiatio pro peccatis nostris.
Nam si esset mediator Paulus, essent vtique & cæteri
coapostoli eius, ac sic multi mediatores essent, nec ipsi
1 Tim. 2. Paulo constaret ratio qua dixerat, Vnus enim Deus,
vnus mediator Dei & hominum homo Christus Ie-
sus, in quo & nos vnum sumus, si seruemus vnitatem
spiritũ in vinculo pacis. Nec propter malos, bonos de-
seramus, sed propter bonos malos sufferamus, ne cùm
D defendere volumus, quod temeraria præsumptione
relinquimus, incognitos cogamur maiori scelere dã-
Etiam peccatores Deus audit. nare inauditos, cùm etiam certum sit, quia peccatores
Deus audit, quod quidem inuenitur in Scripturis. Ba-
Num. 23. lanã propheta nõ de populo Israël, sed alienigena, con-
ductus ab amico, vt populo Dei malediceret, conuer-
sus à Domino ad benedicendum est: cuius verba om-
nia bene imprecantis audimus, & legimus; & cùm
aliud haberet in voto, verba tamen precantis & bona
Etiam malus sacerdos pro populo orans exauditur. sunt, & pro populo exauduntur à Domino. Vnde nõ
mirum est, verba bona quę pro populo dicũtur in pre-
cibus, etiam si à malis dicantur episcopis, exaudiri ta-
men, non pro peruersitate præpositorum, sed pro de-
uotione populorum. Veruntamen quod scriptum est
Ioan. 9. in Euangelio, Deus peccatores non audit, sed si quis
Deum colit, & voluntatem eius fecerit, ip[illegible] e[illegible]u-
dit; non à Domino dictum est, sed ab illo qui [illegible]culos

A corporis iam quidem restitutos habebat, sed ei oculi
cordis nondum patebant, vnde ipsum Dominum ad-
huc prophetam putabat. Nam eum postea cognitum
Dei filium adorauit. Ipse autem Dominus, cùm in vno
templo orarent Pharisæus & publicanus, publica- Luc. 18.
num confitentem peccata sua magis iustificatum di-
cit, quàm Pharisæum iactantem merita sua, cui simi-
les isti sunt. Quamquã enim iustificatus destiterit esse
peccator, tamen vt iustificaretur peccator orabat, &
peccator confitebatur, & exauditus iustificatus est, vt
desineret esse peccator. Nõ vtique desineret esse pec-
cator, nisi prius exaudiretur peccator. Quamobrem
non quidem omnem peccatorem exaudiri, sed tamen
non omnẽ peccatorem non exaudiri veritas testis est.

OBICIVNT & quod dicitur in Psalmo, *Peccato-* CAPVT IX.
ri autem dixit Deus, Vt quid exponis iustificationes meas, Psal. 49.
& assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odi-
sti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum. Si
B *videbas furem, concurrebas cum eo, & cum adulteris por-*
tionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lin-
gua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum
loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scanda-
lum. Sed aperiant aliquando aures cordis, & desinant
esse non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque
de quibus affirmant. Attendunt enim dictum pecca-
tori, Vt quid exponis iustificationes meas, & assumis
testamentum meum per os tuum: & non intelligũt ad
hoc dictum, vt sciat sibi nihil prodesse verba quæ ore
pronunciat, si quod dicat ipse non faciat; veruntamen
aliis prodesse, qui etiam per malos audiunt, & faciunt:
quod ipse Dominus docet in Euangelio, dicens de
Pharisæis, Super cathedram Moysi sedent; quæ di- Matth. 23.
cunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt
enim, & non faciunt. Atque vtinam vellẽt in his ver-
bis quę de Psalmo meminerunt, se tanquam in specu-
lo intueri. Quomodo non proiiciunt sermones Dei C
retrorsum, qui populis pronunciant pacem, & no[illegible]
amant pacem? Quomodo non odio habent discipl[illegible]
nam, qui damnare audent orbem inauditum, & cùm
pro merito imò longè minus merito, pro tanti furoris
audacia, secundum diuinæ misericordiæ disciplinam
temporales molestias patiuntur, nõ peccata sua puniri
confitentur, sed merita coronari gloriantur? Eos sanè
cum furẽ concurrisse non dico, quia fure peior est ra-
ptor, quod esse vndique clamabatur Optatus. An non
cum mœchis particulã suam ponũt, qui greges ebrios
sanctimonialium suarum cum gregibus ebriis Circũ-
cellionũ, die noctũq. permixtos, vagari turpiter sinũt?
An non sedentes aduersus fratres suos detrahunt, qui
propter quosdam quos conuincere non potuerunt, in
hæreditate Christi toto terrarum orbe diffusa contendunt non esse Christianos? Atque ita aduersus filiũ
matris suæ, id est, paruulum adhuc in fide & sacra-
mentorum lacte nutriendum, perniciosissimũm scan-
dalum ponunt, dum nesciens adhuc sequi Deum pa-
trem, infirmus sequitur hominem, & simulata atque
adumbrata specie veritatis illectus, ab vnitatis cõpage
crudeli laceratione diuellitur. Sed si eis qui mala non
faciunt, in eadem parte malefacta displicent cæterorũ,
nec obesse sibi aliena scelera credunt, quæ in
medio sui fieri gemunt & mærent, cur in crimine sa-
crilegi schismatis perniciosè tolerant, quos fructuo-
sè tolerare in vnitatis integritate potuerunt? Pos-
sunt enim dicere, si tamen iam ipsis rebus expergefi-
cti euigilant aliquando, possunt, inquam, dicere ma-
la singulorum cæteris non obesse, qui nec approbant
nec faciunt ta[illegible], non autem singulorum malum esse
schismatis sac[illegible]legium. Sed ad eos omn[illegible]nere,
qui catholicæ non communicant [illegible]
possunt cõuinci, etsi difficillimè [illegible]
causa in eorũ communione ad

mina aliorum, ea causa schisma crimen est omnium: quia cùm se inter ipsos suos aliorum sceleribus maculari non posse iam dicunt, simul fateantur necesse est non se habuisse causam cur ab vnitate discederet, vbi eos non possunt aliorũ scelera maculare, & propterea scelere schismatis apertissimo tanquam vno mortifero vinculo pariter colligantur.

CAPVT X. Hier. 2. AT *enim prophetauit Hieremias*. Quid prophetauit Hieremias? *Non habere*, inquiunt, *verum baptismum eos qui relinquunt Deum. Ait enim, Expectauit cælum super istud, & exhorruit multo vehementius, dicit Dominus, quoniam duo nequam fecit populus iste. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & effoderunt sibi lacus detritos qui non possunt aquam portare. Et iterum, Facta est plebs mea mihi sicut aqua mendax non habens fidem. Et illud quod scriptum est, Qui baptizatur à mortuo, quid prodest lauatio eius? Et illud in Psalmo, Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Et iterum alibi, Muscæ morituræ exterminant oleum suauitatis. Et alibi, Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Hæc omnia si eo modo intelligenda sunt, quo ab istis intelliguntur, nec nobis nec ipsis conquadrat ratio veritatis. Si autem alio modo docuero intelligenda, illi soli sua prauitate turbantur. Sed vt non turbentur, ad catholicum refugiant intellectum, quia non inueniunt exitum responsionis, dum irretiuntur crimine schismatis. Habent certè etiam ipsi, non dicam tales, sed quos vel fatentur, vel insanissimè negant, derelinquentes Deũ qui est fons aquæ viuæ, hoc est iniquè viuentes. Neque enim pedibus, ac non corde relinquitur Deus. Habent & mendaces, & non habentes fidem, aliud profitentes & aliter conuersantes. Habẽt etiam mortuos: si enim sexui delicatiori & infirmiori delicias non concedit Apostolus dicens, Vidua quæ in deliciis agit, viuens mortua est; quærant vtrum nulli apud se viri, &, quod amplius est, præpositi vel ministri viuant in deliciis, atque si ita audent, renuncient se non habere mortuos, & meliores esse quàm illa ecclesia, cuius angelo in figura præpositorum vel animarum dicitur, quòd non viuat sed mortuus sit, & tamen inter septem ecclesias numeratur, & ei non diuisè à compage corporis Christi agenti, sed in vnitate persueranti præcepta vitæ insinuantur. Omitto quod in concilio suo aduersùm Maximianistas dixerunt, *Aegyptiorum admodum exemplo, pereuntium funeribus plena sunt litora.* De quorum numero mortuorum nunc intus est Felicianus, qui adhuc mortuus baptizat. Aut si iam reuixit, habet secum illos quos mortuus in schismate baptizauit. Habent certè peccatores: nam si interrogentur quicunque sibi in ipsis magni videntur, etiam seipsos peccatores non negant. Neque enim non tundunt pectora sua, aut cùm id faciunt, simulando faciunt. Quod si ita est, tunc certè infeliciter peccant, populos suos simulata humilitate fallentes, aut cùm dicunt in oratione Dominica, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quod vtique non de illis peccatis dicitur, quæ in baptismi regeneratione dimissa sunt, sed de iis quæ quotidie de seculi amarissimis fructibus humanæ vitæ infirmitas contrahit, quibus curandis adhibentur medicamenta eleemosynarum, ieiuniorum & orationum, vt in oratione dicatur, quod in eleemosynis agitur. Nam & peccatum quod in te ... ter admisit, dimittere, vt & tibi tuum Deus dimittat, magnum opus misericordiæ est. Quod si homines fictè & non veraciter dicunt, p... tantes se non habere ... d eis dimittat Deus, idi ... ùm est inexpi ... um, eaipsa impia est & vesana su... immane peccatum. Nam & ... id dicam, quoniam in eis non

Hier. 15. Eccles. 34. Psal. 140. Eccles. 10. Sap. 1.

Apoc. 3.

Exodi 14.

...ndax & simulata humilitas. Matth. 6.

...ne Dominica non permittit nobis dimitti quæ baptismo remissa sunt.

A morituros adhuc, sed iam mortuos multipliciter inueniri, siue fateantur, siue conuincantur ostendimus? Fictos verò quos fugit spiritus sanctus disciplinæ, & sine intellectu perditè viuentes, quàm multos inter se habeant, secundum ea quæ suprà dicta sunt cogitent. Nam & quicunque ibi latent mali, quod vel eo certum est, quia sæpe proditi conuictique damnantur, non de recentibus tantum factis, sed etiam de veteri consuetudine flagitiorum, quia stultissima fictione diu celari non potuerunt, vtique magis ficti sunt, dum se bonos fingendo decipiunt. Si ergo sic sunt ista intelligenda vt isti intelligunt, quomodo eis ratio subsistere poterit, cur apud eos qui malè viuendo derelinquunt Deum, siue lateant, siue noti sint, non fuerint lacus detriti, qui continere non valent aquas? Et si in hoc loco sacramentum baptismi intelligendum est, cùm mendaces & infideles eorum ministri, non aquam veracem, sed mendacem vel dare vel habere credantur, quid ab illorum mortuis qui baptizantur proficit lauatio eorum? Cur peccatores impinguant B oleo capita aliena? Quid ibi muscæ morituræ vel mortuæ metuerunt, vt non exterminent oleum suauitatis? Quo priuilegio muniuntur quicunque ibi ficti sunt, id est qui iustitiæ pelle obtegunt lupum, vt non eos fugiat spiritus sanctus disciplinæ? Aut si eos fugit spiritus sanctus, quomodo per eos baptizatis datur? Hic enim dici non potest quod solent ineptissimè & impudentissimè dicere, *tunc posse à malo baptizari quenquam, si lateat malitia baptizantis*. Qui enim fictus est, tanto magis fictus est, quanto magis latet. Ab hoc ergo cùm se auferat spiritus sanctus, quæ spes erit baptizati, si baptizantis hominis meritum in illa Dei gratia cogitandum est? Hic omnino quid respondeant non inueniunt, qui malos apertos habere se negant, in quo quidem apertissimè conuincuntur. Sed quid ad nos? Satis est nobis ad necessarium articulum causæ huius quòd fictos bonos, id est occultos malos, C apud se esse negare non possunt. Per multos enim redarguuntur, qui cùm ibi perditis & sceleratis moribus viuerent, & per ipsam fictionem diu latuissent, aliquando proditi, expulsi sunt. Dicamus ergo, Si nolunt ibi adhuc esse aliquos tales, illi certè qui eiecti sunt, si in eadem fictione laterent, & eos fugeret Spiritus sanctus, de quo scriptum est, Spiritus sanctus disciplinę effugiet fictum; quomodo baptizare possunt? Cur non recensentur saltem qui viuunt vt accipiant baptismum, quem vtique à fictis quos deseruit Spiritus sanctus, accipere nequiuerunt? Si autem dicunt, Spiritus quidem sanctus daturis fingentibus deerat iustificandis, sed accepturis credentibus aderat abluendis per ineffabilem efficaciam potentiæ suæ, vtrumque valens facere, illos fugere, istos fouere, illos culpare, istos mundare: quam pro se quæstionem D soluunt, simul cernant solutam esse pro nobis. Quod autem intelligimus in hac sententia sanctæ Scripturæ, quam certè ipsi non intelligentes, & quasi pro suis partibus proponentes, ad seipsos conuincendos ingerunt nobis, hoc penè in omnibus talibus quæstionibus intelligendum admonemus, scilicet quia omnia sacramenta cùm obsint indignè tractantibus; prosunt tamen per eos dignè sumentibus: sicut & verbum Dei testatur: vnde dictum est, Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Nam effodere lacus detritos qui continere non valent aquas, quis me prohibet sic intelligere; id est, conuerti ad voluntatem terrenam, vt non possint sustinere Spiritum sanctum, quem nomine aquæ in Euangelio significari, quis quoquo modo Christianus ignorat? tem aqua mendax non habens fidem, poterit in... falsum baptisma, sed populus mendax & in... elis, non annumeratus veracibus & fideli-

Sap. 1.

1. q. 1. cap. omnia, & capit. Esaiam.

Matth. 23.

-bus, sed

bus, sed his solis qui mendaces & infideles sunt. Nam A populum significari aliquando vocabulo aquarum, legant Apocalypsim, & calumnientur sibi prius potius quàm nobis. Sic enim dicitur Ioanni, Aquas quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi & tribus sunt: & gentes & linguæ. Et illud quod scriptum est, Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius? Vt interim differam diligentiorem istorum verborum inquisitionem, tutissimè accipio Paganorum baptismata esse denotata, qui homines & à iustitia, & ab ista vita mortuos colunt, in quorum nomine baptizantur. Quamuis enim & ipsi sacerdotes per impietatem mortui dicantur, non tamen propter eos sic intelligitur, sed propter mortuos deos eorum, in quorum significatione dicitur, Dominus Deus noster Deus viuus. Quapropter etsi apud Christianos sunt aliqui præpositi vel ministri, qui per impietatem & iniquitatem suam mortui sunt, viuit tamen ille, de quo dictum est in Euãgelio, Hic est qui baptizat: quia B sicut dicit Apostolus, Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Oleum verò peccatoris apertissimè Psalmus indicat, quemadmodum intelligendum sit. Ait enim, Emendabit me iustus in misericordia & arguet me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Vnde manifestum est, oleo peccatoris blanditias adulatoris esse significatas, quibus repudiatis & detestatis eligit à iusto emendari & argui, quia hoc iustus non fallaci lenitate adulationis, sed veraci asperitate obiurgationis faciens, multo magis misericorditer facit. Vnde est & illud in Apocalypsi, Ego quos amo, arguo & castigo. Et illud apud Salomonem, Meliora sunt vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici: & multa reperiuntur huiusmodi. Oleum verò suauitatis, scilicet bonum odorem, id est, bonam famam Christianorum, illi exterminant qui malè victuri, & ad mortem suarum iniquitatum redituri, magna multitudine irruunt, vt eis per baptismum peccata donentur, & ad ea denuò reuertantur. Nam pro- C pter numerositatem musceis arbitror esse comparatos. Sed hi exterminant oleum suauitatis, quoniam non ipsam Dei gratiam, sed hominum mores intuentur. Et quoniam sicut grana inter paleas non videntur: ita piè viuentes inter iniquorum turbas non facilè apparent, carnaliter offensi à percipienda salute sempiterna, siue trahuntur, siue omnino resiliunt. Esse autem bonum odorem in bona fama rectè viuentium Christianorum, Apostolus docet dicens: Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Contrà illi quibus dicitur, Nomen enim Dei per vos blasphematur in gentibus: vtique oleum suauitatis exterminant. Sic ergo habent ista alios sinceriores intellectus, quos si sequantur, etiam ipsi ab earum quæstionum expediantur angustiis. Illorum autem intellectus si à nobis non confirmetur, ipsos solos: si verò à nobis confirmetur, vtrosque nostrum implicat.

Apocal. 17. Eccles. 34. Hierem. 10. Ioannis 1. Roman. 6. Psal. 140. Apocal. 3. Prouerb. 27. Eccles. 10. 2. Corint. 2. Esaiæ 52. Roman. 2.

CAP. XI. QVID opus est iam plura discutere, nisi fortè illud D mouebit, quia cùm probare Parmenianus vellet, carnales homines non posse spiritales filios procreare, addidit ex Euangelio testimonium, *Quod natum est de carne, caro est: & quod natum est de spiritu, spiritus est.* Quasi nos dicamus per seipsum quemlibet hominẽ spiritales filios generare: & per Euangelium, in cuius prædicatione Spiritus sanctus operatur, ad gignendos filios non posse sufficere, cùm Spiritus sanctus fictum ministrum fugiat, sicut suprà diximus. Ideoque Apostolus cùm talibus filiis loqueretur, si dixisset, Ego vos genui: & non addidisset, in Christo Iesu per Euangelium: nullo modo se quisquam fidelium de illo natum religiosè fateretur. Euãgelium autem ... quoque Iudas sine detrimento fidelium prædicauit. ...

Ioannis 3. 2. Corint. 4.

igitur eorum, id est, occultos malos, sicut ipsi quoque concedunt, cùm eos fugiat Spiritus sanctus, per eorum tamen ministerium gigni spiritales filios adstruunt. Sed quis ferat tantam dementiam, vt cùm fortè carnalem vocet hominem de coniuge filios procreantem, spiritalem appellet adulterum? Absit, inquit, vt hoc sentiam. Nam quomodo adulter latens, cùm apud eos præpositus esset, spiritales potuit filios procreare, si carnales hoc facere non possent? An fortè tunc per manus eius vel Christus, vel Spiritus sanctus, vel angelus baptizauit? Si ergo tunc homo baptizat cùm baptizator manifestus est bonus: cùm verò baptizator latet malus, tunc Dominus baptizat, aut angelus, & vnusquisque talis spiritaliter nascitur qualis fuerit à quo baptizatur: optent igitur qui desiderant baptizari, vt homines per quos baptizantur, non sint manifesti boni, sed latentes mali, vt sic Deo vel angelo baptizante sanctiores renasci mereãtur. Hanc absurditatem sic se cogitent euitare, per quemlibet hominem, vt cùm quis Christi baptismate baptizatur, Christum baptizare fateantur, de quo solo dictum est, Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Nam illud ex Euangelio, *Sicut misit me pater, & ego mitto vos: hoc cùm dixisset, insufflauit & dixit, Accipite Spiritum sanctum, si cui dimiseritis peccata, dimittentur: & si cui retinueritis, retinebuntur:* contra nos esset, vt cogeremur fateri ab hominibus hoc, non per homines fieri, si posteaquam dixit, Et ego mitto vos: subiecisset continuò, Si cui dimiseritis peccata, dimittentur: & si cui tenueritis, tenebuntur. Cùm verò interpositum est, Hoc cùm dixisset, insufflauit, & ait illis, Accipite Spiritum sanctum: & deinde illatum, per eos vel remissionem vel retentionem fieri peccatorũ: satis ostenditur, non ipsos id agere, sed per eos vtiq; Spiritum sanctũ, sicut alio loco dicitur, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus sanctus qui in vobis est. Spiritus autem sanctus in Ecclesiæ præposito vel ministro sic inest, vt si fictus non est, operetur per eum Spiritus sanctus, & ad eius mercedem in salutem sempiternam, & eorum regenerationem vel ædificationem, qui per eum siue consecrantur siue euangelizantur. Si autem fictus est, quoniam verissimè scriptum est, Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum: deest quidem saluti eius, vt auferat se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu; ministerium tamen eius non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum. Propter quod Apostolus ait, Si enim volens hoc facio, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est: id est, illis prodest quibus hoc dispensò, non mihi qui fictus sum. Qui enim inuitus facit propter commoda gaudiaque carnalia, quæ si aliter habere posset, illud desereret, ipse vtique fictus est, ideoque inuitus facit, sed eis prodest erga quos facit: se autem tantum à mercede salutis alienat, non etiam illos priuat quibus cibaria Dominica etiam malus seruus impendit. Quia verò non erat talis Apostolus, sed talis potius vt volens facere, id est, gratuitam gratiam pietate casti cordis erogaret, & mercedem aliorum per eum spiritus sanctus operatus est, quam sicut ipse dicit, reddet ei Dominus in illum diem iustus iudex: illos verò qui Euangelium annunciabant non castè, qui non quidem aliud nisi veritatem, id est, Christum, nõ veritate cordis boni, sed per occasionem commodorum suorum annunciabant, Sinite, inquit, ho... annunciare: & gaudet non vtique illis, sed eis qui p... eos salui fiebant, tenentes præce- ... ptum Christi dic... atis, Quæ dicunt facite, qu... ...ut ei... faciunt, facere no... ite: dicunt enim & non ... his etiam Apostol... is ad Philippenses ... dam quidem, inquit, per inuidiam ... quidam verò per bonã voluntat-

Ioannis 1. Ioannis 20. Matthæ. 10. Etiam per malos ministros datur peccatorum remissio. 1. Corint. 9. Sapient. 1. Matth. 25.

quidam ex charitate, scientes quoniam in defensione A Euangelij positus sum: quidam verò & per contumaciam Christum annunciant non castè, existimantes tribulationem suscitari vinculis meis. Quid enim dũ omnimodo, siue occasione, siue veritate Christus annuncietur? & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Nunquid permitteret eos Christum prædicare, cùm Euangelij veritatem non veraci cordis castitate prædicarent? Nunquid de talium prædicatione gauderet, nisi sciret quod illis quidem perniciosum esset, rem castam non castè annunciare: illis autem salubre, qui bona & vera per eos audientes proficerent ad salutem? Nam vbi non Christus qui veritas est, sed falsitas & mendacium prædicatur, apertissimè prohibet
Galat. 1. ad Galatas dicens: Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Itemque ad Ti-
2. Timot. 1. motheum, Sicut rogaui te, inquit, vt sustineres Ephesi, cùm irem in Macedoniam, vt denunciares quibusdam ne aliter docerent. Illos autem inuidiosos, con- B tentiosos, contumaces, non castos, occasionem quærentes faciendæ suæ malæ voluntatis, quia sic eorum fictionem fugiebat Spiritus sanctus, vt eorum non desereret ministerium, quo per eos Christus prædicabatur, non solùm non permittit vt faciant, sed & gaudet quia faciunt. Hæc de Scripturis sanctis documenta proferimus, vt appareat facilè non esse quicquam grauius sacrilegio schismatis: quia præcidendæ vnitatis nulla est iusta necessitas, cùm sibi nequaquam spiritaliter nocituros malos ideo tolerent boni, ne spiritaliter seiungantur à bonis, cùm disciplinæ seueritatem consideratio custodiendæ pacis refrenat aut differt, quam tamen securitas exerit, cùm apparet sine vulnere schismatis ad salubrem correctionem posse aliquid ecclesiastico iudicio vindicari. Dicimus enim magnum nomen Domini esse cum eis qui eum metuunt, quamuis permixti sint turbis eorum qui eum non metuunt, & illud quod Apostolus ait, Nouit Do- C minus qui sunt eius: & recedat ab iniustitia omnis qui inuocat nomen Domini. Si enim bono pacis, ne ante tempus cùm zizania colliguntur, eradicetur simul & triticum, necessitate cogitur quisquam esse inter iniustos, recedat ab iniustitia, & securus inuocet nomen Domini. Similiter enim & ab iniustis recedit, & ab eis exit, atque separatur interim corde, vt etiam corpore à talibus in fine separari mereatur.

CAPVT XII. Eccles. 15. Et illud quod scriptum est, *Non est speciosa laus in ore peccatoris. In ore quippe fidelium speciosa est.* Sic autem vnicuique est os proprium, nec quisquam sine consensu cordis sui ex ore vulneratur alieno. Cùm autem prædicatio peccatoris ore procedit, quærendum est cuiusmodi peccatorem hoc loco scriptura
Luca 18. significare voluit. Nam & Publicanus qui iustificatus est magis quàm ille Pharisæus, vtique peccator erat. Si enim vera eius peccata non erant, falsa erat confessio peccatorum: si autem vera erat confessio pro- D pter quam iustificari etiam meruit, proculdubio vera erant peccata. Hæc etiam de oratione sancti Da-
Danielis 9. nielis verissimè dixerim, qui profectò veraciter ait, Cùm orarem & confiterer peccata mea & populi mei. In cuius ergo ore peccatoris laus speciosa non est, nisi maximè mendacis & ficti, quem Spiritus sanctus disciplinæ fugit? Quem igitur fugit, cùm tamen loquitur veritatem, non in eius ore speciosa est, quia non ei tribuitur cuius particeps non est, sicut speciosa non erat prophetia in ore Caiphæ pontificis sacerdotum, qui nesciuit quid dixit, sed cùm esset pontifex prophetauit: sed tamen per ipsum speciosa laus est [illegible] us audientium, & corde credentium.

CAPVT XIX. [illegible] etiam sententia malè vsurpata velut [illegible] menianus eis quos negat habere [illegible] terea dicit eos dare non posse

Quid enim, inquit, *habes quod non accepisti?* Quod vt Cor. 4. omittam, vnde & quare dicat Apostolus quod ipsius epistolæ contextione declaratur; si hoc de baptismo vult intelligi, & si ille dare non potest qui non habet, ille autem non habet quod non accepit, vt ei aliquo modo suffragetur quod scriptum est, Quid enim habes quod non accepisti? quæro vtrũ non habeat quod apud ipsos accepit? Si dixerit, habet: quæro vtrum amittat si ab eis recesserit? Si dicit, amittit: baptizandus iterum est si redierit, vt ei possit restitui quod amisit. Si autem hoc non fit, nec quisquam dicit esse faciendum, non ergo amiserat. Porrò si accepit, & non eo caruit, habet vtique quod accepit. Et ideo non ei potest dici secundum istorum intellectum, quid habes quod non accepisti? Refer nũc animum ad ipsam originem schismatis. Qualemlibet existiment Cæcilianum (quem nos credimus innocentem) proculdubio in vnitate fidei baptizatus erat: nondum enim facta erat ista diuisio. Ponamus sicut illi volunt, quòd ab B vnitate ipse recesserit, non amisit vtique quod acceperat. Non enim si rediret, baptizaretur iterum, vt reciperet quod amiserat. Porrò si eo quod acceperat nõ caruerat, id vtique habebat. Si ergo nec ipsi dici potuit ex istorum praua intellectu, Quid enim habes quod non accepisti? multo minus hoc idem dici potest ei, qui per Cæcilianum à Domino accepit. Cur enim non potuit homo qui non coniunctus est vobis, id quod non habebat accipere per eum qui non amisit, quando recessit à vobis? Quanto ergo imprudentius dicitur orbi terrarum, Quid enim habes quod nõ accepisti: vnde ipsius sacramenti connexio in Aphricam venit, qui per nullius traditoris facinus potuit amittere promissionem Dei, aperta pollicitatione dicentis ad Abraham, In semine tuo benedicentur o- Genes. 22. mnes gentes: etiam si isti non impij calumniatores fratrum, sed veri examinatores criminum fuissent. Nam 1. q. 1. cap. Quod quidã. illud quod quidam eorum veritate conuicti dicere cœ- 24. q. 1. cap. Mirantur. perant, *baptismum quidem non amittit qui recedit ab Ecclesia, sed ius tamen dandi amittit:* multis modis apparet frustra & inaniter dici. Primò, quia nulla ostenditur causa, cur ille qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Vtrunque enim sacra- Ordinationis sacramentũ. mentum est: & quadam consecratione vtrunque homini datur, illud cùm baptizatur, istud cũ ordinatur: ideoque in catholica vtrunque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam præpositi pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt: & si visum est opus esse, vt eadem officia gererẽt quæ gerebãt, non sunt rursus ordinati, sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mãsit integra, quia in præcisione fuerat vitium, quod vnitatis pace correctum est, non in sacramentis quæ vbicunque sunt, ipsa vera sunt. Et cùm expedire hoc iudicatur Ecclesiæ, vt præpositi eorũ venientes ad catholicam societatẽ honores suos ibi non administrẽt: non eis tamen ipsa ordinationis sacramẽta detrahuntur, sed manẽt super eos. Ideoque non eis Ordinationis sacramentum non iteratur. in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat iniuria. Et si quando ignoranter fit, nec animosè defenditur factum, sed corrigitur cognitum, venia facilis impetratur. Deus enim noster nõ est dissensionis Deus, sed pacis: nec Ecclesiæ eius sacramẽta 1. Cor. 14. in eis qui ab Ecclesia recesserunt, sed ipsi qui recesserunt inimici eius sunt. Sicut autẽ habent in baptismo 1. q. 1. cap. Quod quidã. quod per eos dari possit: sic in ordinatione ius dandi, 4. sint dist. 25. cap. Econtra autem. vtrunque quidem ad perniciem suam quandiu charitatem non habent vnitatis. Sed tamen aliud est prorsus non habere, aliud perniciosè habere, aliud salubriter habere. Quicquid non habetur, dandum est cùm opus est dari: quod verò perniciosè habetur, per correctionem depulsa pernicie agẽdum est vt salubriter ha- Laicus in necessitate baptizat. beatur: quanquam etsi laicus aliquis peruenti dederit necessi-

necessitate compulsus, quod cùm ipse acciperet, dan- A dum esse addidicit, nescio an piè quisquam dixerit esse repetẽdum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est: si autẽ necessitas vrgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamuis rectè dici possit illicitè datum. Illicitam autem vsurpationem corrigit reminiscentis & pœnitentis affectus. Quod si non correxerit, manebit ad pœnam vsurpatoris quod datum est, vel eius qui illicitè dedit, vel eius qui illicitè accepit, non tamen pro non dato habebitur. Neque vllo modo per deuotum militem quod à priuatis vsurpatum est, signum regale violabitur. Si enim aliqui furtim & extraordinariè, non in monetis publicis aurum vel argentum, sed æs percutiendo signauerint, cùm fuerit deprehensum: nónne illis punitis, aut indulgentia liberatis, cognitum regale signum thesauris regalibus cogetur inferri? Aut si quisquam est, siue desertor, siue qui nunquam omnino milita- B uit, qui nora militari priuatum aliquem signet, nónne vbi fuerit deprehensus, ille signatus pro desertore punietur, & eo grauius quo probari potuerit nunquam omnino se militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? Aut si fortè illum militiæ characterem in corpore suo, non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa & impetrata iam venia militare cœperit, nunquid homine liberato atque correcto, character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An fortè minus hærent sacramenta Christiana quàm corporalis hæc nota, cùm videamus nec apostatas carere baptismate, quibus vtrique per pœnitẽtiam
De conser. dist. 4. cap. Nullus autẽ. redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse
Nec in Apostatis baptismi character deletur. iudicatur? An ducenda de militia similitudo non fuit, cùm & Apostolus de agonisticis certaminibus clamet
2. Timoth. 2. & apertè dicat, Nemo militans Deo implicat se negociis sæcularibus: vt ei placeat cui se probauit? Et hæc quidem alia quæstio est, vtrum & ab iis qui nun- C quam fuerunt Christiani possit baptismus dari: nec aliquid temerè inde affirmandum est sine authoritate tanti concilij quantum tantæ rei sufficit. De iis verò
1. q. 1. cap. Quod quidã. 4. sent. dist. 25. c. Econtra autem. qui ab Ecclesiæ vnitate separati sunt, nulla iam quæstio est, quin & habeant & dare possint, & quin pernicioſè habeant, perniciosèque tradant extra vinculum pacis. Hoc enim iam in ipsa totius orbis vnitate discussum, consideratum, perfectum atque firmatum
Seruit de Nicæno concilio. est. Sed si nos malè facimus, ipsi explicent, quomodo sacramentum baptizati non possit amitti, & sacramentum ordinati possit amitti: quoniam dicunt, *recedens ab Ecclesia baptismum non amittit, ius dandi tamen*
At non dubitant modò, sed & negant hodierni heretici. *amittit.* Si enim vtrunque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri sacramento iniuria facienda est. Si sancta malos fugiunt, vtrunque fugiat: si sancta in malis inuiolabiliter manent, vtrunque maneat. Si dixerint, baptismus in sola vera Ecclesia rectè datur. Responde- D tur eis, Baptismus in sola vera Ecclesia rectè habetur. Cur non potest dari vbi non rectè datur, cùm possit haberi vbi non rectè habetur? An quia non habere aliud est, aliud non rectè habere: sic & non dare aliud est, aliud non rectè dare? Sicut non rectè habent, qui ab vnitate discedunt, sed tamen habent, & ideò redeunti non redditur: sic etiam non rectè dat qui ab vnitate discedit, sed tamen dat. Et ideo quod ab eo accepit, venienti ad vnitatem non iteratur: illi autem quod non rectè datur, datum non esse contendunt. Quod si aliquid quod non rectè habetur, haberi non posse contendant, nos vtrinque reclamamus & dicimus, habere quidem, sed non rectè habere [illegible] qu ab vnitate discesserit. Si ergo volunt, vt audia[illegible] de

quod pariter reclamamus, ipsi nos audiant reclamantes, dare quidem, sed non rectè dare eum qui ab vnitate discedit. Quapropter sicut redeunti non reddi- 1. q. 1. cap. Quod quidã. tur quod foris habebat, sic venienti non repetendum est, quod etiam foris accepit. Vnde consequenter intelligitur peruersitatem hominum esse corrigendam, sanctitatem autem sacramentorum in nullo peruerso esse violandam. Constat enim eam in peruersis & sceleratis hominibus, siue in eis qui intus sunt, siue in eis qui foris sunt, impollutam atque inuiolabilem permanere, & quia dicuntur ea mali polluere, quantum in ipsis est dicuntur, cùm illa impolluta permaneant, sed in bonis permanent ad præmium, in malis permanent ad iudicium. Nam & de spiritu qui nullo modo potest extingui, dictum est tamen, Spiritum nolite extinguere: id est, quantum in 1. Thess. 5. Spiritum nolite extinguere, quomodo intelligendum. vobis est, nolite sic agere, tanquam conemini spiritum extinguere, aut tanquam spiritum extinctum deputetis: & nomen Dei nullo modo pollui potest, & Amos 2. tamen dictum est, Filius & pater intrabant ad vnam puellam, vt polluerent nomen Dei sui. Nec vllo modo isti expedire se possunt, cùm eis proponitur, cur sanctitas sacramẽti & haberi & dari possit ab eo quem intus sceleratum iam Deus damnauit, & tunc incipiat ab eo dari non posse cùm ab hominibus damnatus fuerit, cùm tamen nec tunc ea possit amittere. Postremò cur Felicianus quem cum Maximiano trecenti decem damnauerunt, qui & diu foris in sacrilegio, sicut ipsi in concilio suo pronunciauerunt, schismaticus fuit, non solùm ipsum baptismum, sed etiam ius dandi non amisit? In honore quippe suo sicut exierat, ita receptus est cum his omnibus quos ipse foris positus baptizauit, nullo eorum rebaptizato: quia si aliquem eorum quos foris baptizauerat, rebaptizandum esse censerent, iudicarent eum amisisse ius dandi cùm foris esset, & propterea consequens erat vt ipsum quoque iterum ordinarent, si illos iterum rebaptizarent. Sed cùm ad pacem Christi reuocantur, calumniatores sunt: cùm paci Donati consulunt, dissimulatores sunt. Quid est hoc aliud, quàm quod eorum magister Ticonius de illis ait, Quod vo- Quod vo. mus sanctum est. lumus sanctum est?

CAPVT XIIII. Vt quid ergo Parmenianus inani iactantia exultat & dicit, *Nunquam diuinæ legis censura patietur, vt viuificare quenquam mortuus possit, curare vulneratus, illuminare cæcus, vestire nudus, & mundare pollutus? Do-* Psal. 145. *minus enim suscitat mortuos, Dominus curat vulneratos, Dominus illuminat cæcos, Dominus vestit nudos, Dominus mundat pollutos.* Quid sibi arrogat quæ hominis non sunt? Iráne viui sunt apud eos qui non peccant, vt etiam viuificare posse dicantur, cùm incrementum dare non possint? Ego, inquit Apostolus, plan- 1. Corinth. 3. taui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quando dat vitam mortuo, qui incrementum dare non potest viuo? Sicut Ioannis 5. enim pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat. Iráne apud illos sani sunt, vt possint apud illos curare non sanos? Quid aliud isti, quàm se benedicendos pro Domino opponunt? Sed ab eis nullo modo seducuntur, qui non in homine, sed in Deo sperantes cantant, Benedic anima mea Domi- I num, & noli obliuisci omnes retributiones eius, Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Si omnes languores ipse sanat, nullum rel[illegible]quit quem Parmenianus sanare debeat. Tantáne a[illegible]ud illos lumina sunt, vt illuminare etiam possint? [illegible]uod nec illi, quo in n[illegible] rum maior surrexit nemo, Ioanni Bap[illegible] Euangelista concedit, de quo ait [illegible] nen, sed vt testimonium perhib[illegible]

lumen quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si omnem hominem illud lumen illuminat, nullum relinquit quem Parmenianus illuminare se dicat: quia etsi sancti homines, vt Ioannes, secundum quendam modum dicuntur luminaria: aliud tamen sunt lumina illuminata, aliud lumen illuminans, quod illud est de quo idem Ioannes Baptista dicit, Nos omnes de plenitudine eius accepimus. Nudos autem quis vestit, nisi qui dicit, Proferte illi stolã primam: & qui corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem? Et hoc quisquam diuino indumento aliquem vestire dicitur, cui magnum est si vestiri ipse mercatur? Iam porrò emundare pollutum se audeat dicere, si prius audet se dicere non esse pollutum. Mundati enim sumus per gratiam Dei, sed nec tunc quidem mundabimus aliquem, cùm fuerit perfecta nostra mundatio: quanto minus modò, cùm corpus quod corrumpitur aggrauat animam? Quis enim castum glorietur se habere cor, aut quis glorietur mundũ se esse à peccato? Mundare quippe atque sanare in spiritalibus rebus tantundem valet. Sicut autem spe salui facti sumus, ita spe mundati sumus in perfecta salute & in perfecta munditia. Quomodo ergo sanare & mundare iam possumus, qui nec tunc poterimus, cùm omnino salui & mundi fuerimus? *Sed Deus*, inquit, *hoc per hominem facit*. Facit sanè, sed fecit & per Iudam, quem ad Euangelium prædicandum cum cæteris misit. Fecit & per Pharisæos in eis, qui bona quæ per eos audiebant ipsi faciebant, cùm illi non facerent quæ dicebant. Postremò cur iniqui & scelerati eorum, siue cùm latent, siue cùm pro pace Donati tolerantur, viuificant, curant, illuminant, mundant? An ipsi non sunt mortui, vulnerati, cæci, polluti? An ideo non apud eos cæci cæcos ducentes simul in foueam cadunt, quia non ipsos, sed Deum quem prædicant illi audiendo & obtemperando sectantur? Ita sanè, sed tunc prædicant Deum, si cum Christo colligunt. Quicunque verò cum illo non colligunt, spargunt. Donatum prædicando, non Deum, cæci cæcos sequendo simul in foueam cadunt. Sed de quæstione baptismi latius aliquid Domino adiuuante tractabimus, cùm de omnibus testimoniis sanctarum Scripturarum quæ nobis obiicienda credidit, Parmeniano responderimus. Qui verè ipse adæquat proximos sibi euersione iniquitatis, qui eis tam malum propinauit errorem, vt non pro pace, sed pro diuisione & discissione non solùm loquatur ipse, sed etiam diuinos libros loqui persuadeat.

Lumen illuminatum, & lumen illuminans. *Ioannis 1.* *Luca 15.* *1.Cor. 15.* *Matthæi 10.* *Matti 15.* *De bamo, cap. 1. in princip.*

CAP. XV. SED inter multa miror hominem, cùm ageret non posse haberi baptismum nisi acceptum, nec posse accipi sine dante, interposuisse ex Euangelio testimonium, *Non potest*, inquit, *accipere homo quicquam, nisi fuerit illi datum de cælo*. Posset enim aliquis eorum verborum inscius, cùm cœpisset iste dicere, Non potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit illi: antequam dixisset de cælo, putare illum dicturum à Donato fuisse, aut à Parmeniano, aut ab aliquo de parte Donati, aut omnino ab ipsa parte Donati. Agnosco Euangelium, ~~illic~~ illic scriptum esse recenseo, Non potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit illi de cælo. Sed nunquid Donatus est cælum? Nunquid Parmenianus est cælum? Nunquid pars ipsa Donati? Illa verò non est cælum, non est in cælo. Qui enim ait, Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit illi datum de cælo: nunquam diceret, nisi datum fuerit illi de sole, aut de luna, aut de stellis, quæ tamen [illegible] lo sunt: quanto minus diceret, nisi datum [illegible] rte Donati, quæ non solùm non est cælo, sed nec in regno vult esse cælo, [illegible] uldubio diceret, Non potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit illi de Ecclesia: ipsa enim Ecclesia de cælo accipit. Si autem diceret, Non potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit ei ab homine iusto, irruerent quidem isti frontosi, & se iustos esse proclamarent, vt ab eis acciperet qui vellet accipere: nec nos quæstionem faceremus, vtrum iusti essent an non, sed inter eos esse vel latentes iniustos facilè ostẽderemus ex quibusdam proditis & exclusis, & tamen eos non improbaremus, nec diceremus non datum vel non acceptum, quod datum & acceptum esset à talibus. Sed & hoc falso diceretur, Non potest homo accipere quicquam nisi datum fuerit ei ab homine iusto. Ipse enim iustus à quo alter accipit, quero à quo acceperit. Si & ipse à iusto homine, & de illo vtique quæro, donec ab ipso capite ordinis humani ad aliquem peruenìam, qui non ab homine acceperit: atque ita falsum esse doceam, quia non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei ab homine datum. Quid autem agunt isti nescientes Euangelicum testimonium: nisi vt homines commoneantur simul vt aliquando euigilent, atque aduertant verè non homines esse attendendos, cùm sanctum aliquid homo accipere desiderat: sed illum solùm qui de cælo dat homini, quia non potest homo accipere quicquam, nisi datũ fuerit ei de cælo? Quod si dixerint, de cælo quidem accipit, non de homine, sed tamen per hominem: quæro per qualem. Si per iustum tantùm: non habent illi qui apud eosipsos per latentes iniquissimos acceperunt. Si & per iniustum: quæ causa ergo est vt aliquem rebaptizent? Si per iniustum non nisi latentem: non habent quos baptizauit manifestus satelles Gildonis Optatus. Si & per iniustum etiam manifestum, qui tamen nondũ damnatus, & ab Ecclesiæ communione proiectus sit: non habent illi quos Felicianus Mustitanus, cùm ab eorum communione foris esset, in Maximiani schismate baptizauit, quos tamen nunc cum illo regressos nemo rebaptizat. Postremò si homo quamuis de cælo, non tamen nisi per hominem potest accipere quicquam: quæro ipse Ioannes Baptista, qui hæc dicebat, per quẽ hominem acceperat, quod vtique de cælo acceperat, & non inuenitur? Posse tamen hominem non interposito homine diuinitùs aliquid accipere, (atque ita à se testimoniis prolatis, mala causa conuincitur, quia etsi dicat filius accepisse se à patre, & spiritum sanctum de suo accipere, non quasi gradatim, sed sicut ipse exposuit dicens, Quia omnia quæ habet pater, mea sunt, ideo dixi, de meo accipiet:) exemplo suo Ioannes ipse testatur, & tot sancti antequam Dei filius homo fieret, & posteaquam resurrexit & ascendit in cælum: centum viginti homines qui simul congregati erant, quos nullo homine in terra manum imponente, de cælo veniens Spiritus sanctus impleuit: & constituto iam ordine Ecclesiæ, Centurionem Cornelium ante ipsum baptismum, ante impositionem manus, cum eis qui secum erant eodem Spiritu sancto repletum, Petrus ipse miratus est. Nemo ergo accipit sine dante: sed quod pertinet ad baptismi sanctitatem, adest Deus qui det, & homo qui accipiat, siue per seipsum donante Deo, siue per angelum, siue per hominem sanctum, sicut per Petrum, siue per Ioannem: siue per hominem iniquum, sicut per tam multos vel latentes vel manifestos, quos ante tempus de messe colligere serui patrisfamiliãs prohibentur, & quos velut paleam frumenta Dominica, vsque ad tempus ventilationis corde interim separati, non temeritate corporaliter deserunt, sed pietate spiritaliter ferunt.

Ioannis 3. *Sanctificat intercũ Deus etiam sine ministro & sacramento, per semetipsum.* *Ioannis 16.* *Actorum 10.*

CAPVT XVI. QVI, inquit, *malè credidit, consequi non potest baptismum, quia scriptum est, Peruersum non potest adorare*. Quid si ergo apud eos quispiam baptizatus fuerit,

Ecclesi. 1. secundum 70.

fuerit, verbi gratia, qui putarit Christũ ex eo esse cœpisse, ex quo secundum carnem de virgine Maria natus est; postea veritatis sermone cõmonitus, cùm comperisset ipsum esse de quo Ioãnes ait, In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum, de quo consequenter ait, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: fateretur eis suum pristinum errorẽ, atque in eo se fuisse cùm baptizaretur solicitus indicaret, iuberent eum denuò baptizari? Nunquam vtique facerent, sed hominis imperitam simplicitatẽ carnali opinione prius deprauatam, veritatis ratione correctam gratularentur: aut si etiam talis peruersitas pertinaciter ei defendẽda videretur, & diu reluctatus neque correctus, etiam de Ecclesia pelleretur, & postea cognita veritate remearet, pœnitentia vtique curandum esse censeret, non iteratione baptismatis vulnerandum, quamuis hoc in corde se habuisse fateretur illo tẽpore quo apud ipsos fuerat baptizatus. Peruersum ergo non potes adornare, quia non ei ad ornatum valeret sacramentũ quod acceperat, si in fide peruersa persisteret, sed potius ad supplicium: cùm tamen ipsum sacramentum per se etiam in peruerso quẽ non ornabat, sed iudicabat, integrum permaneret, & ideo nullo modo esset illius sacramenti violanda sanctitas, etiam cùm esset illius hominis corrigẽda peruersitas.

Ioannis 1. *Baptizari à seruo suo cur Christus voluerit.* *Ioannis 1.* *Leuit. 19.*

CAPVT XVII. AVDET etiam Parmenianus nobis exempla diuina proponere, quibus se arbitratur ostendere, quærendum esse hominem sanctum, à quo accipi debeat sacramentum. *Ipse*, inquit, *Dei filius, ipse Dominus Iesus Christus, à quo principium spiritalis baptismi exortum est, cùm secundum voluntatem patris baptizandus esset, vtrum ne ad Pharisæos perfidos atque prophanos, an ad sanctissimum Ioannem venisse mõstratur?* At si hoc exemplo inuitamur ad accipiendum baptisma, inferiorem nobis à quo baptizemur debemus inquirere, quãdoquidem Dominus ab eo baptizatus est, qui se ab ipso Domino baptizari debere prædixerat, & qui se indignum corrigiam calciamenti eius soluere testabatur. Quinimo vt intermittam inquirere diligentius, cur ipse saluator noster baptizari voluerit, quia certè aliqua causa voluit: propterea fortasse cùm se posset tingere, qui etiam suum baptizatorẽ poterat baptizare, voluit Dominus à seruo, & ille per quem facta sunt omnia, ab illo qui factus est inter omnia, baptizari, vt & doceret humilitatẽ, & ostenderet non interesse quis à quo baptizaretur, dum eo baptismo quo baptizandus est baptizetur. Nec à Pharisæis dedignaretur ille baptizari, si haberent huiusmodi baptismum Pharisæi, à quo ille certi sacramẽti gratia voluit baptizari. Nã & cùm circũcidendus esset, nunquid Ioannes quæsitus est? Hoc enim à Iudæis fieri iam solebat. Et cùm pro illo esset offerendum legale sacrificium, nũquid deuitatum est illud templum quod ab eo vocatur spelunca latronũ, quò certè & boni intrabãt & mali? Nec bonis oberãt mali, quoniam Dominus qui ait, Sancti estote, quia ego sanctus sum: ita inuiolabiliter facit sanctos suos versari inter malos, si custodiunt eam quam accipiunt sanctitatem: quemadmodum ipse Dñs Iesus nulla cõtagione malignitatis in Iudæorum gente pollutus est, neque cùm illa prima sacramenta secundum perfectã humilitatis viam factus sub lege suscepit, neque cùm postea discipulis electis cum suo traditore vsque ad extremum osculum vixit. Eius enim exemplo, non solùm non facientes mala, sed etiam non consentientes vlli malitiæ, inter paleam frumenta secura sunt, quia neque talia faciunt, neque consentiunt facientibus, etiam si in eadem segete vsque ad messem, in eadem area vsque ad ventilationem, intra eadem retia vsque ad separationẽ, quæ in littore futura est, boni tolerẽt malos. Sed isti sunt verè cæci duces cęcorum, qui in numero suorum tam multos malos vident, & viam [illegible]

cis non vident; & vt se non ad sustinendum inuicem propter vnitatis vinculum, sed ad diuidendum ab inuicem propter schismatis sacrilegium sequantur homines, persuadent.

CAPVT XVIII. *2.Paral. 10.* *3.Reg 22.* *Philip. 1.* *Philip. 2.*

AT enim dictum est per Prophetam regi Iosaphat, *O rex Iosaphat, si peccatorem tu adiuuas, aut eum quẽ Dominus odit tu diligis; propterea fuit super te ira Domini.* Quis enim nostrum dicit peccatorem adiuuandum, ad hoc vtique in quo peccare vult, sicut ipse Achab quando adjuuit Iosaphat, eundo cùm illo in prælium, cùm ille Micheæ Prophetæ veracia verba contemneret? Et tamen nec sic obfuit innocentię regis Iosaphat pessimum meritum regis Achab, quia illũ Dominus ad se clamantem à periculo bellico liberauit, illum autem sacrilegum cõremptorem in manus hostium venire permisit. Et si quid Iosaphat periculi expertus est, quod ei Propheta indicat ab ira Dei fuisse, non alieno meruerat peccato, sed suo, quia sicut ei dictum est, peccantem adiuuabat, sed apud Deum cætera eius bona facta præualuerunt. Sic enim dicitur ei, Peccatorem adiuuisti, & ei contra Dominum amicus es, & in hoc super te ira à facie Dei: Sermones Dei boni in vniuersis sunt tecum, quoniam abstulisti lucos de terra, & parasti cor tuum ad requirendum Deum. Qui autẽ versatur in ecclesia Dei, vbi sunt & illi qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi, qui per inuidiam & contentionem Christum annunciant, non castè: & dicit, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annũcietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo: impollutus inter eos atque integer permanet, quia non eis ad sua quærenda consentit, cùm hoc culpet atque reprehendat, nec eos ad peccandum, sed ad hoc adiuuat, vnde Christus latius prædicetur, & ab his qui audiunt & faciunt, per eos qui quod dicunt non faciũt, Christo credatur, in Christo speretur, Christus diligatur. Talibus enim præcipit idem Apostolus dicens: Nolite iũgi cum infidelibus; Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Quæ communicatio est luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infidelibus? Qui autem consensus templo Dei cum simulachris? Vos enim templum Dei viui estis. Dicit enim, quia inhabitabo in eis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorũ, dicit Dominus: & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. Quæ verba isti carnaliter sentientes, per tot diuisiones seipsos minutatim in ipsa vna Africa conciderunt. Non enim intelligunt neminem cõiungi cum infidelibus, nisi qui facit peccatum Paganorum, vel talia facientibus fauet: nec quenquam fieri participem iniquitatis, nisi qui iniqua vel agit vel approbat. Quis autem cõmunicat tenebris, nisi qui per tenebras consensionis suæ dimisso Christo sequitur Belial? Quis ponit cum infidelibus partem suam, nisi qui eius infidelitatis fit particeps? Ita enim templum Dei esse desinit, nec se aliter simulachris adiũgit. Qui autem sunt templum Dei viui, & in medio nationis tortuosæ apparent sicut luminaria in mundo verbum vitæ habentes, nihil eos quod pro vnitate tolerant inficit, nec angustiantur, quia in illis habitat & deambulat Deus. Et exeunt de medio malorum, atque separantur interim corde, ne fortè cùm id facere per seditionem schismatis volunt, prius à bonis spiritaliter, quàm à malis corporaliter separentur.

Leuit. 26.

CAPVT XIX. QVOD ergò scriptum est Deum dixisse, *Eos qui me clarificant, clarificabo; & qui me spernit, sper[illegible]* ipsi [illegible] maximè nolunt [illegible]tueri. Quomodo ep[illegible] clarifi[illegible] Deum, qui dicunt per orbem terrar[illegible] pleri non pos[illegible] se eius promissa, quæ promisit pat[illegible] [illegible], Isaac, & Iacob, quæ per Prop[illegible]us nostris, Abra[illegible] [illegible]tas tanto antè præ[illegible]

nuncians exhibuit per vnicum suum, qui factus est ei
Roman. 1. ex semine Dauid secundum carnem, vt in illo, id est,
in semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes: qui
Matth. 13. dicunt ipsum Dei filium frustra dixisse, Sinite vtraque
crescere vsque ad messem: quasi falsus fuerit, aut ipse
fefellerit, cùm sola zizania per mundum creuerint:
frumenta verò præter partem Donati, in toto terra-
rum orbe defecerint: quomodo ista sentientes glorifi-
Prouerb. 14. cant Deum, cùm scriptum sit, In latitudine gentis glo
ria regis, in diminutione autem populi contritio prin-
cipis? Aut quomodo non spernunt Deum, qui bapti-
smum eius in eis quorum causam non audierunt, &
de quibus nullo modo iudicare potuerunt, incredibi-
li temeritate impietatis exufflant, & sibi audent ar-
rogare quod Dei est; à se damnatos in honoribus in-
tegris pro Donati pace recipiunt, & à se inauditos con
tra pacem Domini detestantur, baptisma in illis terra-
rum partibus per Apostolos traditum periisse con-
tendunt, & per Felicianum apud Maximianistas tra-
ditum non periisse contendunt? Iam verò quomodo
catholici non clarificant Deum, qui promissa eius nul
lis hominum sceleribus, quo minus implerentur, im-
pediri posse confidunt, qui sacramenta eius tam debi-
ta veneratione prosequuntur, vt ea si etiam ab indi-
gnis tractata fuerint, illis sua peruersitate damnatis, il-
la intemerata sanctitate permanere demonstrent?

CAP. XX. Ephes. 5. ITERVM, inquiunt, *scriptum est, Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim fiunt ab ipsis latenter, turpe est & dicere.* Iam ipsa verba quemadmodum intelligenda sint dixi-
mus, quia non cõmunicare est non consentire, quod
propter ecclesiæ disciplinam parum est, nisi etiam re-
darguantur vt corrigi possint. Sed hæc salua pace fa-
cienda sunt & quantum admittit officium conseruan
dæ vnitatis, ne simul eradicetur & triticum.

ITERVM *ad Timotheum idem Apostolus: Ne, inquit, communicaueris peccatis alienis, teipsum castum custodi.* Docuit ex sequenti, quemadmodum quod prius dixit
intelligendũ sit: qui enim seipsum castũ custodit, non C
cõmunicat peccatis alienis. Si enim cõmunicat, con-
sentit: si consentit, corrumpitur: si corrũpitur, castũ se
non seruat. Sed sanè tandẽ aliquãdo euigilauit Parme-
nianus, & attendit quid diceret Ticonius, sed frustra:
statim quippe amore sententiæ suæ contra veritatem
oculum clausit. Ait enim, *Nunquid frater charissime, non polluunt alios aliena peccata? Et hoc est facinorosis non communicare, licet cum ipsis conuenias, eorum facta non fa cere:* & tamen non totum dixit. Parum est enim corũ
facta non facere, nisi displiceant: parum est vt displi-
ceant, nisi redarguantur. Aliud enim est non facere, a-
liud non communicare, id est, non consentire facien-
tibus, aliud etiam redarguere. Cur ergo vbi videre cœ
perat, statim se auertit, & vsque in finem noluit pe-
uenire, & vix trientem de toto posuit? An sicut de po-
pulo fecerunt, & sententiam veritatis præcidendam
putauit? Nos dicimus, quod qui non facit malum, nec
facienti consentit, & facientem arguit, firmus atque
integer inter iniquos tanquam frumentum inter pa-
leas conuersatur. Ille autem tantummodo ait, *eorum facta non facere:* & tertiam tamen de tota sententia
particulam quemadmodum refellat videamus. *Quod cõtra legem est diuinam,* inquit, *nullus qui legem veneratur, ignorat.* Adhuc ista verba cõmuniter dici possunt.
Potest enim & alius dicere, quod secundum legẽ est
diuinam, nullus qui legem veneratur ignorat, sed o-
pus est probare, non dicere. Attendamus ergo quem-
admodum probet. *Quid enim prodest,* inquit, *innocen-*
ti[illegible], si cum reis mixtus est C *obnoxiis?* Sanè si
[illegible]iam custodisse non prodest, sed inno-
[illegible]n est. Mixtus enim reis & obno-
[illegible]iæ maculatam consensionẽ nul-

Alienis peccatis non communicet.

lus rectè dici potest. Qui verò implet quod scriptum
est: Iusto nihil placet iniquum: vbilibet eum versari Psal. 91.
quælibet necessitas cogat, misceri iniquitatibus non
potest. *Vel quomodo,* inquit, *incorruptus poteris permanere, si corruptis sociaris?* Ita planè si sociatur, id est, si ma- 23. q. 4. cap. Quisquis, & cap. ita planè.
li aliquid cum eis committit, aut committentibus fa-
uet: si autem neutrum facit, nullo modo sociatur. Por
rò si addat tertium, vt non sit in vindicando piger, sed
vel corripiat iustus in misericordia & arguat, vel etiã
si eam personam gerit, & ratio conseruandæ pacis ad-
mittit, coram omnibus peccantes arguat vt cæteri ri-
meant: remoueat etiam vel ab aliquo gradu honoris,
vel ab ipsa cõmunione sacramentorum, & hęc omnia
cum dilectione corrigendi, non cum odio persequen-
di; plenissimum officium non solum castissimæ inno-
centiæ, sed etiam diligentissimæ seueritatis impleuit.
Vbi autem cætera impediuntur, illa duo semper re-
tenta, incorruptum castumque custodiunt, vt nec fa-
ciat malum, nec approbet factum.

B SED tamen videamus vnde iste doceat quod affir- CAPVT XXII.
mat, *Cùm scriptum sit, Modicum fermentum totam mas- 1. Corint. 15.*
sam corrumpit. Dixit hoc Parmenianus, atque abiit.
Nec ei nunc ostendi potest in parte Donati, non so-
lum modicum fermenti, sed multum veneni ex illis
ouis aspidum ruptis, & præualidis iam serpentibus pro
Primiano damnatis, & ad Primianum iterum reuoca-
tis. Sed correcti sunt, inquit. Deo gratias. Si verum est,
non inuideo, atque vtinam id perfectè fiat. Si enim à
Maximianistis redire ad partẽ Donati nonnullus cor-
rectionis est modus: quanto verior perfectiorque cor-
rectio est, ab ipsa parte Donati ad vnitatem catholi-
cam remeare? Et Ticonius quidem multa dixit, quæ
illis temporibus, & sicut interior nouerat, quàm non
modico, sed multo fermento, totã suam massam nol-
lent fateri corruptã, qui totum orbem terrarum pec-
catis Afrorum fermentatum esse criminarentur. Sed
ego istos miror, si adhuc eis placet hæc Apostolica
verba sic intelligere, ita eos Optatum Gildonianum
velle defendere, vt nec modicũ fermentum cum fuis-
se contendant. Quod si vel hoc concedunt, quàm ma
gnam putant esse massam suam, vt non potuerit tota
corrumpi? aut si in eis solis tota corrupta est, quibus
placet Optatus, experti discant intelligere quod le-
gunt, quia inest tota massa ad quos pertinet, quod di-
citur totum, siue bonum, siue malum, ad eos pertinet
qui consentiunt: ad eos autem qui non consentiunt,
omnino non pertinet, & ideo in disciplina ecclesiasti-
ca corrigendum est, ne ad multos persuadendo perue-
niat: quod vbi fieri permittit ratio pacis, & non fit, ipsa
negligentia culpam trahit, & in periculo consentien-
di est per desidiam corrigendi.

Ex qua regula & illud intuendum est quod conse- CAPVT XXIII.
quenter opponit, dicens *esse scriptum, Sit vobis legitimũ* Leuit. 10.
D *æternum in progenies vestras diuidere in medio sanctorum & irreligiosorum, & in medio mundorum & immundorum.* Tanto enim quisque melius hoc facit, quãto magis in Ecclesia proficit. Cùm enim creuisset herba, &
fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania. Et quam-
uis inter vtrunque iam serui patrisfamiliãs cognitio-
ne diuiderent atque distinguerent, iubentur tamen ea
sinere crescere, & hoc vsque ad messem. Sed hæc ha-
ctenus. Ea enim quæ restant, aliquanto diligentius ab
alio exordio consideranda atque tractanda sunt.

LIBRI SECVNDI FINIS.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

CONTRA PARMENIANVM,

LIBER TERTIVS.

CAP. I. CVM omnis pia ratio, & modus Ecclesiasticæ disciplinæ vnitatem spiritus in vinculo pacis maximè debeat intueri, quod
Ephes. 4. Apostolus sufferendo inuicem præcipit custodiri, & quò non custodito medicinæ vindicta non tantum superflua, sed etiam pernicio-
sa, & propterea iam nec medicina esse cõuincitur:
illi filij mali qui non odio iniquitatum alienarum, sed
studio contentionum suarum infirmas plebes iactan-
tia sui nominis irritatas, vel totas trahere, vel certè di-
uidere affectant, superbia tumidi, peruicacia væsani,
calumniis insidiosi, seditionibus turbuleti, ne luce ve-
ritatis carere ostendantur, vmbram rigidæ seueritatis B
obtendunt, & quæ in Scripturis sanctis salua dilectio-
nis synceritate, & custodita pacis vnitate, ad corrigen-
da fraterna vitia moderatiori curatione fieri præcepta
sunt, ad sacrilegium schismatis, & ad occasionem pre-
1. Corint. 5. cisionis vsurpant dicentes, Ecce ait Apostolus, Auferte malum ex vobisipsis. Quod malum vtique si inte-
2. Retr. cap. 7 gris, inquiunt, non obesset, nec iuberetur auferri. In-
terim videamus ne fortè non frustra non dixerit Apo-
stolus, Auferte malos à congregatione vestra: sed, au-
ferte malum ex vobisipsis: quia cùm quisque impedi-
tur ab ecclesiæ congregatione malos homines separa-
re, si ex seipso auferat malum, non eis corde miscetur,
atque ita spiritaliter non solum coniungitur bonis, sed
etiam separatur à malis. Sic enim in hoc loco ad Ti-
1. Timot. 5. motheum cùm dixisset, Neque communicaueris pec
catis alienis: tãquam ille diceret, fieri posse vt aliquos
malos ab ecclesiæ congregatione separare non posset,
& ideo tolerare cogeretur, tanquam consilium dans
quemadmodum peccatis eorum non communicaret, C
Teipsum, inquit, castũ custodi. Nam malis malus mi-
sceri potest, bonus autem nullo modo quamuis cum
1. Corint. 5. eis in vna congregatione versetur. Ita & hîc ad Corin-
thios cùm dixisset, Quò enim mihi de his qui foris
sunt iudicare? Nónne de his qui intus sunt iudicatis?
Ne fortè turbarentur aliqua malorum numerositate,
sic permixtis frumẽtis, vt sine illorum vexatione col-
ligi separarique non possent, Auferte, inquit, malũ ex
vobisipsis, vt si fortè non possent auferre malos à con-
gregatione sua: auferẽdo malum ex seipsis, id est, non
cum eis peccando, nec eis ad peccandum consentien-
do aut fauendo, integerrimi inter eos & incorruptissi-
mi versarentur, quia per malum suum malo quisque
consentit. Si autem ex seipso auferat malum, alieno
malo non est vnde consentiat. Quapropter quisquis
etiam contempserit Ecclesiæ Dei disciplinam, vt ma-
los cum quibus non peccat, & quibus non fauet, desi-
stat monere, corrigere, arguere: si etiam talem gerit D
personam, & pax Ecclesiæ patitur, vt etiam à sacra-
mentorum participatione quempiam possit separare,
1. Corint. 5. non alieno malo peccat, sed suo. Ipsa quippe in tanta
re negligentia graue malum est, & ideo sicut Aposto-
lus admonet, si auferat malum à seipso, non solum au-
feret audaciam committendi, aut pestilentiam con-
sentiendi, sed etiam pigritiam corrigendi, & negli-
gentiam vindicandi, adhibita prudentia & obedien-
tia, eo quod præcipit Dominus, ne frumenta lædan-
tur. Ea quippe intentione quisquis inter triticum &
zizania tolerauerit, auferendo à seipso malum, non eis
communicat, & ea distinguit, ac iudicat interim ad
diem. Non enim nouit quid cras futurum s[illegible] [illegible]
dilectione seruata, non sine spe correctionis [illegible]di-

candum est, quicquid corrigi vel vindicari necessaria
seueritas postulat. Quod vt satis appareat, totum
ipsius Epistolæ Apostolicæ locum diligentius tracte-
mus. Quid vultis, inquit? In virga veniam ad vos, an 1. Corint. 4.
in charitate & spiritu mansuetudinis? Iam hîc appa-
ret eum loqui de vindicta, ad cuius significationem
virgam nominauit. Nunquid tamen & virga sine
charitate est, quia ita contexuit, In virga veniam
ad vos, an in charitate? Sed quod sequitur, Spiri-
tu mansuetudinis: admonet intelligi, quia & vir-
ga charitatem habet. Sed aliud est charitas seueri-
tatis, aliud charitas mansuetudinis: Vna quidem Charitas duplex, seueritatis, & mansuetudinis.
charitas est, sed diuersa in diuersis operatur. Omni-
no, inquit, auditur inter vos fornicatio, & talis for- 1. Corinth. 5.
nicatio qualis nec in gentibus, ita vt vxorem patris
sui quis habeat. De tam immani facto videamus
quemadmodum eos seuire præceperit: Et vos, in-
quit, inflati estis, & non potius luctum habuistis,
vt tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit.
Quare luctum potius & non iram, nisi quia si pa- 1. Corint. 12.
titur vnum membrum, compatiuntur omnia mem-
bra, & non luctum quia tollebatur: sed luctum, in-
quit, vt tolleretur: id est, vt lugentium dolor ad
Deum ascenderet, & ipse tolleret hoc opus de me-
dio eorum, sicut ipse sciret, ne fortè illi per hu-
manam imperitiam eradicarent simul & triticum?
Cùm ergo ad talem vindictam necessitas cogit, hu-
militas lugentium debet impetrare misericordiam,
quam repellit superbia, nec illius ipsius qui de me-
dio fratrum tollitur debet negligi salus: sed ita a-
gendum est, vt ei talis vindicta sit vtilis, & a-
gendum voto & precibus, si corrigi obiurgationi-
bus non potest. Ideoque sequitur & dicit, Ego qui- 1. Corinth. 5.
dem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iu-
dicaui quasi præsens eum qui sic operatus est in no-
mine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis
& meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu Chri-
sti, tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis,
vt spiritus saluus sit in die Domini. Quid ergo a-
gebat Apostolus, nisi vt per interitum carnis salu-
ti spiritali consuleret, vt siue aliqua pœna vel mor-
te corporali, sicut Ananias & vxor eius ante pedes
Apostoli Petri ceciderunt: siue per pœnitentiam, Petrus Apostolus Ananiæ & vxoris [illegible] mortem corporalem consulebat. Act. 5. Coloss. 3. Rom. 8.
quoniam satanæ traditus erat, interimeret in se sce-
leratam carnis concupiscentiam? Quia ipse item
dicit, Mortificate membra vestra quæ sunt super
terram: inter quæ & fornicationem commemorat.
Et iterum: Si enim secundum carnem vixeritis, mo-
riemini; si autem spiritu facta carnis mortificaue-
ritis, viuetis: non tamen fraternam ab eo separat
charitatem, quem de fraterna congregatione præ-
cipit separari. Hoc enim apertius ad Thessaloni-
censes dicit, Si quis autem non obaudit verbo no- 2. Thess. 3.
stro per epistolam, hunc notate, & non commi-
sceamini cum illo, vt erubescat. Et non inimicum
eum æstimetis, sed corripite vt fratrem. Audiant
isti aliquando, & intelligant quemadmodum sata-
gat charitas Apostolica, vt sufferentes inuicem stu- Ephes. 4.
deamus conseruare vnitatem spiritus in vinculo pa-
cis. Nam & hîc cùm dixisset, Et non vt inimicum
eum existimetis, sed corripite vt fratrem: tanquam
ostendens cur hoc dixerit, continuò subiunxit, Ipse
autem Deus pacis det vobis pacem semper in o
mni bono. Ita & de isto qui vxorem patris sui ha-
buit, luctum potius indicit, & pacificam charita-
tem vbique commendat, sicut & de seipso ait, Ne
iterum cùm venero ad vos, humiliet me Deus, &
lugeam multo[illegible] ex his qui antè peccauer[illegible] non
egerunt pœnitentiam super immund[illegible], & fo[illegible]
ria, & fornicatione quam gesserun[illegible] Et paulo pòst ait: 2. Corint. 13.
Prædixi & prædico sicut præse[illegible] secundo, & nunc
absens

absens his qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus: quia si veneto iterum, non parcam. Ideo lugendo indicabat, vt Dei misericordia sine corruptione vinculi pacis, vbi salus tota consistit, contereret peccantes atque corrigeret, sicut de isto ipso qui cum patris vxore fuerat fornicatus, fecisse intelligitur. Nam non inuenitur de quo alio significet in secunda Epistola ad eosdem Corinthios, cùm ait: Nam ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas, non vt contristemini, sed vt sciatis dilectionem quam habeo abundantius in vos. Si quis autem contristauit, non me contristauit, sed ex parte, vt non onerem omnes vos. Sufficit ei hæc correctio quæ fit à multis, ita vt econtrariò vos donetis & consolemini, ne quando maiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est. Propter quod obsecro vos, vt confirmetis in eum charitatem. Ad hoc enim scripsi, vt cognoscam probationem vestram, si in omnibus obaudiétes estis. Si cui autem aliquid donaueritis, & ego. Nam & ego si cui donaui propter vos in persona Christi, vt non possideamur à satana. Non enim ignoramus métes eius. Quid moderatius, quid diligentius, quid solicitudine pia, & paterna ac materna charitate plenius fieri aut dici potest? Sicut peccanti adhibet damnationem, sic correcto atque contrementi atque humilianti in pœnitentia cor suum, vult reddere consolationem, ne maiori, inquit, tristitia absorbeatur. Sed quid illud quo cóclusit istam sententiá, Vt non possideamur à satana? Non enim, inquit, ignoramus métes eius. Ipse est enim qui per imaginem quasi iustæ seueritatis crudelem sæuitiam persuadet, nihil aliud appetés venenosissima versutia sua, nisi vt corrumpat atque dirumpat vinculum pacis & charitatis, quo conseruato inter Christianos, vires eius omnes inualidę fiunt ad nocendum, & muscipulæ insidiarum comminuuntur, & consilia euersionis euanescunt.

2. Corinth. 2.

Diabolus imagine iustæ seueritatis, crudelem sæuitiam persuadere conatur.

SED etsi de aliquo alio in secunda ad Corinthios Epistola locutus est Apostolus, & ibi tamen significauit quanta charitate in quenque debeat ecclesiastica vindicta procedere. Hoc est illud quod isti non intelligentes inter calumnias suas solent habere præcipuũ, *Emendabit me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Quia verò isti non in misericordia emendare nouerunt, & Cæciliani innocentiam sæuis suspicionibus insectati sunt, & Optati Gildoniani potentiam fallacis oleo adulationis vnxerũt. Nam si propter vinculum pacis iniquitatem Optati gementes lugentesque tolerarent; non vtique pacem Christianam atque catholicam in orbe terrarum, sanctamq; vnitatem dirumperent, aut certè à maioribus suis nefaria cæcitate diruptã ita dolerent, vt saltem apud se experti, quàm multos malos pro pace Donati ferre cogantur, impacatas illorum calumnias pace suæ correctionis extinguerent. Sed & ad illius primæ ad Corinthios Epistolæ consequentia redeamus. Cùm dixisset Apostolus, tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Dñi Iesu: etiam atque etiã commendans humilitate lugentium hoc debere fieri, non superbia sæuiẽtium, continuò subiecit, Non bona gloriatio vestra: vel per exprobrationem pronunciationis, Bona gloriatio vestra. Sic enim nonnulli, & maximè Latini codices habent, tamen eadem in vtroq; sententia teneatur. Non enim metuendum est, ne quis intelligat laudãdo eum dixisse, Bona gloriatio vestra: cùm & superius dixerit, Inflati estis, & non potius luctum hal[illegible]istis: & hic continuò subiungat, Nescitis quia modicum fermentum tor[illegible]sam corrumpit. Quid ad [illegible]psam inanis gloriationis co[illegible]ptionem congruentius referri potest? Superbia quip[illegible] velut ex vetustate primi hominis, qui superbia lapsus[illegible]st, quasi fermentata & corrupta mente facit elatos in vnam cõspersionem, qui sibimet in eam simili iactantiæ vanitate consentiunt. Et gloriari quidem non de peccatis suis, sed super alterius peccata, tanquam ex comparatione innocentiæ suæ modicum videtur fermentum, quia de suis etiam iniquitatibus gloriari multum fermentum est. Sed & illud modicum totam massam corrumpit. Cadit enim superbus merito superbiæ suæ, & incipit etiam peccata sua defendendo velle gloriari. Quod præuidens idẽ Apostolus ait, Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat. Et iterũ, Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, intendens teipsum, ne & tu tẽteris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Quid est lex Christi, nisi, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem? Quid est lex Christi, nisi, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis? Quod ergo hîc dixit, inuicem onera vestra portate, & sic implebitis legem Christi: hoc alio loco ait, Sufferentes inuicem in dilectione, studẽtes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Nam & in illo Pharisæo modicum fermentum esse videbatur, quia peccatorẽ non solùm non dolebat, sed super eius peccata de suis se meritis extollebat. Sed descẽdit ille confitens peccata sua, iustificatus magis quàm ille Pharisæus iactans merita sua: quoniam qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Sequitur ergo Apostolus, & dicit: Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Quid est, vt sitis: & quid est, sicut estis: nisi quia erant ibi tales, erant ibi non tales, quos vt tales essent, exemplo talium commonebat? Tamen omnes in vno tãquam eosdem admonet, ne illi quia tales erant, desperarent de his quia nondum tales erant, & eos ad compagem sui corporis non pertinere arbitrarentur, tanquam eosdem admonet cùm dicit, vt sitis sicut estis. Nouerant enim & illi qui iam sic erant, & admonente Apostolo magis magisque nosse debebant, sufferre illos qui nondum sic erant, vt sufferendo inuicem in dilectione, seruarent vnitatem spiritus in vinculo pacis, & inuicẽ onera sua portãtes, implerent vtique legem Christi, qua Dñs noster Iesus Christus ad docendam humilitatis viam vsque ad mortem crucis humiliari dignatus est, & tanquam medicus ægrotantes, ita cum dilectione pertulit peccãtes, de quibus dixerat, Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus: statimq; principale proposuit exemplum dicens: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus: vt tantæ humilitatis exemplo discerent expurgare vetus fermentum: id est, quicquid in eis superbiæ de veteri homine remansisset. Itaque, inquit, diem festum celebremus, non vtique vnam diẽ, sed totam vitam, non in fermẽto veteri, neque in fermento malitiæ & malignitatis, sed in azymis synceritatis & veritatis. Malitia quippe est & malignitas velut de alieno peccato gloriari, quasi tunc debeat de iustitia sua quisque gaudere, cùm alium iustum esse non conspexerit. Synceritas autem & veritas est, & si proficit aliquis, meminisse quid fuerit, & multò magis misereri lapsorum: quandoquidem ipse erectus est à ipsu suo per Christi misericordiam, qui sine vllo suo peccato se pro peccatoribus humiliauit. Sed ne perniciosè relinquantur, & quasi dissimulanter negligantur aliena peccata, quod nõ est minoris crudelitatis, quàm illud superbiæ, sequitur & dicit: Scripsi vobis in Epistola, non commisceri fornicariis: non fornicariis huius mundi, aut auaris, aut raptoribus, aut idolis seruientibus, alioquin debueratis de hoc mũdo exiisse. Opus enim vestrum in hoc mundo illud est, vt peccatores Christo ad salutem lucremini. Quod fieri non pote[illegible] si c[illegible]m colloquia, conuictumque fugiatis. Nunc aut[illegible], inquit, scripsi vobis non commisceri. Si quis frater,

1. Corinth. 5.

Psal. 104.

1. Corinth. 5.

2. Corinth. 5.

2. Tim. 2.

Galat. 6.

Ioannis 13.

Ioannis 14.

Gal. 6.

Ephes. 4.

Lucæ 18.

1. Corinth. 5.

1. Corinth. 5.

Ephes. 4.
Philip. 2.

Matthæi 9.

1. Tim. 5.

ter, nominatur & est inter vos aut fornicator, aut idolis seruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum quidem simul sumere. Quò enim mihi de his qui foris sunt iudicare? Nõne de his qui intus sunt vos iudicatis? De his autem qui foris sunt Deus iudicabit. Auferte malum ex vobisipsis. Ecce quemadmodum ad hanc sentẽtiam venit Apostolus, cuius vltimam particulam ponendam credidit Parmenianus, dicens esse scriptum, *Auferte malũ ex vobisipsis. Quod*, inquit, *vtique si bonis & integris non noceret, non iuberetur auferri*. Quæ autem superius dicta sunt, vnde ad hoc ventum est prętermisit, quibus vtique ad id quod persuadere cupiebat, separationem à malis fieri corporaliter oportere, poterat adiuuari dicente Apostolo: Cum huiusmodi nec cibum simul sumere. Cur ergo non commemorauit, quod eius intentionem maximè adiuuare posse videbatur? Cùm enim vehementer instet vt à malè viuentibus corporalem separationem faciẽdam esse persuadeat; cur non adhibet testimonium Apostoli dicẽtis: Si quis frater, nominatur & est fornicator, aut idolis seruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum simul sumere: nisi quia vidit, si hoc diceret, posse sibi responderi, Itáne vos & fornicatores & idolis seruientes aut non habetis, aut eos ignoratis? Nullúmne auarũ, aut maledicũ, aut ebriosum, aut rapacem inter vos videtis & nostis? Cur ergo cum talibus contra præceptum Apostoli, non solum cibum mensæ vestræ sumitis, sed etiam cœnam mensę Dominicę communicatis? Hoc ergo Parmenianus, quantum arbitror, euitare conatus est, ne sibi responderetur, vt id non poneret quod pro eius causa validissimè sonare videretur: nam hoc epistolæ Apostolicæ capitulum si †consuluisset, & ei non occurrisset, non ex eius vltima parte poneret, Auferte malum ex vobisipsis. Sed nunc quia hoc diximus, fortasse isti audebunt negare haberi inter se auaros, aut maledicos, aut ebriosos, aut rapaces, & ipsum Optatum, qui vniuersæ Africæ notissimus fuit, quem tam diu pertulerunt, quàm diu timuerunt, fortasse defendere conabuntur. Dicant ergo si possunt, meliorem se atque purgatiorẽ habere nunc ecclesiam, quàm erat ipsa vnitas beatissimi Cypriani temporibus, qui collegas suos, à quibus tamen nulla corporali disiunctione separatus est, nullum eorum nominatim appellans, sed prudenter ac sobriè saluberrimæ mordacitatis inferens medicinam, his verbis grauiter arguit, *quia esuriẽtibus in ecclesia fratribus habere argentum largiter vellent, fundos insidiosis fraudibus raperent, vsuris multiplicantibus fœnus augerent*. Et vt apertissimè ostenderet de his se dicere cum quibus in vnius ecclesiæ communione viuebat, consequenter annexuit, *quid non perpeti tales pro peccatis huiusmodi mereremur?* Non enim ait: Mererentur: sed, mereremur. Quod nullo modo dixisset, cùm talis vtique ipse non esset, nisi manifestare vellet eorum facta se gemere, qui ei non solùm in ecclesiæ vnitate, sed etiam collegij consortio iungerentur, quamuis ab eis vita, moribus, corde, proposito discreparet. Dicant ergo isti meliorem nunc esse ecclesiam suam, & non se habere tales, quales habuit in ipsa vnitate Cyprianus. Credant eis qui volũt, & aduersus ea mala quæ de moribus eorum insimulata fuerint, oculos claudant: ego eos ad illa priora vnitatis tempora reuocabo, & ab eis quæram, vtrum quando ille tantus episcopus Carthaginiensis ecclesiæ Cyprianus de tam malo collegio, testimonio liberæ vocis vsque ad ea scripta, quę posteris etiam proderentur ingemuit, erat ecclesia Christi, an non erat? Si erat, quæro quemadmodum Cyprianus & cæteri similes eius implebant quod præcepit Apostolus, Si quis frater, nominatur & est aut [illegible]nicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicu[illegible] aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum simul sumere: quando cum his auaris & rapacibus, qui esurientibus in ecclesia fratribus, habere argentum largiter vellent, fundos insidiosis fraudibus raperẽt, vsuris multiplicantibus fœnus augerent, panem Domini mãducabant, & calicem bibebant? An fortè parua sunt ista crimina, & parui æstimanda? Solent enim isti etiã hoc dicere, pensantes ea non in statera æqua diuinarũ Scripturarum, sed in statera dolosa consuetudinum suarũ. Quicquid enim sceleris & iniquitatis inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem. Sed ideo sunt tanquam synceritissimum speculum proposita hominibus oracula cælestium paginarum: vt ibi quisque videat quodlibet peccatum quantum sit, quod fortè magnum est, & malè viuentium cæco more contemnitur. Potuitne grauius diuinis eloquiis accusari auaritia, quàm vt idololatriæ demonstraretur æqualis, & eius nomine appellaretur, dicente Apostolo: Et auaritia, quæ est idolorum seruitus? Potuitne maiori pœna digna iudicari, quàm vt inter illa crimina poneretur, quibus obsessi regnum Dei non possidebunt? Aperiantur oculi cordis, ne frustra pateãt oculi corporis, & legant prædicatorem liberum veritatis in eadẽ ipsa prima ad Corinthios Epistola scribentem: Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Quomodo ergo Cyprianus & alia frumenta Dominica in illa tunc vnitatis ecclesia cum auaris & rapacibus, cum his qui regnum Dei non possidebunt, non laicis vel quibuscunque clericis, sed & ipsis episcopis panem Domini mãducabant, & calicem Domini bibebant; cùm idem apostolus præcipiat non eis commisceri, & clamet cum eiusmodi nec cibum sumere? An quia non poterant ab eis corporaliter separari, ne similiter eradicarent & triticum, sufficiebat eis à talibus corde seiungi, vita moribusque distingui, propter compensationem custodiendæ pacis & vnitatis, propter salutem infirmorum, & tanquam lactentium frumentorum, ne membra corporis Christi per sacrilega schismata laniarent? Sed ecce ego non vrgeo quenquã illorum sic intelligere, ipsi explicent quemadmodum esse potuerit illa tunc ecclesia gloriosa sine macula & ruga, vbi esurientibus in ecclesia fratribus habere largiter argentum volebant, vbi fundos insidiosis fraudibus rapiebant, vbi vsuris multiplicantibus fœnus augebant, vbi tãtis erant inuoluti iniquitatibus, vt per illas regnum Dei non possiderent. Quòd si gloriosa ecclesia sine macula, aut ruga in eis solis computabatur, qui mœrebant & gemebant illas iniquitates, quæ fiebant in medio eorum, imò etiam secundum sancti Ezechielis prophetiam, tales proprio signari meruerunt, vt à vastatione & perditione iniquorum tutissimi euaderent: desinãt calumniari bonis, non operantibus mala per morbidam cupiditatem, sed tolerãtibus propter pacificam charitatem, quibus dictũ est, Beati pacifici, quoniã filij Dei vocabuntur. Nam propterea Spiritus sanctus per memoratum Ezechielem prophetam tali verbo designauit malos, quos in vnitate tolerant boni, vt eos in medio bonorum diceret cõstitutos, quia si bonos diceret in medio malorum, illi quasi extrinsecus & forinsecus esse viderentur. Gemunt, inquit, & mœrent iniquitates populi mei, quæ fiunt in medio eorum: vt illos iniquos non solum non exclusos, sed etiam inclusos cogitaremus. Si verò iam tunc non erat ecclesia, quia Cyprianus & quicunque cum eo auaros il[illegible]s rapacesque nouerant, [illegible]psi non erant, quamuis eos grauissimis gem[illegible]bus & p[illegible] clarissimis vocibus accusarent, vna [illegible]um eis intrantes ecclesiam, & in vna cõgregati[illegible]ne paria sacramẽta

1. Corinth. 5.

Cypriani sermone De lapsis.

1. Corinth. 5.

Sacra Scriptura synceritissimum speculum, in quo quantum sit quodque peccatum videri queat.

Peccati auaritiæ grauitas.

Colos. 3.

1. Corinth. 6.

1. Corinth. 5.

Ezech. 9.

Matthæi 5.

Ezech. 9.

tractantes, per huiusmodi communionem paris sortis effecti sunt: quia non obtemperauerunt Apostolo iubenti, vt cum huiusmodi nec cibum quidem simul sumerent: &, Auferte malum ex vobisipsis: quid adhuc laboramus? Quid se ipsi iactant, quòd habeant aliquã ecclesiam, si iam illis temporibus esse destitit? Dicant vnde natus est Maiorinus aut Donatus, vt per eos nasceretur Parmenianus atque Primianus. Quid enim eis prodest, quòd auaros & rapaces, cum quibus cibũ sumi vetat Apostolus, modò se vel non habere in congregatione sua, vel incognitos sibi esse mentiuntur: quandoquidem fuerunt tales in illa vnitatis ecclesia, vnde isti exortos se sic iactitant, vt eam in sua sola societate, id est, in communione Donati remansisse persuadere conentur? Si enim dicunt per talium communionem perire ecclesiam, cur eam non dicunt iam Cypriani periisse temporibus? ac sic per seipsos vnde existerent non inuenientes, dicere desinant apud se ecclesiam remansisse, quam totam prioribus periisse tẽporibus dicunt. Si autem in bonis quibus talia displicent semper mansit, & manet & manebit ecclesia, discant isti aliquando non sic intelligere quod ait Apostolus, Auferte malum ex vobisipsis: vt per schismata conantes colligere zizania, eradicent simul & triticũ. Quæ omnia ita disputamus, vt meminerint qui hæc legunt vel audiunt, non eos potuisse vnquam demonstrare, siue illo tempore cùm recẽtissima hæresis erat, siue nunc cùm multò firmiore innocentiæ conscientia sibi totus orbis in catholica ecclesia Christiana pace connectitur, Cæcilianum vel eos qui ei concorditer inhærebant, fuisse zizania. Sed vt securus vnusquisque in sanctæ ecclesiæ vnitate permaneat, & eiusdem vnitatis desertores ne cũ eis pereat non sequatur, hoc dicimus; quia si fuissent illi zizania, tolerari potius vsque ad messem, quàm pernicie schismatis eradicatis frumentis separari debuerunt. Sed dicet aliquis: Quomodo præcipienti Apostolo poterimus obedire, qui vetat cum eiusmodi nec cibũ simul sumere? Si enim solam cordis separationem ab eis faciendam esse præciperet, non diceret: Scripsi vobis in epistola non commisceri fornicariis: non vtique fornicariis huius mundi, id est, eis qui Christiani non essent, de quibus postea dicit: Quò enim mihi de his qui foris sunt iudicare? nónne de his qui intus sunt vos iudicatis? de his autẽ qui foris sunt, Deus iudicabit. Cùm ergo de tali separatione præcipiat, quæ non fit ab eis malis qui Christiani non sunt, sed ab eis qui Christiani sunt: cordis autem separatio ab omnibus malis facienda est: ac per hoc & ab eis, & ab aliis malis qui non sunt Christiani, oportet nos corde separari: quid restat nisi vt intelligamus nobis id per Apostolum iuberi, vt quibuslibet malis Christianis quales ipse designat, nec tali coniunctione misceamur, quali cõiunctione paganis, in ipsius vitæ humanæ societate miscemur? Et ideo alio loco dicit: Si quis vos vocauerit ex infidelibus, & volueritis ire, omnia quæ apponuntur vobis mãducate, nihil interrogantes: hîc autem cum eiusmodi nec cibum quidem sumere permittit. Cum infidelibus, id est, cum eis qui nondum Christum crediderunt, dicit manducandum esse quæ apposuerint, de quibus quoniam foris sunt, Deus iudicabit: cum his autem qui intus sunt, id est, si quis frater, nominatur & est fornicator, aut idolis seruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, vetat etiam sumere cibum. Persuadet ergo ante tempus messis à frumẽtis zizania separari. Quod si facere noluerimus, quoniam Dominus prohibet, toleraturi ea sumus, & in sola cum eis voluntatis & cordis separatione perseuerature: ac per hoc etiam cibum sumere cum talibus quidem prohibet Apostolus. In hac velut angusta quæstionis non aliquid nouum aut insolitum dicam, sed quod sanitas obseruat ecclesiæ, vt cùm quisque fratrum, id est, Christianorum intus in ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehẽsus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc vbi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi præcipit dicens, vt inimicum non eum existimetis, sed corripite vt fratrem. Non enim estis ad eradicandum, sed ad corrigendum. Quod si se non agnouerit, neque pœnitẽdo correxerit, ipse foras exiet, & per propriam voluntatem ab ecclesiæ vnitate dirimetur. Nam & ipse Dominus cum seruis volentibus zizania colligere, dixit: Sinite vtraque crescere vsque ad messem: præmisit causam dicens: Ne fortè cùm vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum. Vbi satis ostendit, cùm metus iste non subest, sed omnino de frumentorũ certa stabilitate certa securitas manet: id est, quando ita cuiusque crimen notum est omnibus, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere: non dormiat seueritas disciplinæ, in qua tanto est efficacior emendatio prauitatis, quanto diligentior confirmatio charitatis. Tunc autem hoc sine labe pacis & vnitatis, & sine læsione frumentorum fieri potest, cùm cõgregationis ecclesiæ multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena est. Tunc enim adiuuat præpositum potius corripientem, quàm criminosum resistentem. Tunc se ab eius coniunctione salubriter continet, vt nec cibum quisquam cum eo sumat, non rabie inimica, sed coercitione fraterna. Tunc etiam ille & timore percutitur, & pudore sanatur, cùm ab vniuersa ecclesia se anathematizatum videns, sociam turbam cum qua in delicto suo gaudeat, & bonis insultet, non potest inuenire. Ad hoc enim & ipse Apostolus ait, Si quis frater, nominatur. In eo quippe quòd ait, si quis: nihil aliud videtur significare voluisse, nisi eum posse tali modo salubriter corrigi, qui inter dissimiles peccat, id est, inter eos quos peccatorum similiũ pestilentia non corrumpit. In eo verò quod ait, nominatur, hoc nimirum intelligi voluit, parum esse vt sit quisque talis, nisi etiam nominetur, id est, famosus appareat, vt possit omnibus dignissima videri, quæ in eũ fuerit anathematis prolata sententia. Ita enim & salua pace corrigitur, & non interfectoriè percutitur, & medicinaliter vritur. Propterea & de illo dixit quem tali medicina sanari voluerat, Satis huic est correptio quæ fit à multis. Neque enim potest esse salubris à multis correptio, nisi cùm ille corripitur qui non habet sociam multitudinem. Cùm verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat quàm dolor & gemitus, vt per illud signum quod Ezechieli sancto reuelatur, illæsi euadere ab illorum vastatione mereantur. Ad eum enim qui errare non potest clamant, Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meã. Ne cùm voluerint colligere zizania, eradicent simul & triticum: nec per diligentiam segetem Dominicam purgent, sed per temeritatem ipsi potius inter purgamenta numerentur. Ideoque idem Apostolus cùm iam multos comperisset, & immunda luxuria & fornicationibus inquinatos ad eosdem Corinthios in secunda epistola scribẽs, non itidem præcipit vt cum talibus nec cibum sumerent. Multi enim erant, nec dici de his poterat, si quis frater nominatur fornicator, aut idolis seruiens, aut auarus, aut aliquid tale, cum eiusmodi nec cibum quidem simul sumere: sed ait, Ne iterum cùm venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex ijs qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & luxuria & fornicatione quam gesserunt: per luctum suum potius eos diuino flagello coercendo, quàm per illam correptionem, vt cæteri eorum coniunctione se contineat. Consequenter

1. Corint. 5.

Maiorinus, Donatus, Parmenianus, Primianus Donatistarum ex ordine Carthaginiensis episcopi.

2. Corint. 5.

Matthæi 13.

Obiectio.

1. Corint. 5.

Solutio. 23. q. 4. c. cum quisque.

2. Thess. 3.

Matthæi 13.

Excommunicatio vbi adhibenda.

23. q. 4. cap. Non potest.

Cyprianus sermone De lapsis.

Psal. 88.

1. Corint. 5.

23. q. 4. c. non potest.

Ezech. 9.

Psal. 25.

1. Corint. 5.

2. Cor. 12.

1. Corint. 1

Deut. 17.

23. q. 4. cap. Non potest.

Cyprianus sermone De lapsis.

2. Corint. 5.

2. Retractat. cap. 17.

8. Corinth. 5.

Qui præest alicui quisque, eorum se seruũ esse meminerit.

ter enim dicit, Ecce tertio hoc veniam ad vos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Prædixi & prædico sicut præsens secundo, & nunc absens iis qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus: quia si venero iterum, non parcam; quia probationem quæritis eius qui in me loquitur Christus. Quid aliud dixit hîc, non parcam: nisi quòd superius ait, Et lugeam multos: vt luctus eius impetraret flagellum à Domino quo illi corriperentur, qui iam propter multitudinem non poterant ita corripi, vt ab eorum coniũctione se cæteri continerent, & eos erubescere facerent, sicut faciendum est, si quis frater in aliquo cæteris dissimili crimine nominatur? Et reuera si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est: nam consilia separationis & inania sunt & perniciosa atque sacrilega; quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos. Sicut enim ille fidelissimus testis auaritiæ collegarũ, cùm ea mala tribulationum quæ patiebatur illo tempore ecclesia, censuræ diuinæ & disciplinæ tribueret, commemoratis quos nouerat episcoporum pessimis moribus, qui esurientibus fratribus habere argentum largiter vellent, fundos insidiosis fraudibus raperent, vsuris multiplicãtibus fœnus augerẽt, *quid non*, inquit, *perpeti tales pro peccatis huiusmodi mereremur?* Et deinde adhibet testimoniũ de Psalmis dicens, *cùm iam pridem monuerit & dixerit censura diuina, Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint: si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis.* Misericorditer igitur corripiat homo quod potest; quod autem non potest patienter ferat, & cum dilectione gemat atque lugeat, donec aut ille desuper emendet & corrigat, aut vsque ad messem differat eradicare zizania, & paleam ventilare: vt tamen securi de salute sua, bonæ spei Christiani inter desperatos, quos corripere non valent, in vnitate versentur, auferant malum à seipsis, id est, vt in ipsis non inueniatur quod in moribus aliorum eis displicet. Cùm enim dixisset Apostolus, Quò enim mihi de iis qui foris sunt iudicare: nónne de iis qui intus sunt vos iudicatis? de his autem qui foris sunt Deus iudicabit: tanquam illi responderent, quid agimus, cùm ita improborum multitudine premimur, vt iudicium nostrum in aliqua coercitione non possimus exercere? Auferte, inquit, malum ex vobisipsis: id est, si non potestis auferre malos ex medio vestrum, ipsum malũ auferte ex vobisipsis. Quod si quisquã velit sic intelligere quod dictũ est, Auferte malum ex vobisipsis: vt per correptionem separationis de congregatione fratrum malus quisque auferendus sit: studio tamen sanandi, non odio perimendi esse faciendum nemo dubitauerit. Et quis adhibendus sit modus temporaque seruanda, ne pax ecclesiæ violetur, in qua maximè tritico parcendum est, ne simul cum zizaniis eradicetur, quod in præsentia visum est necessarium, disseruimus. Hoc qui diligenter cogitat, nec in conseruatione vnitatis negligit disciplinæ seueritatem, nec immoderatione coercitionis dirumpit vinculum societatis. Nam hoc ipsum quod ait Apostolus, Cum eiusmodi nec cibum simul sumere: quàm multi boni Christiani faciunt de iis, de quibus familiarius curam gerunt, vt à quorum consortio se potuerint separare, quos tali correptione posse corrigi sentiunt, vel quos omnino corrigi posse desperant, ne alios colloquiorum malorum contagione corrũpant, non dubitant facere. Facit hoc bene, id est, humili charitate ac benigna seueritate, qui sic præest tribus vt eorum seruum se esse meminerit, sicut sese ... bent ipsius Domini & præceptum & exemplũ. Tunc enim fit sine typho elationis in hominem, & cum luctu deprecationis ad Deum. Sed quàm facilè de gradu clericorum quisque ab episcopo, vel de numero pauperum quos pascit ecclesia, vel de ipsa congregatione laicorum, siue ab episcopo, siue à clero vel quocunque præposito, cui est potestas, eximitur, ita vt cũ eiusmodi à cæteris quibus hoc præcipi potest, nec cibus sumatur: tam facilè malorum multitudo in quolibet ordine ecclesiæ non potest à bonorum commixtione separari & expelli. Nã & in domibus suis quiq; boni fideles ita disciplinam suorum moderãtur & regunt, vt ibi quoque obtemperent Apostolo præcipiẽti, cum eiusmodi nec cibum simul sumere, cùm & de filiis suis & de domo pacis hoc faciunt vel fieri iubẽt: cùm eos vident ita viuere, vt hoc eis esse faciendũ ipsa quam habent in eos charitas suggerat. Turba autẽ iniquorum cùm facultas est in populis promẽdi sermonem generali obiurgatione ferienda est, & maximè si occasionem atque opportunitatẽ præbuerit aliquod Domini flagellum desuper, quo eos appareat pro suis meritis vapulare. Tunc enim aures humiles præbet emendantis sermonis calamitas auditorũ, faciliusque in gemitum confitendi quàm in murmura resistendi afflicta corda cõpellit, sicut tunc beatus Cyprianus de collegis suis fortasse illa non diceret, nisi eum desuper diuina seueritas adiuuaret. Eo quippe tempore illa dicebat tam molesto, tam calamitoso atque luctuoso, vt illi non solùm succensere non auderent, sed etiam vix à succensentibus veniam se posse impetrare sentirẽt: quanquam etsi nulla calamitas tribulationis premat, cùm facultas datur, vtiliter corripitur in multitudine multitudo. Nam sicut separata sæuire, sic in ipsa congregatione obiurgata gemere consueuit. Quamobrẽ & illud præceptum Apostoli nullo modo negligendũ est, cùm sine periculo violandæ pacis fieri potest: quia nec ipse aliter fieri voluit, vt à congregatione bonorũ separetur malus: & eiusdem illud præcipuè attendendum est, vt sufferentes inuicem studeamus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Itẽ Domino in Euuangelio dicẽti, in illo obtemperare debemus, vbi ait, Si neque ecclesiam audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus: & in illo vbi prohibuit colligi zizania, ne simul eradicetur & triticũ. Potest enim verumque custodiri ab eis, quibus dictum est, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Pauperum cibi quos pascebat Ecclesia.

23. q. 4. cap. Non potest. Multitudo quamdo & quomodo obiurganda.

Matthæ.

Matthæi 13.

Matthæi 5.

CAPVT III.

SED iam cętera, quæ Parmenianus posuit, testimonia studeamus videre. Inter omnia, quibus eorum sacrilegus tumor apparet, nullo se loco magis aperuit, quàm in eo quòd ausus est etiam illud Hieremiæ prophetæ ponere, vnde persuaderet cæteris hominibus, communionem Donatistarum, non solùm ecclesiam veram esse, sed etiam talem iam hoc tempore, qualis post vltimam vẽtilationem Ecclesia sancta futura est. Cui sacrilegæ præsumptioni, & nephãdę elationi quid addi possit ignoro. Et cùm multis quidem locis sermonum suorum nihil aliud quàm præsumere intelligantur, aliquando tamen verecundantur, cùm eos veritas vrgere cœperit, quando interrogãtur, vtrum non habeant, vel vtrum non sint ipsi peccatores: veruntamen in hoc Prophetico testimonio impiam vanitatem suam, & nimiam peruersitatem apertissimè prodiderunt. Cùm enim Hieremias sanctus vellet ostendere bonis & malis, etiam si ad tempus sit congregationis vna societas, longè tamen disparia esse momenta morum, finemque meritorum: Quid paleis, inquit, ad triticum? Parmenianus autem cùm vellet [illegible] ium refellere dicentem, malos à boni[illegible] nterim pro pace tolerandos, & in fi[illegible] ijs separandos, posuit hoc Hierem[illegible] quo peruersus atque errans pe[illegible] testimonium, [illegible]ersos & errantes [illegible]

Matth. 25.

Gal. 6. ad turbulentissimas & sceleratissimas seditiones inflá-
met; vt quisquis inflata mente carnis suæ videtur sibi
aliquid esse, cùm nihil sit, se ac similes sui tãquam gra-
na purgatissima existimans, ad ecclesiæ congregatio-
nem, in qua necesse est vt ij qui ad vitam æternã per-
tinent, eos qui ad ignem æternum pertinent, vsque ad
certum finem tanquam frumenta paleam suam tole-
Epiphonema. rent, iam sibi accedendum esse non putent. Nullus a-
lius flatus de area Christi leuissimam paleam ante tẽ-
pus ventilationis excussit: nulla alia præsumptione sa-
crilega schismata quæcũque vbicunq; sunt, fecit. *Ad-*
Hierem. 23. *monet*, inquit, *Hieremias sanctissimus, infructuosas &*
steriles peccantium turbas ab honorata fruge iustorum dis-
cerni, dicens, Quid paleis ad triticum? O tuba furoris, ô
vox execrabilis pestilentiæ, nunquid fortè sic errat ge-
nus humanum, vt non agnoscat vẽtilatorem Parme-
nianum? An & ipse dat locum Donato, & ad purga-
tam per eum massam se venisse gloriatur? Nam ille
ante se Maiorinum nescio vtrum dignetur agnosce-
re, an isti tres tanquam tria cornua cuiusdam ventila-
bri in manu Domini fuerũt, per quos messis totius or-
bis mũdaretur: & Aphrica electa est, vbi purgata mas-
sa consisteret: cæteram autem omnem terram palea
separata vestiret? Vnde ergo tanti greges Circumcel-
lionum? Vnde tantæ turbæ conuiuarum, ebriosorum
& innuptarum, sed non incorruptarum, innumerabi-
lia stupra fœminarum? Vnde tanta turba raptorum, a-
uarorum, fœneratorũ? Vnde tam multi per suas qui-
que regiones notissimi tantundem volentes, sed non
tantum valentes Optati? Quid ad hæc respondebunt?
Non sunt ista? An & hoc triticum est? Væ impuden-
tissimæ negationi, si apud se ista non esse: væ scelerati-
simæ peruersitati, si frumẽta esse responderint. Postre-
mò massam purgati tritici post tãtę authoritatis trien-
tem, id est, Maiorinum, Donatum, Parmenianum, et-
iam Primianus iterum ausus est vẽtilare, vt Maximia-
nistas de sua cõmunione separaret. An fortè frumenta
C proiecit? Quid est ergo ipse cum suis, qui talia proie-
cerunt? An ita ista frumenta purgata sunt, vt seinuicẽ
non agnoscant, & seinuicem damnando ventilare co-
nentur? Potuítne palea baptizare frumenta? Si potuit,
cur ergo dicunt, *quid paleis ad triticum?* Si autem non
potuit, cur Felicianus cùm inter paleas Maximiani-
starum foras volasset, quotquot ille baptizauit, cum
eo rursus ad massam illam purgatissimam redierunt,
& omnes intus eos nunc habẽt, & sibi non dicũt quid
paleis ad triticum? Iam ergo euigilent aliquãdo, & in-
telligant quemadmodum Propheta dixerit, Quid pa-
leis ad triticum? Vbi enim dicatur considerent, si eis
inest qualiscunque sensus humanus. Nunquid in agro
dici potest, quid paleis ad triticum, quando eadem ra-
dice portantur? Nunquid in area, vbi pariter triturã-
Matthei 3. tur? Sed vtique in horreo, quid paleis ad triticum? Ve-
niet ille paterfamiliãs ferens ventilabrũ in manu sua,
& mundabit aream suam, frumenta recondet in hor-
D reum, paleã verò comburet igne inextinguibili. Nam
per aliam similitudinem omne triticum ouiũ nomi-
ne, & omnis palea hędorum nomine significatur, quæ
duorum pecorũ genera interim permixta sub vno
Matthei 25. pastore pascũtur. Sed veniet, inquit, filius hominis
cum angelis suis, & congregabuntur ante eum omnes
gentes, & separabit eos ab inuicẽ, sicut pastor separat
oues ab hædis, & oues quidem ponet ad dexteram, hæ
dos autem ad sinistram. Et dicet iis qui à dextris eius
erunt, Venite benedicti patris mei, [illegible]cipite regnum
quod vobis paratum est ab initio mundi. Illis autẽ qui
ad sinistram sunt dicet, Ite maledicti in ignem æter-
[illegible]ratus est diabolo & angelis eius. Tunc er-
go implebit [illegible]rophetia, quid paleis ad triticũ? quan-
do hædis & ouib[illegible] non potest pascua esse communis.
Si possunt pisces bi cum piscibus malis intra illam
A sagenam cui dixit Dominus, Simile est regnum cælo- Matthei 13.
rum sagenę missę in mare, dicere, recedite à nobis, aut
recedemus à vobis, donec omnes educãtur ad litus, &
per angelos boni mittantur in vasa, mali autem proii-
ciãtur foras: potest hoc tempore impleri quod dictum
est, quid paleis ad triticum? Sed qui congregationem
suam iam frumentum purgatum putant, à cõmixtio-
ne frumenti & paleæ tanquam pura palea volauerũt:
& qui se sub vno pastore non adhuc cũ hædis pascere
sentiunt, luporum insidiis de grege Domini separati
sunt: & qui cum malis piscibus se congregatos esse nõ
putant, non solùm mali pisces sunt, sed etiam vnitatis
retia diruperunt. Quod si iam hoc tempore intelliga-
mus fieri quod Hieremias ait, quid paleis ad triticum: Hierem. 23.
nihil aliud rectè intelligere possumus, nisi quòd in vna
quidem congregatione sunt, donec in fine ventilatio-
nis etiam corporaliter separẽtur: sed tamen tritici sur-
sum cor est, paleæ verò deorsum. Palea quippe sua
B quærit, non quæ Iesu Christi: triticum autem the-
saurizat thesaurũ in cælo, quia vbi est thesaurus eius, Matthei 6.
ibi & cor eius est.

CAPVT IIII.

Sic etiam verba Esaiæ intelligenda sunt, quæ ille
similiter non intelligens, ad eandem sui erroris senten-
tiam detorquere conatur. Quid enim ait Esaias? *Rece-* Esaiæ 52.
dite, recedite, exite inde, & immundum nolite tangere, ex-
ite de medio eius, & separamini qui fertis vasa Domini.
Nunquid eadem toties repetenda sunt, quoties fit se-
paratio cordis à malis? Immundum enim non tangit,
qui ad peccatum nulli consentit. Exit autem inde, vt
salua sit eius causa apud Deum, si etiam disciplinam
corripiendi & arguendi salua pace non negligat. Nam
qui vult corporaliter quasi manifestos malos deserere,
spiritaliter deserit latentes bonos, quos inexpertos
& incognitos cogitur accusare, dum separationem
suam conatur defendere. Sed isti respondeãt, Si mun-
dus est Felicianus, cur exiit de medio eorum? Si verò
C immundus, cur modo tangit mundum? Quod si tunc
immundus fuit cum foris esset, quos illic baptizauit,
immundi sunt, quia immundum tetigerunt. An om-
nes cum illo remeando mundati sunt? Possunt ergo
isti mundati foris baptizare, quos in sua communione
non baptizauerunt? Cur ergo alios rebaptizant? An à Illudit Donatistis.
trecentis decem Bagai confidentibus damnari, aliqua
fortè dignatio est: & ideo de toto orbe quisquis ad eos
venerit rebaptizãtur, quia nõ meruit totus orbis istam
dignationem vt Bagaiensi concilio damnaretur? Ergo
à Maximiano & à cæteris sociis eius ad Primiani com
munionem non redeuntibus quicũque baptizati fue-
rint, rebaptizantur. An parcitur eis? Si rebaptizantur,
violatur dignatio Bagaiensis. In ea quippe etiam isto-
rum baptizatores damnati sunt. Si autem parcitur eis,
rogandi sunt isti, vt rursum ad oppidum Bagaiẽse con
ueniant, & si fortè ille numerus trecentorum decem
iam consecratus est, totidem conueniant, & illic sen-
D tentiam contra totum orbem proferant, sicut aduer-
sus Maximianistas protulerunt, vt cum voluerint ali-
quem rebaptizare ex aliqua parte orbis venientẽ, pari
priuilegio se defendant, asserentes sibi ita parci opor-
tere, sicut ei parcitur quem Maximianista baptizat,
quia iam non solùm Maximianistæ, sed etiam totus
orbis meruit concilio Bagaiensi damnari. Deinde se-
ipsos à tam magna inuidia, à morte tam magna & tam
mirabili liberent, vt cum cœperint iam non rebapti-
zare in ecclesia baptizatos, quæ per omnes terras est
constituta, si quis eis mouerit quæstionẽ, cur iam non
faciant quod antè faciebant, respondeant, Quãdo ista
faciebamus, nondum Bagaiensi concilio totũ orbem
terrarum damnaueramus: nunc autem rogati miseri-
corditer concessimus, vt eos tali concilio dãnaremus,
qua[illegible] Maximianistas damnauimus, quorum baptis-
m[illegible]n non repetimus. Quid ergo magnum est, quid
difficile

difficile præstare omnibus gentibus tantam dignatio-
A nem damnationis? An iterare baptismum orbis terra-
rum licet, & iterare damnationem orbis terrarũ non
licet? Etiam hinc securi sint, non inueniemus quo con
cilio tot gentes prouinciasque damnauerint. Quos-
dam paucos in Aphrica damnauerunt, à quibus totius
orbis iudicio superati sunt, nec ausi sunt postea dãna-
re iudices apud quos superati sunt. Quid enim esset
impudentius, quid insanius? Multo minus damnare
potuerunt etiam in cæteris terrarum partibus consti-
tutos, qui magis talibus iudicibus ecclesiasticis crede-
re, quàm victis litigatoribus maluerunt, & tamen Ma
ximianistarum quos tecenti decem Donatistæ Baga-
iensi concilio damnauerũt, baptismus agnoscitur, ac-
ceptatur, admittitur. Orbis autem terrarum per quem
hæreditas Christi sic exhibita est vt promissa est, in
qua & ipsi ante paucos annos fuerunt, quem nullo iu-
re damnare potuerũt, & nulla saltem concilij peruer-
sitate damnarunt, baptismus improbatur, exufflatur,
B iteratur. O sancta damnatio, quam Maximianistę me- Romia.
ruerunt; & laboriosa innocentia gentium, quæ apud il
los propterea Christianum nomen amisit, quia talem
damnationis locum inuenire non potuit. Si autem il-
li soli à Maximianistis venientes non rebaptizantur,
qui cum suis baptizatoribus redeunt, sicut hi qui cum
Prætextato & Feliciano redierunt, primo videatur
quemadmodum eiusdem schismatis baptismum ex-
tra eorum communionem foris æqualiter datum in
aliis confirment, in aliis exufflent, in parte honorent,
in parte violent. Ita enim vbi violant, rei sunt: vbi au-
tem confirmant, reatus sui testes inueniuntur. Si enim
postea sic confirmarent vt iam violare desinerẽt, non
discrepatio, sed correctio diceretur. Cùm autẽ in qui-
busdam improbant quod in aliis approbant, in his ac-
cusantur, in illis contra se testimonium dicunt. Quæ-
ro enim quare nõ baptizes eos quos Felicianus in Ma-
ximiani schismate baptizauit, quia Christi baptismũ
C acceperunt, an quia Feliciani? Si quia Feliciani, apud
Maximianistas cum dedit damnatus, foris extra com-
munionẽ vestram dedit eum, hoc est, illud baptisma
quod & Saluij Membrẽsitani & aliorum talium: si au-
tem quia Christi, plus apud te valet pro baptismo Chri
sti Felicianus in Mustitanis, quàm ipse Christus in o-
mnibus terris? plus apud te valet pro baptismo Christi
sedens ad latus tuum & damnatus à te, quàm ille se-
dens ad dexteram patris & crucifixus pro te? Parcitur
in paucissimis baptismo Christi, ne Felicianus offen-
datur: & non parcitur, ne ipse Christus in tot gentium
milibus exuffletur? Sed incredibilis est cæcitas homi-
num, & omnino nescio quemadmodum credi posset
esse in hominibus tanta peruersitas, nisi experimento
verborum suorum factorumque patesceret vsque ad-
eo se clausos habere cordis oculos, vt commemorent
sanctæ Scripturæ testimonia, nec intueantur in factis
Vt factis prophetarum, verba eorum intelligantur. Prophetarum, quemadmodum intelligenda sint ver-
D ba Prophetarum. Dixit Hieremias, *Quid paleis ad tri-*
Hierem. 23. *ticum:* vt ipse recederet à paleis populi sui, in quas illa
tanta & vera dicebat? Dixit Esaias, *Recedite, recedite,*
Esaiæ 52. *exite inde, & immundum nolite tangere.* Sed cur ipse in
illo populo immunditiam quam grauiter arguebat, in
vna cum eis congregatione tangebat? Legant quanta
in malos populi sui, & quàm vehementer ac veraciter
dixerit, à quibus se tamen nulla corporali diremptio-
ne separauerit. Dixit Dauid, *Non sedi cum concilio va-*
Psal. 25. *nitatis, & cum facinorosis non introibo: Odio habui cu-*
riam nequissimorum, & cum impiis non sedebo. Legant
quales in se temporibus suis in illo populo tolerauit,
qui vnctionis mystico sacramento tantum honorem
detulit, vt id nec in sceleratissimo Saule cõtemneret,
imò tãtum veneraretur, vt amplius omnino non [illegible]
[illegible]sset. Nónne si eorum verba factis eorum obiiceremus,
responderent nobis, nos planè cum talibus nullum ha
buimus in corde consortium, nec tangebamus im- Romian. 2.
mundum, vbi potest coinquinari contactus: id est, con
sensione atque placito conscientiæ recedebamus, &
exibamus ab eis, qui non solum talia non faciebamus,
sed nec facientibus tacebamus. Isti autem seditiosi &
insani, qui defensiones præcisionis suæ quærunt ex o-
raculis Prophetarum, superest vt impietate vesana de
verbis propheticis mores arguant Prophetarum. An
hoc dicturi sunt quòd illis temporibus recedere iustis
à malo populo non licebat, istis verò temporibus licet.
Quid dici peruersius potest, illo tempore non potuis-
se bonos à malis corporaliter separari, quando multa
sacramenta corporaliter obseruari videbantur: nunc
autem necessariam esse corporalem separationẽ, quã-
do iam illa spiritaliter obseruantur? Væ cæcis ducenti-
bus & cæcis sequentibus. Itáne non timent ista di-
centes, ne fortè per tantam latitudinem orbis terra-
rum qua fides Christi nomenque diffusum est, an-
tequam se isti separarent in aliqua parte terrarum ab
Aphricanis regionibus remotissima, iam hoc iusti fe-
cerint, & adhuc isti in immunditiæ, quam illi fugerãt,
contagione viuebant? Quis enim eos cauet, quis eos
securos facit, si huiusmodi à malis separatio facienda
est? An antequam ab istis fieret, nunquam factã fuisse
tam longè, vt Africam omnino nescirent, sicut in ex-
tremis illarum partiũ terris pars Donati prorsus igno-
ta est? Fortasse dicent obesse sibi non potuisse quod
ignorabant. Sic ergo & illis terris obesse non potest
quod gestum in Africa ignorant, etiam si vera isti di-
cerent, quæ de Afrorum criminibus mentiuntur. Si
autem dicunt latere se non potuisse, si fieret, modò di-
cant per omnes orbis terræ partes, quod schisma factũ
sit. Nimium est quod interrogo. In ipsa Africa dicant
Donatistæ Carthaginienses, vel quicunque sunt in
ciuitate Carthaginis, quot partes per Numidiam &
Mauritaniam factę sint de ipsa parte Donati, quarum
omnium causas vtique nosse deberent, ne fortè iusti
aliqui in regionibus illis malorum suorũ societatem
congregationemque vitauerint, & exierint inde, ne
immundum tangerent, ne cum facinorosis introirent,
ne fortè isti iam ante aliquot annos in aliquo angulo
Numidiæ vel Mauritaniæ separantibus se frumentis
palea remanserint & nesciunt. Sed vnde securi sunt,
nisi quia certum habent bonos esse non potuisse, qui
se ab vnitate cõmunionis Donati, quę per totam Afri-
cam diffunditur, segregarunt? Quia si malos aliquos
in sua vicinitate patiebantur, quos ostendere cæteris
non valebant, eos tolerare potius debuerunt, quàm di
uidere se à tot innocẽtibus, quibus persuaderi non po-
terant aliena peccata etiam si ea ipsi optimè nossent.
Cur ergo hæc innocentia non tribuitur orbi terrarum
in tanta multitudine gẽtium, quacunq; Christi hęre-
ditas patet, vt certa atque secura sit, eos qui se bonos
D dicunt, & se ab omnis terræ vnitate seiungunt, eo ipsò
demonstrare quales sint? Sibi enim iusti videntur, &
spernunt cæteros, & ideo non cantant canticum no-
uum, quia de superbia veteris hominis extollũtur. Ab
ea quippe cõmunione separantur cui dictum est, Can- Psal.
tate Domino canticum nouum, cantate Domino o-
mnis terra. Qui si verè iusti essent, & humiles essent: si
autem humiles essent, etiam si verè malos in suæ vici-
nitatis congregatione paterẽtur, quos ab vnitate Chri
sti expellere non valerent, charitate Christi tolerare
diligerent. Quo[illegible]odo autem possunt de iis ipsis quos
in sua vicinitate malos arguunt, iustum habere iudi-
cium, cùm temeraria cæcitate tam longè à se [illegible]
ignotissimos criminantur? Vtrum enim [illegible]
[illegible]el vicinos quos arguunt, malos esse n[illegible]
[illegible] orbi terrarum: quia verò ab eis q[illegible]
gè positorum nosse non possunt

ſeparentur,certum eſt orbi terrarum. Et quia cum lau A de patientiæ mali tolerantur,ne ignoti boni damnentur,certum eſt orbi terrarum. Quapropter ſecurus iudicat orbis terrarum bonos non eſſe, qui ſe diuidunt ab orbe terrarum in quacunque parte terrarum. Poſtremò ſi prophetæ poſteros monuerunt vt ſe ante tẽpus vltimæ ventilationis à paleis corporaliter ſepararent,& tali ſeparatione cauerent tangere immundũ, & cum facinoroſis non introirent, cur hoc non fecit

Philip. 2. apoſtolus Paulus? An palea non erant qui non ex veritate, ſed ex inuidia Chriſtum annunciabant? An immundi non erant qui non caſtè Euangelium prædicabant? Hos in illis temporibus eccleſia fuiſſe teſtatur, cuius excellentiſſimam charitatem omnia tolerantẽ, etiam poſteriores imitati ſunt. An immunditia, an etiam auaritia? Quam Cyprianus corde non tetigit, & tamen inter auaros collegas pacatiſſimè vixit. Non enim obſurduerat aduerſus verba Pſalmorum, vt ſederet in cõuenticulo vanitatis, & cum facinoroſis introiret: odio non haberet curiam malignorũ, & cum B impiis non ſederet. An non erat conuenticulum vanitatis in eis, qui eſurientibus in eccleſia fratribus largiſſimo argento nitere cupiebant? An non erant facinoroſi qui fundos inſidioſè fratribus rapiebãt? An nequiſſimi & impij non erant, qui vſuris multiplicantibus fœnus augebant? Ille verò lauabat manus ſuas cũ innocentibus, & circumdabat altare Domini. Ideo quippe tolerabat nocentes, ne deſereret innocentes cum quibus manus lauabat, quia diligebat ſpeciem domus Domini, quæ ſpecies in vaſis honorabilibus

2. Tim. 2. fuit. In magna autem domo non ſolùm vaſa ſunt aurea & argentea, ſed & lignea, & fictilia. Et illa quidem ſunt in honorem, illa verò in contumeliam. Et mundabat ſemetipſum ab huiuſmodi, vt eſſet etiam vas in honorem ſanctificatum, vtile Domino ad omne opus bonum paratum, nec propter vaſa quę erant in contumeliam ſe à magna domo ſeparabat, ſed eos in vnitate illius domus arguens tolerabat, à quibus ſe non imitando mundabat.

C

CAP. V. Pſalm. 25. SED nouit ponere Parmenianus verba prophetæ dicentis, *Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum facinoroſis non introibo, odio habui curiam malignorum. Lauabo cum innocentibus manus meas, & circumdabo altare Domini, Vt audiam voces laudis, & enarrem omnia mirabilia tua. Domine dilexi ſpeciem domus tuæ, & locum tabernaculi claritatis tuæ. Ne ſimul perdideris cum peccatoribus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam, In quorum manibus delicta ſunt, dextera eorum impleta eſt muneribus.* Nouit hoc ponere Parmenianus, & non curat aduertere quemadmodum his verbis ſine vllo diuiſionis nephariæ ſacrilegio ſeruiatur. Species enim domus & locus tabernaculi claritatis Dei in vaſis eſt, vt dixi, non omnibus, quæ tamen in vna domo magna ſunt, ſed in iis quæ ſunt in honore ſanctificata, D Domino vtilia, ad omne opus bonum ſemper parata. In his quiſquis dilexerit ſpeciem domus Dei, & locũ tabernaculi claritatis eius, tolerat ea quæ ſunt in contumelia, nec propter hoc relinquit domũ, ne fiat ipſe non vas in contumeliam, quod tamen in domo toleratur, ſed ſtercus quod de domo proiicitur, & propter ipſam temporalem cum malis in vna domo congregationem orat dicens, Ne ſimul perdideris cum peccatoribus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam: In quorum manibus delicta ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus. Hoc ~tique orat, ne ſimul pereat cum iis cum quibus eum ſimul viuere charitas quia tolerans hortatur, cuius ſacrificium præ- [illegible] Domine dilexi ſpeciem domus tuæ, & [illegible]culi claritatis tuæ. Quia enim dilexi [illegible], & propter ipſam dilectionem to- [illegible]n contumeliam, quia charitas omnia tolerat, ne ſimul cum eis perdideris animam meam. Nónne apparet in his verbis vox illorum qui per Ezechielem prophetari ſunt gemere & mœrere Ezech. 9. ob iniquitates populi quæ fiebant in medio eorum? Et quia erant vaſa in honorem, proprium ſignum accipere meruerunt, vt cùm illi omnes inciperent vaſtari atque deleri, Deus non perderet cum peccatoribus animas eorum. Illi autem ſunt infelices, qui ſe ab omni malorum congregatione tanquam triticum à paleis purgatum eſſe præſumunt. Per iſtam enim vanitatem prejudicarunt ſibi, vt in populis quibus preſunt, iniquiſſimas & flagitioſiſſimas turbas non audeãt corripere vt corrigantur, ne per hoc cogantur confiteri quia mali ſunt, & dicatur eis, Certè tritico purgato loquimini, Cur per has voces tantam commixturam eſſe fatemini? Et ideo quia iuſti non ſunt, non emendãt & arguunt in miſericordia, ſed oleo adulationis impinguant capita eorũ, quibus ipſi capita eſſe volunt, quoniam ſub vno capite quod in cælo eſt in vnitate corporis, quod per totam terram eſt, eſſe nolunt, vt merito plebibus eorum dicatur, Qui vos feliceſ dicunt, in Eſaia 3. errorem vos mittunt, & conturbant ſemitas pedum veſtrorum. Qui ergo non vult ſedere in concilio vanitatis, non euaneſcat typho ſuperbiæ, quærens conuenticula iuſtorum totius orbis vnitate ſeparata, quæ non poteſt inuenire. Iuſti autem ſunt per vniuerſam ciuitatem, quæ abſcondi non poteſt, quia ſupra montem conſtituta eſt. Montem illum dico Danielis, in Danielis 2. quo lapis ille præciſus ſine manibus creuit, & impleuit vniuerſam terram. Per totam igitur iſtam ciuitatem toto orbe diffuſam, iuſti gemunt & mœrent ob iniquitates quę fiunt in medio eorum. Non ergo quęrat quis ſeparatos iuſtos, ſed cum ipſis potius in malorum temporali commixtione cõcorditer gemat. Non enim ſedebit in conuenticulo vanitatis, quia ibi ſedebit vbi conuerſatur. Audiet autem dicentem Apoſtolum, Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt. Ibi cum Philip. 3. facinoroſis non erit, ibi curiam nequiſſimorum non C patietur, ibi cum impiis non ſedebit. In tali ſpe habitabit, vt ad rem cuius habet ſpem peruenire aliquãdo mereatur. Non enim iam reſurreximus ſicut Chriſtus, aut iam cum illo ſedemus in cælestibus, & tamen quia talem ſpem nobis dedit, & per ipſam ſpem iam quodammodo ibi conuerſamur, dicit Apoſtolus, Si autem reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcõdita eſt cum Chriſto in Deo. Coloſſ. 3. In illa vita noſtra quæ abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, non ſedemus in conuenticulo vanitatis, quia ſicut dicit Apoſtolus, Simul nos excitauit, & ſimul nos Epheſ. 2. ſedere fecit in cælestibus, ſed in ſpe, nõdum in re. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Quod enim quis vi- D det, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus. Quam patientiam iſti miſeri perdiderunt, & feſtinantes ſe ante tempus velut à palea ſeparare, ſeipſos leuiſſimam paleam vento ablatam de area demonſtrarunt. Quod ergo ait ſapientia teneamus, Qui autem me audierit, habitabit Proverb. 1. in ſpe, & ſilebit ſine timore ab omni malignitate. Dũ ergo habitamus in ſpe, cogitemus, non quod ſumus, ſed quod erimus: quia filij quidem Dei ſumus, ſed nõdum apparuit quod erimus: quia cùm apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. In tali ſpe habitantes, quia hæc habitatio non habet malos, nec conuenticula vanitatis, nec facinoroſos, nec iniquos, nec impios patimur, & eos tamen non in ſpe quæ non videtur patimur in cõgregatione catholica toto orbe diffuſa, donec tranſeat iniquitas, donec [illegible] meſſis zizania colligantur, donec vltimo vẽ- Matthei 13. [illegible]oro à frumento palea ſeparetur, donec piſces boni à piſci-

Matth. 25. à piſcibus malis, cum quibus intra eadem retia congregati ſunt, in litore eligãtur, donec hædi ab ouibus, cum quibus ſub vno paſtore in eiſdem paſcuis tamdiu pauerunt, in vltimo ad ſiniſtram ſegrẽgẽtur. Nulla eſt igitur ſecuritas vnitatis, niſi ex promiſſis Dei eccleſia

Matthei 5. declarata, quæ ſuper montem, vt dictum eſt, conſtituta abſcondi non poteſt: & ideo neceſſe eſt vt omnibus terrarum partibus nota ſit. Inconcuſſum igitur firmumque teneamus, nullos bonos ab ea ſe poſſe diuidere: id eſt, nullos bonos etiam ſi cognitos ſibi malos patiantur, vbicunque verſantur propter eos ſe à longè poſitis & incognitis bonis temerario ſchiſmatis ſacrilegio ſeparare: & in quacunque parte terrarum vel facta ſunt iſta, vel fiunt, vel futura ſunt, cęteris terrarum partibus longè poſitis, & vtrum facta ſint, vel cur facta ſint ignorãtibus, & tamen cum orbe terrarum in vnitatis vinculo permanentibus, ea ipſa ſit firma ſecuritas, non hoc potuiſſe facere, niſi aut ſuperbiæ tumore furioſos, aut inuidentiæ liuore veſanos, aut ſæculari B commoditate corruptos, aut carnali timore peruerſos. Quibus omnibus cauſis efficitur, vt vel boni falſis criminibus infamentur, vel temerè de bonis falſa credantur, vel etiam mali qui pro vnitatis vinculo tolerati nihil obſunt bonis, dirupta bonorum pace peruerſiſſimè fugiantur, cùm vexationi frumentorum non parcitur, vſurpantibus ſibi hominibus ante meſſem, quod angeli in meſſe facturi ſunt.

CAP. VI. Hæretici martyrum gloriã ſi quid patiuntur, ſibi vendicant. QVÆ cùm ita ſint, audent ſacrilega ſchiſmata vel hæreſes impiæ, ſi quando in flagello vt ſe corrigãt admonentur, pœnas furoris ſui etiam inter martyria deputare. Quod exiſtimans etiam Parmenianus, in fine epiſtolæ ſuæ exhortatur Ticonium, vt in parte Donati permaneat & perſecutiones perferat, dicens *non ſe debere voluntate coniungi eis, quibus perſecutione cogente non iuncti ſint*, adhibens etiam teſtimonium ſcripturæ

Baleſ. 2. dicentis, *Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam, & diuerterunt in viias prauas. Et quid facient cùm inſpicere cœperit eos Dominus?* more ſuo cũcta de diuinis libris aduerſus ſeipſos proponentes. Qui enim ſuſtinentiam perdiderunt, niſi qui eos de criminibus quæ obiiciebant conuincere nequiuerunt, quos pro pace Chriſti tolerare noluerunt, vt ſerò poſtea cogitantes, ipſam partem ſuam non eſſe per multas particulas diuidendam, etiam ſibi manifeſtiſſimos ſacrilegos quos ipſi damnarunt rurſus receptos, pro falſa Donati pace tolerarunt? Et nunc iam tandem aliquando cognoſcant & corrigant ſe, qui ſe impiè feciſſe ex eo ſaltem quod à Maximiano paſſi ſunt, didicerunt. Sed ſi licet erubeſcant manifeſtiſſimis rationibus corrigi, quia imperatorum iuſſionibus reſtiterunt, ne illa quæ ſe conqueruntur fuiſſe perpeſſos, correcti perdidiſſe videantur: quaſi non melius perdunt illa, quàm pereunt. Si enim habent aliquam vmbram, quamuis falſam atque fallacem, tamen nonnullam imaginem fortitudinis, iubenti non cedere imperatori: cuius vel humanæ lau- D dis illecebra eſt, apertiſſimæ cõtradicere veritati? Cur clauſis oculis tam multa de ſcripturis teſtimonia proferunt, quæ intellecta atque prolata contra ſe repudiant, quæ ſi ſecundum eorum intellectum recipiantur, nihilominus eos de ſua peruerſitate conuincunt?

Baleſ. 4. Nónne ſcriptum eſt, Non contradicas vllo modo veritati? Cui autem niſi veritati cõtradicitur, cùm etiam regi ex veritate aliquid iubenti reſiſtitur? Sed rex homo qui minatur vel qui vindicat, ad tempus moleſtus eſt: non ſic ille rex qui etiam veritas dicitur, qui nunc quoque illis per prophetam clamat, Sine cauſa percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt. Qui propterea per humanas poteſtates nunc miſericorditer admonet, ne in fine ſic vindicet vt non ſe paſſint ſuperbi de ſua damnatione iactare. Sub vindicta en[illegible] regum poteſt hominum pertinacia falſo nomine vir- A tutis velle laudari; æternis autem ignibus concremari, nec erit, nec vocabitur fortitudo. Non enim erunt in die illa qui caput vngant oleo adulationis, aut varia decepti fallacia coronatos ſomnient damnatos, dicentes, euge, euge: & iurantes per canos eorum, qui caput ſanum non habuerunt, & per compages eorum qui viam pacis non agnouerunt. Quales turbas iſti auertentes à Chriſti vnitate, & ad ſuum nomen conuertere cupientes, interim temporalia ſupplicia ſchiſmatis ſui conferre audent paſſionibus martyrum, vt eis pœnarum ſuarum natalitia celebrentur magno conuentu hominum furioſorum: quorum è numero illi ſunt, qui etiam nullo perſequente, ſeipſos vltro per montium abrupta præcipitant, vt malam vitã peiore morte conſumment. Non erunt in die illa ſtultæ plebes quibus dicãt, nos ſumus iuſti qui patimur perſecutionem, & cæcis vẽdatur reprobus lapis pro gemma precioſa, id eſt, carnalis duritia pro ſpiritali patiẽtia. Non B erunt qui nomina principum furoris ſui recitẽt ad altaria, vel quæ ab vnitate Chriſti diuiſerũt, vel quæ ſub nomine Chriſti contra erexerunt. Hęc enim ſunt precia quæ iſti vt accipiant, dum volunt habere quod vẽdant, excitant aduerſum ſe poteſtatum ſeueritatem per animoſam peruerſitatem, ne illi qui ab eis ſeducuntur, & eos propterea iuſtos putant, quia pœnas iniquitatis exoluunt, redeant ad cor, & conſiderent quare & quæ ſe pati gloriantur. Quantum enim erat vt paululum aduerterent talia dicere Parmenianum Ticonio de perferendis perſecutionibus & gloria tolerantiæ, qualia dicunt omnes hæretici, de quibus coercendis vel puniendis, ſimilia regum iuſſa proferuntur, qualia certè Membreſitanis ſuis dicit etiã Saluius, cui tantas Abitinenſes plagas & contumelias intulerunt, per quos iſti meruerãt vt de eccleſia pelleretur, vt eius ceruici etiam mortuorum canum cadauera colligarent, vt poſtremo cum illo ad turpes voces cantatio- C neſque ſaltarent. Quem ſermonem poſteaquam tanta perpeſſus eſt, eum putamus habuiſſe cum ſuis, quos miſeros decepit vt alteram ſibi baſilicam fabricarent? Quanta dixit de iuſtitia pro qua talia perpeti meruit: ideo ſe ſanctum perſuadens, quia paſſus eſt: ideo illos iniquiſſimos, quia fecerunt. Thuſcorum tyrannorum commemoratur antiqua crudelitas, qui mortua viuis, Virgil. lib. 8. Aeneid. ſed humana humanis corpora coniungebant; canina verò humanis, & hæc epiſcopalibus membris, neſcio vtrum quiſquam ſe vel audiſſe vnquam vel legiſſe cõmemorat. Notum eſt omnibus nugaces & turpes ſaltationes ab Epiſcopis ſolere compeſci. Quis vnquam meminit ab hominibus quos in auxilium Epiſcopi petierunt, cum Epiſcopis eſſe ſaltatum? An fortè Saluius tunc non erat Epiſcopus, quando damnatio eius in Bagaienſis concilij ſententia recitata eſt? Quod ſi & ipſe poſtea reconciliaretur Primiano, ſicut ei reconciliatus eſt Felicianus, eiuſdem plenarij concilij veridico ore damnatus, ſicut ibi eorum verba recitantur, tunc D eſſet Epiſcopus. An fortè iam non admittetur, quia quaſi ſacrilegium ſchiſmatis, quem coinquinauerit, poteſt mundari, ſicut Felicianus: quẽ verò canes mortui collo ſuſpenſi immundum fecerint, non poteſt expiari? Vellem ſcire quid ad hæc dicant, tam manifeſta, tam publica, tam recentia, qui nobis antiquas calumnias ſuas quaſi crimina noſtra obiiciunt. Quiſquis eorum arbitratur me falſa iactare, quid magnum eſt, quid difficile, vt animæ ſuæ curã gerens pergat Membreſam, quærat an [illegible]acta ſint iſta, & defendat, ſi poteſt. Si enim dicit iſta rectè ſchiſmatis cauſa fieri, quos trecenti & decem Do[illegible]atiſtæ epiſcopi damnauer[illegible] murmurent quando aliqua patiuntur: [illegible]uis paſſi ſint quos ab vnitate Chriſti ſchiſma [illegible]ſie, non tre- [illegible]ntorum & decem, ſed totius orbis [illegible]uthoritate con- [illegible]uincimus. Si autem dicit leuia eſſ[illegible] quæ paſſus eſt Saluius,

Donatiſtæ per canos & compages pueri dominum ſuorum in raſſe videbãtur.

Eorundem natalitia celebrantur.

Donatiſtæ nomina principum ſuorum ad altare recitabant.

Se in Mauritania quo modo à Donatiſtis [illegible]

uius, quæro vtrum, si aliquem Donatistarum episcoporum saltare cogeret Imperator, & nolenti facere, bestias, ignesque minaretur, non mallet illa perpeti quàm illud admittere: & cùm passus esset, vtrum non eum isti inter martyres recitarent? Grauiora ergo passus est Saluius cum quo saltatum est, quàm si viuus arsisset. Nam si cuiquam eorum hæc duo proponerentur, vtrum mallet non ipse saltare, sed saltari secum, quàm viuus incendi, quid eum electurum esse respondeant? Si autem dicit nihil aliud impetrasse à proconsule Primianistas, nisi vt per Abitinenses Saluius de basilica pelleretur, illos autem sua sponte fecisse quicquid ei postea crudeliter turpiterque fecerunt: cur non sibi dicit sic etiam posse catholicos nihil aliud ab imperatoribus petere, nisi vt isti de basilicis quas nomine sacrilego retinent excludantur? Illos autem sua sponte regia potestate & honestate seruata in sacrilegos multò mitius quàm Abitinenses nulla imperiali lege, nulla iudiciaria iussione, in Membresitanum Saluium vindicarunt. Quibus rebus consideratis, prius quid faciant, & postea quid patiantur aduertant, ne cùm aduersus facta sua oculos claudunt, & ad pœnas suas oculos aperiunt, & hic frustra temporalia patiantur, & in vltimo iudicio Dei etiam pro hoc ipso quòd frustrà eos talibus molestiis vt emendaret admonuit, æterno supplicio puniantur. Non vetera replico, vbi fallunt quos possunt: breuiter dico, præsentia ingero, digito ostendo. Damnati Maximianistæ recipiuntur, ignotæ gentes arguũtur. Maximianistarum baptismus acceptatur, orbis terrarum baptismus exufflatur. Ecce Assuritani, ecce Mustitani, ecce non longè mortuus Prætextatus, ecce adhuc viuus Felicianus, ecce nomina eorum inter damnatos Bagaiensi concilio gestis proconsularibus allegata, talibus recentibus & præsentibus factis, quales ab initio fuerint, satis indicant. Si quid pro huiusmodi aduersitatibus & iniquitatibus patiuntur, si nolunt corrigi, saltem non audeant gloriari.

FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI, DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS, LIBRI SEPTEM.

Ex Retract. lib. 2. cap. 18.

CONTRA *Donatistas authoritate beatissimi episcopi & martyris Cypriani se defendere molientes, septem libros de baptismo scripsi; in quibus docui nihil sic valere ad refellendos Donatistas, & ad eorum prorsus ora claudenda, ne aduersus catholicam Ecclesiam suum schisma defendant, quo modo literæ factumq; Cypriani. Vbicunque autem in his libris commemorauì Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, non sic accipiendum est quasi iam sit, sed quæ præparatur vt sit quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias & infirmitates membrorum suorum, habet vnde quotidie tota dicat: Dimitte nobis debita nostra. In quarto libro cùm dicerem vicem baptismi posse habere passionem, non satis idoneum posui illius latronis exemplum, quia vtrum non fuerit baptizatus incertum est. In libro septimo de vasis aureis & argenteis in domo magna constitutis, sensum Cypriani secutus sum, qui hæc accepit in bonis, in malis autem lignea & fictilia, ad illa referens, quod dictum est, Alia quidem in honorem; ad hæc autem quod dictum est, Alia verò in contumeliam. Sed magis approbo quod apud Ticonium postea reperi vel aduerti, in vtrisque intelligendum, quædam in honorem, non sola scilicet aurea & argentea, & rursum in vtrisque quædam in contumeliam non vtique sola lignea & fictilia. Hoc opus sic incipit,*

Ep. l. c. 17. & lib. 3. cap. 18. & lib. 4. cap. 3. 4. & 10.

Matth. 6. Cap. 22.

Luca 23.

Cap. 5. 2. Timot. 2. Lib. 3. epist. 3. & lib. 4. epist. 2.

LIBRI PRIMI
CAPVT I.

Lib. contra Parmen. 1. cap. 1. 4.

IN eis libris quos aduersus epistolã Parmeniani, quam dedit ad Ticonium, scripsimus; promisimus nos diligentius quæstionem baptismi tractaturos: quod etiam si non ibi promitteremus, debitum tamen à nobis flagitantibus fratribus meminimus agnoscimus. Quapropter in hoc opere adiuuante Domino suscepimus non solum ea refellere quæ de hac re rũt; sed etiam de beatissimi martyris Cypriani authoritate, vnde suam peruersitatem ne veritatis impetu cadat, fulcire conantur, quæ Dominus donauerit dicere: vt intelligant omnes qui non studio partium cæcati iudicant, non solùm eos non adiuuari authoritate Cypriani, sed per ipsam maximè conuinci atque subuerti. Iam quidem in suprà memoratis libris dictum est ita posse extra catholicam communionem dari baptismum, quemadmodum & extra eam potest haberi. Nullus autem illorum negat habere baptismum etiam apostatas, quibus vtique redeuntibus & per pœnitentiam conuersis, dum non redditur, amitti non potuisse iudicatur. Sic & illi qui per sacrilegium schismatis ab ecclesiæ communione discedunt, habẽt vtique baptismum, quem priusquam discederẽt acceperunt. Nam & ipsi si redeant, non eis iterum datur; vnde ostenditur illud quod acceperant in vnitate positi, non potuisse amittere ab vnitate separatos. Quod si haberi foris potest, etiam dari cur non potest? Si dicis, non rectè foris datur: respondemus, sicut non rectè foris habetur, & tamen habetur; sic non rectè foris datur, sed tamen datur. Sicut autem per vnitatis reconciliationem incipit vtiliter haberi, quod extra vnitatem inutiliter habebatur: sic per eandem reconciliationẽ incipit vtile esse, quod extra eam inutiliter datum est. Non tamen dici fas est, non datum esse quod datum est; aut vt non hoc dedisse quisquã calumnietur, cùm hoc eum dedisse quod acceperat confitetur. Sacramentum enim baptismi est quod habet qui baptizatur. Et sacramentum dandi baptismi est quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus si ab vnitate recesserit, sacramentum baptismi non amittit; sic etiam ordinatus, si ab vnitate recesserit, sacramentum dandi baptismi non amittit. Nulli enim sacramentum iniuria facienda est: si discedit à malis, vtrunque discedit; si permanet in malis, vtrunque permanet. Sicut ergo acceptatur baptismus quem non potuit amittere ab vnitate discesserat; sic acceptandus est baptismus quẽ dedit ille qui sacramẽtum dandi cum discederet non amiserat. Nam sicut redeũtes qui priusquã recederent baptizati sunt, non rebaptizantur; ita redeuntes qui priusquam recederent ordinati sunt, non vtique rursus ordinantur, sed aut administrant quod administrabant, si hoc ecclesiæ vtilitas postulat; aut si non administrant, sacramentum ordinationis suæ tamen gerunt; & ideo eis manus inter laicos non imponitur: Nam neque sacramentũ baptismi, neque sacramentũ dandi baptismi, quando ab eis cum Maximiano discessit, Felicianus amisit. Nunc enim eum secum habẽt cum eisipsis, quos cùm foris esset, in Maximiani schismate baptizauit. Quapropter potuerũt ab eis accipere cæteri, cùm ad nostrum cõsortium non accessissent, quod illi non amiserant, cùm à nostro cõsortio recessissent. Quibus rebus ostẽditur & ipsos impiè facere qui rebaptizare conantur orbis vnitatẽ, & nos rectè facere, qui Dei sacramenta improbare nec in ipso schismate audemus. In quo enim nobiscum sentiunt, in eo etiam nobiscum sunt. In eo autẽ à nobis recesserunt, in quo à nobis dissentiũt. Non enim accessus iste atque discessus corporalibus motibus, & non spiritalibus est metiendus. Sicut enim cõiunctio corporum fit per continuationẽ locorũ, sic animorum quidam cõtactus est cõsensio voluntatum. Si ergo qui recessit ab vnitate aliquid aliud agere voluerit, quàm quod in vnitate percepit, in eo recedit atque disiungitur. Quod autem ita vult agere sicut in vnitate agitur, vbi hoc accepit & didicit, in eo manet atque coniungitur.

De conf. dist. 4. cap. Nulla autem.

De conf. dist. 4. cap. Ostenditur.

CAP. II. Baptismus extra ecclesiã acceptus.

ITAQVE isti in quibusdam rebus, nobiscum sunt, in quibusdã verò à nobis exierunt. Proinde illa in quibus nobiscũ sunt, eos agere non vetamus. In quib⁹ autem nobiscum non sunt, vt veniendo accipiãt, vel redeundo recipiãt, adhortamur & quibus modis possumus vt id eligant emendati atque correcti, cum charitate satagimus. Non eis itaq; dicimus, nolite dare: sed, nolite in schismate dare. Nec eis quos videntur baptizaturi dicimus, nolite accipere: sed, nolite in schismate accipere. Nam si quem fortè coegerit extrema necessitas, vbi catholicũ per quem accipiat non inuenerit, & in animo pace catholica custodita, per aliquem extra vnitatem catholicã positum acceperit, quod erat in ipsa catholica vnitate accepturus, si statim etiam de hac vita migrauerit, non eum nisi catholicũ deputamus. Si autẽ fuerit à corporali morte liberatus, cùm se catholicæ congregationi etiam corporali præsentia reddiderit, vnde nunquam corde discesserat, non solũ non improbamus quod fecit, sed etiã securissimè verissimèque laudamus: quia præsentem Deum credidit cordi suo, vbi vnitatẽ seruabat, & sine sancti baptismi sacramento, quod vbicunque inuenit, non hominum sed Dei esse cognouit, noluit ex hac vita migrare. Si quis autẽ cùm possit in ipsa catholica accipere, per aliquam mentis peruersitatem eligit in schismate baptizari, etiam si postea venire ad catholicã cogitat, quia certus est ibi prodesse sacramentum, quod alibi accipi quidem potest, prodesse autẽ non potest: proculdubio peruersus & iniquus est, & tanto perniciosius quanto scientius. Ita enim non dubitat rectè illic accipi, sicut non dubitat illic prodesse etiam quod alibi acceperit.

24. q. 1. cap. Si quẽ forte. In extrema necessitate etiam ab hæretico vel schismatico accipi baptismus potest.

CAPVT III.

DVO sunt enim quæ dicimus, & esse in catholica baptismum, & illic tantum rectè accipi: vtrunque horum Donatistæ negant. Item alia duo dicimus, esse apud Donatistas baptismum, non autem illic rectè accipi. Horum duorum illi vnum magnopere affirmãt, id est, esse ibi baptismum; non autem illic rectè accipi, nolunt fateri. Harum quatuor sententiarũ tres nostræ tantum sunt, vnam verò vtrique dicimus. Nam esse in catholica baptismum, & rectè illic accipi, & apud Donatistas non rectè accipi, nos tantum dicimus: esse verò baptismum & apud Donatistas & illi asserunt, & nos cõcedimus. Qui sanis ergo vult baptizari, & certus est iam sibi nostram ecclesiam ad Christianam salutẽ esse diligendam, & in ea sola prodesse baptismum Christi, etiam si alibi acceptũ fuerit: sed ideo in parte Donati vult baptizari, quia esse ibi baptismũ non illi soli neq; nos soli, sed vtrique dicimus, attendat alia tria. Si enim nos eligit sequi in iis quæ illi non dicunt, ea verò quæ vtrique dicimus, præponit his quæ nos soli dicimus: satis est nobis quòd ea quæ illi non dicunt, & nos soli dicimus, præponit eis quæ illi soli dicunt. Esse autem in catholica baptismũ, nos dicimus, illi non dicunt. Rectè accipi in cathiolica baptismũ, nos dicimus, illi non dicunt. Non rectè accipi in parte Donati baptismum, nos dicimus, illi non dicũt. Sicut ergo id potius credit quod nos soli dicimus esse credendũ; ita hoc potius faciat quod nos soli dicimus esse faciẽdum. Quod autẽ vtrique esse credendum dicimus, hoc si ita putat, robustius credat, quàm id quod à solis nobis dicitur. Robustius enim crediturus est esse baptismum Christi in parte Donati, quod ab vtrisq; nostrum dicitur, quàm esse baptismũ in catholica, quod à solis catholicis tantummodo dicitur. Sed rursus magis crediturus est esse baptismum Christi etiam apud nos, quod nos soli dicimus: quàm non esse apud nos, quod illi soli dicunt. Iam enim decreuit & certus est, in quibus dissentimus nos illis esse præponendos. Ita ergo quod nos soli dicimus, rectè apud nos accipi magis crediturus est, quàm non rectè apud nos accipi, quia hoc illi soli dicunt. Eadem regula quod nos soli dicimus, non rectè apud illos accipi magis crediturus est, quàm id quod illi soli dicunt, id est, rectè apud illos accipi. Frustra itaque sibi videtur securus ibi accipere, quod esse quidem ibi vtrique dicimus, sed ibi esse accipiendum non vtrique dicimus. Elegit autẽ ipse in eo quod non vtrique dicimus, nobis potius inhærere. Hic ergo securus accipiat, vbi & esse & accipi rectè certus est; illic autem non accipiat, quod esse quidem ibi dicunt, sed ibi accipiendum esse non dicunt, quorum sententiam decreuit eligere: quanquam etiam si dubium haberet, non illic rectè accipi quod in catholica rectè accipi certum haberet, grauiter peccaret in rebus ad salutẽ animæ pertinentibus, vel eo solo quòd certis incerta præponeret. Rectè quippe hominem in ecclesia catholica baptizari eo ipso certus est, quòd etiam alibi baptizatus huc transire decreuit. Non rectè autem apud Donatistas hominem baptizari, saltem incertũ habeat, cùm hoc illi dicant, quorum sententiam Donatistis anteponendam esse certum habet: & incertis certa præponendo hic baptizetur, vbi propterea certus est rectè fieri, quia & cùm alibi aliter facere cogitabat, huc trãseundum esse decreuerat.

24. q. 1. cap. Si quẽ forte.

CAPVT IIII. Qui sciens schismaticis accipit sacramentum. Contra Parmen. lib. 2. cap. 13.

IAM verò si quis non intelligit quomodo fieri possit, vt quod ibi esse confitemur, non ibi rectè dari dicamus; illud attendat: quia nec rectè ibi esse dicimus, quod & illi dicunt in his qui ab eorum communione discedunt. Intueatur etiam similitudinẽ notæ militaris, quia extra militiam à desertoribus & haberi & accipi potest; sed tamen extra militiam nec habẽda nec accipiẽda est, & reducto vel perducto ad militiam nec mutanda nec iteranda est. Veruntamen & alia causa est eorum qui in istos hæreticos imprudenter incurrunt, ipsam esse Christi ecclesiam existimãtes: alia eorum qui nouerunt non esse catholicam ecclesiam, nisi eam quæ sicut promissa est, toto terrarum orbe diffunditur & extenditur vsque ad fines terræ, quæ crescens inter ziza^nia & in tædio scandalorum requiẽ futuram desiderãs, dicit in Psãlmis, A finibus terræ ad te clamaui dũ tædaret anima mea, in petra exaltasti me. Petra autem erat Christus. In quo nos i^ reli^ta tos & in cælo cõsidentes dicit Aposte^ ,nondũ in re sed in spe. Ideoq; sequitur Psalmu^ & dicit, Deduxisti me, quia factus es spes mea, tu^ is fortitudinis à facie inimi-

Psal. 60.

Ephe

inimici. Ex illis quippe promissionibus tanquam telis & iaculis in turri munitissima constitutis, non solum cauetur, sed etiam expugnatur inimicus, induens lupos suos pellibus ouium, vt dicant, Ecce hic est Christus, ecce illic: & ab vniuersitate ciuitatis super montem constitutæ, ad particulas insidiarum suarum multos separent, & iugulatos absumant. Et cùm hoc nouerint, eligunt extra communionem vnitatis corporis Christi accipere baptismum Christi, ad eandem communionem cum eo quod alibi acceperint postea migraturi. Scientes enim habituri sunt aduersus ecclesiam Christi baptismum Christi, vel eo ipso die quo accipiunt. Quod si sceleratum est, quis est qui dicat, permittatur mihi vno die scelus admittere? Si enim transiturus est ad catholicam, quæro causam. Quid aliud responsurus est, nisi quia malum est esse in parte Donati, & non esse in catholica vnitate? Hoc igitur malum quot diebus feceris, tot dierum malum facturus es, & dici potest maius malum fieri plurium dierum, minus autem paucorum, nullum autem malum fieri dici non potest. Quid autem opus est hoc tã execrabile malum vel vno die, vel vna hora committere? Hoc enim qui sibi concedi vult, potest ab ecclesia vel ab ipso Deo petere, vt sibi vel vno die apostatare concedat. Nam cur vnius diei esse apostata timeat, & vnius diei esse schismaticus hæreticúsue non timeat, nulla causa est.

Matt. 7. & 24.

CAP. V. ILLIC, inquit, accipere malui, vbi baptismũ Christi esse vtrique consentiunt. Sed illic non rectè accipi illi ad quos migraturus es dicunt. Rectè verò illic accipi illi à quibus migraturus es dicunt. Illud itaque quod hi dicunt, quos postponis contradicentibus illis quos ipse anteponis, aut falsum est, aut, vt mitius dicatur, incertum. Vera ergo falsis, aut incertis certa præpone. Illic enim quò migraturus es cùm alibi acceperis, rectè posse accipi quod desideras, non illi tantum ad quos transiturus es, sed tu ipse qui transiturus es confiteris. Si enim vtrum rectè illic posset accipi dubitares, etiam illuc trãseundum esse dubitares. Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum: quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potius accipere, vbi certum est non esse peccatum? Illi verò qui per ignorantiam ibi baptizantur, arbitrantes ipsam esse ecclesiam Christi, in istorum quidem comparatione minus peccant: sacrilegio tamen schismatis vulnerantur: non ideo non grauiter quod alij grauius. Cùm enim dictum est quibusdam, Tolerabilius erit Sodomis in die iudicij quàm vobis: non ideo dictum est, quia Sodomitæ non torquebũtur, sed quia illi grauius torquebuntur: quanquam hoc fuerat fortasse occultum aliquando & incertum. Vnde autem sanantur hi qui aduertunt & corriguntur, inde grauãtur hi qui cùm iam ignorare non permittũtur, in perniciem suam pertinaciter sæuiunt. Damnatio quippe Maximianistarum & receptio damnatorum, cum his quos extra eorum communionem in sacrilegio, sicut concilium eorum clamat, in schismate baptizarunt, totam istam soluit quæstionem, totam contentionem abstulit. Nihil omnino inter nos & eos Donatistas qui Primiano communicant dereliquit, vnde dubitetur non solum haberi, sed etiam dari posse baptismum Christi ab eis qui ab ecclesia separantur. Sicut enim ipsi eos quos Felicianus in schismate baptizauit, verũ baptismum accepisse fateri coguntur, quia eos secum nunc habẽt in ipso baptismo quem in schismate perceperunt: sic nos dicimus baptismum Christi esse etiã extra communionem catholicam, quem dant illi qui ab eadem communione præcisi sunt, quia eum cùm præciderentur non amiserunt. Et quod ipsi se putant contulisse illis, quos Felicianus in schismate baptizauit, cùm eos sibi reconciliauerunt: id est, non vt acciperent quod non habebant, sed vt prodesset eis quod inutiliter in schismate acceperant & habebant: hoc verè confert & præstat Deus per communionem catholicã illis qui veniunt ab aliqua hæresi vel schismate, vbi baptismum Christi acceperũt: id est, non vt baptismi sacramentum incipiant habere quod non habebant, sed vt incipiat eis prodesse quod inutiliter habebant.

Matthæi 11.

CAP. VI. QVAPROPTER inter nos & ipsos quodammodo cardinales Donatistas, quorũ episcopus apud Carthaginem Primianus est, iam de hac re nulla est controuersia. Voluit enim Deus per Maximianistas eam finiri, vt quod charitate suadente nolebant, exemplo suo cogente faterentur. Sed adhuc propterea inde disputamus, ne illi sibi videantur aliquid dicere, qui nec istis communicant, qui apud se potius, quanto pauciores, tanto synceriores Donatistas remansisse contendunt. Qui si Maximianistæ soli essent, nec ipsorum salutem contemnere deberemus. Quanto ergo magis quia eadem pars Donati in multa minutissima frusta conscissa est, quæ omnes minutæ particulæ hanc vnã multo grandiorem, in qua Primianus est, de recepto Maximianistarum baptismo reprehendunt, & singulæ conantur asserere, apud se tantummodo verum baptismum remansisse, nec omnino esse alibi, neque in toto orbe terrarum quà ecclesia catholica expãditur, nec in ipsa grandiore parte Donati, nec in cæteris præter se vnã ex minutissimis partibus. Quæ omnes particulæ si aduertere voluerint vocem non hominis, sed ipsius manifestissimæ veritatis, & animosum spiritum suæ peruersitatis domare, non vtique ad partem Donati maiorẽ, de qua præcisa præcisæ sunt, sed ad ipsam viriditatem radicis catholicæ de uritate propria reuertentur. Omnes quippe isti vbi cõtra nos non sunt, pro nobis sunt; vbi autem nobiscum non colligunt, spargunt.

Pars Donati in multa frusta conscissa est.

CAPVT VII. IAM enim ne videar humanis argumentis agere, quoniam quæstionis huius obscuritas prioribus ecclesiæ temporibus ante schisma Donati magnos viros & magna charitate præditos, patres episcopos ita inter se compulit salua pace disceptare atque fluctuare, vt diu conciliorum in suis quibusque regionibus diuersa statuta nutauerint; donec plenario totius orbis concilio quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur: ex Euãgelio profero certa documenta, quibus Domino adiuuante demonstro, quàm rectè placuerit & verè secundũ Deum, vt hoc in quoquam schismatico vel hæretico ecclesiastica medicina curaret, in quo vulnere separabatur: illud autem quod sanum maneret, agnitum potius approbaretur, quàm improbatum vulneraretur. Certè Dominus in Euangelio dicit, Qui non est mecum, aduersum me est: & qui mecum non colligit, spargit: tamen cùm ad eum discipuli retulissent, vidisse se quendam in eius nomine pellentem dæmonia & prohibuisse, quia cum illis eum non sequebatur, Nolite, inquit, prohibere. Qui contra vos non est, pro vobis est. Nõ potest enim quisquam in meo nomine facere aliquid, & malè loqui de me. Si nihil in illo corrigendum erat, securus ergo sit quisquis extra communionẽ ecclesiæ constitutus colligit in Christi nomine, dissociatus à Christiana societate: atque ita falsum erit illud, Qui non est mecum, aduersum me est: & qui non colligit mecum, spargit. Si autem quod discipuli Domini per ignorantiam facere voluerunt, id in eo corrigendum est quod dixit Dominus, Nolite prohibere: cur hoc ipse prohiberi prohibuit? Et quomodo erit verum quod ibi ait, Qui contra vos non est, pro vobis est? In hoc enim facto non contra eos, sed pro eis erat, vbi per nomen Christi sanitates operabatur. Vt ergo vtraque sententia vera sit, sicuti vera est, & illa vbi ait, Qui non est mecum,

Nicenum concilium intelligit.

Matthæi 12. Cõciliat Matthæum cum Luca.

Luca 9.

Marci 9.

cum, aduersum me est: & qui mecũ non colligit, spargit: & illa vbi ait, Nolite prohibere, qui enim contra vos non est, pro vobis est: quid restat intelligendum, nisi quia ille in tanti nominis veneratione confirmandus fuit, vbi non erat contra ecclesiam, sed pro ecclesia: & illa tamen separatione culpandus, vbi si colligeret spargeret; & si fortè veniret ad ecclesiam, non illud quod habebat ibi acciperet, sed in quo aberrauerat emendaret?

Sana curanda non sunt, sed abscindenda.

CAP. VIII. NEQVE enim & Cornelij gẽtilis hominis orationes non sunt exauditæ, aut eleemosynæ non sunt acceptæ; imò & angelum ad se mitti, & missum meruit intueri, per quem posset vtique sine hominis alicuius accessu cuncta necessaria discere. Sed quoniam quicquid boni in orationibus & eleemosynis habebat, prodesse illi non poterat nisi per vinculum Christianę societatis & pacis incorporaretur ecclesię; iubetur mittere ad Petrum, & per illum discit Christum, per illũ etiam baptizatus, Christiano populo consortio quoque communionis adiũgitur, cui sola bonorum operum similitudine iungebatur. Pernicioſè quippe contemneret bonum quod nondum habebat, superbiens ex illo quod habebat. Sic etiam qui seipsos à societate cæterorum separantes, charitate violata, vnitatis vinculum rumpunt, si nihil faciunt eorum quæ in illa societate acceperunt, in omnibus separati sunt, & ideo quem sibi sociauerint, si venire ad ecclesiam voluerit, debet omnia quæ non accepit accipere. Si verò nonnulla eadem faciunt, non se in eis separauerunt, & ex ea parte in texturæ cõpage detinentur, in cætera scissi sunt. Proinde si quem sociauerint sibi, ex ea parte nectitur ecclesię, in qua nec illi separati sunt. Et ideo si ad ecclesiam venire voluerit, in eo sanatur vbi laniatus errabat. Vbi verò sanus connectebatur, non curatur sed agnoscitur, ne cùm sana curare volumus, potius vulneremus. Itaque illi quos baptizant, sanant à vulnere idololatriæ vel infidelitatis, sed grauius feriũt vulnere schismatis. Idololatras enim in populo Dei gladius interemit, schismaticos autẽ terræ hiatus absorbuit. Et Apostolus, Si habeam omnem, inquit, fidẽ, ita vt mõtes transferam, charitatem verò non habeã, nihil sum. Si quis adducatur ad medicũ in aliqua necessaria parte corporis graui vulnere sauciatus, si dixerit medicus, moritur inde nisi curetur: non opinor illi qui adduxerunt eum, ita desipiunt vt consideratis atque numeratis cæteris membris eius sanis, respondeãt medico & dicant, Ergo ne ista sana tot membra non valent ad eius vitam, & illud vnum vulneratum valet ad eius mortem? Non vtique hoc dicunt, sed curandum offerunt; nec ideo tamen quia curandũ offerunt, medicum rogãt, vt etiam illa quæ sana sunt curet, sed illi vni loco medicinam instãter adhibeat, vnde mors etiam saluis cæteris imminet, & nisi sanetur adueniet. Quid ergo prodest homini vel sana fides, vel sanum fortasse solum fidei sacramentum, vbi letali vulnere schismatis perempta est sanitas charitatis, per cuius solius peremptionẽ etiam illa integra trahuntur ad mortem? Quod ne fiat, non cessat misericordia Dei per vnitatem sanctæ ecclesiæ suæ, vt veniãt & curentur per medicamentum reconciliationis per vinculum pacis. Nec ideo se putent sanos esse, quia dicimus eos habere aliquid sanum; nec rursus putent ideo curandũ esse quod sanum est, quia ostẽdimus aliquid vulneratum. Itaque in sacramẽti sanitate, quia cõtra nos non sunt, pro nobis sunt: in schismatis autem vulnere, quia cum Christo non colligunt, spargunt. Non extollantur ex his quæ habent. Quid tantum per ea quæ sana sunt superbos oculos ducunt? Et vulnus suum dignentur humiliter intueri, nec solum quid assit, sed etiam quid desit attendant.

Sine charitate nihil prodest.

CAP. IX. VIDEANT quàm multa & quàm magna nihil prosint, si vnum quiddã defuerit, & videãt quid sit ipsum vnum. Nec me in hoc audiant, sed Apostolum, Si linguis, inquit, hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs tinnientũ sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & sciero omnia sacramenta, & omnem scientiã: & si habuero omnem fidem vt montes transferã, charitatem autem non habeam, nihil sum. Quid ergo eis prodest si & linguam in sacris mysteriis habeant angelicam: & prophetiam, quemadmodũ Caiphas & Saul, vt aliquando prophetent, quos fuisse damnabiles sancta scriptura testatur. Si sacramenta non tantum sciãt, sed & habeant, sicut habuit Simon magus: si fidem, sicut dæmonia confessa sunt Christum: neque enim non credebant cùm dicerent, Quid nobis & tibi est fili Dei, scimus qui sis: Si dispertiant ipsi etiam substantiam suam pauperibus, sicut multi, nõ solum in catholica, sed in diuersis hæresibus faciunt. Si aliqua ingruẽte persecutione tradant ad flammas nobiscum corpus suum pro fide quam pariter confitentur: tamen quia separati hæc agunt, non sufferentes inuicem in dilectione, neque studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, charitatem vtique non habendo, etiam cum illis omnibus quæ nihil eis prosunt, ad æternam salutem peruenire non possunt.

1. Cor. 13. Iohan. 11. 1. Reg. 18. Act. 8. Matth. 1. Ephe. 4.

Non satis nasci ab ecclesia.

CAP. X. Quæstio Donatist.

SED videntur sibi argutissimè quærere, *vtrum generet filios baptismus Christi in parte Donati, an non generet:* vt si consenserimus quod generet, suam esse asseuerent Ecclesiam matrem, quæ filios potuit de Christi baptismate generare, & quia vnam oportet esse ecclesiam, ex hoc iam nostram non esse ecclesiam criminentur. Si autem dixerimus, non generat, cur ergo, aiũt, apud vos non renascuntur per baptismum, qui transeunt à nobis ad vos, cùm apud nos fuerint baptizati, si nondum nati sunt? Quasi verò ex hoc generet vnde separata est, & non ex hoc vnde coniuncta est. Separata est enim à vinculo charitatis & pacis, sed adiuncta est in vno baptismate. Itaque est vna Ecclesia, quæ sola catholica nominatur, & quicquid suum habet in communionibus diuersorum à sua vnitate separatis, per hoc quò suum in eis habet, ipsa vtique generat, non illæ. Neque enim separatio earum generat, sed quod secum de ista tenuerunt: quòd si & hoc dimittant, omnino non generant. Hæc itaq; in omnibus generat, cuius sacramenta retinentur, vnde possit tale aliquid vbicunq; generari: quamuis non omnes quos generat ad eius pertineãt vnitatem, quæ vsq; in finem perseuerantes saluat. Neque enim hi soli ad eam non pertinent, qui separationis aperto sacrilegio manifesti sunt, sed etiam illi qui in eius vnitate corporaliter mixti per vitam pessimam separantur. Etenim Simonem magum per baptisma ipsa pepererat: cui tamẽ dictum est, quòd non haberet partem in hæreditate Christi. Nunquid ei baptismus, nunquid Euangeliũ, nunquid sacramenta defuerunt? Sed quia ei charitas defuit, frustra natus est, & ei expediebat fortasse non nasci. Nũquid nõ erant nati quibus Apost. ait, Tanquã paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam? eos tamẽ à sacrilegio schismatis reuocat, in quod ideo irruebãt, quia carnales erãt, Quasi paruulis, inquit, in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondũ enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis: carnales enim estis adhuc. Cùm enim sint inter vos æmulatio & cõtẽtio, nónne carnales estis, & secundum hominẽ ambulatis? Cùm enim quis dicat, Ego quidẽ sum Pauli, alius autẽ, ego Apollo, nónne homines estis? De his enim suprà dicit, Obsecro autem vos fratres per nomen Domini Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes: & non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia. Nunciatum est enim mihi de vobis fratres mei ab his qui sunt Chloes, quia con-

1. Cor. 3.

1. Cor. 1.

tentiones ſunt in vobis. Hoc autem dico, quia vnuſ- A quiſque veſtrum dicit, Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus? Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Iſti ergo ſi in hac obſtinatione & peruerſitate remanerẽt, certè quidem nati erant, nec tamen ad ipſam Eccleſiam de qua nati erant, per pacis atque vnitatis vinculum pertinerent. Ergo ipſa generat, & per vterum ſuũ, & per vteros ancillarum ex eiſdem ſacramentis, tanquam ex viri ſui ſemine. Non enim fruſtra dicit Apoſtolus, Omnia illa in figura eſſe geſta. Sed qui ſuperbiunt & legitimę matri non adiunguntur, ſimiles ſunt Hiſmaeli, de quo dictum eſt, Eiice ancillam & filium eius. Non enim hæres erit filius ancillę cum filio meo Iſaac. Qui autem pacificè diligunt legitimam patris ſui coniugem, cuius legitimo iure generati ſunt, ſimiles ſunt filiis Iacob, quamuis de ancillis natis, ſed tamen eandem hæreditatem ſumentibus. Qui autem B de vtero ipſius matris intus in vnitate nati, negligunt gratiam quam acceperunt, ſimiles ſunt Eſau filio Iſaac, qui reprobatus eſt, Deo atteſtante & dicente, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui, cùm ambo ex vno concubitu concepti, ex vno vtero nati ſint.

1. Cor. 10. Geneſ. 21. Galat. 4. Geneſ. 30. Geneſ. 25. Malach. 1.

CAPVT XI. Quæſtio Donatiſtarum. An ſemper peccata remittantur in baptiſmo. Matthei 28. Ioannis 20.

QVÆRVNT etiam, *vtrum peccata dimittantur per baptiſmum in parte Donati:* vt ſi dixerimus dimitti, reſpondeant, ergo eſt illic Spiritus ſanctus, quia cùm inſufflante Domino datus eſſet diſcipulis, tunc ſecutus eſt & ait, Baptizate gentes in nomine patris & filij & Spiritus ſancti: ſi cui dimiſeritis peccata, dimittentur ei, ſi cui tenueritis, tenebuntur. Et ſi ita eſt, inquiunt, communio noſtra eſt Eccleſia Chriſti. Non enim præter Eccleſiam, dimiſſionem peccatorum Spiritus ſanctus operatur. Et ſi noſtra communio eſt eccleſia Chriſti, non eſt eccleſia Chriſti veſtra communio. Vna eſt enim quæcunque illa ſit, de qua dictum C Cantic. 6. eſt: Vna eſt columba mea, vna eſt matri ſuæ. Nec poſſunt eccleſiæ tot eſſe, quot ſchiſmata. Si autem dixerimus, non ibi dimitti peccata, ergo, inquiunt, non eſt illic verus baptiſmus: & propterea quos à nobis ſuſcipitis, vos baptizare debetis, quod quia non facitis, in eccleſia Chriſti vos non eſſe fatemini. His ita reſiſtimus, ſecundum ſcripturas, eos interrogantes, vt quod à nobis quærunt, ſibi ipſi reſpondeant. Quæro enim vt dicant, vtrum dimittantur peccata vbi charitas non eſt: peccata enim tenebræ animarum ſunt. Audimus quippe Ioannem dicentem, Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt vſque adhuc. Nulli autem ſchiſmata facerent, ſi fraterno odio non excæcarentur. Si ergo dicimus, non ibi dimitti peccata, quomodo renaſcitur qui apud eos baptizatur? Quid eſt enim renaſci per baptiſmum, niſi à vetuſtate renouari? Quomodo autem renouatur à vetuſtate, cui peccata præterita nõ dimittuntur? Quòd ſi renatus non eſt, nec Chriſtum induit, ex quo conficitur vt denuo baptizandus videatur. Quia dicit Apoſtolus, Quotquot enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis: quem ille ſi non induit, nec in Chriſto baptizatus habendus eſt. Porrò quia in Chriſto dicimus baptizatum, fatemur eum Chriſtum induiſſe. Et ſi hoc fatemur, regeneratum fatemur. Quod ſi ita eſt, & peccata dimiſſa ſunt. Quomodo ergo dicit Ioannes, Qui odit fratrem ſuũ, in tenebris manet vſque adhuc: ſi iam facta eſt remiſſio peccatorum? An non eſt in ſchiſmate odium fraternum? Quis hoc dixerit, cùm & origo & pertinacia ſchiſmatis nulla ſit alia, niſi odium fraternum? Hanc illi quæſtionem ſoluere ſibi videntur cùm dicũt, Non eſt [illegible]go in ſchiſmate remiſſio peccatorũ, & ideo nec regeneratio [illegible] hominis, & propterea nec baptiſmus Chriſti. Nos autem, quia fatemur ibi eſſe baptiſmum Chriſti, hanc eis quæſtionem ſoluẽdam proponimus,

Cantic. 6. Reſponſio. Peccata tenebræ ſunt animarum. 1. Ioannis 2. Galat. 3. 1. Ioannis 2. Schiſmatum origo.

Magus ille Simon, vtrum vero Chriſti baptiſmate tinctus ſit. Reſpõdebunt ita, quia ſanctæ ſcripturæ authoritate coguntur. Quæro ergo, vtrum fateantur ei dimiſſa peccata? Profectò fatebũtur. Item quæro, cur ei dixerit Petrus, non eum habere partem in ſorte ſanctorum? Quia, inquiunt, poſtea peccauit, pecunia volens emere donum Dei, cuius vẽditores eſſe Apoſtolos credidit.

Act. 8. Qui ſine charitate baptizatur, quatenus accipiat remiſſionem peccatorum.

CAPVT XII. De conſecr. diſt. 4. cap. Oſtenditur.

QVID ſi ad ipſum baptiſmum fictus acceſſit, dimiſſa ſunt ei peccata, an non ſunt dimiſſa? Eligãt quod volunt, vtrumlibet elegerint, ſufficit nobis. Si dimiſſa dixerint, quomodo ergo Spiritus ſanctus diſciplinę effugiet fictum, ſi in iſto ficto remiſſionem operatus eſt peccatorũ? Si dixerint non eſſe dimiſſa, quæro, ſi poſtea fictionem ſuã corde cõcuſſo & vero dolore fateretur, denuò baptizandus iudicaretur? Quod ſi dementiſſimum eſt dicere, fateantur vero baptiſmo Chriſti baptizari poſſe hominem, & tamen cor eius in malitia vel ſacrilegio perſeuerans, peccatorum abolitionem non ſinere fieri: atque ita intelligant in communionibus ab eccleſia ſeparatis poſſe homines baptizari, vbi Chriſti baptiſmus eadem ſacramẽti celebratione datur & ſumitur: qui tamen tunc proſit ad remiſſionem peccatorum, cùm quis recõciliatus vnitati, ſacrilegio diſſenſionis exuitur, quo eius peccata tenebantur, & dimitti non ſinebãtur. Sicut enim in illo qui fictus acceſſerat, fit vt non denuò baptizetur, ſed ipſa pia correctione & veraci cõfeſſione purgetur, quod non poſſet ſine baptiſmo, vt quod antè datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit: ſic etiam iſte qui baptiſma Chriſti, quod nõ amiſerunt qui ſe ſeparauerunt, inimicus charitatis & pacis Chriſti, in aliqua hæreſi aut ſchiſmate accepit, quo ſacrilego ſcelere peccata eius non dimittebantur, cùm ſe correxerit, & ad eccleſię ſocietatem vnitatemque venerit, non iterũ baptizãdus eſt, quia ipſa reconciliatione ac pace præſtatur, vt ad remiſſionem peccatorum eius, in vnitate iam prodeſſe incipiat ſacramentum, quod acceptum in ſchiſmate prodeſſe non poterat. Si autem dixerint in illo qui fictus acceſſit, per ſanctam vim tanti ſacramẽti dimiſſa quidem illi eſſe peccata in ipſo temporis puncto, ſed per fictionem ipſius rediiſſe continuo: vt Spiritus ſanctus & affuerit baptizato, vt peccata recederent, & perſeuerantiam fictionis fugerit vt redirẽt, vt & illud verum ſit: Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; Et illud: Spiritus enim ſanctus diſciplinę effugiet fictum: id eſt, vt & induat eum Chriſto ſanctitas baptiſmi, & exuat eum Chriſto pernicies fictionis: ſicut fit cùm quiſque à tenebris per lucem tranſit ad tenebras, oculi quidem eius in tenebras perpetuò diriguntur, ſed non poteſt eum lux niſi perfundere tranſeuntem. Si ergo hoc dixerint, hoc etiam in eis intelligãt fieri, qui extra eccleſiæ communionem, ſed tamen baptiſmate eccleſiæ baptizantur, quod vbicunque fuerit, ſanctum eſt per ſeipſum: & ideo non eſt eorum qui ſe ſeparant, ſed eius vnde ſe ſeparant: valet tamen & apud eos hactenus, vt per eius lucem tranſeant ad diſſenſionis ſuæ tenebras, continuo redeuntibus peccatis, quæ baptiſmatis ſanctitas in illo temporis puncto dimiſerat, tanquam redeunte obſcuritate quam lux in tranſitu excuſſerat. Nam redire dimiſſa peccata, vbi fraterna charitas nõ eſt, apertiſſimè Dominus in Euangelio docet de illo ſeruo, quem cùm inueniſſet debitorem decem miliũ talentorum, deprecanti omnia dimiſit. Ille autem cõſeruum ſuum qui ei debebat centũ denarios, cùm miſeratus non fuiſſet, iuſſit eum dominus reddere quę ei dimiſerat. Tempus ergo quo accipitur indulgẽtia per baptiſmũ tanquam tempus eſt reddendæ rationis, vt omnia debita quæ inuenta fuerint dimittãtur. Non tamen ille ſeruus poſtea dedit cõſeruo ſuo mutuã pecuniam

CAPVT XII. De conſecr. diſt. 4. cap. Oſtenditur.

Euaſio Donatiſtarum. De conſecr. diſt. 4. cap. Quomodo Deus. 4. ſent. diſt. 4. cap. Qui vero. Galat. 3. Sup. 1.

Confutatio.

Peccata dimiſſa quatenus redeant Matth. 18. De conſecr. diſt. 4. cap. Quomodo Deus. 4. ſent. diſt. 4. cap. Qui vero.

niam, quam cùm ille non poſſet reddere, non eius miſertus eſt: ſed iam ei debebat conſeruus eius, cùm ipſe rationem Domino ſuo reddens, tanti numeri debito ſolueretur, nec dimiſerat conſeruo ſuo quod ei debebat, & ſic acceſſerat vt ei dimitteret Dominus. Hoc indicant verba conſerui dicentis, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Alioquin diceret, iam mihi hoc dimiſeras, cur iterum repetis? Hoc & ipſius Matth. 18. Domini verba manifeſtius aperiunt. Ait enim, Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis qui debebat ei centum denarios. Non dixit, cui iam debitum centum denariorum dimiſerat. Si enim dimiſerat, non ei debebat. Quia ergo dixit, debebat ei: manifeſtum eſt, quod non dimiſerat. Et melius quidem fuerat, atque hoc potius congruebat tanto debitori reddituro rationem, & expectanti miſericordiam Domini ſui, vt prior ipſe conſeruo dimitteret quod ei debebatur, & ſic ad rationem reddendam, vbi miſericordia Domini imploranda erat accederet. Nec tamen illud quod nondum conſeruo dimiſerat, B impediuit Dominum eius, quo minus in illo tempore accipiendę rationis dimitteret ei omnia quę debebat. De conſecrat. diſt. 4. cap. Quomodo Deus. 4. ſent. diſt. 4. cap. Qui vero. Sed quid profuit quando quidem in caput eius propter odiorum perſeuerantiam rurſus omnia continuo replicata ſunt? Sic non impeditur baptiſmi gratia, quo minus omnia peccata dimittat, etiam ſi odium fraternum in eius cui dimittuntur animo perſeuerat. Soluitur enim heſternus dies, & quicquid ſupra eſt ſoluitur, etiam ipſa hora momentumque ante baptiſmum & in baptiſmo. Deinceps autem reus eſſe continuo incipit, non ſolùm conſequentium, ſed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorũ redeuntibus omnibus, quæ dimiſſa ſunt: & hæc ſæpe contingunt in Eccleſia.

CAPVT XIII.

NAM plerumque fit vt homo habeat inimicum quem iniquiſſimè oderit; quãquam etiam iniquos inimicos diligere iubeamur, & orare pro eis. Subito autem periculo mortis incipit perturbari, & poſcit baptiſmum, quem tanta feſtinatione accipit, vt neceſ- C ſariam interrogationem paucorum verborum vix periculi tempus admittat, quanto minus ſermonem longiſſimum, vt illud odiũ pellatur corde, etiam ſi baptizanti ſit cognitum. Certè iſta non ſolùm apud nos, ſed etiam apud illos euenire non ceſſant. Quid ergo dicimus? Dimittuntur peccata huic homini, an non dimittuntur? Prorſus quod volunt eligant. Si enim dimittuntur, continuo redeunt, Euangelium loquitur, veritas clamat. Siue ergo dimittantur ſiue non dimittantur, neceſſaria eſt medicina poſtea: neque tamen ſi vixerit atque id corrigendum eſſe didicerit atque correxerit, denuò baptizatur, ſiue apud illos, ſiue apud nos. Sic & illa quæ ſchiſmatici vel hæretici non aliter habent, nec aliter agunt quàm vera Eccleſia, cùm ad nos veniunt, non emendamus, ſed potius approbamus. In quibus enim non diſſentiunt à nobis, in eis non diſiunguntur à nobis. Sed tamen quia eis nihil proſunt quamdiu hæretici vel ſchiſmatici ſunt, D propter alia in quibus à veritate diſſentiunt, & propter ipſum ſeparationis immaniſſimum ſcelus, ſiue permanſerint in eis peccata, ſiue continuo dimiſſa redierint, vt ad ſanitatem pacis atque charitatis veniant adhortamur, non ſolùm vt aliquid habeant quod non habebãt, ſed vt eis etiam illud prodeſſe incipiat quod habebant.

CAPVT XIII. Hæreſitas deinde ſchiſmatica.

FRVSTRA ergo nobis dicunt, *Si baptiſmum noſtrum acceptatis, quid minus habemus vt nobis de veſtra communione conſulendum putetis?* Reſpondemus enim, Non baptiſmum veſtrum acceptamus, quia non eſt baptiſmus ille hæreticorum vel ſchiſmaticorum, ſed Dei & Eccleſiæ, vbicunque fuerit inuentus [illegible] quicunque tranſlatus. Veſtrum autem non eſt niſi quod

prauè ſentitis, & ſacrilegè agitis, & impiè ſeparamini. Nam ſi cætera omnia vera vel ſentiatis vel habeatis, & in eadem ſeparatione tamen duretis aduerſus vinculum fraternæ pacis, aduerſus vnitatem omnium fratrum, qui toto orbe terrarum ſicut promiſſi ſunt, ita exhibiti, quorum omnium cauſas & corda nullo modo vnquam noſſe aut diſcutere potuiſtis, vt meritò damnarẽtis, qui non poſſunt propterea rei eſſe, quia iudicibus eccleſiaſticis potius quàm litigatoribus crediderunt: hoc ſolum minus habetis, quod minus habet qui charitatem non habet. Iam quid opus eſt vt nos retexamus? Voſipſi in Apoſtolo inſpicite quãtum ſit quod minus habetis. Quid autem intereſt qui charitatem non habet, vtrum foras auolet aliquo vento tentationis ablatus, an intus de meſſe Dominica non recedat in vltima ventilatione ſeparandus? Et tamen tales etiam, ſi iam ſemel per baptiſmum nati ſunt, iterum eos naſci non oportet.

CAP. XV.

ECCLESIA quippe omnes per baptiſmum parit, ſiue apud ſe, id eſt, ex vtero ſuo; ſiue extra ſe de ſemine viri ſui, ſiue de ſe, ſiue de ancilla. Sed & Eſau de vxore natus, propter fraternam diſcordiam ſeparatus eſt à populo Dei. Et Aſer per vxoris quidem poteſtatem, ſed ex ancilla natus, propter fraternam concordiam terram repromiſſionis accepit. Vnde & Hiſmaeli vt ſepararetur à populo Dei nõ obfuit mater ancilla, ſed obfuit fraterna diſcordia: non profuit poteſtas vxoris, cuius magis filius erat, quia per ipſius iura coniugalia, & in ancilla ſeminatus erat, & ex ancilla ſuſceptus. Sicut apud iſtos Eccleſiæ iure quod eſt in baptiſmo naſcuntur quicunque naſcuntur: ſed ſi concordant cum fratribus, per vnitatem pacis ad terram veniunt repromiſſionis, non de materno vtero rurſus eiiciendi, ſed in paterno ſemine agnoſcendi. Si autem in diſcordia perſeuerent, ad Hiſmaelis funiculum pertinebunt. Prior autem fuit Hiſmael, & poſtea Iſaac, & prior Eſau, poſterior autem Iacob: non quia prior peperit hæreſis quàm eccleſia, aut eccleſia ipſa prius carnales vel animales, & poſtea ſpiritales; ſed quia in ipſa ſorte mortalitatis noſtræ ex quo de Adam naſcimur, non eſt prius quod ſpiritale, ſed quod animale, poſtea ſpiritale. Ex ipſo autem animali ſenſu, quia homo animalis non percipit, quæ ſunt ſpiritus Dei, omnes diſſenſiones & ſchiſmata generantur. In quo ſenſu perſeuerantes Apoſtolus dicit ad veteres Teſtamentum pertinere, id eſt, ad terrenorum promiſſorum cupiditatem, in quibus quidem ſpiritalia figurantur, Sed animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei. Quocunque ergo tempore tales homines eſſe cœperint in hac vita, vt iam diuinis pro ſæculorum diſtributione ſacramentis imbuti, adhuc tamen carnaliter ſapiant & carnalia de Deo, ſiue in hac vita, ſiue poſt hanc vitã ſperẽt atque deſiderẽt, animales ſunt. Eccleſia verò quod eſt populus Dei, etiã in iſtius vitæ peregrinatione anti qua res eſt, in aliis hominibus habens animalem portionem, in aliis autem ſpiritalem. Ad animales pertinet vetus Teſtamentum, ad ſpiritales nouum. Sed primis temporibus vtrumque occultum fuit ab Adã vſque ad Moyſen. A Moyſe autem manifeſtatũ eſt vetus, & in eo ipſo occultabatur nouum, quia occultè ſignificabatur. Poſtea verò quàm in carne Dñs venit, reuelatum eſt nouũ: veteris autẽ ſacramenta ceſſarũt, ſed concupiſcentiæ tales non ceſſauerũt. In illis enim ſunt quos Apoſtolus iam per ſacramentum noui Teſtamenti natos adhuc tamẽ dicit, animales non poſſe percipere quæ ſunt ſpiritus Dei. Sicut enim in ſacramentis veteris Teſtamenti viuebant quidam ſpiritales, ad nouum ſcilicet Teſtamentum quod [illegible] occultabatur occultè pertinentes: ſic & [illegible] in ſacramento noui Teſtamenti quod iam [illegible]uelatum eſt, plerique viuunt animales. Qui pr[illegible]ficere ſi nolunt ad [illegible]percipien-

Matth. 18. De conſecrat. diſt. 4. cap. Quomodo Deus. 4. ſent. diſt. 4. cap. Qui vero. Gen. 25. 28. Geneſ. 30. Geneſ. 16. Diſt. 56. cap. Hiſmael. Gen. 16. 25. Hæreſis Eccleſiæ poſterior. 1. Cor. 15. 1. Corint. 1. Galat. 4. Qui ad veterem, qui ad nouum Teſtamentum pertinant. 1. Corint. 2. Eccleſiæ antiquitas. Sub veteri Teſtamento nouum occultatum fuit, & quomodo. 1. Corint. 2. De conſecrat. diſt. 4. cap. Sicut in ſacramentis.

percipienda, quæ sunt spiritus Dei; quo eos hortatur A
sermo Apostolicus, ad vetus Testamentum pertinebunt. Si autem proficiunt, & antequam capiant, ipso
al. profectò accessu †profectu & accessu ad nouum pertinent: & si prius
quàm spiritales fiant, ex hac vita rapiuntur, custoditi
per sacramenti sanctitatem in terra viuentium computantur, vbi est spes nostra & portio Dominus. Nec
inuenio quid verius intelligatur in eo quod scriptum
Psal. 138. est, Imperfectum meum viderunt oculi tui: quando-
quidem sequitur, Et in libro tuo omnes scribentur.

CAPVT XVI. Gen. 4. 5. 11 Exodi 2.

QVÆ autem peperit Abel & Enoch, & Noe & Abraham, ipsa peperit & Moysen & Prophetas tempo-
re posteriores ante aduentum Domini: & quæ istos,
ipsa & Apostolos & martyres nostros & omnes bonos
Christianos. Omnes enim diuersis quidem temporibus nati apparuerunt, sed societate vnius populi con-
tinentur, & eiusdem ciuitatis ciues labores huius pe-
regrinationis experti sunt, & quidam eorum nunc ex-
periuntur, & vsque in finem cæteri experientur. Item B
Gen. 4. 5. 16 Numeri 16. Lucæ 16. Act. 3. que peperit Cain & Cham & Hismaelem & Esau, ea-
dem ipsa peperit & Dathan & alios in eodem populo
similes: & quæ istos, eadem ipsa & Iudam pseudoapo-
stolum, & Simonem magum, & cæteros vsque ad hęc
tempora pseudochristianos in affectione animali pertinaciter obduratos, siue in vnitate permixti sint, siue
aperta præcisione dissentiant. Sed cùm tales à spiritali-
bus euangelizantur, & sacramentis imbuuntur, tan-
quam per seipsam Rebecca eos parit, sicut Esau: cùm
Genes. 25. autem per illos qui non castè annunciant Euãgelium,
Genes. 16. tales in Dei populo generantur, Sara quidem, sed per
Philipp. 1. Agar. Item boni spiritales, quando euangelizantibus
Genes. 30. vel baptizantibus carnalibus generantur, Lia quidem
vel Rachel iure coniugali eos, sed per ancillarum vterum parit. Cùm verò per spiritales in Euangelio generantur boni fideles, qui vel euadunt in spiritalis ætatis
affectum, vel eò tendere non desistunt, vel ideo non
faciunt quia non possunt, sicut ex vtero Saræ Isaac, C
vel Rebeccę Iacob, in nouam vitam & nouum Testamentum nascuntur.

CAPVT XVII. 2. Retract. cap. 18. Ephes. 5.

ITAQVE siue intus versari videantur, siue apertè
foris sint, quod caro est, caro est: siue in area in sua ste-
rilitate perseuerent, siue occasione tentationis tan-
quam vento extra tollantur, quod palea est, palea est.
Et semper ab illius ecclesiæ quæ sine macula & ruga
est, vnitate diuisus est, ẽtiam qui congregatione san-
ctorum in carnali obduratione miscetur. De nullo ta-
men desperandum est, siue qui intus talis apparet, siue
qui foris manifestius aduersatur. Spiritales autem siue
ad hoc ipsum pio studio proficientes, non eunt foras:
quia & cum aliqua vel peruersitate vel necessitate ho-
minum videntur expelli, ibi magis probantur, quàm si
intus permaneãt, cùm aduersus ecclesiam nullatenus
eriguntur, sed in solida vnitatis petra fortissimo chari-
tatis robore radicãtur. Ad hoc enim pertinet quod in
illo Abrahæ sacrificio dictum, Aues autẽ non diuisit. D

Excommunicatio innocentes ac spirituales homines non lædit, sed probat.

Genes. 15.

CAPVT XVIII. Cyprianus excusatur.

DE baptismi ergo quæstione iam quantum ar-
bitror, satis disseruì, & quia hoc manifestissimum
schima est quod Donatistarum nomine nuncupatur,
restat vt hoc de baptismo piè credamus, quod vniuer-
sa Ecclesia à sacrilegio schismatis remota custodit. In
qua tamen si aliud alij, & aliud alij adhuc de ista quæ-
stione salua pace sentirent, donec vniuersali concilio
vnum aliquid eliquatum sincerumque placuisset, hu-
manæ infirmitatis errorem cooperiret charitas vnita-
tis, sicut scriptum est, quia charitas cooperit multitu-
1. Petri 4. dinem peccatorum. Qua enim absente cætera inanitor habentur, eadem præsente quædam venialiter non
habentur. Extant beati martyris Cypriani in eius li-
teris magna documenta, vt ad illum iam veniam, de
cuius sibi authoritate isti carnaliter blandiuntur, cùm
eius charitate spiritaliter perimantur. Nam illis tem-
poribus antequam plenarij concilij sententia quid in
hac re sequendum esset, totius Ecclesiæ consensio cõ-
firmasset, visum est ei cum fermè octoginta coepiscopis suis Africanarũ ecclesiarum, omnem hominẽ qui
extra Ecclesiæ catholicæ cõmunionẽ baptizatus fuisset, oportere ad Ecclesiam venientẽ denuò baptizari.
Quod non rectè fieri tanto viro nimirum propterea Cypriano cur Dominus vetaret de baptismo sentiendum non reuelatis.
Dominus non aperuit, vt eius pia & humilitas & cha-
ritas in custodienda salubriter Ecclesiæ pace patesceret, & non solùm illius temporis Christianis, sed et-
iam posteris ad medicinalem, vt ita dicam, notitiam
signaretur. Cùm enim tanti meriti, tantæ Ecclesiæ,
tanti pectoris, tanti oris, tantæ virtutis Episcopus, a-
liud de baptismo arbitraretur, quàm erat inquisita
diligentius veritas firmatura, multique eius collegæ,
quamuis liquido nondum manifestatum, id tamen
tenerent quod & præterita Ecclesiæ consuetudo, &
postea totus catholicus orbis amplexus est: non se il-
le tamen à cæteris diuersa sentientibus separata com-
munione disiunxit, & hoc etiam cæteris persuadere
non destitit, vt sufferrent inuicem in dilectione, stu-
dentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Ita Ephes. 4.
enim corporis manente compage, si quid in quibus-
dam membris infirmabatur, ex eorum sanitate conua-
lesceret, potius quàm præcisione mortificatum dili-
gentiam nullius curationis admitteret. Et si se ille
separasset, quàm multi sequerentur? quantum sibi
nomen inter homines faceret? quanto latius Cypria-
nistæ quàm Donatistæ vocarentur? Sed non erat fi-
lius perditionis, de qualibus dictum est, Deiecisti eos Psal. 27.
dum extollerentur: sed erat filius pacis Ecclesiæ, qui
tanta cordis illuminatione præditus, propterea non
vidit aliquid, vt per eum aliud supereminentius vi-
deretur. Et adhuc, inquit Apostolus, supereminen- 1. Cor. 12. 13.
tiorem viam vobis demonstro, Si linguis hominum
loquar, & angelorum, charitatem autem non ha-
beam, factus sum velut æramentum sonans aut cym-
balum tinniens. Minus ergo ille penetrauit, vt cer-
neret secretum abditum sacramenti: sed si sciret o-
mnia sacramenta, charitatem autem non haberet,
nihil esset. Cùm autem minus illud perspiciens, hanc
tamen humiliter, fideliter, fortiter custodiuit, ad
martyrij coronam meruit peruenire: vt si qua in eius
lucidam mentem ex humana conditione nebula irre-
pserat, gloriosa serenitate fulgentis sanguinis fugare-
tur. Non enim frustra ipse Dominus Iesus Christus, Ioannis 15.
cùm seipsum diceret vitem, suos autem tanquam in
vite sarmenta, præcidi eos dixit, & de vite auferri tan-
quam inutilia sarmenta, quæ fructum non darent.
Quis est autem fructus nisi nouus ille fœtus, de quo
item dicit, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis Ioannis 13.
inuicem? Ipsa est illa charitas, sine qua cætera nihil
prosunt. Dicit autem & Apostolus, Fructus autem 1. Cor. 13.
spiritus est, charitas, gaudium, pax, longanimitas, be- Galat. 6.
nignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia.
Quæ omnia incipiunt à charitate, & per cęreram iun-
cturam quasi botrum mirabilem faciunt. Nec tamen
frustra idem Dominus addidit, Quæ autem sarmen- Ioannis 15.
ta in me dant fructum, purgat illa pater meus, vt ma-
iorem fructum afferant: nisi quia & ipsi qui fructu prę-
ualent charitatis, possunt tamen aliquid habere pur-
gandum, quod incultũ agricola non relinquit. Quod
ergo ille vir sanctus de baptismo aliter sentiens quàm
se res habebat, quæ postea pertractata, & diligentissi-
ma cõsideratione firmata est, in catholica vnitate per-
mansit, & charitatis vbertate compensatum est, &
passionis falce purgatum.

CAPVT XIX. Discrimen ostendit inter Cypriani & Donatistarũ errorem.

SED ne videar deuitandæ probationis causa ista
in laudem beatissimi martyris dicere, quæ quidem
non tus, sed illius est, cuius gratia talis extitit; iam
de literis eius documenta proferamus, quibus maxi-
mè Do-

mè Donatistarum ora clauduntur. Huius enim au- A
thoritatem imperitis obiiciunt, vt se quasi rectè fa-
cere ostendant, quòd ad se venientes fideles denuò
baptizent. Nimium miseri, & nisi se corrigant à se-
metipsis omnino damnati, qui hoc in tanto viro eli-
gunt imitari. Quod illi propterea non obfuit, quia in
ea pace vnde isti aberrauerunt, qui viam pacis non co-
Psal. 13. gnouerunt, perseuerantissimis vsque in finem gressi-
bus ambulauit. Est quidẽ quòd Christi baptisma vbiq;
sanctum est, & quamuis apud hæreticos vel schismaticos, ipsius tamen hæresis vel schismatis non est, &
ideo nec ad ipsam catholicam inde venientes, oportet
denuò baptizari: sed tamen hoc aliud est; aliud à ca-
tholica pace deuiantes, & in nefariam præcisionis fo-
uẽam præcipitatos, rebaptizandos insuper iudicare.
Nam illum næuũ in candore sanctæ animæ, charitatis
vbera contegebant: hanc autem fuliginem in istorum
tartarea fœditate, vultus impacatus ostẽtat. Sed ad ea
quæ deinceps, quod ad beati Cypriani authoritatem
attinet, tractaturi sumus, ab alio sumemus exordio. B

LIBRI PRIMI FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS, LIBER II.

CAP. I.

QVANTVM pro nobis, hoc est, pro pa-
ce catholica faciant ea, quę tanquam ex
authoritate beati Cypriani aduersus nos
à parte Donati proferuntur; & quantum
sint aduersus eos à quibus proferuntur,
adiuuante Domino demonstrare proposui. Si qua ergo me respondendi necessitas ea quæ iam in libris aliis
posui, rursus commemorate coegerit, (quanquam id C
modicè faciam,) his qui iam illa legerunt & tenent,
onerosum esse non debet: quia & ea quæ instructioni
sunt necessaria, sæpius oportet insinuare tardioribus:
& cùm eadem multipliciter varieq; versantur, atque
tractantur, ipsos quoque capaciore intelligentia præ-
ditos adiuuant, & ad facilitatem sciendi, & ad copiam
disserendi. Noui etiam quemadmodum soleat contristare lectorem, cùm ab eo libro quem gerit in manibus, quando in aliquem nodum quæstionis incide-
rit, in alium mittitur vbi eius solutionẽ requirat, quẽ
fortè non habet: quapropter quæcunque in aliis libris
iam diximus, si necessitas præsentium quæstionũ bre-
uiter iterare compulerit, ignoscant scientes, ne offen-
dantur nescientes: satius est enim offerre habenti,
quàm differre non habentem. Quid ergo isti dicunt
cùm veritatis viribus præfocantur, cui consentire no-
lunt? *Cyprianus*, inquiunt, *cuius tantum meritum noui-*
mus tantamq; doctrinam, cum multis coepiscopis suis sen- D
tentias proprias conferentibus, in concilio statuit hæreticos
vel schismaticos, id est omnes qui extra vnius ecclesiæ com-
munionem sunt, baptismum non habere; & ideo quisquis
ab eis baptizatus ad ecclesiam venerit, esse in ecclesia bapti-
zandum. Non me terret authoritas Cypriani, quia refi-
cit humilitas Cypriani. Magnum quidem meritũ no-
uimus Cypriani episcopi & martyris; sed nunquid ma-
ius quàm Petri apostoli & martyris? De quò idem Cy-
prianus in epistola ad Quintum ita loquitur, *Nam nec*
Petrus, inquit, *quem primum Dominus elegit, & super*
quem ædificauit ecclesiam suam, cùm secum Paulus de cir-
cuncisione disceptaret, postmodum vendicauit sibi aliquid
insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatũ
tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potius opor-
tere. Nec despexit Paulum, quòd ecclesiæ prius persecutor
fuisset; sed consilium veritatis admisit, & rationi legiti-
mæ quam Paulus vendicabat facilè consensit: documentũ
scilicet nobis & cõcordiæ & patientiæ tribuẽs, vt non per-
tinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus &
collegis nostris vtiliter & salubriter suggerantur, si sint
vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus. Ecce vbi
commemorat Cyprianus, quod etiam nos in scriptu-
ris sanctis didicimus; Apostolum Petrum in quo pri-
matus Apostolorum tam excellenti gratia præminet, Primatus Petri supra reliquos Apostolos.
aliter quàm veritas postulabat de circuncisione agere
solitum, à posteriore Apostolo Paulo esse correctum.
Si ergo potuit Petrus non rectè in aliquo ingredi ad
veritatem Euangelij, ita vt gentes cogeret Iudaizare, Galat. 1.
quod Paulus in ea scribit epistola, in qua Deum non
se mentiri testatus est. Ait enim; Quæ autem scribo
vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Et post
hanc tam sanctã atque terribilem attestationem Dei,
narrauit hæc omnia: in quibus cùm vidissem quia nõ Galat. 2.
rectè ingrediuntur ad veritatem Euangelij, dixi Petro
coram omnibus, Si tu cùm Iudæus sis, gentiliter & nõ
iudaicè viuis, quemadmodum cogis gentes iudaizare?
Si potuit, inquam, Petrus contra veritatis regulam,
quam postea Ecclesia tenuit, cogere gentes iudaizare,
cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis,
quam postea tota Ecclesia tenuit, cogere hæreticos
vel schismaticos denuò baptizari? Putò quòd sine vlla 2. q. 7. cap. Puto.
sui contumelia Cyprianus episcopus Petro apostolo
comparatur, quantum attinet ad martyrij coronam.
Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contu-
meliosus existam. Quis enim nescit illum Apostola-
tus †principatum cuilibet episcopatui præferendum? al. principatu cuiuslibet
Sed & si distat cathedrarum gratia, vna est tamen mar-
tyrum gloria. Et si fortè se in aliquo inuicem præce-
dunt corda confitentium, ac pro vera fide in vnitate
charitatis morientium, Dominus nouerit, cuius oc-
culta & mirabili dispensatione gratiarum latro in cru-
ce pendens, semel eum confitetur, & die ipso in para- Lucæ
disum mittitur, Petrus Dominum sequens ter negat Matth. 16.
eum, & à corona differtur. Nobis hinc iudicare teme-
rarium est. Veruntamen si quisquam nunc cogat cir-
cuncidi aliquem more Iudaico, & sic baptizari, multo
amplius detestatur hoc genus humanum, quàm si ali-
quis cogatur rebaptizari. Quapropter cùm Petrus il- 2. q. 7. cap. Puto.
lud faciens, à Paulo posteriore corrigitur, & pacis atq;
vnitatis vinculo custoditus, ad martyriũ prouehitur,
quanto facilius & fortius quod per vniuersæ Ecclesiæ
statuta firmatum est, vel vnius Episcopi authoritati,
vel vnius prouinciæ concilio præferendum est? cùm
idem Cyprianus ita dixerit, quid ei videretur, vt in pa-
cis vnitate esse voluerit, etiam cum eis qui de hac re
diuersa sentirent, quod indicat ipsius primus sermo in
eiusdem concilij, quod ab istis profertur, exordio.
Nam ita se habet:

CAP. II.

CVM *in vnum Carthagine conuenissent Calendis Se-*
ptembris Episcopi plurimi, ex prouincia Africa, Numidia,
Mauritania, cum presbyteris & diaconibus, etiam præsen-
te plebis maxima parte, & lectæ essent literæ Iubaiani ad
Cyprianum factæ, item Cypriani ad Iubaianum rescriptæ
de hæreticis baptizandis, quidq; postmodum Cypriano Iu-
baianus idem rescripserit, Cyprianus dixit, Audistis colle-
gæ dilectissimi quid mihi Iubaianus coepiscopus noster scri-
psserit, consulens mediocritatem nostram de illicito &
prophano hæreticorum baptismo, quidque ego rescripse-
rim ei, censens scilicet quod semel atque iterum & sæ-
pe censuimus, hæreticos ad Ecclesiam venientes Ecclesiæ
baptismo baptizari & sanctificari oportere. Item lectæ
sunt vobis & al. Iubaiani literæ, quibus pro sua sincera
& religiosa deuotione, ad epistolam nostram rescribens,
non tantùm consensit, sed & instructum se esse gratias
egit. Superest vt de hac ipsa re quid singuli sen-
tiamus.

Obiectio Donatistarum de Cypriani sententia.

Refutatio.

Extat tom. 2.

Matth. 15. Galat. 2.

tiamus proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit amouentes. Neque enim quisquam nostrũ Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit: quãdo habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum iudicare; sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.

CAPVT III. Episcoporum literæ, & conciliorum prouincialium decreta, cedũt maioribus concilijs: Canonica scriptura nullis cedit.

NVNC se si audent superbę & tumidæ ceruices hę reticorum aduersus sanctam humilitatem huius sermonis extollant insani Donatistæ, quos ad pacem atque vnitatem sanctæ Ecclesiæ remeare, atque in ea sanari cupimus & optamus. Quid ad hæc dicitis? Vos certè nobis obiicere soletis Cypriani literas, Cypriani sententiam, Cypriani concilium. Cur authoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, & eius exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis? Quis autem nesciat sanctam scripturam canonicam, tam veteris quàm noui Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita preponi vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit: Episcoporum autem literas quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris & per aliorum Episcoporũ grauiorem authoritatem, doctioremque prudentiam, & per concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deuiatum est. Et ipsa concilia quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum conciliorum authoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere: ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cùm aliquo experimẽto rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantiæ, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana.

CAPVT IIII. Epistola ad Quintum.

QVAPROPTER sanctus Cyprianus, tanto excellentior, quanto humilior, qui documentum Petri sic amauit vt diceret, *documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus*. Satis ostendit facillimè se correcturũ fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret baptismum Christi sic dari posse ab eis qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit cùm foras exirent: vnde multa iam diximus, nec nosipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi vniuersæ Ecclesię concordissima authoritate firmati: cui & ipse sine dubio cederet, si iam illo tempore quæstionis huius veritas eliquata & declarata per plenarium concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat & prædicat, ab vno posteriore collega patienter concorditerque correctum, quanto citius ipse cùm concilio prouincię suæ vniuersi orbis authoritati patefacta veritate cessisset, quia profectò & vni verum dicenti & demonstranti posset facillimè consentire tam sancta anima, tam pacata: & fortasse factum est, sed nescimus. Neque enim omnia quæ illo tempore inter Episcopos gesta sunt, memoriæ literisque mandari potuerunt, aut omnia quæ mandata sunt nouimus. Quomodo enim po[illegible] tantis altercationum [illegible]bulis inuoluta, ad plenarij c[illegible]lij luculentam illustrationem confirmationemq; perd[illegible]ci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones, mu[illegible]is hinc atque hinc disputationibus & collationibus Episcoporum pertractata constaret? Hoc autem facit sanitas pacis, vt cùm diutius aliqua obscuriora quæruntur: & propter inueniendi difficultatem, diuersas pariunt in fraterna disceptatione sententias, donec ad verum liquidũmue peruenia tur, vinculum permaneat vnitatis, ne in parte præcisa remaneat insanabile vulnus erroris.

Dubitat[illegible] [illegible]quam Cypria[illegible] mutat[illegible].

Obscuras [illegible]nes nõ Testatum ne [illegible] vniuersali [illegible]dem concilio [illegible]ecclesiæ.

CAP. V. Cur patiatur Deus viros doctos in quibusdam interdum falli.

ET ideo plerunque doctioribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus maior est comprobetur, vel quomodo teneant vnitatem cùm in rebus obscurioribus diuersa sentiunt: vel quomodo accipiant veritatẽ, cùm contra id quod sentiebant, declaratum esse cognoscunt. Quorũ duorum manifestatum tenemus vnum in beato Cypriano: id est, quomodo tenuerit vnitatem cum eis à quibus diuersum sentiebat. Ait enim, *Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit amouentes*. Alterum autem, id est, quomodo accipere potuerit veritatem cõtra id quod sentiebat inuentam: & si literæ tacent, merita clamant: si epistola non inuenitur, corona testatur: si concilium non indicat Episcoporum, consortium indicat angelorũ. Non enim paruum documentum est pacatissimæ animæ, in ea vnitate martyrium meruisse, vnde se diuersum sentiens noluit separare. Homines enim sumus. Vnde aliquid aliter sapere quàm se res habet, humana tẽtatio est. Nimis autem amãdo sententiam suam, vel inuidendo melioribus vsque ad præcidendæ cõmunionis & cõdendi schismatis vel hæresis sacrilegiũ peruenire, diabolica præsumptio est. In nullo autem aliter sapere quàm res se habet, angelica perfectio est. Qui itaque homines sumus, sed spe angeli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri sumus, quamdiu perfectionem angeli non habemus, præsumptionem diaboli non habeamus. Ideo dicit Apostolus, Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Humanum est ergo aliquid aliter quàm se res habet sapere. Propterea dicit alio loco, Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Quibus autem reuelat cùm voluerit, siue in hac vita siue post hanc vitam, nisi ambulantibus in via pacis, & in nullam præcisionem deuiantibus? Non quales isti sunt qui viam pacis non cognouerunt, nec propter aliud vnitatis vinculum diruperunt. Ideoque Apostolus cùm dixisset, Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit: ne putarẽt præter viam pacis quod aliter sapiebant sibi posse reuelari, continuò addidit, Veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. In quo ambulans Cyprianus, perseueran tissima tolerantia, fuso sanguine, sed in vnitate fuso: (quia si traderet corpus suum vt arderet, & non haberet charitatem, nihil ei prodesset:) per martyrij confessionem peruenit ad angelicam lucem; vt si non antea, ibi certè reuelatum agnosceret, quod cùm aliter saperet, sententiam diuersæ opinionis, vinculo non præposuit vnitatis.

Matthæi 22.
1. Cor. 10.
Philipp. 3.
Psal. 15.
Ephes. 4.
1. Cor. 13.

CAP. VI.

VOS itaque Donatistæ quid ad hæc dicitis? Si nostra sententia de baptismo vera est, omnes qui aliter sapiebant Cypriani temporibus, non sunt ab ecclesiæ vnitate separati, donec illud quod aliter saperent Deus illis reuelaret. Vos ergo quare separatione sacrilega pacis vinculum dirupistis? Si autem vestra sententia de baptismo vera est, Cyprianus & cæteri cum quibus eum tale concilium celebrasse perhibetis, cum eis qui aliter sapiebant, in vnitate permanserunt, quare vos pacis vinculum dirupistis? Quodlibet horum elegeritis, contra vestram præcisionem sententiam ferre cogimini. Respondete, quare vos separastis? Quare contra orbem terrarum altare erexistis? Quare non communicatis Ecclesiis, quibus epistolas apostolicas missas teneris & legitis, & secundum ipsas vos viuere dicitis?

Respondete, quare vos separastis? Propterea certè, ne malorum communione periretis. Quomodo ergo non perierunt Cyprianus & tot collegę ipsius? Qui cùm crederent hæreticos & schismaticos baptismum non habere: sine baptismo tamen receptis, cùm peccata eorum tam immania tamque sacrilega super eos esse crederent: eis tamen communicare, quàm separari ab vnitate maluerunt, dicente Cypriano, *Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit amouentes*. Si ergo tali communione malorum pereunt iusti, iam Ecclesia temporibus Cypriani perierat. Vnde igitur extitit origo Donati, vbi catechizatus est, vbi baptizatus, vbi ordinatus, quando iam Ecclesiam contagio cõmunionis extinxerat? Si autem erat Ecclesia, nihil obesse mali bonis in vna communione potuerunt. Quare vos separastis? Ecce in vnitate video Cyprianum, & alios collegas eius, qui facto concilio censuerunt omnes qui extra Ecclesiæ communionem fuerint baptizati, baptismum non habere, & ideo eis dãdum esse cùm veniũt. Sed ecce rursus in eadẽ vnitate video quosdã de hac re diuersa sentire; & eos qui ab hæreticis vel schismaticis venerint, agnito in eis baptismo Christi non audere iterum baptizare. Hos omnes catholica vnitas materno sinu complectitur, inuicem onera sua portãtes, & studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, donec alteris eorum si quid aliter sapiebãt, Dominus reuelaret. Si vera illi sentiebãt, ab illis non contaminabantur: si vera illi sentiebant, ab istis non contaminabantur, an contaminabantur? Quod volueritis eligite. Si contaminabantur, iam tunc non erat Ecclesia. Respondete, vnde huc existis? Si autem permanebat Ecclesia, nullo modo boni à malis tali communione contaminantur. Respondete, quare vinculum dirupistis? An fortè schismatici sine baptismo recepti non contaminant, & traditores sanctorum librorum contaminant? Vestros quidem fuisse traditores manifestissima rerum gesta testãtur. Et si tunc in illos quos arguebatis vera diceretis, causam vestram vnitati orbis terrarum persuasissetis, vt vobis retentis illi excluderentur. Quod si conati estis facere & non obtinuistis, innocens est orbis terrarum, qui iudicibus ecclesiasticis potius quàm victis litigatoribus credidit. Si autem noluistis agere causam vestram, innocens est orbis terrarũ, qui damnare non potuit inauditos. Quare ergo vos ab innocentibus separastis? Sacrilegium schismatis vestri defendere non valetis. Sed hæc omitto, hoc dico, si vos possent contaminare traditores, qui non sunt à vobis conuicti, & à quibus vos estis victi, multo magis possent sacrilegia schismaticorũ & hæreticorum sine baptismo secundum vestram sententiam recepta contaminare Cyprianum. Non se tamẽ ille separauit. Et quia permanebat in Ecclesia, manifestum est quod contaminari non potuit. Quare ergo vos, non dico ab innocentibus, quod probatur, sed ab ipsis quod non probatur traditoribus separastis? An vt dicere cœperam, grauiora sunt crimina traditorum quàm schismaticorum? Non afferamus stateras dolosas vbi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro, dicentes, hoc graue, hoc leue est: sed afferamus diuinam staterã de scripturis sanctis tanquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus: imò non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Tempore illo quo Dominus priora delicta recentibus pœnarum exemplis cauenda monstrauit, & idolum fabricatum atque adoratum est, & propheticus liber ira regis contemptoris incensus, & schisma tentatum: idololatria gladio punita est, exustio libri bellica cæde & peregrina captiuitate: schisma hiatu terræ, sepultis authoribus viuis, & cæteris cælesti igne consumptis. Quis iam dubitauerit hoc esse sceleratius cõmissum, quod est grauius vindicatum? A talibus sacrilegis venientes, sine baptismo, vt dicitis, si Cyprianum non contaminabant, quomodo vos contaminare poterant non conuicti, sed confícti traditores? Qui si non libros incendendos tradidissent, sed eos ipsi manibus suis incendissent, minoris vtique fuissent sceleris, quàm si schisma committerẽt, quia illud mitius, illud grauius vindicatum est, non humano arbitrio, sed diuino iudicio.

Ibidem.

Galat. 6.
Ephes. 4.
Philip. 3.

Psal. 22.
Act. cap. 5.
Numeri 16.

CAPVT VII. Eiusdem Domini Romanis 14. Responsio.

QVARE vos ergo separastis? Si vllus sensus in vobis est, videtis vos certè quid responderi possit non inuenire. *Non vsque adeò*, inquiunt, *omnia defecerunt, vt non possimus respondere, Sic volumus. Tu quis es qui iudices alienum seruum? Suo domino stat aut cadit.* Quod eis dictum non intelligunt, qui volebant non de factis manifestis, sed de cordibus alienis iudicare. Nã quomodo ipse tam multa de sceleribus schismatum & hęresum loquitur? Aut quomodo canitur in Psalmis, Si verè iustitiam diligitis, rectè iudicate filij hominum? Cur autem ipse Dominus dicit, Nolite personaliter iudicare, sed rectum iudicium iudicate; si non licet de aliquo iudicare? Postremò ipsi de illis traditoribus de quibus falsa iudicauerunt, cur omnino iudicauerunt de seruis alienis? Suo Domino stabant aut cadebant. Cur denique de recentibus Maximianistis plenarij concilij, sicut dicunt, ore veridico non dubitauerunt tale proferre iudicium, vt eos primis illis schismaticis, quos terra viuos absorbuit, compararent? Quorum quosdam tamen, quod negare non possunt, aut innocentes damnauerunt, aut nocentes iterum receperũt. Sed cùm verum dicitur cui respondere non possunt, rodunt murmura salebrosa. *Sic volumus. Tu quis es qui iudices alienum seruum? Suo Domino stat aut cadit.* Cùm autem infirma ouis in solitudine aspicitur, vbi pastor qui reclamet absens videtur, dentes exeruntur, frangitur guttur inualidum; *Bonus homo esses, si non esses traditor: Consule animæ tuæ: esto Christianus.* O improbãdam rabiem, cùm Christiano dicitur, esto Christianus, quid aliud dicitur nisi negate Christianum? Nunquid erat aliud quod docere cupiebant illi Christianorum persecutores; quibus qui restiterunt, facti sunt martyres? An leuius putatur quod gladio minante, quàm quod lingua insidiante committitur? Ad ista respondete lupi rapaces, qui pellibus ouinis indui cupiẽtes, beati Cypriani literas pro vobis esse arbitramini. Contaminabat Cyprianum sacrilegium schismaticorum, an non contaminabat? Si contaminabat, iam tunc periit Ecclesia, non erat vnde propagaremini. Si autẽ non contaminabat, quomodo scelere alieno possunt in vnitate contaminari innocẽtes, si schismatis sacrilegio non possunt? Quare ergo vos separastis? quare cùm leuiora quæ fingitis fugitis, ipsum sacrilegiũ schismatis, quod est grauius omnibus commisistis? An fortè iam placet fateri non fuisse iam illos vel schismaticos vel hæreticos, qui extra communionem Ecclesiæ, vel in schismate aliquo vel in hæresi fuerint baptizati; quia trãseundo ad Ecclesiam, & errores suos pristinos anathematizando, destiterant esse quod erant? Quomodo ergo sine baptismo non super eos remanserant scelera eorum? An ille baptismus Christi erat, sed eis extra Ecclesiæ communionem prodesse non poterat: cùm autem venerunt, & anathematizato præterito errore, in Ecclesiæ pacem per manus impositionem recepti sunt, tunc in charitate radicatis atque fundatis, sine qua infructuosa sunt cætera, cœpit prodesse & ad remissionem peccatorum, & ad sanctificationem vitæ, quod sine fructu extra portabant? Nolite ergo nobis authoritatem obiicere Cypriani [illegible] baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum [illegible]mplum Cypriani ad vnitatis conseruationem. Nondum enim erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata, sed tamen

Matthæi 7.

Non afferamus, Quàm graue sit schismatis crimen.

men saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, A in ipsis quoque schismaticis & hæreticis corrigere quod prauum est, non iterare quod datum est; sanare quod vulneratum est, non curare quod sanũ est. Quã consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, (sicut multa quæ non inueniuntur in literis eorum, neque in conciliis posteriorum; & tamen quia per vniuersam custodiuntur ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.) hanc ergo saluberrimam consuetudinem per Agrippinum prædecessorem suum dicit sanctus Cyprianus quasi cœpisse corrigi. Sed sicut diligentius inquisita veritas docuit, quæ post magnos dubitationis fluctus ad plenarij concilij confirmationem perducta est, verius creditur per Agrippinum corrumpi cœpisse, non corrigi. Irruente itaque tam magna quæstione, cùm de remissione peccatorum & de spiritali hominis generatione, vtrum posset apud hæreticos vel apud schismaticos fieri, difficile ratio redderetur, & præcederet authoritas Agrippini, & nonnullorum qui ei consenserant hominum in hac quæstione deficientium, qui maluerant aliquid nouum moliri quàm tenere consuetudinem, cuius defensionem non intelligebant; irruerunt in oculos animæ verisimiles rationes, & intercluserũt iter peruestigandæ veritatis.

Traditione apostolica multa sine scripto recepit Ecclesia.

Ephes. 3. Agrippinus iterandi baptismi hæreticorum primus author.

CAPVT VIII. *Eleuat errore Cypriani.*

NEC arbitror beatum Cyprianum propter aliud contra cõsuetudinem quid sentiret liberius exprompsisse, priorem que dixisse, nisi vt alium si fortè existeret, cui esset melius reuelatum, gratissimè acciperet, & ostenderet imitandam, non solum docendi diligentiam, sed etiam discendi modestiam. Si autem nullus existeret qui tale aliquid afferret, vnde illæ omnes verisimiles rationes quibus mouebatur refellerentur, in eadem sententia permaneret sibi bene conscius, & nõ occultatæ quæ putabatur veritatis, & retentæ quæ amabatur vnitatis. Nam & illud sic intellexit quod ait Apostolus: Prophetæ autem duo vel tres loquantur, & cæteri examinent: Si alij sedenti reuelatum fuerit, ille prior taceat. *Qua in parte*, inquit, *docuit & ostendit* C *multa singulis in melius reuelari, & debere vnumquemque non pro eo quod semel imbiberat & tenebat pertinaciter cõgredi: sed si quid melius & vtilius extiterit, libenter amplecti.* His vtique verbis non solùm eos admonuit sibi consentire, qui melius aliquid non videbãt, sed etiam eos hortatus est, si qui possent afferre aliquid quo prior consuetudo seruãda potius firmaretur: vt si tale esset quod refelli non posset, etiam ipse ostenderet quàm veraciter dixerit, debere vnumquenque non pro eo quod semel imbiberat & tenebat pertinaciter congredi, sed si quid melius & vtilius extiterit, libenter amplecti. Sed quia tunc non extiterant, nisi qui ei consuetudinem opponerẽt: defensiones autem ipsius consuetudinis non tales afferrent quibus illa talis anima moueretur, noluit vir grauissimus rationes suas, D etsi non veras (quod eum latebat) sed tamen non victas, veraci quidem, sed tamen nondum assertæ consuetudini cedere. Quam tamen consuetudinem nisi prior antè Agrippinus, & nonnulli per Africam coepiscopi eius etiam per concilij sententias deserere tẽtauissent, non auderet iste saltem ratiocinari aduersus eam: sed in tam obscura questione turbatus, & vbique intuens vniuersalem robustamque consuetudinem, coarctaret se potius & prece & intentione mentis ad Deum, vt quod postea plenario concilio visum est, id verum esse perspiceret & doceret. Sed cùm fatigatum præcedentis concilij quod per Agrippinum factum est excepisset authoritas, maluit prædecessorum suorum ta[illegible] inuentum defendere, qu[illegible] inquirẽdo amplius labora[illegible] Nam in fine epistolæ ad Quintum ita ostendit, in quo tanquam lectulo authoritatis, quasi fessus acquieuerit.

1. Corint. 14.

Verba Cypriani in concilio Carthag.

QVOD *quidem*, inquit, *& Agrippinus bonæ memoriæ vir, cum cæteris coepiscopis suis qui illo tempore in prouincia Aphrica & Numidia Ecclesiam Domini gubernabant, statuit, & librata concilij communis examinatione firmauit, quorum sententiam religiosam & legitimam, salutarem fidei, & catholicæ ecclesiæ congruentem, nos etiam secuti sumus.* Hac attestatione satis ostendit, multo magis se fuisse cõmemoraturum, si quod de hac re transmarinum vel vniuersale concilium factum esset. Nõdum autem factum erat, quia consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, & hęc sola opponebatur inducere volentibus nouitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Postea tamen dum inter multos ex vtraque parte tractatur & quæritur, non solùm inuenta est, sed etiam ad plenarij concilij authoritatẽ roburque perducta, post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus. Hanc autẽ fuisse consuetudinem ecclesiæ, quæ postea multis discussis ambagibus perspecta veritate plenario concilio cõfirmata est, satis ostenditur & ipsius beati Cypriani verbis B in eadem ad Iubaianum epistola, quæ in concilio lecta commemoratur. Ait enim: *Sed dicit aliquis, Quid ergo fiet de iis qui in præteritum de hæresi ad ecclesiam venientes, sine baptismo admissi sunt?* Vbi certè quid fieri soleret, & si non fieri vellet, satis ostendit, & eo ipso quod concilium Agrippini commemorat, apertè indicat fuisse aliam consuetudinem ecclesiæ. Neque enim opus erat hoc concilio velle statuere, si iam consuetudine tenebatur, & in ipso concilio nonnullę sentẽtiæ omnino declarant eos contra ecclesiæ cõsuetudinem decreuisse, quod decernendum esse arbitrati sunt. Quapropter illud vnum isti considerent quod omnibus patet. Si authoritas Cypriani sequenda est, magis eam sequendam esse in vnitate seruanda, quàm in ecclesiæ consuetudine commutanda. Si autem concilium eius attenditur, huic est vniuersæ ecclesiæ posterius concilium præponendum, cuius se membrum esse gaudebat: & vt se in totius corporis compage retinenda cæteri imitarentur, sæpius admonebat. Nam & cõcilia posteriora priorib⁹ apud posteros præponũtur, & vniuersum partib⁹ semper iure optimo preponitur.

Tomo 2.

CAP. X.

QVID autem agunt isti, cùm docetur sanctus Cyprianus, etiam si non admisit in hæresi vel schismate baptizatos, tamen communicasse admittẽtibus, quod apertissimè declarauit, dicens: *Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes.* Si talium communione maculatus est, cur in tractando baptismo eius authoritatem sectantur? Si autem talium communione maculatus non est, cur in vnitate retinenda exemplũ eius non imitãtur? Numquid hîc restat, nisi vt dicant, *Sic volumus?* Quid aliud sermoni veritatis iustitiæque respondent omnes flagitiosi & facinorosi homines, luxuriosi, ebriosi, adulteri, D & modis omnibus impudici, fures, raptores, homicidæ, latrones, malefici, idololatræ, quid aliud respondent cùm eos veritas arguit, nisi hoc volo, hoc me delectat? Et si Christiano tincti sunt nomine, dicunt etiã: Tu quis es qui iudices alienum seruum? Veruntamen eo isti sunt modestiores, quia cùm legibus diuinis & humanis aliquid pœnarum pro suis perditis moribus factisque patiuntur, non se martyres dicunt: isti autem simul habere volunt & sacrilegorum vitam & innocẽtium famam, & in sceleratis factis nullam pœnam, & in pœnis iustis martyrum gloriam: quasi non tanto sit erga illos maior misericordia & patientia Dei, quãto magis eos partibus corripiens dat locũ pœnitentię, & in hac vita flagella ingeminare non cessat, vt considerantes quæ patiantur & quare patiantur, aliquando resipiscant. Et qui iam pro vnitate Donati Maximianistarum baptismum receperunt, pro pace Christi orbis terrarum baptismum potius amplectantur, reddã-

Nicenum concilium intelligit.

Romans 14.

Sapient.

tur radici, reconcilientur vnitati, videant nihil sibi remansisse quod dicant, sed tamen remansisse quod faciant, vt pro factis eorum præteritis sacrificium dilectionis offeratur placabili Deo, cuius vnitatem nefario scelere diruperunt, cuius sacramentis tam diuturnas iniurias irrogauerunt. Misericors est enim & miserator Dominus, longanimis & multum misericors & verax. Amplectantur in presenti vita misericordem & longanimem, & timeant in futura veracem. Non vult enim mortem impij quantum vt reuertatur & viuat, quia sententiam flectit aduersus iniurias irrogatas. Hæc est nostra exhortatio.

Psal. 10.

CAP. XI.

PROPTER hoc eos habemus inimicos, quia vera dicimus, quia tacere metuimus, quia cessare ab instãtia quanta possumus formidamus, quia obtemperamus Apostolo dicenti: Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, hortare, increpa: Sed sicut Euangelium loquitur: Diligunt gloriam hominum magis quàm Dei; & dum reprehendi ad tempus timent, B damnari in perpetuum non timent. Vident etiam ipsi quid mali faciant, vident non esse quid omnino respõdeant, sed nebulas imperitis offundunt, cùm ipsi viui sorbeantur, id est, scientes & agnoscentes intereant. Viderunt horrere homines, & grauiter detestari, quod etiam se ipsi in multa schismata diuiserunt, & maximè in capite Aphricæ & notissima ciuitate Carthagine, conati sunt resarcire dedecus pannorum suorum, & putantes quòd possent Maximianistas auferre, magno conatu per Optatum Gildonianum fortiter institerunt, multa illis mala & persecutiones sæuissimas intulerunt; receperunt inde aliquos, putantes quòd possent omnes eodem terrore conuerti. His autẽ quos receperunt, noluerunt facere iniuriam, vt ab eis in schismate baptizatos denuò baptizarent, vel potius ab his ipsis rebaptizari eos facerent intus, à quibus baptizati erant foris, atque hoc modo suæ nefariæ consuetudini præscripserunt. Sentiunt quàm sceleratè iam fa C ciant recepto baptismo Maximianistarum, violare baptismum orbis terrarum. Sed timẽt rebaptizatos suos, ne fortè non eis parcant, si ipsi pepercerint cæteris: ne de illis exigant animas suas, si animas aliorum trucidare cessauerint.

2. Timot. 4.

Iohannis 12. Quid obstet quo minus Donatistæ resipiscant.

CAPVT XII.

QVID de receptis Maximianistis respondeant, nõ inueniunt. Si dixerint, Innocentes recepimus: respondetur eis: Ergo innocentes damnauerati. Si dixerint, nesciebamus: ergo temere iudicastis. Sic etiam de traditoribus sententiam temerariam protulistis, falsumque dixistis: *Plenarij concilij ore veridico damnatos esse cognoscite.* Neque enim ore veridico innocẽtes damnari potuerunt. Si dixerint, non eos damnauimus: recitatur concilium, recitantur nomina & episcoporum & ciuitatum. Si dixerint, non est ipsum concilium nostrum: recitantur gesta proconsularia, vbi non semel idem concilium allegauerunt, vt eosdem Maximianistas de basilicis excluderent, & iudiciorum strepitu D atque auxiliorum impetu proturbarent. Si dixerint, Felicianum Mustitanum & Prætextatum Assuritanum, quos postea receperunt, cum Maximiano non fuisse: recitantur gesta quibus eos de basilicis excludendos ex concilio suo quod aduersus Maximianistas fecerunt, de iudiciis publicis postulaunt. Si dixerint, pro pace recepti sunt: respondetur, Cur ergo veram & plenam non agnoscitis pacem? Quis vos impulit, quis coegit pro pace Donati schismaticũ recipere damnatum; & contra pacem Christi orbem damnare inauditum? Vrget eos vndique veritas. Vident se non habere quid respondeant, & putant se habere quid faciant: quid loquantur non inueniunt, tacere non permittuntur. Malunt peruersis vocibus veritati reluctari, quàm confessis erroribus paci restitui.

QVIS autem non intelligat quid in corde suo pos-

Tomo 2.

CAPVT XIII. *Vtrũ inimicissimus sit non baptizari, quàm rebaptizari.*

Iohannis 13.

Iohannis 14.

Ecclesia traditum hominibus nisi baptizatum ad altare admittit.

CAPVT XIV.

sint dicere? Quid ergo facimus, inquiunt, de his quos iam rebaptizauimus? Respondetur: Redite cum eis ad Ecclesiam, medicamento pacis offerte curandos quos vulnerastis, vitæ charitatis offerte suscitandos quos occidistis. Multum valet ad propiciandum Deum fraterna concordia. Si duobus ex vobis, ait Dominus, Cõ- *Matth. 18.* uenerit in terra, quicquid petieritis fiet vobis. Si duobus hominibus, quanto magis duobus populis? Simul nos Domino prosternamus, participamini nobiscum vnitatem, participemur vobiscum dolorem, & charitas cooperiat multitudinem peccatorũ. Ab ipso beato Cypriano consilium quærite, attendite quantum de vnitatis bono præsumpserit, vnde se non dirupit à diuersa sentientibus, & cùm arbitraretur eos qui extra Ecclesiæ communionem baptizarentur, baptismum non habere, credidit eos tamen in Ecclesiam simpliciter admissos propter ipsius vnitatis vinculum posse ad veniam peruenire. Sic enim soluit quæstionem quã B sibi ipse proposuit, ad Iubaianum ita scribens: *Sed dicet aliquis, Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæresi ad Ecclesiam venientes, sine baptismo admissi sunt? Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare.*

QVID sit autem perniciosius, vtrum omnino non baptizari, an rebaptizari, iudicare difficile est. Video quidem quid amplius homines detestentur atque horreant; veruntamen recurrens ad illam stateram Dominicam, vbi non ex humano sensu, sed ex authoritate diuina rerum momenta pensantur, inuenio de vtraque re Domini sententiam. Nam & Petro dixit: Qui lotus est, non habet necessitatem iterum lauandi. Et Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum. Quid habeat secretior diiudicatio Dei, hominibus quales nos sumus, difficile est fortasse cognoscere: quantum tamen ad ipsa verba attinet, cuilibet homini manifestum est quantum distet inter non habet necessitatem lauandi, & non intrabit in regnum cælorum. Ipsa denique Ecclesia sic traditum tenet, vt hominem sine baptismo ad altare prorsus non possit admittere, rebaptizatum autem cùm post pœnitentiam liceat admitti, quid aliud ostenditur nisi eum baptismo non carere? Si ergo Cyprianus quos esse sine baptismo arbitrabatur, tamen propter vnitatis vinculum ad veniam pertinere præsumebat, potens est Dominus per ipsum vnitatis vinculum & pacis etiam rebaptizatis placari, & eis à quibus rebaptizati sunt, ex ipsa pacis compensatione mitescere, & omnia quæ in errore commiserant delicta donare, offerentibus sacrificium charitatis, quæ cooperit multitudinem peccatorum, vt non attẽdat quàm multi eorum discessu vulnerati sint, sed quàm plures eorum reditu liberati. In quo enim vinculo pacis credidit Cyprianus posse per misericordiã Dei ab Ecclesiæ muneribus non separari eos quos in Ecclesiam sine baptismo existimabat admissos, in eodem vinculo pacis credimus per eandem misericordiam Dei mereri veniam posse rebaptizatos.

ECCLESIA quippe catholica & tẽporibus beati C Cypriani, & ante ipsum præterito tẽpore, aut rebaptizatos, aut baptismum non habentes, vnitatis gremio continebat: aut illi aut illi salutem non nisi vnitatis ipsius merito consecuti sunt. Si enim non habebant baptismum qui ab hæreticis veniebant, sicut asserit Cyprianus, no[illegible] rectè admittebantur; & tamen eiusdẽ ipse indulgentiam de Domini misericordia propter vnitatem Eccle[illegible]æ non desperauit. Ita ergo [illegible] habebat baptismum, non rectè baptizabantur. [illegible]d itaque il[illegible] nisi eadem vnitatis charitas adiuuaret, vt quod in sacramento tractando latebat humanam infirmitatẽ, diuina misericordia non reputaret amantibus pacem?

Cur ergo cùm vestros rebaptizatos timetis, & illis & vobis salutis aditus inuidetis? Fuit aliquando de baptismo dubitatio, Qui diuersa senserunt, in vnitate manserunt. Ea dubitatio procedente tempore, perspecta veritate sublata est, quæstio quæ nondum finita Cyprianum non deterruit vt recederet, vos finita vt redeatis inuitat. Venite ad catholicam concordantem, quam Cyprianus non deseruit fluctuantem; aut si vobis exemplum Cypriani iam displicet, qui communicauit eis qui cum baptismate hæreticorum recipiebantur, apertè dicens: *Neminem iudicantes, aut à iure cõmunionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes*. Quò itis miseri? Quid agitis? Et vosipsos fugite, quia inde processistis, vbi ille permansit. Si verò ei propter abundantiam charitatis & amorem fraternitatis, & vinculum pacis, nec sua peccata, nec aliena obesse potuerunt, huc redite, vbi & nobis & vobis multo minus oberunt quæ vestri finxerunt.

Exhortatio ad Donatistas, vt ad Ecclesiæ vnitatem redeant.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS, LIBER III.

CAP. I. ARBITROR iam manifestũ esse omnibus posse, authoritatem beati Cypriani ad retinendum vinculum pacis, nulloq; modo violandam vnitatis Ecclesiæ salubberrimam charitatem, magis pro nobis quàm pro Donatistis esse proponendam. Si enim Cypriani exemplo vti voluerint ad rebaptizandos catholicos, quia ille censuit in catholica baptizandos hæreticos: nos potius eius exemplo vtimur, quo apertissimè statuit à catholica communione, id est, à Christianis toto orbe terrarum diffusis, etiam malis & sacrilegis admissis, nullo modo per separationem cõmunionis esse recedendum: quandoquidem nec eos qui, vt eidem videbatur, non baptizatos sacrilegos in catholicam communionem recipiebãt, à iure communionis voluit amouere, dicens: Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes.

CAP. II. VIDEO tamen quid adhuc à me possit inquiri, videlicet vt respondeam verisimilibus illis rationibus, quibus vel antè Agrippinus, vel ipse Cyprianus, vel illi qui eis in Aphrica consenserunt, vel si fortè aliqui ex transmarinis terris longéque discretis, nullo quidẽ siue plenario siue saltem regionali cõcilio, sed epistolari colloquio commoti sunt, vt hoc esse faciendum putarent, quod & cõsuetudo Ecclesiæ pristina non habebat, & postea catholicus orbis terrarum robustissima firmitate consensionis exclusit: vt quod per disputationes eiusmodi in aliquorum mentes irrepere cœperat, de salute veniens vnitatis potentior veritas & vniuersalis medicina sanaret. Hunc itaque sermonem videant quàm securus aggrediar. Si assequi & ostendere non potuero, quomodo refellantur ea quæ de concilio Cypriani vel epistolis eius affirmant, Christi baptismum per hæreticos dari non posse, in Ecclesia manebo securus, in cuius communione cum eis qui sibi non consenserant, mansit ipse Cyprianus. Quod si dicunt, propterea tunc illam catholicam ecclesiam fuisse, quia erant ibi pauci, vel si hoc putãt, etiam multi qui baptismum datum apud hæreticos improbabãt, & baptizabant eos qui inde veniebãt. Quid ergo? Ante Agrippinum à quo ista cœpit quasi noua ratio adu[illegible]as consuetudinem dimicans, [illegible]unquid non erat ecclesia? Q[illegible]denique post Agrippinum, quando nisi ad pristinam cõsuetudinem reditum esset, alterum moliri concilium non esset necesse Cypriano, nunquid non erat ecclesia quia talis per omnia consuetudo tenebatur, vt baptismus Christi, non nisi Christi baptismus haberetur, etiam si apud hæreticos vel schismaticos datus fuisse probaretur? Quod si erat etiam tunc ecclesia, & hæreditas Christi non interrupta perierat, sed per omnes gentes augmenta accipiens permanebat, tutissima ratio est in eadem consuetudine permanere, quæ tunc bonos & malos in vna complexione portabat. Si autem tunc non erat ecclesia, quia sacrilegi hæretici sine baptismo recipiebantur: & hoc vniuersali consuetudine tenebatur: vnde Donatus apparuit? de qua terra germinauit? de quo mari emersit? de quo cælo cecidit? Nos itaque, vt dicere cœperam, in eius ecclesiæ communione securi sumus, per cuius vniuersitatem id nunc agitur, quod & ante Agrippinum, & inter Agrippinum & Cyprianum per eius vniuersitatem similiter agebatur, & cuius vniuersitatem neque Agrippinus deseruit, neque Cyprianus, neque illi qui eis consenserant, quamuis aliter quàm cæteri saperent, sed cum eisipsis à quibus diuersa senserunt, in eadem vnitatis communione manserunt. Ipsi autem considerent vbi sint; qui neque vnde propagati sint possunt dicere, si iam tunc Ecclesiam recepti sine baptismo hæretici & schismatici communionis contagione perdiderunt; neque ipsi Cypriano consentiunt. Ille enim cum receptoribus hæreticorum & schismaticorum, ac per hoc cum etiam ipsis receptis manere se in communione professus est: isti autẽ propter nomen traditorum quos in Aphrica infamauerunt, & in transmarino iudicio non conuicerunt, se ab orbis terrarum communione separarunt: cùm etiam si vera crimina obiicerent, multo sint maiora scelera hæresum & schismatũ, vnde sine baptismo, sicut ipso sensit venientes, & in catholicam communionem nõ per baptismum recepti, non potuerunt maculare Cyprianũ. Neque in eo ipso in quo se dicunt imitari Cyprianum, inueniunt quid respondeant de recepto baptismo Maximianistarũ, cum eis, quos ex eorum numero, quos cõcilio suo plenario damnatos, etiam terrenarum potestatum iudicio sunt persecuti, in suam cõmunionem, in eodẽ ipso episcopatu in quo damnauerant reuocauerunt. Quapropter si temporibus Cypriani perdidit ecclesiam malorum communio, non habent isti suę communionis originem. Si autem non perdidit, non habent suæ præcisionis aliquam defensionem: insuper nec exemplum Cypriani sectantur, quia vnitatis vinculum diruperunt: nec ipsum concilium, quia Maximianistarum baptismum receperũt.

Ecclesia interrumpi non potest, quippe perea.

CAPVT III. NVNC ergo nos manentes exemplo Cypriani, cõsideremus etiam consilium Cypriani. Quid ait Cyprianus? *Audistis*, inquit, *collegæ dilectissimi, quid mihi Iubaianus coepiscopus noster scripserit, consulens mediocritatem nostram de illicito & prophano hæreticorum baptismo: quidq; ego rescripserim ei, censens scilicet quod semel atque iterum & sæpe censuimus, hæreticos ad ecclesiam venientes, ecclesiæ baptismo baptizari & sanctificari oportere. Item lectæ sunt vobis & aliæ Iubaiani literæ, quibus pro sua sincera & religiosa deuotione ad epistolam nostram rescribens, non tantum consensit, sed & instructum se esse gratias egit.* His verbis beati Cypriani, accepimus eum à Iubaiano esse consultum, & quid responderit consulenti, & quod ille instructum se esse gratias egerit. Nunquid iam pertinaces existimari debemus, si considerare voluerimus eãdem ipsam epistolam, qua hoc Iubaiano persuasum est? Donec enim persuadeatur & nobis (si hoc persuaderi veris rationibus potest) securos nos de iure catholicæ communionis facit ipse Cyprianus. Sequitur enim & dicit: *Superest vt de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus; neminem iudicãtes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit, amouentes*. Non solum ergo mihi saluo iure cõmunionis adhuc

adhuc verum quærere, sed etiam diuersum sentire cõcedit. *Neque enim quisquam nostrum*, inquit, *episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequẽdi necessitatem collegas suos adigit*. Quid mansuetius? quid humilius? Nulla nos certè deterret authoritas à quærẽdo quid verum sit. *Quando habeat*, inquit, *omnis episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamq; iudicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum iudicare*. Opinor vtique in his quæstionibus quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt. Nouerat enim quantam sacramenti profunditatem tunc omnis ecclesia varia disputatione versabat, liberumque faciebat quærendi arbitrium, vt examinata veritas pãderetur. Neque enim mentiebatur, & simpliciores collegas suos in verbo capere cupiebat, vt cùm se diuersum sentire prodidissent, tunc contra quàm promiserat, excommunicandos esse censeret. Absit ab anima tam sancta ista scelerata perfidia: qui hoc de tali viro quasi cum eius laude sentiunt, nihil aliud quàm seipsos tales esse profitentur. Ego Cyprianum catholicũ episcopum, catholicum martyrẽ, & quanto magis magnus erat, tãto se in omnibus humiliantem, vt coram Deo inueniret gratiam, nullo prorsus modo crediderim in sancto concilio, præsertim collegarum, aliud ore protulisse quàm corde gestabat, præsertim cùm addat & dicat; *Sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem, & præponendi nos in ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi. Sub tanti ergo commemoratione iudicij, verum expectans audire à collegis, prior eis mentiendi præberet exemplum?* Auerterit Deus hanc dementiam à quolibet Christiano, quanto magis à Cypriano. Habemus ergo quærendi liberum arbitrium, ipsius Cypriani nobis mitissimo & verissimo sermone concessum.

Lib. 3. contra Crescent. cap. 2. & infrà lib. 6. cap. 7.

CAPVT IIII. IAM quidem incipiunt eius collegæ proprias proferre sententias, sed ad Iubaianum datas literas audierunt. Recitatę sunt enim, sicut in exordio commemoratum est. Et nobis ergo recitentur, vt nos quoque inde quid sentire oporteat, quantum Dominus adiuuat indagemus. Dicit fortitan quispiam, Quid ergo tu modò dicis? Quid ad Iubaianũ scripserit Cyprianus, iam legi fateor, & profectò issem in eandem sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem reuocaret tanta authoritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinæ, vel etiam fortasse doctiores per tot gẽtes Latinas, Græcas, Barbaras, & ipsam Hebręam, ecclesia toto orbe diffusa parere potuit, quę ipsum quoque pepererat: qui mihi quoque nullo modo videri potuerũt frustra noluisse istam sententiam; non quia fieri non potuit, vt in obscurissima quæstione verius pluribus vnus pauciue sentirent; sed quia non facilè pro vno vel pro paucis aduersus innumerabiles eiusdem religionis & vnitatis viros, & magno ingenio & vberi doctrina prædito, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus ferenda sententia est. Itaque solicitius inquirenti, quãta mihi etiam ipsius Cypriani literæ suggesserint pro hac sententia quam nunc ecclesia catholica tenet, vt Christi baptismus non ex merito eorum per quos datur, sed ex ipsius de quo dictum est: Hic est qui baptizat, agnoscendus & approbandus sit, in progressu sermonis nostri res ipsa indicabit. Arbitremur itaq; iam illam epistolam quæ ad Iubaianũ ab eodem data est, recitatam nobis, sicut in concilio recitata est. Legat eam primo qui lecturus est hæc quæ dicturus sum, ne quid fortè necessarium me subtraxisse arbitretur. Nimis enim longum est, nec ad explicationem susceptæ rei pertinet, vt omnia verba huius epistolæ nunc commemorẽtur à nobis.

Vnius est plurimis in religione quàm vnius aut paucorum priuatam sententiam sequi.

Iuuenis 1.

CAP. V. SI quis autem quærit, quid interim teneam dum ista pertracto: Respondeo, primùm mihi Cypriani literas suggessisse quod teneam, donec perspiciam quale sit quod postea cœpit disputari. Ait quippe ipse Cyprianus: *Sed dicit aliquis: Quid ergo fiet de iis qui in præteritum de hæresi venientes, ad ecclesiam sine baptismo admissi sunt?* Vtrum reuera sine baptismo isti fuerint; an ideo sint admissi, quia illi qui admittebant, eos habere baptismum intelligebant, mox considerabimus. Veruntamen quæ foleret esse ecclesiæ sanctæ consuetudo, satis idem Cyprianus ostendit, qui ait, in præteritũ de hęresi ad ecclesiã venientes sine baptismo admissos. Dicit etiam in ipso concilio Castus Siccensis: *Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est & malignus quibus veritas reuelatur, aut circa Deum ingratus est, cuius inspiratione ecclesia eius instruitur.* Vtrũm veritas reuelata sit, mox quæremus, tamen aliam fuisse ecclesię consuetudinem etiam iste confessus est.

DICIT & Libosus Vagensis: *In Euangelio Dominus, Ego sum, inquit, veritas: non dixit, ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati.* Planè quis dubitet veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere? Sed de manifestata veritate mox videbimus, nunc tamen & iste aliam consuetudinem fuisse manifestat. CAP. VI. *Ioannis 14.*

ITEM Zozimus à Tarassa dixit: *Reuelatione facta veritatis, cedat error veritati: quia & Petrus qui prius circuncidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti.* Noluit quidem iste dicere consuetudinem, sed errorem: veruntamen cùm dicit; Quia & Petrus qui prius circuncidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti, satis indicat quod aliud etiam de baptismo fieri solebat. Simul & admonet nos, non fuisse impossibile vt de baptismo Cyprianus aliquid aliter saperet quàm veritas postulabat, quæ ab ecclesia & ante illum & post illum retenta est: si potuit aliquid etiam Petrus aliter sapere quod veritas non habebat, quam Paulo apostolo doctore didicimus. CAPVT VII. *Idem habet infrà lib. 7. cap. 20. Galat. 2.*

ITEM Felix à Buslacenis dixit: *In hæreticis sine ecclesiæ baptismo admittendis, nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.* Si ratio, si veritas, optimè. Sed hoc mox videbimus. Interim aliam fuisse cõsuetudinem etiam verbis huius apparet. CAPVT VIII. *Infrà libr. 7. cap. 27.*

ITEM Honoratus à Tucca dixit: *Cùm Christus veritas sit, magis veritatem quàm consuetudinem sequi debemus.* Respon. His omnibus sententiis declaratur non extra ecclesiæ cõmunionem nos esse constitutos, donec veritas quam dicunt huic consuetudini esse præponendam, liquidè eluxerit. Si autem veritas id aperuerit esse retinendum, quod illa consuetudo præscripserat, manifestum erit, nec illam fruftra fuisse institutam atque roboratam: & vigilãtius etiam post istas disputationes tanti sacramenti saluberrimam obseruationem, in ecclesia catholica non potuisse mutari, sed conciliorum etiam maiori robore confirmatam religiosissimè custodiri. CAPVT IX. *Idem infrà lib. 7. cap. 41.*

SCRIBIT ergo ad Iubaianum Cyprianus de hæreticorum baptismo, qui videntur ei foris positi, & extra ecclesiam constituti, *vendicare sibi rem, nec iuris sui nec potestatis: quod nos*, inquit, *nec ratum possumus nec legitimum putare; quando hoc apud eos constet esse illicitum.* Nec nos abnuimus eum qui apud hæreticos vel in aliquo schismate extra communionem ecclesiæ baptizatur, non ei prodesse in quantum hæreticorũ & schismaticorum perfidiæ consentit; nec illos qui baptizant, quamuis & ipsum & verum dent baptismi sacramentum, rectè tamen facere, extra ecclesiam colligere, & contra ecclesiam sentire. Sed aliud est non habere aliquid, aliud non iure habere, vel illicitè vsurpare. Non itaque ideo non sunt sacramẽta Christi & ecclesiæ, quia eis illicitè vtuntur, non hæretici solum, sed etiam CAP. X. *Refellit Cypriani ad Iubaianum epistolam.* *Augustinus.* *Aliud non habere aliquid, aliud non iure habere.*

etiam omnes iniqui & impij. Sed tamen illi corrigendi aut puniendi; illa verò agnoscenda & veneranda sunt. Dicit sanè *de hac re non vnum, sed duo vel amplius facta esse concilia*, sed tamen Aphricana. Nam *& in quodam, septuaginta & vnum episcopos fuisse* commemorat; quorum omnium autoritati, vniuersæ ecclesię, cum longe plurib. episcopis toto orbe diffusæ autoritatem non dubitamus cum ipsius Cypriani pace præponere, cuius vniuersæ ecclesiæ ineuulsibile membrũ se esse gaudebat. Non est autem aqua prophana & adultera, super quam nomen Dei inuocatur, etiam si à prophanis & adulteris inuocetur; quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus verò Christi verbis Euangelicis consecratus, & per adulteros & in adulteris sanctus est, quamuis illi sint impudici & immundi: quia ipsa eius sanctitas pollui non potest, & sacramento suo diuina virtus assistit, siue ad salutem bene vtentium, siue ad perniciem malè vtentium. An vero solis vel etiam lucernæ lux, cum per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit; & baptismus Christi potest cuiusquam sceleribus inquinari? Si enim ad ipsas res visibiles quibus sacramenta tractantur, animum conferamus, quis nesciat eas esse corruptibiles? Si autem ad id quod per illas agitur, quis non videat non posse corrumpi, quamuis homines per quos agitur, pro suis morib. vel præmia percipiant, vel pœnas luant?

De cons. dist. 4. cap. non est aqua.

Sacramentis diuina virtus assistit.

Elegãs simil.

CAP. XI. *Nouatiani quoque rebaptizabant.*

RECTE autem non mouit Cyprianum quod scripsit Iubaianus, *Nouatianenses rebaptizare eos qui ad se ex catholica venirent.* Neque enim quicquid hæretici peruerse fuerint imitati, propterea faciendum à catholicis non est, quia illi similiter faciũt. Sed aliud est cur hæretici rebaptizare non debeant, aliud cur catholica. Hęretici enim nec si in catholica faciendum esset, facere deberent, quia in catholicis hoc non esse dicũt, quod ipsi cum ibi essent acceperunt, & cum discederent abstulerunt. Catholica verò proptereа non debet iterare baptismum, qui apud hæreticos datus est; ne iudicare videatur ipsorum esse quod Christi est, aut eos non habere, quod intus cùm acceperint, amittere vtique foras exeundo non possunt. Hoc enim ipse Cyprianus etiam cum cæteris statuit, vt si ab hæresibus redirent ad ecclesiam, quicunque fuerant in ea baptizati, non iam per baptismum, sed per pœnitentiam reciperentur: vnde constat eos non posse amittere recedentes, quod non recipiunt remeantes. Non autem sicut hæresis ipsorum est, sicut error ipsorum est, sicut sacrilegiũ dissensionis ipsorum est, sic etiã baptismus qui Christi est, dici debet ipsorũ. Itaque cum illa mala ipsorum quando redeunt corrigũtur, in eo quod ipsorum non est, ille agnoscendus est cuius est.

De cons. dist. 4. c. nunc autem.

CAPVT XII. *Cyprianus.*

IDEO autem non se nouam aut repentinam rem statuisse beatus Cyprianus ostendit, quia sub Agrippino iam cœperat fieri. *Anni sunt*, inquit, *multi, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro, conuenientes episcopi plurimi hoc statuerunt.* Proinde ab ipso Agrippino res noua facta est. Quomodo autem dicat, *Atque exinde in hodiernum tot milia hæreticorum in prouinciis nostris ad ecclesiam conuersi, non aspernati sunt, neq; cunctati, imò & rationabiliter & libẽter amplexi sunt, vt lauacri vitalis & salutaris baptismi gratiam consequerentur*; nõ video: nisi fortè hoc dicat *exinde in hodiernum*, quia nulla de illis ex quo in ecclesia per Agrippini cõcilium baptizati sunt, quæstio alicuius excommunicationis exorta est. Cęterum si permanebat ab Agrippino vsque ad Cyprianum consuetudo baptizandi ab hæreticis venientes, vt quid facta sunt à Cypriano de hac re concilia? Vt quid eidem Iubaiano dicit, *non se rem nouam fecere aut repentinam, sed ab Agrippino institutam?* Cur enim Iubaianus de nouitate turbaretur, vt eum per autoritatem Agrippini sanari oporteret, si ab Agrippino vsque ad Cyprianum hoc tenebat ecclesia? Cur denique tot eius collegæ in concilio dixerunt *rationem & veritatem consuetudini præponendam*, ac nõ potius dixerunt eos qui aliud facere vellent, & contra veritatem & contra consuetudinem facere?

CAPVT XIII.

DE remissione autem peccatorum, vtrum per baptismum apud hæreticos fiat, quid mihi videretur, in alio iam volumine scripsi. Sed etiam hic breuiter commemoro. Si sit illic remissio debitorum per baptismi sanctitatem, rursus debita redeũt per hæresis & schismatis obstinationem: & ideo necessarium habent huiusmodi homines venire ad catholicam pacem, vt hæretici & schismatici esse iam desinant, & eorum quæ in illos redierant, peccatorum purgationem in vnitatis vinculo charitate operante mereantur. Si autem quamuis apud hæreticos vel schismaticos idem sit baptismus Christi, non tamen ibi operatur remissionem peccatorum propter eandem discordiæ fœditatem & dissensionis iniquitatem: tunc incipit valere idem baptismus ad dimittẽda peccata, cum ad ecclesiæ pacem venerint; non vt iam dimissa non retineantur, neque vt ille baptismus quasi alienus aut alius improbetur, vt alter tradatur: sed vt idem ipse qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem. Idem quippe odor erat de quo dicit Apostolus; Christi bonus odor sumus Deo in omni loco; & tamen in iis qui salui fiunt, inquit, & in iis qui pereunt; aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem. Quod & si de alia re dixit, ad hoc ego posui, vt intelligatur aliquod bonum, non solum vitam posse operari bene vtentibus, sed etiam mortem malè vtentibus.

Supra lib. 1. c. 11. & seq.

2. Cor. 2.

CAPVT XIIII. *Ad sacramẽti integritatem nihil interest quæ sit fides suscipientis.*

NEC interest cùm de sacramẽti integritate & sanctitate tractatur, *quid credat & quali fide imbutus sit ille qui accipit sacramentum.* Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest vt homo integrum habeat sacramentum, & peruersam fidem: sicut fieri potest vt integra teneat verba symboli, & tamen non rectè credat, siue de ipsa trinitate, siue de resurrectione, vel aliquid aliud. Neque enim parua res est in ipsa intus catholica tenere integram fidem, ita vt omnino non de aliqua creatura, sed de ipso Deo nihil aliud credat quã veritas habet. Nunquid nam ergo si in ipsa catholica baptizatus, postea legendo audiendo, & pacificè differendo, ipso Domino reuelãte cognouerit aliter se antè credidisse quã debuit, denuo baptizandus est? Quis autem nisi carnalis & animalis homo, per phantasmata cordis sui euagetur, & constituat sibi Deum qualis ei pro suo sensu carnali placuerit, atque ita credat tantum longè aliter quàm Deus est, quantum à veritate vanitas differt? Verissimam quippe sententiam dixit Apostolus, plenus lumine veritatis, Animalis, inquit, homo non percipit quæ sunt spiritus Dei. Et tamen de his hoc dicebat, quos iam fuisse baptizatos ipse manifestat. Eis enim dicit: Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Habebant ergo isti baptismi sacramentum, & tamen carnaliter sapiendo, quid poterant de Deo credere nisi secundum sensum carnis suæ, vbi animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei? Talibus dicit: Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Adhuc enim estis carnales. Tales etiam circumferuntur omni vento doctrinæ, de qualibus dicit: Vt vltra non simus paruuli, iactati & circumlati omni vento doctrinæ. Nunquid ergo isti si profecerint vsque ad spiritalem hominis interioris ætatem, & intelligentiæ synceritate cognouerint, quàm lõgè aliter per fallaciam suorum phantasmatum de Deo crediderint,

Integritas fidei res est non exigui momenti.

Ephes. 4.

derint, quàm veritas postulabat, iterũ baptizandi sunt? Sic etiam fieri potest, vt in alicuius hæretici librum catholicus catechumenus incidat, & à veritate nesciens discernere errorem, credat aliquid contra catholicam fidem, cui tamen errori verba symboli non repugnãt. Sub eisdem quippe verbis innumerabiles hæreticorũ errores exorti sunt. Putans ergo iste catholici alicuius magni atque docti esse illum librum, si talia credens in catholica baptizetur, & posteriore diligẽtia cognoscat, quemadmodum credere debeat, atque arrepta fide catholica illud ex animo respuat; nunquid si hoc confessus fuerit, denuò baptizandus est? Aut si antequam discat & confiteatur, hoc sentire inueniatur, & quid abiicere debeat, quidue credere doceatur, manifestumq; fiat in ea falsitate fidei baptizatum fuisse, nũquid denuò baptizandus est? Quid ita? quia illa sanctitas sacramenti verbis euangelicis cõsecrata super eum integra permanebat, sicut eam traditã acceperat; quãuis ipse in carnalis mentis vanitate constitutus, aliud cùm baptizaretur crederet, quàm credere debuisset. Quapropter manifestum est fieri posse, vt fide non integra integrum in quoquam maneat baptismi sacramẽtum, & ideo illa quæ de diuersorum hæreticorum varietate dicuntur, ad istam quæstionẽ non pertinent. Illud enim in vnoquoque corrigendum est, quod ille per quem corrigitur, prauum esse perspexerit. Illud sanandum est quod ægrotat, illud dandum est quod non habetur, & maximè charitas pacis, sine qua cætera prodesse non possunt. Sed tamẽ cùm adsunt, non quasi desint tradenda sunt; sed vt fructuosè, & non perniciosè habeantur, per ipsum vinculum pacis & eminentiam charitatis, agendum est.

1. Corint. 3. De consecr. dist. 4. cap. Sicut in sacramentis.

1. Corint. 2.

Philip. 3.

Hæreticorum & schismaticorum laquei perniciosi.

Vt scriptura, sic & sacramenta hæreticis cum Ecclesia communia esse possunt.

Hierem. 15.

Apocal. 19.

CAP. XV. *Ad baptismi integritatem nec ministri necessariam esse fidem.*

QUAMOBREM si euangelicis verbis, *in nomine patris & filij & Spiritus sancti, Marcion baptismum consecrabat*, integrum erat sacramentum. quamuis eius fides sub eisdem verbis aliud opinantis quàm catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, id est, in nomine patris & filij & Spiritus sancti, non solùm Marcion aut Valentinus, aut Arrius, aut Eunomius, sed ipsi carnales paruuli ecclesię, quibus dicebat Apostolus, Non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, si possent singuli diligenter interrogari, tot diuersitates opinionum fortassis, quot homines numerarentur. Animalis enim homo non percipit ea quę sunt spiritus Dei. Nunquid tamen ideo non integrum sacramentum accipiunt? Aut nunquid ideo si profecerint, & opinionum carnalium vanitatem emendauerint, denuò quod acceperãt repetendum est? Accipit quisque secundum fidem suam, sed quãtum capit gubernante illum misericordia Dei, de qua præsumens idem Apostolus dicit, Si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus reuelabit. Laquei tamen hæreticorum & schismaticorum propterea carnalibus nimium perniciosi sunt, quia ipse prouectus eorum intercluditur, confirmata sententia vanitatis aduersus catholicam veritatem, & confirmata animositate dissensionis aduersus catholicam pacem. Sacramenta tamen si eadem sunt, vbique integra sunt, etiam si prauè intelligũtur, & discordiosè tractantur: sicut Scriptura ipsius euangelij si eadem ipsa est, vbique integra est, etiam si innumerabili falsarum opinionum varietate asseratur. Nã quod ait Hieremias, *Vt quid qui contristant me prævalent? Plaga mea solida est, vnde sanabor? Dum fit, facta est mihi sicut aqua mendax non habens fidem.* Si figuratè atque allegorica locutione prophetię nusquam poneretur aqua, nisi quæ baptismum significaret; laboraremus quærere quid sibi velint hæc verba Hieremiæ. Nunc autem cùm apertissimè in Apocalypsi exponantur aquæ populis positæ; cur non intelligam aquam mendacem & sine fide, populum mendacem ac perfidum, nescio.

CAPVT XVI. *Sola charitas non datur extra catholicã.*

Romanis 5.

1. Cor. 13.

Charitatem non habent qui ecclesiæ non diligunt vnitatem.

Act. 5.

1. Cor. 12.

Act. 8. & 10.

SPIRITVS autem sanctus quod in sola catholica per manus impositionẽ dari dicitur, nimirum hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait, Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ipsa est enim charitas quam non habent, qui ab ecclesię catholicæ communione præcisi sunt; ac per hoc etiam si linguis hominum loquantur & angelorum, si sciant omnia sacramenta & omnem scientiam, & si omnem habeant prophetiam, & omnem fidem, ita vt montes transferant, & distribuãt omnia sua pauperibus, & tradant corpus suum vt ardeãt, nihil eis prodest. Non autem habent Dei charitatem, qui ecclesiæ non diligũt vnitatem, ac per hoc rectè intelligitur dici non accipi nisi in catholica Spiritus sanctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestãtibus per manus impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad cõmendationem rudis fidei, & ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt ij quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed inuisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorũ cordibus diuina charitas inspirari, vt possint dicere, Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Multæ autem sunt operationes Spiritus sancti, quas idem apostolus cùm quodam loco quantum sufficere arbitratus est commemorasset, ita conclusit, Omnia autẽ hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens propria vnicuiq; prout vult. Cùm ergo sit aliud sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, aliud operatio spiritus, quæ in malis hominibus etiam fieri solet: sicut Saul habuit prophetiam, aliud operatio eiusdem spiritus, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; quodlibet hæretici & schismatici accipiant, charitas quæ cooperit multitudinem peccatorũ, proprium donũ est catholicæ vnitatis & pacis, nec eius in omnibus, quia nec eius sunt omnes, sicut suo loco videbimus. Præter ipsam tamen esse illa charitas non potest, sine qua cætera etiam si agnosci & approbari possunt, prodesse tamen & liberare non possunt. Manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem?

CAP. XVII.

Lib. seu epist. De lapsis.

NAM *quod in typo vnitatis Petro Dominus dedit potestatem, vt id solueretur in terris quod ille soluisset*, manifestum est quòd illa vnitas etiam vna columba perfecta sit dicta. Nunquid ergo ad eandem columbã pertinent omnes auari, de quibus in eadem catholica graiter idem Cyprianus ingemuit? Nam, vt opinor, raptores nõ columbæ, sed accipitres dici possunt. Quomodo ergo baptizabant, qui fundos insidiosis fiaudibus rapiebant, & vsuris multiplicantibus fœnus augebant; si sola illa columba, id est, illa vnitas quæ nisi in bonis intelligi non potest, simplex & casta & perfecta baptizat? An fortè per orationes sanctorum spiritaliũ qui sunt in ecclesia, tanquam per columbæ creberrimum gemitum, magnum geritur sacramẽtum, & occulta dispensatio misericordiæ Dei; vt eorum etiam peccata soluantur, qui non per columbam, sed per accipitrem baptizantur, si ad illud sacramẽtum cum pace catholicæ vnitatis accedunt? Quod si ita est, cur nõ ergo per eorum orationes cùm quisque ab hæresi aut schismate ad pacem catholicã venit, eius peccata soluuntur? Sacramenti autẽ integritas vbique cognoscitur; sed ad peccatorum illam irreuocabilem remissionem extra vnitatem ecclesiæ non valebit, nec in hæresi aut schismate constitutum sanctorum orationes, id est, illius vnicæ columbæ gemitus poterunt adiuuare; sicut nec intus positum possunt, si aduersum se ipse

per

per vitam pessimam teneat debita peccatorũ, non solum si per accipitrem, sed etiam si per ipsius columbę pium ministerium baptizetur.

CAPVT XVIII. Ioan. 20.

SICVT *misit me*, inquit, *pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, inspirauit, & ait illis, Accipite Spiritum sanctũ, si cuius remiseritis peccata, remittentur illi; si cuius tenueritis, tenebuntur*. Ergo si personam gerebant Ecclesiæ, & sic eis hoc dictum est, tanquam ipsi Ecclesiæ diceretur; pax Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio tenet peccata, non secundum arbitriũ hominum, sed secundum arbitrium Dei & orationes sanctorum spiritalium, qui omnia diiudicant, ipsi autẽ à nemine iudicantur. Petra enim tenet, petra dimittit: columba tenet, columba dimittit: vnitas tenet, vnitas dimittit. Pax autẽ huius vnitatis in solis bonis est, vel iam spiritalibus, vel ad spiritalia concordi obedientia proficientibus. In malis autẽ non est, siue foris tumultuentur, siue intus cum gemitu tolerentur, & baptizent & baptizentur. Sicut autem isti qui intus cum gemitu tolerantur, quãuis ad eandem columbæ vnitatẽ, & illam gloriosam Ecclesiam non habentem maculã aut rugam, aut aliquid huiusmodi non pertineant; tamen si corrigantur, & se pessimos ad baptismum accessisse fateantur, non rebaptizantur, sed incipiunt ad columbam pertinere, per cuius gemitus peccata soluuntur, à cuius pace alienati tenebantur: sic & qui apertius foris sunt, si eadem sacramẽta sumpserũt, cùm correcti ad Ecclesiæ veniunt vnitatem, non iterato baptismo, sed eadem charitatis lege & vnitatis vinculo liberantur. Nam si *non nisi in Ecclesia præpositis, & Euangelica lege ac Dominica ordinatione fundatis licet baptizare*, nunquid tales erant qui fundos insidiosis fraudibus rapiebant, & vsuris multiplicantibus fœnus augebant? Arbitror enim quia illi Dominica ordinatione fundati sunt, quibus cùm formã daret Apostolus, ait, Non auarum, non turpilucrũ. Tales tamen ipsius Cypriani temporibus baptizabãt, quos coepiscopos suos cum magno fuisse gemitu confitetur, & cum magna tolerantiæ mercede perpetitur. Remissam tamen peccatorum non dabant, quæ per orationes sanctorum, id est, per columbæ gemitus datur, quicunque baptizet, si ad eius pacem illi pertinẽt quibus datur. Non enim raptoribus, & fœneratoribus diceret Dominus: Si cui dimiseritis peccata, dimittẽtur illi: si cui tenueritis, tenebuntur. *Foris* quidem *nec ligari aliquid potest nec solui, vbi non sit qui aut ligare possit aut soluere*; sed soluitur qui cum columba fecerit pacẽ, & ligatur qui cum columba non habet pacem, siue apertè foris sit, siue intus esse videatur. *Dathan verò Chore & Abiron, qui sibi licentiam sacrificandi vsurpare conati sunt cõtra vnitatem populi Dei, & filij Aaron qui alienum ignem altari imposuerunt*, nouimus quòd impunè non fecerint. Nec nos talia scelera dicimus impunita remanere, nisi se tales correxerint, si patientia Dei ad pœnitentiam addu cens tempus corrigendi largitur.

Apostoli Ecclesiæ gestare personam, quando eis dictum est, Accipite Spiritum sanctũ, quorum remiseritis, &c.

2. Retract. 18

Ephes. 5.

2. q. 1. cap. Remissionem. Consule scholia.

Num. 16.

CAPVT XIX.

ILLI sanè qui propterea dicunt non esse iterandũ baptismum, quia *manus tãtummodò imposita est eis quos Philippus diaconus baptizauerat*, nihil ad rem pertinens dicunt: & absit vt cùm verum quærimus, talibus argumentis vtamur. Quapropter magis hæreticis non cedimus, si quod habent de Christi Ecclesia, non esse dicamus ipsorum, nec propter scelera desertorũ imperatoris nostri signa nolimus agnoscere: magis quia Dñs Deus noster Deus zelans est, quicquid eius apud aliquem agnoscimus, nullo modo ei c ncedamus vt suũ proprium esse arbitretur. Ipse certè Deus zelans fornicari à se feminæ in figura præuaricatricis plebis exprobrat & dicit, quòd ea quæ ipsius essent dabat amatoribus suis, & rursus ab eis accipiebat quæ non illorum, sed ipsius erant. Inter adulteram feminam & adulteros amatores, dona sua tamen Deus tanquam zelans iratus agnoscit, & nos hęreticorũ esse baptismũ dicimus verbis Euãgelicis cõsecratũ, cõmoti factis eorum etiã quæ Dei sunt eis tribuere volumus, quasi ea contaminare potuerint, aut propterea sua facere quæ Dei sunt, quia ipsi Dei esse noluerũt? Quæ est illa mulier adultera quam Osee propheta designat, quæ dixit: Ibo post amatores meos, qui mihi dant panes meos & aquam meam, vestes meas & linteamina mea, & vniuersa quæ mihi cõdecent. Licet quidẽ hoc & de præuaricatrice Iudæorũ gente intelligere; sed tamẽ quos alios imitãtur pseudochristiani (hoc enim sunt omnes hæretici & schismatici) nisi pseudoisraelitas? Erant enim & veri Israelitæ, sicut ipse Dñs Nathanaeli perhibet testimoniũ, dicẽs, Ecce verè Israelita in quo dolus non est. Qui sunt autẽ veri Christiani, nisi de quibus idem Dñs dicit, Qui diligit me, mãdata mea custodit: Quid est autẽ custodire mandata eius, nisi in dilectione persistere? Vnde etiã dicit, Mandatũ nouum do vobis vt vos inuicẽ diligatis. Et iterũ, In hoc sciẽt omnes quia mei discipuli estis, si vos inuicẽ dilexeritis. Quis autẽ dubitet, non eis solis dictũ qui tunc per eius carnem verba præsentis audiebãt, sed & eis qui nunc per Euangeliũ sedentis in cęlo verba cognoscũt? Ille enim venit non legẽ soluere, sed implere. Plenitudo autẽ legis charitas. Qui multũ viguit Cyprianus, vt aliud de baptismo sentiẽs, non tamen desereret vnitatẽ, & esset in vite Dñica radicatum sarmentũ fructuosum, quod etiã ferro passionis purgaret cælestis agricola, vt maiorem fructũ daret. Huius autẽ fraternæ charitatis inimici, siue apertè foris sint, siue intus esse videãtur, pseudochristiani sunt & antichristi. Inuẽtis enim occasionibus foras exeunt, sicut scriptũ est, Occasiones quęrit qui vult discedere ab amicis. Sed etiã si occasiones desint, cùm intus videtur, ab illa inuisibili charitatis cõpage separati sunt. Vnde Ioannes dicit, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: Nam si fuissent ex nobis, mãsissent vtique nobiscũ. Non ait quòd exeũdo alieni facti sunt, sed quòd alieni erant, propter hoc eos exiisse declarauit. Dicit & apostolus Paulus de quibusdã qui circa veritatẽ aberrauerãt, & fidẽ quorũdam subuertebant, quorũ sermo vt cancer serpebat, quos cùm euitandos esse diceret, in vna tamen domo magna eos fuisse significat, sed tanquã vasa in contumeliã. Credo quòd nondũ foras exierant: Aut si iã exierant, quomodo eos dicit in eadẽ magna domo cũ vasis honorabilibus: nisi fortè propter ipsa sacramẽta, quæ separatis etiam hæreticorũ conuenticulis non mutata sunt, ad vnam magnã domum dicit omnes, sed diuersis meritis pertinere, alios in honorẽ, alios in cõtumeliam. Sic enim loquitur ad Timotheũ scribẽs: Prophanas autem verborũ nouitates euita. Multũ enim proficiẽt ad impietatem, & sermo eorũ sicut cancer serpit. Ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui circa veritatẽ aberrauerunt, dicentes resurrectionẽ iam factã esse, & fidem quorundã subuertunt. Firmum autẽ fundamentũ Dei stat, habẽs signaculũ hoc, Nouit Dñs qui sunt eius: & recedat ab iniustitia omnis qui nominat nomen Dñi. In magna autẽ domo, non solũ aurea vasa sunt vel argentea, sed & lignea & fictilia; & alia quidẽ sunt in honorẽ, alia verò in contumeliã. Si quis ergo emundauerit semetipsum ab istiusmodi, erit vas in honorẽ sanctificatũ, vtile Dño ad omne opus bonũ paratũ. Quid est autem mundare semetipsum à talibus, nisi quod paulò ante dixit, Recedat ab iniustitia omnis, qui nominat nomen Dñi? Et ne quisquam putaret tanquam in vna domo magna perire se posse cum talibus, vigilantissimè prædixit, Nouit Dñs qui sunt eius: eos videlicet qui recedendo ab iniquitate se mũdant à vasis factis in contumeliam, ne cum ipsis pereant quos in domo magna tolerare coguntur. Mali ergo & facinorosi, carnales, animales, diabolici, à seductoribus suis sibi dari

Osee 2.

Ioannis 1. Veri Christiani.

Ioannis 14.

Ioannis 13.

Matthæi 5.

Roman. 13.

Pseudochristiani.

Proverb. 18.

1. Ioannis 2.

2. Timot. 2.

Hæretici quidam quomodo in magna ecclesiæ domo.

2. Timot. 2.

dari arbitrantur, quæ non nisi munera Dei sunt, siue sacramẽta, siue spiritales aliquas operationes, circa præsentem salutem. Nõ autem habent isti charitatem in Deum, sed circa eos occupati sunt, quorum superbia seducuntur, & comparantur mulieri fornicanti, quam Propheta commemorat dicentem, Ibo post amatores meos, qui mihi dant panes meos, & aquam meam, vestes meas, & linteamina mea, & oleum meum, & vniuersa quæ mihi condecent. Sic enim fiunt hæreses & schismata, cum dicit plebs carnalis quæ in charitate Dei fundata non est, Ibo post amatores meos, cum quibus vtiq; siue per fidei corruptionem, siue per elationem superbiæ turpiter fornicatur. Sed propter eos qui passi difficultates, & angustias & interclusiones inanis ratiocinationis eorum à quibus seducũtur, compunguntur timoribus, & redeunt ad viã pacis, ad quærendum synceriter Deum: ideo sequitur & dicit, Propterea ecce ego sepio sudibus viam illius, & ædificabo in via ipsius spinas, & tramitem suum non inueniet, & persequetur amatores suos, nec illos apprehendet, & requiret eos, nec inueniet eos, & dicet, Ibo & reuertar ad virum mẽum pristinum, quia bene tunc mihi fuit quàm nunc. Deinde ne ipsorum putentur illa quæ seductores habent integra, & de veritatis doctrina veniẽtia, per quæ seducunt ad falsitates dogmatum & dissensionum suarum. Ne illa ergo quæ habent integra ipsorum putentur, addidit continuò: Et hæc non cognouit quòd ego ei dederim frumentum & vinum & oleum, & pecuniam multiplicaui illi, ipsa verò fecit vasa aurea & argentea Baal. Dixerat enim superius, Ibo post amatores meos, qui mihi dant panes meos & cætera, non vtique intelligens hæc Dei esse, non hominum, quæcunque etiam seductores integra & legitima tenent: nec etiam sibiipsi arrogarẽt, & quasi propria vendicarent, nisi à plebibus seductis vicissim seducerentur, cum eis creditur, & tales honores deferuntur, vt per eos habeant potestatem talia dicendi, & sibi talia vendicandi: vt error eorum veritas appelletur, & scelus eorum iustitia putetur propter sacramenta, & Scripturas quas tenent ad speciem, non ad salutem. Ideoque & per Ezechielem eidem fornicariæ dicitur, Et protulisti de vasis gloriæ tuæ de auro meo, & de argento meo ex quibus dedi tibi, & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis. Et accepisti vestem meam versicoloriam, & cooperuisti idola tua; & oleũ meum & incensum meum posuisti ante faciem idolorum tuorum, & panes meos quos dedi tibi; & similagine & melle & oleo cibaui te, & posuisti hæc ante faciem idolorum tuorum in odorem bencolentem. Et perfecisti hæc. Ad imagines enim phantasmatum suorũ, cum quibus volutari carnalis anima delectatur, conuertit omnia sacramenta, & verba librorum sanctorum. Nec tamen quia illæ imagines falsæ sunt, & doctrinæ dæmoniorum sunt, in hypocrisi mendacloquorum, propterea & illa sacramenta, & diuina eloquia sic exhonoranda sunt, vt illorum esse putentur, cum Dominus dicat, de auro meo & de argento meo & veste mea versicoloria, & oleo meo & incenso & panibus meis, & cætera. An quia illi errantes eorum esse ista putant à quibus seducuntur, propterea nõ debemus agnoscere cuius sint, cum ipse dicat, Et hæc nõ cognouit quòd ego ei dederim frumentum, vinum & oleum, & pecuniam multiplicaui illi? Non enim dixit eam non habuisse ista, quia fornicaria erat, sed habuisse dicitur, & non sua nec amatorum suorum, sed Dei, cuius vnius ista sunt. Quamuis ergo habuerit fornicationem suam, illa tamen quibus eandem fornicationem ornabat, vel seducta vel seducens, non erant eius sed Dei. Si hæc de Iudæa gente figurabantur, vbi Scribæ & Pharisæi reiiciebant mãdatum Dei, vt traditiones suas constituerent, vt cum plebe Deũ relinquente sic quodammodo fornicarentur: nec tamen talis illius temporis in populo fornicatio quã Dominus arguendo prodebat, effecit vt eorum essent sacramenta, quæ non erant eorum, sed Dei, qui loquens ad fornicariam dicit illa omnia sua esse, vnde ipse Dominus etiã quos mundauit à lepra, ad eadem sacramenta misit, vt offerrent pro se sacrificium sacerdotibus: quia nondum eis successerat sacrificium, quod ipse pòst in Ecclesia voluit celebrari pro illis omnibus, quia illis omnibus ipse prenunciabatur: quãto magis nos sacramenta noui testamenti, apud quoslibet hæreticos vel schismaticos inuenientes, non debemus ipsis tribuere, nec quasi non agnita reprobare, sed quamuis apud fornicariam mulierem dona viri legitimi agnoscere, & verbo veritatis illam fornicationem emendare, quæ propria est impudicæ mulieris, non illa dona culpare; quę propria sunt Domini miserantis? Harum & talium rerum cõsideratione patres nostri, non solum ante Cyprianum vel Agrippinum, sed etiam postea saluberrimam consuetudinem tenuerunt, vt quicquid diuinum atq; legitimum in aliqua hæresi, vel schismate integrum reperirent, approbarent potius quàm negarẽt: quicquid autem alienum, & erroris illius vel dissensionis proprium, veraciter arguerent & sanarent. Sed ea quæ ex Epistola illa quæ ad Iubaianum scripta est, consideranda remanserunt, propter huius voluminis modum ab alio quantum opinor, exordio suscipienda atq; tractanda sunt.

Hæreses & schismata quomodo fiũt Osee 2.

Ezech. 16.

Missa sacrificium veteris legis sacrificiis successit.

Libri tertij finis.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS, LIBER IIII.

CAP. I. Pergit Cyprianum ab vbitatum epistola reficere.

ECCLESIA paradiso comparata, indicat nobis posse quidem eius baptismum homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam nemine vel percipere vel tenere. Ná & flumina de fonte paradisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter manauerunt. Nominatim quippe commemorantur, & per quas terras fluant, & quia extra paradisum constituta sunt, omnibus notum est: nec tamen in Mesopotamia vel in Ægypto, quò illa flumina peruenerũt, est felicitas vitæ quæ in paradiso commemoratur. Ita fit, vt cum paradisi aqua sit extra paradisum, beatitudo tamen non sit nisi intra paradisum. Sic ergo baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam, munus autẽ beatæ vitæ non nisi intra Ecclesiam reperitur, quæ super petram etiam fundata est, quæ ligandi & soluendi claues accepit. *Hæc est vna quæ tenet & possidet omnem sui sponsi & Domini potestatem*, per quam coniugalem potestatem etiam de ancillis filios parere potest: qui si nõ superbiãt, in sortem hæreditatis vocabuntur, si autem superbiant, extrà remanebunt.

Gen. 2.

Matt. 16.

CAP. II.

MAGIS ergo quia pro Ecclesiæ honore atque vnitate pugnamus, non tribuamus hæreticis quicquid apud eos eius agnoscimus; sed eos arguentes doceamus, quod ex vnitate habent non valere ad salutem, nisi ad eandem venerint vnitatem. *Aqua enim Ecclesiæ fidelis & salutaris & sancta est* bene vtentibus. Ea verò bene vti extra Ecclesiam nemo potest: malè autem vtentibus & foris & intus, ad supplicium geritur, non ad premium suffragatur; & ideo baptismus corrũpi & adulterari nõ potest, cùm si à corruptis & adulteris habeatur: *sicut & ipsa Ecclesia incorrupta & casta & pudica est*, & ideo non ad eam pertinent auari, raptores, fœneratores: quos non tantum foris, sed etiam intus esse multis literarum suarum locis Cyprianus ipse testatur; & tamen

Lib.4. epist.4. men non mutato corde baptizantur & baptizãt. Nam & hoc in quadam Epistola sua dicit ad clericos de precando Deo, transfigurans in se vt sanctus Daniel peccata populi sui. Nam inter multa mala quæ commemorat etiam hoc ait, *Seculo solis verbis & non factis*
Ad Titum 1. *renunciantes, sicut de quibusdam dicit Apostolus, Confitentur enim nosse se Deum, factis autẽ negant.* Hos ergo beatus Cyprianus in ipsa intus Ecclesia versari arguit, qui corde in melius non mutato baptizantur, quãdo vtiq; seculo verbis non factis renunciant, cum dicat apo-
1. Petri 3. stolus Petrus, Quod & vos simili forma saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonę interrogatio, quam vtique non habebant, de quibus dicitur, Seculo solis verbis & non factis renunciantes: & tamen id agit increpans & arguens eos, vt aliquando ambulent in via Christi, & eius amici malint esse quàm seculi.

CAPVT III. CVI si obtemperassent, & rectè iam viuere non vt pseudochristiani, sed vt veri Christiani cœpissent, nũquid eos iuberet denuò baptizari? Nõ vtique, sed hoc eis præstaret vera conuersio, vt sacramentum quod nõ mutatis valebat ad perniciem, mutatis valere inciperet ad salutem: quia nec isti Ecclesiæ deuoti sunt, qui
Ephes. 1. videntur esse intus, & contra Christum viuunt, id est, contra Christi mandata faciunt: nec omnino ad illam Ecclesiam pertinere iudicandi sunt, quam sic ipse mũdat lauacro aquæ in verbo, vt exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut a-
2. Reg. 18. liquid huiusmodi. Quòd si in ista Ecclesia non sunt, ad cuius membra non pertinent, non sunt in Ecclesia
Cant. 6. Ephes. 5. de qua dicitur, Vna est columba mea, vna est matri suæ; ipsa est enim sine macula & ruga: aut asserat qui potest, huius columbæ membra esse qui seculo verbis, non factis renunciant. Interim aliquid videmus,
Iob. 14. vnde dictum arbitror, Qui sapit diem, Domino sapit: Deus enim iudicat omnem diem. Secundum autem eius præscientiam qui nouit quos prædestinauerit ante mundi constitutionem conformes fieri imaginis filij sui, multi etiam qui apertè foris sunt, & hæretici appellantur, multis & bonis catholicis meliores sunt. Quid enim sint hodie, videmus; quid cras futuri sint, ignoramus. Et Deo quidẽ apud quem sunt præsentia quæ ventura sunt, etiã quod futuri sunt iam sunt: nos au-
Cant. 6. tẽ secundũ id quod in præsenti est quisq; hominũ, quærimus vtrũ in illis Ecclesiæ membris, quæ vna co-
Ephes. 5. lumba dicta est, & sponsa Christi sine macula & ruga,
2. Reg. 18. hodie deputandi sint, de quibus dicit Cyprianus in E-
Lib. 4. epi. 4. pistola quam commemoraui, *quòd viam Domini non tenerent, nec data sibi ad salutem cælestia mandata seruarent, quod non facerent Domini voluntatem, patrimonio & lucro studẽtes, superbiã sectantes, æmulationi & dissensioni vacantes, simplicitatis & fidei negligentes, seculo solis verbis & non factis renunciantes, vnusquisque sibi placentes, & omnibus displicentes.* Quòd si eos in suis membris nec illa columba cognoscit: & talibus, si in eadem peruersitate permanserint, dicturus est Deus, Nõ noui
Matth. 7. vos, recedite à me qui operamini iniquitatem: videntur esse in Ecclesia, sed non sunt, imò & contra Ecclesiam faciunt. Quomodo ergo baptismo Ecclesiæ baptizare possunt, quod nec ipsis prodest nec accipientibus, nisi intrinsecus vera conuersione mutentur, vt ipsum sacramentum, quod eis accipientibus non proderat, quando seculo verbis non factis renunciabant, prodesse incipiat, cùm & factis cœperint renunciare: ita & illi quorum est aperta separatio, quia in membris illius columbæ, nec hi nec illi sunt hodie, sed ali-
Iob. 14. eorum fortasse futuri sunt.

CAPVT IIII. NONNVLLI *hæreticorum baptisma acceptamus*, quãdo post eos non baptizamus, sed quod Christi esse cognoscimus etiam in malis hominibus, siue apertè foris, siue intus occultè separatis, illis in ea re in qua de-

A uiabãt correctis, debita veneratione suscipimus. Sicut autem vrgeri videor cum mihi dicitur, *ergo hæreticus dimittit peccata?* sic & ego vrgeo cum dico, ergo qui cęlestia mandata non seruat, auarus, raptor, fœnerator, inuidus, verbis non factis seculo renuncians dimittit peccata? Si per vim sacramenti Dei, sicut & ille ita & ille. Si per meritum suũ, nec ille nec ille. Illud enim sacramentum & in malis hominibus Christi esse cognoscitur: in corpore autem vnicæ columbæ, incorruptæ, sanctæ, pudicæ, non habentis maculam aut rugã, nec ille nec ille inuenitur. Et quomodo accipienti nõ prodest baptismus, ei qui seculo verbis non factis renũciat; sic non prodest ei qui in hæresi vel schismate baptizatur, vtriq; autem correcto prodesse incipit, quod ante non proderat, sed tamen inerat. *Baptizatus ergo in hæresi nõ fit templum Dei:* nunquid tamẽ ideo pro baptizato non habendus est? Nam nec auarus intus baptizatus fit tẽplum Dei, si ab auaritia nõ recesserit. Qui enim fiunt
B templum Dei, possident vtique regnum Dei. Apostolus autem dicit inter multa, Neque auari, neque rapa- 1. Cor. 6.
ces regnum Dei possidebunt. Auaritiã quippe idolorũ seruituti alio loco idẽ Apostolus comparat, Et auari-
1. Cor. 3. tia, inquit, quæ est idolorum seruitus. Quem sensum Lib. 4. epi. 2.
idem Cyprianus sic exaggerauit in epistola ad Antonianum, vt eorum peccato qui tempore persecutionis per libellos se thurificaturos professi erãt, auaros comparare non dubitaret. Sic ergo in hæresi baptizatus in nomine sanctę trinitatis, tamen non fit templum Dei, si ab hæresi non recesserit, quomodo neque in auaritia in eodem nomine baptizatus fit templum Dei, si ab auaritia non recedat, quę est idolorum seruitus. Nã
2. Cor. 6. & hoc idem Apostolus dicit, Quę compositio templo Dei cum idolis? Nõ ergo de nobis quæratur *cuius Dei templum fiat*, quem dicimus templũ Dei non fieri. Nec tamen ideo non baptizatur, nec eius error immundus efficit, vt non sit sanctum sacramentum, quod acce-
C pit verbis Euangelicis consecratũ: sicut nec illius auaritia, quę est idolorum seruitus, & magna immunditia potest efficere, vt non sit sanctum baptisma quod accipit, etiam si ab alio auaro similiter per eadem verba Euangelica baptizetur.

CAPVT V. PROINDE, inquit, *frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis obiicunt, quasi consuetudo maior sit veritate: aut non id sit in spiritalibus sequendum, quod in melius fuerit à Spiritu sancto reuelatum.* Hoc planè verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est. Sed cum consuetudini veritas suffragetur, nihil oportet firmius retineri. Deinde sequitur & dicit, *Ignosci enim potest simpliciter erranti, sicut de seipso dicit apostolus Paulus, Qui prius fui blasphemus, & per-* 1. Tim. 1.
secutor & iniuriosus, sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem verò & reuelationem factã, qui in eo quòd errauerat perseuerat, prudens & sciens sine venia ignorantiæ peccat. Præsumptione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur. Hoc verissi-
D mũ est, lõgè grauius esse peccatũ eius, qui sciens, quàm eius qui nesciens peccauerit. Et ideo vir sanctus Cyprianus, nõ solũ doctus, sed etiã docibilis, quod in laude Episcopi quẽ designat Apostolus sic intellexit ipse, 2. Tim. 1.
vt diceret *etiam hoc in Episcopo esse diligendum, nõ solum* Tomo 1. epist. ad Pompeiũ.
vt scienter doceat, sed etiam patienter discat: non dubito quòd si istã quęstionẽ in Ecclesia diu multumque versatam cum viris sanctissimis doctissimisq; tractaret, per quos postea factum est, vt antiqua illa cõsuetudo etiã plenario concilio firmaretur, sine dubitatione demonstraret, non solum quàm doctus esset in his quę firmissima veritate perceperat, verumetiam quàm docibilis in his quæ minus aduerterat. Et tamen cum manifestissimũ sit, multò grauius peccare scientem quàm nescientem; vellẽ mihi aliquis diceret, si quis in hæresim incurrat, nesciens quantũ malum sit, & alius ab auaritia non

tia non recedat, sciens quãtum malum sit, quis eorum A qua vnitatem non deseruit probaretur, non ideo quisquam tantis eius firmamentis meritisque virtutum, & tantæ copiæ gratiarum debet se audere præponere, quia vniuersalis cõcilij admonitus firmitate, videt aliquid quod ille non vidit, quia plenarium de hac rẽ cõcilium nondum habebat Ecclesia. Sicut nec Petri Apostoli meritis quisquam tam insanus est vt se præponat, quia Pauli Apostoli edoctus literis, & ipsius iam Ecclesiæ consuetudine roboratus, non cogit gentes Iudaizare quod Petrus aliquando coegerat. *Non ergo in-* Gal. 2.
uenimus ab Apostolis aliquem, cum apud hæreticos baptizatus esset, in eodem baptismo admissum esse & communicasse. Sed neque hoc inuenimus ab hæreticis aliquem venientem, qui apud illos fuerit baptizatus, ab Apostolis denuò baptizatum. Sed illa consuetudo quam Traditio Apostolica.
etiam tunc homines sursum versus respicientes non videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur. Et talia multa sunt quę longum est B repetere. Quapropter si non nihil dicebant quibus id quod ei visum est, volens persuadere Cyprianus ait, *Nec quisquam dicat quod acceptimus ab Apostolis, hoc sequimur:* quanto robustius nunc dicimus, quod Ecclesiæ consuetudo semper tenuit, quod hæc disputatio dissuadere non potuit, & quod plenarium concilium confirmauit, hoc sequimur? Huc accedit, quòd bene perspectis ex vtroque latere disputationis rationib. & Scripturarum testimoniis, potest etiam dici: quod veritas declarauit, hoc sequimur.

CAPVT VII. Philip. 1. NAM reuera illud quod quidam Cypriani disputationib. opponebant, *quod Apostolus ait, Veruntamen omnimodo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur:* rectè Cyprianus refellit, ostendens ad cau-
sam hæreticorum non pertinere: quoniam de his dicebat Apostolus, qui cum maleuola inuidia, sua quærentes interius versabantur: Christum quidem annun-
C ciabant, sicut se habet veritas qua Christo credimus, sed non eo animo quo à bonis Euangelistis illius colũbæ filiis annũciabatur. *Neque enim de hæreticis*, inquit, *aut de eorum baptismo loquebatur in Epist. sua Paulus, vt aliquid quod ad hanc rem pertinet posuisse ostendatur: verùm loquebatur de fratribus siue inordinatè & contra Ecclesiasticam disciplinam ambulantibus siue Euangelicam veritatem de Dei timore seruantibus. Et quosdam ex eis posuit verbum Dei constanter atque intrepidẽ locutos; quosdam verò in inuidia & dissensione versatos, quosdam seruasse circa se benevolam charitatem, alios verò habuisse maleuolam dissensionem: sed tamen omnia se patienter sustinere, dummodo siue in veritate, siue per occasionem nomen Christi quod Paulus prædicabat, ad plurimorum noticiam peruenire, & noua adhuc ac rudis sermonis seminatio loquentium prædicatione crebrescereet. Porrò aliud est eos qui intus in Ecclesia sunt, in nomine Christi loqui: aliud eos qui foris sunt, & contra Ecclesiam faciunt, in nomine Christi baptizare.* Hæc verba Cypriani admonere nos D videtur, vt distinguamus inter eos qui mali foris sunt, & eos qui intus mali sunt; & illos de quibus dicit Apostolus, quòd Euangelium non castè & per inuidiam annunciarent, intus fuisse dicit, & verum dicit. Hoc tamen puto me non temerè dicere: Si foris nemo potest habere aliquid quod Christi est, nec intus quisquam potest aliquid habere quod diaboli est. Si enim ortus ille clausus potuit habere spinas diaboli, cur non & extra ortum potuit manare fons Christi? Si autem non potuit, vnde ... his qui intus erant etiam ipsius Apostoli Pauli temporibus tantum malum *inuidiæ, & maleuolæ dissensioni*? Hæc enim verba Cypriani ... An fortè inuidia & maleuola dissensio pa... malũ est? Quomodo ergo isti erant in vnitate, qui non erãt in pace? Vox enim non mea aut alicuius hominis, sed ipsius Domini; nec per homines sonuit, sed per angelos nato Christo, Gloria in excelsis Deo, & in terra Luca 2.

Colos. 3. Lib. 4. epi. 2. rum seruitus: & ipse Cyprianus eandem sententiam non aliter intellexit, sicut dixi, ad Antonianum scribens, vbi ait, *Nec sibi noui in hoc hæretici blandiantur, quòd se dicant idololatris non communicare: quando sint et apud illos adulteri, et fraudatores qui teneantur idololatriæ*
Ephes. 5. *crimine. Hoc enim scitote intelligentes, quia omnis fornicator, aut immundus, aut fraudator quod est idololatra, nõ habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Et iterum,*
Col. 5. *Mortificate itaque membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam & concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.* Quæro ergo quis peccet grauius, qui nesciens in hæresim incurrerit, an qui sciens ab auaritia, id est ab idololatria non recesserit? Secundum quidem illam regulam qua B peccata scientium peccatis ignorantium præponuntur, auarus cum scientia vincit in scelere. Sed ne fortè hoc faciat in hæresi sceleris ipsius magnitudo, quod fa cit in auaritia scientis admissio, hæreticus nesciens auaro scienti coæquetur: quanquam non hoc videatur ostendere testimonium, quod ipse ex Apostolo posuit. Quid enim in hæreticis nisi blasphemias detestamur? Volens autem demonstrare ad facilitatem venię
Ignorantiæ peccati excusat. ignorãtiam pertinere peccati, testimonium posuit ex
2. Tim. 1. Apostolo vbi ait, Qui prius fui blasphemus, & persecutor & iniuriosus, sed misericordiam cõsecutus sum, quia ignorans feci. Sed si possunt, vt dixi, amborum peccata æqualiter appendantur, ignorantis blasphemia, & scientis idololatria, & eadem sententia iudicentur, ille qui Christum quærendo in verisimilem sermonem fallitatis incurrit, & ille qui sciens Christo
Ephes. 5. resistit loquenti per Apostolum, Quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum C seruitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei: cur in illo baptismus & Euangelica verba improbantur, in isto autem approbantur; cum ab illius colũbæ membris vtrque inueniatur alienus? An quia ille foris apertus litigator est, ne intromittatur: iste verò intus callidus assentator, ne foras proiiciatur.

CAPVT VI. QVOD autem ait, *Nec quisquam dicat, quod accepimus ab Apostolis, hoc sequimur; quando Apostoli non nisi vnam Ecclesiam tradiderunt, & baptisma vnum, quod non nisi in eadem Ecclesia sit constitutum*: non me tantum mouet vt baptismum Christi etiam apud hæreticos inuentum audeam reprobare; (sicut etiam ipsum Euangelium, cum apud eos inuenio necesse est vt approbem, quamuis eorum detester errorem) quantum me admonet, fuisse quosdam etiam sancti Cypriani temporibus, qui consuetudinem illam contra quam fiebant Aphricana concilia, de qua & ipse paulo antè dixit, *Frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudi-* D
nem nobis opponunt, dicerent ab Apostolis traditam. Nec inuenio cur istam consuetudinem, quæ post Cyprianum etiam plenario totius orbis concilio confirmata est, tam robustam & antea idem Cyprianus inuenerit; vt cum eius mutandę authoritatem quam sequeretur vir tanta scientia præditus quæreret, non nisi in Aphrica sola factum paucis ante se annis Agrippini concilium reperiret. Quod cum sibi aduersus totius orbis morem non sufficere cerneret, has rationes arripuit, quas modo nos antiquitate ipsius consuetudinis, & plenarij postea concilij autoritate firmati, diligentius considerantes, verisimiles potius quam veras esse inuenimus: quæ illi veræ visæ sunt in obscurissima quæstione laboranti, & de remissione peccatorum fluctuanti, vtrum in baptismo Christi possit non fieri, & vtrum possit apud hæreticos fieri: vbi si minus ei aliquid reuelatum est, vt magnitudo charitatis eius

pax hominibus bonæ voluntatis. Quod vtique nato in terris Christo non sonaret ore angelico, nisi Deus hoc vellet intelligi, eos esse in vnitate corporis Christi, qui sunt in pace Christi. Eos autem esse in pace Christi qui sunt bonæ voluntatis. Porrò sicut in benevolentia bona voluntas, sic in maleuolentia mala voluntas est.

CAPVT VIII. *Inuidia malum.*

IAM verò ipsa inuidia quæ non potest esse nisi maleuola, quantum malum est, non quæramus alios testes, sufficit nobis ipse Cyprianus, per quem tam multa de zelo & liuore Dominus verissima intonuit, & salubria præcepit. Legamus ergo Epistolam Cypriani de zelo & liuore, & videamus quantum malum sit inuidere melioribus, cuius mali originem ab ipso diabolo extitisse memorabiliter docet: *Zelare*, inquit, *quod bonum videas, & inuidere melioribus, leue apud quosdam, & modicum crimen vtatur fratres dilectissimi.* Deinde paulò pòst, cum eius mali caput atque originem quæreret, *Hinc diabolus*, inquit, *inter initia statim mundi, & periit primus & perdidit.* Et paulò pòst, *Quale malum est*, inquit, *fratres dilectissimi, quo angelus cecidit, quo circumueniri & subuerti alta illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decepit? Exinde inuidia grassatur in terris, dum liuore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est, Inuidia autem diabuli mors intrauit in orbem terrarũ. Imitantur ergo illum qui sunt ex parte eius.* Hæc verba Cypriani in Epist. populis nota, quàm vera, quàm fortia sint recognoscimus. Verè decuit Cypriaũ de zelo & liuore, & arguere grauiter & monere, à quo tã mortifero malo cor eius penitus alienum, tanta charitatis abundantia comprobauit: qua vigilantissimè custodita, cum collegis suis nõ maleuolè de baptismo diuersa sentientibus, nec ipse maleuola contentione, sed humana tentatione aliter sapiens, vt id illi Deus in charitate perseueranti cum vellet postea reuelaret, in communionis vnitate permansit, apertè dicens: *Neminem iudicantes, neque à iure communionis aliquem si diuersum senserit amouentes. Neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit.* Et in fine huius Epistolæ, *Hæc tibi breuiter*, inquit, *pro nostra mediocritate rescripsimus frater charissime, nemini præscribentes aut præiudicantes, quo minus vnusquisque episcoporum quod putat faciat, habens arbitrij sui liberam potestatem. Nos quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis & coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus diuinam concordiam & Dominicam pacem tenemus; maximè cum & Apostolus dicat, Si quis autem putauerit contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei: Seruatur à nobis patienter & leniter charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, concordia sacerdotij. Propter hoc etiam libellum De bono patientiæ quantum valuit nostra mediocritas, permittente & inspirante Domino conscripsimus, quem ad te pro mutua dilectione transmisimus.*

CAPVT IX.

HAC ille charitatis patientia tolerauit, non solùm in obscura quæstione bonos collegas non maleuolè aliud sentiẽtes, sicut & ipse toleratus est, donec processu temporis saluberrima consuetudo, quando Deus voluit etiam declarata veritate plenario concilio firmaretur: sed etiam malos manifestos sibiq́ notissimos, qui non obscuritate quæstionis aliter sapiebant, sed perditæ vitæ moribus contra quam prædicabant faciebant, sicut dicit de illis Apostolus, Qui prædicas non furandum furaris: de talibus enim & iste sui temporis episcopis suis collegis, & secum in communione manentibus in Epistola sua dicit, *Esurientibus in ecclesia fratribus habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere.* Hic enim nulla est quæstionis obscuritas, apertè Scriptura clamat, Neq; auari neque rapaces regnum Dei possidebũt, Et qui pecuniam suam dat in vsuram, Et, omnis fornicator & immundus & auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Tales ergo auaros ille, vt non solùm sua cupidè thesaurizarent, sed & aliena fraudulenter eriperent, tales idololatras sicut & ipse intelligit atq; conuincit, non vtique argueret nisi nosset. Neq; enim aduersus coepiscopos suos falsum testimonium diceret: & tamen eos propter Christum qui pro infirmis mortuus est, ne ante tempus eradicatis zizaniis simul eradicaretur & triticum, paternæ & maternæ charitatis visceribus tolerauit; imitatus vtique Paulum apostolum, qui maleuolos & inuidos, sub eadem circa ecclesiam charitate sustinuit. Sed tamẽ quia inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum, & imitantur illum qui sunt ex parte illius, non per illud quod à Deo creati sunt, sed per illud quod à seipsis peruersi sunt; sicut commemorat ipse Cyprianus; quia & diabolus antequam esset diabolus, angelus fuit & bonus fuit: vnde sunt in vnitate Christi, qui sunt ex parte diaboli? Proculdubiò, sicut ipse Dominus ait, Inimicus homo hoc fecit qui superseminauit zizania. Sicut ergo & intus quod diaboli est arguendum est, sic & foris quod Christi est agnoscendum est. An extra vnitatem ecclesiæ non habet sua Christus, & in vnitate ecclesiæ habet sua diabolus? Hoc fortasse de hominibus dici potest, vt sic extra communionem ecclesiæ non habeat Deus aliquem suorum, sicut inter angelos sanctos nõ habet diabolus aliquem suorum. Ecclesiæ verò huic quæ adhuc carnis mortalitatem portat, quamdiu peregrinatur à Domino, licuerit diabolo miscere zizania, hoc est malos homines; & hoc permissus sit propter ipsius ecclesiæ peregrinationẽ, vt requies illius patriæ qua sancti angeli perfruuntur desideraretur ardẽtius: de sacramentis autem hoc dici non potest. Sicut enim ea possunt habere atque tractare, non ad salutem, sed ad perniciem suam, in qua igni destinata sunt interiora zizania: sic & exteriora zizania quæ ab interioribus recedentibus acceperunt, quia recedentia non amiserunt. Quod sine dubio manifestatur cum redeũtibus nõ restituitur, quãdo fortè aliqui ex eis ipsis qui recesserant reuertũtur. Nec quisquam dixerit, Quid enim frumenti habent zizania? Si enim hoc ita est, & intus & foris ad hoc duntaxat, par cõditio est. Neque enim in zizaniis exterioribus non inueniuntur grana frumẽti, & in interioribus inueniuntur. De sacramento autem cum quæritur, non vtrum habeant aliquid frumenti zizania quæritur, sed vtrũ habeant aliquid cæli: & exterioribus enim & interioribus zizaniis cum ipso tritico est pluuia communis, quæ cælestis & dulcis est ipsa, etiam si ex ea zizania sterilitercrescunt: sic & euã gelicum Christi sacramentum diuinum & suaue est, neque propter eorum sterilitatem quos etiã foris compluit, improbandum.

CAPVT X. *Malos catholicos facilius cõuerti, quam hæreticos.*

DIXERIT aliquis, interiora zizania facilius in frumentum conuerti: concedo ita esse. Sed quid hoc pertinet ad baptismum iterandum? Nunquid si fortè aliquis ab hæreticis conuersus, conuersionis suæ tempore ac facilitate præuenerit eum, qui tardius intus à malitia corrigitur & mutatur, ei nõ est iterandum baptisma: & illi qui præuentus est ab eo qui ex hæreticis venit, quia tardius correctus est, iterandum est? Nihil ergo ad rem pertinet de qua nunc quæstio est, quis serius se tardiùsve cõuertat à propria peruersitate, ad rectitudinem fidei, vel spei, vel charitatis. Etsi enim interiores mali facilius possunt boni fieri: aliquando tamen & de numero exteriorũ quidam quosdam interiores conuersione præueniũt, & illis in sterilitate manentibus vnitati recõciliati, fructum afferunt cum tolerantia siue tricenum, siue sexagenum, siue centenũ. Aut si zizania ea sola dicenda sunt: quę vsque in finem in maligno errore perdurant, & foris multa frumenta sunt, & intus multa zizania. At enim peiores sunt exteriores quàm interiores mali. Magna quidem quæstio est, vtrũ peior fuerit Nicolaus exterior iam, quàm Simon adhuc interior, quia ille hæreticus, iste magus. Quod si ipsa diuisio, quia violatæ charitatis certissimũ indicium est, grauius habetur malum, cõcedo ita esse. Sed multi amissa charitate propterea non exeunt foras, quia secularibus emolumentis tenentur, & sua quærentes, non quæ Iesu Christi, non à Christi vnitate, sed à suis commodis nolunt recedere. Vnde dictum est in laude charitatis, nõn quærit quæ sua sunt. Nunc ergo quæritur, quomodo poterant homines ex parte diaboli, pertinere ad ecclesiam, non habentem maculam aut rugã, aut aliquid eiusmodi, de qua etiã dictum est, vna est columba mea. Quod si non possunt, manifestum est eam intus alienos gemere, & intrinsecus insidiantes, & extrinsecus oblatrãtes. Tales tamen etiam intus & accipiunt baptismum & habent, & tradunt sanctum per seipsum, nec vlla ex parte illorum malignitate violatur, in qua in finem vsq; perdurant. Quocirca nos idem beatus Cyprianus docet per se ipsum considerandum esse baptismum, verbis Euangelicis sicut accepit ecclesia consecratum, non adiuncta neq; permixta vlla peruersitate atque malitia, siue accipiẽtium siue tradentium: quandoquidem vtrumque nos ipse admonet, & intus fuisse quosdam non seruantes beneuolam charitatẽ, sed in inuidia & maleuola dissensione versatos, de quibus Paulus Apostolus locutus est, & ex parte diaboli esse inuidos, sicut in Epistola quam de zelo & liuore scripsit, apertissima voce testatur. Quamobrem cùm manifestum sit fieri posse, vt in eis qui sunt ex parte diaboli, sanctum tamen sit sacramentum Christi, nõ ad salutem, sed ad iudicium eorum, non solùm si post acceptum baptismum peruertantur, sed etiam si tales accipiant, sicut idem Cyprianus ostendit, seculo solis verbis & non factis renũciantes: nec ideo si correcti postea fuerint, illud quod peruersi acceperant, iterandum est: quantum arbitror iam claret & liquet in ista quæstione, de baptismo nõ esse cogitandum *quis det* sed quid det, aut quis accipiat sed quid accipiat, aut quis habeat sed quid habeat. Si enim homines ex parte diaboli, & ideo nequaquam ad columbam vnicam pertinentes, possunt tamen accipere & habere & dare baptismi sanctitatem, nullo modo sua peruersitate violatam, sicut ex ipsius Cypriani literis admonemur: vt quid tribuimus hæreticis aliena, vt quid dicimus *eorum esse* quod Christi est; ac non potius in eis & imperatoris nostri signa cognoscimus, & desertorum facta emẽdamus? Quapropter aliud est quidem, sicut dicit sanctus Cyprianus, *eos qui intus in ecclesia sunt in nomine Christi loqui; aliud eos qui foris sunt, & contra ecclesiam faciunt, in nomine Christi baptizare.* Sed & multi qui intus sunt contra ecclesiam faciunt malè viuendo, & in suam vitam infirmas animas traducendo: & nonnulli qui foris sunt in Christi nomine loquuntur, nec operari quæ Christi sunt, sed foris esse prohibentur, quãdo eos vt sanentur vel corripimus vel arguimus vel hortamur. Nam & ille foris erat qui cum discipulis non sequebatur Christum, & in nomine Christi expellebat dæmonia, quod Dominus ne prohiberetur admonuit: quamuis vtiq; in quo faucius erat curandus esset, illis verbis Domini vbi ait, Qui non est mecum, aduersum me est: & qui mecum non colligit, spargit. Et foris ergo fiunt aliqua in nomine Christi, non contra ecclesiam, & intus ex parte diaboli contra ecclesiam.

CAPVT XI.

QVID quod etiam mirum est, quod accidere potest inuenit qui diligenter aduertit, quosdam salua charitate docere aliquid inutile, sicut Petrus gentes cogebat Iudaizare, sicut ipse Cyprianus hæreticos denuò baptizari. Vnde talibus bonis membris in charitate radicatis, & in aliquo non rectè ingredientibus dicit Apostolus: si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus reuelabit. Et quosdam rursus sine charitate docere aliquid salubre, de qualibus Dominus dicit: Cathedram Moysi sedent: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Vnde & Apostolus de illis inuidis & maleuolis, Christianam tamen salutem annunciantibus, Siue occasione, inquit, siue veritate Christus annuncietur. Quapropter & intus & foris peruersitas hominum corrigenda est, diuina verò sacramẽta & eloquia non hominibus tribuẽda. Non itaque *patrocinatur hæreticis* qui non eis tribuit, quod & si apud eos, non tamen ipsorum esse cognoscit. Non *nos concedimus hæretico baptismum*, sed illius baptismum de quo dictum est, Hic est qui baptizat, vbicunque inuenerimus agnoscimus. Perfidus autẽ & blasphemus si in perfidia & blasphemia permanserit, nec extra ecclesiã nec intra ecclesiam remissionem accipit peccatorum: aut si propter vim sacramẽti ad punctum temporis accipit, & foris & intus eadem vis operatur, sicut vis nominis Christi expulsionẽ dæmoniorum foris etiam operabatur.

CAPVT XII.

ATenim *inuenimus Apostolos in omnibus epistolis suis execrari & detestari hæreticorum sacrilegam præuitatem: ita vt dicant sermonem eorum sicut cancer serpere.* Quid enim & illos qui dicebant, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur? nõnne corruptores morum bonorum per mala colloquia Paulus esse manifestat, cõtinuò subiungens, Corrumpunt mores bonos colloquia mala: & tamen eos intus fuisse significauit, cum ait, Quomodo dicunt quidam in vobis quia resurrectio mortuorum non est? Auaros autem vbi non detestatur? An verò quicquam dici potuit vehementius, quàm vt idolorum seruitus auaritia diceretur, sicut idem Apostolus posuit; nec Cyprianus aliter intellexit, & literis suis vbi opus erat inseruit: qui tamen confitetur suis temporib. in ecclesia fuisse non qualescũq; auaros, sed raptores & fœneratores, nec quoslibet homines, sed episcopos. Quamquam & illos de quibus ait Apostolus, Sermo eorum sicut cancer serpit: vellem intelligere foris fuisse, sed Cyprianus ipse me non sinit. Cum enim ad Antonianum scribens ostendere ante tempus vltimæ separationis iustorum & iniquorum, nullo modo esse propter commixtionem malorum ab ecclesię vnitate recedendum, vbi declarat quã sit sanctus, & illa quã meruit martyrij claritate dignissimus, ait, *Quantus arrogantiæ tumor est, quanta humilitatis & lenitatis obliuio, & arrogantiæ suæ quanta iactatio, vt quis audeat aut facere se posse credat, quod nec apostolis concessit Dominus, vt Zizania à frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi palam ferre, & aream purgare cõcessum sit, paleas conetur à tritico separare: cumq́ Apostolus dicat, In domo autem magna, nõ solùm sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: aurea & argentea vasa videatur eligere, lignea verò & fictilia contemnere & abiicere & damnare, quando non nisi in die Domini vasa lignea diuini ardoris incendio concrementur, & fictilia ab eo cui data est ferrea virga frangantur?* Sic igitur arguẽs Cyprianus eos qui tãquam malorum consortium deuitantes, se ab vnitate diruperant, ostendit magnã domum quam dixit Apostolus, vbi essent non solùm vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia, non se intellexisse nisi ecclesiam, vbi essent boni & mali donec in fine sicut area ventilata purgetur. Quod si ita est in ipsa ecclesia, id est in ipsa domo magna vasa in cõtumeliam, quorum sermo vt cancer serpebat. Nam cum de illis Apostolus loqueretur, hoc docuit, Et sermo, inquit, eorum vt cancer serpit, ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui circa veritatem erraueruntdicẽtes resurrectionem iam factam esse, & fidem quo-

Psal. 14. Ephes. 5. Matt. 13. Philip. 1. Sap. 2. Diabolus aliquando bonus angelus fuit. Mat. 13. 2. Cor. 5. Diabolo cui permittatur superseminare zizania. Zizania interiora & exteriora. 1. Cor. 11. Philip. 3. In conc. Carthag. Rom. 2. Cypria. epist. seu ser. de lapsis. 2. Cor. 6. Act. 6. & 8. Phil. 2. 1. Cor. 13. Ephe. 5. 2. Retr. c. 18. Cant. 6. In baptismi quæstione consideranda non quis det, accipiat, vel habeat, sed quid detur, accipiatur, vel habeatur. Luc. 9. Matt. 9. Matth. 12. Gal. 2. Phil. 3. Cypria. epist. seu ser. de lapsis. Cal. 5. Lib. 4. epi. 2. Epist. seu ser. de lapsis. 2. Tim. 2. Consule sibi. Lib. 4. epi. 2. 2. Tim. 2. Psal. 2. 1. Cor. 15. 2. Tim. 2. Ioan. 2. Vbi sacramenti.

quorundam subuertunt: sed firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, Nouit Dominus qui sunt eius, & recedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. In magna autem domo, non solùm vasa aurea sunt & argentea, sed & lignea & fictilia. Si ergo & isti quorum sermo vt cancer serpebat, tãquam vasa in contumeliam in domo magna erant, quam domum magnam ecclesię ipsius vnitatem Cyprianus intelligit, nunquid istorum cancer baptismum Christi violabat? Ita ergo nec foris sicut nec intus quisquam qui ex parte diaboli est, potest vel in se vel in quoquã maculare sacramentum quod Christi est. Non itaque *dat remissam peccatorum sermo qui vt cancer serpit ad aures audientium*, sed cum baptisma verbis Euangelicis datur, qualibet ea peruersitate intelligat ille per quem datur, vel ille cui datur, ipsum per se sanctum est propter illum cuius est. Et si quis per hominẽ peruersum id accipiens, non accipiat tamen ministri peruersitatem, sed solam mysterij sanctitatem in bona fide & spe & charitate vnitati compaginatus ecclesiæ, remissionem accipit peccatorum, non per verba sicut cancer serpentia, sed per euangelica sacramenta de cęlesti fonte manantia. Si autem ipse qui accipit peruersus est, nec peruerso ad salutem prodest quod datur, & sanctum tamen in eo permanet quod accipitur, nec ei si correctus fuerit iteratur.

Non vitiat Christi baptismũ peruersa euãgelicorũ verborũ seu ministri seu accipientis intelligentia.

CAPVT XIII. 2. Cor. 6. — NVLLA itaque *participatio est iustitiæ & iniquitati*, non solùm quæ foris, sed etiam quæ intus est. Nouit enim Dominus qui sunt eius, & recedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Nulla etiam *communio est luci & tenebris*, non solum quæ foris, sed etiã quæ intus sunt. Qui enim odit fratrẽ suũ, ait apostolus Ioannes, in tenebris est vsq; adhuc. Et vtique illi oderant Paulũ, qui inuidia & maleuola dissentione Christum annunciãtes, arbitrabantur se tribulationem excitare vinculis eius: quos tamen intus fuisse idem Cyprianus intelligit. *Cum ergo non possint tenebræ illuminare, aut iniquitas iustificare*, sicut idem dicit, quæro quẽadmodum poterant isti in ipsã intus ecclesia baptizare? Quæro quemadmodum vasa illa quæ non in honorem, sed in contumeliam domus magna continet, intra ipsam domum magnam possint sanctificãdis hominibus ministrare quod sanctum est, nisi quia illa sanctitas sacramenti nec ab immundis pollui potest, siue cum per eos datur, siue cum ab eis qui corde & vita in melius non commutantur accipitur? De quibus intus positis, ipse dicit, *Seculo solis verbis & non factis renunciantes*. Sunt ergo & intus *hostes Dei, & quorum pectora obsederit spiritus antichristi*: & tamen *gerunt spiritalia & diuina*, quæ nec ipsis possunt quamdiu tales sunt ad salutem prodesse, nec ipsi ea possunt sua immũdicia maculare. Quod itaque dicit, *nihil eis ad gratiam ecclesiasticam & salutarem licere, qui spargentes atque impugnantes ecclesiam Christi, à Christo ipso aduersarij, ab apostolis eius antichristi nominentur*: sic accipiendum est, quia & foris & intus inueniuntur tales: separationem tamen eorum qui intus sunt, ab illius columbæ perfectione atque vnitate, non solùm Deus nouit in quibusdam, sed etiam homines in quibusdam: quorum in manifesto pessimam vitam confirmatamque nequitiam intuentes, & eam præceptorum diuinorum regulis comparantes, intelligunt quàm multis zizaniis & paleis siue foris siue intus positis, sed tamẽ in fine apertissimè separandis dicturus est Dominus: Recedite à me qui operamini iniquitatem, & ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius.

2. Tim. 2. — 1. Ioan. 2. — Phil. 1. — Cyprian. lib. 4. epist. 4. — Cyprianus. — Matt. 7. 25

CAPVT XIIII. Rom. 2. Psal. 88. — DE conuersione autem nullius desperandum est siue foris sit, siue intus constituti, quamdiu patientia Dei ad pœnitẽtiam eum adducit & visitat in virga facinora eorum, & in flagellis peccata eorum. Hoc enim modo misericordiam suam non dispergit ab eis, si & ipsi

Sapi. 3.

A aliquãdo miserẽatur animæ suæ placentes Deo. Sicut enim bonus qui perseuerauerit vsq; in finẽ, hic saluus erit; sic & malus siue foris siue intus, qui perseuerauerit vsq; in finẽ saluus non erit. Neq; nos dicimus *quòd vbicunque & quomodocunque baptizati gratiam baptismi consequuntur*, si gratia baptismi in ipsa salute intelligitur, quæ per celebrationem sacramenti confertur: sed hanc salutem multi nec intus consequũtur, quamuis sacramentum quod per se sanctum est eos habere manifestum sit. Rectè itaque *Dominus nos admonet in euãgelio, ne consentiamus malè suadentibus, sed sub Christi nomine ambulantibus*: sed hi & intus & foris inueniuntur, quia nec foras exeunt nisi prius intus mali fuerint, & vtiq; de vasis in domo magna positis dicebat Apostolus, Si quis autem mundauerit ismetipsum ab istiusmodi, erit vas in honore sanctificatum, vtile Domino ad omne opus bonum semper paratũ. Quomodo autem se quisq; ab istiusmodi mundare debeat, paulo superius ostendit dicens: Recedat ab iniquitate omnis

Matth. 16. — Matti 13. — 2. Tim. 2.

B qui nominat nomen Domini; ne audiat in fine cum palea, siue quę ante de area volauit, siue quæ in vltimo separãda est, Recedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Vnde apparet quidẽ sicut dicit sanctus Cyprianus, *non ea statim suscipienda et assumenda quæ iactãtur in Christi nomine; sed quæ geruntur in Christi veritate*. Sed non vtiq; in Christi veritate geritur, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere, seculo solis verbis renunciare, quæ omnia etiam intus geri, satis idoneus testis ipse declarat.

Matth. 7.

IAM verò quod multis verbis prosequitur, *non posse in Christo baptizari eos qui patrem Christi blasphemant*, cum eos errore blasphemare manifestũ sit, (non enim qui accedit ad baptismum Christi apertè blasphemat patrem Christi; sed aliud quàm veritas docet de patre Christi sentiendo blasphemare conuincitur) iam satis ostendimus ad baptismum qui verbis euangelicis cõsecratur, nõ pertinere cuiusquã vel dantis vel accipientis errorem, siue de patre, siue de filio, siue de Spiritu

CAPVT XV.

C sancto aliter sentiat, quàm cælestis doctrina insinuat. Multi enim carnales & animales etiam intus baptizãtur, cum apertè dicat Apostolus, Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, & percepto iam baptismo dicit eos adhuc animales esse. Secũdum sensum autẽ carnalẽ non potest nisi de Deo carnaliter sapere anima corporeis sensibus dedita. Vnde multi post baptismum proficientes, & maximè qui infantes vel pueri baptizati sunt; quanto magis intellectus eorũ serenatur & illuminatur, dum interior homo renouatur de die in diẽ, priores suas opiniones, quas de Deo habebant cum in suis phantasmatibus ludificarentur; & detestantes atq; confitentes abiiciunt. Nec tamen ideo non accepisse baptismum existimantur, aut talem baptismum accepisse dicuntur, qualis fuit error ipsorũ: sed in eis & sacramẽti integritas honoratur, & mẽtis vanitas emendatur: etiã si cõfirmata, & fortasse multis cõtentionib. defensa calluerat. Quapropter & hæreticus qui perspicuè foris est, si baptismũ illic euãgelicum accepit, nõ talem vtique baptismum accepit

1. Cor. 2. — 2. Cor. 4.

D quali errore cæcatur. Et propterea si resipiscẽs viderit relinquendũ esse quod malè tenuerat, nõ simul ei relinquendum est bonũ quod acceperat: nec quia error illius improbãdus est, propterea baptismus Christi in illo exufflandus est. Iam enim ex iis quos intus contingit de Deo falsa opinantes baptizari, satis elucet discernendam esse sacramenti veritatem à malè credentis errore, quãuis vtrumq; in homine vno valeat inueniri; & ideo cũ etiã foris in errore aliquo cõstitutus, vero tamẽ sacramẽto fuerit baptizatus, cũ ecclesię redditur vnitati, sicut falsæ fidei vera succedit, nõ sic potest etiã vero baptismo verus baptismus succedere: quia idem ipse sibi succedere non potest, quia nec decedere potest

potest. Ad hoc ergo hæretici ad catholicam veniunt, vt quod eorum malum est corrigatur, non quod bonum Dei est repetatur.

CAP. XVI. — DICIT aliquis, Nihil ne ergo interest, si duo in errore pari atq; malitia constituti sint, nec vita nec corde mutato, alius eorũ foris alius intus baptizetur? Fateor interesse. Ille enim peior est qui etiã foris baptizatur, nõ eo quòd baptizatur, sed eo quòd foris est. Est enim etiam ipsius diuisionis nec nullum nec paruum malũ: si tamen ille qui intus baptizatur, non propter aliquod terrenum aut temporale cõmodum intus esse voluit, sed quòd vnitatẽ ecclesiæ toto orbe diffusæ, schismatum concisionibus prætulit: alioquin etiam ipse inter illos qui foris sunt deputandus est. Constituamus ergo duos aliquos isto modo, vnum eorum, verbi gratia, id sentire de Christo quod Photinus opinatus est, & in eius hæresi baptizari extra ecclesiæ catholicæ communionem: alium verò hoc idem sentire, sed in catholica baptizari, existimantem ipsam esse catholicam fidem. Istum nondum hęreticum dico, nisi manifestata

Hæreticus non est nisi qui manifestata catholicæ fidei doctrinæ resistit.

,, sibi doctrina catholicæ fidei resistere maluerit, & illud
,, quod tenebat elegerit, quod antequam fiat, manifestum est illũ qui foris baptizatus est esse peiorem. Itaq; in hoc sola falsa opinio, in illo autem etiã ipsa diuisio corrigenda est, sed in neutro ipsorum sacramenti veritas repetenda. Quod si quisquam idem sentiat quod illi, & esse nouerit hæresim ab vnitate catholica separatam, vbi hoc docetur & discitur, sed alicuius secularis emolumẽti causa in catholica vnitate baptizari voluerit, vel in ea baptizatus propter hoc exire inde noluerit: non solùm separatus habẽdus est, verum etiam tanto sceleratius, quãto magis errori hæresis & diuisionis vnitatis, fallaciam simulationis adiũgit. Quamobrem cuiusque hominis prauitas, quanto periculosior & tortuosior est, tãto instantius & operosius corrigenda est. Nec ideo tamen si quid habet integrum, præsertim non suum, sed Dei, propter prauitatem eius vel nullum putandum est, vel eodem modo vituperãdum, vel eius prauitati tribuendum, ac non illius largitati, qui etiam fornicanti à se animæ, & eũti post amatores suos dedit panem suum, & vinum suum, & oleũ suum, & alia vel alimenta vel ornamẽta, quæ nec à seipsa, nec ab eius amatoribus ei sunt, sed ab illo qui eã miserans vbique voluit ad quem redeat admonere.

Osee 2.

CAPVT XVII. Cypriani. — NVNQVID *potest*, inquit, *vis baptismi maior esse aut potior quàm confessio? quàm passio? vt quis coram hominibus Christum confiteatur, & sanguine suo baptizetur? Et tamen*, inquit, *neque hoc baptisma hæretico prodest, quamuis Christum confessus extra ecclesiam fuerit occisus*. Hoc verissimum est: extra ecclesiam quippe occisus. charitatem non habuisse conuincitur, de qua Apostolus dicit, Et si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem aut non habeam, nihil mihi prodest. Quòd si propter hoc quia charitas deest, passio nihil prodest, nec illis prodest quos in inuidia intus & maleuolentia sine charitate viuere Paulus dicit, Cyprianus exponit: & tamen verum baptisma possunt & accipere & tradere. *Salus*, inquit, *extra ecclesiam non est*, Quis negat? & ideo quæcunque ipsius ecclesię habentur, extra ecclesiam non valent ad salutem. Sed aliud est non habere, aliud nõ vtiliter habere. Qui nõ habet, est baptizãdus vt habeat: qui autẽ non vtiliter habet, vt vtiliter habeat corrigendus. Nec *adultera est aqua in baptismo hæreticorum*: quia nec ipsa creatura quam Deus condidit mala est, nec verba euangelica in quibuslibet errantibus reprehendẽda sunt, sed error illorum in quo adultera est anima, etsi à legitimo viro sacramenti habeat ornamentum. Potest *igitur nobis & hæreticis baptisma esse commune*, cum quibus potest & euangelium esse commune, quamuis à fide nostra error distet illorum: siue aliud de patre vel de filio vel de Spiritu san-

1. Cor. 3.

A cto sentiant quàm veritas habet, siue ab vnitate præcisi non colligant cum Christo, sed spargant: quia potest nobis si frumenta Dominica sumus, etiam intus cum auaris, cum raptoribus, cum ebriosis, & cæteris eiusmodi pestibus, de quibus dicitur, regnum Dei non possidebunt, & baptismatis sacramentum esse commune, & tamen vitia quibus à regno Dei separantur non esse communia.

1. Cor. 6.

NEQVE enim de solis hæresibus dicit Apostolus, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Sed non pigeat paululum aduertere quæ simul enumeret: Manifesta, inquit, sunt opera carnis, quæ sunt, fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Constituamus ergo aliquem ca

CAPVT XVIII. — Gal. 5.

B stum, continentem, non auarum, non idolis seruientem, hospitalem, indigentibus ministrantem, non cuiusquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, nullum æmulantem, nulli inuidentem, sobrium, frugalem, sed hæreticum, nulli vtique dubium est propter hoc solum quòd hæreticus est, regnũ Dei non possessurum. Constituamus alium fornicatorem, immundum, luxuriosum, auarum, vel etiam apertius idolis deditum, veneficum, discordiosum, contentiosum, æmulũ, animosum, seditiosum, inuidum, ebriosum, comessatorem, sed catholicum: nunquid propter hoc solum quòd catholicus est regnum Dei possidebit, agens talia de quibus sic concludit Apostolus: quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebũt? Si hoc dicimus, nos ipsos seducimus. Nam sermo Dei non nos seducit, qui nec tacet nec parcit, nec vlla adulatione nos decipit. Ideo quippe & alibi dicit, Hoc autem scitote cognoscẽtes,

Ephe. 5.

C quoniam omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod est idolorũ seruitus, non habet hęreditatẽ in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis. Non est ergo quod de sermone Dei cõqueramur. Dicit omnino, & apertè ac liberè dicit, eos qui malè viuunt, ad regnum Dei non pertinere.

CAPVT X. *Vnum etiam crimen excludit à regno Dei.*

HIS igitur omnibus vitiis circumsepto catholico non adulemur, nec ei quia Christianus catholicus est impunitatem quam Scriptura diuina non promittit, promittere audeamus. Nec si aliquid vnum habeat ex iis quæ dicta sunt, debemus ei societatem supernæ illius patriæ polliceri. Ad Corinthios enim singula enumerat, in quibus singulis subauditur, quòd regnũ Dei non possidebunt: Nolite, inquit, errare, neque fornicatores, neque idolis seruientes, neque adulteri, neq; molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Non ait, qui hæc omnia vitia simul habuerint, regnum Dei non possidebunt, sed neque illi, neque illi, vt in singulis hoc subaudias, quòd nulli eorum regnum Dei possidebũt. Sicut ergo hæretici regnum Dei non possidebunt: sic auari regnum Dei non possidebunt. Nec dubitandum est

1. Cor. 6.

D quidem ipsas pœnas, quibus cruciabũtur qui regnum Dei non possidebunt, pro diuersitate criminum esse diuersas, & alias aliis acriores, vt in ipso igne æterno pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta pœnarum. Neque enim frustra ipse Dominus dicit, Tolerabilius erit Sodomis quàm vobis in die iudicii. Sed tamen ad non possidendum regnum Dei, tantundem valet ex vitiis illis quod elegeris, quãtius, quantum vel plura vel vnum quo perspexeris grauius. Et quia illi possessuri sunt regnum Dei quos ad dextram constituet ille iudex, nec eis qui ad dexteram constitui non merebuntur, aliquid aliud quàm ad sinistram

Pœnæ aliæ in infimo pro crimium diuersitate.

Matth. 11.

sinistram esse remanebit, nulla reliqua vox est, quàm sicut hædi audiant ex ore pastoris, nisi, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: licet ex illo igne, sicut dixi, diuersa possint distribui pro criminum diuersitate supplicia.

Mat. 25.

CAPVT X. Pessimi catholici cum hæretico collatio.

VTRVM autem catholicum pessimis moribus, alicui hæretico in cuius vita præter id quòd hæreticus est, non inueniunt homines quod reprehendant, præponere debeamus, non audeo præcipitare sentẽtiam. Si autem quis dicat, quia hęreticus est, non potest hoc solum esse, quin & alia consequantur. Carnalis est enim & animalis, ac per hoc & æmulus sit necesse est, & animosus & inuidus & inimicus ipsi veritati ab eaque dissentiens: Intelligat, & de illis malis, quod vnum mitius elegerit, solum in quoquam esse nõ posse; ea scilicet causa, quoniam carnalis & animalis est: velut ebriositas, quam non solùm sine horrore nominare, sed etiam cum hilaritate populi prædicare iam consueuerunt, nunquid in quo fuerit, sola esse poterit? Quis enim ebriosus nõ & contentiosus & animosus & inuidus, & à præceptorum sanitate dissentiens, & arguẽtibus se grauiter inimicus? Iam verò vt & fornicator & adulter non sit, difficile est. † Sed non consequitur, Potest enim ebriosus esse, & non esse hæreticus: sicut potest hæreticus esse, & non esse ebriosus, nec adulter aut fornicator, nec luxuriosus aut amator pecuniæ, aut veneficus, & simul hæc omnia potest nõ esse. Neque enim vnum aliquod vitium omnia cætera consequũtur. Propositis itaque duobus, vno catholico cum his omnibus vitiis, alio hæretico sine iis quæ possunt non esse in hæretico, quamuis contra fidem non vterque disputet, & tamen contra fidem vterque viuat, & spe vana vterque fallatur, & à charitate spiritali vterque dissentiat, & ob hoc vterque ab illius vnicæ columbæ corpore alienus sit: cur in vno eorum sacramẽtum Christi agnoscimus, in alio nolumus, quasi aut huius, aut huius sit, cum in vtroque idem sit, & nõ nisi Dei sit, & quamuis in pessimis, bonum sit? Et si hominum qui hoc habent, alius est alio deterior, nõ ideo illud quod habẽt deterius est in illo quàm in isto: quia nec in duobus catholicis malis, si vnus sit alio deterior deteriorem baptismum gerit: nec si vnus eorũ sit bonus, alius malus: in malo malus est baptismus, & in bono bonus, sed in vtroque bonus: sicut lumen solis vel etiam lucernæ non vtique deterius est in oculis deterioribus quàm in melioribus, sed idem in vtrisque, quamuis eos diuersè pro illorum diuersitate vel lætificet vel excruciet.

Ebriositas cũ hilaritate prædicata.

† al. Potest tamen non esse hæreticus, sicut hæreticus potest non esse ebriosus, &c.

Vitia nõ sunt connexa.

Similia.

CAPVT XXI. ILLVD sanè quod de catechumenis obiiciebatur Cypriano, *quòd in martyrio deprehensi, & pro nomine Christi occisi, etiam sine baptismo coronarentur*, quid ad rem pertineat, non satis intelligo: nisi quia fortè dicebant multo magis hæreticos cum baptismo Christi posse ad regnum eius admitti, quo catechumeni admitterentur, cùm ipse dixerit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum. Qua in re nec ego dubito catechumenum catholicũ diuina charitate flagrantem, hæretico baptizato anteponere; sed etiam in ipsa intus catholica bonum catechumenum malo baptizato anteponimus: nec ideo tamen sacramento baptismatis quo iste nondum, ille iam imbutus est, facimus iniuriam; aut catechumeni sacramentum sacramento baptismi præferendum putamus, cùm aliquem catechumenum aliquo baptizato fideliorem melioremque cognoscimus. Melior enim erat centurio Cornelius nondum baptizatus Simone baptizato. Iste enim & ante baptismum Sancto spiritu repletus est, ille & post baptismum immundo spiritu inflatus est. Verumtamen Cornelius si etiam Spiritu sancto iam accepto baptizari noluisset, contempti tãti sacramẽti reus fieret. Cùm autem baptizatus est, non vtique melius sacramẽtum quàm Simon accepit, sed diuersa hominum merita sub eiusdem sacramẽti pari sanctitate distincta sunt: ita non auget aut minuit baptismatis sanctitatem, vel bonum vel malum hominis meritum. Sicut autẽ bono catechumeno baptismus deest ad capessendum regnum cælorum; sic malo baptizato vera conuersio. Qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nõ intrabit in regnum cælorum: ipse etiam dixit, Nisi abũdauerit iustitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Namque ne secura esset iustitia catechumeni, dictum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nõ intrabit in regnum cælorum. Rursus ne percepto baptismo secura esset iniquitas baptizatorum, dictum est, Nisi abũdauerit iustitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Alterum sine altero parum est, vtrumque perficit illius possessionis hæredem. Sicut ergo non debemus improbare iustitiam hominis quæ prius esse cœpit quàm coniungeretur ecclesiæ, sicut esse cœperat iustitia Cornelii priusquam ipse esset in plebe Christiana: quæ neque si improbaretur dixisset ei angelus, Acceptæ sunt eleemosynæ tuę, & exauditę sunt orationes tuæ: neq; si sufficeret ad capessendum regnum cælorum, vt ad Petrum mitteret moneretur: sic non est improbandum Euangelicum baptismi sacramentum, etsi extra ecclesiam fuerit acceptũ: quod tamen quia nõ proficit ad salutem, nisi ille qui habet integritatem baptismi, sua quoque prauitate correcta, incorporetur ecclesiæ; sic hæreticorum corrigamus errorem, vt quod in eis, non eorũ sed Christi est, agnoscamus.

Mat. 3.

De cons. dist. non dubita.

Act. 10. 11.

Catechumenis baptismus, malis Christianis vera conuersio deest ad regnum cælorum.

Ioan. 3. Matt. 5.

Act. 10.

BAPTISMI sanè vicem aliquãdo implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est, Hodie mecum eris in paradiso: non leue documentum idem beatus Cyprianus assumit, quod etiam atque etiam considerans, inuenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidẽ conuersionẽmque cordis, si fortè ad celebrandũ mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neq; enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec quia credidit passus est, sed cùm patitur credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait Apostolus, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem; in illo latrone declaratum est: sed tunc impletur inuisibiliter, cum ministerium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Nam multo magis in Cornelio & in amicis eius, quã in latrone posset videri superfluum, vt aqua etiam tingerentur, in quibus iam donum spiritus sancti, quod non nisi baptizatos alios accepisse sancta scriptura testatur, certo quoq; indicio quod illis temporibus congruebat, cum linguis loquerentur, eminuerat: baptizati sunt tamẽ, & in hoc facto apostolica extat authoritas. Vsque adeò nemo debet in quolibet prouectu interioris hominis, si fortè ante baptismum vsque ad spiritalem intellectũ pio corde profecerit, contemnere sacramentum quod ministrorum opere corporaliter adhibetur, sed per hoc Deus hominis consecrationem spiritaliter operatur. Nec ob aliud existimo munus baptizandi Ioanni fuisse attributum, ita vt Ioannis baptismus diceretur, nisi vt Dominus ipse qui dederat, cum serui baptismum non spreuisset accipere, dedicaret humilitatis viam, & quanti pendendum esset suum baptisma quo ipse baptizaturus erat, tali facto apertissimè declararet. Videbat enim tanquam peritissimus medicus salutis æternæ, quorũdam non defuturum tumorẽ, qui cum intellectu veritatis & probabilibus moribus ita profecissent, vt multis baptizatis vi-

CAPVT XII. Baptismus oblatus cum impletur martyrio et in articulo necessitatis vera conuersio. Reinack. cap. 18.

Luca 23.

Rom. 10.

Baptismi necessitas.

Ioannis baptismo cur ungi Christus uoluerit.

tis vita atque doctrina se præponere minimè dubitarent, superuacaneum sibi esse crederent baptizari; quando ad illum mentis habitum se peruenisse sentirent, ad quem multi baptizati adhuc ascendere conarentur.

CAPVT XXIII. QVID autem valeat & quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio sacramenti, sine qua tamen ille latro non fuit, quia non eius accipiendæ voluntas defuit, sed non accipiendæ necessitas affuit, difficile est dicere. Nisi tamen plurimum valeret, non serui baptismum Dominus accepisset: verùm quia per se ipsa consideranda est, excepta salute hominis cui perficiendæ adhibetur, satis indicat quod & in malis & in eis qui sæculo verbis, non factis renunciant, ipsa integra est, cùm illi nisi corrigantur, salutem habere non possint. Sicut autem in latrone quia per necessitatem corporaliter defuit, perfecta salus est, quia per pietatẽ spiritaliter affuit: sic & cum ipsa præsto est, si per necessitatem desit quod latroni affuit, perficitur salus: Quod traditum tenet vniuersitas ecclesiæ, cùm paruuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore cõfiteri ad salutem, quod latro potuit: quinetiam flendo & vagiendo cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt; & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari.

Matth. 3.

Baptismus paruulorum.

CAPVT XXIIII. Traditio apostolica.

ET si quisquam in hac re autoritatem diuinã quærat, quanquam QVOD VNIVERSA TENET ECCLESIA, NEC CONCILIIS INSTITVTVM, SED SEMPER RETENTVM EST, NON NISI AVTORITATE APOSTOLICA TRADITVM RECTISSIME CREDITVR: tamen veraciter coniicere possumus, quid valeat in paruulis baptismi sacramentum, ex circuncisione carnis, quam prior populus accepit, quam prius quàm acciperet iustificatus est Abraham. Sicut Cornelius etiam dono Spiritus sancti, prius quàm baptizaretur, ditatus est. Dicit tamen Apostolus de ipso Abraham, Signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, qui iam corde crediderat, & deputatũ illi erat ad iustitiam. Cur ergo ei præceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octauo die circuncideret, qui nondum potuerat corde credere vt ei deputaretur ad iustitiam; nisi quia & ipsum per seipsum sacramentum multum valebat? Quod in filio Moysi per angelũ manifestatum est, qui cum adhuc incircũcisus à matre ferretur, præsenti & euidenti periculo vt circuncideretur exactum est; & cum factum esset, depulsa est pernicies. Sicut ergo in Abraham præcessit fidei iustitia, & accessit circuncisio signaculum iustitię fidei: ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accessit sacramentum regenerationis in lauacro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octauo suæ natiuitatis die circuncisus est, præcessit signaculum iustitiæ fidei; & quoniã patris fidem imitatus est, secuta est in crescẽte ipsa iustitia, cuius signaculum in infante præcesserat: ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conuersio, cuius mysterium præcessit in corpore. Et sicut in illo latrone quod ex baptismi sacramento defuerat, compleuit omnipotentis benignitas, quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic in infantibus qui baptizati moriuntur, eadem gratia omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigẽtia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo cum alij pro eis respondent, vt impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet. Ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes cum legitur naturaliter mouet: ætatem habet, ipse pro se loquatur.

Act. 10.

Rom. 4.

Circuncisionis effectus. Exod. 4.

Supplet Dei benignitas quod necessitas ipsa excluserit.

QVIBVS rebus omnibus ostenditur aliud esse sacramentum baptismi, aliud conuersionem cordis, sed salutem hominis ex vtroque compleri: nec si vnum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, vt & alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo siue in illo, siue in isto, quod non ex voluntate defuisset: cum verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem inuolui. Et baptismus quidem potest inesse vbi conuersio cordis defuerit: conuersio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo, sed contempto non potest. Neq; enim vllo modo dicẽda est conuersio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur. Iustè igitur reprehendimus, anathematizamus, detestamur, abominamur peruersitatem cordis hæreticorum, sacramẽtum tamen euangelicum non ideo non habent, quia per quod vtile est non habent. *Quapropter cum ad fidem & veritatem veniunt, & agentes pœnitẽtiam remiti sibi peccata deposcunt*, non *eos decipimus neque fallimus, cum correctos à nobis ac reformatos* in eo quod deprauati atque peruersi sunt, *ad regnum cælorum*, sic, *disciplinis cælestibus erudimus*, vt quod in eis integrum est, nullo modo violemus, nec propter hominis vitium, si quid in homine Dei est, vel nullum, vel vitiosum esse dicamus.

CAPVT XV. Ioan. 9.

IAM pauca restant ex epistola ad Iubaianum, sed quia in eis & de præterita ecclesiæ consuetudine dicitur, & de baptismo Ioannis, quod solet non paruam mouere quæstionem hominibus rem manifestam parum attendẽtibus, quia iussi sunt ab Apostolo in Christo baptizari, qui baptismum Ioannis acceperant, non negligenter tractandã sunt, sed in volumen aliud differenda, ne huius modus immoderatus sit.

CAPVT XVI.

FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS, LIBER V.

CAP. I.

ECCLESIÆ catholicæ consuetudinem pristinam nunc teneri, cùm ab hæreticis vel schismaticis venientes, si euangelicis verbis consecratum baptismum perceperunt, denuò non baptizantur, beato Cypriano teste vtimur. Ipse quippe sibi quæstionem proposuit ex ore vtique fratrum, siue quærentium veritatem, siue pro veritate certantium. Inter disputationes enim suas quibus volebat ostendere denuò baptizandos hæreticos, de quib. satis pro tempore libris superiorib. disseruimus, ait: *Sed dicit aliquis, Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæresi ad ecclesiam venientes, sine baptismo admissi sunt?* Hic tota causa Donatistarum, cum quibus nobis de hac quæstione conflictus est, penitus naufragauit. Si enim verum baptismum non habebant, qui venientes ab hæreticis ita suscipiebantur, & super eos erant peccata eorum; cum communicatum est talibus, siue ab eis qui fuerant ante Cyprianum, siue ab ipso Cypriano, necesse est vt vnum dicatur ex duobus: aut periisse iam tunc ecclesiam talium communione maculatam, aut non obesse cuiquam in vnitate permanenti aliena etiam nota peccata. Illud autẽm quia dicere non possunt periisse tunc ecclesiam, contagione communionis eorum qui sine baptismo ad eam, sicut dicit Cyprianus, admissi sunt: alioquin nec originem suam poterunt asserere, si tũc periit ecclesia, quoniam plusquam quadraginta

Verba Cypriani in epist. ad Iubaianum.

anni sunt inter Cypriani passionem & diuinorum codicum exustionem, vnde isti calumniarum suarum fumos iactantes, occasionem faciendi schismatis inuenerunt, sicut consulum ordo declarat: restat vt fateantur nulla malorum etiam cognitorum, tali cõmunione maculari vnitatem Christi. Quod cùm fassi fuerint, nõ inuenient causam cur se ab ecclesiis orbis terrarum quas per Apostolos institutas pariter legimus, separare debuisse contendãt: quia neque illi quorumlibet malorum commixtione perire potuerunt, & isti qui non perirent si cum illis in vnitate mansissent, separando se ab eis, & rumpendo vinculum pacis, vtiq; in schismate perierunt. Apertissimum enim sacrilegiũ eminet schismatis, si nulla fuit causa separationis. Nullam verò fuisse causam separationis apparet, si mali etiam cogniti bonos in vnitate non maculant. Non autem maculari in vnitate bonos, etiã à cognitis malis docemus, teste Cypriano qui dicit, in præteritum de hæresi ad ecclesiam veniẽtes sine baptismo admissos: quorum tamen nefaria sacrilegia quæ super eos erant, quia baptismo dimissa nõ erat, si polluere & perdere non potuerunt ecclesię sanctitatem, nulla malorum potest contagione perire. Quapropter si Cyprianum verum dixisse consentiunt, eo teste conuincuntur esse in crimine schismatis: si Cyprianum falsum dixisse contendunt, eo teste non vtantur in quæstione baptismatis.

CAPVT II. Redit ad epistolæ Cypriani ad Iubaianum refutationem.

SED nunc quod cum beato Cypriano homine pacifico sermocinari instituimus, peragamus. Qui cùm sibi oppositisset, quod dici à fratribus nouerat, Quid ergo fiet de his qui in præteritum ad ecclesiam de hæresi venientes, sine baptismo admissi sunt? *Potens est*, inquit, *Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui ad ecclesiam simpliciter admissi in ecclesia dormierunt, ab ecclesiæ suæ muneribus non separare.* Bene quidẽ præsumpsit, quòd charitas vnitatis possit cooperire multitudinem peccatorum. Quod si habebant baptismum, & ab his non rectè sentiebatur qui eos denuo baptizandos esse censebant, id erratum cooperiebat vnitatis charitas quãdiu inerat ista non diabolica dissensio, sed humana tentatio, donec eis, sicut dicit Apostolus, si quid aliter sapiebant Dominus reuelaret. Et ideo væ istis qui per sacrilegam præcisionem ab vnitate dirupti, si & apud nos & apud illos est baptismus, rebaptizant: si autem in catholica sola est, nec baptizant. Siue ergo rebaptizent siue non baptizent, non sunt in vinculo pacis, vnde cuilibet istorum vulneri adhibeant medicinam. Nos autem si ad ecclesiam sine baptismo admittimus, in eo numero sumus quibus Cyprianus propter vnitatis custodiã ignosci posse præsumpsit. Si autem (sicut iam, vt arbitror, ex his quę in superioribus libris diximus, manifestum est) etiam in hæreticorum peruersitate potest esse Christiani baptismi integritas, si qui temporibus illis rebaptizauerunt, nec tamen ab vnitatis compagine recesserunt, eadem dilectione pacis potuerunt ad veniam pertinere, qua Cyprianus etiam sine baptismo admissos ab ecclesiæ muneribus non separari potuisse testatur. Porrò si verum est apud hæreticos & schismaticos nõ esse baptismum Christi, quanto minus obessent in vnitate positis aliena peccata, si ad vnitatem venientibus, & sine baptismo admissis soluerentur & propria. Nam si teste Cypriano, vnitatis vinculum tantum valet, quomodo possent lædi alienis peccatis, qui nollẽt ab vnitate recedere, si etiam non baptizat. peccatis propriis non perirent, qui ad eam vellent ex hæresi accedere.

Phil. 3.

CAPVT III.

QUOD autem adiungit Cyprianus & dicit, *Non tamen quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est; cum magis sapientibus & Deum timentibus congruat patefactæ & perspectæ veritati libenter atque incunctanter obsequi, quàm pertinaciter atque obstinatè contra fratres & consacerdotes pro hæreticis reluctari.* Verissimè dicit, nec alteri potius quã sibi aduersatur, qui resistit apertissimæ veritati. Sed per illa quæ tam multa iam diximus, quantum arbitror, liquido apparet, certumq; est baptismũ Christi nec hæreticorum peruersitate, cum apud eos datur & sumitur, posse violari. Sed vt certum nõdum sit, saltem adhuc esse dubium quisquis ea quæ dicta sunt, etiam renitens cogitauerit, confitetur. Non ergo apertissimæ veritati resistimus, sed aut pro manifesta veritate certamus, sicut ego existimo: aut certè, sicut possunt putare qui nondũ istam quæstionem solutam esse arbitrantur, adhuc quærimus veritatem. Et ideo si aliter se res habet quàm nos dicimus, eadẽ simplicitate suscipimus ab hęreticis baptizatos, qua suscipiebantur illi, quos propter vnitatem Cyprianus ad veniam pertinere præsumpsit. Si autẽ baptismus Christi sicut ea quæ iam multa dicta sunt indicant, & non integra, vel vita vel fide, siue eorum qui videntur esse intus, nec tamen ad vnicæ illius colũbæ membra pertinent, siue eorum qui sic ad eam nõ pertinent, vt etiã apertè foris sint, potest esse integer: qui eum illis temporibus repetebant, eandem veniam propter charitatem vnitatis merebãtur, quam meruisse propter eiusmodi charitatem credidit Cyprianus eos, quos sine baptismo admissos esse arbitratus est. Isti ergo qui nulla existente causa, (quando quidem sicut idem Cyprianus ostendit, mali bonis in vnitate obesse nõ possunt) se ab eiusdem vnitatis charitate præciderunt, locum omnis veniæ perdiderunt; & qui ipso scelere schismatis interirent, etiam si post catholicam non rebaptizarent; quanto supplicio digni sunt, qui vel quod eos nõ habere Cyprianus affirmat, habentibus catholicis dare conantur, vel sicut ipsa res manifestat, quod & ipsi habent, non habere catholicam criminantur?

CAPVT IIII.

SED quia nunc vt dicere cœperam, cum Cypriani literis sermocinari instituimus, non vt arbitror etiam illi si adesset, viderer *pertinaciter atque obstinatè contra fratres & consacerdotes pro hæreticis reluctari*, cum acciperet tanta ista quæ nos mouent, cur etiam apud hæreticos in suo maligno errore peruersos, baptismum tamen Christi per seipsum reuerendissimũ atque sanctissimum esse posse credamus. Cumque & ipse testetur, cuius nobis testimonium ponderis magni est, sic eos admitti in præteritũ solitos: quisquis eius sermone commotus, hæreticos denuò baptizandos esse non dubitat, eos quibus hoc propter tanta quæ contradicuntur, nondum persuasum est, tales esse deputet, quales in præteritum fuerunt, qui baptizatos in hæresi, solo proprio errore correcto simpliciter admiserũt, & cum eis per vnitatis vinculum salui esse potuerunt. Quisquis autem & de præterita ecclesiæ consuetudine, & de posteriore robore plenarij concilij, & tot tantisque sanctarum scripturarum testimoniis, & ipsius Cypriani multis documentis, & perspicuis rationibus veritatis, intelligit Christi baptismũ verbis euangelicis consecratũ, non fieri cuiuslibet hominis peruersitate peruersum: eodem vnitatis vinculo intelligat saluos esse potuisse, quibus aliud salua charitate tunc visum est: ac per hoc simul oportet intelligat, eos quos nulla zizania, nulla palea, si ipsi frumenta esse voluissent, in societate ecclesiæ toto orbe diffusæ poterant maculare, & ideo nulla existente causa diuortii se ab eodem vnitatis vinculo dirupertunt, quodlibet illorum duorum verum sit, siue quod Cyprianus tunc sensit, siue quod catholicæ vniuersitas vnde ille non recessit obtinuit, foris apertissimè constitutos in manifesto sacrilegio schismatis saluos esse non posse, & omnia quæ habent de diuinis sacramentis, & liberalitate vnius legitimi Patris, quandiu tales sunt, ad eorum cõfusionem potius quàm ad salutem valere.

CAPVT V.

QVOCIRCA etiam si verè propterea vellent hæretici correcto errore venire ad ecclesiam, quia putarent se baptismum non habere nisi in catholica acciperent, nec sic eis deberemus ad iterationem baptismi consentire, sed potius docẽdi essent, nec integritatem baptismi prodesse peruersitati eorũ, si corrigi nollent: nec eorum peruersitate violatum fuisse integrum baptisma, quandiu corrigi noluerunt: nec quia corrigi volunt melius in eis baptisma fieri: sed ipsos à malignitate discedere, illud autem prodesse iam incipere ad salutem, quod prius inerat ad perniciem: hæc enim discentes & salutem in catholica vnitate desiderabunt, & suum esse quod Christi est non existimabunt; & veritatis sacramentum quamuis in se positum, cum errore proprio non miscebunt. Huc accedit, quia sic homines occulta nescio qua inspiratione Dei detestantur, si quis iterum baptismũ accipiat quem vbicunque iam acceperat, vt iidem ipsi hæretici cum inde disputant, frontem confricent, & propè omnes eorum laici qui apud eos inueterauerunt, & animosam pertinaciã aduersus catholicam conceperunt, hoc solum illic sibi displicere fateantur: & multi qui propter adipiscenda aliqua commoda secularia, vel incommoda deuitanda transire ad eos volunt, occultis conatibus ambiãt, vt hoc eis quasi peculiari & domestico beneficio præstetur, ne rebaptizentur: & nonnulli cęteris eorum vanis erroribus & falsis criminationibus aduersus catholicam ecclesiam credentes, hoc vno reuocentur, vt eis sociari nolint, ne rebaptizari cogantur. Quem sensum, hominum omnia penitus corda occupantem isti Donatistæ metuentes, maluerunt recipere baptismum, qui apud Maximianistas quos damnauerãt datus est, & eo modo sibi linguas præcidere, & ora oppilare, quàm denuo baptizare tot homines Musticanæ & Assuritanæ & aliarum plebium, quas cum Feliciano & Prætextato & cæteris à se damnatis, & ad se reuertibus susceperunt.

Natura exhoret baptismi iterationem.

CAPVT VI.

CVM enim hoc raro sit in singulis, inter multa spatia locorum & temporum, horror facti non ita sentitur. si autem repentè conuenirentur quos per tam longum tempus siue vrgentibus periculis mortis, siue per solennitates Paschales memorati Maximianistæ baptizauerunt, & eis diceretur vt iterum baptizarentur, quoniam id quod in sacrilegio schismatis acceperant nihil esset: id quidem dicerent quod eos pertinacia sui erroris dicere cogeret, vt possent qualicunq; falsa vmbra constantiæ contra calorem veritatis, suæ duritiæ rigorem glaciemque contegere. Sed quia hoc illi ferre non possent, & quod in tam multis hominibus fieret, nec ipsi possent tolerare qui facerent, præsertim quia idem ipsi eos in parte Primiani rebaptizarent, qui eos in parte Maximiani iam baptizauerant, receptus est baptismus illorũ, & interceptus typhus istorũ. Quod nullo modo eligerent fieri, nisi amplius sibi aduersari arbitrarentur horrorem hominum de iterata tinctione, quàm consideationem de perdita defensione. Quod non ideo dixerim; quia humano sensu deterreri debuimus, si ab hæreticis venientes denuò baptizari veritas cogeret: sed quia sanctus Cyprianus ait, *hoc ipso magis hæreticos ad necessitatem veniendi adigi potuisse, si rursus in catholica baptizarentur*: propterea commemorare volui quantus penè in omnium mentibus huius facti horror insideat, quẽ diuinitus infusum esse crediderim, vt aduersus quaslibet disputatiões quas infirmi discutere nequeunt, horrore ipso ecclesia muniretur.

CAPVT VII.

SANE verba ipsa Cypriani cum intueor, admoneor quædam multum necessaria dicere dirimendæ huiusmodi quæstioni: *Nam si viderint*, inquit, *iudicio & sententia nostra id decerni & statui, vt baptisma iustum & legitimum computetur, quo illic baptizantur; putabunt se ecclesiam quoque & cætera munera ecclesiæ iustè & legitimè possidere.* Non ait, putabunt se munera ecclesiæ possidere, sed *iustè & legitimè possidere*. Nos autem baptismum eos non iustè & legitimè possidere concedimus; non possidere autem non possumus dicere, cum sacramentum Domini in euãgelicis verbis cognoscimus. Baptismum ergo legitimum habent; sed non legitimè habent. Quisquis enim eum & in vnitate catholica & eo dignè viuens habet, & legitimum & legitimè habet: quisquis autẽ vel in ipsa catholica sicut palea commixta frumento, vel extra sicut palea vento sublata habet, hunc baptismum legitimum quidem habet, sed non legitimè. Ita enim habet quemadmodum eo vtitur, non autem legitimè vtitur qui eò contra legẽ vtitur. Quod facit omnis qui baptizatus perditè viuit, siue intus siue foris.

CAPVT VIII. 1. Tim. 1.

QVAPROPTER sicut de lege dicit Apostolus, Bona est lex, si quis ea legitimè vtatur: ita de baptismo rectè dicere possumus, Bonus est baptismus, si quis eo legitimè vtatur. Et sicut non faciebant tunc vt lex bona non esset, aut omnino nulla esset, qui eã non legitimè vtebãtur: sic nullo modo facit vt baptismus bonus non sit, aut vt omnino baptismus non sit, quisquis eo siue quia in hæresi, siue quia in pessimis moribus viuit, non legitimè vtitur. Et ideo cum vel ad vnitatem catholicam, vel ad vitam tanto sacramento dignam conuertitur, non aliud baptisma incipit habere legitimum, sed illud ipsum incipit habere legitimè: nec remissio irreuocabilium peccatorum consequitur baptisma, nisi non solum legitimum, sed etiam legitimè habeatur: nec tamen si legitimè non habebitur, & peccata vel non remittentur, vel remissa replicabuntur; propterea vel malum vel nullum erit in baptizato baptismi sacramẽtum. Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo locum in se diabolo præbuit; sic indignè quisque sumens Dominicum sacramentum non efficit, vt quia ipse malus est malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini nihilominus erat etiam illis quibus dicebat Apostolus, Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Non ergo quærant in catholica hæretici quod habent, sed quod non habẽt: id est, finem præcepti, sine quo multa sancta haberi possunt, sed prodesse non possunt. Finis autẽ præcepti, est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide nõ ficta. Lauacri verò sacramentum non vt habeat, si iam eodẽ ipso, quãuis in hæresi tincti sunt; sed vt salubriter habeant, ad catholicæ vnitatem veritatemq; festinẽt.

De cons. dist. 2. c. sicut Iudas. 4. sen. dist. 9. c. hæc verba.

Verum Christi corpus & sanguinem in sacramento etiam impij accipiunt. 1. Cor. 11.

1. Tim. 1.

CAPVT IX. Baptismus Ioannis & Christi. Act. 19.

IAM nunc de baptismo Ioannis videndum est quid dicatur. *Baptizatos enim à Paulo eos qui iam baptismo Ioannis baptizati fuissent, legimus in Actibus apostolorum*, non ob aliud, nisi quia Ioannis baptismus non fuerit Christi baptismus, sed Ioanni à Christo concessus, qui Ioannis propriè diceretur, sicut idem Ioãnes dicit, Nõ potest homo accipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cælo. Et ne forsitan hoc sic à Deo patre accepisse videretur vt à filio non acciperet, de ipso Christo idẽtidem loquens ait, Nos omnes de plenitudine eius accepimus. Accepit autem hoc Ioannes certæ dispensationis gratia, nõ diu mansurum, sed quãtum satis esset ad parandam viam Domino, cuius eum esse præcursorem oportebat. Quam ille humiliter ingressurus, & se humiliter sequentes ad excellentiam deducturus, sicut seruis pedes lauit, ita serui baptismo tingi voluit. Sicut enim se subiecit pedibus eorum quos ipse dirigebat, sic Ioannis muneri quod ipse donauerat: vt intelligerent omnes quanto superbiæ sacrilegio quisque contemneret baptisma quod à Domino deberet accipere, quando ipse Dominus accepisset, Quod seruò vt proprium dare posset, ipse præstiterat. Et cùm Ioannes, quo nemo exurrexit maior in natis mulierũ, tantum testimoniũ Christo perhiberet, vt soluendæ corrigiæ

Baptizari à Ioanne eur Christus voluerit.

rigię calciamenti eius se faceretur indignum; Christus & baptismum eius accipiendo, humilimus inter homines inueniretur; & baptismo eius locum auferẽdo, Deus altissimus crederetur; id est humilitatis doctor & celsitudinis dator. Nulli enim prophetarum, nulli prorsus hominum in scripturis diuinis legimus concessum esse, baptizare in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quod Ioanni cõcessum est: qua mirabili gratia suspendens in se corda populorum, viam præpararet in eis, illi quem se tanto prædicaret esse maiorem. Sed Dominus Iesus Christus tali baptismo mundat ecclesiam, quo accepto nullum alterum requiratur. Ioannes autem tali baptismo prætingebat, quo accepto esset baptisma etiam Dominicũ necessarium, non vt illud repetatur, sed vt eis qui baptismum Ioannis acceperant, etiam Christi baptismus cui viam præparabat ille, traderetur. Si enim Christi humilitas commendanda non esset, nec baptismo Ioannis opus esset. Rursum si in Ioanne finis esset, post Ioannis baptisma Christi baptismate opus non esset. Sed quia finis legis Christus ad iustitiam omni credenti, ab illo demonstratum est ad quem pergeretur, ad hunc cum peruentum fuerit, permaneretur. Idem igitur Ioãnes & cellitudinẽ Domini prædicauit, cum eum sibi longè præpositum: & humilitatem, cùm eum tanquam infimum baptizauit. Sed si Ioannes Christum solum baptizasset, melioris baptismi Ioannes dispensator fuisse putaretur, quo ipse Christus solus tinctus esset, quàm Christi est, quo Christiani tingũtur. Et rursus si omnes prius baptismo Ioannis, & deinde Christi baptizari oporteret, minus plenus minusq; perfectus Christi baptismus merito videretur, qui non sufficeret ad salutẽ. Quocirca & baptismo Ioannis baptizatus est Dominus, vt superbas hominum ceruices ad salutare suum baptisma flecteret: & nõ solus ipse baptismate tinctus est, ne hoc ipso superius illud ostenderet, quòd eo solus ipse baptizari meruisset: & vltra illud perseuerare nõ sinit, ne hoc vnum quo ipse baptizat, indigere præcedente altero videretur.

Act.19. Rom.10.

CAPVT X. QVAERO itaque, si baptismo Ioannis peccata dimittebantur, quid amplius præstare potuit baptismus Christi, eis quos Apostolus Paulus post baptismum Ioannis, Christi baptismo voluit baptizari? Si autem Ioannis baptismo non dimittebantur peccata, vtrum nam meliores erant Ioanne Cypriani temporibus, de quibus ipse dicit, quòd fundos insidiosis fraudibus rapiebant, & vsuris multiplicantibus fœnus augebant, quibus tamen baptizantibus fiebat remissio peccatorum? An quia eos vnitas Ecclesię tenebat? Quid ergo? Ioannes non erat in vnitate, amicus ille sponsi, viæ Dominicæ præparator, & ipsius Domini baptizator? Quis hoc dementissimus dixerit? Quapropter quamquam ita credam baptizasse Ioannem in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, vt ab eo baptizatis in spe remitterẽtur peccata, re ipsa verò in domini baptismo id fieret: sicut resurrectio quæ expectatur in finem spe in nobis facta est, sicut dicit Apostolus, quia simul nos excitauit, & simul sedere fecit in cælestibus. Et idem dicit, Spe enim salui facti sumus. Nam & ipse Ioannes cum dicat, Ego quidem baptizo vos in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Dominum videẽs ait, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: tamen ne quisquẽ contendat etiam in baptismo Ioannis dimissa esse peccata, sed aliquam amplioꝛem sanctificationem eis quos iussit Paulus Apostolus denuo baptizari, [illegible] baptismum Christi esse collatam, nõ ago pugniciter.

Lib. de lapsis. Baptisma Ioannis non dedit remissionẽ peccatorũ nisi in spe. Rom. 8. Matt. 3. Ioan. 1. Act. 19.

CAPVT XI. Quare post baptismum Ioannis baptizauit Paulus.

ILLVD enim quod ad rem præsentem maximè pertinet, intuendum est, quoquo modo se habeat baptisma Ioannis, cum eum ad vnitatem Christi pertinere manifestum sit: quę causa fecerit, vt post Ioanem sanctum baptizari homines oportuerit, & post episcopos auaros non oportuerit. Nemo enim negat quòd in agro Dominico Ioannes triticum erat, & si amplius non potest, in vbertate centena. Item nemo dubitat auaritiam, quæ est idolorum seruitus, in messe Dominica inter paleas numerari. Cur ergo post triticum baptizatur, & post paleam non baptizatur? Si propterea Paulus post Ioannem baptizauit, quia Ioanne melior erat, cur non & Cyprianus post fœneratores suos collegas baptizauit, quibus vltra comparationem melior erat? Si propterea post tales collegas Cyprianus nõ baptizauit, quia in vnitate cum illo erant, nec post Ioannem debuit Paulus, quia eadem vnitate cõtinebatur. An fortè fraudatores & rapaces ad columbæ illius vnicæ membra pertinent, & ille non pertinet cui potestas ipsa Domini nostri Iesu Christi per columbæ speciem Spiritu sancto descendente monstrata est? Imò verò ille intimè pertinet, isti verò vel occasione alicuius scandali, vel vltima ventilatione à tritico separandi nequaquam pertinent, & tamẽ post illum baptizatum est, post istos non baptizatur. Quę igitur causa est, nisi quia baptisma quod illos iussit Paulus accipere, non hoc erat quod per Ioãnem dabatur? & ideo in eadem ipsa vnitate ecclesiæ, baptismus Christi si baptizante fœneratore tradatur, repeti non potest: baptismum autem Ioannis etiam ab ipso Ioanne accipientes, postea Christi baptismo baptizari oportebat.

CAPVT XII. PROINDE possum & ego verbis vtens ipsius Cypriani ad cuiusdam miraculi considerationem audientium corda conuertere, si dicam. *Ille Ioannes maior inter prophetas habitus, ille diuina gratia adhuc in vtero matris impletus, ille Heliæ spiritu & virtute fulgurans, qui non aduersarius Domini, sed præcursor et prædicator fuit, qui Dominum non tantum verbis prænunciauit, sed & oculis ostendit, qui ipsum Christum per quem baptizantur cæteri, baptizauit,* sic baptizare non meruit, vt post eum non baptizarentur qui ab eo fuerant baptizati: & post auaros, fraudatores, rapaces, fœneratores, nemo quẽquam in ecclesia baptizandum putabit? Nónne cum hæc inuidiosè clamauero, respõdetur mihi, Quid hoc indignum putas, quasi aut Ioãnes exhonoratus sit, aut auarus honoratus? Sed illius baptismum non oportuit iterari, de quo idem Ioannes ait, Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Per quemlibet enim ministrum detur, illius est baptismus de quo dictum est, hic est qui baptizat. Sed neque ipsius Ioannis baptismus iteratus est, cum ab eo baptizatos baptizari in Christo Paulus Apostolus iussit. Quod enim ab amico sponsi non acceperant, hoc ab ipso sponso accipere debuerunt, de quo ille amicus dixerat, Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.

Matth. 11. Baptista cum cominus. Ioan. 1.

CAPVT XIII. POTERAT enim si voluisset Dominus Iesus baptismi sui potestatem dare alicui vel aliquibus præcipuis seruis suis, quos iam fecisset amicos suos, qualibus ait, Iam non vos dicam seruos, sed amicos. Vt quemadmodum per virgam florẽtem demonstratus est Aaron sacerdos, ita in eius ecclesia vbi plura & maiora miracula facta sunt, per aliquod signum demonstrarẽtur excellentioris sanctitatis ministri & dispensatores mysteriorum, qui soli baptizare deberent. Sed si hoc fieret, quamuis eis à Domino attributus, tamen ipsorum iam baptismus diceretur, sicut baptismus Ioannis fuit: ideo Paulus gratias agit Deo, quòd neminem ipsorum baptizauerat, qui tanquam obliti in cuius nomine baptizati essent, per hominum se nominà diuidebant. Cùm enim tantum valet baptismus per hominem contemptibilem quantum per Apostolum datus; ita nec illius, nec illius esse cognoscitur, sed Christi: quod in Domino Ioannes per ipsam columbæ speciem se didicisse testatur. Nam secundum quid aliud dixerit, Et ego nesciebam eum; non planè video. Si enim

Ioan. 15. Num. 17. 1. Cor. 1. Deconf. c. cum [illegible]. Ioan. 1.

enim eum omnino nesciret, venienti ad baptismum suum non diceret, Ego à te debeo baptizari. Quid ergo est quod ait, Quoniam vidi spiritum sicut columbam descendentem de cælo, & mansit super eum, & & ego nesciebam eum. Sed qui me misit baptizare in aqua, ipse mihi dixit, Super quem videris spiritum descendentem de cælo, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Columba vtique super baptizatum descenderat. Adhuc autem venienti vt baptizaretur dixerat, Ego à te debeo baptizari. Iam ergo sciebat eum. Quid sibi itaque vult, ego nesciebam eum, sed qui me misit baptizare in aqua, ipse mihi dixit, Super quem videris spiritum descendentem de cælo, & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto: cum hoc postea quam baptizatus est, factum sit; nisi quia secundum aliquid eum sciebat, secundum aliquid adhuc nesciebat? Sciebat videlicet sponsum filium Dei, de cuius plenitudine omnes acciperent: sed quia ex eius plenitudine ipse sic acceperat baptizãdi potestatem, vt Ioannis baptismus diceretur, nesciebat vtrum sic esset daturus & cæteris: an verò proprium baptismum sic habiturus, vt per quemlibet daretur, siue excellentioris gratiæ ministrum, siue inferioris, siue per centeni fructus hominem, siue sexageni, siue triceni, siue per frumentum, siue per paleam, non nisi illius vnius esse cognosceretur: & hoc per spiritum didicit, velut columbam descendentem & manentem super eum.

Matth. 3.

CAPVT XIIII. 1. Thes. 2. Rom. 11. Ephes. 3. 2. Tim. 2. ITAQVE inuenimus dictum ab Apostolo, Et gloriam meam, quamuis vtique in Domino, & ministerium meum, & prudentiam meam, & Euangelium meum, quamuis vtique à Domino impertitum atque donatum: baptismus autem meus nemo dixit eorum omnino. Neque enim omnium æqualis est gloria, nec ministrant omnes æqualiter, nec æquali prudentia sunt omnes pręditi, & in euangelizando alius alio melius operatur, & ideo dici potest alius alio doctior in ipsa doctrina salutari: alius autem alio magis minúsve baptizatus dici non potest, siue ab inferiore, siue à maiore baptizetur. Proinde cum manifesta sint opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, si mirabiliter dicitur, post Ioannem baptizati sunt homines, & post hæreticos non baptizantur, cur non mirabiliter dicitur, post Ioannem baptizati sunt homines, & post inuidos non baptizantur: cum ex parte diaboli esse inuidos ipse Cyprianus in epistola de zelo & liuore testetur, & in ecclesia Christi fuisse inuidos Christi annunciatores ipsis apostolicis temporibus ipse Cyprianus ex Apostolo Paulo, sicut iam docuimus, manifestet?

Gal. 5. Obiectio. Responsio.

CAPVT XV. QVIA ergo Ioannis baptismus non erat idem qui baptismus Christi, satis arbitror esse declaratum: & propterea nihil documenti ex illo afferri potest, cur propterea post hæreticos baptizandum sit, quia baptizatum est post Ioannem: cum Ioannes hæreticus non fuerit, & potuerit habere baptismum, quamuis à Christo concessum, nõ tamen Christi proprium, cum Christi habuerit charitatem: & possit hæreticus habere baptismum Christi & peruersitatem diaboli, sicut intus aliquis potest habere baptismum Christi & inuidiam diaboli. At enim multo magis post hæreticum baptizandum est, quia Ioannes hæreticus non erat, & tamen post eum baptizatum est. Sic dicit aliquis, multo magis post ebriosum baptizandum est, quia Ioannes sobrius erat; & tamen post eum baptizatum est: & quid respondeamus ei, non habebimus, nisi baptizatis à Ioanne baptismum Christi non habẽtibus esse traditum: in quibus autem est baptismus Christi, quibuslibet eorũ peruersitatibus nullo modo fieri, vt non sit in eis baptismus Christi. Non itaque idcirco hæreticus ius baptismi obtinere potuit, quia prior baptizauit, sed quia non suo baptismo baptizauit, & si ius baptizandi non habuit, tamen Christi est, quod dedit, & ille Christi est qui accepit. Multa enim contra ius dantur, nec tamen ideo vel nulla vel non data dicuntur. Neque enim & ille qui seculo solis verbis & non factis renunciat, iure accipit baptismum, & tamen accipit. Nam tales in ecclesia & Cyprianus suis temporibus fuisse commemorat, & nos experimur, & geminus. Mirum autem est quomodo dicatur *separari & diuidi omnino non posse, baptismum & ecclesiam.* Si enim baptisma in baptizato inseparabiliter manet, quomodo baptizatus separari ab ecclesia potest: & baptismus non potest? In baptizato autem inseparabiliter baptisma permanere manifestum est, quia in quodlibet profundum malorum & in quamlibet horribilem voraginem peccatorum irruat baptizatus vsque ad apostaticam ruinam, non caret baptismo: & ideo per pœnitentiam redeunti non redditur, quia eo non potuisse carere iudicatur. Baptizatum autem posse separari ab ecclesia quis dubitauerit? Inde quippè omnes hæreses exierunt, quæ vocabulo Christiano decipiunt.

CAPVT XVI. QVAMOBREM quia manifestum est in baptizato esse baptismum, cum baptizatus ab ecclesia separatur, baptismus qui in illo est, cum illo vtique separatur: & ideo non omnes qui tenent baptismum, tenent ecclesiam, sicut non omnes qui tenẽt ecclesiam, tenent & vitam æternã. Aut si ecclesiã tenere non dicimus, nisi eos qui diuina mãdata custodiunt, multos iam esse concedimus baptismum tenentes, & ecclesiam non tenentes. Quamobrem non *præoccupat hæreticus baptismum*, cum eum ab ecclesia sumpserit. Nec potuit amittere cum recederet, quem iam non habere ecclesiam dicimus, & tamen habere baptismum concedimus. Nec *primatum quisquam sibi derogat & hæretico tribuit*, quia cum dicit secum abstulisse, quod non legitimè daret, sed tamen legitimum daret; nec iam legitimè haberet, sed legitimum haberet. Primatus autem non est nisi in sancta conuersatione & vita bona, quò pertinent omnes, ex quibus tanquam membris constat illa sponsa non habens maculam neque rugam, & illa columba inter multorum coniuorum improbitatem gemens: nisi fortè cum Esau propter lenticulæ concupiscentiam primatum perdiderit, tenere primatum arbitrandi sunt, fraudatores, raptores, fœneratores, inuidi, ebriosi, & cæteri huiusmodi, quales in ecclesia sui temporis etiam per hæreses Cyprianus ingemuit. Quapropter aut quod est tenere ecclesiam, non hoc est in diuinis tenere primatum: aut si omnis qui tenet ecclesiam etiam primatum tenet, omnes illi iniqui ecclesiam non tenent, qui tamen intus videntur, & baptismum dare & habere à nullo nostrum negantur. Nam eos primatum in diuinis habere quis dicat, nisi qui nihil diuinum sapit?

Consule epist. 3. Gen. 25. 1. Cor. 11.

CAPVT XVII. SED iam ad illa eloquia pacifica Cypriani, hoc est ad Epistolæ finem omnibus consideratis pertractatisque peruentum est, quæ me legentem & sæpè repetentem non satiant: tanta ex eis iocunditas fraterni amoris exhalat, tanta dulcedo charitatis exuberat. *Hæc tibi*, inquit, *breuiter pro nostra mediocritate rescripsimus frater charissime, nemini præscribentes aut præiudicantes, quo minus vnusquisque episcoporum quod putat faciat, habens arbitrij sui liberam potestatem. Nos quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis & coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus concordam & Dominicam pacem tenemus, maximè cum & Apostolus dicat, Si quis autem putatur contentiosus*

1. Cor. 11.

tiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei: Seruatur à nobis patienter & lenitèr charitas animi, honor collegij, vinculum fidei, concordia sacerdotii. Propter hoc etiam libellum De bono patientiæ, quantum valuit nostra mediocritas, permittente & inspirante Domino conscripsimus, quem ad te pro mutua dilectione transmisimus. In his verbis multa consideranda sunt, quibus in hoc viro qui dilexit decorem domus Domini, & locum tabernaculi habitationis eius, Christianæ charitatis fulgor elucet. Primo quia id quod sensit non tacuit, deinde quia tam mansuetè & pacificè protulit, quia cum his qui aliud sentiebant ecclesiasticam pacem tenuit, quia in vnitatis vinculo tantam salubritatem esse intellexit, quia eam tantum dilexit, & sobriè custodiuit, quia vidit & sensit etiam diuersa sentiẽtes posse salua charitate sentire. Neque enim cum malis tenere se diceret diuinam concordiam & Dominicam pacem. Bonus quippe habere erga malos pacem potest, tenere autem cum eis pacem non potest, quam ipsi non tenent. Postremò quia nemini præscribens neque præiudicans, quo minus vnusquisque Episcoporum quod putat faciat, habens arbitrij sui liberam potestatem, etiam nobis qualibuscunque locum dedit, pacificè secum ista tractandi. Præsens est enim, non solum per literas suas, sed etiam per ipsam quæ in illo maximè viguit, & mori nunquam potuit, charitatem. Huic ergo inhærere & conglutinari desiderans, si non impediat inconuenientia peccatorum meorum orationibus eius adiutus, discam si potero per literas eius quanta pace per eum Ecclesiam suam Dominus, & quanto solatio gubernauerit: & per eius sermonis affectum visceribus humilitatis indutus, si quid verius sentio cum orbe terrarum, non ei præponam cor meum, nec in eo ipso quod aliter sentiens non tamen diremptus est ab orbe terrarum. Maius quippe in eo robur virtutis eminuit, cum ista quæstio nondum discussa nutaret, quod aliter sentiens quàm multi collegæ, tantam moderationem obtinuit, vt Ecclesiæ Dei sanctam societatem nulla schismatis labe truncaret, quàm si omnia non solum veraciter, sed etiam pariter sine ista virtute sentirent. Neque enim ei placeo, si eius ingenium facultatemque sermonis, & doctrinæ vbertatem, sancto concilio cunctarum gentium, cui profectò interfuit per spiritus vnitatem, præponere affectem; præsertim iam in tali veritatis luce posito, vbi certissimè cernit, quod hic pacatissimè requirebat. Ex illa enim vbertate hæc nostra quæ videntur eloquia, tanquam infantilia rudimenta deridet, ibi videt qua regula pietatis hic egerit, vt nihil esset ei in Ecclesia charius vnitate: ibi etiam ineffabili delectatione contuetur quàm prouidà & misericordissima dispensatione Deus infirma mundi elegit, vt tumores nostros curaret, stulta mundi elegit vt confunderet sapientes, atque in ordinibus membrorum Ecclesiæ suæ tam salubriter omnia collocaret, ne de ingenio vel literis suis quas adhuc ignorarent cuius munere haberent, electos se ad adiutorium Euangelicum homines dicerent, atque inde pestifera inflarentur superbia. O quàm gaudet Cyprianus? quanto serenius in illa luce contuetur, pro quanta salute humani generis factum sit, vt inueniatur aliquid quod merito reprehendi possit, quamuis in Christianis & piis literis oratorum, & non inueniatur in literis piscatorum? De hoc ergo gaudio sanctæ illius animæ omnino securus, neque vllo modo meas literas ab omni errato liberas audeo vel putare vel dicere: neque illius huic sententiæ, in qua ei visum est aliter sentiendos ab hæreticis venientes, quã vel in præteritum suscipiebantur, sicut ipse testatur, vel nunc suscipiuntur, sicut totius orbis Christiani plenario concilio rationabilis consuetudo firmata est,

Cypriani encomium.

Optat Cypriani oratio mib. adiumari.

B. Cyprianus martyrius, per spiritus vnitatem Niceno concilio interfuit.

1. Cor. 1. Infirma & stulta mundi eligit Deus elegerit.

Anima sanctæ lucem diuinitatis intuentur etiam ante ex[illegible]

A meam præpono sententiam, sed Ecclesiæ sanctæ catholicæ, quam sic ille dilexit & diligit, in qua tam vberem cum tolerantia fructum attulit, cuius vniuersitas ipse non fuit, sed in eius vniuersitate permansit, cuius radicem nunquam deseruit, sed in cuius radice fœcundus vt esset, fœcundior ab agricola cælesti purgatus est. Pro cuius pace ac salute, ne simul cum zizaniis eradicaretur & triticum, tãta mala hominum secum in vnitate cõstitutorum & veritatis libertate redarguit, & charitatis virtute sustinuit.

Ecclesia catholica patientia, cuius sententiæ præponunda.

CAPVT XVIII. Sequentibus capitibus, vel ipsola ad Quintum relationes.

VNDE nos idem ipse copiosissimè admonet, multos in delictis suis & peccatis mortuos, quãuis ad Christi societatem, & ad illius columbæ vnicæ innocentis & simplicis membra non pertinentes (quę si *sola baptizaret*, illi vtique non baptizarent) specie tamen intus videri & baptizari & baptizare. Et in eis quamuis mortuis, illius tamen baptismum viuere, qui non moritur, & mors illi non vltra dominabitur. Cum ergo & intus sint mortui, neq; latentes (nam non de illis tanta B diceret Cyprianus) qui vel non pertineant ad illam viuam columbam, vel nondum pertineant: & foris sint mortui, qui manifestius ad eam vel nõ pertineant, vel nondum pertineant: verumque sit *non posse ab eo viuificari alterum, qui ipse non viuit*; manifestum est eos qui intus à talibus baptizantur, si vera cõuersione cordis accedunt, ab eo viuificari cuius est baptismus. Si autem seculo verbis solis & non factis renunciant, quales Cyprianus & intus esse testatur, nec ipsos viuificari nisi conuertantur, & tamen verum habere baptismũ, etiam si non conuertantur: vnde etiã exteriores mortuos quamuis *neque viuant, neque viuificent*, habere tamen baptismum viuum qui eis tunc profit ad vitam, si conuertantur ad pacem, similiter manifestum est.

CAPVT XIX. Deus & per malos sanctificat.

QVAPROPTER qui tunc ab hæresibus venientes in eodem Christi baptismo quem foris acceperant suscipiebant, & *dicebant se veterem consuetudinem sequi*, sicut etiam nunc suscipit Ecclesia: frustra contra eos C dicebatur *apud veteres hæreses & schismata, prima adhuc fuisse initia, vt hi illic essent qui de Ecclesia recedebant, & hic baptizati prius fuerant, quos tunc ad ecclesiam reuertentes & pœnitentiam agentes, necesse non erat baptizari.* Statim enim vnaquæque hæresis vt existebat, & à cõgregatione catholicæ communionis exibat, non dico alio die, sed & ipso die poterat irruentes in se aliquos baptizare. Et ideo si vetus hæc erat consuetudo vt sic susciperentur, quod nec ipsi qui contrà disserebãt negare potuerunt, nulli paulò attentius aduertenti potest esse dubium, etiam eos sic esse susceptos, qui foris in hæresibus baptizati sunt. Illud autẽ quid habeat rationis non video, vt *nõdum dicatur ouis errans*, cui quærenti salutem Christianam, in hæreticorum incidere errorem, & apud eos contingit baptizari: & ouis iam facta dicatur in ipsa intus catholica, qui seculo verbis solis & non factis renunciauit, & in ea cordis fallitate baptismum accepit. Aut si & talis nõ fit ouis, nisi cum D se ad Deum veraci corde conuerterit, sicut iste non quando fit ouis baptizatur, si iam baptizatus erat, sed ouis nondum erat: sic & ille qui venit ab hæreticis vt ouis fiat, non tunc baptizandus est, si apud eos iam eodem baptismo baptizatus erat, quamuis adhuc ouis non erat. Quapropter cùm omnes etiam intus mali, auari, inuidi, ebriosi, & contra disciplinam Christianam viuentes, merito dici possint & mendaces & tenebrosi & mortui & antichristi, nunquid tamen propterea non baptizant, quia *nihil potest esse commune mendacio & veritati, tenebris & luci, morti & immortalitati, antichristo & Christo?* Non itaque *de sola consuetudine, sed* etiam *de veritatis ratione præsumit*, qui nullorum hominum peruersitate peruersum fieri dicit Dei sacramentum, quod etiam in peruersis esse declaratur. Certè Ioannes Apostolus apertissimè dicit,

Qui

1. Ioan. 2. 1. Ioan. 3. Qui odit fratrem suum, in tenebris est vsque adhuc. A quem tradunt homicidæ? An hostes & aduersarios Domini non dicimus homicidas? Qui autem odit fratrem suum, homicida est. Quomodo ergo baptizabant qui oderant Paulum seruum Christi Iesu, ac per hoc oderant & Iesum, quia & Saulo dixit ipse, Quid me persequeris: quando eius seruos persequebatur, & in fine ipse dicturus est, Cùm vni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis. Quamobrem omnes qui ex nobis exeunt, non sunt ex nobis; sed non omnes qui nobiscum sunt ex nobis sunt, sicut area cum trituratur, quicquid inde volat non est triticum, sed non quicquid ibi est triticum est. Ideoque & Ioannes, Ex nobis, inquit, exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Quapropter sacramẽtum gratiæ dat Deus etiam per malos: ipsam verò gratiam non nisi per seipsum vel per sanctos suos; & ideo remissionem peccatorum vel per seipsum facit, vel per illius columbæ membra, quibus ait, Si cui dimiseritis, dimittentur: B si cui tenueritis, tenebuntur. Baptismum verò quod est sacramentum remissionis peccatorum, quia nulli dubium est habere etiam homicidas posse, qui in tenebris sunt vsque adhuc, quia de cordibus eorum fraternum odium non exclusum est: siue nulla eis peccata dimissa sint, si non in melius mutato corde baptizati sunt; siue continuò dimissa redierint: & per seipsum, quia Dei est, sanctum esse cognoscimus, & siue tradatur siue accipiatur à talibus, nulla eorum peruersitate violari, siue intus siue foris.

1. Iohan. 3. Act. 9. Matth. 25. 1. Ioan. 2. Ioan. 20.

CAPVT XX. Epistola ad Iubaianum. Tribus proximis capitibus respondet Cypriani epist. 12. lib. 1. scripta ex Carthag. concilio ad Saturninũ, Maximũ etc.

QVOMODO *aquam mundat & sanctificat* homicida? *Quomodo benedicunt oleum* tenebrę? Si autem Deus adest sacramentis & verbis suis per qualetlibet administrentur, & sacramenta Dei vbiq; recta sunt, & mali homines quibus nihil prosunt, vbique peruersi sunt. Illud autem quale est, vt ideo putetur *hæreticus non habere baptismum, quia non habet Ecclesiam?* Et vtique *cum baptizatur, etiam de sancta Ecclesia interrogatur.* Quasi verò ille qui non factis intus, sed verbis seculo renunciat, non hoc in baptismo interrogetur. Sicut ergo huius falsa responsio non efficit, vt baptismus non sit quem percipit: sic & illius de Ecclesia sancta falsa responsio, non efficit vt baptismus non sit quem percipit. Et sicut ille si postea quod fallaciter responderat, veraciter impleat, non ei baptismus repetitur, sed vita corrigitur: sic & ille si postea veniat ad Ecclesiam, de B qua interrogatus falsum responderat, quia eam se habere dum non haberet putabat, ipsa quam non habebat ei datur, non quod acceperat iteratur. Cur autem ad verba quæ procedunt ex ore homicidæ, possit tamen Deus oleum sanctificare; & *in altari quod hæretici posuerunt non possit*, nescio: nisi fortè quem cor hominis fallaciter conuersum intus non impedit, lignum fallaciter positum impedit foris, quo minus sacramentis suis adesse dignetur, nullis hominum falsitatibus impeditus? Si ergo ad hoc valet quod dictum est in Euangelio, *Deus peccatorem non audit*, vt per peccatorem sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur? Quæ omnia tamẽ & fiunt & valent etiam per homicidas, id est per eos qui oderunt fratres, etiam in ipsa intus Ecclesia. *Cum dare nemo possit quod non habet*: quomodo dat homicida Spiritum sanctum? Et tamen ipse intus etiam C baptizat. Deus ergo dat etiam ipso baptizante Spiritum sanctum.

Ioan. 9.

CAPVT XXI.

QVOD verò ait, *baptizandus & innouandus est qui ad Ecclesiam venit, vt intus per sanctos sanctificetur.* quid faciet, si & intus in non sanctos incurrerit? An fortè sanctus est homicida? Et si propterea baptizatur in Ecclesia, vt *etiam hoc ipsum deponat, quod homo ad Deum veniens dum sacerdotem quærit, in sacrilegum fraude erroris incurrit*: vbi postea depositurus est, si fortè in ipsa intus Ecclesia dum hominem Dei quærit, in homicidam fraude erroris incurrit? *Si non potest in homine aliquid inane esse & aliquid præualere*, quare potest in homicida sacramentum sanctum esse, & cor sanctum non esse? Si *quisquis Spiritum sanctum dare non potest, nec baptizare potest*, cur intus baptizat homicida? Aut quomodo Spiritum sanctum habet homicida, cum omnis qui Spiritum sanctum habet illuminatus sit: qui autem odit fratrem suum, in tenebris sit vsque adhuc? *Si quia vnus est baptismus & vnus spiritus*, ideo non possunt habere vnum baptisma qui non habent vnum spiritum: cur intus innocens & homicida baptismum vnum habent, & eundem spiritum non habent? Ita ergo potest hæreticus & catholicus baptisma vnum habere, & vnam Ecclesiam non habere; sicut possunt in catholica innocens & homicida vnum habere baptisma, & vnum spiritum non habere: quia sicut vnum est baptisma, sic vnus est spiritus & vna Ecclesia. Ita fit vt hoc in quoque agnoscendum sit quod habet, hoc ei dandum quod non habet. Si *nihil potest ratum & firmum esse apud Deum quod illi faciunt, quos Dominus hostes & aduersarios suos esse dicit*, cur firmus est baptismus

Eph. 4.

CAPVT XXII. Refellit epistolã ad eiusdem, tomo 2.

Tomo 2. lib. 1. epist. 12.

A D Pompeium etiam scribit Cyprianus de hac eadem re, vbi apertè indicat Stephanum, quem Romanæ Ecclesiæ Episcopum tunc fuisse didicimus, non D solum sibi ad ista non consensisse, verumetiam contra scripsisse atque præcepisse. Qui vtique Stephanus non propterea *communicauit hæreticis*, quia baptisma Christi quod in eorum peruersitate integrum mansisse cognouit, improbare non ausus est. Nam si non habent baptismum qui de Deo praua sentiũt, hoc posse & intus accidere, iam satis, vt arbitror, disputatum est. *Apostoli autem nihil quidem exinde præceperunt*, sed consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordiũ sumpsisse credenda est: sicut sunt multa quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur. At enim scriptum est de hæreticis,

Traditiones Apostolicæ non scriptæ.

Tit. 3.

quòd

quòd à semetipsis damnati sunt. Quid ergo? Et illi non à semetipsis damnati sunt, quibus dictum est, In quo enim alterum iudicas, temetipsum condemnas? His autem dicit Apostolus, Qui prædicas non furandum, furaris, &c. Et tales profectò erant illi, qui cum essent Episcopi & cum ipso Cypriano in vnitate catholica constituti, fundos infidiotis fraudibus rapiebant; prædicantes vtique populis Apostoli verba dicentis, Neq; rapaces regnum Dei possidebunt. Quapropter ipsius etiam epistolæ quæ ad Pompeium scripta est, cæteras sententias ex eisdem regulis breuiter percurrere non morabor? *Contra mandatum Dei esse, quòd venientes ab hæreticis si iam illic baptismum Christi acceperunt, non baptizantur*, qua scripturarum authoritate sanctarum ostenditur? Sed planè ostenditur, multos pseudochristianos, quamuis non habeant eandem charitatem cũ sanctis, sine qua nihil prosunt quæcunque sancta habere potuerint, baptismum tamen communem habere cum sanctis: quod iam satis atque vberrimè demonstratum est. *Ecclesiam & spiritum & baptisma* dicit, *ab inuicem non posse separari; & ideo qui ab Ecclesia separati sunt & à Spiritu sancto, etiam à baptismo* vult *intelligi separatos.* Quòd si ita est, cum quisque in ecclesia catholica baptismum acceperit, tandiu in eo manet, quandiu in ecclesia & ipse manet. Si autem inde discesserit, discessit à baptismo, quod non ita est. Nam ideo redeunti non redditur, quia cum discederet, non amisit. Quemadmodum autem Spiritum sanctum sicut habent filij dilecti, non habent filij maligni, & tamen baptismum habent: sic & ecclesiam sicut habent catholici, non habent hæretici; & tamen baptismum habent. Nam Spiritus sanctus disciplinæ fugiet fictum, nec tamen eum effugiet baptismus. Itaque sicut potest baptisma esse, & vnde se aufert Spiritus sanctus; ita potest esse baptisma vbi non est ecclesia. *Manus autem impositio*, si non *adhiberetur ab hæresi venientibus*, tanquam extra omnem culpam esse iudicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valet ad salutem quæcunque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.

Rom. 2. — 2. Cor. 6. — Sapien. 1. — Ab hæresi venientibus in Ecclesia manus imponatur.

IAM *de templo Dei, & quomodo accipiendũ sit, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*, satis disseruisse me memini. Neque enim auari templum Dei sunt, cum scriptum sit, Quæ societas templo Dei cum idolis? Et auaritiam idololatriam esse, testimonium Pauli Cyprianus assumpserit. Induunt autem homines Christum, aliquando vsque ad sacramenti perceptionem; aliquando & vsque ad vitæ sanctificationem; atque illud primum & bonis & malis potest esse commune, hoc autem alterum proprium est bonorum & piorum. Quapropter si *baptisma esse sine spiritu non potest*, habent & spiritum hæretici, sed ad perniciem, non ad salutem, sicut habuit Saul. Nam per nomen Christi in spiritu sancto eiiciuntur dæmonia, quod & ille poterat qui erat extra ecclesiam, de quo discipuli Domino suggesserunt: sicut habent auari, qui tamen non sunt templum Dei: Quoniam quę societas templo Dei cum idolis? Si autem non habent auari spiritum Dei, & tamen habent baptisma, potest esse sine spiritu baptisma. Si *propterea filios Deo generare non potest hæresis per Christum, quia Christi sponsa non est*; nec turba illa malorum intus constitutorum potest, quia & ipsa Christi sponsa non est. Designatur enim Christi sponsa sine macula & ruga: ergo aut non omnes baptizati filij sunt Dei, aut potest & non sponsa generare filios Dei. Sicut autem quæritur, *vtrum spiritaliter natus sit qui baptismum Christi apud hæreticos accepit*: ita quæri potest vtrũ spiritaliter natus sit, qui baptismũ Christi nõ ad Deũ veraci corde cõuersus in catholica accepit, nec tamẽ ideo baptismũ non accepit.

CAPVT XXIIII. — 1. Cor. 3. — 2. Cor. 6. — Christũ quotiũs in baptismo induimus. — 1. Reg. 8. — Marci 9. — 2. Cor. 6. — 2. Petri 18.

CAPVT XXV.

IAM illa quæ in Stephanum iratus effudit, retractare nolo, quia & non opus est. Eadem quippe ipsa dicuntur, quæ iam satis discussa sunt; & ea præterire melius est, quæ periculum pernitiosæ dissensionis habuerunt. Stephanus autem etiam abstinendos putauerat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem conuellere conarentur: iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largissimè præditus, in vnitate cum eis manẽdum qui diuersa sentirent. Ita quamuis commotius, sed tamen fraternè indignaretur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, vt in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur. Non autem *hinc vberius excreuerunt hæreses & schismata*, quia id quod in eis Christi est, approbatur; quod autem ipsorum est, improbatur. Magis enim qui hanc legem rebaptizandi tenuerunt, in plura frustra concisi sunt.

CAPVT XXVI. 2. Tim. 2.

IAM verò cum dicit *Episcopum docibilem esse debere*, & adiungit, *Docibilis autem ille est, qui est ad discendum, patientis, lenis & mitis: oportet enim Episcopum non tantùm docere, sed & discere, quia & ille melius docet qui quotidie crescit & proficit discendo meliora.* His vtique verbis satis indicat vir sanctus & pia charitate præditus, non esse metuendum sic eius epistolas legere, vt si quid postea pluribus & diuturnioribus inquisitionibus compertum Ecclesia confirmauerit, non ambigamus: quia sicut multa erant quæ doctus Cyprianus doceret; sic erat & aliquid quod Cyprianus docibilis disceret. Quòd autem nos admonet, *vt ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & inde canalem in nostra tempora dirigamus*; optimum est, & sine dubitatione faciendum. *Traditum est ergo nobis*, sicut ipse commemorat, ab Apostolis, *quod sit vnus Deus, & Christus vnus, & vna spes, & fides vna, & vna ecclesia, & baptisma vnum.* Cum ergo ipsis Apostolorum temporibus inueniamus fuisse quosdam quibus vna spes non erat, & vnum baptisma erat; ex ipso fonte ita in nos ducitur veritas, vt appareat nobis sic fieri posse; vt cum sit vna ecclesia, sicut spes vna, & baptisma vnum; habeant tamen vnum baptisma qui nõ habent vnam ecclesiam: sicut illis etiam temporibus fieri potuit vt baptisma vnum haberent, qui vnam spem non haberent. Quomodo enim habebant vnam spem cum sanctis & iustis illi qui dicebant, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur, dicentes, quòd non esset resurrectio mortuorum: & tamen in ipsis erant quibus idem dicit Apostolus, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Ad eos enim apertissimè scribit, dicens, Quomodo quidam in vobis dicunt, quia resurrectio mortuorum non est?

Certissima regula veritatis exploranda, Apostolica traditio. — Eph. 4. — 1. Cor. 15. — 1. Cor. 1. — 1. Cor. 15.

ET quod in Cantico Canticorum Ecclesia sic describitur, *Ortus conclusus, soror mea sponsa, fons signatus, puteus aquæ viuæ, paradisus cum fructu pomorum:* hoc intelligere non audeo nisi in sanctis & iustis, non in auaris & fraudatoribus, & raptoribus, & fœneratoribus, & ebriosis, & inuidis, quos tamen cum iustis baptismum habuisse communem, cum quibus communem non habebant vtique charitatem, ex ipsius Cypriani literis, sicut sæpè commemoraui, vberius discimus, & docemus. Nam dicat mihi aliquis, *quomodo irrepserint in ortum conclusum & fontem signatum*, quos seculo solis verbis & non factis renunciasse Cyprianus, & tamen intus fuisse testatur? Si enim & ipsi ibi sunt, & ipsi sponsa Christi sunt, itáne verò talis est illa sine macula & ruga, & illa speciosa columba tali membrorum parte turpatur? An istæ sunt spinæ, in quarum medio est illa sicut lilium, quod in eodem cantico dicitur? Inquantum ergo lilium, intantum & ortus conclusus & fons signatus: in illis videlicet iustis, qui in occulto Iudæi sunt circumsione cordis.

CAPVT XXVII. Cant. 4. — Ephes. 5. — 2. Reg. 23. 1. — Cant. 2. — Psal. 44.

Omnis

Psal. 44. — Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus, in quibus est numerus certus sanctorum prædestinatus ante mundi constitutionem. Illa verò multitudo spinarum, siue occultis, siue apertis separationibus, forinsecus adiacet super numerum. Annunciaui, inquit, & locutus sum, multiplicati sunt super numerũ. Numerus ergo ille iustorum, qui secundum propositum vocati sunt, de quibus dictum est, Nouit Dominus qui sunt eius: ipse est ortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ, paradisus cum fructu pomorum. Ex hoc numero quidam spiritaliter viuunt, & superemminentem viam charitatis ingrediuntur, & cùm præoccupatum hominem in aliquo delicto instruunt in spiritu lenitatis, intendunt ne & ipsi tententur, & cùm fortè & ipsi præoccupantur, reprimitur in eis aliquantulum, non autem extinguitur charitatis affectus: rursusque insurgens & inardescens, pristino cursui restituitur. Norunt enim dicere, Dormitauit anima mea præ tædio, cõfirma me in verbis tuis. Cùm autem aliquid aliter sapiunt, id quoque illis in charitatis flagrantia permanentibus, nec rumpentibus vinculum pacis, Deus reuelabit. Quidam verò adhuc carnales & animales prouectus suos instanter exercent, & vt cibo spiritalium fiant idonei, sanctorum mysteriorum lacte nutriuntur; ea quæ in prauis moribus populari etiam iudicio manifesta sunt, in Dei timore deuitant; & vt minus minusque rebus terrenis & temporalibus delectentur, vigilantissimè satagunt; regulam fidei diligenter inquisitam firmissimè tenẽt, & si quid ab ea deuiãt, citò authoritate catholica corriguntur; quamuis in eius verbis pro sensu carnali, variis adhuc phantasinatum concursibus fluctuẽt. Sunt enim quidam ex eo numero qui adhuc nequiter viuant, aut etiam in hæresibus, vel in gentilium superstitionibus iaceant, & tamen etiam illic nouit Dominus qui sunt eius. Namque in illa ineffabili præscientia Dei, multi qui foris videntur, intus sunt: & multi, qui intus videntur, foris sunt. Ex illis ergo omnibus, qui, vt ita dicam, intrinsecus & in occulto intus sunt, constat ille ortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ, paradisus cum fructu pomorum. Horum munera concessa diuinitus, partim sunt propria, sicut in hoc tempore infatigabilis charitas, & in futuro sæculo vita æterna: partim verò cum malis peruersisque communia, sicut omnia cætera, in quibus sunt & sacrosancta mysteria.

Psal. 39. — Rom. 8. — Psal. 118.

CAPVT XVIII. Qualiter per arcam Noe ecclesia figuratur. — Genes. 7. — 1. Petri 3.

HINC itaque iam facilior & expeditior nobis arcæ illius, cuius Noe fabricator & gubernator extitit, consideratio proponitur. *Ait enim Petrus, In arca Noe pauci, id est, octo animæ hominum saluæ factæ sunt per aquam, quòd & vos simili forma baptisma saluos facit*, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Quapropter si apparent hominibus in vnitate catholica baptizati, qui sæculo solis verbis, non factis renunciant; quomodo pertinẽt ad huius arcæ mysterium, in quibus non est conscientiæ bonæ interrogatio? Aut quomodo *salui fiunt per aquam*, qui sancto baptismate malè vtentes, cùm videantur esse intus, vsque in finem vitæ in flagitiosis & perditis moribus perseuerant? Aut quomodo non sunt per aquam saluati, quos in præteritum cum eo baptismate, quod in hæresi acceperant, in ecclesiam simpliciter admissos Cyprianus ipse commemorat? Eadem quippe arcæ vnitas eos saluos fecit, in qua nemo nisi per aquam saluatus est. Ipse enim dicit, *Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos, qui ad ecclesiam simpliciter admissi, in ecclesia dormierunt, ab ecclesiæ suæ muneribus non separare.* Si non per aquam, quomodo in arca? Si non in arca, quomodo in ecclesia? Si autem in ecclesia, vtique in arca: & si in arca, vtique per aquam. Potest ergo fieri, vt & quidam foris baptizati, per Dei præscientiam verius intus baptizati deputentur: quia illic eis aqua incipit prodesse ad salutem. Neque enim aliter dici possunt salui facti in arca nisi per aquam. Et rursus quidam, qui videbãtur intus baptizati, per eandem præscientiam Dei foris baptizati veriùs deputentur. Malè quippe vtentes baptismo, per aquã moriuntur, quod nulli tunc accidit, nisi qui præter arcam fuit. Certè manifestum est, id quod dicitur in ecclesia intus & foris, in corde non in corpore cogitandũ, quandoquidem omnes, qui corde sunt intus, in arcæ vnitate per eãdem aquam salui fiunt: per quam omnes, qui corde sunt foris, siue etiam corpore foris sint, siue non sint, tanquam vnitatis aduersarij moriuntur. Sicut ergo non alia, sed eadem aqua & in arca positos saluos fecit, & extra arcam positos interemit: sic non alio, sed eodem baptismo & boni catholici salui fiunt, & mali catholici vel hæretici pereunt. Quid autem beatissimus Cyprianus de catholica sentiat, & quomodo eius authoritate penitus obterantur hæretici, quanquam multa dixerim, seorsum tamen si Domino placuerit, aliquãto vberiùs atque manifestiùs dicere statui, cùm prius de concilio eius dixero quæ deberi à me puto, quod in Dei voluntate sequenti volumine aggrediar.

LIBRI V. FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS, LIBER VI.

CAP. 1.

POTERAT iam fortasse sufficere, quòd toties repetitis rationibus, & multipliciter disputando versatis atque tractatis, adiũctis etiam diuinarum scripturarum documentis, & ipsius Cypriani tot testimoniis suffragantibus, iam etiã corde tardiores, quantum existimo, intelligunt baptismũ Christi nulla peruersitate hominis, siue dantis, siue accipientis, posse violari. Nec ob aliud illis tẽporibus, quando ista quæstio contra veterem consuetudinem disputationibus salua charitate atque vnitate altercãtibus discutiebatur, visum est quibusdam etiam egregiis viris antistitibus Christi, inter quos præcipue beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud hæreticos vel schismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur sacramentum ab effectu, vel vsu sacramẽti. Et quia eius effectus atq; vsus in liberatione à peccatis, & cordis rectitudine apud hæreticos non inuenebatur, ipsũ quoque sacramentũ non illic esse putabatur. Sed conuertentibus oculos ad interioris paleę multitudinem, cùm & hi, qui in ipsa vnitate peruersi sunt, & perditè viuunt, appareant remissionem peccatorum nec dare posse nec habere: quia non malignis, sed bonis filiis dictum est, Si cui dimiseritis peccata, dimittẽtur ei; si cui tenueritis, tenebuntur: habere tamen, & dare, & accipere baptismi sacramentum, satis eluxit pastoribus ecclesiæ catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarij concilij authoritate originalis cõsuetudo firmata est: etiam ouem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ vnitatis salutem, ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnosci potius quàm improbari: quandoquidem ipsum characterem multi & lupi & lutrs infigunt, qui videntur quidem intus esse, veruntamen ad illam ouem, quæ etiam ex multis vna est, non pertinere, morum suorum fructibus conuincuntur, in quibus in finẽ vsque perdurant: quia secundum præscientiam Dei, sicut multæ oues

Ad sacramentum ab hæresibus venientibus effectus. — Ioann. 20.

errant

errant exterius, sic multi lupi insidiantur interius, inter quos tamen nouit Dominus qui sunt eius, qui non audiunt vocem nisi pastoris, etiam cùm clamat per similes Pharisæorum, de quibus dictum est, Quæ dicunt facite. Sicut enim homo spiritalis habens finem præcepti, id est, charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, potest aliquid ex corpore quod adhuc corrumpitur, & aggrauat animam, minus liquidè cernere, & aliter sapere quod in eadem charitate permanenti Deus cùm voluerit reuelabit: sic in homine carnali atque peruerso potest aliquod bonum & vtile reperiri, quod aliunde sit non ex ipso. Nam vt in palmite fructuoso inuenitur aliquid quod purgandum sit, vt maiorem fructum ferat; ita & in aruadine sterili atque arida vel alligata solet vua pendere. Et ideo sicut stultum est fructiferi palmitis purgamenta diligere, commodè autem facit qui poma suauia vbicunque suspensa non respuit: ita quisquis ab vnitate præcisus propterea rebaptizat, quia Cypriano visum est ab hæreticis venientes denuò baptizari oportere: laudanda in tanto viro auersatur, & emendanda sectatur, nec ea ipsa quæ sectatur assequitur. Ille enim dum zelo Dei grauiter detestatur eos qui se ab vnitate separauerũt, etiam ab ipso baptismate separatos esse arbitratus est: isti autem parum sceleris putãtes, quòd ipsi à Christi vnitate separati sunt, etiam baptismum eius illic non esse, & secum exiisse contendunt. Tam ergo longè sunt à fœcunditate Cypriani, vt nec purgamentis eius æquentur.

Matth. 23.

CAPVT II.

ITEM quisquis non habens charitatem, & perditas vias morum ingrediens pessimorum, intus videtur esse cùm foris sit, & baptismum Christi nec in hæreticis repetit, nihil eius adiuuat sterilitatem, quòd non fœcundatur suo, sed fructu oneratur alieno. Fieri autem potest vt aliquis vigeat in radice charitatis, & in quo Cyprianus aliter sapuit rectissimè sapiat, & tamen in Cypriano, quàm in isto plura fœcunda sint, & in isto quàm in Cypriano plura purganda sint. Non solùm itaque malos catholicos nullo modo comparamus, sed nec bonos facilè coæquamus beato Cypriano, quem inter raros & paucos excellentissimæ gratiæ viros numerat pia mater ecclesia: quamuis isti & apud hæreticos cognoscant baptismum Christi, illi autem aliter visum sit: vt per eum minus aliquid videntem, & in vnitate firmissimè permanentẽ, manifestius demonstraretur hæreticis, quàm sacrilego scelere rumperetur vinculum pacis. Neque enim Pharisæi cæci, quamuis dicentes aliquando quod fieri debebat, comparandi erant apostolo Petro, quamuis dicenti aliquando quod fieri non debebat. Non solùm autem istorum ariditas illius viriditati conferẽda non est, sed nec aliorum fructus illius vbertati adæquandus est. Gentes enim nemo Iudaizare nunc cogit, nec ideo tamen quisquam nunc in ecclesia quantumlibet profecerit, Petri apostolatui conferendus est. Quapropter reddens debitam reuerentiam, dignumque honorem, quantum valeo, persoluens pacifico episcopo & glorioso martyri Cypriano, audeo tamen dicere eum aliter sensisse de schismaticis vel hæreticis baptizandis, quàm postea veritas prodidit; non ex mea, sed ex vniuersæ ecclesiæ sententia, plenarij concilij authoritate roborata atque firmata: sicut venerans pro sui merito Petrum primum Apostolorũ, & eminẽtissimum Martyrum, audeo tamen dicere, non eum rectè fecisse vt gentes Iudaizare cogeret: etiam hoc enim dico, non ex mea, sed ex apostoli Pauli salutari doctrina, per ecclesiam vniuersam retenta atque seruata. Disputans ergo de sententia Cypriani, multum infra merita positus Cypriani, dico sacramentum baptismi & bonos & malos posse habere, posse dare, posse accipere: & bonos quidem vtiliter ac salubriter, malos autem perniciosè ac pœnaliter, cùm illud tamen in vtrisque sit æqualiter integrum: atque nihil interesse ad eius æqualem in omnibus integritatem, quanto peior id habeat inter malos, sicut nihil interest quanto melior id habeat inter bonos. Ac per hoc etiam nihil interest quanto peior id tradat, sicut nihil interest quãto melior id tradat: atque ita nihil interest quanto peior id accipiat, sicut nihil interest quanto melior accipiat. Illud enim per seipsum & in eis, qui non æqualiter iusti sunt, & in eis, qui non æqualiter iniqui sunt, æqualiter sanctum est.

Galat. 2.

CAPVT III.

HABERE autem baptismum, & tradere, & accipere malos nequaquam in melius commutatos, & de Scripturis canonicis, & de ipsius Cypriani literis, satis, vt arbitror, demonstrauimus: quos non pertinere ad sanctam ecclesiam Dei, quamuis intus esse videantur, ex hoc apertissimè apparet; quia isti sunt auari, raptores, fœneratores, inuidi, maleuoli, & cætera huiusmodi: illa autem columba vnica, pudica & casta, sponsa sine macula & ruga, ortus conclusus, fons signatus, paradisus cum fructu pomorum, & cætera quæ de illa similiter dicta sunt: quod non intelligitur nisi in bonis & sanctis & iustis, id est, non tantum secundum operationes munerum Dei bonis malisque communes, sed etiam secundum intimam & supereminentem charitatem Spiritum sanctum habentibus, quibus Dominus dicit, Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei: & si cui tenebitis, tenebuntur.

2. Retract. cap. 18.
Ephes. 5.
Ioannis 20.

CAPVT IIII.

AC per hoc nihil idoneum dici, cur non possit malus etiam tradere baptismum, qui potest habere; & sicut perniciosè habet, ita etiam perniciosè tradere; non quia tale aliquid tradit, nec quia tali tradit, sed quia talis tradit. Nam cùm malus tradit bono, id est, in vnitatis vinculo, veraci conuersione mutato, inter bonum sacramentum quod traditur, & bonum fidelem cui traditur, tradentis malitia non separat. Et cùm illi veraciter ad Deum conuerso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipse veraci conuersione coniungitur. Idem quippe Spiritus sanctus ea dimittit, qui datus est omnib⁹ sanctis sibi charitate cohærentibus, siue se nouerint corporaliter, siue non nouerint. Similiter cùm alicuius peccata tenentur, ab eis vtique tenentur, à quibus ille, cui tenentur, vitę dissimilitudine & praui cordis auersione disiũgitur, siue illum corporaliter nouerint, siue non nouerint.

CAP. V.

QVAPROPTER omnes mali spiritaliter à bonis seiũcti sunt: si autem etiam corporaliter aperta dissensione separentur, peiores fiunt. Sed, vt dictũ est, nihil interest ad baptismi sanctitatẽ, quãto quisque peior id habeat, & quãto peior id tradat: potest tamẽ tradere separatus, sicut potest habere separatus; sed quàm perniciosè habere, tam perniciosè tradere. Ille autem cui tradit, potest salubriter accipere, si ipse non separatus accipiat: sicut plerisque accidit, vt catholico animo & corde ab vnitate pacis nõ alienato, aliqua necessitate mortis vrgentis in aliquẽ hæreticum irruerent, & ab eo Christi baptismũ sine illius peruersitate perciperẽt, & siue defuncti, siue liberati, nequaquam apud eos remanerẽt, ad quos nunquam corde transierant. Si autem etiam & ipse separatus acceperit, tanto perniciosius accipit, quanto maius bonũ est quod non bene accipit: & tanto magis valet ad exitium separato, quanto magis posset ad salutem valere coniuncto. Et ideo si ab illa peruersitate correctus, & à separatione conuersus venerit ad catholicam pacem, sub eodem baptismate quod acceperat, eius peccata dimittũtur propter vinculum charitatis, sub quo baptismate peccata eius tenebantur propter sacrilegiũ diuisionis: quia illud & in homine iusto, & in homine iniusto semper sanctũ est, quod neque æquitate alicuius augetur, neq; alicuius iniquitate minuitur. Quæ cùm ita sint, quid huic tam perspicuæ

D Etiamsi ab hæretico in necessitate accipi baptismum potest.

perspicuæ veritati officit, quod multi coepiscopi Cypriano in illam sententiã consenserunt, suasq; in idem conuenientes proprias protulerunt, nisi vt magis magisq; illius viri erga vnitatem Christi charitas innotescat? Si enim solus ista sentiens nullo consentiente remaneret, videretur propterea refriguisse ab scelere schismatis, quia socios non inueniebat erroris. Tam multis autem sibi consentientibus, quod cum cæteris diuersa sentientibus in vnitate permansit, catholicæ vniuersitatis sanctissimum vinculum, non timore solitudinis, sed pacis amore seruauit. Quapropter posset quidem iam videri superfluum, cæterorum etiam illius concilij episcoporum singulas retractare sententias: sed quoniam corde tardiores non putant esse responsum, si alicui loco cuiusque sermonis non ibi sed alibi respondeatur, quod illuc etiam possit adhiberi, melius multũ legendo atteruntur vt acuantur, quàm parum intelligendo conqueruntur vt redarguantur.

CAPVT VI. Resit ad exemplum concilij Carthag. ella Verba Cypriani in concilio Carthag.

PRIMVM ergo ipsius Cypriani consultationem qua indicatur anima pacifica & exundans vberè charitatis, vnde concilium ipsum incipit, iterum considerandam commemoremus: *Audistis*, inquit, *collegæ dilectissimi, quid mihi Iubaianus coepiscopus noster scripserit, consulens mediocritatem nostram de illicito & prophano hæreticorum baptismo, & quid ego ei rescripserim, censens scilicet quod semel atque iterum & sæpe censuimus, hæreticos ad ecclesiam venientes, ecclesiæ batismo baptizari & sanctificari oportere. Item lectæ sunt vobis & aliæ Iubaiani literæ; quibus pro sua syncera & religiosa deuotione ad epistolam nostram rescribens, non tantum consensit, sed & instructum se esse gratias egit. Superest vt de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus: neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit, amouentes. Neque enim quisquam nostrũ Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum iudicare: sed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui vnus & solus habet potestatem & præponendi nos in ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro iudicandi.*

CAPVT VII. Dissensurus à Cecilio, præfatur libertatem à Cypriano concessam §Supr. lib. 5. cap. 18. & 19. *Ibid. cap. 20. 21. & 22. †Ibid. cap. 23 & sequentibus.

IAM satis quantum arbitror non solum ad epistolam, quam Iubaiano scripsit; sed etiam ad illam, quam ad †Quintum dedit; & ad *illam, quam cum quibusdam collegis ad quosdam collegas; & ad illam, quam ad †Pompeium, quantum potuimus pro vniuersitate catholicæ consensionis atque concilij, in cuius vnitate isti tanquam pia membra manserunt, libris superioribus disputauimus. Quapropter iam opportunum videtur, quid etiam cæteri singillatim censuerint considerare ea libertate, quam nobis etiam ipse non abrogauit, dicens: *Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit, amouentes.* Quod eum non puto propterea dixisse, vt cogitationes tacitas collegarum, tanquam de abdito erutas tali securitate captaret: sed quòd reuera pacem vnitatemque diligeret, ex aliis similibus videre facillimum est, vbi ad singulos scribit, sicut ad ipsum Iubaianum. *Hæc tibi*, inquit, *breuissimè pro nostra mediocritate rescripsimus, frater charissime, nemini præscribentes aut præiudicantes, quo minus vnusquisque Episcoporum quod putat faciat, habens arbitrij sui liberam potestatem.* Et ne quisquam, si hac eadem libera potestate diuersa sentiret, pellendus à cæterorum consortio videretur, sequitur & dicit: *Nos, quantum in nobis est, propter hæreticos cum collegis & coepiscopis nostris non contendimus; cum quibus diuinam concordiam & Dominicam pacem tenemus.* Et paulo pòst: *Seruatur*, inquit, *à nobis patienter & leniter charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, concordia sacerdotij.* Sic & in epistola quam scripsit ad Magnum, cùm de baptismo tinctorum & perfusorum quæreretur, vtrum aliquid interesset: *Quæ in parte*, inquit, *nemini verecundia & modestia nostra præiudicat, quo minus vnusquisque quod putauerit sentiat, & quod senserit faciat.* Quibus eius sermonibus satis apparet illo tempore ab eis ista esse tractata, quo nondum declarata sine ambagine hauriebantur, sed adhuc clausa magno molimine quærebantur. Nos ergo iam de baptismi simplicitate vbique agnoscendam consuetudinem vniuersæ ecclesiæ, etiam conciliis vniuersalibus roboratam tenentes, accepta quoque ex verbis Cypriani maiore fiducia, per quæ mihi etiam tunc liceret saluo iure communionis diuersa sentire, vnitate quidem prælata atque laudata, qualem beatus Cyprianus & eius collegæ, qui cum eo concilium illud fecerunt, cum diuersa sentientibus tenuerunt, hæreticorum & schismaticorum seditiosas calumnias proturbantes atque euertẽtes in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui per Apostolum suum loquens, ait: Sufferentes inuicem in dilectione: studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: per quem etiam ait, Si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus reuelabit: sanctorum Episcoporum sententias, saluo cum eis vinculo vnitatis & pacis, in quo retinendo eos, quantum ipse Dominus adiuuat, imitamur, considerandas & pertractandas aggredimur.

Lib. 1. epist. 6.
Ephes. 4.
Philip. 3.

CAPVT VIII.

CECILIVS à Bilta dixit, *Ego vnum baptismum in ecclesia sola scio, & extra ecclesiam nullum. Hic erit vnum, vbi spes vera est & fides certa. Sic enim scriptum est: Vna fides, vna spes, vnum baptisma; non apud hæreticos vbi spes nulla est & fides falsa, vbi omnia per mendacium aguntur, vbi exorcizat dæmoniacus, sacramentum interrogat cuius os & verba cancer vnittunt, fidem dat infidelis, veniam delictorum tribuit sceleratus, & in nomine Christi tingit antichristus, benedicit à Deo maledictus, vitam pollicetur mortuus, pacem dat impacificus, Deum inuocat blasphemus, sacerdotium administrat prophanus, ponit altare sacrilegus. Ad hæc omnia accedit & illud malum, vt antistes diaboli audeat eucharistiam facere: aut qui illis asistunt, dicant hæc omnia falsa esse de hæreticis. Ecce ad qualia cogitur ecclesia consentire, & sine baptismo & venia delictorum communicare compellitur. Quam rem fratres fugere ac vitare debemus, & à tanto scelere nos separare, & vnum baptisma tenere, quod soli ecclesiæ à Deo concessum est.* Ad hæc respondeo, quoniam quisquis etiam intus confitetur se Deum nosse, factis autem negat, quales sunt auari & inuidi, & qui propter fraternũ odium, non meo, sed sancti Ioannis Apostoli testimonio dicuntur homicidæ: & spem non habent, quia malam conscientiam gerunt: & perfidi sunt, quia non id agunt quod Deo vouerunt: & mendaces, quia falsa profitentur: & dæmoniaci, quia diabolo quàm angelis eius in suo corde locum præbent: & verba eorum putredinem operantur, cùm corrumpunt bonos mores per colloquia mala: & infideles sunt, quia quod Deus talibus minatur irrident: & scelerati, quia nefariè viuunt: & Antichristi, quia mores eorum Christo aduersantur: & à Deo maledicti, quia vbique tales sancta Scriptura execratur: & mortui, quia carẽt vita iustitiæ: & impacati, quia contrariis factis cum Dei sermone confligunt: & blasphemi, quia per eorum perditos actus nomini Christiano derogatur: & profani, quia ab illo Dei sanctuario spiritaliter interiore seclusi sunt: & sacrilegi, quia in seipsis rẽplum Dei malè viuendo corrũpunt: & antistites diaboli, quia fraudi & auaritiæ, quæ est idololatria, seruiũt. Tales autẽ non nullos, imò plurimos, & apostolus Paulus & episcopus Cyprianus etiam intus esse testantur. Cur ergo isti baptizant? Cur etiã quidã qui sęculo verbis & non factis renunciant, ab huiusmodi moribus non mutati baptizantur,*

Ephes. 4.
1. Ioannis 3.

zantur, & quando mutantur non rebaptizantur? Iam verò quod indignatur & dicit: *Ecce ad qualia ecclesia cogitur consentire, & sine baptismo & venia delictorum cõmunicare compellitur*: nisi essent cæteri episcopi qui alios ad ista compellerent, non vtique hæc diceret. Vnde etiam ostenditur illos tunc veriora sensisse, qui non recesserunt à pristina consuetudine, quæ postea concilij vniuersitate firmata est. Quid est autem quod adiungit & dicit: *Quam rem fratres fugere ac vitare debemus, & à tanto scelere nos separare?* Si enim hoc ita dicit, vt ista non faciat nec approbet, alia res est: si autem vt diuersa sentientes damnet & segreget, prioribus resistit verbis Cypriani, quibus ait: *Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit amouentes.*

CAPVT IX. PRIMVS Felix à Migirpa dixit: *Censeo omnem hominem ab hæresi venientem baptizandum. Frustra enim il lic putat se esse baptizatum, quum non sit baptisma, nisi in ecclesia, vnum & verum: quia & Dominus vnus, & fides vna, & vna ecclesia est, in qua stat vnum baptisma & sanctitas & cætera. Nã quæ foris exercẽtur, nullum habent salutis effectum.* Ad ea quæ Felix à Migirpa dixit, hæc dicimus: Si non esset baptisma vnum & verum nisi in ecclesia, non vtique esset in eis, qui ab vnitate discedũt. Est autem in eis, nam id non recipiunt redeuntes, non ob aliud nisi quia non amiserant recedentes. Quod autem ait, *nam quæ foris exercentur, nullum habent salutis effectum*: consentio, & omnino verum esse credo. Aliud est enim non ibi esse, aliud nullum habere salutis effectum. Veniẽtibus enim ad catholicam pacem prodesse incipiunt quæ foris inerant, sed foris non proderant.

CAP. X. POLYCARPO autem Hadrumetino: quoniam dixit, *Qui hæreticorum baptismum probant, nostrum euacuant.* Respõdemus: Si hęreticorum est baptismus, qui per hæreticos datur; auarorum & homicidarum est, qui intus à talibus datur. Si autem hoc istorum non est, nec illud illorum est: ac per hoc apud quoscunque sit, Christi est.

CAPVT XI. NOVATVS à Thamugade dixit: *Licet sciamus omnẽ scripturam testimonium reddere de salutari baptismo, debemus tamen fidem nostram exprimere. Hæreticos & schismaticos ad ecclesiam venientes qui pseudobaptizati videntur, debere eos in fonte perenni baptizari. Et ideo secũdum testimonium scripturarum, & secundum decretum collegarum nostrorum sanctissimorum virorum, omnes schismaticos & hæreticos qui ad ecclesiam conuersi sunt baptizaui: sed & quicunque ordinati videbãtur, inter laicos recepi.* Nouatus à Thamugade quid fecerit dixit; non autem aliquid attulit, vnde se ostenderet facere debuisse quod fecit. Nominauit enim *testimonium scripturarum & decretum collegarum*, sed non inde aliquid protulit quod considerare possemus.

CAPVT XII. NEMESIANVS à Tubunis dixit: *Baptisma quod dant hæretici & schismatici, non esse verum, vbique in scripturis sanctis declaratum est: quoniam ipsi præpositi eorum falsi Christi sunt, & falsi prophetæ, dicente Domino per Salomonem: Qui fidens est in falsis, hic pascit ventos, idem autem ipse sequitur aues volantes. Deserit enim vias vineæ suæ, à semitis verò agelli sui erranit. Ingreditur autem per auia loca atque arida & terram destinatam siti, consequitur autem manibus infructuosa.* Et iterum: *Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno ne biberis, vt lõgum viuas tempus, adiiciantur etiam tibi anni vitæ. Et in Euangelio sua voce Dominus noster Iesus Christus locutus est dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Hic est spiritus, qui ab initio ferebatur super aquam. Neque enim spiritus sine aqua operari potest, neque aqua sine spiritu. Malè ergo sibi quidam interpretantur, vt dicant, quod per manus impositionem Spiritum sanctum accipiant, & sic recipiantur, quum manifestum sit vtroque sacramento debere eos renasci in ecclesia catholica. Tunc quippe poterunt filij Dei esse, dicente Apostolo: Curantes seruare vnitatem spiritus in coniunctione pacis, vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. Hæc omnia ecclesia catholica loquitur. Et iterum in Euangelio dicit: Quod natum est de carne, caro est: & quod natum est de spiritu, spiritus est: quoniam spiritus Deus est, & de Deo natus est. Ergo omnes hæretici & schismatici omnia quæcunque faciunt carnalia sunt, dicẽte Apostolo: Manifesta sunt enim opera carnis, quæ sunt, fornicationes, immunditiæ, incestus, idololatriæ, veneficia, inimicitiæ, certamina, zelus, ira, diuisiones, hæreses, & his similia: de quibus prædixi vobis sicut prædico, quoniam quicunque hæc faciunt, regnum Dei non hæreditabunt. Condemnat æquè Apostolus cum omnibus malis & eos, qui diuisionem faciunt, hoc est, schismaticos & hæreticos. Nisi ergo acceperint baptisma salutare in ecclesia catholica quæ vna est, salui esse non possunt, sed cum carnalibus in iudicio Domini damnabuntur.* Nemesianus à Tubunis multa posuit testimonia scripturarum: sed pro sententia catholicæ, quam declarandam & commendandam suscepimus, multa locutus est. Nisi fortè putandum est quia non *fidit in falsis* qui fidit in spe rerum temporalium, sicut omnes auari atque raptores, & qui sæculo non factis, sed verbis renunciant, quales tamen intus & baptizare & baptizari etiam Cyprianus est testis. Ipsi *sequuntur etiam aues volantes*, quia non apprehendunt quæ concupiscunt. *Deserit autem vias vineæ suæ, & à semita agelli sui errat, & ingreditur per auia loca atque arida & terram destinatam siti, consequitur autem manibus infructuosa*, non hæreticus tantum, sed omnis qui malè viuit: quia omnis iustitia fructuosa est, & omnis iniquitas infructuosa. Qui verò *aquam alienã de fonte extraneo bibunt*, non hæretici tantum sunt, sed omnes qui non viuunt secundum ea quæ docet Deus, & viuunt secundum ea quæ docet diabolus. Nam si de baptismo diceret, non diceret, ne de fonte extraneo biberis; sed de fonte extraneo non te ablueris. Iam verò quod Dominus ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei*, quid eum adiuuet ad id quod putat, omnino non video. Aliud est enim, omnis qui intrabit in regnum cęlorum prius nascitur ex aqua & spiritu; quia nisi renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum: quod Dominus dixit, & verum est: aliud autẽ, omnis qui nascitur ex aqua & spiritu intrabit in regnum cælorum: quod vtique falsum est. Nam & Simon ille magus natus erat ex aqua & spiritu, & tamen non intrauit in regnum cælorum. Sic fieri potest vt hæreticis etiam contingat. Aut si non nascitur ex spiritu nisi qui veraci conuersione mutatur, omnes qui sæculo verbis & non factis renunciant, non vtique de spiritu, sed ex aqua sola nascuntur, qui tamen & intus teste Cypriano sunt. Necesse est enim vt vnum de duobus concedatur: aut illi qui fallaciter sæculo renunciant, nascuntur de spiritu, quamuis ad perniciem, non ad salutem; atque ita possunt & hæretici: aut si illud quod scriptum est: Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum, etiam ad hoc valet vt fallaciter sæculo renunciantes, non nascantur de spiritu, potest quis baptizari aqua, & non nasci de spiritu. Et frustra Nemesianus ait: *Neque spiritus sine aqua operari potest, nec aqua sine spiritu.* Iam verò & alibi sæpe dictum est, quomodo fieri possit, vt habeant communiter vnum baptisma, qui ecclesiam non habent vnam: sicut fieri potest in ipsa intus ecclesia, vt non habeant vnum spiritum sancti per iustitiam: & immundi per auaritiam, & tamen habeant vnum baptisma. Sic enim dictum est, vnum corpus, id est, ecclesia,*

Ephes. 4.
Ioannis 3.
Galat. 5.
Ioannis 3.
Ioannis 4.
Galat. 5.
Act. 8.
Sap. 1.
Ioannis 3.
Genes. 1.

clesia, sicut vnus spiritus & vnum baptisma. Iam cætera quæ dixit, nostræ potius assertioni suffragantur. Posuit enim ex Euangelio testimonium: *Quod natum est de carne caro est, & quod natum est de spiritu, spiritus est: quia Deus spiritus est, & ex Deo natus est*; & intulit: *Ergo omnes hæretici & schismatici, omnia quæcunque faciunt carnalia sunt, dicente Apostolo: Manifesta sunt enim opera carnis, quæ sunt fornicationes, immũditiæ*, & cætera quæ ibi dicit Apostolus, vbi & hæreses commemorauit: iste executus est, *quoniam quicunque hæc faciunt, regnum Dei non hæreditabunt*. Deinde adiecit & dixit: *Condemnat itaque Apostolus cum omnibus malis, & eos qui diuisionem faciunt: hoc est, schismaticos & hæreticos.* Bene, quòd enumerans opera carnis, inter quæ & hæreses sunt, inuenit & dixit, simul omnia damnantem Apostolum. Interroget ergo ipsum sanctum Cyprianum, & audiat ab eo quàm multi etiam intus secundum opera mala carnis viuunt, quæ cum hæresibus damnat Apostolus, & tamen baptizant & baptizantur. Cur ergo soli hæretici dicuntur baptismum habere non posse, quẽ habent socij damnationis ipsorũ?

CAPVT XIII. IANVARIVS à Lambese dixit: *Secundum scripturarum sanctarum authoritatẽ decerno omnes hæreticos baptizandos, & sic in ecclesiam sanctã admittẽdos.* Huic respõdetur, secũdum scripturarum sanctarũ authoritatem decreuit concilium catholicum orbis terrarum, etiam in hæreticis inuentum Christi baptismum non esse improbandum. Si autem poneret testimonia scripturarum; aut contra nos non esse, aut etiam pro nobis esse demonstraremus: sicut ecce qui eum sequitur.

CAPVT XIIII. LVCIVS à Castro Galbæ dixit: *Cùm Dominus in Euangelio suo dixerit, Vos estis sal terræ. Si autem sal infatuatum fuerit, id quod salietur ex eo, ad nihilum valebit, nisi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus: & iterum post resurrectionem suam mittens Apostolos suos mandauerit, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: ite ergo & docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti. Quum ergo ma nifestum sit hæreticos, id est, hostes Christi, non integram sacramenti confessionem habere. Item schismaticos non posse condire sapientia spiritali, quum ipsi ab ecclesia, quæ vna est, recedendo infatuati contrarij facti sint: fiat sicut scriptum est: Domus contrariorum legis debẽt emundationem: & consequens est eos qui à contrariis baptizati inquinati sunt primò purgari, & tum demum baptizari.*

Matth. 5.
Matth. 28.

LVCIVS à Castro Galbæ ex Euangelio posuit testimonium dicente Domino: *Vos estis sal terræ, si autem sal infatuatum fuerit, id quod salietur ex eo ad nihil valebit, nisi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus:* quasi nos dicamus homines ipsos foras proiectos aliquid valere, vel ad suam vel ad aliorum salutem. Sed & qui tales videntur intus, non solum spiritaliter foris sunt, sed etiam corporaliter in fine separabuntur. Omnes enim tales ad nihil valent, nec ideo tamen sacramentum baptismatis quod in eis est, nihil est. Nam & in ipsis qui proiiciuntur foras, si resipiscant & redeãt, salus eis quæ recesserat redit, baptisma verò quia non recesserat non redit. Et illud quod ait Dominus: *Ite ergo, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti*, non permisit baptizare nisi bonos, quia malis non diceret: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei: si cui tenueritis, tenebuntur. Quomodo ergo intus baptizant mali, qui dimittere peccata non possunt? Quomodo etiam baptizant malos non mutatos, quorum peccata adhuc super eos sunt, sicut Ioannes dicit: Qui odit fratrem suum, in tenebris est vsque adhuc. Si autem tunc dimittuntur, cùm se bonis & iustis, per quos in ecclesia peccata dimittuntur, quamuis à malis baptizati sint, intima charitate coniungunt: sic & illis qui forinsecus veniunt, & ad eandem compaginem corporis Christi, interno vinculo pacis accedunt, baptismus tamen Christi in vtrisque agnoscendus, & in nullis improbandus est: siue antequam eõuertantur, quamuis eis nihil prosit, siue cùm conuertuntur vt prosit. *Cùm ipsi ab ecclesia quæ vna est*, inquit, *recedendo infatuati contrarij facti sint, fiat sicut scriptum est: Domus contrariorum legis debent emundationem. Et consequens est*, inquit, *eos qui à contrariis baptizati, inquinati sunt, primò purgari, & tunc demum baptizari.* Quid ergo raptores & homicidæ? non sunt contrarij legis dicentis: Non occides, non furaberis? *Debent* ergo *emundationem*: quis hoc negauerit? Et tamen non solum quicunque à talibus intus baptizantur, sed etiam qui tales non mutati baptizantur, quamuis adhuc purgationem debeant vt mutentur, non tamen amplius cum mutati fuerint baptizantur. Tanta vis est in sacramento simplicis baptismi, vt cùm fateamur aliquem baptizatum, & adhuc malè viuentem debere mundari, veterem tamen vlterius baptizari.

Matth. 28.
Ioannis 20.
Ioannis 2.
Exodi 20.

CAPVT XV. CRESCENS à Cirta dixit: *In tanto cœtu sanctissimorum consacerdotum lectis literis Cypriani dilectissimi nostri ad Iubaianum, itémque ad Stephanum, quæ tantum in se sanctissimorum ex scripturis deiciis descendentium testimoniorum continent, vt meritò omnes per Dei gratiam adunati consentire debeamus, censeo ego omnes hæreticos siue schismaticos, qui ad catholicam ecclesiam venire voluerint, non antè ingredi nisi exorcizati & baptizati fuerint; exceptis his sanè qui in ecclesia catholica fuerint antè baptizati; ita tamen vt per manus impositionem in pœnitentiam ecclesiæ reconcilientur.* Hic admonemur iterum quærere, cur dixerit, *exceptis his sanè qui in ecclesia catholica fuerint antè baptizati?* An quia non amiserant quod intus acceperant: ergo quod habere foris poterant, cur non & tradere poterant? An illicitè foris traditur? Sed neque licitè foris habetur, & tamen habetur: sic illicitè foris datur, sed tamen datur. Quod autem præstatur redeũti qui intus acceperat, hoc præstatur venienti, qui foris acceperat: id est, vt licitè intus habeat, quod illicitè foris habebat. Sed aliquis forsitan quærat, quid de hac re beati Cypriani epistola ad Stephanum dixerit, cuius in hac sententia commemoratio facta est, cùm in exordio concilij non sit commemorata, credo quia non sit putatum necessarium. Nam & ipsam in isto cœtu consacerdotum lectam esse dixit, quod factum omnino non dubito, quantum arbitror, vt fieri solet, quo possent iam congregati Episcopi etiam de illa causa simul aliquid cognoscere, quæ in illa epistola continetur. Nam prorsus ad quæstionem præsentem non pertinet; & magis miror cur eam iste commemorare voluerit, quàm cur in exordio concilij commemoratio eius prætermissa sit. Quòd si quisquam arbitretur me aliquid noluisse in medium proferre, quod in ea positum est præsenti causæ necessarium, legat eam & sciat verum esse quod dico: aut si aliud inuenerit, redarguat. Prorsus enim illa epistola de baptismo apud hæreticos vel schismaticos dato, vnde nunc agimus, nihil habet.

CAPVT XVI. NICOMEDES à Segermis dixit: *Mea sententia hæc est, vt hæretici ad ecclesiam venientes baptizentur, eò quòd nullam foris apud peccatores remissionem peccatorum consequantur.* Cui respondetur: Vniuersæ ecclesiæ catholicæ sententia hæc est, vt hæretici quamuis in hæresi iam Christi baptismo baptizati ad ecclesiam venientes non baptizentur. Si enim nulla est apud peccatores remissio peccatorum, nec intus peccatores peccata dimittunt, & tamen ab eis baptizati non rebaptizantur.

CAPVT XVII. MONNVLVS à Girba dixit: *Ecclesiæ catholicæ matris nostræ veritas apud nos fratres, semper mansit & manet, vel maximè in baptismi trinitate, Domino dicente: Ite, baptizate*

Matth. 28.

ptizate gentes in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Cùm ergo manifestè, inquit, *sciamus hæreticos non habere nec patrem, nec filium, nec Spiritum sanctum, debent venientes ad ecclesiam matrem nostram verè renasci & baptizari, vt cancer quod habebant, & damnationis ira & erroris toffectura, per sanctum & cæleste lauacrum sanctificetur*. Huic respondemus; patrem & filium & Spiritum sanctum in sacramento duntaxat habere omnes qui baptismo verbis Euangelicis consecrato baptizantur, in corde autem & in vita nec illos habere, qui intus perditè & execrabiliter viuunt.

al. offensa

CAPVT XVIII. Matth 12. 1. Ioannis 2.

SECVNDINVS à Cedias dixit: *Cùm Dominus noster Iesus dicat: Qui mecum non est, aduersum me est. Et Ioannes Apostolus eos qui ab ecclesia exeunt antichristos dicat: indubitanter hostes Christi, quique antichristi nominati sunt, gratiam baptismi salutaris ministrare non possunt: & ideo censeo eos qui de hæreticorum insidiis confugiunt ad ecclesiam, baptizandos esse à nobis, qui amici appellati sumus Dei, eius dignatione*. Cui respondetur: B Christi aduersarios omnes esse, quibus dicentibus: Domine nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus? & alia quæ ibi dicuntur, in fine dicturus est: Nó noui vos, discedite à me omnes operarij iniquitatis: quæ tota palea si vsque in finem in malitia perseuerauerit, siue ante ventilationem eius aliquid foras volet, siue intus esse videatur, igni destinata est. Si ergo propterea baptizandi sunt ad ecclesiam venientes hæretici vt ab amicis Dei baptizentur, hunquid illi auari, raptores, homicidæ amici Dei sunt, aut quos baptizauerint denuò baptizandi sunt?

Matth. 7.

CAPVT XIX. Matth. 15.

FELIX à Bagai dixit: *Sicut cæcus cæcum ducens simul in foueam cadunt, ita hæreticus hæreticum baptizans simul in mortem cadunt*. Hoc verum est, sed non propterea verum est quod adiungit: *Et ideo*, inquit, *hæreticus baptizandus & viuificandus, ne nos viui mortuis communicemus*. Nónne mortui erant qui dicebant: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur? Non enim cre C debant resurrectionem mortuorum. Qui ergo istorum colloquiis malis corrumpebantur & eos sequebantur, nónne pariter cum eis in foueam cadebant? Et in eis tamen erant isti quibus scribebat Apostolus iam baptizatis, nec tamen ideo si corrigerentur denuò baptizarentur. Nónne idem Apostolus ait: Sapere secundum carnem mors est? Et vtique secundum carnem sapiebant auari, fraudatores, raptores, inter quos gemebat ipse Cyprianus. Quid ergo illi in vnitate viuenti oberant mortui? Aut quis dicat baptismum Christi quod tales haberent vel darent, eorum iniquitatibus fuisse violatum?

1. Cor. 13.

Roman. 8.

CAPVT XX.

POLIANVS à Mileo dixit: *Iustum est hæreticum in ecclesia Christi baptizari*. Nihil quidem breuius dici potuit. Sed puto & hoc breue est: Iustum est baptismum Christi non exufflari in ecclesia Christi.

CAPVT XXI.

THEOGENES ab Hippone regio dixit: *Secundum sacramentum gratiæ cælestis quod accepimus, vnum baptismum quod est in ecclesia sancta credimus*. Potest & mea esse sententia. Sic enim librata est, vt nihil habeat contra veritatem. Nam & nos vnum baptismum quod est in ecclesia sancta, credimus. Si autem dixisset, quod est in sola ecclesia sancta, credimus: respondendum erat sicut cæteris. Nunc verò quia sic dictum est, vnum baptisma quod est in ecclesia sancta, credimus: vt esse quidem in ecclesia sancta diceretur, sed & alibi esse non negaretur, quodlibet ille senserit, contra hæc verba disputare non opus est. Si enim de me singula quæ rerentur, vtrum esset vnum baptisma: responderem vnum esse. Deinde si interrogarer, vtrum hoc esset in ecclesia sancta: responderem hoc esse. Tertiò si quæreretur, vtrum hoc baptisma crederem, responderem ita me credere: ac per hoc vnum baptisma quod est in ecclesia sancta me credere responderem. Si autem quæreretur, vtrum in sola sancta esset ecclesia, & apud hæreticos vel schismaticos non esset: non me ita credere cum tota ecclesia responderem. Sed quia hoc ille in sententia sua non posuit, puto esse improbum vt ego illi addam verba contra quæ disputem, quæ ibi non inueni. Ita enim si diceret, vna est aqua Euphratæ fluminis, quæ est in paradiso: verum vtique diceret. Sed si interrogaretur, vtrum in solo paradiso esset ista aqua, & ita esse diceret, falsum diceret. Est enim & præter paradisum in his terris, in quas ab illo fonte permanat. Sed quis est tam temerarius qui dicat hoc eum responsurum fuisse quod falsum est, cùm posset fortasse hoc respondere quod verum est? Quapropter verba huius sententiæ non debent habere contradictionem, quia nihil impediunt veritatem.

Improbum est addere alterius, quid verbis alienis, contra quæ disputat.

CAPVT XXII.

DATIVVS à Badis dixit: *Nos quantum in nobis est, hæretico non communicamus, nisi baptizatus in ecclesia fuerit, & remissionem peccatorum acceperit*. Respondetur: Si propterea vis eum baptizari, quia non accepit remissionem peccatorum; si intus aliquem inueneris qui tenens odium aduersus fratrem sic baptizatus sit, cùm Dominus mentiri non possit, qui ait: Si non dimiseritis, nec vobis dimittetur, iubebis correctum denuò baptizari? Non vtique. Sic ergo nec hæreticum. Sanè iste cur non breuiter dixerit: *Nos hæretico non communicamus*: sed addidit *quantum in nobis est*: non est prætereundum. Vidit enim plures huic sententiæ consentire, à quorum tamen consortio ne violaretur vnitas, se isti separare non possent, & addidit, *quantum in nobis est*: vtique demonstrans non voluntate se communicare his quos arbitrabatur baptismum non habere, sed tamen omnia bono pacis & vnitatis esse toleranda: quod & illi faciebant qui istos non rectè facere sentiebant, & illud tenebant quod postea melius declarata veritas docuit, & antiquior consuetudo cõcilio posteriore firmata robustius persuasit: inuicem se tamen, cum salua charitate diuersa sentirent, solicita pietate tolerauerunt, studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, donec alteris eorum si quid aliter saperent, id quoque Deus reuelaret. Hoc isti audiant à quibus per hoc concilium vnitas oppugnatur, per quod concilium quantum amanda sit vnitas declaratur.

Matth. 6.

CAPVT XXIII.

SVCCESSVS ab Abbir germaniciana dixit: *Hæretici aut nihil licet, aut totum licet. Si possunt baptizare, possunt & Spiritum sanctum dare: Si autem Spiritum sanctum dare non possunt, quia non habẽt Spiritum sanctum, nec baptizare spiritaliter possunt: propterea censemus hæreticos baptizari*. Huic propè totidem verbis ita responderi potest: Homicidis aut nihil licet, aut totum licet. Si possunt baptizare, possunt & Spiritum sanctum dare: si autem Spiritum sanctum dare non possunt, quia non habent Spiritum sanctum, nec baptizare spiritualiter possunt. Propterea cẽsemus ab homicidis baptizatos, vel homicidas baptizatos atque in melius non mutatos, cùm se correxerint baptizari. At hoc non est verum. Qui enim odit fratrem suum homicida est. Et tales nouerat intus Cyprianus, qui vtique baptizabant. Frustra ergo talia de baptizandis hæreticis dicta sunt.

D

1. Ioannis 3.

CAPVT XXIIII.

FORTVNATVS à Thucabori dixit: *Iesus Christus Dominus & Deus noster, Dei patris & creatoris filius, super petram ædificauit ecclesiam suam, non super hæresim: & potestatem baptizandi episcopis dedit, non hæreticis. Quare qui extra ecclesiam sunt, & contra Christum stantes, oues eius & gregem spargunt, baptizare foris non possunt*. Ad hoc addidit, *foris*, vt ei iam breuiter responderi non possit. Nam & huic totidẽ penè verbis ita responderetur: Iesus Christus Dominus & Deus noster, Dei patris & creatoris filius, super petram ædificauit ecclesiam, non super iniquitatem: & potestatem baptizandi episcopis dedit, non iniquis. Quare qui non pertinent ad petram super quam ædificant qui verba Dei audiunt & faciunt, sed contra Christum viuentes audiendo verba eius & non faciendo, ac per hoc super arenam ædificando, oues eius & gregem perditorum morum exemplo corrumpunt, baptizare non possunt. Nunquid non posset hoc verisimiliter dici? & tamen falsum est. Baptizant quippe iniqui, quoniam iniqui sunt illi raptores, quos in vnitate secum positos Cyprianus arguebat. Sed ideo, inquam, addidit *foris*. Cur ergo isti foris baptizare non possunt? An quia peiores sunt eo ipso quo foris sunt? Sed nihil interest ad integritatem baptismi, quanto peior id tradat. Neque enim tantum interest inter malum & peiorem, quantum interest inter bonum & malum: & tamen cùm baptizat malus, non aliud dat quàm bonus. Ergo & cùm baptizat peior, non aliud dat quàm ille qui minus est malus. An fortè non ad hominis meritum, sed ad ipsius baptismi sacramentum B pertinet, vt foris dari non possit? Si hoc ita esset, nec haberi foris posset, & toties necesse esset baptizari, quoties recedens quisque ab ecclesia rursus ad ecclesiam remeasset. Iam verò si diligentius quæramus quid sit *foris*, maximè quia ipse commemorationem fecit petræ super quam ædificatur ecclesia, nónne illi sunt in ecclesia qui sunt in petra? Qui autem in petra non sunt, nec in ecclesia sunt. Iam ergo videamus vtrum super petram ædificium suum constituant, qui audiũt Christi verba, & non faciunt. Cõtradicit eis ipse Dominus dicens: Qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro prudẽti, qui ædificat domum suam super petrã. Et paulo pòst: Qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similabo eũ viro stulto qui ędificat domum suã super arenã. Si ergo in petra est ecclesia, illi qui super arenam sunt, quia extra petrã sunt, profectò extra ecclesiã sunt. Recordemur itaque quàm multos commemoret Cyprianus velut intus positos qui ædificant super arenam: id est, audiunt verba Christi & C non faciunt. Et ideo quia super arenam sunt, extra petram esse conuincuntur, quod est extra ecclesiam: tamen quamdiu ita sunt, & nondum vel nunquam in melius commutantur, baptizant & baptizantur, & baptismus quem habent, illis ad damnationem destinatis integer manet. Neque hoc loco dici potest, quis enim facit omnia verba Domini, quæ in ipso sermone Euangelico conscripta sunt, quem concludens, ait, ædificare super petram qui eadem verba audirent & facerent: super arenam autem, qui audirent & non facerẽt: quia & si à quibusdam non implentur omnia, in eodem tamen sermone posuit medicinam dicens: Dimitte & dimittetur vobis. Et post orationem Dominicam in eodem ipso sermone cõmemoratam atque conscriptam: Dico enim vobis, inquit, si dimiseritis peccata hominibus, dimittet & vobis pater vester peccata vestra: Si autem non dimiseritis hominibus, neque pater vester dimittet vobis. Hinc & Pe- D trus ait, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum, quam vtiq; non habebant illi, ac per hoc super arenam ædificabant. De quibus idem Cyprianus dicit, quòd intus in maleuola inuidia etiam temporibus apostolicis sine charitate conuersabantur, & ideo intus quidem esse videbantur, sed foris erant, quia in illa petra per quam significatur ecclesia non erant.

Luca 6.

Matthei 6.

1. Petri 4.

CAPVT XXV.

SEDATVS à Tuburbo dixit: *Inquantum aqua sacerdotis prece in ecclesia sanctificata abluit delicta, intantum hæretico sermone velut cancer infecta cumulat peccata. Quare omnibus pacificis quidem viribus nitendum est, ne quis hæretico errore infectus & tinctus, singulare & verum baptisma detrectet accipere, quo qui, quis non fuerit baptizatus à regno cælorum ecclesia fiet alienus*. Huic respondetur: Quia si non sanctificatur aqua, cum aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit, multi non solum mali, sed etiam boni fratres in ipsa ecclesia non sanctificant aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie, si doctoribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur contra catholicam fidem. Nunquid si manifestarentur aliqui baptizati, cùm illæ preces dictæ super aquam fuissent, iuberentur denuò baptizari? Quid ita? Quia plerunque precis vitium superat precantis affectus: & quia certa illa Euangelica verba, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent, vt per illa sic euacuentur quæcunque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur. Nam vtique hæreticus si afferat precem vitiosam, nec habeat bonum charitatis affectum, quo possit illa imperitia superari, & ideo similis est ei quicunque in ipsa catholica inuidus & maleuolus, quales illic arguit Cyprianus: afferat etiam, vt fieri solet, aliquam precem, in qua loquatur contra regulam fidei (multi quippe irruunt in preces, non solum ab imperitis loquacibus, sed etiam ab hęreticis compositas, & per ignorantiæ simplicitatem, non eas valentes discernere, vtuntur eis arbitrantes quod bonæ sint) nec tamen quod in eis peruersum est euacuat illa quæ ibi recta sunt, sed ab eis potius euacuatur: sicut in ipso homine bonæ spei & probabilis fidei, sed tamen homine, si quid aliter sapit non inde euacuantur quæ rectè sapit, donec ei Deus reuelet & quod aliter sapit. Si autem ipse malus est atque peruersus, si precem integram dicat, & nulla ex parte fidei catholicę aduersam, non ideo ipse rectus est, quia illa recta est: & si in aliquibus peruersam precem afferat, Deus adest verbis Euangelicis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest: & ipse sanctificat sacramentum suum, vt homini siue antequam baptizetur, siue cùm baptizatur, siue postea quandoque ad se veraciter conuersus, id- C ipsum valeat ad salutem, quod ad perniciem nisi conuertereturvaleret. Cæterum quis nesciat non esse baptismum Christi, si verba Euangelica quibus symbolum constat illic defuerint? Sed facilius inueniuntur hæretici qui omnino non baptizent, quàm qui non illis verbis baptizent. Ideoque dicimus non omnem baptismum (nam in multis idolorum sacrilegis sacris baptizari homines perhibentur) sed baptismum Christi, id est, verbis Euangelicis consecratum, vbique eundem esse, nec hominum quorumlibet qualibet peruersitate violari. Sanè in ista quoque sententia non negligenter omittendum est, quod hic interposuit & ait, *Quare omnibus pacificis quidem viribus nitendum est, ne quis hæretico errore infectus, & cætera*. Respexit enim verba illa beati Cypriani dicentis, *Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum senserit, amouentes*. Ecce quantum valeat in bonis ecclesiæ filiis amor vnitatis & pacis, vt quos dicebant sacrilegos & prophanos, sine baptismo vt arbitrabantur admissos, si eos quantum putabant corrigere non valerent, eligerent potius tolerare, quàm propter eos sanctum illud vinculum rumpere, ne propter zizania eradicaretur simul & triticum, permittentes quantum in ipsis erat, sicut in illo nobilissimo iudicio Salomonis, infantile corpus à falsa matre nutriri potius, quàm concidi. Hoc autem & illi faciebant, qui de baptismi sacramento verius sentiebant, & isti quibus pro merito tantæ charitatis Deus erat reuelaturus, si quid aliter sapiebant.

Consule scholia.

Baptismus sine certis illis Euangelicis verbis non potest consecrari.

Philip. 3.

Matthei 7.

Matth. 13.

3. Reg. 3.

CAPVT XXVI.

PRIVATIANVS à Sufetula dixit, *Qui hæreticos potestatem baptizandi habere dicit, dicat prius quis hæresi condiderit. Si enim hæresis à Deo est, habere indulgentiam diuinam potest: si verò à Deo non est, quomodo gratiã Dei*

Symbolum ex tribus constat partibus, de patre, filio, & Spiritu sancto. Vide suprà lib. 3. cap. 14. & 15.

aut habere aut conferre alicui potest? Huic totidem verbis ita responderi potest, Qui maleuolos & inuidos potestatem baptizandi habere dicit, dicat prius quis maleuolentiam inuidiamque condiderit. Si enim maleuolentia & inuidia à Deo est, habere & indulgentiam diuinam potest. Si verò non est, quomodo aut gratiam Dei habere aut conferre alicui potest? Sed sicut ista eodem modo dicta manifestissime falsa sunt; sic etiam illa quæ vt conuincerentur hæc dicta sunt: Baptizant enim maleuoli & inuidi, sicut concedit ipse Cyprianus, quia eos etiam intus esse testatur. Sic ergo possunt etiam hæretici baptizare, quia baptismus Christi sacramentum est. Inuidia verò & hæresis opera diaboli, quæ quisquis habuerit, non hinc efficit, vt si habeat sacramentum Christi, etiam ipsum numeretur inter opera diaboli.

CAPVT XXVII. PRIVATVS à Sufibus dixit, *Qui hæreticorum baptismum probant, quid aliud quàm hæreticis communicat?* Huic respondetur, Non est baptismus hæreticorum, quem in hæreticis probamus: sicut non est baptismus auarorum, infidiosorum, fraudatorum, raptorum, inuidorum, quem probamus in eis. Omnes quippe isti iniqui sunt; sed iustus est Christus, cuius in se sacramentum quod ad ipsum attinet, sua iniquitate non violant: alioquin posset alius dicere, qui iniquorum baptismum probant, quid aliud quàm iniquis cõmunicant? Quod ipsi catholicæ si quis obiiceret, responderetur ei quod huic modò responsum est.

CAPVT XXVIII. HORTENSIANVS à Laribus dixit, *Quot sint baptismi, viderint præsumptores aut fautores hæreticorum: nos vnum baptisma quod non nisi in ecclesia nouimus, ecclesiæ vendicamus. Aut quomodo possunt nomine Christi aliquem baptizare, quos ipse Christus dicit aduersarios suos esse?* Huic simili tenore verborum ita respondemus, Viderint aut præsumptores aut fautores iniquorum, Nos vnum baptisma, quod nõ nisi ecclesiæ nouimus, vbicunque inuentum quando possumus ad ecclesiam reuocamus. Aut quomodo possunt in nomine Christi aliquem baptizare, quos ipse Christus dicit, aduersarios suos esse? Omnibus quippe iniquis dicit, Non noui vos, recedite à me qui operamini iniquitatem: & tamen cùm baptizant non ipsi baptizant, sed ille de quo Ioannes dicit, Ipse est qui baptizat. Matthæi 7. Ioannis 1.

CAPVT XXIX. CASSIVS à Macomadibus dixit, *Cùm baptismata duo esse non possint, qui hæreticis baptismum concedit, sibi tollit. Censeo itaque flebiles & tabidos hæreticos baptizandos esse cùm ad ecclesiam venire cœperint, & sacra & diuina lauatione lotos, & lumine vitæ illuminatos, non hostes sed pacificos; non alienos, sed fidei Domini domesticos; non adulteros, sed Dei filios; non erroris, sed salutis effectos, in ecclesiam recipi: absque his qui in ecclesia fideles supplantati, ad hæresis tenebras transierunt, sed eos per manus impositionem restituendos.* Posset alius dicere, Cùm Christi baptismata duo esse non possint, qui iniquis baptismũ concedit, sibi tollit. Sed nobiscum etiam isti resisterẽt & dicerent, Concedimus iniquis baptismum, qui non ab ipsis in ipsis est, sicut iniquitas, sed à Christo cuius est æquitas, & cuius sacramẽtum etiam apud iniquos non est iniquum. Quod ergo nobiscum de iniquis dicerent, hoc sibi de hæreticis dicãt, & ideo quod sequitur, ita potius erat dicendum, Cẽseo itaque flebiles & tabidos hæreticos non baptizandos esse cùm ad ecclesiam venire cœperint, si habet iam baptismum Christi, sed à sua peruersitate corrigendos. Nam etiam de iniquis dici potest, quorum portio sunt hæretici, Censeo itaque flebiles & tabidos iniquos, si iam baptizati sunt, non baptizandos esse cùm ad ecclesiam, id est, ad illam petram extra quam sunt omnes qui audiũt verba Christi & non faciunt, venire cœperint: sed sacra & diuina lauatione iam lotos, tunc autem & lumine vitæ illuminatos, non hostes sed pacificos, nam iniqui non habent pacem: non alienos, sed fidei Domini domesticos, nam iniquis dictum est, Quomodo conuersa es in amaritudinem vitis aliena? non adulteros, sed Dei filios, nam iniqui sunt filij diaboli: non erroris sed salutis effectos, nam non saluat iniquitas: in ecclesiam recipi, id est, in illam petram, in illam columbam, in illum ortum conclusum & fontem signatum, qui non nisi in tritico, non autem in paleis agnoscitur, siue longè à vento separentur, siue vsque ad vltimam ventilationem frumento commixti videantur. Frustra ergo Cassius addidit, *Absque his qui in ecclesia fideles supplantati, ad hæresis tenebras transierant.* Si enim & ipsi ab ecclesia recedendo baptismum amiserant, etiã ipsis redatur: si autem non amiserant, quod per eos datum est agnoscatur. Matthæi 7. Ioannis 1. Hieren. 2.

CAPVT XXX. ALIVS Ianuarius à vico Cæsaris dixit, *Si non obtemperat error veritati, multo magis veritas non consentit errori; & ideo nos ecclesiæ assistimus in qua præsidemus, vt baptismum eius ipsi soli vindicantes, eos quos ecclesia non baptizauit, baptizemus.* Respondetur, Quos ecclesia baptizat, vtique petra illa baptizat, extra quam sunt omnes qui audiunt verba Christi & non faciunt. Baptizentur ergo quicunque à talibus baptizati sunt. Quod si non fit, sicut in istis, ita in hæreticis baptismus Christi, eorum iniquitate & peruersitate damnata siue correcta, agnoscendus & approbandus est.

CAPVT XXXI. ALIVS Secundinus à Carpis dixit, *Hæretici Christiani sunt an non? Si Christiani sunt, cur in ecclesia Dei non sunt? Si Christiani non sunt, fiant. Aut quò pertinebit sermo Domini dicentis, Qui non est mecum, aduersus me est: & qui non colligit mecum, spargit. Vnde constat super filios alienos & soboles Antichristi spiritum sanctum per manus impositionem tantummodo non posse descẽdere, cùm manifestum sit hæreticos baptisma non habere.* Huic respondetur, Iniqui Christiani sunt, an non? Si Christiani sunt, cur in illa petra non sunt in qua ædificatur ecclesia: audiunt enim verba Christi & non faciunt: Si Christiani non sunt, fiant. Aut quò pertinebit sermo Domini dicentis, Qui non est mecum, aduersum me est: & qui meculn non colligit, spargit. Spargunt enim oues eius, qui eas ad morum suorũ labem praua imitatione perducunt. Vnde constat super filios alienos (quod omnes iniqui appellantur) & soboles Antichristi (quod sunt omnes qui Christo aduersantur) spiritũ sanctum per manus impositionem tantummodo non posse descendere, si cordis non adsit vera conuersio, cùm manifestum sit iniquos quamdiu iniqui sunt, baptisma quidem posse habere, sed salutem cuius sacramentum baptisma est, habere non posse. Videamus enim si hæretici describuntur in Psalmo illo, vbi de filiis alienis ita dicitur, Domine libera me de manu filiorum alienorum, quorum os locutũ est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis: quorum filij velut nouellæ constabilitæ, filiæ eorum ornatæ sicut similitudo templi. Cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc. Oues eorum fœcundæ, multiplicantes in exitibus suis, boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ neque exitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt; beatus populus cuius est Dominus Deus ipsius. Si ergo isti sunt filij alieni, qui in rebus temporalibus & abundantia terrenæ felicitatis beatitudinem ponunt, & diuina præcepta cõtemnunt, videamus si non iidem ipsi sunt de quibus Cyprianus ita dicit, in se quoque transfigurans eos, vt de his se dicere ostendat, cum quibus sacramenta communicabat. *Dum viam Domini*, inquit, *non tenemus, nec data nobis ad salutem cælestia mandata seruamus. Fecit Dominus noster voluntatem patris, & nos non facimus Domini voluntatem, patrimonio & luxo studentes, superbiam sectantes, & cæt.* At si isti baptismum & habere & tradere poterant, cur negatur esse posse in filiis alienis, quos tamen hortatur vt cælestia mandata seruando, missa sibi per vnicum filium, fratres eius & filij Dei esse mereantur? Matthæi 23. Psal. 143. Lib. 4. epist. 4.

CAPVT XXXII. VICTORICVS à Thabraca dixit, *Si licet hæreticis baptizare, & remissam peccatorum dare; quid illos infamamus vt hæreticos appellemus?* Quid si alius diceret, Si licet iniquis baptizare, & remissam peccatorũ dare, quid illos infamamus, vt iniquos appellemus? Quod huic responderetur de iniquis, hoc & illi respondeatur de hæreticis: id est, neque eorum esse baptismum quo baptizant, & non esse consequens vt quisquis habet baptismum Christi, etiam de peccatorum remissione securus sit: si hoc in sacramento tantum habet, nec veraci cordis conuersione conuersus est, vt dimittenti dimitteretur.

CAPVT XXXIII. ALIVS Felix ab Vthina dixit, *Nemini dubium est sanctissimi consacerdotes, non in tantum posse humanam præsumptionem, quantum Domini nostri Christi adorandam & venerabilem maiestatem. Memores ergo periculi, hoc quoque non tantum obseruare debemus, verumetiam ab omnibus nobis confirmare, vt omnes hæretici qui ad sinum matris ecclesiæ accurrunt baptizentur, vt mens hæretica quæ diuturna tabe polluta est, sanctificatione lauacri purgata in melius reformetur.* Fortassis iste qui in diuturna tabe purganda causam posuit, cur deberent hæretici baptizari, parceret eis qui in aliquam hæresim irruentes exiguo illic tempore fuissent, & citò correcti ad catholicam inde migrassent. Deinde & ipse parum aduertit ita dici posse, vt iniqui omnes qui ad illam petram in qua ecclesia significatur accurrunt, baptizentur, vt mens iniqua quæ extra petram in arena ædificabat audiendo verba Christi & non faciendo, sanctificatione lauacri purgata in melius reformetur: & tamen non fit, si iam baptizati sunt, etiam si probentur tales fuisse cùm baptizarentur: id est, vt sæculo verbis & non factis renunciarent.

CAPVT XXXIIII. QVIETVS à Buruch dixit, *Qui fide viuimus, obsequi his quæ instruendis nobis antè prædicta sunt, credula obseruatione debemus. Nam scriptum est apud Salomonem, Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius? Quod vtique de his qui ab hæreticis tinguntur, & de tingentibus loquitur. Si enim qui apud illos baptizantur per remissionẽ peccatorum vitam æternam consequuntur, cur ad ecclesiam veniũt? Si verò à mortuo nihil salutis accipitur, ac propterea cognito errore pristino, ad veritatem cum pœnitentia reuertuntur, vno vitali baptismate, quod in ecclesia catholica est, sanctificari debebũt.* Quid sit à mortuo baptizari, sine præiudicio diligentioris eiusdem scripturæ considerationis, alibi iam diximus. Quæro autem cur hæreticos solos velint intelligi mortuos, cùm Paulus apostolus generaliter de peccato dixerit, Stipendium peccati mors. Et iterum, Sapere autem secundum carnẽ mors est. Et cùm mortuam dicat viduam, quæ in deliciis viuit, quomodo non sunt mortui, qui sæculo verbis & non factis renunciant? Quid ergo proficit lauatio eius qui ab istis baptizatur; nisi quia & ipse si talis est, lauacrum quidem habet, sed non ei proficit ad salutem? Si autem ille à quo baptizatur talis est, iste vero non falso corde ad Deum conuertitur; non ab illo mortuo baptizatur, sed ab illo viuo de quo dictum est, Ipse est qui baptizat; quolibet corporaliter operante baptizet. Quod autem ait de hæreticis, *Si enim qui apud illos baptizantur, per remissionem peccatorum vitam æternam consequuntur, cur ad ecclesiam veniunt?* Respondetur, ideo veniunt, quia etiam si Christi baptismum vsque ad sacramenti celebrationem perceperunt; tamen vitam æternam nisi per vnitatis charitatem non consequuntur: sicut nec illi maleuoli & inuidi quibus non dimitterentur peccata, nec si aduersus eos odium tenerent à quibus paterentur iniuriam, quia veritas dixit, Si non dimiseritis, nec pater vester dimittet vobis: quanto magis cùm eos oderant, quibus retribuebant mala pro bonis? Nec tamen isti sæculo verbis solis & non factis renunciantes, si postea corrigerentur rursus baptizarentur, sed vno vitali baptismate sanctificarentur. Quod quidem in catholica est, sed non in sola, sicut nec in sanctis solis, qui ædificati sunt super petram, & ex quibus vnica illa columba perficitur. Psal. 34. Matthæi 7. Cant. 6. Rom. 6. 8. 1. Tim. 5. Ioannis 1. Matthæi 6.

CAPVT XXXV. CASTVS à Sicca dixit, *Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est & malignus, quibus veritas reuelatur; aut circa Deum ingratus est, cuius inspiratione ecclesia eius instruitur.* Iste si cõuinceret eos qui diuersa sentiebant & hoc tenebant, quod etiam totus orbis postea Christiano concilio confirmatus obtinuit, ita consuetudinem sequi, vt cõtemnerent veritatem, hæc verba formidare deberemus. Cùm verò illa consuetudo & à veritate propagata & veritate roborata reperiatur, nihil in hac sententia pertimescimus: & tamen si illi *circa fratres inuidi erant & maligni, aut circa Deum ingrati*, ecce qualibus communicabant, ecce quales diuersa sentientes, sicut Cyprianus prędixit, à iure communionis non amouebant, ecce à quibus non polluebantur in conseruatione vnitatis, ecce quantum amandum sit vinculum pacis, ecce quid considerẽt qui nobis de prædecessorum Episcoporum concilio calumniantur, quorum charitatem non imitantur, & quorum exemplo considerato iure damnantur, si consuetudo erat sicut hæc sententia testis est, vt hæretici veniẽtes ad ecclesiam cum baptismate quod habebant susciperentur, aut hoc rectè fiebat, aut mali bonos in vnitate non maculant: si rectè fiebat, cur orbem terrarum quia sic recipiuntur accusant? Si autem mali bonos in vnitate non maculant, quomodo se à crimine sacrilegæ separationis excusant? Matth. 23. Apud Cypriannum est detestatione

CAPVT XXXVI. EVCHRATIVS à Thenis dixit, *Fidem nostram & baptismatis gratiam, & legis ecclesiasticæ regulam Deus & Dominus noster Iesus Christus suo ore Apostolos docẽs, perimpleuit dicens, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Falsum ergo hæreticorum baptisma & iniquum à nobis pellendũ est, & omni †contestatione refutandum, de quorum ore virus, non vita, nec gratia cælestis, sed blasphemia trinitatis exprimitur: & ideo venientes ad ecclesiam hæreticos integro & catholico baptismate baptizari debere manifestum est, vt à blasphemia suæ præsumptionis purificati, possint Spiritus sancti gratia reformari.* Planè si non est baptismus patris & filij & spiritus sancti nomine consecratus, hæreticorum deputetur, & iniquus à nobis omni contestatione refutetur: si autem hoc in eo nomen agnoscimus, melius verba euangelica ab hæreticorum errore distinguimus, & quod in eis probum est approbamus, quod mendosum est emendamus. Matth. 28.

CAPVT XXXVII. LIBOSVS à Vaga dixit, *In Euangelio Dominus, Ego sum, inquit, veritas: non dixit, ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati: vt & si in præteritum quis in ecclesia hæreticos non baptizabat, nunc baptizare incipiat.* Hic nihil conatus est ostendere quomodo sit veritas manifestata, cui debere dicit consuetudinem cedere. Plus tamen adiuuat nos aduersus istos qui se ab vnitate diuiserũt, quod illã cõsuetudinẽ fuisse confitetur, quàm quòd eam veritati quam non ostẽdit, cedere oportere arbitratur. Illa est enim consuetudo, quæ si sacrilegos ad altare Christi sine baptismi purgatione admittebat, & nullum bonorum in vnitate polluebat, quicunque se ab eadem vnitate, in qua nullorum malorum contagione pollui poterant, frustra separauerũt, manifestum sacrilegium schismatis admiserunt. Si autem per illam consuetudinem omnes polluti perierunt, de qua cauerna isti sine originali veritate & cum calumniæ calliditate procedunt. Si verò recta fuerat consuetudo qua sic suscipiebantur Ioannis 14.

tur hæretici, relinquant furorem, fateantur errorem, veniant ad catholicam, non vt retingantur sacramento baptismatis, sed vt curentur à plaga concisionis.

CAPVT XXXVIII. LVCIVS à Thebeste dixit, *Hæreticos, blasphemos, atque iniquos verbis variis decerpentes sancta & adorabilia scripturarum verba, execrandos censeo, & ideo exorcizandos & baptizandos.* Et ego execrandos censeo, sed non ideo exorcizandos & baptizandos. Ipsorum est enim figmentum quod execror, Christi autem sacramentum quod veneror.

CAPVT XXXIX. EVGENIVS ab Ammedera dixit, *Et ego hoc idem censeo hæreticos baptizandos esse.* Huic respondetur, Sed non hoc censet ecclesia, cui Deus iam plenario etiam concilio reuelauit, quod tunc adhuc aliter quidem sapiebatis, sed quia in vobis charitas salua erat, in vnitate permanebatis.

Philip. 3.

CAPVT XL. ITEM alius Felix ab Amaccura dixit, *Et ipse secutus diuinarum scripturarum authoritatem, hæreticos baptizandos esse censeo, sed & eos qui se apud schismaticos baptizatos esse contendunt. Si enim secundum cautum Christi priuatus fons noster est, intelligant cuncti ecclesiæ nostræ aduersarij, quia alienus esse non potest, nec duobus populis salutarem aquam tribuere potest ille qui vnius gregis pastor est. Et ideo manifestum est, nec hæreticos nec schismaticos aliquid cæleste suscipere, qui à peccantibus hominibus & ab ecclesia extraneis audent accipere. Quando danti locus non est, vtique nec accipienti prodest.* Huic respondetur, Scripturas diuinas nusquam præcepisse vt hæretici apud hæreticos baptizati denuò baptizentur: sed multis locis ostendisse alienos esse ab ecclesia, omnes qui nõ sunt in petra, nec ad colũbę illius membra pertinent, & tamen baptizare & baptizari, & habere sine salute sacramentum salutis. Fons autem noster qui similis est fonti paradisi, quod etiam sicut ille extra paradisum profluat, iam satis dictũ est: *& quod duobus populis*, id est, suo & extraneo *salutarẽ aquam tribuere non potest ille qui vnius gregis pastor est*, concedo atque consentio. Sed nunquid quia salutaris non est extraneis, ideo ipsa non est? Aqua enim diluuij constitutis intra arcam salutaris fuit, extra arcam verò mortifera fuit, eadem tamẽ fuit. Et multi extranei, id est, inuidi, quos ex parte diaboli esse Cyprianus dicit & de scripturis ostendit, velut intus videntur, & tamen nisi essent extra arcam, non morerentur per aquam. Tales enim baptismus, cùm eo malè vtuntur, necat, sicut illis de quibus ait Apostolus, bonus odor Christi erat in mortẽ. Cur ergo non suscipiunt aliquid cæleste vel schismatici vel hæretici, sicut spinæ siue zizania pluuiam, sicut ipsi qui extra arcam fuerunt, aquam de cataractis cæli venientem susceperũt quidem, sed ad perniciem non ad salutem: ideoque illud quod in vltimo posuit, *Quando danti locus non est, vtique nec accipienti prodest*: non laboro refellere, quia & nos dicimus accipientibus non prodesse cùm in hæresi accipiunt consentientes hæreticis, & ideo veniũt ad catholicam pacem atque vnitatem, non vt baptismum accipiant, sed vt eis prodesse incipiat quod acceperant.

2. Corinth. 2.

CAPVT XLI. ITEM alius Ianuarius Muzulẽsis dixit, *Miror quòd cùm omnes confiteantur vnum esse baptismũ, non omnes intelligant eiusdem baptismi vnitatem: ecclesia enim & hæresis duæ & diuersæ res sunt. Si hæretici baptisma habent, nos non habemus: si autem nos habemus, hæretici habere non possunt. Dubium autem non est ecclesiam solam baptismum Christi possidere, quæ sola possideat & gratiam Christi & veritatem.* Posset alius similiter dicere, & similiter non verum dicere. Miror quòd cùm omnes confiteantur vnum esse baptismum, non omnes intelligant eiusdem baptismi vnitatem. Iustitia enim & iniquitas duæ & diuersæ res sunt: si iniqui habent baptisma, iusti non habent: si autem iusti habent, iniqui habere non possunt. Dubium autem non est iustos solos baptismum Christi possidere, qui soli possideãt & gratiam & veritatem Christi. Hoc certè falsum est, illis quoque fatentibus. Et illi quippe inuidi qui sunt ex parte diaboli intus positi, sicut dicit Cyprianus, atque apostolo Paulo notissimi, baptismum habebant, nec ad membra illius columbæ quæ in petra tuta est pertinebant.

al. Apostolus Paulus, notissimũ baptismũ

CAPVT XLII. ADELPHIVS à Thasbalte dixit, *Sine causa quidẽ falso & inuidioso verbo impugnant veritatem, vt rebaptizare nos dicant, quando ecclesia hæreticos non rebaptizet, sed baptizet.* Imò verò modo non rebaptizat; quia nisi eos qui baptizati non sunt non baptizat, quam cõsuetudinem anteriorem perspecta diligentius veritas etiam concilio posteriore firmauit.

CAPVT XLIII. DEMETRIVS Aleptiminus dixit, *Vnum baptisma nos custodimus, quia ecclesiæ catholicæ soli rem suã vindicamus. Qui autẽ dicunt quia hæretici verè & legitimè baptizant, ipsi sunt qui non vnum, sed multa baptismata faciunt: nam cùm hæreses multæ sint, pro earum numero & baptismata computabuntur.* Huic respondetur, Si ita est, tot ergo numerentur baptismata quot sunt opera carnis, de quibus ait Apostolus, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt: inter quæ numerantur & hæreses, & tam multa ipsorum opera intus tanquã in palea tolerantur, & tamen vnum baptisma omnibus est, quod nullo iniquitatis opere violatur.

Gal. 5.

CAPVT XLIIII. VINCENTIVS à Thibari dixit, *Hæreticos scimus esse peiores, quàm Ethnicos. Si ergo conuersi ad Deum venire voluerint, habẽt vtique regulam veritatis, quam Dominus præcepto diuino mandauit Apostolis dicens, Ite, in nomine meo manum imponite, dæmonia expellite. Et alio loco, Ite & docete gentes, tingentes eas in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Ergo primo per manus impositionem in exorcismo, secundo per baptismi regenerationẽ, tunc possunt ad Christi pollicitationem venire, aliàs autem fieri censeo non debere.* Ex qua regula dicat hæreticos peiores esse quàm Ethnicos, nescio, cùm Dominus dicat, Si neque ecclesiam audierit, sit tibi tãquam ethnicus & publicanus. An etiam tali hæreticus peior est? Nihil resisto: non tamen propterea quia ipse homo peior est ethnico, id est, gentili atque pagano, sacramẽtum etiam Christi si quod habet, vitiis eius moribusque miscetur, & eadem permixtione corruptum perit. Nam & illi qui recedunt de ecclesia, & fiunt hæresum non tantum sectatores sed etiam conditores: si iam baptizati recedunt, cùm secũdum istam regulam peiores sint ethnicis, habent tamen baptisma: nam si correcti redeant, non accipiunt, quod si amisissent, vtique acciperent. Potest ergo fieri vt aliquis peior sit ethnico: & tamen in eo Christi sacramentum non sõlum sit, sed etiam non sit peius, quàm in homine sancto & iusto. Et si enim quãtum in illo homine est, non ipsum seruauit, sed animo & voluntate violauit, tamẽ quantum ad ipsum attinet sacramentum, & cum contemptore & repudiatore suo integrum inuiolatumque permansit. Nónne Sodomitæ ethnici erant, id est, gentiles? Peiores ergo erant Iudæi, quibus Dominus dicit, Tolerabilius erit Sodomis in die iudicij quã vobis. Et quibus Propheta dicit, Iustificastis Sodomã, id est, in comparatione vestra Sodoma iustificata est. Nunquid tamen ideo sacramenta diuina quę apud Iudæos erant, talia erant quales ipsi erant, quę Dominus ipse quoque suscepit, & ad ea celebrãda leprosos quos mundauerat misit, & ea Zachariæ ministranti angelus astitit, eumque in templo sacrificantem exauditũ esse nunciauit? Hæc eadem sacramenta & in bonis hominibus illius temporis erant, & in malis peioribus quàm sint ethnici (quandoquidem Sodomitis in malitia prælati sunt) & tamen illa sacramenta erant in vtrisque integra atque diuina. Nam & ipsi gentiles si quid diuinum & rectum in doctrinis suis habere potuerunt,

Matth. 18.
t. q. 1. cap. Nonne.
Matth. 11.
Ezech. 16.
Luca 17.
Luca 1.

tuerunt, non improbauerunt sancti nostri, quamuis illi per suas superstitiones & idololatriã & superbiam, cæterosque perditos mores detestandi essent, & nisi corrigerentur, diuino iudicio puniendi. Nam & Paulus apostolus apud Atheniẽses cùm de Deo quædam diceret, perhibuit testimonium quod quidam eorum tale aliquid dixerint, quod vtique si ad Christum venirent, agnosceretur in eis, non improbaretur. Et sanctus Cyprianus talibus aduersus eosdem ethnicos vtitur testibus. Nam cùm de Magis loqueretur, *quorum tamen*, inquit, *præcipuus Hostanes, & formam veri Dei negat conspici posse, & angelos veros sedi eius dicit asistere, In quo & Plato pari ratione consentit, & vnum Deum seruans, cæteros angelos vel dæmones dicit. Hermes quoque Trimegistus vnum Deum loquitur, & eum incomprehensibilem atque inæstimabilem confitetur.* Si ergo isti venissent ad percipien lam Christianam salutem, non vtique eis diceretur, hoc malum habetis, vel falsum habetis, sed planè meritò diceretur, hoc vobis quamuis integrum & verum, nihil tamẽ prodesset nisi ad Christi gratiam veniretis. Si ergo in ipsis ethnicis potest aliquid diuinum inueniri rectéque approbari, quamuis eis salus adhuc à Christo præstãda sit, non oportet nos ita moueri etiam si peiores sint hæretici, vt quod in eis malum ipsorum est velimus corrigere, & quod in eis bonum est Christi, nolimus agnoscere. Sed iam cæteras huius concilij sententias pertractandas, ab alio suscipiemus exordio.

Act. 7.

Lib. de idolorum vanitate, seu quod idola dij non sint.

LIBRI VI. FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

DE BAPTISMO CONTRA DONATISTAS, LIBER VII.

CAP. I. Confirmat superiora, respondens & aliorum sententiis.

NOn simus molesti legentibus, si eadem variè ac sæpe disserimus. Quanquam enim ecclesia catholica sancta in omnibus gentibus aduersus ea, quæ in ista quæstione de baptismo, vtrum & apud hæreticos vel schismaticos idem possit esse, qui est in catholica, nonnullam caliginem offundunt, priscę cõsuetudinis & plenarij concilij authoritate munita sit: tamen quia non contemnendis viris, & maximè Cypriano in ipsa vnitate aliquando aliter visum est, cuius vti aduersum nos authoritate conantur, qui longè ab eius charitate remoti sunt: propterea cogimur ex opportunitate tractandi & considerandi omnia, quæ in eius cõcilio de hac re literisque comperimus, hanc eandem quæstionem aliquanto diutius tanquam in manibus versare, & ostendere quanto verius vniuersitati ecclesiæ catholicæ placuerit, vt hæretici vel schismatici qui iam Christi baptismum illic vnde veniũt acceperunt, in catholicam communionem cum illo admittantur ab errore suo correcti, in charitate radicati atque fundati, vt quod attinet ad baptismi sacramentum, non adsit quod deerat, sed prosit quod inerat. Et beatus Cyprianus quidem iam corpore quod corrumpitur non aggrauante animam, nec deprimente terrena inhabitatione sensum multa cogitantem, serenius perspicit veritatem, quam meruit adipisci per charitatem. Adiuuet itaque nos orationibus suis in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube laborantes, vt donante Domino quantum possumus bona eius imitemur. Si quid autẽ aliter sensit, & quibusdam fratribus collegisque persuasit, quod nunc eo quem dilexit reuelante iam cernit, nos longè imparemeritis suis, ecclesiæ tamen catholicæ authoritatem, cuius ipse egregium & clarissimum membrum est, pro nostra infirmitate sectantes, aduersus hæreticos vel schismaticos cnodemus: quos præcisos ab vnitate quam tenuit, & arescentes à charitate qua viguit, & elapsos ab humilitate qua stetit, tanto amplius improbat atque condemnat, quanto magis nouit eos ad insidiandum perscrutari velle quod scripsit, & ad pacificãdum imitari nolle quod fecit: sicut illi qui se Christianos Nazarenos vocant, & more Iudaico carnalia præputia circuncidunt, hæretici nati ex illo errore in quem Petrus deuians à Paulo reuocatus est, in hoc vsque persistunt. Sicut ergo illi Petro in primatu Apostolorum martyrij gloria coronato, in sua peruersitate præcisi ab ecclesia remanserunt: sic isti Cypriano per abundantiam charitatis in sortem sanctorum passionis claritate suscepto, seipsos exules vnitatis agnoscunt, & contra vnitatis patriam pro suis calumniis ciuem vnitatis opponunt. Iam itaque cæteras illius concilij sententias eadem ratione videamus.

Cyriani orationibus adiuuari Augustinus petit.

Gal. 2.

Primatus apostolorum beati Petri.

CAPVT II. MARCVS à Mactari dixit, *Mirandum non est si hæretici hostes atque impugnatores veritatis sibi rem vendicant potestatis & dignationis alienæ: illud mirandum est, quod quidam nostri præuaricatores veritatis hæreticis suffragantur & Christianis aduersantur: propterea decernimus hæreticos baptizandos esse.* Huic respondemus, Imò magis mirandũ est, & magna laude prædicandũ, quod tantum isti dilexerint vnitatẽ, vt quos præuaricatores veritatis arbitrabantur, cum eis in vnitate perseuerantes, ab eis pollui non timerent. Nam cùm iste dixisset, *Illud mirãdum est, quod quidam nostri præuaricatores veritatis hæreticis suffragantur & Christianis aduersantur:* videbatur dicturus, propterea decernimus eis non esse communicandum. Non hoc dixit, sed ait, *propterea decernimus hæreticos baptizandos esse*, seruans quod pacificus Cyprianus antè præstruxerat dicens, *Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit, amouentes.* Cùm ergo Donatistæ nobis calũniantur, & nos dicunt traditores, si quis existat vel Iudæus vel Paganus qui lecto isto concilio & nos & ipsos secundum eorum regulas veritatis appellet præuaricatores; velim scire ad hoc tam graue crimen refutandũ atque diluendũ quomodo nobis agenda sit causa communis. Isti eos dicunt traditores, quos neque vllo tempore conuincere potuerunt, neque nunc possunt ostẽdere, & in eodem crimine ipsi esse potius ostendunt. Sed quid ad nos? De istis certè præuaricatoribus quid dicemus? Si enim nos quamuis falsò propterea dicimur traditores, quia traditoribus nos in eadem communione successisse criminantur, præuaricatoribus illis omnes successimus, quia nondum se ab vnitate diuiserat pars Donati beati Cypriani temporibus. Post passionem quippe eius quadraginta, & quod excurrit, annis peractis, traditio codicum facta est, vnde cœperunt appellari traditores. Si ergo propterea nos traditores, quia ex traditoribus, sicut opinantur vel confingunt exorti sumus, ab illis præuaricatoribus vtrique originem ducimus. Non est enim quod dicatur, non eis communicasse istos, quando suos illos vocãt, quod concilium loquitur, quod ipsi maximè præferũt, *Quidam nostri*, inquit, *præuaricatores veritatis, hæreticis suffragantur.* Accedit & testimonium Cypriani satis demonstrantis, quod in eorum communione permanserit, dicendo, *neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit, amouentes.* Ipsi enim erant qui diuersum sentiebant, quos iste præuaricatores vocat, quia scilicet hæreticis suffragabantur, sine baptismo eos in ecclesiam recipiendo. Eamque fuisse consuetudinem vt sic reciperentur, & ipse Cyprianus multis locis, & aliquot episcopi in hoc concilio manifestant. Vnde apparet si hæretici non habent baptismum, ecclesiam Christi temporum illorum præuaricatoribus fuisse plenam, qui eis suffragantes sic eos recipie-

Opatus lib. 1. contra Parmenianum. Traditores vnde & quamdiu olim appellati.

recipiebant. Agatur ergo causa communis aduersus A crimen præuaricationis quod negare non possunt; & ibi agetur nostra causa aduersus crimen traditionis, quod conuincere non potuerũt. Sed sic agamus quasi conuicerint. Quod vtrique responderimus eis qui nobis obiiciunt maiorum nostrorum præuaricationem; hoc nos istis respondebimus qui nobis obiiciunt maiorum nostrorum traditionem. Sicut enim per maiorum nostorum traditionem vnde se isti diuiserunt, nos mortui sumus: ita per maiorum præuaricationẽ, qui & nostri & ipsorum parentes fuerũt, & nos & ipsi mortui sumus. Sed quia se viuere dicũt, credunt quod ad eos non pertineat illa preuaricatio. Ergo nec ad nos illa traditio. Et illa quidem præuaricatio secundum ipsos certa est: secundum nos autem nec anterior preuaricatio vera est, quia & hæreticos dicimus posse habere baptismum Christi, nec posterior traditio, quia in ea causa ipsi sunt superati. Non habent ergo isti cur à nobis nefario scelere schismatis separentur, quia nostri maiores si traditores non fuerunt, sicut nos dici- B mus, non est quod ad nos omnino pertineat. Si autem traditores fuerunt, sicut ipsi dicunt, sic ad nos non pertinet, quemadmodum nec ad nos nec ad ipsos illi præuaricatores. Ac per hoc quoniam ex maiorum nostrorum iniquitate nullum est crimen nostrum, ex proprio schismate certum est crimen illorum.

CAPVT III. SATTIVS à Sicilibba dixit, *Si hæreticis in baptismo suo peccata donantur, sine causa ad ecclesiam veniunt. Nam cùm in die iudicij peccata sint quæ puniuntur, nihil est quod timere possint hæretici de iudicio Christi, si sunt peccatorũ remissionem consecuti.* Et hæc poterat etiam nostra esse sententia, viderit autem author eius quo animo dicta sit. Verbis tamen ita modificata est, vt non me pigeat eo animo cõsentire atque subscribere, quo & ego sentio baptismum quidem Christi hæreticos posse habere, sed remissionem peccatorum non habere. Non autem ait, Si hæretici baptizant & baptizantur: sed *si hæreticis*, inquit, *in baptismo suo peccata donantur, sine causa ad ecclesiam veniunt.* Nam si pro hæreticis ponamus il- C los quos in ecclesia nouerat Cyprianus, sæculo solis verbis, & non factis renunciantes, totidem verbis possumus hanc sententiam etiam nos verissimè dicere, Si fallaciter conuersis in baptismo suo peccata donantur, sine causa ad veram conuersionem postea perducuntur. Nam cùm in die iudicij peccata sint quæ puniuntur, nihil est quod timere possint, qui sæculo verbis solis & non factis renunciant, de iudicio Christi, si sunt remissionem peccatorum consecuti. Sed ista ratiocinatio tali connexione perficitur, vt adiungamus dicentes, Debent autem timere Christi iudicium, & veraci corde aliquãdo conuerti. Quod cùm fecerint, non eos vtique necesse est iterum baptizari. Potuerũt igitur accipere baptismum, & remissionem non accipere peccatorum, aut remissis peccatis continuò rursus onerari. Sic ergo & hæretici.

CAPVT XIIII. VICTOR à Gor dixit, *Cùm peccata non nisi in ecclesiæ baptismo remittantur, qui hæreticum sine baptismo ad* D *communicationem admittit, vtrunque contra rationem facit, nec hæreticos purgat, & Christianos inquinat.* Huic respondemus, Ecclesiæ baptismum esse & apud hæreticos, quamuis ipsi non sint in ecclesia: sicut aquam paradisi in terra Ægypti, quamuis ipsa non sit in paradisò. Non itaque hæreticos sine baptismo ad communionem admittimus; & quia correcti à sua peruersitate veniunt, non eorum peccata, sed Christi sacramenta suscipimus: de remissione autem peccatorum quod superius, hoc & hîc dicimus. Illud sanè quod in vltimo posuit dicens, vtrunque contra rationem facit, nec hæreticos purgat, & Christianos inquinat: respuit primisus ac maximè Cyprianus ipse cum sibi consentientibus collegis suis: neque enim inquinari se credidit, quando talibus propter vinculum pacis communicandum esse decreuit dicens, *Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit, amouentes.* Aut si inquinant hæretici ad communionem, si non baptizantur admissi, inquinata est tota ecclesia per illam consuetudinem quæ totiẽs hîc commemoratur. Et sicut nos isti appellant traditores propter maiores nostros, in quibus nihil tale quando obiecerũt, probare potuerunt: si hoc fit quisque quod est ille cui cõmunicauerit, omnes tunc hęretici facti sunt. Quod si quisquis dicit, insanit, falsum est quod iste ait: *qui hæreticũ sine baptismo ad communionem admittit, nec hæreticos purgat, & Christianos inquinat.* Aut si hoc verum est, non sine baptismo admittebantur, sed habebant baptismum Christi, quamuis apud hæreticos datum & acceptum, qui secundum illam consuetudinem de qua isti confitentur sic admittebantur, ac per hoc rectè etiam nunc sic admittuntur.

AVRELIVS ab Vtica dixit, *Cùm dicat Apostolus, non communicandum peccatis alienis, quid aliud quàm pec catis alienis communicat, qui sine baptismo ecclesiæ heretici communicat? Et ideo censeo baptizandos esse hæreticos vt accipiant remissam peccatorum, & sic illis communicetur.* Respondetur, Communicauit ergo Cyprianus & isti omnes peccatis alienis, quia cum talibus in communione mãserunt, quando neminẽm qui diuersum sensit, à iure communionis amouerunt. Vbi est ergo ecclesia? Deinde vti de hæreticis taceam, cùm verba huius sententiæ etiam de aliis peccatoribus dici possint, quales in ecclesia beatus Cyprianus secum videbat, gemebat, arguebat, ferebat, vbi est ecclesia quæ secundum hæc verba iam tunc periisse existimatur cõtagione peccatorum? Si autem sicut se habet firmissima veritas, ecclesia permansit & permanet, non nisi in consensione intelligenda est communio peccatorum, quam vetat Apostolus. Baptizentur autem iterũ hæretici, vt accipiant remissam peccatorum, si baptizantur iterum peruersi & inuidi, qui cùm sæculo verbis, & non factis renunciarẽt baptismum quidem accipere potuerunt, sed remissionem peccatorum non obtinere potuerunt, dicente Domino, Si non dimiseritis, neque pater vester dimittet vobis. Matth. 6.

IAMBVS à Germaniciana dixit, *Qui hæreticorum baptismum probant, nostrum improbãt, vt extra ecclesiam non dicam lotos sed sordidatos, negent in ecclesia baptizari oportere.* Huic respondetur, neminem nostrum baptismum hæreticorum probare, sed Christi; quamuis in hæreticis velut paleis exterioribus, sicut in aliis iniquis velut paleis interioribus. Nam si extra ecclesiam qui baptizantur, non lauantur sed sordidantur; profectò extra petram in qua ædificatur ecclesia, qui baptizantur, non lauantur sed sordidantur. Omnes autem extra eandem petram sunt, qui audiunt verba Christi & non faciunt. Aut si baptismo lauantur quidem, sed in iniquitatibus suis à quibus in melius mutari noluerunt, sordidi remanent; sic & hæretici.

LVCIANVS à Rucuma dixit: *Scriptum est, Et vidit Deus lucem quia bona est, & diuisit inter lucem & tenebras. Si potest luci & tenebris conuenire, potest nobis & hæreticis aliquid esse commune: propterea censeo hæreticos baptizandos esse.* Huic respondetur, Si potest luci & tenebris conuenire, potest iustis & iniustis aliquid esse commune. Censeat ergo illos iniustos denuò baptizari, quos in ipsa ecclesia arguebat Cyprianus: aut si non sunt iniusti qui sęculo verbis, & non factis renunciant, dicat qui potest. CAPVT VII. Genes. 1.

PELAGIANVS à Luperciana dixit, *Scriptum est, Aut Dominus Deus est, aut Baal Deus est. Ita & nũc aut ecclesia ecclesia est, aut hæresis ecclesia est. Porrò si hæresis ecclesia non est, quomodo esse apud hæreticos baptisma ecclesiæ potest?* Huic ita possumus respõdere; Aut paradisus, CAPVT VIII. 3. Reg. 18.

paradisus, aut Ægyptus paradisus: porrò si Ægyptus paradisus non est, quomodo esse in Ægypto aqua paradisi potest? Sed dicetur nobis, etiam illuc exeũdo peruenit: sic ergo ad hæreticos baptismus. Item dicimus, aut petra ecclesia est, aut arena ecclesia. Porrò quia non est arena ecclesia, quomodo apud eos qui super arenam ædificant, audiendo verba Christi & non faciendo, esse baptismus ecclesiæ potest? & tamen est. Sic ergo & apud hæreticos.

CAPVT IX. IADER à Midila dixit, *Scimus non esse nisi vnum baptismum in ecclesia catholica, & ideo non debemus admittere hæreticum, nisi baptizatus fuerit apud nos, ne se putet extra ecclesiam catholicam baptizatum esse.* Huic respondetur, Quia si hoc de iniquis illis qui extra petrã sunt diceretur, falsò vtique diceretur. Sic ergo & de hæreticis.

CAP. X. Ephes. 4. ITEM alius Felix à Marazana dixit, *Vna fides, vnum baptisma, sed ecclesiæ catholicæ, cui soli licet baptizare.* Quid si alius ita diceret, vna fides, vnum baptisma, sed B iustorum tantum, quibus solis licet baptizare? Sicut hæc verba refellerẽtur, ita & ista sententia refellatur. An & iniusti in ipso baptismo mutati, dum sæculo solis verbis & non factis renunciant, ad membra ecclesiæ pertinent? Videant si ipsa est illa petra, si ipsa est columba, si ipsa est sponsa sine macula & ruga.

CAPVT XI. PAVLVS à Bobba dixit, *Me non mouet si aliquis ecclesiæ fidem & veritatem non vindicat, quando Apostolus dicat, Quid enim si exciderunt à fide quidam illorum, nunquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Si autem Deus verax, quomodo apud hæreticos baptismi veritas esse potest, apud quos Deus non est?* Huic respondetur, Quid? Apud auaros nunquid est Deus? & tamen est baptismus; ita & apud hęreticos. Apud quos enim Deus est, templum Dei sunt. Quæ autem compositio templo Dei cum idolis? Porrò auaritiam, idololatriam Paulus sentit, Cyprianus cõsentit; & idem ipse inter collegas C raptores, tamen baptizatores, cum magna tolerantiæ mercede versatur. Rom. 3. Psal. 115. 2. Cor. 6.

CAPVT XII. Matth. 18. POMPONIVS à Dionysiana dixit, *Manifestum est hæreticos non posse baptizare, & remissionem peccatorum dare, qui potestatem non habent, vt aut soluere aut ligare aliquid in terris possint.* Respondetur, Hanc potestatem nec homicidæ habent, id est, qui oderunt fratres. Nõ enim talibus dictum est, Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei: & si cui tenueritis, tenebuntur: & tamen baptizant, & eos in eadem baptismi communione & Paulus tolerat, & Cyprianus agnoscit. Ioannis 20.

CAPVT XIII. VENANTIVS à Thimisa dixit, *Si maritus peregrè proficiscens, amico suo commendasset vxorem suam custodiendam; commendatam sibi ille quanta posset diligentia cõseruaret, ne ab aliquo castitas eius & sanctitas adulteraretur: Christus Dominus & Deus noster ad patrem proficiscens, sponsam suam nobis commendauit; vtrum ne eam incorruptam & inuiolatam custodimus, an integritatem eius D & castitatem eius mœchis, & corruptoribus prodimus? Qui enim baptisma ecclesiæ commune cum hæreticis facit, sponsam Christi adulteris produt.* Respondemus, Quid illi qui cùm baptizantur labiis non corde conuertuntur ad Dominum, nónne adulterinam mentem gerunt? Nónne ipsi sunt sæculi dilectores, cui non factis sed verbis renunciauerunt, & ideo corrumpunt mores bonos per colloquia mala dicentes, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur? Nónne etiam contra istos vigilauit sermo Apostolicus, vbi dicit, Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic & vestræ mentes corrumpantur à castitate quæ est in Christo? Cùm ergo Christi baptisma Cyprianus habebat commune cum talibus, nunquid ideo sponsam Christi prodebat adulteris, ac non potius monile sponsi etiam in adultera cognoscebat? 1. Cor. 15. 2. Cor. 11.

AYMNIVS ab Ausuaga dixit: *Nos vnum baptisma accepimus, & ipsum tenemus & exercemus: qui autem dicit, quia & hæreticis licet baptizare, ipse duos baptismos facit.* Huic respondetur, Cur non etiam ille duos baptismos facit, qui dicit quia & iniqui baptizant? Cùm enim iusti & iniqui sibi contrarij sint, baptismus quem dant iusti, qualis erat Paulus, vel etiam qualis erat Cyprianus, non est cõtrarius baptismo quem dabant iniqui illi qui oderant Paulum, quos non hæreticos, sed malos catholicos Cyprianus intelligit, & cùm contrariæ sibi sint semper, continentia quæ fuit in Cypriano; & auaritia quæ fuit in collegis Cyprianì: baptismus tamen quem Cyprianus dabat, non erat contrarius baptismo, quem illi dabant, sed vnus & idem, quià ille baptizat de quo dictum est, Ipse est qui baptizat. CAPVT XXXXX. Ioannis 1.

SATVRNINVS à Victoriana dixit, *Si licet hæreticis baptizare, excusati sunt, & defensi illicita facientes. Nec video quare eos aut Christus aduersarios suos, aut Apostolus antichristos appellauerit.* Huic respondetur, Sic dicimus non licere hæreticis baptizare, quomodo dicimus nõ licere fraudatoribus baptizare? Non enim hæretico tantum, sed peccatori inquit Deus, Vt quid enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Huic vtique dixit, Si videbas furem, concurrebas ei. Quanto ergo illi peiores sunt, qui non cum furibus concurrebant, sed ipsi fundos insidiosis fraudibus rapiebant: sed non eis concurrebat Cyprianus, quamuis eos in catholica segete toleraret, ne simul eradicaretur & triticum; & tamen etiam ipsi quem dabant idem ipse baptismus erat, quia non ipsorum, sed Christi erat. Sicut ergo isti quamuis in eis Christi baptismus agnoscatur: non sunt tamen excusati, & defensi illicita facientes, & rectè illos Christus aduersarios suos appellat, quia in talibus perseuerantes audituri sunt, Recedite à me, qui operamini iniquitatem: vnde & antichristi appellantur, quia Christo contrarij sunt; dum contra quod præcipit viuunt; ita & hæretici. CAPVT XXIII. Psal. 49. Matth. 7.

ALIVS Saturninus à Tucca dixit, *Gentiles quamuis idola colant, tamen summum Deum patrem creatorem cognoscunt & confitentur. In hunc Marcion blasphemat, & quidam non erubescunt Marcionis baptismũ probare. Quomodo tales sacerdotes sacerdotium Dei, aut seruãt, aut vindicant, qui hostes Dei non baptizant, & sic illis communicant?* Respondetur, Nimirum cùm talia dicuntur, exceditur modus, nec consideratur, quia & ipsi talibus communicabant, *neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit amouentes.* Sed habet iste in hac ipsa sententia sua vnde admoneri posset; si aduerteret, id in quoque corrigendum esse quod prauum est, quod autem rectum est approbandũ. Quandoquidem ait, *Gentiles quamuis idola colant, tamen summum Deum patrem creatorem cognoscunt & confitentur.* Si quis ergo ad Deum talis gentilis veniret, nunquid vellet in eo corrigere atque mutare, quod Deum patrem creatorem confitebatur & nouerat? Non puto, sed emendaret in eo idololatriam quod malum habebat, & traderet sacramenta Christiana quæ non habebat: & si quid rectum nosset in eo approbaret, si quid inueniret peruersum emendaret, si quid defuisset daret: sic & in Marcionista hæretico agnosceret baptismi integritatem, corrigeret eius peruersitatem, doceret catholicam veritatem. CAPVT XXIIII. Stephanum pontificem intelligit.

MARCELLVS à Zama dixit, *Cùm peccata non nisi in baptismo ecclesiæ remittantur, qui hæreticum non baptizat, peccatori communicat.* Quid ille qui hoc faciẽti cõmunicat; Nónne peccatori communicat? Quid autẽ aliud faciebant omnes iudicantes neminem, aut à iure communionis amouentes, diuersa sentientem? Vbi est ergo ecclesia? An patientibus, & ne triticum eradicetur, zizania tolerantibus ista non obsunt? Dicant ergo isti qui se ab orbe terrarum frustra separando sa- CAPVT XXIIII.

crilegi-

crilegium schismatis admiserunt, vt quid habent in o- A re sententiam Cypriani, qui non habent in corde Cypriani patientiam? Huic autem Marcello respōdetur ex his quæ de baptismo & remissione peccatorum sũ prà dicta sunt, quomodo possit esse baptismus in homine, quamuis non sit in eo remissio peccatorum.

CAPVT XVIII. HIRENÆVS ab Vsulis dixit, *Si ideo ecclesia hæreticum non baptizat, quòd dicatur iam baptizatus esse, ærefis maior est.* Respondetur, Hoc modo dici potest, si ideo auarum ecclesia non baptizat, quòd dicatur iam baptizatus esse, auaritia maior est: hoc autem falsum est; ita ergo & illud.

CAPVT XIX. DONATVS à Cibaliana dixit, *Ego vnam ecclesiã & vnum baptismum eius noui. Si est qui dicat esse apud hæreticos baptismi gratiam, antè est vt ostendat & probet esse illic ecclesiam.* Huic respondetur, Si baptismi gratiam hoc esse dicis quod est baptismus, est apud hæreticos: si autem baptismus sacramentum est gratiæ, ipsa verò gratia abolitio peccatorum est, non est apud hæreticos baptismi gratia. Sic est autem vnum baptismum B & vna ecclesia, quemadmodum est vna spes. Sicut ergo boni & mali, non habentes vnam spem, possunt tamen habere vnum baptisma; ita quibus non est communis ecclesia, potest baptisma esse commune.

CAPVT XX. Gal. 2. ZOZIMVS à Tharassa dixit, *Reuelatione facta veritatis, cedat error veritati, quia & Petrus qui prius circuncidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti.* Respondetur, Potest etiam nostra esse sententia ista, & ita factũ est in hac de baptismo quæstione. Nam veritate postea liquidius reuelata cessit error veritati, cùm illa saluberrima consuetudo etiam plenarij concilij authoritate firmata est. Bene tamen, quod totiens meminerunt etiam primum apostolorũ Petrum potuisse aliter sapere quàm veritas postulabat; quod accidisse etiam Cypriano sine vlla eius contumelia credimus quicunque diligimus Cyprianum, quia non eum fas est diligi maiori charitate quàm Petrum.

CAPVT XXI. Ioannis 3. IVLIANVS à Telepte dixit, *Scriptum est, Nemo potest accipere aliquid, nisi datum fuerit ei de cælo. Si hæresis* C *de cælo est, potest baptisma dare.* Audiat & alium dicentem, Si auaritia de cælo est, potest baptisma dare; & tamen dant auari; sic ergo & hæretici.

CAPVT XXII. FAVSTVS à Timida regia dixit, *Non sibi blandiantur qui hæreticis patrocinantur. Qui pro hæreticis ecclesiastico baptismo intercedit, illos Christianos & nos hæreticos facit.* Huic respondetur, Si quisquam dicat eum qui cùm baptismum acciperet, quia odium fraternum tenebat in corde, non acceperat remissionem peccatorum, non esse iterum baptizandum, quando illud odium de corde dimittit, nunquid ecclesiastico baptismo intercedit pro homicidis, aut illos iustos & nos homicidas facit? Hoc ergo & de hæreticis intelligat.

CAPVT XXIII. GEMINIVS à Furnis dixit, *Quidam de collegis hæreticos præponere sibi possunt, nobis non possunt: & ideo quod semel decreuimus, tenemus, vt ab hæreticis venientes baptizemus.* Et hic confitetur apertissimè quosdam de collegis suis diuersa sensisse, vnde etiam atque etiam D confirmatur amor vnitatis, quòd ab inuicẽ nullo schismate separati sunt, dōnec alteris eorum si quid aliter saperent Deus reuelaret. Sed huic respondetur, collegas eius non sibi hæreticos præposuisse, sed baptismũ Christi, & sicut cognoscitur in auaris, in fraudatoribus, in raptoribus, homicidis, sic etiam in hæreticis cognouisse.

CAPVT XXIIII. ROGATIANVS à Noua dixit, *Ecclesiam Christus instituit, hæresim diabolus; quomodo potest habere baptismũ Christi, synagoga satanæ?* Huic respondetur: Nunquid quia pios Christus instituit, & inuidos diabolus, ideo non potest habere baptismum Christi, quæ in inuidis conuincitur esse pars diaboli?

CAPVT XXV. THERAPIVS à Bulla dixit, *Qui hæreticis baptismum ecclesiæ concedit, & prodit, quid aliud quàm sponsæ Christi Iudas existit?* Respond. O magna conuictio schismaticorum, qui se ab hæreditate Christi toto orbe diffusa nefario sacrilegio separarũt, si Cyprianus talibus communicabat qualis Iudas traditor fuit, & tamen ab eis non maculabatur: aut si maculabatur, tunc Iudę facti sunt omnes; ergo & modò Iudę sunt omnes: aut si non sunt, non ergo pertinent ad posteriores facinora priorum, quamuis ex eadem communione propagatos. Cur ergo nobis traditores obiiciunt, quos nõ conuicerunt; & sibi Iudam non obiiciunt, cui Cyprianus & collegæ eius communicauerunt? Ecce conciliũ de quo solent isti gloriari. Nos quidem dicimus, quia sic non prodit hæreticis ecclesiæ baptismum, qui baptismũ Christi & in hęreticis probat, sicut non prodit homicidis ecclesiæ baptismum, qui baptismũ Christi & in homicidis probat. Sed quia isti ex hoc cõcilio nobis præscribere quid sentire debeamus, affectant, ipsi priores ei consentiant. Ecce Iudæ traditori sunt comparati, qui dicebant hæreticos quamuis in hæresi baptizatos non debere iterum baptizari. Talibus autem Cyprianus communicabat, qui dixit, *neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem si diuersum senserit amouentes.* Tales etiam antea fuisse in ecclesia per illã sententiã manifestantur, vbi ait, *Sed dicit aliquis, Quid ergo fiet de his qui in præteritum in ecclesiam sine baptismo admissi sunt?* Talem fuisse ecclesiæ cõsuetudinem ipsi, qui hoc concilium faciunt, sæpe commemorant. Si ergo *nihil aliud quicunque hoc facit, quàm sponsæ Christi Iudas existit*, sicut ista sententia pronunciata est, Iudas autem sicut docet Euangelium, traditor fuit; traditoribus ergo communicauerunt omnes, qui tunc etiam ista dicebant; & antequam ista dicerent traditores facti erant omnes per illam consuetudinem quam tunc ecclesia retinebat. Omnes ergo, id est, & nos & ipsi qui ex illa vnitate propagati sumus, traditores sumus. Sed nos duobus modis defendimur: quia & huic conciliō vbi hoc pronunciatum est non consentimus, saluo iure vnitatis, sicut ipse Cyprianus prædixit; & bonis malos in vnitate catholica, donec in fine à tritico palea separetur, nihil obesse arbitramur. Isti autem quia & hoc concilium tanquam pro se proferunt, & malorũ communione quasi contagione bonos perire contendunt, non inueniunt quomodo dicãt aut priores Christianos vnde isti propagãtur, non fuisse traditores, quia isto concilio conuincuntur: aut ad se non pertinere facinora priorum, quia nobis maiores nostros obiiciũt?

In exordio concilij Carthag.

Epistola ad Iubaianum.

CAPVT XXVI. Ioannis 9. ITEM alius Lucius à Membresa dixit, *Scriptum est, Deus peccatorem non audit. Qui peccator est, quomodo audiri in baptismo potest?* Respondemus, Quomodo auditur auarus & raptor & fœnerator & homicida? an isti non sunt peccatores, quos tamen Cyprianus in catholica obiurgat & tolerat?

CAPVT XXVII. Dist. 5. cap. Qui contemptu. & cap. Veritate. ITEM alius Felix à Buslacenis dixit, *In hæreticis sine baptismo ecclesiæ admittendis, nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.* Huic respondetur, Veritatem non ostendis, de consuetudine confiteris. Rectè igitur consuetudinẽ teneremus plenario concilio posteriore firmatam, etiam si veritas adhuc lateret, quam credimus iam esse manifestatam.

CAPVT XXVIII. ALIVS Saturninus ab Abitinis dixit, *Si potest antichristus dare alicui gratiam Christi, possunt & hæretici baptizare, qui appellati sunt antichristi.* Quid si alius diceret, si potest homicida dare alicui gratiam Christi, possunt & qui fratres oderunt baptizare, qui appellati sunt homicidæ. Nempe quasi verũ dicere videretur, & tamen possunt: sic ergo & hæretici.

CAPVT XXIX. QVINTVS ab Aggya dixit, *Ille potest dare aliquid, qui aliquid habet: hæretici autẽ quid possunt dare, quos constat nihil habere?* Huic respondetur, Si ergo potest dare aliquid

aliquid qui aliquid habet, manifestũ est posse dare hæ- A reticos baptismum, quia cùm ab ecclesia recedunt, habent lauacri sacramentum quod ibi acceperant: nam redeuntes non recipiunt, quia non amiserant cùm recesserunt.

CAPVT XXX. Matth. 6. ALIVS Iulianus à Marcelliana dixit, *Si potest homo duobus dominis seruire, Deo & mãmonæ, potest & baptisma duobus seruire, Christiano & hæretico.* Resp. Imò si potest continenti & auaro, sobrio & ebrioso, pio & homicidæ seruire, cur non etiam Christiano & hęretico: quibus quidem non seruit, sed ministratur & illis, vel ab illis ad salutem bene vtẽtibus, & ad iudicium malè vtentibus?

CAPVT XXXI. Matth. 6. TENAX ab Horreis Geliæ dixit, *Baptisma vnum est, sed ecclesiæ: vbi ecclesia non est, baptisma illic esse non potest.* Huic respondemus, Quare ergo potest vbi petra non est, sed arena est; cùm ecclesia in petra, non in arena sit?

CAPVT XXXII. Ephes. 4. ALIVS Victor ab Assuris dixit, *Scriptũ est, quia Deus* B *vnus est, & Christus vnus, & ecclesia vna, & baptisma vnũ. Quomodo ergo illic baptizari aliquis potest, vbi Deus & Christus & ecclesia non est?* Respond. quomodo potest & in arena illa, vbi nec ecclesia est; quia in petra est, nec Deus & Christus; quia non est ibi templum Dei & Christi?

CAPVT XXXIII. DONATVLVS à Capse dixit, *Et ego semper hoc sensi, vt hæretici, qui nihil foris consecuti sunt, quando ad ecclesiam conuertuntur, baptizentur.* Ad hoc respondetur, Nihil quidem foris consecuti sunt, sed ad salutem, nõ ad sacramentum. Salus enim propria est bonis; sacramenta verò communia & bonis & malis.

CAP. X. XXXIIII. VERVLVS à Rusiccade dixit, *Homo hæreticus dare non potest quod non habet: multo magis schismaticus, qui quod habuit, amisit.* Iam ostẽdimus eos habere; quia nõ amittunt cùm recedunt. Non enim recipiũt cùm redeunt. Quaproter si propterea videbantur dare non posse, quia putabantur non habere: intelligantur iam C dare posse, quia intelliguntur & habere.

CAPVT XXXV. PVDENTIANVS à Cuiculi dixit, *Nouitas Episcopatus effecit, fratres dilectissimi, vt sustinerẽ quid maiores iudicarent: nam hæreses nihil habere, nec posse manifestum est: atque ita si qui ex eis venerint, baptizari æquissimè statutum est.* Sicut ergo superioribus responsum est, quos hic sustinebat quid iudicarent, sic & huic ipsi responsum esse intelligatur.

CAPVT XXXVI. PETRVS ab Hippone Diarrhyto dixit, *Cùm vnum baptisma sit in catholica ecclesia, manifestum est, non posse extra ecclesiam baptizari, & ideo in hæresi tinctos, siue in schismate venientes ad ecclesiam, censeo baptizari oportere.* Respon. Sic est vnum baptisma in ecclesia catholica, vt cũ exinde aliqui exierint, in his, qui exeũt, non fiãt duo; sed idem vnum maneat. Quod ergo in redeuntibus agnoscitur, hoc & in eis, qui à recedentibus acceperunt, quod illi cùm recederent, non amiserunt.

CAPVT XXXVII. Ephes. 4. ITEM alius Lucius ab Ausafa dixit, *Secundum motum animi mei & Spiritus sancti, cùm sit vnus Deus pater* D *Domini nostri Iesu Christi, & vnus Christus, & vna spes, vnus spiritus, vna ecclesia, vnum debet esse & baptisma: & ideo dico, si quid apud hæreticos motum aut factum fuerit, rescindi debere; & eos, qui exinde veniunt, in ecclesia baptizandos esse.* Respond. Rescindatur ergo quod baptizant, qui audiunt verba Dei, & non faciunt, cùm ab iniquitate ad iustitiã, hoc est, ab arena ad petram migrare cœperint. Quod si non fit; quia & in ipsis quod Christi erat, eorum iniquitatibus non violabatur, hoc etiam de hæreticis intelligatur: nam nec eadem spes illis est quamdiu in arena sunt, quæ illis, qui super petrã sunt, tamen idem baptisma est in vtrisque, quãtus sicut spes vna, ita vnum baptisma dictum sit.

CAPVT XXXVIII. FELIX à Gurgitibus dixit, *Ego censeo, vt secundum sanctarum Scripturarum præcepta baptizati illicitè ab hæ-* A *reticis extra ecclesiam, si ad ecclesiam confugere voluerint, gratiam baptismi, vbi licitè datur, consequantur.* Respon. Imò licitè incipiant habere ad salutẽ, quod illicite habebant ad perniciem: quia sub eodem baptismo iustificatur, cùm se quisque ad Deum veraci corde cõuerterit, sub quo iudicabatur quando id accipiens sæculo solis verbis, & non factis renunciauerat.

CAPVT XXXIX. PVSILLVS à Lamasba dixit, *Ego credo baptisma salutare non esse nisi in ecclesia catholica: quicquid absque catholica fuerit, simulatio est.* Respon. Hoc quidem verum est, quòd *baptisma salutare nõ nisi in ecclesia catholica est.* (potest enim ipsum esse & extra catholicam) sed salutare non est ibi; quia non ibi operatur salutem: sicut ille bonus odor Christi non est vtiq; salutaris in iis, qui 1. Coinit. 2. pereunt, non suo vitio, sed illorum. *Simulatio est autem quicquid extra catholicam fuerit*, sed inquantum non est catholicum. Potest autem aliquid catholicũ esse extra catholicam, sicut potuit nomen Christi esse extra congregationem Christi, in quo nomine pellebat dæ- Matt. 9. monia ille, qui cum discipulis non sequebatur. Nam simulatio etiam in catholica esse potest, in his vtique, qui sæculo verbis solis, & non factis renunciant, nec tamen est catholica simulatio. Sicut ergo est in catholica, quod non est catholicum, sic potest extra catholicam aliquid esse catholicum.

CAPVT XL. SALVIANVS à Gazaufala dixit, *Hæreticos nihil habere constat, & ideo ad nos veniũt, vt possint accipere quod non habebant.* Respondemus, Non sunt ergo hæretici ipsi, qui hæreses condiderunt, qui ab ecclesia recesserunt, & vtique habebant quod ibi acceperunt. Quod si absurdum est dicere, quòd illi non sint hæretici, per quos cæteri fiunt hæretici, potest fieri, vt hæreticus habeat, quo malè vtendo dispereat.

CAPVT XLI. HONORATVS à Tucca dixit, *Cùm Christus veritas sit, magis veritatem quàm consuetudinẽ sequi debemus; vt hæreticos, qui ideo ad nos veniunt, quia foris nihil accipere potuerunt, ecclesiæ baptismo sanctificemus.* Et iste attestator est consuetudinis, vbi nos plurimum adiuuat, quicquid aliud contra nos dicere videatur: non autem ideo ad nos veniunt hæretici, quia foris nihil acceperunt; sed vt eis vtile esse incipiat quod acceperunt: hoc enim foris nullo modo potest.

CAPVT XLII. VICTOR ab Octauo dixit, *Quod & ipsi scitis, non olim constitutus sum Episcopus, & ideo expectabam præcessorum consilium. Hoc itaque existimo, vt quicunque ex hæresi venerint, sine dubio baptizentur.* Quod ergo illis, quos expectabat, responsum est, huic quoque responsum accipiatur.

CAPVT XLIII. CLARVS à Mascula dixit, *Manifesta est sententia Domini nostri Iesu Christi Apostolos suos mittentis, & ipsis solis potestatem à patre sibi datam permittentis; quibus nos successimus, eadẽ potestate ecclesiam Domini gubernantes, & credentium fidem baptizantes: & ideo hæretici, qui nec potestatem foris, nec ecclesiam Christi habent, neminem baptizare baptismo eius possunt.* Respondemus, Nũquid & impij homicidæ Apostolis successerunt? Cur ergo baptizant? An quia non sunt foris? Sed à petra foris sunt, cui claues Dominus dedit, vbi se ædificaturũ ecclesiam dixit.

CAPVT XLIIII. SECVNDIANVS à Thambeis dixit, *Non debemus hæreticos nostra præsumptione decipere, vt in Ecclesia Domini nostri Iesu Christi non baptizati, ac per hoc remissionem peccatorum non cõsecuti, cùm iudicij dies venerit, nobis imputent, quòd per nos non sint baptizati, & indulgentiam diuinæ gratiæ consecuti. Propter quod cùm sit vna ecclesia, &* E phes. 4. *vnum baptisma, quando ad nos conuertuntur, simul cum ecclesia & ecclesiæ baptismum consequantur.* Imò translati ad petram, & columbæ sociati accipiant remissionem peccatorũ, quam habere non poterant extra petram & extra columbam, siue apertè foris, sicut hæretici, siue tanquam intus, sicut perditi catholici: quos tamen

tamẽ baptismum sine remissione peccatorũ & habere, & dare manifestũ est; cùm & ab ipsis tales accipiũt, qui non in melius commutati Deum labiis honorãt, cor autem eorum longè est ab eo. Tamen sic est vnũ baptisma, quomodo est vna colũba; cùm possint qui non sunt in columba communiter, baptisma tamen habere communiter.

Esaiæ 29. Matth. 15.

CAPVT XLV. 2. Ioannis 1.

ITEM alius Aurelius à Chullabi dixit, *Ioannes apostolus in epistola sua posuit, Si quis ad vos venit, & doctrinam Christi non habet, nolite eum admittere in domum vestram, & aue illi ne dixeritis. Qui enim dixerit illi aue, cõmunicat factis eius malis. Quomodo tales admitti temerè in domum Dei possunt, qui in domum nostram priuatã admitti prohibẽtur? Aut quomodo cum eis sine ecclesiæ baptismo communicare possumus, quibus si aue dixerimus tantũ, factis eorum malis communicamus?* Respond. De hoc testimonio Ioannis non est diutius differendum, quandoquidem ad quæstionem baptismi, quam modò tractamus, omnino non pertinet. Ait enim, Si quis ad vos venerit, & doctrinam Christi non habet. Hæretici autem relinquentes doctrinam erroris sui, ad Christi doctrinam conuertuntur, vt incorporẽtur ecclesiæ, & ad illam columbam incipiant pertinere, cuius sacramentum habebant: & ideo quod eius non habebãt, eis datur, id est, pax & charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Quod autem eius habebant, agnoscitur; & sine vlla contumelia suscipitur: sicut in adultera Deus agnoscit dona sua, etiã cùm illa sequitur amatores suos, quia fornicatione corrupta cùm ad castitatẽ conuertitur, non dona illa culpantur, sed ipsa emendatur. Sicut se autẽ posset defendere Cyprianus, si hoc ei Ioannis testimonium obiiceretur, quando talibus communicabat: ita se defendant contra quos dicitur. Nam ad istam quæstionem, vt dixi, omnino non pertinet. Ioannes enim dicit, alienæ doctrinę hominibus aue non esse dicendum: Paulus autem vehementius dicit, Si quis frater nominatur inter vos, aut auarus, aut ebriosus, &c. cum eiusmodi nec cibum quidẽ simul sumere: & tamen cum collegis fœneratoribus, insidiosis, fraudatoribus, raptoribus non priuatã mensam, sed Dei altare habebat cõmune Cyprianus. Quomodo autem hoc defendatur, iam in aliis libris satis dictum est.

B

2. Ioannis 1.

1. Cor. 5.

C

CAPVT XLVI. Matth. 15.

LITTEVS à Gemellis dixit, *Cæcus cæcum si ducat, ambo in foueã cadunt. Cùm ergo hæreticos constet non posse illuminare quenquam, vtpote cæcos, baptisma eorum non valet.* Respond. Nec nos dicimus valere ad salutem quãdiu hæretici sunt, sicut & illis homicidis, quandiu fratres oderunt: nam & ipsi in tenebris sunt, & si quis eos sequitur, simul in foueam cadũt. Nec ideo tamen baptismum vel non habent, vel non tradunt.

CAPVT XLVII. Oea, Sabrata, & Leptis magna Tripolim cõstituunt.

NATALIS ab Oëa dixit, *Tam ego præsens, quàm Pompeius Sabratensis, quàm etiam Dioga Leptimagnẽsis, qui mihi mandauerunt, corpore quidem absentes, spiritu autem præsentes: censemus quod & collegæ nostri, quòd hæretici communicationem habere nobiscum non possunt, nisi ecclesiastico baptismo baptizati fuerint.* Respond. Communicationem, credo, eam dicit, quæ pertinet ad columbæ societatem: nam in participatione sacramẽtorum proculdubio communicabant eis, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, si diuersum sentiret, amouentes; sed quolibet modo dixerit, non magnopere verba hæc refellenda sunt. Certè enim non communicet hæreticus, nisi ecclesiastico baptismo baptizatus. Constat autem ecclesiasticum esse baptismũ etiam apud hæreticos verbis Euangelicis consecratũ, sicut ipsum Euangelium ecclesiasticum est, nec ad eorum pertinet peruersitatem, sed vtique suam retinet sanctitatem.

D

al. sanitatem.

CAPVT XLVIII

IVNIVS à Neapoli dixit, *Ab eo, quod semel censuimus, non recedo, vt hæreticos venientes ad ecclesiam baptizemus.* Hic quia nullam rationem vel testimoniũ Scripturarum attulit, diu nos tenere non debet.

CAPVT XLIX. Cyprianus in epistola ad Iubaianum.

CYPRIANVS à Carthagine dixit, *Meam sententiam plenissimè exprimit epistola, quæ ad Iubaianum collegam nostrum scripta est, hæreticos secundum Euangelicam, & Apostolicam contestationem aduersarios Christi & antichristos appellatos, quando ad ecclesiam venerint, vnico baptismo ecclesiæ baptizandos esse, vt possint fieri de aduersariis amici, & de antichristis Christiani.* Quid aliud hîc disputandum est, quando ipsam, cuius mentionem facit, epistolam ad Iubaianum datam, quanta potuimus diligẽtia pertractauimus? Et quod hîc dixit, meminerimus dici posse de omnibus iniquis, quos & in catholica esse ipse testatur, & baptismum habere, & dare, nemo nostrũm ambigit. Illi enim veniunt ad ecclesiã, qui de parte diaboli ad Christum transeunt, & ædificant super petram, & incorporãtur columbæ, & in orto concluso & fonte signato muniuntur, vbi non sunt omnes, qui contra Christi præcepta viuunt, vbilibet esse videantur. Nam in epistola, quam scripsit ad Magnũ, cùm de hac ipsa re ageret, satis apertéq; ipse nos cõmonuit, in qualibet societate oporteat intelligi ecclesiam. Ait enim de quodam loquens, *Alienus fiat & prophanus Dominicæ pacis, ac Dominicæ vnitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id est, in ecclesia Christi, in qua non nisi concordes atque vnanimes habitant.* Quod ergo hîc dicimus, paululum aduertant, qui nobis de Cypriano volunt præscribere. Si enim in ecclesia Christi non nisi concordes atque vnanimes habitant, procul dubiò non habitabant in ecclesia Christi, quamuis intus esse viderentur illi, qui per inuidiam & contentionem sine charitate Christum annunciabãt, quos ipse intelligit non hæreticos vel schismaticos à Paulo apostolo commemoratos, sed falsos fratres cum illo interius conuersantes, qui certè baptizare non debebant; quia in ecclesia non habitabant, in qua ipse dicit non habitare nisi cõcordes & vnanimes: nisi fortè quisquã sic abhorret à vero, vt dicat concordes & vnanimes fuisse inuidos & maleuolos, & sine charitate contentiosos, & tamen baptizabant, nec eorum ista detestanda peruersitas sacramentum Christi, quod per eos tractabatur & dispensabatur, aliqua ex parte minuebat atque violabat.

Lib. 1. epist. 6

Philip. 1.

CAP. L.

TOTVM sanè ipsum locum in eadem ad Magnũ epistola positum operæprecium est pertractare, quem ita cõtexuit. *Non habitans*, inquit, *in domo Dei, id est, in ecclesia Christi, in qua non nisi concordes atque vnanimes habitant, loquente in Psalmis Spiritu sancto, & dicente, Deus qui inhabitare facit vnanimes in domo. Denique vnanimitate Christianos firma sibi atque inseparabili charitate connexos, etiam ipsa Dominica sacrificia declarant. Nã quando Dominus corpus suum panem vocat, de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum, quem portabat, indicat adunatum: & quando sanguinem suum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expressum, atque in vnum coactum, gregem item nostrum significat cõmixtione adunatæ multitudinis copulatũ.* Hæc verba beati Cypriani indicant eum intellexisse, & dilexisse decorem domus Dei, quam domum ex vnanimis & cõcordibus cõstare affirmauit, & docuit testimonio prophetico, & significatione sacramentorum. In qua vtique domo non erant illi inuidi, & sine charitate maleuoli, qui tamen baptizabant. Ex quo apparet & in eis esse posse, atque ab eis dari posse sacramentum Christi, qui non sunt in ecclesia Christi, in qua non nisi vnanimes & concordes habitare Cyprianus ipse testatur. Neque enim saltem hoc dici potest, tunc baptizare posse cùm latẽt; quoniam illi Paulum apostolũ non latebãt, quos in epistola suã veracissimus testis notat, & gaudere se dicit, quoniam & ipsi Christũ annunciabant. De his quippe ait, Siue occasione, siue veritate Christus annuncietur, & hoc gaudeo, sed & gaudebo.

Psalm. 67.

Ioannis 6.

A

CAPVT L. Duo genera in Dei domo existentium.

QVIBVS omnibus consideratis, puto me non temere dicere alios ita esse in domo Dei, vt ipsi etiã sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari super petrã, quæ vnica columba appellatur, quæ spõsa pulchra sine macula & ruga, & ortus cõclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ, paradisus cum fructu pomorum. Quę domus etiam claues accepit, ac potestatem soluẽdi & ligandi. Hanc domum si quis corripientem corrigentemq; contempserit, sit tibi, inquit, tãquam ethnicus & publicanus. De hac domo dicitur, Domine dilexi decorem domus tuæ, & locũ habitationis gloriæ tuæ. Et qui habitare facit vnanimes in domo. Et iocundatus sum in his quæ dixerunt mihi, in domum Domini ibimus. Et beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te: & innumerabilia talia. Hæc domus etiam triticum dicitur, siue tricenũ, siue sexagenum, siue centenum fructum afferẽs cum tolerantia. Hæc domus est in vasis aureis & argenteis, & lapidib⁹ preciosis, & lignis imputribilibus. Huic domui dicitur, Sufferentes inuicem in dilectione, studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et templum enim Dei sanctum est quod estis vos. Hæc quippe in bonis fidelibus est, & sanctis Dei seruis vbique dispersis, & spiritali vnitate deuinctis in eadem cõmunione sacramentorum, siue se facie nouerint, siue non nouerint. Alios autẽ ita dici esse in domo, vt non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem fructiferæ pacificæque iustitiæ, sed sicut esse palea dicitur in frumẽtis: nam & istos esse in domo negare non possumus, Paulo apostolo dicente, In magna autẽ domo non solùm aurea vasa sunt vel argentea, sed & lignea & fictilia, & alia quidem sunt in honorẽ, alia verò in contumeliam. Ex hoc numero innumerabili, nõ solùm turba intus premens cor paucorũ in tantæ multitudinis comparatione sanctorum, sed etiam diruptis retibus hæreses & schismata existũt in eis, qui iam magis ex domo quàm in domo esse dicendi sunt, de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: separatiores enim sunt iam etiam corporaliter segregati, quàm illi qui interius carnaliter & animaliter viuunt, & spiritaliter separati sunt.

Matt. 16. 18

Psal. 25. 67. & 121. 83.

2. Tim. 2.

Ephes. 4.

1. Corint. 3.

Alterũ genus.

2. Timoth. 2.

2. Retract. cap. 18.

B

C

1. Ioan. 2.

CAPVT LII.

HORVM autem omnium generum illi primi, qui sic sunt in domo Dei, vt ipsi sint domus Dei, siue iam spiritales sint, siue adhuc paruuli lacte nutriantur; sed tamen ad spiritalẽ habitum intento corde proficiant, nemo dubitat, quòd baptismum & vtiliter habeãt, & se imitantibus vtiliter tradant: fictis autem, quos Spiritus sanctus fugit, etsi ipsi, quãtum in eis est, vtiliter tradunt, illi tamen inutiliter accipiunt, non imitantes eos per quos accipiunt. Illi verò qui sic sunt in magna domo tanquã vasa in contumeliã, & inutiliter habent baptismũ, & se imitantibus inutiliter tradunt: illi porrò ab eis vtiliter accipiũt, qui non ipsis corde atq; moribus, sed sanctæ domui copulantur. Qui autem separatiores non magis in domo quàm ex domo sunt, neq; omnino vtiliter habẽt, neque ab eis vtiliter accipitur, nisi fortè accipiendi necessitas vrgeat, & accipientis animus ab vnitatis vinculo non recedat: tamen & habent, quanquã inutiliter habeant, & accipitur ab eis etiam cùm inutile est accipientibus; quod vt fiat vtile, ab hęresi vel schismate recedendum est, & illi domui cohærendum: quod non solùm hæretici & schismatici, sed etiam illi facere debẽt, qui sic sunt in domo per communionem sacramẽtorum, vt extra domum sint per diuersitatem morum; sic enim & ipsis vtile incipit esse sacramentum, quod aliter inutile est.

D

CAPVT LIII. An non baptizatus baptizet. De confecr. dist. 4. cap. Solet.

SOLET etiam quæri, vtrum approbandum sit baptisma, quod ab eo, qui non accepit, accipitur, si fortè curiositate aliqua didicit quemadmodum dãdum sit: & vtrum nihil intersit quo animo accipiat ille, cui datur, cum simulatione, an sine simulatione: si cum simulatione, vtrum fallens, sicut in ecclesia, vel in ea quæ putatur ecclesia: an iocans sicut in mimo, & quid sit sceleratius, in ecclesia fallaciter accipere, an in hæresi vel schismate sine fallacia, id est, animo non simulato, & vtrum in hæresi fallaciter, an in mimo cum fide, si quisquam inter agendum repẽtina pietate moueatur, quanquam talem si etiam illi conferamus, qui in ipsa catholica fallaciter accipit, mirum si dubitatur quis cui prẽferendus sit. Quid enim profit animus veraciter dantis fallaciter accipienti non video: sed arbitremur etiam fallaciter aliquem dantem, cùm & tradens & accipiens fallaciter agant in ipsa vnitate catholica, vtrum hoc magis baptisma sit acceptandum, an illud, quod in mimo datur, si quis existat qui fideliter subitò commotus accipiat: an quantum ad ipsos quidem attinet homines, plurimum distet inter credentem in mimo, & irridentem in ecclesia; ad ipsius autẽ sacramenti integritatem nihil interfit. Si enim nihil interest ad integritatem sacramenti in ipsa catholica, vtrum id aliqui fallaciter an veraciter agant, cùm tamen hoc idem vtrique agant: cur extra intersit, non video, quando ille qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est. An plus valent ad cõfirmandum sacramentum illi veraces inter quos agitur, quàm ad frustrandum illi fallaces, à quibus agitur, & in quibus agitur? & tamẽ si postea prodatur, nemo repetit, sed aut excõmunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur. Sed nobis tutum est, in ea nõ progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali concilio cœpta, nullo plenario concilio terminata sunt: id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Dñi Dei nostri & saluatoris Iesu Christi, vniuersalis ecclesiæ cõsensione roboratum est. Veruntamen si quis fortè me in eo concilio constitutum, vbi talium rerum quæstio versaretur, non præcedentibus talibus, quorum sententias sequi mallem, vrgeret vt dicerem quid ipse sentirem: si eo modo affectus essem, quo etãm cùm ista dictarem: nequaquam dubitarem habere eos baptismum, qui vbicunque, & à quibuscunque illud verbis Euangelicis consecratum sine sua simulatione, & cum aliqua fide accepissent; quãquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, qua catholicæ insererentur ecclesiæ. Si enim habeam, inquit, fidem, vt montes transferam, charitatem autem non habeã, nihil sum: sicut iam præteritis maiorum statutis, non dubito etiam illos habere baptismum, qui quãuis fallaciter id accipiant, in ecclesia tamen accipiunt, vel vbi putatur esse ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est, ex nobis exierunt. Vbi autem neque societas vlla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicrè & mimicè & iocularitèr ageretur, vtrum approbãdus esset baptismus qui sic daretur, diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum, concordi oratione, & impensis supplici deuotione gemitibus implorãdum esse censerem: ita sanè vt post me dicturos sententias, ne quid iam exploratum & cognitum afferrẽt, humiliter expectarem: quanto magis ergo nunc sine præiudicio diligentioris inquisitionis, vel maioris authoritatis illud dixisse accipiendus sum.

Augustini in desinendo tuo dictata.

Responsio.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 2.

Baptismus mimicè & iocularitèr administratus, non ratum habetur. Consule schol. 14.

CAPVT LIIII. Concludit hæreticos, sicut & malos Christianos, esse & esse cranicutum baptismatis.

SED iam, vt existimo, tempus est hos etiam libros de quæstione baptismi debito fine cõcludere, vbi nobis ostẽdit Dominus Deus noster per pacificum Episcopum Cyprianum, & illos qui ei consenserunt, quãtum sit catholica vnitas diligenda, vt in eo quod aliter sapiebant, donec id quoque Deus reuelaret, tolerarẽt potius diuersa sentientes, quàm se ab eis nefario schismate separarent, vbi Donatistarum prorsus ora clauduntur, etiam si de Maximianistis nihil dicamus. Si enim

enim mali bonos in vnitate cõtaminant, nullam iam ecclesiam, cui sociaretur, vel ipse Cyprianus inuenit. Si autem mali bonos in vnitate non maculant, nullam causam separationis sacrilegus Donatista proponit. Baptismum autem si habent & tradũt alij tam multi qui operantur opera carnis, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, habent ac tradunt & hæretici, qui inter illa opera numerati sunt, quod quia recedendo non amiserunt, & tradere manendo potuerunt: sed tam infructuosè atque inutiliter tales talibus, quàm & illi cæteri pares eorum, in eo quòd regnum Dei non possidebunt. Et quemadmodum illis correctis baptisma non incipit adesse quod deerat, sed prodesse quod inerat, sic & hæreticis. Vnde Cyprianus, & qui cum eo senserunt, catholicæ ecclesiæ, quam noluerunt præcidere, non potuerunt præscribere. Quòd verò aliter sapuerunt, non expauescimus, quia cum eis veneramur & Petrum: quòd autem ab vnitate non recesserunt, gaudemus, quia cum eis ædificamur in petra.

Galat. 5.

LIBRI VII. FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
DE VNICO BAPTISMO CONTRA PETILIANVM, LIBER VNVS.

Ex Retract. lib. 2. cap. 34.

EODEM tempore librum de vnico baptismo amicus quidam meus à nescio quo Donatista presbytero accepit, indicante quòd Petilianus episcopus eorum Constantinensis eum scripserit. Hunc ad me ille attulit, ac vehementer, vt ei respõderem, rogauit, & factum est. Librum autem etiam meum, in quo respõdi, eundem titulum habere volui, hoc est, De vnico baptismo. In quo libro illud quod dixi, Constantinũ imperatorem Donatistis criminantibus ordinatorem Cæciliani Felicem Abtugnensem, non negasse accusationis locum, quãuis eos in Cæciliani fictis criminibus calumniosos fuisset expertus; in ordine temporũ postea consideratum aliter inuẽtum est. Nam prius memoratus imperator causam Felicis fecit audiri à Procõsule, vbi legitur absolutus; & postea ipse Cæcilianum cum accusatoribus eius auditum comperit innocentẽ; vbi eos expertus est in eius criminibus calumniosos: qui ordo tẽporum per consules declaratus, multo vehementiùs in ea causa calumniãs Donatistarum conuincit, penitusq; subuertit: quod alibi ostendimus. Hic liber sic incipit:

Cap. 16.

Lib post Collat. cap. 33.

CAP. I.

RESPONDERE diuersa sentientibus, & à regula veritatis errãtibus, Constantine frater, sæpissimè cogimur, etiã de his rebus, quas aliis atque aliis sermonibus frequentauimus. Quod vtiliter existimo fieri, & propter eorũ ingenia tardiora, qui putant aliud dici, cùm aliquid legũt aliter dici: & propter ipsam disputationũ copiam, vt non solùm ad diligentiores res rara perueniat, sed quodlibet modò ex multis in manus etiam negligentioris incurrat. Proinde sermonẽ de vnico baptismo ab eis compositum, à quibus baptismus iteratur, quem mihi cùm in rure simul essemus, à nescio quo Donatistarũ presbytero acceptũ dedisti, atque vt ei respõderem multum petisti, nõ nisi verborum strepitu inflatum, & calumniosis criminationibus asperatũ, vide adiuuante Dño quanta facilitate confutẽ. Prima illic inuidia est, quòd ventilatur in publico res secreta. Taceãt ergo qui hoc fieri debere non putant. Aut si ad loquendũ cogi se dicunt vt respondeant contrà sentientibus, hæc etiã nostra causa est, vt respondeamus non solùm contrà sentientibus, verumetiã contrà facientibus. Debet enim palàm redargui quod in occulto nocet; quia & palàm defenditur, cùm suadetur in occulto quod nocet cũ perficitur. Nam quis coram prophanis quenquã baptizat? Et tamen baptizari Christianos nullus prophanus ignorat, qui audit in publico, quod si credit, percipiat in secreto.

Prodẽda, quæ diuũ latent, nocent.

B

VIDEAMVS ergo de baptismatis iteratione quid dicant, qui verecundantur hoc in aperto dicere, quod vtinam in aperto timerent admittere. *Vbi sit*, inquit, *verum baptisma quæritur.* Deinde subiungit: *Vsqueadeò meum est, vt quod à me vnicum datum est, nec ab ipsis sacrilegis iteretur.* Cui respondemus: Sacrilegus non est, qui vnicũ baptismum, non quod tuũ, sed quod Christi est, iterare non audet. Christi est enim vnica hominis in baptismate consecratio, tua est autem vnici baptismatis iteratio. Corrigo in te quod tuum est, agnosco quod Christi est. Hoc enim iustum est, vt cùm mala hominum reprobamus, quæcunque in illis bona Dei reperimus, approbemus.

CAPVT II.

HOC, inquam, iustum est, vt etiam in sacrilego nõ violem quod verum inuenio sacramentum, nec sic emendem sacrilegum, vt in eo perpetrem sacrilegium. Nam sic sunt isti mali in baptismo bono, quemadmodum Iudæi mali in lege bona. Itaque vt illi per illã legem iudicabũtur, quam malitia sua malam non fecerunt, ita & isti per ipsum baptismũ iudicabuntur, quẽ bonum mali tenuerũt. Ergo quemadmodum Iudæus cùm ad nos venerit vt Christianus fiat, non in eo destruimus bona Dei, sed mala ipsius. Nam quòd erat non credendo quòd Christus iam venerit, natusq; & passus sit, & resurrexerit, hoc emendamus, eaq; infidelitate destructa, fidem qua hæc creduntur, astruimus. Item quòd erat vmbris veterũ sacramẽtorum inhærendo, dissuademus, iamque venisse tempus, quo hæc auferẽda atque mutãda Prophetæ prædixerãt, demõstramus. Quòd verò vnum Deũ colendum credit qui fecit cælum & terram, quòd omnia idola & sacrilegia gentium detestatur, quòd futurũ expectat iudicium, quòd vitam sperat æternã, quòd de carnis resurrectione non dubitat, laudamus, approbamus, agnoscimus, sicut credebat credẽda, sicut tenebat tenenda, firmamus. Ita etiã cùm ad nos venerit schismaticus vel hæreticus vt catholicus fiat, schismæ eius & hæresim dissuadendo & destruendo rescindimus: sacramẽta verò Christiana si eadẽ in illo inuenimus, & quicquid aliud veri tenet, absit vt violem, absit vt si semel dãda nouimus, iteremus, ne dum vitia humana curamus, diuina medicamenta damnemus; aut quærendo sanare quod vulneratũ est, hominem saucium etiam vbi sanus est, vulneremus. Proinde si de aliqua re ad fidẽ Christianã & catholicam pertinente, si denique de ipsa trinitatis vnitate dissentientem hæreticum inuenio, & tamen Euangelica & ecclesiastica regula baptizatum; intellectum hominis corrigo, non Dei violo sacramẽtum. Loquor de Iudæis & schismaticis vel hæreticis sub Christi vtcunque nomine errantibus.

CAPVT III. Quod vitiatum est, sanatur tantùm.

C

Act. 17.

CAPVT III. Idololatræ habent aliquid quod probatur.

DE ipsis gentilibus, idolorumque cultoribus multa vtique à nobis diuersitate distantibus, nihil aliud nobis demonstrat Apostolus: nisi vt in ipsis quoque ita quicquid prauum est, corrigamus, vt quod fortè rectũ est, approbemus. Nam vti que idololatras, & quod est grauius, non tãtùm cultores, sed etiam institutores simulachrorum redarguebat, vbi ait, Qui cognoscẽtes Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Et immutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Talia quippe nouimus fuisse simulachra Ægyptiorũ, vbi & instituta esse multiplicior multoq; ignominiosior idololatria perhibetur. Nunquid tamẽ cognitionem Dei denegauit illis fuisse, ac non potius confirmauit, dicens, Cognoscẽtes Deum, non vt Deũ glorificauerunt? Si ergo istam cognitionem tanquam mendacium repellere & destruere conaretur, quòd eã in sacrilegis inuenisset, nónne, quod absit, veritatis inimicus existeret? Ideoque id quod immutauerunt in mendacium suum. Nam & hoc dixit, Immutauerunt gloriam Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis: talem scilicet fingentes Deum, qualis non est Deus, & non sicut eum cognouerunt tradentes hominibus. Et paulo pòst de talibus dicit, Qui immutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius, quàm creatori qui est benedictus in sæcula. Veritas quippe creaturæ à Deo est, non Deus, quam illi in mendaciũ conuerterunt, tanquam deos colentes. Solem & Lunam & quæcunque cælestia atque terrestia. Quod ergo immutauerunt in mendacium suũ, culpat, detestatur, euertit. Quod autem verum in doctrina quãuis multis falsitatibus permixta confusaque seruarunt, approbat, testatur, affirmat. Nam & hinc eundem locũ ita cœpit vt diceret, Reuelatur enim ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum, eorum qui veritatem in iniquitate detinent: non abnegans veritatem, quãuis in iniquitate detentam. Et in Actibus Apostolorũ, cùm de Deo vno & vero Athenienses doceret, quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus, continuò subiunxit, Sicut quidam secundum vos dixerunt. Hoc igitur quod in Deo viuimus, mouemur, & sumus, ex illa veritate est quam & illi impij simulachrorũ cultores in iniquitate detinent, qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt. Hanc tamen veritatem sicut videmus apud impios & sacrilegos inuentã non destruit, sed confirmat Apostolus, eiusq; vtitur testimonio ad docendos eos qui ista nesciebant. Huius regulę apostolicæ sectator Episcopus Cyprianus, de vno vero Deo aduersus multorum deorum falsorumque cultores disputans multa profert testimonia de libris eorũ, quos præclaros authores habent, hoc est, ex illa veritate quam in iniquitate detinent. Multo autem mirabilius est quod fecit Apostolus, vt eorum phana circumiens, aram quandam inter aras dæmonum inuentam, in qua scriptum erat, Ignoto Deo: neque hoc negando & refellendo destruxerit, sed potius confirmando hinc etiam repererit opportunissimum suæ disputationis exordium, dicens, Quem vos ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis.

Rom. 1.

D

Lib. de vanitate idolorum.

Act. 17.

CAP. V.

HANC itaque & nos per maiores nostros traditam nobis sequentes apostolicam regulam, si quid recti etiam in peruersis inuenerimus, eorũ peruersitate correcta, illud quod rectum est, minimè violamus: vt in vno homine ex iis quæ vera tenet, etiam falsa emẽdentur, non ex falsis cõuictis etiam vera destruantur. Temporibus Apostolorum qui dicebant, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephę: quamuis non per impiorum, sed sanctorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant, hoc ipsorum erat propriũ detestabile vitium. Quòd verò sciebãt Christum pro se esse crucifixum, & se in eius nomine baptizatos, nõ erroris eorum, sed diuini apud eos muneris erat. Hanc Dei veritatem in iniquitate suorum schismatum detinebant: hanc apprehendens beatissimus Paulus, nõ per illa vitia destructa etiã istam destruit, sed per hanc confirmatam illa emendãda conuincit. Nunquid Paulus pro vobis, inquit, crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? vt per verum Dei quod tenebant, de suo falso erubescerent quod agebant. Sicut ergo dicitur Iudæo, tene fidem resurrectionis mortuorum sicut tenebas, sed crede iam Christum resurrexisse à mortuis, quod non credebas: veritatẽ quippe Dei de mortuis resurrecturis in tua iniquitate detines, quia Christum resurrexisse non credis. Sicut idolorũ cultori dicitur, tene ab vno vero Deo mundum conditum esse, quod tenebas: sed noli credere deos esse ligna & lapides, & ipsius mundi quaslibet particulas quas colebas. Dei enim veritatem, qua credis ab ipso mundum conditum in tua detines iniquitate, qua deorũ cultor vis esse falsorũ. Sic etiam hæretico dicitur qui sacramenta Christiana sicut in ecclesia catholica tradũtur, nulla sua falsitate immutauit: Tene Christianum baptismum in nomine patris & filij & Spiritus sancti, sicut tenebas, sed agnosce Christi ecclesiam toto, sicut prophetatum est, orbe crescentem, cui sacrilega voce maledicebas. Dei enim veritatem de vnitate baptismatis in iniquitate detines tuæ diuisionis. Corrige iniquitatem hæretici figmenti, ne perdat te, & noli superbire de veritate Christiani sacramenti, quæ ibi est vt iudicet te. Ego autẽ, absit vt sic detester iniquitatem tuã, vt Christi abnegem veritatem, quam in te inuenio ad damnationem tuam. Absit vt sic te corrigam, vt illud, vnde te corrigo, destruam, nisi fortè destruere debeo verum quod inuenio in anima hæreticorum, cùm Apostolus non destruxerit verum quod inuenit in lapide Paganorum. Plus est vnus Deus quàm vnus baptismus. Neque enim baptismus Deus est, sed ideo magnum aliquid est, quia sacramentum est Dei. Et tamẽ ipse vnus Deus etiam extra ecclesiã ab ignorãtibus colebatur. Sic ergo & vnus baptismus etiã extra ecclesiam ab ignorãtibus datur. Qui dicit fieri non potuisse, vt vnus Deus & verus ab ignorantibus extra ecclesiam coleretur, videat non quid mihi, sed quid ipsi Apostolo valeat respondere dicenti: Quem vos ignorãtes colitis, hunc ego annuncio vobis.

1. Cor. 1.

Act. 17.

CAPVT VI.

QVAMOBREM sicut nihil eis proderat ad salutẽ, qui verum Deum ignorantes, eum tamen colebant, imo & oberat ad perniciem, quòd falsos deos simul colentes eidem vero Deo sacrilegam iniuriam faciebãt: sic nihil prodest hæreticis ad salutem quòd extra ecclesiam verum baptismum per ignorantiam & tradũt & tenent, imo & obest ad damnationem quòd in sacrilega iniquitate erroris humani, etiam diuini sacramẽti, non per quam mundẽtur, sed per quam seuerius iudicentur, detinent veritatem. Et sicut Apostolus, quãdo illos sacrilegos corrigebat, Deum tamen verũ, qui extra ecclesiam ab eis ignorantibus colebatur, agnoscebat potius quàm negabat: sic etiam nos quando hęreticorum sacrilegæ separationis errores corrigimus, baptismum tamen verũ, quem per ignorantiã extra ecclesiã tradunt, vtique agnoscere, nõ negare debemus.

CAPVT VII. Correctio de Ioannis baptismo. Responsio.

SED *Paulus*, inquiunt, *cùm venisset Ephesum, quosdã qui se dicebant Ioãnis baptismate baptizatos, baptizari iussit in Christo.* Quisquis hoc exemplo schismaticos & hæreticos baptizandos putat, audeat dicere si potest, hæreti-

hæreticum vel schismaticum Ioannem fuisse. Hoc si nephas est dicere, profectò illis hominib⁹ quod deerat datum est, non quod inerat improbatum: siue mentiti fuerint se habere baptismum Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur: siue quia baptismus Ioannis non erat baptismus Christi, sed tamen militans Christo, sicut legis vetera sacramenta præcursorio quodam & prefigu ratorio fungebantur officio. *Si post Ioannem amicũ sponsi baptizatũ est*, inquiunt, *quanto magis post hæreticum baptizãdum est?* Potest alius velut iusta similiter indignatione commotus dicere: Si post Ioannem baptizatum est, qui vinum penitus non bibebat, quãto post ebriosum iustiùs baptizandum est? Hoc ergo isti faciant si possunt: baptizent post ebriosos suos, si post Ioannem sobriũ Apostoli baptizauerunt. Quid hic respondeãt, nisi propterea se post istos non baptizare, quia per eos qui baptizati sunt, non eorum, sed Christi baptismum perceperunt? Credunt esse ergo propterea post Ioannem baptizatum, quia vel nullum illi baptismum habebant, vel Christi baptismum nondũ habebãt. Hoc quidem etiam ipse sibi cui respondemus, oppositum, op positumq; non soluit. Ait enim: *Dicit forsitan aliquis, Sed hi quos Paulus iterum baptizauit, baptismo Ioãnis abluti fuerant, non baptismo Iesu Christi. Vnde rebaptizari dico non oportere, quos constat esse à traditoribus tamen in Christi nomine baptizatos.* Hoc sibi cùm ipse proposuisset, attende quemadmodum frustra respondere conatus sit. *Huic*, inquit, *rei Dominus Iesus Christus respondit his verbis: Qui mecum non colligit, dispergit. Et iterum: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum. Multi enim dicent mihi in illa die, Domine Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc dicam illis: Non noui vos. Recedite à me operarij iniquitatis. Perdidisse igitur falsum opus non dubium est, qui tametsi in nomine Iesu Christi sacrilegi tamen ausi sunt operari. Velint nolint, proinde traditores sacrilegis sacramentis Christum magis offendunt. Qui si & dicere audeant, in nomine tuo prophetauimus, dicet illis vt cæteris: Recedite à me operarij iniquitatis, nõ noui vos. Rectè illis hoc dicet, quoniam quidem in indignis non dissimiles causæ sunt, baptizare, dæmonia pellere, cæteraq; mirabiles facere virtutes.* Vide quàm multa dixit, & quod sibi ex aduerso proposuit, soluere omnino non potuit: nec solum hoc, sed etiam nosipsos quæ aduersus eos dicere deberemus, admonuit. Neque enim tantùm nihil eum adiuuant hæc Euangelica testimonia, sed etiam causæ nostræ plurimum suffragãtur. De baptismo Ioannis agebatur, à quo baptizatos quosdam si baptizauit Apostolus, non vtique Ioannis baptismum habentibus iterum Ioannis baptismum dedit, sed Christi baptismum non habentes baptizari iussit in Christo, ac per hoc neutrum destruxit, sed vtrũque distinxit. Hoc etiam iste contra quem disserimus, vidit, qui cùm sibi velut ex aduersarij partibus obiecisset, quia & hi quos traditores vocant, baptismo Christi, non Ioannis baptizant & baptizantur, & ideo post eos baptismũ nec rescindi, nec iterari oportere: huic quæstioni dicit respondisse Christum, cùm ait: Qui mecum non colligit, spargit, quasi dixerit Christus, In eis qui mecũ non colligunt, etiam quod uerum & meum inuẽtum fuerit, negetur, exufletur, destruatur. Ait etiam quibusdã dicentibus: Domine Domine, in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus, eum responsurum: Non noui vos. Recedite à me operarij iniquitatis. Nunquid etiam hîc dixit: Propter iniquitatem vestram negabo etiam veritatẽ meam in vestra iniquitate detentam? Neque enim in regnum suum receptur us est omnes, in quibus inuenerit aliquã veritatem, sed in quibus inuenerit veritati congruam charitatẽ: quæ si defuerit, iniquitas erit. In qua tamẽ detenta veritas neganda non est, sed ipsa iniquitas non destructa veritate damnanda est. Vnde & Apostolus dicit: Et si sciero omnia sacramenta, & omnem scientiã, & si habuero omnem prophetiã & omnem fidem, ita vt mõtes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Se dixit nihil esse, si charitatem non habeat, non sacramenta & scientiam & prophetiam & fidẽ: illa enim magna sunt, etiam si ille nihil sit, qui ea sine charitate habuerit, & eorum veritatẽ in sua iniquitate detinuerit. Hoc & nos istis hæreticis dicimus: Non destruimus veritatem baptismatis quã in vestra iniquitate detinetis, sed cùm vos corrigimus, illam destruimus & euertimus, hanc autem agnoscimus & tenemus. Nihil itaque istum adiuuant plura Euãgelica testimonia. Quemadmodum autem nobis etiam plurimum suffragentur, aduerte. Ecce ipsa verba eius attende. *Perdidisse*, inquit, *falsum opus non dubiũ est, qui tametsi in nomine Iesu Christi, sacrilegi tamen ausi sunt operari.* Hoc omnino verum est, quoniam qui sacrilegi in nomine Iesu Christi ausi sunt operari, falsum opus proprium perdiderunt. Nunquid ideo tamen nomen ipsum Iesu Christi sacrilegũ est, etiam cùm per illum sacrilegi aliquid operãtur? Quis hoc audet vel demẽtissimus dicere? Quis iam isto tẽpore vel Paganus audeat affirmare? Vnde & ipse Iesus Christus cùm verissimè dixerit: Qui mecum non colligit, spargit: tamen cùm ei discipuli dixissent, quendam se inuenisse, qui in nomine eius dæmonia eiiceret, & prohibuisse, quia cum eis Dominum non sequebatur: ad hoc respõdit, Nolite prohibere: nemo enim virtutes facit in nomine meo, & potest malè loqui de me. In hoc vtiq; propria iniquitas erat, quia non cum Dño colligebat, nec in eius gregis vnitate pastorẽ cum discipulis sequebatur, in qua iniquitate sua veritatẽ detinebat alienam, quòd in nomine Iesu Christi eiiciebat dęmonia, & de illo malè non loquebatur. Huius itaque iniquitatẽ illis verbis Dñs damnat vbi ait, Qui mecũ non colligit, spargit; veritatẽ suam tamen in illo non negat nec improbat, cùm dicit: Nolite prohibere. Nemo enim virtutes facit in nomine meo, & potest malè loqui de me. Hoc Dominicum exemplũ sequentes etiam nos pro viribus nostris, baptismi veritatẽ, & quicquid aliud verum hæretici tenent, negare non possumus, improbare ac destruere non audemus; ipsorũ autem iniquitatem, qua cum Christo non colligũt, sed spargũt, meritò detestamur, & inuiolata quę in eis est veritate damnamus, vel quantum sinimur emendamus.

Obiectio. Responsio. Matth. 12. Matthei 7. Matth. 12. Matth. 7.

RESPICIAT ergo iste quo errore dixerit quod secutus adiunxit, *Velint nolint, proinde traditores sacrilegis sacramentis Christũ magis offendunt.* Alia est quippe temeritas & vtcunque tolerabilis, quòd traditores dicit homines, quos esse non probat. Illud autem quis ferat quòd sacrilega dicit sacramenta Christi, etiam si verè sicut calumniatur, à traditoribus haberentur, quæ in nomine patris & filij & Spiritus sancti ritu Euangelico celebrantur? Hic fortasse dicat, iam non esse Christi sacramentum quod à sacrilegis datur. Cur non ergo dicit non esse etiã nomen Christi, quod à sacrilegis dicitur? Quod omnino non ausus est dicere. Ait enim: *Perdidisse igitur falsum opus nõ dubiũ est, qui tametsi in nomine Iesu Christi, sacrilegi tamen ausi sunt operari. Tametsi*, inquit, *in nomine Iesu Christi*, nũquid dixit non esse nomen Iesu Christi? Sicut ergo nihil prodest sacrilegis quòd operantur in nomine Iesu Christi, sic nihil prodest hæreticis quòd baptizant vel baptizãtur in baptismo Iesu Christi. Sed tamen sicut illud nomen est Iesu Christi, ita & iste baptismus Iesu Christi. Et vtrũque agnoscendum, & approbandum, non negandum, & destruendum est; ne tantis donis Dei fiat iniuria, cũ sacrilegorum eisdem donis malè vtentium corrigitur

CAPVT VIII.

Matth. 7.

vita

vita. Ille dicit sacrilegis dicturũ Dñm: Recedite à me omnes qui operamini iniquitatem, qui extra ecclesiã baptizant, vel dęmonia eiiciunt, vel aliquas virtutes in nomine Iesu Christi operãtur: nos autẽ dicimus, imò ipsa veritas dicit, omnibus hoc Deum esse dicturum, qui intra ipsã vnitatis retia mali pisces cum bonis vsq; ad litus natant. Quid enim eis aliud dicetur, cùm in vasã collectis bonis, illi mali separati proiicientur, nisi, recedite à me qui operamini iniquitatem? Nec tamẽ in eis Christi sacramenta destruimus, cùm vel tales baptizantes, vel tales baptizatos intra eadẽ vnitatis retia agnoscimus. Ipsos quoque non arbitror tam esse impudentes, vt audeãt dicere, tam multis malis & sceleratis, qui in eorum parte sunt, manifestis flagitiis & facinoribus perditi & inquinati, hoc est, auaris atque raptoribus, siue truculentis fœneratoribus, siue cruentis Circumcellionibus Dñm non esse dicturum: Recedite à me qui operamini iniquitatem: & tamen sciunt, vident, tenent, multos tales baptizare, multos à talibus baptizari, nec in eis Christi violant sacramentum, etiã illi quibus displicent scelera eorũ. Non solũ itaq; nihil cõtra nos dixit, cùm hæc Euãgelica testimonia protulit, verumetiã nos quid cõta eos diceremus, admonuit.

Matth. 7. Luca 13. Marci 9.

CAPVT IX.

PROINDE quod sequitur exultans dicit: *Soluit breuiter quæstionem.* Verè soluit eam, sed pro nobis: quandoquidem dicendo in indignis non esse dissimiles causas, baptizare, dæmonia pellere, cæteraq; non dissimiles fecisse virtutes, quibus dicentibus: In nomine tuo ista fecimus: dicturus est: Non noui vos, recedite à me operarij iniquitatis: manifestauit tam verum esse quòd baptizant baptismo Iesu Christi etiã qui separati sunt ab ecclesia, quàm verum est, quòd dęmonia pellunt in nomine Iesu Christi. Sed eos vtrunque nec ad vitam æternã perducere, nec ab æternis suppliciis vindicare potest. Ac per hoc quẽadmodum si veniret ad ecclesiam quisquã eorum, à quibus expulit dæmonia illẽ, quẽ viderunt discipuli separatũ à grege Iesu Christi pellere dęmonia in nomine Iesu Christi, nequaquã virtus quæ in illo facta fuerat, negaretur, sed ei quod deerat, adderetur: ita quisquis extra Ecclesiã fuerit ab hæreticis vel schismaticis, tamẽ Christi baptismate cõsecratus, cùm ad ecclesiã venerit, non est negandũ sacramentum veritatis, quo imbutus est; sed adiicienda est pietas vnitatis, à qua separatus est, & sine qua illud inesse illi possit, prodesse non possit. Hoc facimus, hoc à maiorib⁹ traditũ accepimus, hoc in catholica ecclesia, quæ toto orbe diffunditur, contra omnes falsitatis nebulas custodimus. Quid ergo hinc à nobis amplius disputandũ est, quando ipse breuiter soluit quęstionẽ, cõmemorando Euangelica testimonia, quibus profectò, si cõtentiosus esse nollet, & suũ damnaret errorẽ, & baptismi cognosceret veritatẽ? Quid itaq; opus est omnia eius verba retexere, quibus argutè sibi videtur dicere, & multa loquacitate versare, ideo apud se esse verum baptismũ, quia & à nobis agnoscitur, non negatur? Nam quisquis firmũ & inconcussum tenuerit quod verissima & inuiolabilis regula veritatis ostẽdit, id in vnoquoque improbandũ vel emendandũ quod falsum atque vitiosum est, agnoscẽdum autẽ & acceptandũ quod verũ atque rectũ est, simul videt, & quid in Donatistarũ hæresi detestemur, & quid violare minimè debeamus. Cùm enim in suæ separationis iniquitate detinẽt baptismi veritatem, iniquitas eorum à nobis culpatur, veritas autem baptismi vbiq; agnoscitur & probatur.

Matth. 7. Luca 13. Marci 9.

CAP. X.

QVI enim dicit destruendũ esse baptismum Christi, quando illo hæretici baptizant, consequens est, vt dicat negandũ esse etiam ipsum Christum, quando eũ dæmones confitẽtur. Hinc laudatus est Petrus, quãdo dixit: Tu es Christus filius Dei viui: expulsi dęmones, hoc ipsum dicentes: Scimus qui sis, filius Dei. Ergo ista confessio Petro fructuosa, dæmonibus perniciosa, in vtrisque tamen non falsa sed vera, non neganda, sed agnoscẽda, non detestãda sed approbanda est. Sic & baptismi veritas datur à rectis catholicis, tanquã à Petro illa cõfessio, datur à peruersis hæreticis, tanquã à dæmonibus. Eadem ipsa confessio illos adiuuat, hos condemnat, in vtrisque tamen agnoscendo approbãda, in neutris negando violanda. Vnde & apostolus Iacobus cùm quosdã redargueret, qui sufficere dicebãt homini solam fidẽ, nec ei charitatis opera cõiungebant, eos ex ista dæmonũ comparatione cõuincit, ne ideo se ad Deum pertinere existimarent, quòd verũ de Deo crederent, etiãsi bona opera adiungere fidei non curarẽt. Tu credis, inquit, quoniã vnus est Deus, bene facis: & dæmones credunt, & cõtremiscunt. Eos igitur qui de Deo verũ credunt, & malè viuunt, dæmonibus cõparauit, non tamen illud ipsum verũ quod de Deo dæmones credunt, propter odium dęmonũ negando destruxit. Quãobrem cùm iste ipse, contra quem disputamus, proposuerit Apostolũ dicere: Vnus Deus, vna fides, vnũ baptisma, ecce, inuenimus eundem Deũ extra ecclesiã ab ignorantibus coli. Ecce, inuenimus eandem de vno Deo fidẽ extra ecclesiam nõ solũm quosdam homines, verũetiam dæmones cõfiteri, sed vtraque ab apostolis confirmata est potius quàm negata. Cur non similiter vnũ baptisma in quibus extra ecclesiam constitutis inuenerimus, confirmamus potius, quàm negamus, vt non ex eo quod in illis prauum est, etiã quod rectũ est, deprauemus; sed ex eo quod rectũ tenẽt, etiã illud in quo deprauati sunt, corrigamus?

Iacobi 2. Ephes. 4.

CAPVT XI.

QVID est ergo quod dicit, *illic esse verum baptisma, vbi est vera fides?* Prorsus fieri potest vt aliqui verũ habeant baptismum, & non habeant veram fidem: sicut fieri potest, vt habeant verũ Euangeliũ, quòd non rectè intelligendo, falsi aliquid credãt de Deo. Nũquid propter ipsam fidei falsitatem etiam Euangeliũ quod verum apud eos inuenitur, detestandum aut emendãdum putabimus? Nec illos Corinthios arbitror; quos in schismata dissiluisse redarguit, veram fidẽ habuisse, in eo quod dicebant: Ego sum Pauli: hoc etenim falsum erat. Verum tamen baptismũ habebant, ex cuius veritate vt istam corrigerent falsitatem, ab eo ipso audiunt, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Erãt illic etiam qui mortuos resurrecturos nõ credebãt, & in eo vtiq; non veram tenebãt neque habebant fidẽ: ex eo tamen quòd veram habebant, quoniam credebãt Christum resurrexisse, in quo fuerant baptizati, dat operam Apostolus etiam illud curare, in quo eis fides sana non erat, dicens: Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit: vt quoniam Christum resurrexisse crediderant, & hoc in eis sanum erat, illud etiam sanaretur, quòd resurgere mortuos errore perniciosissimo non credebant. Quamobrem cùm in Scripturis sanctis canonicis nec illi inueniant hæreticos ad ecclesiam catholicam veniẽtes denuò baptizatos, nec nos inueniamus in eodem baptismo quem in hæresi acceperant, fuisse susceptos: in hac re duntaxat par nobis causa est: quia nec illi quod faciunt, vt hæreticos, vel quos hæreticos putant, denuò baptizent, nec nos quod facimus vt etiã apud hæreticos datum suscipiamus baptismum Christi, vllo temporum apostolicorum expressè confirmatur exemplo. Sed nos reperiẽtes apostolos in quibuslibet errãtibus, vel qualibet impietate sacrilegis, si quid veri cognouerunt, confirmasse potius quàm negasse; hominum autem errorẽ & impietatem, saluo quod in eis verum inuentum est, emendasse siue damnasse: hanc regulam etiam in baptismi veritate sectamur, vt apud quos eam inuenerimus ita retentam atque seruatam, sicut in ecclesia catholica retinetur atque seruatur, nõ eam negemus, neque destruamus, sed ea manente

1. Cor. 13. Iacobi 2. 1. Cor. 1. 1. Cor. 15.

nente quod vitiosum, quod prauum, quod falsum in vnoquoque fuerit, curemus, corrigamus, emendemus: aut si non possumus, detestatum, damnatumque vitemus. Proinde cùm eos suscipimus, non suscipimus iniquitatem eorum, qua se ab ecclesia Christi diréptione sacrilega diuiserunt, qua orbem Christianum, cui Deus per legem, per prophetas, per Euangelium, per Psalmos, per Apostolos tam multa testimonia perhibet, calumniosis & maledicis criminationibus insectantur: nec eum ipsorũ errorem suscipimus, quo baptismum Christi etiam apud hæreticos regula ecclesiastica custoditum nolunt agnoscere, audent destruere, non dubitant iterare: quinetiam si quos, non solùm laicos, sed & clericos, nec quoslibet clericos, verùm & presbyteros & episcopos, etsi in illis ecclesiis baptizati sunt, quas Apostoli labore proprio fundauerunt, si aliquo modo seductos ad se transferre potuerint, catechumenos faciunt. Hæc eorum detestabilia mala nequaquam suscipimus, quãdoquidem nisi eis correctis ad nos transire non possunt.

CAPVT XII. NEC illud sine distinctione præterimus, vt humiliorem agant pœnitentiam qui iam fideles ecclesiam catholicam deseruerunt, quàm qui in illa nondũ fuerunt. Nec ad clericatũ admittuntur siue ab hæreticis rebaptizati sint, siue prius suscepti ad illos redierint, siue apud illos clerici vel laici fuerint. Et qui hæc nostrorum negligenter agunt, & eos fortè clericos in catholica faciunt, vel esse permittunt, quamuis à diligẽtioribus fraterno iure culpẽtur, tamen nec ipsi eis clericatum deferendum putãt, nisi quos ab illis malis vel nouerunt emendatos esse, vel credunt. Ac per hoc frustra calumniantur ecclesiæ catholicæ, quicunque ab eius vnitate nephario scelere separãtur. Vt enim verbis Apostoli magis vtar: Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiã hominum, qui veritatẽ in iniuitate detinent. Hæc ira, si non se correxerint, etiam istos iniustos inueniet, qui veritatem Christiani baptismatis in iniquitate detinent suæ sacrilegæ separationis.

Ex hæresi vel schismate ad ecclesiam venientes non esse ad clericatum admittendos.

Roman. 1.

CAPVT XIII. ECCLESIA verò catholica, quæ, sicut de illa prædictum est, per omnes gẽtes copiosa fœcunditate diffunditur, nullius sic emendat iniquitatem, vt in eo nõ ipsius, sed sui Domini destruat veritatem. Quid ergo iste quasi licenter ac fidenter exclamat? *Baptizaui securus, quem tu sacrilegus inquinasti. Baptizaui, inquam, feci quod fecit Paulus apostolus.* Legat vbi hoc fecerit apostolus Paulus. Quòd si de illis apud Ephesum vult intelligi, audeat ergo dicere, quòd eos Ioãnes sacrilegus inquinauerit. Quod si non audet dicere, quoniam apertissimum nephas est, desinat tãdem de re multum dissimili falsæ similitudinis nebulas excitare. Nam illud quod adiungit de episcopo Carthaginensi Agrippino, de inclyto martyre Cypriano, de septuaginta præcessoribus Cypriani, quia hoc fecerũt, & fieri præceperunt, ô quàm detestãdus est error hominum, qui clarorum virorum quædam non rectè facta laudabiliter se imitari putant, à quorum virtutibus alieni sunt. Sic enim & nonnulli Petro apostolo comparari se volunt si Christum negauerint. Si verò etiam gentes Iudaizare coegerint, vocitari germani eius affectant, Apostolica gratia vt continuò declarentur: cùm nec ei non dico præferri, sed saltem possit æquari, aut de proximo comparari, quisquis nostrorum temporũ Christianus, aut etiam episcopus nec Christum negauerit, nec gentes Iudaizare compulerit. Sic etiam in martyre gloriosissimo Cypriano: si apud hæreticos vel schismaticos datũ Christi baptismum nolebat agnoscere, dum eos nimium detestaretur, quos à catholica vnitate, quam multum dilexit, separatos dolebat; tanta eius merita vsque ad triumphum martyrij cõsecuta sunt, vt & charitatis qua excellebatur luce, illa obumbratio fugaretur, & vt sarmentum fructuosum fieret fructuosius, si quid habebat purgandum, si nulla re alia, certè passionis falce vltima tolleretur. Nec nos quia baptismi veritatem etiam in hæreticorũ iniquitate agnoscimus potius quàm negamus, ideo meliores Cypriano sumus: sicut nec Petro, quia gentes Iudaizare non cogimus. Hoc de Agrippino aliisque episcopis, qui illa concilia fecisse perhibentur, respondẽrim, qui sic diuersa senserunt, vt cum eis, contra quos de hac quæstione sentiebant, in vnitate persisterent, vbi charitas cooperit multitudinem peccatorum. Sic namque ambulantibus in ecclesiæ vnitate, in quam peruenerant, potuit Deus, sicut Apostolus dicit, id illis reuelare quod aliter sapiebant. Noua enim tunc quæstio fuit, quemadmodum suscipiendi essent hæretici, quæ nonnullos fratres hæreticam perniciem vehementer meritò detestantes, ipsa nouitate turbauit, vt crederent hoc etiam in eis esse improbãdum, quod malo suo tenebãt bonum. Ego autem vt quod de hac re sentio breuiter dicam, rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris: rebaptizare autem catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis.

Præpostera imitatio.

for decorentur:

Roman. 3.

Gal. 2.

al. veritate

Philip. 3.

Anabaptismus.

CAPVT XIIII. SED volo soluat mihi iste quæstionem: quãdoquidem cùm Romanæ ecclesiæ per ordinem cõmemoraret episcopos, inter eos cõmemorauit & Stephanũ, quos Episcopatũ illibatè gessisse cõfessus est. Cùm ergo Stephanus non solùm non rebaptizaret hæreticos, verumetiam hoc facientes, vel vt fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani literæ ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in vnitatis pace permansit. Quid hîc dicturi sunt? Excutiant ingenia sua quantum possunt, & vtrum valeant respondere considerent. Ecce duo erant vno tempore, vt de aliis taceam, qui diuersa sentiebant. Duo erant eminentissimarum ecclesiarum Romanæ scilicet & Carthaginẽsis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in vnitate catholica constituti. Quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus grauiter succensebat. Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizãdos in ecclesia catholica existimabat. Multi cũ illo, quidam cum isto etiã sentiebant, vtriq; cum eis in vnitate cõsistentes. Si ergo verum est quod isti dicunt, & vnde causam suæ separationis asserere, vel excusare conantur, in vna communione sacramẽtorum mali maculãt bonos, & ideo corporali disiunctione à malorum contagione recedendum est, ne omnes pariter pereant: iam tunc Stephani & Cypriani temporibus constat perisse ecclesiam, nec posteris derelictã, vbi Donatus ipse spiritaliter nasceretur. Quod si dicere nefarium iudicant, quia reuera nefarium est, sicut mansit ecclesia ex illis temporibus vsque ad tempora Cæciliani & Maiorini siue Donati, nec eam maculando perdere potuerunt quicunque in eam secundum ipsos sine baptismo admissi sunt, pleni omnibus peccatis & criminibus suis, nec vlla facta est à Cypriano, & eis qui pariter de baptismo sapiebant, ab illorũ communione diuisio; quoniam non se arbitrabantur in vnitate & communione sacramentorum Christi, alienis malis posse maculari: sic potuit & deinceps ecclesia permanere, quam toto, sicut de illa prædictum est, terrarum orbe crescentem nullo modo poterant quorumlibet traditorum ac facinorosorum aliena crimina maculare: sicut in vna area vsque ad tempus vẽtilationis maculari paleis frumenta non possunt, sicut intra eadem retia vsque ad tempus litoris mali pisces bonos simul natando non perdunt. Nulla igitur ratio fuit, sed maximus furor, quòd isti velut malorũ communionem cauentes, se ab vnitate Christi quæ toto

Sacerdotum esse debet in ecclesia perpetua & non interrupta successio.

toto orbe diffunditur, separarunt. Nisi fortè à criminibus crimina mirabili arte discernunt, non de Scripturis, sed de cordibus suis distinctionum regulas proferentes, atque dicentes, in vnitate communionis sacramentorum alia crimina aliena sine contaminatione tolerari; traditionis autem crimine omnes, qui cum talibus sacramenta communicauerunt, detineri. Sed hinc diutius disputare superfluum est, præsertim quia & hoc rarissimè audent dicere, ipsi quoque verecundantes & sentientes vana se loqui, & cùm ea dicunt, nullo diuino testimonio fulcire nituntur. Magis enim solent in ore habere quando peccatis aliorum alios criminantur, ad excusandum nefas separationis suæ. Videbas furem, & concurrebas cum eo: &, Ne communicaueris peccatis alienis: &, Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis: &, Qui tetigerit pollutum, pollutus est: &, Modicum fermentum totam massam corrumpit: & alia huiusmodi, quibus non traditionis crimen ab aliis criminibus aliqua proprietate discernitur, sed omnis peccati consociatio prohibetur. Quæ tamen diuina testimonia, vel præcepta si eo modo, quo isti, intelligeret Cyprianus, profectò se abs Stephano separaret, nec cum illo in catholicæ vnitatis communione persisteret. Ille quippe secundum sententiam, quam de baptismo isti tenendam putant, hæreticos & schismaticos, sicut opinantur, baptismum Christi non habentes, admittendo in ecclesiam communicabat peccatis alienis: quia videlicet peccata eorum, qui baptismo vero abluti non erant, in eis vtique permanebant. Debuit ergo Cyprianus ab huiusmodi communione discedere, ne cum fure concurreret, ne peccatis communicaret alienis, ne contagione inquinaretur immundi, ne pollutus fieret tangendo pollutum, ne fermento corrumperetur aliorum. Hoc ergo quoniam non fecit, sed cum eis in vnitate permansit, tota ipsius vnitatis tunc massa corrupta est, nec perseuerauit ecclesia, quæ postea sanctos istorum Maiorinum pareret ac Donatum. Hoc quia dicere nullo modo audẽt; restat vt fateantur bonos cum malis in sacramentorum Christianorum communione sine vlla sua labe mansisse, & vsque ad tempus Cæciliani perseuerasse ecclesiam Christi, non sine vllis hominibus malis, tãquam in horreo iam reconditam, sed adhuc cõmixta palea, tanquã in area cõstitutam. Sic ergo & deinceps potuit permanere, sicut & permanet, donec vltimo iudicij die ventilata mundetur.

Psal. 49.
1 Tim. 5.
Esaias 52.
Leuit. 22.
1. Cor. 5.

cõmunionis vnitate

Ecclesiæ vnitas Episcopatũ successionis interruptionẽ non admittit.

CAPVT XV. QVID igitur sibi vult tantus furor separationis istorum ab vnitate corporis Christi, quæ, sicut prophetari legitur, implerique iam cernitur, toto orbe terrarum atque in omnibus gentibus dilatatur. Hinc certè sicut scriptum est, Malus filius ipse se iustum dicit, exitum autem suum non abluit: hoc est, non excusat, non diluit, non defendit quòd furore schismatico in hæreticam pestem de domo Dei exire properauit: quia si verè iustus esset, sicut apostolus Paulus cum fratribus falsis, de quibus in suis epistolis ingemit, & sicut Cyprianus cum eis, quos sine baptismo suis peccatis præteritis plenos existimabat, & admitti ad ecclesiam abs Stephano sciebat; ita in ecclesia Christi, cum eis quos iniustos vel nouerat, vel putabat, sine vlla sui contaminatione persisteret, nec bonos propter malos desereret, sed malos propter bonos potius toleraret, tanquam granum cum palea pondere charitatis trituram ferens, non tanquam leuissimus puluis etiam ante ventilationem flatibus cedens. Eo quippe modo etiam cum iniquis, quos necesse est vsque ad litus retia ista contineant, in vnitate catholica perseuerans, non tamen cum fure concurreret, nec peccatis communicaret alienis, nec cuiusquam immunditiæ contrectatione macularetur, nec polluereturtangendo pollutum, nec cuiusquam fermento corrumperetur. Hæc enim fiunt consensione peccatorum, qua per feminam serpens hominem primum etiam in paradisi felicitate decepit; non communione sacramentorum, in qua condiscipulos Iudas mundos immundus contaminare non potuit. A malis autem, cum quibus sacramenta Dei communicant, etiam nunc in area nondum in horreo, iam tamen boni discedunt, & separantur morum dissimilitudine, non corporum segregatione, aliter viuendo, non ad alia conuenticula veniendo; sic nec cum malis vnum fiunt, nec ab ecclesiæ vnitate discedunt. Quid ergo nobis nescio quorum traditorum crimen exaggerant, quos tamen nec ipsos vnquam conuincere potuerunt? sed si eos contra istorum calumnias defendamus, quorundam hominum causam videbimur agere, non ecclesiæ. Prorsus quicunque & vbicunque traditores fuerunt, & non tantùm traditorum peccatum, sed ipsorum etiam qui tradere compellebant, & omnium omnino facinorosorum, flagitiosorum, sacrilegorum admittebat Stephanus in ecclesiam secundum istos: quia si baptismum non habebant, omnia peccata quæcunque grauia & horrenda commiserant, in eis erant, & reos illos sine vlla remissione retinebant. Tales admittebat Stephanus, cum talibus erat in vnitate catholica Cyprianus, nec tamen periit, sed perseuerauit ecclesia. Non igitur quenquam in eius vnitate maculant aliena peccata. Frustra filius malus à familia patris exire properauit, frustra se iustum dicit, exitum autem suum non abluit. An fortè dicturi sunt, eos quos Stephanus admittebat, ipsius vnitatis participatione mundatos, quoniam charitas cooperit multitudinem peccatorum? Vtinam dicãt, Hoc enim & nos dicimus, quando eos ad vnitatem vel vrgemus vt redeant, vel monemus. Hoc autem pacto iam etiam nulla inter nos baptismi quæstio remanebit. Si enim apud hæreticos baptizati cùm ad ecclesiã veniunt vnitatis ipsius charitate mundantur, profectò sine causa rebaptizantur.

Homo pro ciuitate.

Luce 15.

Prou. 30.

1. Petri 4.

CAPVT XVI. VIDES itaque in hoc sermone, cui me respondere voluisti, quàm multa dixerit ille pro nobis. Quid ergo iam opus est, vt episcoporum Romanæ ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est, obiecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & presbyteri eius Melchiades, Marcellus, & Sylueſter traditionis codicum diuinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur: sed nunquid ideo etiam conuincuntur, aut conuicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit, ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cùm ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? Si est vlla humanitas in rebus humanis, puto nos iustius posse reprehendi si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen vlla testificatione demonstrant, nocentes potius quàm innocentes crediderimus. Quia si fortè se aliter veritas habet, ipsi certè humanitati debitũ redditur, cùm homo de homine nihil mali temerè suspicatur, nec cuiquam criminanti facilè credit; quãdo sine teste ac sine vllo documento crimen obiiciẽs, maledicus potius conuiciator, quàm veridicus accusator extiterit. Huc accedit, quia Melchiade tunc episcopo Romanæ ecclesiæ præsidente, ex præcepto Cõstantini Imperatoris, ad quem totam illam causam accusatores episcopi Carthaginensis ecclesiæ Cæciliani per Anulinum proconsulem detulerunt, idem Cæcilianus innocens pronunciatus est. De quo iudicio cùm maiores istorum importunissima peruicacia memorato Imperatori quererentur, quòd non plene nec rectè fuerit examinatum atque depromptũ; nihil de Melchiadis traditione, vel thurificatione dixerũt: Ad

Prouerb. 30.

Romanos pontifices etiam Donatistæ sunt calumniis insectati.

iudicantis temeritas.

Ad cuius audientiam nec venire vtique debuerunt, A hoc potius aut suggerentes Imperatori, aut vt suggereretur instantes, quod apud traditorem codicum diuinorum, & idolorum sacrificiis inquinatum, causam suam agere non deberet. Cùm hoc ergo nec antè suggesserint, nec posteaquam cõtra eos pro Cęciliano iudicatum est, saltem victi & irati obiiciẽdum putarint, quid nunc inanes tam serò cõnectunt calumnias, quasi & innocentia Cęciliani, Melchiadis iudicis decoloratione fuscetur, & ipsa Romana ecclesia, vbi nec damnare quenquam suo qualicunque iudicio potuerunt, nec aliquem suorum velut in locum surrogare damnati, contra quam paucissimis Aphris partis suæ primò interuentores aduentitios furtim longéq; mittebant, quos istum nominatim cõmemorare non puduit, donec deceptæ plebeculæ quasi proprios episcopos ordinarent? Nempe episcopum Abtungensium Felicem post Cęciliani purgationem apud Imperatorem accusauerunt, quòd ipse esset manifestissimus tra B ditor, & ideo Cæcilianus episcopus esse non posset, quòd ab illo traditore fuerit ordinatus. Tunc Constantinus nec huic eorũ accusationi negauit locum, quãuis eos in Cæciliani fictis criminib° calumniosos fuisset expertus, & ideo præcepit, vt causa Felicis discuteretur. In Aphrica discussa est à proconsule Heliano. Felix quoque innocẽs declaratus est. Extant gesta proconsularia: qui voluerit sumat & legat. Hoc autẽ non solùm ad innocẽtiæ Cæciliani demonstrandæ cumulum pertinet, ipsiusq; Felicis euidẽtissimam purgationem, atque illorum calumnias declarandas, qui eum fontem omnium malorum in concilio suo dixerant; verumetiam ad cogitãdam Melchiadis ab eorum criminationibus purissimam vitam. Nisi fortè quisquam tam sit insipiens, vt credat eos, cùm Felici non pepercerint, à quo Cæcilianus fuerat ordinatus; Melchiadi parcere potuisse, à quo fuerat absolutus, si illius episcopi vitam quamuis nullum vulnus conscientiæ per- C emisset, saltem qualiscunque fama culpasset. An verò quod de foro Abtungensium factum fuerat, ab istis accusaretur; & quod in Capitolio Romanorum factũ fuerat, taceretur? De Mensurio autem quid respondeam, cùm ab eius tempore vsque ad obitum plebs vnitatis nulla conscissa est; ipsæq; literæ Secundi Tigisitani, quibus reprehensus asseritur, eos ad seinuicem pacificè scripsisse confirmant, atque in collegij societate mansisse? Iam verò quod etiam de Cirtensi ecclesia dicere voluit, & episcopos ibi catholicos maledictis insectatus est quibus voluit; quid aliud egit, nisi vt vituperando sanctos etiam nostrorum temporũ viros, nobisq; optimè cognitos; satis ostenderet, quid etiam de ignotis, quibus similiter maledicit, sentire debeamus? Proinde si Profuturus ante paucissimos annos defunctus, & Fortunatus, qui in corpore adhuc est, atque illi successit episcopo, quo modo Manichæi fuerunt, sic fuerunt & illi traditores, quos longè à nostris temporibus ignotissimos accusare non cessant; etiam illorum nobis obscura, ab istorũ opprobriis vita notissima est. Non sanè parua est parumque gloriosa consolatio cuiuscunque nostrũm, si ab inimicis ecclesiæ cum ipsa ecclesia criminamur, eius tamen defensio non in eorum hominum defensione cõsistit, quos isti nominatim falsis criminationibus appetunt, prorsus qualescunque fuerint Marcellinus, Marcellus, Syluester, Melchiades, Mensurius, Cæcilianus, atque alij quibus obiiciunt pro sua dissensione quod volunt, nihil præiudicat ecclesiæ catholicæ toto terrarum orbe diffusæ, nullo modo eorũ innocentia coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur. Si boni fuerunt, in areæ catholicæ tritura tanquam grana mũdati sunt: si mali fuerunt, in areæ catholicæ tritura tanquam stipulæ comminuti sunt. Intra istam aream boni & mali esse possunt, extra eã boni esse non possunt. Quisquis ab hac vnitate vento superbiæ tanquam sola palea separatur, areæ Dominicæ propter commixtã paleam quid calumniatur?

Deest aliquid.

2. Retract. cap. 34.

Lege remotissima. Gloriosum est ab ecclesiæ inimicis cum ipsa ecclesia criminationes petere.

CAPVT XVII.

Nos quoque dicimus, nec tantùm dicimus, verũ- etiam literarum monimentis ecclesiasticis & publicis comprobamus, Secundum Tigisitanum, cuius cõgregato concilio Cæcilianum dicunt esse damnatum, cõfessis traditoribus ne schisma fieret, pacẽ dedisse, cùm & eidem ipsi à Purpurio Limatensi crimen traditionis fuisset obiectum. Dicimus Victorem Rusiccadiensem, Donatum Calamensem, Donatum Masculitanum, Marinum ab aquis Tibilitanis, Syluanum Cirtensem fuisse traditores, eosdemq; quasi traditorum seuerissimos damnatores. Hoc probamus & ecclesiasticis, & municipalibus, & iudicialibus gestis. Sed nec ideo traditores sunt omnes in parte Donati, quia in ea isti fuerunt: nec ideo est innocens pars Donati, si isti innocentes à traditionis iniquitate monstrentur. Melius enim audimus sanctam Scripturã, quàm vel cuiquam calumniamur de peccatis alienis, vel cuiusquã similem calumniam formidamus. Anima enim quæ Ezech. 18. peccauerit, ipsa morietur. Et, Vnusquisq; propriũ onus Galat. 6. portabit. Et, Qui manducat & bibit indignè, non al- 1. Cor. 11. teri, sed sibi iudicium manducat & bibit: & sinun- Matth. 13. tur vtraque crescere ad messem, ne cùm ante tempus colliguntur zizania, eradicetur simul & triticum: & commixti optimis pascuis hœdi agniq; pascuntur, donec à pastore, qui errare non potest, segregentur: & ex omni genere piscium retia complẽtur vnitatis, donec ad iudicium litoris perducantur: nisi quòd isti sua peruersa falsaq; sententia sibi præiudicant, qui propter aliena peccata iustè se dicunt ab orbis Christiani communione separatos. Per hanc enim absurdam insanamq; opinionem ipsi faciunt, vt eis quorundam suorum peccata omnibus imputẽtur. Quod si iustum arbitrantur, rei sunt omnes cuiuslibet apud se in vno homine inuẽti manifestissimi criminis: si autem, hoc sicut iniustum est, iniustum esse cognoscunt, rei sunt omnes iniquissimæ separationis.

CAPVT XVIII. Conclusio totius disputationis.

Iam verò quoniam in hoc sermone de vnico magis baptismo quæstio est, vt vnde cœpta est nostra disputatio concludatur, sicut in ipsa vnitate Dominicæ areæ, nec propter bonos laudandi sunt mali, nec propter malos deserendi sunt boni: vt in vno homine nec propter illud quod in eo integrum est, eius est accipiẽda peruersitas, nec propter illud quod in eo peruersum est, negari debet eius integritas: quia & in Iudæorum iniquitate detinetur veritas resurrectionis mortuorum, & in gentilium iniquitate detinetur veritas vnius Dei, qui condidit mundum: & in eorum iniquitate, qui cum Christo quia non colligunt, spargũt, detinetur veritas; quia in eius nomine pellunt spiritum immundum: & in templorum sacrilegorum iniquitate inuenta est veritas, qua colebant ignotum Deum: & in dæmonum iniquitate inuenta est veritas, qua cõfessi sunt Christum. Sic & in hæreticorum iniquitate inuenta veritas non neganda est, qua detinetur baptismi sacramentum.

LIBRI DE VNICO BAPTISMO FINIS.

Si extaret Augustini liber, cui titulum fecit, Contra quod attulit Centurius à Donatistis, *cuius mentio fit libro 2. Retractat. cap. 19. hic reponendus foret.*

D. AV-

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
CONTRA LITERAS PETILIANI CIRTENSIS EPISCOPI DONATISTÆ, LIBRI III.

Ex Retract. lib. 2. cap. 25.

Antequam finirem libros De trinitate, & libros de Genesi ad literã, irruit causa respondẽdi literis Petiliani Donatistæ, quas aduersus catholicã scripsit ecclesiam, quam differre non potui. Et scripsi in hanc rem tria volumina, quorũ primo primæ parti epistolæ ipsius, quam scripsit ad suos (quia nõ tota in nostras manus venerat, sed prior parua pars eius) quãta potui celeritate, & veritate respõdi. Etiam ipsa epistola est ad nostros, sed ideo inter libros habetur, quia cæteri duo in eadẽ causã libri sunt. Postea quippe inuenimus totam, eiq; tanta diligentia respondi, quanta Fausto Manichæo, verba scilicet eius sub ipsius nomine prius ponens particulatim, & sub meo, per singula responsionẽ meam. Sed prius quod scripseram antequam totam reperiremus, peruenit ad Petilianum, & iratus respondere conatus est, in me potius dicẽs quicquid ei libuit, in causa verò omnino deficiens: quod cùm posset collatis vtriusque nostrũm scriptis facilimè aduerti; tamen propter tardiores, hoc ipse respondendo demonstrare caraui, sic est additus eidem nostro operi liber tertius. Hoc opus in primo libro sic incipit: Nostis nos sæpe voluisse. In secundo autem sic: Primis partibus epistolæ Petiliani. In tertio autem sic: Legi Petiliane literas tuas.

DILECTISS. FRATRIBVS AD NOSTRÆ DISPENsationis curam pertinentibus, AVGVSTINVS in Domino salutem.

CAP. I.

Nostis nos sæpe voluisse Donatistarum hæreticorum sacrilegũ errorem in notitiam manifestã, non tã ex nostro quàm ex ipsorũ opere producere, atque cõuincere: vnde factũ est, vt ad nonnullos etiã primates eorum literas daremus, non quidẽ cõmunicatorias, quibus se iam in præteritũ indignos à catholica ecclesia dissentiendo fecerunt, nec tamen cõtumeliosas, sed pacificas: vt nobiscũ quęstione discussa, quę illos ab orbis terrarũ sancta cõmunione dirupit, cõsiderata veritate corrigi vellent: nec maiorum suorũ animosam peruersitatem pertinacia stultiore defenderẽt, sed ad fructũ charitatis radici catholicæ redderẽtur. Sed quoniã scriptum est: Cũ his qui oderunt pacẽ, eram pacificus, ita illi respuerunt literas meas, sicut ipsam pacẽ, cui per eas consulebatur, oderunt. Nunc verò cùm essem in ecclesia Constantiniẽsi, Absentio præsente, & collega meo Fortunato eius Episcopo, obtulerunt mihi fratres epistolam, quam ad suos presbyteros schismatis eiusdẽ episcopum dedisse dicebant, sicut earundẽ quoque literarum prætẽdebat inscriptio. Quã cùm legissem, ita miratus sum, quòd primis verbis suis totam partis suæ cõmunionem radicitus amputauit, vt nollẽ credere illius hominis esse literas, quẽ solet fama prædicare, quòd inter eos doctrina, atque facundia maximè præcellat. Sed quia me legente aderant quidã, qui eius sermonis cultum ornatumq; cognoscerẽt, mihi persuadere cœperũt, omnino illud esse eius eloquiũ. Ego tamen cuiuslibet esset, refellendũ putaui, ne quisquis eã scripsit, aliquid sibi apud imperitos aduersus catholicam scripsisse videretur. Hoc ergo ille primum in epistola sua posuit, dicẽs: *quòd eis obiiciamus bis baptisma, qui sub nomine baptismi animas nostras reo lauacro polluimus.* Quid autem prodest omnia eius contumeliosa verba retexere? Nam quoniam aliud est documenta firmare, aliud maledicta refellendo tractare: illud potius attendamus, quo pacto demonstrare voluerit, nos baptismũ non habere, & ideo se non repetere quod iã erat, sed dare quod non erat. Ait enim: *Conscientia namque dãtis attenditur quæ abluat accipientis.* Quid si lateat dantis conscientia, & fortasse maculosa sit? Quomodo poterit accipiẽtis abluere conscientiam, si, quemadmmodum dicit, conscientia dantis attenditur, qui abluat accipientis? Si enim dixerit ad accipientẽ non pertinere quicquid mali latuerit in cõscientia dantis, ad hoc valebit fortasse illa ignorantia, vt de conscientia baptizatoris sui non possit nesciens maculari. Sufficiat ergo vt alterius conscientia maculosa cùm ignoratur, non maculet, nunquid autem etiam abluere potest?

Psal. 119.

Petilianus doctrina, & facundia inter Donatistas excelluit, vtpote ex causidico factus Episcopus. Vnde infr. lib. 3. cap. 16. Infrà lib. 2. cap. 2.

Infrà lib. 2. cap. 3.

CAPVT II.

Vnde igitur abluendus est qui accipit baptismũ, cùm dantis polluta conscientia est, & hoc ille qui est accepturus, ignoret, præsertim cùm addat & dicat: *Nam qui fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum?* Ecce stat perfidus baptizaturus, at ille qui baptizandus est, perfidiam eius ignorat, quid eum accepturum esse arbitraris, vtrum fidem, an reatum? Si dixeris fidem, cõcedes posse fieri, vt à perfido quisque fidem percipiat, non reatũ: & falsum erit illud quod dictum est: *Qui fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum.* Inuenimus enim fieri posse, vt etiam à perfido fidem quis percipiat, si perfidiam dantis ignoret. Non enim ait: Qui fidem à perfido manifesto vel cognito sumpserit: sed, qui fidẽ, inquit, à perfido sumpserit, non fidẽ percipit, sed reatũ: quod vtique falsum est, quando quis à latẽte perfido baptizatur. Si autẽ dixerit, etiam cùm baptizator perfidus latet, nõ ab eo fidem percipit, sed reatũ: rebaptizent ergo illos quos ab eis baptizatos esse cõstiterit, qui diu apud ipsos cũ scelerati latuerũt, & postea proditi cõuictiq;, dãnati sunt

Infrà lib. 2. cap. 4.

CAPVT III.

Eo quippe tempore quo latebant quoscunque baptizauerunt, non eis potuerunt fidem tradere, sed reatum, si quisquis fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum. Ergo baptizentur à bonis, vt possint fidem percipere, non reatum. Sed quomodo & de istis securi erunt, si conscientia dantis attenditur quæ latet oculos accepturi? Ita secundum eorum sententiam fit salus illa spiritualis incerta, dum contra Scripturas sanctas, quæ dicunt: Bonũ est confidere in Domino, quàm cõfidere in homine. Et maledictus omnis qui spem suam ponit in homine: spem baptizãdorum auferunt à Domino Deo, & in homine ponendam esse persuadent. Vnde fit omnino, vt non incerta, sed prorsus nulla sit salus: quia Domini est salus, & vana salus hominis. Itaque quisquis in homine spem posuerit, etiam quem iustum & innocentem nouit, maledictus est. Vnde & apostolus Paulus eos qui dicebant se Pauli esse, obiurgat & dicit: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?

Psal. 117. Hier. 17. Psal. 3. & 59. 1. Cor. 1.

CAPVT IIII.

Quapropter si errabant illi, & nisi corrigerẽtur, perirent, qui volebant esse Pauli, quæ tandem spes eorum, qui quęrunt esse Donati? Id enim agunt isti, vt origo, radix, & caput baptizati non nisi ille sit, à quo baptizatur: ita fit, quoniam plerunque qualis sit baptizator, incertum est, incerta origine, incerta radice, incerto capite, spes etiam hominis incerta sit. Et cùm fieri possit, ita esse conscientiam dantis, vt scelerata

Infrà lib. 2. cap. 5.

atque maculosa sit, & hoc ignoret accepturus; consequenter fit, vt scelerata origine, scelerata radice, scelerato capite, spes quoque baptizati vana & inanis existat. Quippe cùm iste in epistola sua ponat, & dicat: *Omnis enim res origine & radice consistit, & si caput non habet aliquid, nihil est*. Cúmque originem & radicem & caput baptizati, hominẽ à quo baptizatur, velit intelligi, quid prodest misero baptizato, quòd ignorat quàm malus sit baptizator eius? Ignorat enim se malum habere caput, aut omnino se esse sine capite. Tamen quæ spes est illi, cui siue scienti, siue nescienti caput pessimum, aut nullum est? Nunquid ipsa ignorantia fit ei caput, cui suus baptizator vel malum caput, vel nullum est? At hoc quisquis putauerit, verè sine capite est. Nos ergo quærimus, quia dixit iste: *Qui fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum*: statimque connexuit, dicens: *Omnis enim res origine & radice consistit, & si caput non habet aliquid, nihil est*.

CAP. V. QVÆRIMVS itaque, nos cùm ille baptizator perfidus sarcet, & si tunc ille, quẽm baptizat, fidem percipit, non reatum, si tunc ei non est baptizator eius origo & radix & caput, quis est à quo accipit fidẽ? vbi est origo de qua oritur, vbi radix vnde germinat, vbi caput, vnde incipit? An fortè cùm baptizantẽ perfidũ ille qui baptizatur ignorat, tunc Christus dat fidẽ, tunc Christus est origo & radix & caput? O humana temeritas & superbia: cur non finis potius vt semper Christus det fidem, Christianum dando facturus? Cur non finis vt semper sit Christus origo Christiani, in Christo radicem Christianus insigat, Christus Christiani sit caput? Neque enim etiam cùm per sanctum & fidelem dispensatorem gratia spiritalis credentibus impertitur, dispensator ipse iustificat, ac non ille vnus de quo dictum est, quòd iustificat impium? Aut verò apostolus Paulus caput est & origo eorum, quos plantauerat, aut Apollo radix est eorum, quos rigauerat: ac non ille, qui eis in credendo fidem dederat, cùm idem dicat: Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Nec radix eorum erat ipse, sed potius ille qui ait: Ego sum vitis, vos estis sarmenta. Caput etiam eorum quomodo esse poterat, cùm dicat, nos multos vnum esse corpus in Christo, ipsumque Christum caput esse vniuersi corporis, pluribus locis apertissimè prædicet?

Rom. 4. 1. Cor. 3. Ioann. 15.

CAPVT VI. QVAPROPTER siue à fideli, siue à perfido dispensatore sacramentum baptismi quisque percipiat, spes ei omnis in Christo sit, ne sit maledictus qui spem suam ponit in homine: alioquin si talis quisque in gratia spirituali renascitur, qualis est ille à quo baptizatur, & cùm manifestus est qui baptizat homo bonus, ipse dat fidem, ipse origo & radix caputque nascentis est: cùm autem latet perfidus baptizator, tunc quisque à Christo percipit fidem, tunc à Christo ducit originem, tunc in Christo radicatur, tunc Christo capite gloriatur: optandum est ab omnibus qui baptizantur, vt baptizatores perfidos habeant, & ignorent eos. Quamlibet enim bonos habuerint, Christus est vtique incomparabiliter melior, qui tunc erit baptizati caput, si perfidus lateat baptizator.

CAPVT VII. QVOD si dementissimum est credere (semper enim Christus iustificat impium, faciendo ex impio Christianum, semperà Christo percipitur fides, semper Christus est origo regeneratorum & caput ecclesiæ) quid habent ponderis illa verba quæ vani lectores non attendunt quid intus habeant, sed tantum quemadmodum sonent? Qui autem non aure sola excipit voces, sed & mente sententias intuetur, cùm audierit, *Conscientia dantis attenditur quæ abluat accipientis*, respondebit: Sæpe mihi ignota est humana conscientia, sed certus sum de Christi misericordia. Cùm audierit: *Qui fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum*, respondebit: Non est perfidus Christus, à quo fidem percipio, non reatum. Cùm audierit, *Omnis res enim origine & radice consistit: & si caput non habet aliquid, nihil est*, respondebit: Origo mea Christus est, radix mea Christus est, caput meum Christus est. Cùm audierit: Nec quicquam bene regenerat, nisi bono semine regeneretur, respondebit: Semen, quo regeneror, verbum Dei est, quod obaudienter audire sum monitus, etiam si ille, per quem audio, quæ mihi dicit ipse non facit, dicente Domino, & me securum faciente: Quæ dicunt, facite: quæ faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Cùm audierit: *Quæ potest esse peruersitas, vt qui suis criminibus reus est, alium faciat innocentem?* respondebit: Me innocentem non facit, nisi qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Non enim in ministrum, per quem baptizor, credo, sed in eum qui iustificat impium, vt deputetur mihi fides ad iustitiam.

Matth. 23.

CVM audierit: *Arbor bona, bonos fructus facit, arbor mala, malos fructus facit: nũquid colligunt de spinis vuas? Et omnis bonus homo de thesauro cordis sui profert bona, & malus homo de thesauro cordis sui profert mala*, respondebit: Hoc ergo bonus fructus est, vt arbor bona sim, hoc est, bonus homo, vt præbeam fructum bonum, hoc est, opera bona. Hoc autem non qui plantat & qui rigat, mihi dabit, sed qui incrementum dat Deus. Nam si arbor bona bonus baptizator est, vt fructus eius bonus sit ille, quem baptizauerit: quisquis ab homine malo etiam non manifesto fuerit baptizatus, bonus esse non poterit. De mala quippe arbore exortus est. Aliud est enim arbor bona, aliud arbor occulta, sed tamen mala. Aut si cùm occulta est arbor mala, quicunque fuerit ab illa baptizatus, non de illa, sed de Christo nascitur, sanctius iustificantur qui baptizantur ab occultis malis, quàm qui baptizantur à manifestis bonis.

CAPVT VIII. Matth. 12. infrà lib. 2. cap. 6. 1. Cor. 3.

ITEM cùm audierit, *Qui baptizatur à mortuo, non ei prodest lauatio eius*, respondebit, Viuit Christus, iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur. de quo dictum est: Ipse est qui baptizat in Spiritu sancto. Baptizantur autem à mortuis, qui baptizantur in idolorum templis. Non enim & ipsi à sacerdotibus suis se accipere arbitrantur sanctificationem quam putãt, sed à diis. Qui quoniam homines fuerunt, & ita mortui sunt, vt neque super terras, neque in requie cæli sint, verè ipsi à mortuis baptizantur, & si quo alio modo ista sanctæ Scripturæ verba veraciter quæri, ac salubriter discuti & intelligi possunt. Nam si hoc loco mortuum intellexero peccatorem baptizatorem, eadem illa consequetur absurditas, vt quisquis etiam à latente impio fuerit baptizatus, tanquam à mortuo baptizatus inaniter lotus sit. Non enim ait: Qui baptizatur à mortuo manifesto: sed absolutè dicit, à mortuo. Ac si mortuum quemque tunc putant, cùm eum peccatorem sciunt: viuere autem, etiam si sceleratus in eorum communione astutissimè lateat: primò execrabili superbia sibi plus arrogant, quàm Deo tribuũt, vt cùm eis peccator notus est, mortuus appelletur: cũ autem Deo notus est, viuus existimetur. Deinde si peccator ille dicẽdus est mortuus, qui est hominibus cognitus, de Optato quid responsuri sunt, quem sceleratum longo tempore sibi notum damnare timuerunt? Cur qui ab illo baptizati sunt, non dicuntur à mortuo baptizati? An ideo viuebat, quòd fides illi comes erat? Quod facerè & eleganter à nescio quo †primario collega suo dictum solent etiam ipsi iactare atque laudare, non intelligentes †exitum Goliæ superbissimi, suo sibi gladio caput auferri.

CAPVT IX. Eccles. 34. Rom. 6. infrà lib. 2. cap. 7 Ioannis 1. Vide castigationes. al. Primiano Vide infrà lib. 2. ca. 2. & 33. 103. 1. Reg. 17. or. exitu.

POSTRE-

CAP. X. POSTREMO si neque occultum sceleratũ, neque manifestum, qui tamen ab eis nondum damnatus sit, volunt appellare mortuũ, sed & manifestũ & damnatum; vt quisquis ab eo baptizatur, ipse à mortuo baptizetur, & nihil ei prosit lauacrũ eius: quid dicturi sunt de iis, quos plenarij concilij sui ore veridico cum Maximiano & cæteris eius ordinatoribus damnauerunt, Felicianum dico Mustitanũ, & Prætextatum Assuritanum, de quibus interim loquor, qui numerantur inter duodecim Maximiani ordinatores, & erectores altaris contra eorũ altare, cui Primianus assistit? Isti certè ab eis inter mortuos deputantur. Testis est illius cõcilij eorum videlicet præclara sententia, quæ quondã quando apud eos decernẽda recitata est, ore lætissimo accelamauerunt: nũc autẽ si fortè eis à nobis recitata fuerit, obmutescant; cùm potius non eam deberẽt primò gaudere disertam, ne postea plangerent diffamatã. Ibi quippe de Maximianistis à consortio suę communionis exclusis ita dicunt, *quòd veridica vnda in asperos scopulos nonnullorũ naufraga proiecta sunt mẽbra, & Aegyptiorum admodum exemplo, pereuntium funeribus plena sunt litora, quibus in ipsa morte maior est pœna, quòd post extortam aquis vltricibus animam, nec ipsam inueniũt sepulturam*. Ita quidem isti insultant schismaticis suis, vt eos & mortuos & insepultos vocent: sed certè optare debuerant vt sepelirentur, ne de multitudine iacentium in litore cadauerum insepultorum Gildonianus Optatus incedens cum agmine militari, tanquam rapidus fluctus vltrà prosiliens, Felicianum & Prætextatum introrsus postea resorberet.

Bagaiense Donatistarũ concilium.

CAPVT XI. AQVIBVS quæro, vtrum ad eorum pelagus commeando reuixerunt, an adhuc ibi mortui manent? Si enim nihilominus cadauera sunt, nec aliquo modo prodest eis lauacrũ qui ab istis mortuis baptizantur. Si autẽ reuixerũt, quomodo prodest lauacrum illis, quos cùm exanimes iacerent, foris antea baptizarent, si eo modo quo putant intelligendũ est: Qui baptizatur à mortuo, quid ei prodest lauacrũ eius? Eos enim quos Prętextatus & Felicianus, cùm adhuc Maximiano cõmunicarent, baptizauerunt, nunc secum non rebaptizatos cum eisdẽ baptizatoribus suis, hoc est, Feliciano & Prætextato intus habẽt permixtos cõmunioni suæ: cuius facti occasione, si non suæ pertinaciæ principatum fouerent, sed spiritalis suæ salutis tam certum exitium cogitarent, euigilare vtique deberẽt, & animi sanitate recepta in pace catholica respirare, si tumore superbiæ posito, & pertinaciæ furore superato, vellẽt attendere quàm immani sacrilegio transmarinarũ ecclesiarũ, quas primæuas sitas ex sanctis libris accepimus, baptismus execretur, & Maximianistarum, quos ore proprio damnauerunt, baptismus recipiatur.

Execror, passiuè vsurpatum.

CAPVT XII. IPSI verò fratres nostri memoratarum ecclesiarũ filij, quid ante tot annos in Aphrica gestum sit, & tunc nescierunt, & modò nesciunt, vnde illos crimina, quæ ab eorũ parte Aphris obiecta sunt, etiam si vera essent ignorantes, contaminare non possent: isti autẽ palam separati atque diuisi, cùm Primiani ordinationi etiam interfuisse dicantur, Primianum damnauerunt, alium episcopum contra Primianũ ordinauerunt, extra Primianum baptizauerũt, post Primianum rebaptizauerunt: cumque suis foris à se baptizatis, & intus à nullo rebaptizatis, ad Primianũ redierunt. Si tãta Maximianistarum cõiunctio Donatistas non maculat, quomodo Aphrorum fama potuit maculare peregrinos? Si in pacis osculo sine crimine coeunt labia, quę seinuicem damnauerunt, cur in ecclesiis valde eorũ iudicio remotissimis trans mare ab eis quisque damnatus non vt fidelis catholicus osculatur, sed vt paganus impius exufflatur? Quòd si pacẽ receptis Maximianistis pro sua vnitate fecerũt, ecce non reprehẽdimus, nisi quòd suo se iudicio iugulant, vt cùm pro vnitate cõcisionis suę à se rursus concisa recolligant, ipsam concisionem suam veræ vnitati resarcire contemnant.

CAPVT XIII. SI pro vnitate partis Donati in nephario schismate baptizatos nemo rebaptizat, & rei tanti sceleris, vt eos in cõcilio suo antiquis illis authoribus schismatis, quos viuos terra absorbuit, compararent, aut separati non puniũtur, aut damnati in integrum restituuntur cur non pro vnitate Christi, quæ toto terrarum orbe diffusa est, de quo prædictum est, quòd dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terræ: & quod prædictũ est, videtur ac probatur impleri: cur ergo non pro ista vnitate vera & plenaria, lex illius hæreditatis agnoscitur, quæ de communibus codicibus personat, Dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ? Pro Donati vnitate non coguntur reuocare quod disperserũt, sed admonentur exaudire quod clamant Scripturæ: cur non intelligunt id secũ actum misericordia Dei, vt quoniã catholicam ecclesiã falsis criminibus accusabãt, quorum quasi contagione nimia sanctitatẽ suam cõtaminare nolebant; vera & maxima crimina plenarij cõcilij sui veridico, sicut dicunt, ore damnata, rursus recipere per Optati Gildoniani regnum, & sibi sociare cogerentur. Iam tandẽ sentiant quemadmodũ veris suorum sceleribus impleantur, qui in fratres suos falsa cõfingunt, quæ si etiam vera dixissent, iam tandẽ sentire deberent quanta sint pro pace toleranda, & pro pace Christi redire ad ecclesiam, quæ non damnauit incognita, si pro pace Donati placuit reuocare damnata.

Psal. 71. Psal. 2.

CAPVT XIIII. ITAQVE nobis fratres, hoc vnum quod de Maximianistis apud eos factũ est, ad eos admonendos corrigendosq; sufficiat, non vetera †arcana discutimus, non antiqua armaria ventilamus, non ad longinquas terras nostram probationẽ transmittimus, sed sequestramus omnia nostrorum documenta maiorum, deferimus testimonia toto terrarum orbe clamantia.

for. archiua

CAPVT XV. ECCE Mustitana & Assuritana ciuitates supersunt aliis adhuc in hac vita & in hac prouincia, qui se disiũxerunt, & à quibus disiuncti sunt, qui altare erexerũt, & contra quos erexerunt, qui damnauerunt, & qui damnati sunt, qui receperunt, & qui recepti sunt, qui foris baptizati sunt, & intus rebaptizati non sunt: si hęc pro vnitate maculant, maculati comprimant vocem: si hæc pro vnitate non maculãt, correcti auferant litẽ.

CAPVT XVI. IAM verba epistolæ suæ ille qui ipse scripsit, irrideat, qui vsurpato indoctè ac mendaciter testimonio, quo scriptum commemorat: *Qui baptizatur à mortuo, quid ei prodest lauatio eius?* conatur nobis ostẽdere, quatenus traditor vita mortuus habeatur. Et adiungit, dicens: *Mortuus est ille qui baptismo vero nasci non meruit: mortuus est ille similiter, qui iusto baptismo genitus, mixtus est traditori*. Si ergo Maximianistæ mortui nõ sunt, cur in plenario cõcilio suo dicunt, quòd *Aegyptiorũ admodum exemplo pereũtium funeribus plena sunt litora?* Si autẽ mortui sunt, vnde† venit baptisma quod dederunt? Deinde si Maximianus mortuus non est, quare post illum rebaptizatur? Si autẽ mortuus est, quare cum illo non est mortuus Felicianus Mustitanus ordinator eius, & cum nescio quo traditore Aphro collega mori potuit transmarinus: aut si & ipse mortuus est, vnde cum illo apud te viuunt intus non rebaptizati, qui ab illo mortuo foris sunt baptizati?

Eccl. 34. Infrà lib. 2. cap. 7. al. vitiit

CAPVT XVII. DEINDE subiunxit, *Ambo vitam baptismi non habent, & qui nunquam penitus habuit; & qui habuit & amisit*. Nunquam ergo habuit, quem Maximianista Felicianus aut Prætextatus foris baptizauerunt, ipsi autem quod habuerunt, amiserunt. Quando ergo isti cum suis recepti sunt, quis dedit eis, quos baptizauerunt, quod non habebant: & quis ipsis reddidit quod amiserant? Si autem formam baptismi secum abstuleruntur, ipsam autem virtutem baptismi per malũ schi-

Infrà lib. 2. cap. 7.

sma

sma non amiserunt, cur ipsam formam, quæ semper & A vbique sancta est, exufflas in catholicis quos non audisti, & in Maximianistis amplecteris quos punisti? Quicquid autem de Iuda traditore criminosè sibi dicere visus est, ad nos quid pertinet, qui neque ab eis probamur traditores, neque si aliquorum ante nos in nostra communione defunctorum traditio probaretur, nec ipsa nos improbata & displicens nobis aliqua ex parte macularet? Si enim ipsi damnatis à se criminibus & receptis non maculantur, quanto minus nos auditis & improbatis maculari poterimus? Quantúlibet ergo in traditores inuehatur, totidé verbis eos & à me deputet accusari. Sed sanè distinguo, quia ille apud me arguit eum quem iam olim defunctum mea cognitio non iudicauit: ego eius lateri cohærétem ostendo, quem à se damnatum, vel certè sacrilego schismate separatum, sine vlla honoris eius diminutione suscepit.

Infrà lib. 2. cap. 8.

CAPVT XVIII. NEQVISSIMVS, inquit, *traditor nobis legem seruantibus persecutor & carnifex extitisti.* Si legem seruauerunt Maximianistæ, cùm à te separati sunt; sis & tu seruator legis, cùm ab ecclesia, quæ in toto orbe diffusa est, separatus es. Quod si de persecutionibus agis, ci tò respondeo: Si aliquid iniquè passi estis, non pertinere ad eos, qui talia facientes quamuis improbent, pro pace tamen vnitatis laudabiliter tolerant. Quapropter non habes quod obiicias frumentis Dominicis paleam vsque ad ventilationem vltimam sustinentibus, à quibus tu nunquam recessisses, nisi leuior palea vento tentationis, & ante aduentum vétilatoris auolasses. Sed vt hoc ab vno exemplo, quod ad istorum ora claudenda, & eos si sapiant corrigendos, si autē in peruersitate maneant, confundendos, in eorum facies refudit Dominus, non recedam. Si iustiores sunt qui patiuntur persecutionem quàm illi qui faciunt, iidem Maximianistæ iustiores sunt, quorum & basilica funditus euersa est, & militari Optati comitatu grauiter agitati sunt, & iussiones proconsulis ad omnes eos de basilicis excludendos, à Primianistis impetratæ manifestæ sunt. Quapropter si imperatoribus eorum cōmunionem detestantibus ad persequēdos Maximianistas tanta sunt ausi, quid facerent si eis per regū cōmunionem aliquid efficere liceret? Si autem vt praues corrigerent, ista fecerunt; & quid mirantur si catholici imperatores maiore potestate vrgendos corrigendosque decernunt eos, qui totum orbem Christianum rebaptizare conantur, cùm causam dissentiēdi non habeant: quandoquidem malos etiam si vera crimina obiicerent, pro pace tamen tolerandos etiam ipsi testantur: quando eos quos damnauerūt cum suis honoribus, & cum foris dato baptismo receperunt, considerent aliquando quid digni sint pati Christianis potestatibus orbis terrarum, hostes Christianæ vnitatis diffusæ toto orbe terrarum. Iam igitur si correctio pigra est, saltem adsit pudor, ne iidem ipsi cùm ea quę scribunt, legere cœperint, risus eos vincat, dum in se non agnoscunt quod videri volunt in aliis, & in se agnoscunt quod aliis obiiciunt.

Quas à Primianistis perpessæ sint Maximianistæ persecutiones.

CAPVT XIX. *Matth. 23. Infrà lib. 2. cap. 14.*

QVID igitur sibi vult quod iste in epistola sua posuit dicentem Dominū Iudæis, *Ideoq; mitto ad vos prophetas & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & flagellabitis?* Nam si seipsos intelligi volunt sapientes & scribas & prophetas, nos autem tanquam persecutores sapientium & prophetarum, quare nobiscum loqui nolunt, cùm ad nos missi sint? Denique iste qui illam scripsit epistolam, cui modò respondemus, si vrgeatur à nobis, vt ei propria manu subscribens suam esse fateatur, fortè non faciat: vsqueadeò timent, ne vlla eorum verba teneamus. Nam cùm eiusdem epistolæ posteriorem partē aliquo modo vellemus accipere, quia totam describere à quibus nobis data est, nequiuerunt: nullus à quo petita est, eam dare voluit, posteaquam cognouerūt nos ei parti, ad quam peruenimus, respondere. Itaque cùm legant quemadmodum Dñs Prophetæ dicat: Exclama vehementer, non est quod parcas, & scribe stylo meo peccata eorū: isti prophetę veri qui missi sunt ad nos, nihil sic timēt, sed cauent ne à nobis eorū clamor audiatur, quod vtique, si vera de nobis dicerent, non timerent: non imeritò, sicut in Psalmo scriptum est, Oppilatū est os loquentium iniqua. Si enim propterea baptismum nostrum non suscipiunt, quia nos sumus progenies viperarū, sicut iste in epistola sua posuit: cur Maximianensium susceperūt, de quibus conciliū eorum sic loquitur, *quòd viperei seminis noxios partus venenati vteri aluus diu texerit, & concepti sceleris vda coagula in aspidū membra tardo se calore vaporarūt.* Nónne de ipsis etiam in eodem concilio consequenter dictū est, *quòd venenum aspidum sub labiis eorum, quorū os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendū sanguinem, contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt*: & tamē & ipsos in honore integro, & ab eis foris baptizatos intus nunc habent?

Esaiæ 58.

Psal. 64.

Psal. 59.

B

QVAPROPTER hæc omnia de progenie viperarū, & de veneno aspidū sub labiis eorum, & alia quę dicta sunt in eos, qui viam pacis non cognouerūt, si verè isti vellēt dicere, ipsi potius sunt, quando eorū baptismū, in quo per concilij sententiā ista dixerunt, propter pacem Donati receperunt, & baptismum ecclesiæ Christi toto orbe diffusæ, vnde in Aphricā ipsa pax venit, ad sacrilegam iniuriā pacis Christi repudiant. Qui ergo sunt potius pseudoprophetæ, qui veniunt in vestimentis ouiū, intus autē sunt lupi rapaces: vtrum ij qui vel nesciunt in catholica malos, & eis innocenter cōmunicant: vel eos quos de area Dñica priusquā ventilator adueniat, segregare non possunt, pro pace tolerāt vnitatis? An ij qui ea quæ in catholica reprehēdunt, in schismate faciunt, & qui in vnitate toleranda ea quæ incerta fugere se fingunt, in sua præcisione manifesta, & à seipsis damnata recipiunt?

CAPVT XX. *Act. 8.*

C

DENIQVE ita dictū est, & hoc etiam ipse cōmemorauit: Ex fructibus eorū cognoscetis eos. Ergo fructus consideremus. Obiicitis traditionē: hanc ipsam multo probabilius eis ipsis obiicimus. Et ne per multa curramus, in eadē Constantiniensi ciuitate Syluanū episcopū maiores vestri in ipso exordio sui schismatis ordinauerunt. Iste cū adhuc esset subdiaconus, manifestissimus traditor municipalibus gestis expressus est. Si & vos aduersus maiores nostros aliqua documenta profertis: æqua cōditio postulatur, vt aut vtraque vera, aut falsa esse credamus. Si vtraque vera sunt, vos estis sine dubio schismatis rei, qui crimina vos fugere in totius orbis cōmunione finxistis, quæ in ipsa particula vestræ concisionis habebatis. Sin autē vtraque falsa sunt; vos estis sine dubio schismatis rei, qui propter falsa crimina traditorū immani separationis crimine maculamini. Quòd si à nobis aliqua, & à vobis nulla, vel à nobis vera, & à vobis falsa proferuntur, non est discutiendū quin penitus vestra ora claudatur.

CAPVT XXI. *Infrà lib. 2. cap. 16.*

Infrà lib. 3. cap. 57. 58. item lib. 3. contra Cresc. cap. 29. 63. & 64. & lib. 4. cap. 56.

D

QVID si vos vera & sancta Christi ecclesia cōuinceret atq; superaret, etiā si nos nulla vel falsa, vos aūt aliqua & vera traditionis documēta teneretis, quid iā vobis restet, nisi vt si vultis, pacē diligatis: si autē non vultis, saltē obmutescatis? Etenim quæcūq; modò proferretis, facillimè & verissimè dicerē, tunc ecclesię plenariæ & catholicæ vnitati, iam per tot gētes diffusæ atq; firmatæ vos ea probare debuisse, vt vos intus essetis, illi autē quos cōuinceretis, pellerētur foras. Quod si conati estis facere, proculdubio probare non potuistis, & victi vel irati vos ab innocētibus, qui damnare incerta non possent, immani sacrilegio separastis. Si autē nec conati estis id agere, nimis execrabili & impia cęcitate vos

CAPVT XXII.

vos à frumentis Christi, quæ per totum agrum, id est, A totum mundum vsque ad finem crescunt, paucis in Aphrica zizaniis offensi concidistis.

CAPVT XXIII. POSTREMO testamentum à quibusdam persecutionis tēpore flammis traditum perhibetur; nunc vndecunque prolatū recitetur. Certè in exordio promissionum testatoris id inuenitur Abrahæ dictū: In semine tuo benedicentur omnes gētes: & hoc quid sit, verax interpretatur Apostolus, In semine, inquit, tuo, quod est Christus. Nullius traditio fidē Dei euacuauit. Cōmunicate omnibus gentibus, & tunc vos testamentū à pernicie flammarum cōseruasse gloriamini. Si autē non vultis, quæ pars potius credenda est, quòd testamento instituerit exurendo, nisi quæ non vult consentire prolato? Quāto enim certius sine aliqua temeritate sacrilega, ille traditoribus successisse iudicatur, qui nunc lingua testamentū persequitur, quod illi flāma persecuti perhibentur? Obiicitis persecutionē: respondent vobis frumenta Dominica, aut iustè factum est, aut palea nostra fecit. Quid ad hæc dicitis? Obiicitis quòd baptismū non habeamus: respondent vobis eadē frumenta Dñica, formam sacramenti etiam intus quibusdam nihil prodesse, sicut Simoni Mago baptizato non proderat, multo magis nihil prodesse iis qui foris sunt: inesse illis decedentibus hinc probatur, quòd redeuntibus non restituitur. Nunquam igitur nisi impudentissimè poteris aduersus ista fruméta clamare, & dicere pseudoprophetas vestitos pellibus ouium, intus autem lupos rapaces, quandoquidem malos in vnitate catholica vel non nouerunt, vel pro vnitate tolerant quos nouerunt.

Genes. 22.

Gal. 3.

B

CAPVT XXIIII. VESTROS autē fructus si consideremus, omitto tyrannicas in ciuitatibus, & maximè in fundis alienis dominationes, omitto furorē Circumcellionū, & prēcipitatorum vltro cadauerū cultus sacrilegos & prophanos, bacchationes ebrietatum, & sub vno Optato Gildoniano decennalē totius Aphricæ gemitū: omitto ista, quia sunt in vobis quidā qui hęc sibi displicere, ac semper displicuisse proclamāt, sed ea se dicūt, quia cōprimere non possunt, pro pace tolerare: vbi se iudicio suo condemnant, quia si amarent pacē, non discinderent vnitatē. Nam quæ tanta dementia est, pacē in ipsa pace velle relinquere, & eā in dissensione velle retinere? Itaque propter eos qui mala eiusdē partis Donati, quæ omnes vidēt & reprehendunt, fingūt se non videre, vsque adeò vt etiā de ipso Optato dicāt, Quid fecit? Quis eum accusauit? Quis cōuicit? Ego nescio, non vidi, non audiui. Propter hos ergo qui se manifesta ignorare confingunt, exorti sunt Maximianistæ, in quibus eis oculi pateant, & ora claudātur, apertè se separant, apertè altare cōtra altare erigunt, apertè in cōcilio sacrilegi & viperæ, & veloces ad effundendū sanguinem, & Dathan & Abiron & Chore cōparandi appellantur, & asperis verbis detestati damnātur, apertè recipiūtur rursus in honoribus suis cū baptizatis suis. Hi sunt fructus eorū pro Donati pace ista facientium, vt pelle ouina se contegant, & Christi pacem in toto orbe terrarum recusantium, vt intus sint lupi rapaces.

Num. 16.

C

CAPVT XXV. *Sermonem ad suos cōuertit.*

NIHIL me prætermisisse arbitror eorū, quæ iste in epistola sua posuit, duntaxat quæ in ea parte, ad quā peruenimus, potui reperire: prodāt etiā reliquam partem, ne fortè ibi sit aliquid quod refelli nō possit. Hæc autē, quæ Dño adiuuante respōdimus, admoneo charitatem vestram, vt non solū petentibus detis, sed etiā non petentibus ingeratis. Respōdeant si quid volūt: & si nobis nolūt, saltē ad suos literas mittant, quæ tamen nobis occultari non iubeāt. Quod si faciunt, apertissimè fructus suos prodūt, quibus lupi rapaces induti pellibus ouiū demonstrentur, qui occultè insidiātur ouibus nostris, & apertè pastoribus respondere formidāt. Nos eis tantūmodo schismatis crimē obiicimus, quo penitus omnes inuoluti sunt; non quorundā eorū crimina, quæ sibi quidā eorum displicere respōdent. Ipsi verò si nobis aliena crimina non obiiciāt, non habent quod obiiciāt, & ideò se à scelere schismatis defendere omnino non possunt: quia siue propter falsa & à se cōficta, siue etiam propter vera, sed tamē palęæ crimina, se ab area Dñica, & ab innocentia frumentorū toto orbe crescentiū, nepharia diremptione separarunt.

D

NISI fortè expectatis à me, vt etiā de Manicheo quæ interposuit, refellantur. Qua in re nobis non displicet, nisi quia pestilētiosissimū & perniciosissimū errorem, id est, Manicheorū hæresim omnino leuissima & propè nulla reprehensione culpauit: quē veritas fortissimis documētis catholica expugnat. Hæreditas enim Christi in omnibus gētibus constituta, aduersus omnes exhæredatas hæreses tuta est: sed sicut ait Dominus: Quomodo potest satanas satanam eiicere: ita Manichæorum errorem quomodo potest Donatistarum error euertere?

CAPVT XXVI. *Infrà lib. 2. cap. 18.*

Matth. 3.

QVAPROPTER charissimi, quanquā multis modis conuictus error iste superetur, nec vlla qualicunq; ratione, sed sola impudentia pertinaci resistere audeat veritati: tamen ne memoriā vestram documentorum oneret multitudo, hoc vnum Maximianistarum factū tenete, hoc in eorum fronte configite, hoc eis ad comprimēdas dolosas linguas in ora coarctate, hoc tanquā tridenti telo velut tricipitem bestiā eorum calumniā trucidate: traditionem obiiciūt, persecutionem obiiciunt, falsum baptisma obiiciūt, de solis Maximianistis ad omnia respondete. Quòd enim maiores eorum tradiderunt sanctos codices flammis, occultū esse arbitrantur: sed cùm sacrilegio schismatis inquinatos in suis honoribus receperunt, hoc certe occultare non possunt. Itē persecutiones violētissimas, quas quibuslibet vbi potuerint faciunt, occultas esse arbitrantur: sed cùm spiritalis persecutio persecutionem superet corporalē, Maximianistas, quos ipsi corporaliter persecuti sunt, & de quibus ipsi dixerunt, Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, in suis honoribus receperunt: hoc certè occultare non possunt.

CAPVT XXVII.

Psal. 13.

POSTREMO baptismi quæstionē, qua miseros fallunt, occultam esse arbitrantur: sed cùm dicant baptismum non habere quotquot præter cōmunionem vnius ecclesiæ baptizantur, Maximianistas cū eis quos extra istorum cōmunionem in schismate baptizarūt, in suis honoribus receperunt: hoc certè occultare non possunt. *At hæc*, inquiunt, *pro pace non maculant, & bonum est rigorem seueritatis ad misericordiā flectere, vt denuo rami fracti inserātur.* Ita ergo tota causa concluditur victa in illis, inuicta pro nobis: quia si nomen pacis ad tolerādos in schismate malos in qualēcunque vmbram defensionis assumitur, proculdubio cùm horrendo scelere, & sine vlla defensione per vnitatem orbis terrarum vera pax ipsa violatur.

CAPVT XXVIII.

HÆC fratres, cum impigra mansuetudine agenda & prædicanda retinete: diligite homines, interficite errores: sine superbia de veritate præsumite, sine sæuitia pro veritate certate. Orate pro eis quos redarguitis atque conuincitis. Pro talibus enim Propheta Deū deprecatur, dicēs, Imple facies eorū ignominia, & quærent nomen tuum Dñe. Quod quidem iam fecit Dominus, vt eorum facies ignominia Maximianistarum apertissimè impleret, superest vt norint salubriter erubescere. Ita enim nomen Domini quærere poterunt, à quo perniciosissimè auersi sunt, dum pro eo suū nomen extollunt. Viuatis & perseueretis in Christo, & multiplicemini, atque abundetis in charitate Dei, & in inuicem, & in omnes dilectissimi fratres.

Orandum pro hæreticis & schismaticis. Psal. 82.

Diui Augustini Episcopi, contra Petilianum & partem epistolæ eius primam, liber primus finitus.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

CONTRA TOTAM EPISTOLAM IPSIVS PETILIANI LIBER II.

CAP. I. PRIMIS partibus epistolæ Petiliani, quas tantum modò inueneramus, satis nos respondisse meminerunt, qui ea legere vel audire potuerunt. Sed quia postea tota est à fratribus inuenta atque descripta, missaque nobis vt vniuersæ respondeamus, non erat defugiendum hoc officium styli nostri: non quia ille nouum aliquid dicit, cui non iam multis modis & sæpe responsum est: sed propter tardiores fratres, qui ea quæ alicubi legerint, ad omnia paria referre non possunt, ita morem geram eis, qui me omnino ad singula respondere compellunt, vt quasi alternis sermonibus in præsentia disseramus: verba ex epistola eius ponam sub eius nomine, & responsionem reddam sub meo nomine, tanquam cùm ageremus, à notariis excepta sint. Ita nemo erit qui me aliquid prætermisisse, aut propter indiscretas personas se non potuisse intelligere conqueratur, simul etiam vt idem ipsi Donatistæ, qui coram nobiscum disserere nolunt, per literas quas suis ediderunt, ita non effugiant respondentem sibi ad singula veritatem, tanquam nobiscum facie ad faciem colloquantur. Ab ipso exordio epistolæ suæ PETILIANVS dixit: *Petilianus episcopus dilectissimis fratribus, compresbyteris & diaconibus ministris per diœcesim nobiscum constitutis in san-*
Rom. 1. *cto Euangelio: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo.* AVGVST. respondit, Agnosco Apostolicam salutationem: videris quid dicas, vnde tamen didiceris quod dicis aduerte. Sic salutat Paulus Romanos, sic Corinthios, sic Galatas, sic Ephesios, Colossenses, Philippenses, Thessalonicenses. Quæ igitur dementia est, cum his ecclesiis nolle communicare pacis salutem, in quarum epistolis didicisti pacificam salutationem.

CAPVT II. PETILIANVS dixit, *Bis baptismà nobis obiiciunt ij qui sub nomine baptismi animas suas reo lauacro polluerunt, quibus equidem obscœnis sordes cunctæ mundiores sunt, quos peruersa munditia aqua sua contigit inquinari.* AVG. respondit, Nec aqua nostra inquinamur, nec vestra mundamur, sed aqua baptismi. In nomine patris & filij & Spiritus sancti cùm datur alicui, nec nostra nec vestra est, sed illius de quo Ioanni dictum est,
Ioannis 1. Super quem videris spiritum sicut columbam descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.

CAPVT III. PETILIANVS dixit, *Conscientia namque dantis attenditur quæ abluat accipientis.* AVG. respondit, De conscientia ergo Christi securi sumus. Nam si quemlibet hominem ponas, incerta erit accipientis mundatio, quia incerta conscientia est abluentis.

CAPVT IIII. PETILIANVS dixit, *Nam qui fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum.* AVG. respondit,
Rom. 4. Non est perfidus Christus à quo fidelis homo fidem percipit, non reatum. Credit quippe in eum qui iustificat impium, vt deputetur fides eius ad iustitiam.

CAP. V. PETILIANVS dixit, *Omnis enim res origine & radice consistit, & si caput non habet aliquid, nihil est: nec quicquam bene regenerat nisi bono semine regeneretur.* AVG. respondit, Quid te pro Christo vis opponere, sub quo te non vis ponere? Ille est origo & radix caputque nascentis, de quo non timemus sicut de homine quolibet, ne fortè sit fictus & pessimus, & de origine pessima oriamur, de pessima radice surgamus, pessimo capiti cõformemur. Quis enim homo de homine securus sit, cùm scriptum est, Maledictus omnis Hierem. 17.
qui spem suam ponit in homine? Semen autem quo regeneramur, verbum Dei est, id est, Euangelium. Vnde Apostolus dicit, In Christo enim Iesu per Eu- 1. Cor. 4.
angelium ego vos genui. Qui tamen etiam non castè annunciantes, Euangelium annunciare permittit, & in hoc gaudet: quia etsi non castè annunciabant, sua quærentes, non quæ Iesu Christi, castum tamen erat quod annunciabant. Et dixerat Dominus de quibusdam talibus, Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt. Si ergo Matth. 23.
castè annunciatur quod castum est, etiam ipse annunciator, quia verbo consociatur, credentem congenerat: si autem ipse non regeneretur, castum tamen sit quod annunciat, nascitur credens non ex ministri sterilitate, sed ex veritatis fœcunditate.

CAPVT VI. PETILIANVS dixit, *Quæ cùm ita sint, fratres, quæ potest esse peruersitas, vt qui suis criminibus reus est,*
B *alium faciat innocentem, dicente Domino Iesu Christo, Ar-* Matth. 7.
bor bona fructus bonos facit: arbor mala malos fructus fa-
cit: nunquid colligunt de spinis vuas? Et iterum, Omnis Matth. 12.
homo bonus de thesauro cordis sui profert bona: & omnis homo malus de thesauro cordis sui profert mala. AVG. respondit, Omnis homo etiam si non sit suis criminibus reus, alterum non facit innocentem, quia non est Deus: alioquin si ex innocentia baptizantis expectatur vt fiat innocentia baptizati, tanto erit quisque innocentior, quanto innocentiorem à quo baptizetur inuenerit: & tanto ipse minus erit innocens, quanto & ille à quo baptizatur. Et si forte contra aliquem tenet odium qui baptizat, hoc & illi qui baptizatur, imputabitur. Vt quid ergo miser currit ad baptismum? Vt ei dimittantur peccata sua, an vt imponantur aliena? An sicut nauis mercatoris alia ponat, alia suscipiat? Arborem autem bonam, & fructum eius bonum, & arborem malam, & fructum eius malum, homines so-
C lemus intelligere, & opera eorum, sicut consequenter ostenditur in verbis quæ tu quoque commemorasti, Bonus homo, de bono thesauro cordis sui profert bona, & malus homo, de malo thesauro cordis sui profert mala. Cùm autem Dei verbum prædicat, Dei sacramentum ministrat, non de suo si malus est, prædicat aut ministrat, sed deputabitur in eis, de quibus dictum est, Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, Matth. 23.
facere nolite. Dicunt enim quæ Dei sunt, faciunt autem quæ sua sunt. Nam si ita est, vt dicis, id est, fructus baptizantium ipsi baptizati existimantur, magnum malum Aphricæ denunciatis, si tot Optati pullulauerunt, quotquot baptizauit Optatus.

CAPVT VII. PETILIANVS dixit, *Et iterum: Qui baptizatur à mortuo, non ei prodest lauatio eius: non mortuum, corpus exanime, nec hominis funus porrectum asseruit esse baptis-*
tam, sed Dei non habentem spiritum, qui mortuo compa-
ratur; sicut alio loco discipulo manifestat, Euangelio pro-
D *testante, ait discipulis eius: Domine permitte mihi sepeli-* Matth. 8.
re patrem meum. Ait illi Iesus, Sequere me, sine mortuos, vt mortuos suos sepeliant. Pater discipuli non erat baptizatus, paganũ paganis addixit, nisi hoc de infidelibus dixerit, mortuus mortuum non potest sepelire. Mortuus igitur quidem non aliqua morte, sed vita sua percussus: nam qui sic viuit vt reus sit, vita mortua cruciatur. A mortuo igitur baptizari, hoc est mortẽ sumpsisse, non vitã. Agendũ nobis & dicendũ est, quatenus traditor vita mortuus habeatur: mortuus est ille qui baptismo vero nasci non meruit, mortuus est ille similiter qui iusto baptismo genitus mixtus est traditori: ambo vitã baptismi non habẽt, & qui nunquã penitus habuit, & qui habuit & amisit. Dicit enim Dominus Iesus Christus, Adueniẽt in eum septẽ spiritus nequiores, Matth. 12.
& erit homo ille deterior priore. AVG. respondit, Diligẽtius quære quomodo dictũ, & quomodo intelligendũ sit testimoniũ quod de scriptura posuisti. Nã quia mor tui so-

tui solent mysticè appellari omnes iniqui, manifestũ A
est: sed Christus, cuius est baptisma verũ, quod propter hominis vitia dicitis falsum, viuit sedens ad dexteram patris, & nec ipsa carnis infirmitate iam morietur, & mors ei vltra non dominabitur: cuius baptismo qui baptizatur, non à mortuo baptizatur: & si fortè ministri operarij dolosi sua quærentes, non quæ Iesu Christi, & Euangelium non castè annunciantes, & Christum per contentionem & inuidiam prædicantes, propter iniquitatẽs suas mortui sunt appellandi, sacramẽtum
Act. 8. tamen Dei viui nec in mortuo moritur. Mortuus enim erat Simõ ille à Philippo in Samaria baptizatus, qui donũ Dei volebat pecunia cõparare, sed viuebat ad eius pœnam baptisma quod habebat. Quàm sit autem falsum quod dicis, *Ambo vitam baptismi non habent, & qui nunquã penitus habuit, & qui habuit & amisit*, hinc licet aduertas: quòd qui baptizati apostatant, & per pœnitentiam redeunt, non eis redditur baptismus, quem si amitteret, redderetur. Mortui sanè vestri quomodo baptizant secundum sensum vestrum? B
an mortui non sunt (vt cætera taceam, & dicam quod omnibus notum atque quotidianum est) ebriosi, cùm
1. Tim. 5. de vidua dicat Apostolus, Quæ autem deliciis agit, viuens mortua est? Deinde in illo concilio vestro, quo Maximianum cum suis authoribus, vel suis ministris damnastis, excidit tibi quàm eloquenter dixeritis, *Aegyptiorum admodum exemplo, pereuntium funeribus plena sunt litora, quibus in ipsa morte maior est pœna, quòd post extortam aquis vltricibus animam, nec ipsam inuenerunt sepulturam?* Et tamen vnus eorum Felicianus vtrũ reuixerit, vos videritis. Secum tamen apud vos intus habet, quos foris mortuus baptizauit: sicut ergo à viuo baptizatur qui viui Christi baptismo induitur: sic à mortuo baptizatur qui mortui Saturni, vel cuiuslibet alterius baptismo inuoluitur: vt interim citò dicamus quomodo verba quæ posuisti, sine cuiusquã nostrũ angustia possint intelligi. Nam sicut accipiuntur à vobis, non vos explicare, sed nos vobiscum implicare contenditis.

CAPVT VIII. PETILIANVS dixit, *Agendum, inquam, nobis dicendumq; est, quatenus perfidus traditor vita mortuus habeatur. Iudas apostolus fuit, cùm traderet Christũ. Idemq; ho-*
nore apostoli perdito spiritaliter mortuus est, suo postea la-
Matth. 27. *queo moriturus, sicut scriptum est, Pœnitet me, inquit, quia tradidi sanguinem iustum, & abijt, & laqueo se suspendit.*
Laqueo traditor peryit, laqueum talibus dereliquit: de quo
Psal. 17. *Dominus Christus clamauit ad patrem, Pater quos dedisti mihi, omnes seruaui, & ex illis nullus peryit nisi filius perditionis, vt impleretur scriptura. Olim namque Dauid sic*
Psal 108. *in eum sententiam dixerat qui esset Christum perfidis traditurus, Episcopatũ eius accipiat alter: sit vxor eius vidua, & filij eius orphani. Ecce quantus est spiritus prophetarum, vt cuncta futura pro præsentibus viderit, vt ante plurima sæcula nasciturus traditor damnaretur. Denique vt dicta sententia compleretur, Episcopatum eius apostoli perditi sanctus Matthias accepit: nemo hinc stolidus, nemo perfidus disputet, triumphum Matthias, non iniuriam retulit, qui de Domini Christi victoria spolium retulit proditoris. Hoc igitur facto Episcopatum tibi quid vendicas hæres ne-*
al. carnaliter *quioris traditoris? Iudas Christum* †*carnalem tradidit, tu*
al. spiritaliter, †*spiritalem, furens Euangelium sanctum flammis sacrile-*
gis tradidisti. Iudas legislatorem tradidit perfidis, tu quasi
2. Mach. 7. *eius reliquias legem Dei perdendam hominibus tradidisti: qui si legem diligeres, vt iuuenes Machabæi, pro Dei legibus necareris. Si nex dici hominũ potest, quos moriendo pro Domino perficit immortales, quorum vnus scilicet fratrum tyranno sacrilego hac fidei voce respondit, Tu quidem scelerate & impie de præsenti vita nos perdis: rex autem mundi qui regnat in æternum, & regni eius nõ erit finis, mortuos nos pro suis sanctis legibus, in æternæ vitæ conseruationẽ resuscitabit. Si hominis mortui testamentum flammis incẽ-*
deres, nónne falsarius puniteris? Quid de te ergo futurum est, qui sanctissimam legem Dei iudicis incendisti? Iudam facti vel in morte pœnituit: te non modò non pœnitet, verumetiam nequissimus traditor nobis legẽ seruantibus persecutor & carnifex existis. AVG. respondit, Vide quid intersit inter vestras maledicas voces, & nostras veridicas assertiones. Attẽde paululum. Ecce exaggerasti crimen traditionis, & inuidiosissimis verbis, velut captiosus inuentor, Iudæ nos proditori comparasti: Ad hoc tibi ego tamen breuissimè respondeo: Non feci quod dicis, non tradidi, falsa obiicis, nunquam id probabis. Nónne omnis iste verborum ingentium fumus repentè dilabitur? An fortè probare conaberis? Hoc ego prius faceres, & deinde in nos tanquam in conuictos quo velles cumulo inuectionis insurgeres. Ecce vna vanitas, audi alteram. Tu ipse cùm de prædicta Iudæ damnatione loquereris, dixisti, *Ecce quantus est spiritus Prophetarum, vt cuncta futura pro præsentibus viderit, vt ante plurima sæcula nasciturus traditor damnare-*
tur: & non vidisti in eadem prophetia stabili & certa B
& inconcussa veritate, qua prædictum est, quòd vnus discipulus traditurus esset Christum, prædictum etiã quòd totus mundus esset crediturus in Christum. Cur attendisti in prophetia hominem qui tradidit Christum, & non ibi attendisti orbem, pro quo est traditus Christus? Quis tradidit Christum? Iudas. Quibus eũ tradidit? Iudæis. Quid ei fecerunt Iudæi? Foderunt, Psal. 21.
inquit, manus meas & pedes, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi verò consideraueruntet & conspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestimẽtum meum miserunt sortem. Quãtum sit ergo quod tanto precio emptum est, in Psalmo ipso paulo post legite. Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ gentium: Quoniam Domini est ἀναστρεπτικ.
regnum, & ipse dominabitur gentium. Quis autẽ potest ad commemoranda cætera de orbe credituro innumerabilia prophetica documenta sufficere? Sed tu C
laudas prophetiam, quia vides in ea hominẽ qui vendidit Christum: nec in ea vides possessionem, quam emit venditus Christus. Ecce altera vanitas. Audi tertiam. Inter multa tuæ inuectionis verba dixisti, *Si hominis mortui testamentum flammis incenderes, nónne falsarius puniteris? Quid de te ergo futurum est, qui sanctissimam legem Dei iudicis incendisti?* Hæc dicens non attẽdisti, quod te vtique mouere deberet, quomodo fieri posset, vt nos testamentum incenderemus, & in ea hæreditate consisteremus, quæ illo testamento conscripta est: vos autem mirum est testamentum seruasse, & hæreditatem perdidisse. Nónne in eo testamento scriptum est, Postula à me, & dabo tibi gentes hæ- Psal. 2.
reditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ? Huic hæreditati communica, & obiice mihi de testamento quod velis. Nam quæ dementia est ideo testamentum tradere te noluisse flammis, vt contra verba litiges testatoris? Nos autem cùm habeamus in ma
nibus gesta Ecclesiastica & municipalia, in quibus legamus eos, qui contra Cæcilianum alterum Episcopum ordinauerunt, potius fuisse diuinorum codicum traditores; non tamen insultamus, non inuehimur in vos, nec sanctarum paginarum cineres in vestris manibus plangimus, nec Macchabæorum flagrantia tormenta sacrilegio vestri tumoris opponimus, dicentes, vestra potius membra quàm Dei eloquia ignibus traderetis. Nolumus enim esse vani vt alienis commissis, quæ aut ignoratis aut improbatis, vobis inanẽ strepitum concitemus. Quòd autem vos à totius orbis communione separatos videmus (quod scelus & maximũ & manifestũ, & omniũ vestrũ est) si exaggerare velim, tẽpus me citius quàm verba deficient. Et hoc tu si defendere velis, ea es obiecturus orbi terrarũ, quæ si obiicien-

iicienda sunt, admones vnde amplius accuseris: si obiicienda non sunt, non defenderis. Vt quid ergo inflaris aduersus me de traditione, quæ nec mea est, nec tua; si manet illud pactum, vt non vobis obiiciamus aliena: si autem non manet, tua potius est quàm mea? Quanquam & manente illo pacto arbitror me iustissimè dicere, vt ille iudicetur socius eius, qui tradidit Christum, qui cum toto orbe se non tradidit Christo.
Galat. 3. Ergo, inquit Apostolus, Abrahæ semen estis, secundũ
Roman. 8. promissionem hæredes. Et iterum dicit, Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Idemque semen Abrahę ad omnes gẽtes pertinere demonstrat ex illo,
Genes. 22. quod Abrahæ dictum est, In semine tuo benedicẽtur omnes gentes. Quapropter puto iustum esse quod postulo, vt testamentum Dei, quod iam olim apertũ est, aliquantum aduertamus, & quem non inuenerimus traditi cohæredem, ipsum iudicemus traditoris hæredem: ille pertineat ad Christi venditorem, qui Christum negat orbis redemptorẽ. Nempe quando se post resurrectionem discipulis demonstrauit, & palpanda
Luce 24. membra dubitantibus prębuit, hoc illis ait, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem. Ecce à qua hæreditate vos alienatis: Ecce cui hæredi resistitis. Itáne verò parceret Christo in terra ambulanti, qui cõtradicit in cælo sedenti? Adhuc non intelligitis, quoniã quicquid nobis obiicitis, sermoni eius obiicitis. Promittitur Christianus orbis, & creditur: impletur, & contradicitur. Cogitate obsecro quid pati pro tãta impietate debuistis, & tamen si quid passi estis nescio, non vidi, nõ feci: tu hodie, qui non pateris vim persecutionis meæ, redde mihi rationem separationis tuæ. Sed iterum ac sæpe dicturus es, quæ si non probas, ad neminem pertinent: si autem probas, ad me non pertinent.

CAPVT IX. PETILIANVS dixit, *His ergo criminibus septus, esse verus Episcopus non potes.* AVG. respondit, Quibus criminibus? Quid docuisti, quid ostendisti? Etsi ostendisses crimina nescio quorũ, quid hoc ad semen Abra-
Genes. 12. hæ, in quo benedicuntur omnes gentes?

CAP. X. PETILIANVS dixit, *Si Apostoli persecuti sunt aliquem, aut aliquem tradidit Christus?* AVG. respondit, Possem quidem dicere ipsum satanam omnibus malis hominibus esse peiorem, cui tamen tradidit Apo-
1. Cor. 5. stolus hominem in interitum carnis, vt spiritus saluus
1. Timoth. 1. sit in die Domini Iesu. Itemque alios, de quibus dicit, Quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare. Et Dominus Christus flagellatos expulit de templo im-
Ioannis 2. probos mercatores, vbi etiam connexum est testimonium Scripturæ dicentis, Zelus domus tuæ comedit me. Ecce inuenimus Apostolum traditorem, Christũ persecutorem. Possem ista dicere, & te in non paruos æstus mittere, vt non querelas eorum qui patiuntur, sed animum eorum qui faciũt, quærere cogereris. Sed hinc noli laborare, non ea dico, sed dico ad semen Abrahæ, quod est in omnibus gentibus, non pertinere, si quid non rectè vobis factum est, fortasse à palea Dominicæ segetis, quæ nihilominus est in omnibus gentibus. Vos ergo reddite rationem separationis vestræ. Sed prius attendite quales habeatis, quos vobis obiici non vultis, & videte quàm iniquè faciatis, cùm aliena facta nobis obiicitis, etsi ea quæ dicitis probaretis. Ita nulla erit ratio separationis vestræ.

CAPVT XI. PETILIANVS dixit, *At enim aliqui dicẽt, Filij non sumus traditoris. Eius est aliquis filius cuius facta sectatur. Hi enim certissimi filij sunt, idemq; parẽtibus similes, quos non ista caro nec sanguis, sed mores & facta parentibus cõsimiles genuerunt.* AVG. respondit, Paulo antè nihil cõtra nos dicebas, nunc etiam cœpisti dicere pro nobis. Hæc enim propositio tua in eo te tenet, vt si nos hodie, cum quibus agis, non conuiceris traditores & homicidas, & si quid aliud criminaris, quicquid tale ostenderis in eis, qui nos tempore præcesserunt, omnino nobis obesse non possit. Quorum enim dissimilia facta habemus, eorum filij esse non possumus. Et vide quò te commiseris: si aliquem fortè etiam nostræ ætatis hominem, & nobiscum viuentem, de aliquo tali reatu fortè conuiceris, nullo modo præiudicat omnibus gentibus, quæ in semine Abrahæ benedicuntur, à quibus tu te separando sacrilegus inueniris: ita (quod fieri non potest) nisi omnes, qui vbique sunt, noueris, omniumque mores & facta non solùm didiceris, sed etiam demonstraueris, & tam mala esse quàm dicis, non habes cur obiicias orbi terrarũ, qui est in sanctis, nescio quos parentes, quibus eos probas esse consimiles. Nec te aliquid adiuuabit, si etiam demõstrare potueris, eos qui tales non sunt, cum eis qui tales sunt su mere sacramenta communia. Primò quia vosipsos respicere debetis, cùm quibus ea celebretis, quibus detis, à quibus sumatis, & vobis eos obiici nolitis. Deinde si filij sunt Iudæ, qui diabolus inter Apostolos fuit, quicunque facta eius imitãtur: cur non filios Apostolorum dicamus, qui nõ facta sua cum talibus, sed Domini sacramenta cõmunicant, sicut Apostoli Dominicam cœnam cum illo traditore sumpserũt? ideo nobis longè dissimiles, quòd hominibus vnitatem seruãtibus hoc obiicitis, quod conscissa vnitate vos facitis?

PETILIANVS dixit, *De seipso Iudæis dicit Dominus Christus, Si non facio facta patris mei, nolite mihi credere.* AVG. respondit, Iam suprà respondi hoc, & verum est, & pro nobis contra vos est. CAPVT XII. Ioann. 10.

PETILIANVS dixit, *Falsidicos & mẽdaces sic identidem obiurgat: Filij diaboli estis, & ab initio enim ille accusator fuit, & in veritate non stetit.* AVG. respondit, Non solemus legere, ille accusator fuit: sed ille homicida fuit. Quærimus autem vnde fuerit diabolus homicida ab initio, & inuenimus, quòd primum hominem occiderit, non gladium stringendo, aut aliquam vim corporaliter infligendo, sed persuadendo peccatum, & à paradisi felicitate deiiciẽdo. Quod tunc paradisus, hoc nunc ecclesia. Diaboli ergo filij sunt, qui homines ab ecclesia seducendo interficiunt. Sicut autem per verba Dei nouimus vbi sit plantatus paradisus, sic per verba Christi vbi sit ecclesia didicimus, Per
Luce 24. omnes, inquit, gentes incipiẽs ab Hierusalem. Ab isto vniuerso ad partem quamlibet quisquis separat hominem, ille diaboli filius & homicida cõuincitur. Sed & verbum, quod ipse posuisti, vt de diabolo diceres, *Ille accusator fuit, & in veritate non stetit:* vide in quos conueniat. Accusatis enim orbem terrarum criminibus aliorum, quos etiam ipsos accusare potius quàm conuincere potuistis, & in veritate Christi non stetistis. Ille enim dicit, Ecclesiam per omnes gentes incipientẽ ab Hierusalem: vos autem in parte Donati. CAPVT XIII. Matth. 3. Matth. 18.

PETILIANVS dixit, *Tertiò quoque similiter persecutorum dementiam hoc nomine appellat, Progenies viperarum, quomodo fugietis iudicium gehennæ? Ideoq; mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & flagellabitis in synagogis vestris, donec veniat super vos omnis sanguis iustus, quem effudistis in terram à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Nunquid verè carnales sunt, filij viperarum, ac non magis mente serpentes, & linguæ malitia, tactuq; mortifero & spiritu veneni flagellantes? Verè viperæ facti sunt, qui insontibus populis mortes morsibus vomuerunt.* AVG. respondit, Hæc si dicam de talibus esse dicta, quales vos estis, respondebitis, proba. Quid enim tu probasti? Aut si eo putas probari quo dicuntur, non opus est eadem repetere. Recita illa ipsa tibi, & à vobis in vos. Ecce & ego probaui, si hoc est probare, & tamẽ disce quid

quid sit probare. Neque enim extrinsecus quæro documenta, vt vos viperas probem. Ecce idipsum viperem est, non habere in ore firmamentum veritatis, sed venenum maledictionis, sicut scriptum est, Vene-
Psal. 138. num aspidum sub labiis eorum. Et hoc quia passim à quolibet in quemlibet dici potest, quasi quæreretur, quorum? continuò subiecit, Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Cùm ergo talia dicitis in homines per totum mundum dispersos, & quos omnino ignoratis, quorum etiam multi nec Cæciliani, nec Donati nomen audierunt: nec auditis in silentio respondentes: Non ad nos pertinet quicquid dicitis, non vidimus, non fecimus, quid loquamini penitus ignoramus. Vos qui nihil aliud vultis quã dicere quod probare omnino non potestis, quid aliud quàm os vestrum maledictione & amaritudine plenũ est? Iam videte vtrum vos possitis ostendere non esse viperas, nisi ostenderetis omnes Christianos omnium gẽtium traditores esse, & homicidas, & nõ esse Christianos. Imò verò etiam si potestis singulorum hominum per totũ orbem diffusorum vitas & facta nosse & ostendere: tamen antequam id faciatis, & temerè ista iactatis, os vestrum vipereum est, os vestrum maledictione & amaritudine plenum est. Ostendite iam si potestis, quem prophetam, quem sapientem, quem scribam occiderimus & crucifixerimus, & flagellauerimus in synagogis nostris. Attendite quanto labore impenso, nullo modo probastis, quòd Donatus & Marculus Prophetæ fuerunt, aut sapientes scribæ, quia non fuerunt. Quod etsi possetis, quid faciatis vt ostendatis à nobis occisos, quos nec nosipsi nouimus, quanto minus orbis terrarum, cui venenoso ore maledicitis? Aut vnde potestis ostendere animum nos habere consimilem interfectoribus eorum, quos nec saltem ab aliquibus interfectos potestis ostendere? Attendite hæc omnia, videte vtrum aliquid horum, vel de orbe terrarũ probare possitis: cui tamen quia maledicere non quiescitis, in vobis vera ostẽditis, quę de illo falsa iactatis. Porrò si nos velimus probare vos esse interfectores prophetarum, nimis longum sit vt per loca singula colligamus, quas furiosi vestri principes Circumcellionum & ipsæ caterue vinolentorum atque insanorum iuuenum ediderint ab initio schismatis vestri, sed & omnino ædere nõ desistant strages † de proximo agro. Proferantur eloquia diuina quæ versantur in manibus & nostris & vestris: eos teneamus interfectores prophetarum, quos contradictores inuenerimus linguis prophetarum. Quid doctius dici potest, quid citius ostẽdi potest? Mitius ageretis traiiciendo ferrum per viscera prophetarum, quàm quòd lingua interficere conamini verba Prophetarum. Dicit Propheta: Commemorabuntur & conuertẽtur ad Dominum vniuersi fines terræ. Ecce agitur, ecce impletur. Vos autem non solùm cõtra id quod dicitur, aures incredulas clauditis, sed etiam contra id quod iam geritur, linguas furiosas exeritis. Audiuit Abraham dictum, In semine tuo benedicentur omnes gẽtes: & credidit, & reputatum est ad iustitiam. Vos videtis factum, & reclamatis: & non vultis deputari vobis ad iustitiam, quod rectè deputaretur, etiam si nondum factum, sed tantummodo dictum non crederetis: Imò non solum non vultis vobis deputari ad iustitiam, sed etiam si quid pro hac impietate patimini, deputari vultis vobis ad iustitiam. Aut si non sunt istæ persecutiones Prophetarum, quia non fiunt ferro, sed verbo: quæ fuit causa, vt diuinitus diceretur, Filij hominum dentes eorum arma & sagittę, & lingua eorum gladius acutus? Sed quando colligam ex Prophetis omnibus omnia testimonia Ecclesiæ toto orbe diffusæ, quæ omnia contradicendo interficere & extinguere conamini? Sed ligati estis, quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ ver-

Donatus & Marculus Circumcellionum magistri: de quibus vide lib. 3. contra Cresc. c. 49.

Psal. De proximo ago.

Psal. 21.

Gen. 22. Rom. 4.

Psal. 56.

Psal. 18.

ba eorum. Verumtamen vnum illud commemorabo ex ore Domini, qui testis est testiũ: Oportebat, inquit, Luce 24.
impleri omnia quę scripta sunt in lege & Prophetis & Psalmis de me. Quæ sint hæc, ipse indicet: Tunc aperuit illis sensum, inquit, vt intelligerent Scripturas, & dixit eis, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorũ per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Ecce quid scriptũ est in lege & Prophetis, & psalmis de Domino. Ecce quid de se, & de Ecclesia ipse Dominus aperuit, se ostendens, illam promittens. Vos autem instanter, manifestis testimoniis resistentes, & ea quia delere non potestis, deprauare conantes: quid faceretis, si inueniretis membra Prophetarum, qui sic sæuitis in eloquia Prophetarum, vt nec Dominum audiatis impletorem, manifestatorem, expositorem Prophetarum? Nam quantum potestis, etiam ipsum cæditis, quando ipsi non † creditis. † al. ceditis.

CAPVT XV. PETILIANVS dixit, *De vobis quoque Dauid persecutoribus hæc dicit, Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorũ. Nónne cognoscent omnes qui operãtur iniquitatem, qui deuorant plebem meã, sicut cibum panis?* AVG. respondit, Sepulchrum patens est guttur eorum, vnde mendaciorum mortes exha- Psal. 5. Psal. 13.
lant. Os enim quod mentitur, occidit animam. Si au- Sap. 1.
tem nihil est verius quàm id quod dixit Christus, Ecclesiam suam per omnes gentes incipientem ab Hierusalem: nihil est mendacius quàm id quod dicitis in parte Donati. Linguæ autem dolosæ sunt eorum, qui cùm facta sua nouerint, non solùm iustos se dicũt esse homines, sed etiam iustificatores hominum, quod de vno dictum est, Qui iustificat impium: & quòd sit iu- Rom. 4.
stus & iustificans. Nam de veneno aspidum, & ore maledictione & amaritudine pleno, satis diximus. Veloces pedes autem ad effundendum sanguinem, etiam Maximianistas habere dixistis, testis est plenarij vestri concilij sententia, totiens gestis procõsularibus & municipalibus allegata. Illi autem neminem quantum arbitrabimus, corporaliter occiderũt. Intellexistis ergo etiam spiritali cæde animarum sanguinem fundi gladio schismatis, quod in Maximiano damnastis? Videte ergo si non sint pedes vestri veloces ad effundendum sanguinem, cùm præciditis homines ab vnitate orbis terrarum, si & hoc in Maximianistis rectè dixistis, quia prę- ciderunt aliquos à parte Donati. Itáne nos viam pacis non cognouimus, qui studemus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: & vos eam nostis, qui sermoni quem Christus habuit post resurrectionem cum disci- Ioan. 20.
pulis suis tam pacifico, vt inde inciperet dicens, Pax vobis, tamen ita resistitis, vt nihil aliud quàm hoc ei dicere cõuincamini, tu quod dixisti de vnitate omnium gentium falsum est: nos quod dicimus de crimine omnium gentium, verum est? Qui dicerent ista, si esset timor Dei ante oculos eorum? Videte itaq; si non ista quotidie dicendo plebem Dei diffusam toto orbe terrarum, tanquã cibum panis dentibus finire conamini.

CAPVT XVI. PETILIANVS dixit, *Monet etiam Dominus Christus, Cauete à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* AVG. respodit, Si abs te quæram, quibus nos fructibus lupos esse rapaces cognoscatis, dicturus es crimina aliena, nec in eis quorum esse dicuntur vnquã probata. Si autẽ tu à me quæras, quibus fructibus vos potius esse lupos rapaces cognoscamus, obiicio schismatis crimẽ, quod tu negabis, ego autem statim probabo: neque enim cõmunicas omnibus gẽ- Matth. 7.

tibus & illis Ecclesiis Apostolico labore fundatis. Hic dicturus es, Non communico traditoribus & homicidis. Respondet tibi semen Abrahæ. Hæc sunt illa crimina, vel non vera, vel non mea. Sed hæc interim sepono, tu ostende Ecclesiam. Iam vox illa mihi sonabit quam in pseudoprophetis vitandã Dominus monuit ostendentibus partes, & ab vniuerso alienare conantibus: Ecce hic est Christus, ecce illic, sed vsque adeo putas veras oues Christi cor nõ habere quibus dictum est, Nolite credere, vt lupum audiant dicentem, Ecce hic est Christus, & pastorem non audiant dicentem, Per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem?

Matth. 24.

Luca 24.

CAPVT XVII.

PETILIANVS dixit, *Sic sic improbe persecutor quocunque te velamine bonitatis obtexeris, quocunque nomine pacis bellum osculis geras, quolibet vnitatis vocabulo hominum genus illicias: qui hactenus fallis ac decipis, verè diaboli filius es, dum moribus indicas patrem.* AVG. respõdit, Hæc à nobis in vos dicta esse reputa, & vt noueris in quos potius conueniant, quę superius dixi cõmemora.

CAPVT XVIII.

PETILIANVS dixit, *Nec adeo mirum, quòd tibi nomen Episcopi illicitè assumis. Hæc est vera diaboli consuetudo, ita demũ decipere si sibimet vendicet vocabulũ sanctitatis, Apostolo prædicante, Nec mirũ est, inquit, quoniã ipse satanas transfigurat se velut angelum lucis, & magistros suos quasi ministros iustitiæ. Nec mirum est ergo quod te falsò Episcopum vocas: Nam & illi angeli perditi, amatores virginum mundanarum, qui carnem corrumpendo corrupti sunt, licet diuinis exuti virtutibus angeli esse desierint, nomen tamen retinent angelorum, sesę semper angelos putant, qui diuina soluti militia in exercitum diaboli similes transierunt, Deo magno clamante, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in æternum, quoniam caro sunt. Quibus reis ac vobis dicet Dominus Christus, Ite in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius. Si angeli mali non essent, diabolus angelos non haberet, quos & sanctus Apostolus in illo iudicio resurgendi à sanctis hominibus dicit esse damnandos: Nescitis quoniam angelos iudicabimus? Si veri angeli essent, iudicium in angelos Dei homines non haberent. Sic quoque Apostoli sexaginta, qui cum Domino Christo duodecim derelictis, à fide apostatæ recesserunt, intantum hominibus miseris adhuc putantur Apostoli, vt ex his Manichæus & cæteri multis diabolicis sectis multas animas implicent, quas vt caperent, † perdiderunt. Nam profectò perditus Manichæus, si tamen non in illis sexaginta fuit, ponendus est, si nomen eius inter duodecim Apostolos continetur, aut in locũ Iudæ traditoris subrogato Mathia, voce Christi ordinatus est tertiusdecimus Paulus, qui sese Apostolum nouissimum memorat, ne quisquis esset posterior, Apostolus crederetur. Sic enim dixit, Ego enim sum nouissimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Nec hic vobis blãdiamini, Iudæus hæc fecerat, licet & vos nobis perniciem vt Pagani faciatis, bellum namque illicitè gerimus, quibus non licet repugnare. Vos enim cupitis vincere nobis occisis, nobis verò victoria est fugere vel occidi.* AVG. respondit, Videris quemadmodum testimonia scripturarum posueris, vel quomodo intellexeris, nihil ad rem de qua nunc agitur. Ad hoc enim certè ista omnia dixisti, vt probares esse falsos Episcopos, sicut falsi sunt angeli & falsi Apostoli. Nouimus & nos, esse falsos angelos & falsos Apostolos & falsos Episcopos, & sicut dicit verus Apostolus, falsos fratres. Sed cum ab vtrisque aduersus inuicem possint ista iactari, probare aliquid opus est, non inaniter loqui. In quos tamen conueniat crimen fallaciæ, recole quæ suprà diximus, & inuenies, ne tædio simus legentibus eadem sæpius repetendo. Etsi tamen quid hoc ad Ecclesiam toto orbe terrarum diffusam, siue quod de palea eius, quæ cum illa per totum mundum est, potueris dicere: siue quod de Manichæo dixisti, vel de cæteris diabolicis sectis. Si enim ad triticum non pertinet quicquid etiam de palea dicitur quæ adhuc cum illo est, quanto minus pertinent ad membra Christi toto orbe diffusa tam olim & tam apertè separata portenta.

Gen. 6.

Matth. 25.

1. Cor. 6.

De Apostolis Manichæorũ, vide August. ad Quodvult. hære. 46.

† Deesse videtur suus.

Locus corruptus.

1. Cor. 15.

2. Cor. 11.

CAPVT XIX. Hactenus priore libro Petiliani litteris, respondetur August. vt testatur ipse in sua lib. 3. cap. 50.

PETILIANVS dixit, *Iubet nobis Dominus Christus, Cùm vos persecuti fuerint homines in ciuitate ista, fugite in alteram. Quòd si in ea vos persequẽtur, fugite in aliam: Amen dico vobis: non consummabitis ciuitates Israel donec veniat filius hominis, Si de Iudæis et paganis nobis præmonet, tu qui Christianum te memoras, dira facta gentilium non debes imitari. An sic Deo seruitis vt vestris manibus occidamur? Erratis erratis, si hoc creditis miseri. Nam non habet Deus carnifices sacerdotes.* AVG. respondit, Fugere de ciuitate in ciuitatem à facie persecutionis, nõ hæreticis vel schismaticis præceptum siue permissum est, quod estis vos, sed prædicatoribus Euangelij cui resistitis vos. Quod & facile probamus: nunc certè in ciuitatibus vestris estis, & nemo vos persequitur. Prodeundum ergo vobis est, & reddenda ratio separationis vestræ. Neq; enim sicut excusatur infirmitas carnis quando cedit violentiæ persecutionis, sic debet & veritas cedere falsitati. Proinde si persecutionẽ patimini, quare nõ dimittitis ciuitates in quibus estis, vt impleatis quod de Euangelio commemoratis? Si autem non patimini persecutionem, quare nobis respõdere non vultis? Aut si timetis fortè, ne cùm respõderitis, persecutionem patiamini, quomodo ergo imitamini eos prædicatores, quibus dictum est, Ecce mitto vos sicut oues in medio luporum? Quibus item dictũ est, Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere? Et quomodo non facitis contra præceptum Petri apostoli, qui ait, Parati semper ad responsionem omni poscenti vos de fide & spe vestra? Postremò quare per violẽtissimas turbas etiam vltro improbi estis Ecclesiis catholicis, vbi poteritis adiuuare quod innumerabilibus exemplis res ipsa indicat? Sed dicitis vos loca vestra defendere, & resistitis fustibus & cædibus quibuscunque potueritis. Quare ibi non audistis vocem Domini dicentis, Ego autem dico vobis non resistere malo? Aut si fieri potest, vt aliquando rectè per vim corporalem resistatur violentis, nec ideo præceptum violetur quod audimus à Domino, Ego autem dico vobis non resistere malo: cur non etiam hoc fieri potest vt per ordinatas & legitimas potestates de sedibus quæ illicitè vsurpantur, vel ad iniuriam Dei retinentur, pius expellat impium, & iustus iniustum? Neque enim eo modo persecutionem passi sunt pseudoprophetæ ab Helia, quomodo ipse Helias à rege nequissimo. Aut quia flagellatus est Dominus à persecutoribus, propterea passionibus eius comparandi sunt quos ipse de templo flagellatos eiecit. Restat ergo vt nihil aliud requirendũ esse fateamini, nisi vtrũ iustè an impiè vos separauerit à cõmunione orbis terrarum. Nam si hoc inuẽtum fuerit quòd impiè feceritis, nõ miremini si non desunt ministri Deo per quos flagellamini: quia persecutionem patimini, non à nobis, sed sicut scriptum est, ab ipsis factis vestris.

Matth. 10.

1. Pet. 3.

23. q. 4. c. qui peccat.

Matth. 5.

3. Reg. 18.

CAPVT XX. Act. 9.

PETILIANVS dixit, *Clamat rursus de cælo Dominus Christus ad Paulum, Saule Saule quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare. Saulus tunc dictus est, vt ei postmodum baptisma componeret nomen. Vobis ergo non durum est Christum totiens persequi, qui in sacerdotibus suis Domino ipso clamante, Ne tetigeritis Christos meos: sanctorum computate tot funera, & viuacem Christum totiens occidistis. Postremò si sacrilegus non sis, sanctus esse non potes homicida.* AVG. respondit, Defendite vosipsos à persecutione quam passi sunt à vestris, qui cum Maximiano se à vobis separauerunt, & illic inuenietis defensionem nostram. Si enim dicitis non vos fecisse, gesta proconsularia & municipalia recitamus: Si dicitis rectè vos illis fecisse, cur ipsi talia pati non vultis? Si dicitis, sed nos schisma non fecimus: hoc ergo quæratur, & antequam constet an ita sit, nemo persecutores accuset. Si etiã dicitis, schismaticos persecutionem pati non debuisse: quæro vtrum & de basilicis, in quibus insidiantur ad seducendos infirmos, expelli per ordinatas potestates non debeant? Si dicitis, nec hoc debere: reddite prius Maximianistis basilicas, & sic nobiscum agite, Si dicitis debere, quærite iam quid pati debeant à potestatibus ordinatis, qui eis resistendo Dei ordinationi resistunt. Vnde apertè Apostolus dicit, Non enim sine causa gladium portat, vindex est enim in iram ei qui malè agit. Quòd si omnino diligenter veritate tractata hoc inuentum fuerit, vt nec per iudicia publica schismatici aliquid pati debeant, nec de locis insidiarum & fallaciarum suarum pelli, & dixeritis vobis displicere, quòd Maximianistæ à quibusdam vestris ista perpessi sunt, cur nõ liberius de toto agro Domini, id est, de toto mundo clamant frumenta Dominica, nec ad nos pertinet quòd zizania vel quod palea nostra committit, quia displicet nobis. Sed vobis sufficere ad purgationem fatemini, quoniam quicquid mali fit à vestris, displicet vobis: quare vos ergo separastis? Hinc enim vos accusat ipsa vestra defensio. Si enim propterea vos ab iniquis partibus Donati non separatis, quia vnusquisq; sarcinam suam portat: cur ab iniquis orbis terrarum quos putatis aut fingitis, vos separastis? An vt sarcinam schismatis omnes pariter portaretis? Et cùm quærimus à vobis, quos vestrum à nostris probetis occisos, nullã quidem legem ab imperatoribus datam vt occideremini recolo. Illi autẽ de quibus maximã inuidiam facere soletis, Marculus & Donatus, vt moderatius dixerim, incertum est vtrũ se ipsi præcipitauerint, sicut vestra doctrina nõ cessat quotidianis exemplis: an verò alicuius potestatis iussu præcipitati sint. Si enim incredibile est magistros Circumcellionum solitas mortes sibimet intulisse, quanto incredibilius potestates Romanas insolita supplicia iubere potuisse? Itaque de hac re quam nimis inuidiosam putatis, si verũ est quod dicitis, quid hoc pertinet ad Dominicũ triticũ? Palea quæ foras volauit, paleam quæ intus remansit accuset: non enim tota poterit, nisi ventilabro vltimo separari. Si autem falsum est, quid mirum si palea tãquam leui flatu dissensionis ablata, etiam Dominicũ triticum falsis insectetur criminationibus? Quapropter de omnibus talibus inuidiosis criminibus hoc vobis frumentũ Christi, quod per agrũ, id est, per totũ mundũ cum zizaniis crescere iussum est, libera & securа voce respõdet, Si nõ probatis quod dicitis, ad neminem pertinet: si autẽ probatis, ad me non pertinet. Ex quo fit vt quicunq; se ab ista vnitate frumenti propter zizaniorũ vel paleæ crimina separauit, propter ipsum dissensionis & schismatis malum, nec ab ipso crimine homicidij se possit defendere, dicente scriptura, Qui odit fratrem suum homicida est.

Aliquid deest. Psal. 104.

Rom. 13.

Lib. 3. contra Cresco. c. 49.

CAPVT XXI. 1. Iohan. 3. Act. 9.

PETILIANVS dixit, *Ergo, vt diximus, Dominus Christus clamauit ad Paulum, Saule Saule, quid me persequeris? durum est tibi contra stimulũ calcitrare. Dixit autẽ Paulus, Quis es Domine? Eiq; responsum est, Ego Christus Nazarenus, quem tu persequeris. Et ille tremens ac stupens dixit, Domine quid me vis facere? Et Dominus ad illum, Surge & intra in ciuitatẽ, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Et interpositis, Surrexit autem Saulus de terra, apertisq; oculis nihil videbat. O vltrix furoris cæcitas, oculorum persequentis lumen obnubilas, solo baptismo recessura! Videamus ergo in ciuitate quid gesit. Introiit, inquit, Ananias ad Saulum, & cũ imposuisset ei manus, ait, Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui visus est tibi in via qua veniebas, vt videas & implearis spiritu sancto. Confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & visum recepit, et surgens baptizatus est. Cùm igitur Paulus à crimine*

persequendi baptismo liberatus, oculos sumpserit innocentes, cur non vis persecutor & traditor cæcus falso baptismate ab iis quos insequeris baptizari? AVG. respondit, Nec persecutorem nec traditorem probas, quẽ vis denuò baptizare. Et si probas aliquem, non est tamen denuò baptizãdus persecutor & traditor, si iam Christi baptismo baptizatus est. Paulum quippe propterea baptizari oportuit, quia nunquam tali baptismo tinctus fuit. Itaq; nihil habet simile ad causãm quã nobiscum agitis, quod de Paulo interponere voluisti. Sed si hoc non interposuisses, puerili declamationi locum non inuenisses, vbi diceres, O vltrix furoris cæcitas, solo baptismo recessura? Quanto enim fortius in vos exclamandum est, O vltrix furoris cæcitas, quę non Paulo comparata, sed Simoni, nec accepto baptismo recedit à vobis? Nam si persecutores ab eis quos persequuntur baptizandi sunt, Primianus à Maximianistis baptizetur, quos instantissimè persecutus est.

CAPVT XXII. Iohan. 13.

PETILIANVS dixit, *At enim constanter opponitis, dixit Apostolis Christus, Qui semel lotus est, non habet causam nisi pedes lauandi, sed est mundus totus. Si verba ista plenè discutias, subsequentibus obtineris. Sic nanque locutus est, dicens, Qui semel lotus est, non habet causam nisi pedes lauandi, sed est mundus totus: & vos mundi estis, sed non omnes. Hoc autem dixit propter Iudam qui cum fuerat traditurus. Quisquis ergo traditor factus es, baptismũ perdidisti. Denique postquam ipse damnatus est traditor Christi, Apostolos vndecim sic plenius confirmauit, Iam vos mũdi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis, manete in me, & ego in vobis. Et iterum his vndecim dixit, Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis. Cùm hæc ergo damnato, vt diximus, traditore, Apostolis vndecim dicta sunt, vos quoque traditores similiter pacem & baptismum non habetis.* AVG. respondit, Si ergo perdidit baptismũ traditor, quisquis à vobis baptizatus postea traditor factus fuerit, si ad vos redire voluerit, denuò baptizetur: quod si non facitis, satis vosipsi iudicatis falsum esse quod dictum est, *Si quis ergo traditor factus es, baptismũ perdidisti.* Si enim perdidit, redeat & recipiat: si autẽ redit & non recipit, non perdiderat. Deinde si propterea dictum est Apostolis, Iam vos mundi estis: &, Pacem meam do vobis: quia iam inde discesserat traditor: nõ erat ergo munda & pacifica cœna illa tanti sacramẽti, quoniam priusquam ille exiret omnibus dedit. Quod si clausis oculis dicere audetis, quid faciamus nisi potius nũc exclamemus, O vltrix furoris cæcitas eorum qui volũt esse legis doctores, sicut dicit Apostolus, nõ intelligentes neq; quę loquuntur, neque de quibus affirmant? Nisi tamen pertinaciæ cæcitas impediret, nõ erat difficilis intellectus, vt videres non dixisse Dominum præsente Iuda, nondum mundi estis: sed iam mundi estis vos: addidit autem, non omnes: quia ibi erat qui mundus non erat, qui tamen si præsentia sua cæteros polluerat, non eis diceretur, Iam vos mundi estis: sed diceretur vt dixi, nondum mundi estis. Postquam verò ille discessit, dixit eis, Iam vos mundi estis: nec addidit, sed non omnes: quia iam discesserat, quo etiam præsente, sicut eis dictũ est, mundi erant, sed nõ omnes, quia erat illic vnus immũdus. Quapropter his verbis magis Dominus declarauit in vno cœtu hominum eadẽ sacramenta sumentium, aliquorum immũditiam mundis obesse non posse. Certè si putatis apud nos esse similes Iudæ, hæc verba nobis dicite, Mundi estis, sed non omnes. Nõ autem hoc dicitis, sed dicitis propter quosdã immundos, immũdi estis omnes. Hoc discipulis Dominus Iuda præsente non dixit: & ideo qui hoc dicit, non dicit à bono magistro quod dicit.

Iohan. 15.

Iohan. 14.

1. q. 1. c. de mundo.

CAPVT XXIII.

PETILIANVS dixit, *Quòd si nos bis baptismum facere dicitis, imò vos facitis qui occiditis baptizatos: nõ quia baptizatis hoc dicimus, sed quia vnũquemq; dum occiditis, sanguine suo facitis baptizari. Etenim baptismũ aquæ vel spiritus*

1. Tim. 1.

ſpiritus, extorto ſanguine martyris quaſi factum eſt gemi-
Matth. 3. *nũ. Sic autem ipſe quoq; ſaluator baptizatus primitus à Io-*
anne, baptizandum ſeſe profeſſus eſt iterum, non iam aqua
nec ſpiritu, ſed ſanguinis baptiſmo, cruce paſsionis: ſicut ſcri-
Matth. 20. *ptum eſt, Acceſſerunt ad eum duo diſcipuli filij Zebedæi di-*
centes, Domine cùm veneris in regnum tuum, fac nos ſede-
re vnum ad dexteram tuam, & alterum ad ſiniſtram tuam.
Reſpondit eis Ieſus, Difficilem rem petitis, Nunquid calicẽ
quem ego bibiturus ſum, poteſtis bibere: & baptiſmo quo ego
baptizor baptizari? Dixerunt illi, Poſſumus. Et ait illis, Ca-
licem quidem quẽ ego bibiturus ſum, bibere poteſtis, & ba-
ptiſmo quo ego baptizor baptizamini: & cætera. Si hæc duo
ſunt baptiſmata, veſtra nos laudatis inuidia, profitemur.
Cùm enim noſtra corpora occiditis, bis baptiſmum facimus,
ſed baptiſmo noſtro & ſanguine baptizamur, vt Chriſtus.
Erubeſcite erubeſcite perſecutores, ſimiles Chriſto martyres
facitis, quos poſt aquam veri baptiſmi ſanguis baptiſta per-
fundit. AVG. reſpondit, Primò citò reſpondemus, quia
non vos occidimus, ſed ipſi vosmetipſos vera morte
occiditis, cùm vos ab vnitatis viua radice præciditis.
Deinde ſi omnes qui occiduntur ſanguine ſuo bapti-
zãtur, omnes latrones, iniqui, impij, ſcelerati qui dãna-
ti feriuntur, martyres habendi ſunt, quia ſuo ſanguine
baptizantur. Si autẽ non baptizantur ſanguine ſuo niſi
qui occiduntur propter iuſtitiam, quia ipſorum eſt re-
gnũ cælorũ: vidiſtis prius eſſe quærẽdum propter quid
patimini, & poſtea quid patimini. Quid ergo buccæ
inflantur antequam facta defendantur? Quid perſtre-
pit lingua antequam probetur vita? Si ſchiſma feciſti,
impius es: ſi impius es, vt ſacrilegus moreris cum pro
impietate puniris: ſi vt ſacrilegus moreris, quomodo
tuo ſanguine baptizaris? An dicis, *Nõ feci ſchiſma?* Hoc
ergo quæramus, Quid antè clamas quàm probas? An
dicis, *& ſi ſacrilegus ſum, à te occidi non debeo?* Alia quæ-
ſtio eſt de atrocitate facti mei, quod nunquam veraci-
ter demonſtras; alia de baptiſmo ſanguinis tui, vnde te
mendaciter iactas. Nam neq; occidi te, nec probas te
ab aliquo occidi: nec ſi probes, ad me pertinet. Qui-
cuqq; te occiderit, ſiue ſecundũ poteſtatem legitimẽ à
Domino datã iuſtè fecerit, ſiue ſicut meſſis Dominicę
palea cupiditate aliqua mala ſcelus admiſerit; ſicut ad
te non pertinet, qui recentibus temporibus cùm into-
lerabili potentatu etiam militibus ibi comitãtibus, nõ
Optatũ Gildonianum intelligit. quia timebat aliquẽ, ſed vt ab omnibus timeretur, vi-
duas oppreſſit, pupillos euertit, aliena patrimonia pro-
didit, aliena matrimonia ſeparauit, res vendẽdas inno-
centum procurauit, venditarum precia cum Dominis
plangentibus diuiſit. Ex me iſta dicere videar, ſi nõ ta-
cito nomine agnoſcitur de quo dicã. Quę ſi vera ſunt,
ſicut ad vos iſta non pertinent: ita nec quicquid dicis,
ad nos, etiam ſi vera diceres. Si autẽ falſa fama de illo
collega veſtro iuſto & innocẽte mẽtita eſt, nullo mo-
do etiã famæ credendũ eſt, quæ de innocentibus tan-
quã de traditoribus codicũ, vel tãquam de interfecto-
ribus hominũ ſeminata eſt. Huc accedit, quia ego illũ
cõmemoro qui vobiſcũ vixit, cuius natalitia tanta ce-
S. Euchariſtia olim in manus dabatur. lebratione frequẽtabatis, cui pacis oſculũ inter ſacra-
mẽta copulabatis, in cuius manibus euchariſtiã pone-
batis, cui viciſſim danti manus porrigebatis, cuius au-
res inter tãtos Aphricæ gemitus ſurdas libera voce of-
fendere timebatis, quẽ neſcio quis veſtrũ, quia vel ex
obliquo vrbaniſſimè tetigit, vt ei diceret quòd Comi-
tem haberet Deũ, ingenti laude ferebatur: Tu autẽ il-
los nobis obiicis cum quibus non viximus, quorum fa
ciem nõ vidimus, quorum ætate vel pueri vel fortaſſe
nondum nati eramus. Quæ eſt iſta tanta iniquitas aut
peruerſitas, velle nobis imponere crimina ignotorũ, cũ
Pſal. 49. vos portare nolitis amicorum? Clamat ſcriptura diui-
na, Videbas furẽ & concurrebas cum eo. Si te non cõ-
taminauit quẽ vidiſti, cur mihi obiicis videre quẽ non
potui? An dicis nõ cũ eo cõcurri, quia facta eius diſpli-

A cebant mihi. Sed nempe ad altare accedebas cum eo.
Age iam vt te defendas, diſcerne iſta, & dic aliud eſſe
cõcurrere in peccatũ, ſicut concurrerunt duo ſeniores
caſtitati Suſannæ inſidiãtes, aliud cũ fure accipere Do
mini ſacramentũ, ſicut Apoſtoli cum Iuda etiã primã
illam cœnã acceperunt. Faueo defenſioni. Sed cur nõ
attẽdis quãto facilius in hac tua defenſione abſolueris
gẽtes & terminos terræ, qua hæreditas Chriſti diffun-
ditur? Si enim potuiſtis furẽ videre, & cum fure viſo ſa
cramenta cõmunicare, tamen peccatũ non cõmuni-
care: quãtò minus potuerunt remotiſſimę nationes cũ
Aphris traditoribus vel perſecutoribus, etiã ſi verã di-
ceretis & oſtenderetis, malefacta habere communia,
quãuis cum eis tenerẽt ſacramẽta cõmunia? An dicis,
ego vidi illũ Epiſcopum, furẽ verò illum non vidi. Dic
quod vis, etiam huic faueo defenſioni, & in hac abſo-
lutus eſt à veſtris criminationib. orbis terrarũ. Si enim
vobis licuit cogniti hominis ignorare vitam, cur toti
B mũdo ignotos ignorare non ſinitur? niſi fortè Donati-
ſtis licet neſcire quod ſcire nolunt, gentib. nõ licet ne-
ſcire quod ſcire nõ poſſunt. An dicis, aliud eſt furtũ, a-
liud traditio vel perſecutio? Concedo aliud eſſe, neo
modo laborandũ eſt quid interſit oſtẽdere. Attẽde cõ-
pendiũ. Si te ille nõ fecit furẽ, quia tibi nõ placet furtũ:
quis poteſt facere traditores aut homicidas eos quibus
diſplicet ſiue traditio ſiue homicidiũ? Prius igitur cõ-
fitere te eſſe quicquid mali fuit Optatus quẽ noueras:
& vel ſic mihi obiice quicquid mali fuerunt quos ego
nõ nouerã. Nolo mihi dicas, illa magna ſunt, iſta par-
ua. Prius enim oportet fatearis ipſa parua de te, non vt
ego quoq; fatear, ſed vt vel ſinam te dicere neſcio quæ
magna de me. Optatus quẽ noueras, fecit te furẽ, quia
collega tuus fuit, an nõ fecit? Reſpõde vnũ de duobus.
Si dicis nõ fecit: quæro cur non fecit, quia nec ipſe fur
fuit? an quia neſcis? an quia tibi diſplicuit? Si quia nec
ipſe fuit, multo magis illos de quib. nos arguiſtis tales
C fuiſſe, quales dicis, credere nõ debemus. Si enim de O-
ptato nõ eſt credendũ quod & Chriſtiani & Pagani &
Iudæi, poſtremò & noſtri & veſtri dicũt, quãto minus
credendũ eſt quod vos de aliquo dicitis? Si quia neſcis,
reſpõdẽt tibi omnes gẽtes, multo magis nos neſcimus
quicquid de illis obiicis nobis. Si quia tibi diſplicuit,
eadẽ tibi voce reſpondẽt, quãuis nunquã probaueris,
talia tũ diſplicẽt nobis. Si aũt dicis, ecce me furẽ fecit,
Optatus ille quẽ nouerã, quia & collega meus fuit, &
cũ illo ad altare accedere ſolebã cũ iſta cõmitteret, ſed
nõ curo, quia leue eſt peccatũ: te autẽ illi traditorẽ ho-
micidamq; fecerũt. Reſpõdeo, nõ me cõcedere vt ego
quoq; traditor & homicida factus ſim peccatis alienis,
quia tu te alieno peccato furẽ factum eſſe cõfeſſus es:
Gal. 6. neq; enim iudicio noſtro, ſed ore tuo fur factus es. Nos
enim diciuus vnũquẽq; ſarcinã ſuã portare, ſicut Apo
ſtolus teſtis eſt: tu verò non quia furtũ feciſti, vel furto
conſenſiſti, ſed quia id quod alius fecit ad te pertinere
exiſtimaſti, ſub ſarcina Optati vltro tuos humeros
D ſubdidiſti. Nam ſicut Apoſtol. ait cùm de cibis loque-
retur, Scio & confido in Domino Ieſu, quia nihil cõ-
mune per ipſum, ſed ei qui exiſtimat aliquid cõmune
eſſe, illi cõmune eſt. Eadẽ regula dici poteſt, aliena pec Rom. 14.
cata ad eos non pertinere quibus diſplicent: ſed ſi quis
exiſtimat ad ſe pertinere, pertinent ad eum. Quapro-
pter tu nos nõ tenes traditores, nec homicidas, etiã ſi
aliquid tale probes de iis qui nobiſcũ ſacramenta com
municant: te autẽ etiã ſi tibi diſpliceat quicquid fecit
Optatus, furẽ tamẽ tenemus, nõ per calumniã noſtrã,
ſed per ſententiã tuã. Et ne putes hoc leue eſſe, Apoſto
lũ lege dicentẽ, Neq; fures regnũ Dei poſſidebũt. Qui 1. Cor. 6.
autem regnũ Dei nõ poſſidebunt, nõ erũt vtiq; ad de-
xterã inter illos, quib. dicetur, Venite benedicti patris Matth. 25.
mei, percipite regnũ quod vobis paratũ eſt ab origine
mundi. Si ibi non erunt, vbi erunt niſi ad ſiniſtrã? Inter
illos

illos ergo quibus dicetur, Ite in ignem æternum, qui
A paratus eſt diabolo & angelis eius. Fruſtra ergo te ſe-
curum facis, leue putãdo peccatum quod à regno Dei
ſeparat, & in ignem mittit æternum. Quanto melius
Gal. 6. ad veram confeſſionem cõfugies, & dices, Vnuſquiſq;
noſtrum proprium onus portabit, & à tritico paleam
ventilabrum vltimum ſeparabit? Sed videlicet times,
ne ſtatim tibi dicatur, Cur ergo dum aliis aliena onera
conãmini imponere, auſi vos eſtis ante vltimum ven-
tilabrum à totius mundi Dominica ſegete ſeparare?
Itaq; vos, quibus diſplicent facta veſtrorum, dum ca-
uetis ne vobis obiiciatur ſchiſma quod omnes feciſtis;
etiam peccatis vos implicatis, quæ vos non feciſtis:
& dum timet diſertus Petilianus, ne mihi liceat di-
cere, non me eſſe talem qualem fuiſſe putat Cæci-
lianum, ipſe cogitur dicere eſſe ſe talem qualem fuiſſe
nouit Optatum. An tu nõ es talis, qualem illum fuiſſe
Aphrica tota conclamat? Nec nos ergo tales ſumus
quales illos quos nobis obiicitis, vel error veſter ſuſpi-
catur, vel furor infamat, vel veritas probat: multo mi-
B nus talia ſunt per omnes gentes frumenta Dominica,
quæ iſtorum nec nomen audierunt. Nulla igitur cau-
ſa eſt, cur tanto ſcelere ſeparationis & ſacrilegio ſchi-
ſmatis pereatis: & tamen ſi quid pro hac tanta impie-
tate diuino iudicio patiamini, etiam baptizari vos ve-
ſtro ſanguine dicitis: vt parum ſit quòd dimiſſi non
compungimini, niſi etiam puniti gloriemini.

CAPVT XXIIII. PETILIANVS dixit, *At enim in eodem perduratis.*
Ioan. 13. *Qui ſemel lotus eſt, non habet cauſam niſi pedes lauandi.*
Semel eſt quod habet authorẽ, ſemel eſt quod veritas firmat.
AVG. reſpondit, Baptiſmus in nomine patris & filij &
Matth. 28. ſpiritus ſancti Chriſtum habet authorem, nõ quẽlibet
hominem: & Chriſtus eſt veritas, non quilibet homo.

CAPVT XXV. PETILIANVS dixit, *Nam cùm reus falſa committas, bis baptiſma ego non facio, quod ſemel ipſe non facis.*
AVG. reſpondit, Nec reos nos probas, & ſi reus bapti-
ſmo falſo baptizat, non habent verum baptiſmũ quot-
quot ab eis baptizantur, qui apud vos non ſolùm ma-
C niſeſti, ſed etiã occulti iam rei ſunt. Si enim rem Dei
dat qui baptiſmum dat, cùm iam Deo reus eſt, quo-
modo rem Dei dat, ſi reus verum baptiſmum nõ dat?
Sed enim expectatis, vt & vobis reus ſit, quaſi quod da
turus eſt veſtrum ſit.

CAPVT XXVI. PETILIANVS dixit, *Nam ſi veris falſa permiſceas,*
ijſdem ſæpe veſtigiis verum falſitas imitatur. Sic ſic homi-
nem ſimulat naturæ pictura verum, quæ coloribus exprimit
falſas facies veritatis: Sic ſic ſpeculi nitor vultum rapit, vt
reuocet oculos intuentis: Sic ſic offert proprios venientibus
vultus, vt ipſa ſibimet inuicem facies venientis occurrat:
tantumq; valet † immunda fallacia, vt ipſi ſe, qui præuiden-
dent oculi, quaſi in altero ſeſe cognoſcant: Ipſa quoque vm-
bra cùm ſteterit, imagines geminat magna ex parte, menda-
cio diuidens vnitatem. Nunquid ideo verum eſt, quia figura
mentitur? Sed aliud eſt hominem pingere, aliud generare.
Nam quis patri filios exoptanti falſos fingit infantes, aut
quis picturæ mẽdacio veros hæredes expectet? Profectò de-
mentis eſt animi, dimiſſo eo quod verum eſt, amare picturã.
AVG. reſpondit, Itane non erubeſcis, etiam ſi in ho-
mine fallaciſſimo fuerit, baptiſmum Chriſti falſitatẽ
vocare? Abſit quidem vt Dominicum frumentũ quod
per totũ agrum, id eſt, hunc mundũ, vſque ad meſſem,
id eſt, in finẽ ſeculi inter zizania creſcere iuſſum eſt, ve
ſtris maledictis interiiſſe credatur. Veruntamen & in
ipſis zizaniis quæ vſque in finem non colligi, ſed tole-
rari præcepta ſunt: & in ipſa palea quæ non niſi vltimo
vẽtilabro tota ſeparabitur: audet quiſq; dicere falſum
eſſe baptiſma quod in nomine patris & filij & ſpiritus
ſancti datur & ſumitur? Quos teſtimonio grauidaru
feminarum conuictos vel collegas vel presbyteros ve-
ſtros ab honore deponitis, quandoquidem iſta exem-
pla vbique non deſunt, quæro antequam conuincerẽ-

† For. humana vt pan'o noſt. Auguſt. legiſſe videtur.

A tur, vtrum fallaces fuerint an veraces? Reſpondebis
vtique fallaces. Cur ego verum baptiſmum & habe-
bant & dabant? Cur in eis diuinam veritatem nõ cor-
rumpebat humana fallacia? Nõnne veriſſimè ſcriptũ
eſt, Sanctus enim ſpiritus diſciplinæ effugiet fictũ? Fi- Sap. 1.
ctos ergo iſtos cùm ſpiritus ſanctus fugeret, cur apud
eos baptiſmi veritas erat, niſi quia ſpiritus ſanctus ho-
minis fallaciam, non veritatem ſacramenti fugiebat?
Porrò ſi & fallaces habẽt baptiſmum verum, qui hoc
habent quod veraces habent? Vnde te oportet aduer-
tere ſermonem tuum potius eſſe pigmẽtis puerilibus
coloratum: & ideo qui neglecto verbo vero fucis tali-
bus delectatur, ipſe amat pro veritate picturam.

CAPVT XXVII. PETILIANVS dixit, *At enim dicit apoſtolus Pau-*
Epheſ. 4. *lus, Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma, Vnum nos pro-*
fitemur; nam certum eſt eos qui duo exiſtimant inſanire.
AVG. reſpondit, In vos iſta dicitis, ſed inſaniendo ne-
ſcitis. Illi enim dicunt duo baptiſmata, qui aliud exiſti
mãt habere iuſtos, aliud iniquos; cùm neque iſtorum
B neque illorum ſit, ſed ſit Chriſti, in vtriſque vnum:
quamuis ipſi non ſint vnum, ſed id quod eſt vnum, iſti
habeant ad ſalutem, illi ad perniciem.

CAPVT XXVIII. PETILIANVS dixit, *Verum vt aliquid comparem,*
ſolem geminum videri furioſis, licet nubes cærulea ſæpe cõ-
currat, eiusq; decolor facies ſplendore percuſſa, dum radij ſo-
lis ab eadem redeunt, quaſi proprios radios emittere videa-
tur: ſic ſic in fide baptiſmatis aliud eſt quærere imagines, a-
liud agnoſcere veritatem. AVG. reſpondit, Quid loque-
ris quæſo, quando nubes cærulea radios ſolis percuſſa
repercutit, nunquid furioſis quaſi duo ſoles apparent,
ac non omnibus qui intuẽtur? Cùm autem furioſis ita
videtur, ſolis ipſis videtur. Sed ſi moleſtũ non eſt quod
admoneo, vide potius ne fortè talia dicere & ſic loqui
furioſum ſit. Nempe cùm hoc dicere voluiſti, iuſtos
habere veritatem baptiſmi, iniuſtos autẽ imaginem: ſi
ita eſt, audeo dicere imaginem fuiſſe in illo veſtro, cui
non Deus, ſed quidam Comes erat Deus: veritatẽ au-
tem vel in te vel in illo qui hoc in eum eleganter emi-
C ſit, quando ei dixit, cui Comes eſt Deus. Et diſcernite
illos quos vterq; baptizauit, & in aliis approbate bapti
ſmum verum, ab aliis autem excludite imaginem, &
introducite veritatem.

CAPVT XXIX. PETILIANVS dixit, *Sed vt hæc minora diſcurrã: nũ*
quid ius dicit, qui non eſt curiæ magiſtratus, aut id quod di-
xerat ius eſt, cùm priuati perſona iura publica perturbet? an
non magis reus non modò non prodeſt, ſed cum eo quod con-
ficit falſarius obtinet? AVG. reſpondit, Quid ſi iſte pri-
uatus atq; falſarius legem imperatoris alicui det, nõn-
ne ille cùm contulerit cum his qui hanc habent, &
ipſam eſſe inuenerit, non attendit à quo acceperit, ſed
quid acceperit? Falſarius quippe quando ex ſua falſita-
te dat aliquid, falſum eſt: quando autem alienum ve-
rum ab aliquo datur, etiam ſi à falſario detur, quãuis
ille verax non ſit, verum eſt tamen quod datur.

CAPVT XXX. PETILIANVS dixit, *Aut ſi quiſquam carmina ſa-*
1. q. 1. cap. Dominus. *cerdotis memoriter teneat, nunquid inde ſacerdos eſt quòd*
ore ſacrilego carmen publicat ſacerdotis? AVG. reſpondit,
D Ita iſtud dicis, quaſi modo quæramus quis ſit verus ſa-
cerdos, & nõ quid ſit verũ baptiſma. Vt enim ſit quiſq;
verus ſacerdos, oportet vt nõ ſolo ſacramẽto, ſed iuſti-
tia quoq; induatur, ſicut ſcriptũ eſt, Sacerdotes tui in-
Pſal. 131. duantur iuſtitia. Qui autem ſolo ſacramento ſacerdos
eſt, ſicut fuit pontifex Caiphas, perſecutor vnius & ve
riſſimi ſacerdotis, quãuis ipſe nõ ſit verax, quod dat ta-
Ioan. 11. & 18. men verũ eſt, ſi non det ſuũ, ſed Dei: ſicut de ipſo Cai-
pha dictũ eſt: Hoc autem non à ſe dixit, ſed cùm eſſet
pontifex, prophetauit. Et tamen, vt eo quoque ſimili
vtar quod ipſe poſuiſti, ſi audias ab aliquo vel propha-
no precem ſacerdotis verbis & myſteriis euangelicis
confirmatam, nunquid ei poteſt dicere, non eſt vera,
quamuis ipſe non ſolum verus nõ ſit, ſed etiam nullus

sacerdos sit, cum apostolus Paulus quoddam testimonium verum esse dixerit Cretensis cuiusdam Prophetę, qui inter prophetas Dei non cõputabatur: ait enim, Dixit quidam ex ipsis proprius eorum Propheta, Cretenses semper mẽdaces, malæ bestiæ, ventres pigri, testimonium hoc verum est. Si ergo Apostolus, nescio cuius alienigenæ testimonio, quia verum comperit, etiam ipse attestatus est: cur nos apud quemlibet inuenerimus quod Christi est, & verum est, etiam si ille apud quẽ inuenitur peruersus & fallax est, non discernimus vitium quod homo habet, & veritatem quam non suam, sed Dei habet, & dicimus, sacramẽtum hoc verum est: sicut ille ait, testimonium hoc verum est? Nunquid ideo dicimus etiã, ipse homo verax est, quia dicimus, sacramẽtum hoc verum est? Sicut & Apostolus, nunquid ideo prophetã illum inter prophetas Dei computauit, quia quod in eo verum inuenit, verũ esse firmauit? Similiter idem Apostolus cùm apud Athenas esset inter aras dæmonũ animaduertit, aram quãdam, in qua scriptũ erat, Ignoto Deo. Et hoc testimonium ad illos in Christo ædificandos assumpsit, ita vt hoc commemoraret in sermone suo atque subiungeret, Quem vos ignorantes colitis, hunc vobis nos annũciamus. Nũquid quia vel inter idolorũ aras vel à sacrilegis erectam aram illam reperit, propterea quod in ea verum erat damnauit aut respuit: aut propter verũ quod in ea legerat, etiam sacrilegia paganorum sectãda esse persuasit? Consequenter etiam cùm ipsum etiã Dominum illis ignotum, sibi autem notum, etiam illorum notitiæ, sicut congruere iudicabat, insinuare vellet, ait inter cætera, Et quidem non longè positum ab vnoquoque nostrũm: in illo enim viuimus & mouemur & sumus, sicut & quidam secundum vos dixerunt. Nunquid etiam hic, quia inuenit apud sacrilegos testimonia veritatis, aut propter ista illos adprobauit, aut propter illos ista damnauit? Vos autem necesse est vt semper erreris quãdiu propter hominum vitia Dei sacramenta violatis, aut nos propter Dei sacramenta, quæ in vobis violare nolumus, etiam vestri schismatis sacrilegium assumere putatis.

Epimenides. ad Titum 1.

Act. 17.

Act. 17.

CAPVT XXXI. Rom. 13. Ioan. 19. Ioan. 3.

PETILIANVS dixit: *Omnis enim potestas ex Deo est, non in homine potestatis: sicut Pontio Pilato respondit Dominus Iesus Christus, Non haberes in me potestatem, nisi esset tibi desuper data. Et iterum dicente Ioanne, Non potest homo facere quicquam, nisi ei fuerit datum de cælo. Doce igitur traditor simulandi mysteria, quando acceperis potestatem.* AVG. respondit, Tu doce potius, vniuersus orbis terrarum, quò diffusa est hæreditas Christi & illa tot gentium multitudo, vbi Apostoli Ecclesias fundauerunt, quando baptizandi amiserit potestatem: Nunquam docebis. Non solum quia eos calumniaris, non doces traditores: sed quia etiam si docueris, non potest quorumlibet malorum scelus, siue ignotorũ, siue fallacium, siue vt zizania vel palea toleradorum euertere promissa Dei, vt non in semine Abrahæ benedicantur omnes gentes, à quibus promissis vos alienos facitis, qui cùm omnibus gentibus communionem vnitatis habere non vultis.

CAPVT XXXII.

PETILIANVS dixit, *Licet enim vnum sit baptismũ, tribus est tamen gradibus consecratum. Dedit aquam Ioannes sine nomine trinitatis, sicut ipse professus est dicens, Ego vos baptizo in aqua pœnitentiæ, alius veniet qui fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare, ipse vos baptizat in spiritu sancto & igne. Dedit spiritum sanctum Christus, sicut scriptum est, Sibilauit in faciem eorũ, & dixit, Accipite spiritum sanctum. Ipseq; ignis paracletus crepitantibus flammis ardescens in Apostolos superuenit. O vera diuinitas, quæ accendere visa est, non ardere, sicut scriptum est, Factus est subito de cælo sonus tanquam vi magna spiritus ferretur, & repleuit totam domum vbi erant Apostoli sedentes: Et visæ sunt distributæ linguæ tanquã ignis,*

Matth. 3. Ioan. 20. Act. 2.

A *sedit autem super vnumquemque eorum, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis: sicut spiritus sanctus dabat eloquium eis. Tu verò persecutor vel aquam pœnitentiæ non habes, qui non Ioannis occisi, sed occisoris Herodis retines potestatem. Tu igitur traditor spiritum sanctum Christi non habes; etenim morti Christus est traditus, non ad mortem tradidit Christus. Tibi ignis in spiritu apud inferos viuax est, qui ieiunis apicibus æstuans, membra tua per seculum afflare valeat, non finire, sicut scriptum est de reorum in inferno supplicio, Ignis eorum non extinguetur.* AVG. respõdit, Tu es ille maledicus cõuiciator, nõ veridicus disputator. Nónne aliquãdo desines talia dicere, quæ si non probas, ad neminem pertinẽt: si autẽ probas, ad vnitatẽ orbis terrarũ, quæ in sanctis tanquã in frumẽtis est, omnino nõ pertinẽt? Si placeat & nobis pro maledictis maledicta reponere, possumus & nos disertè fortè cõuiciari, possumus & nos dicere, crepitantibus flãmis: sed nullo modo mihi sonat disertè quod dicitur ineptè. Possumus & nos dicere, ieiunis apicibus æstuans, sed scriptorum nostrorũ apices nolumus cum ab aliquo sano leguntur, à succo grauitatis ieiunos iudicari, & ipsum in eis dum nullis sentẽtiis vtilib. pascitur, superuacaneo laborare ieiunio. Ecce dico Circumcelliones vestros, nõ crepitantibus, sed præcipitantibus flammis furoris ardere. Si responderis, quid ad nos? cur & tu cùm obieceris quos volueris, nõ vicissim audies, & nos nescimus? Si responderis, non probatis: cur nõ tibi orbis terrarũ respondeat vicissim, nec vos probatis? Paciscamur ergo, si placet, vt nec tu nobis malos obiicias quos putas nostros, nec vobis ego vestros. Ita videbis hoc pacto tam iusto placito atq; firmato, nihil te habere quod obiicias semini Abrahæ in omnibus gẽtibus: atqui tibi ego planè inuenio magnũ quod obiiciam; cur vos ergo impiè separastis à semine Abrahæ, quod est in omnib. gentibus? Hoc certè quẽadmodũ defendas non habes. Purgamus enim nos vtriq; à criminibus alienis. Hoc autẽ quod omnibus gẽtibus quæ in semine Abrahæ benedicuntur nõ cõmunicatis, & magnũ crimẽ est, non quorundã vestrũ, sed omniũ. Et cùm nosti & cõmemoras spiritũ sanctũ ita venisse, vt illi quos tũc impleuerat, linguis omnib. loquerentur, quid sibi volebat illud signũ atq; prodigiũ? Cur modo ita datur spiritus sanctus, vt nemo cui datur linguis omnibus loqui possit, nisi quia omnes gẽtes credituras, ac sic in omnib. linguis futurũ Euãgelium, illud tunc miraculum portẽdebat? quod & in Psalmo tanto antè prædictũ est, Non sunt loquelę neq; sermones, quorũ non audiãtur voces eorũ. Hoc propter eos dictũ est qui spiritu sancto accepto linguis erãt omnib. locuturi. Sed quia idipsum in omnibus gẽtibus & linguis futurũ Euangeliũ & corpus Christi per totũ orbẽ terrarũ linguis omnibus personaturũ significabat, secutus ait, In omnem terrã exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ. Hinc fit, VT ECCLESIA VERA NEMINEM LATEAT. Vnde est illud quod in Euangelio ipse dicit, Non potest ciuitas abscondi super montẽ constituta. Ideoq; in eodem Psalmo cõnectitur, In sole posuit tabernaculũ suum: id est, in manifestatione: sicut in Regnorum libris legimus dictum, Quod tu in occulto fecisti, patieris in sole. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendã viã, à summo cęlo egressio eius: ecce habes aduentum Domini in carne. Et occursus eius vsq; ad summũ eius: ecce habes resurrectionẽ & ascensionẽ. Nec est qui se abscõdat à calore eius: ecce habes aduentũ spiritus sancti quem in linguis igneis misit, vt feruorem charitatis ostẽderet, quã profectò nõ habet, qui cũ Ecclesia quæ in omnibus linguis est, non seruat vnitatem spiritus in vinculo pacis. Iam verò quod vnũ quidẽ baptismũ esse dixisti, sed tamen tribus gradibus consecratum, ipsaq; tria sic personis singulis disper-

Nullo modo sonat disertè quod dicitur ineptè.

Psal. 18.

Ecclesia neminem latet.

Matth. 5.

2. Reg. 12. Psal. 18.

Ephes. 4.

titus es, vt aquam Ioanni, spiritum sanctum Domino Iesu Christo, & ignem tertiũ paracleto desuper misso tribueris, quãtus error sit parumper aduerte. Eò quippe ductus es vt ita sentires, quia Ioannes ait, Ego quidem baptizo in aqua, qui autem post me venit, maior me est, ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni. Nec cõsiderare voluisti, nõ tria tribus singillatim esse coaptata, aquam Ioanni, spiritũ Christo, ignem paracleto, sed tria hæc ad duos potius pertinere, vnum ad Ioannem, & duo cætera ad Dominum. Neque enim dictũ est, Ego quidem vos baptizo in aqua, qui autem post me venit, maior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare, ipse vos baptizat in spiritu sancto, qui autem post illum venturus est paracletus, ipse vos baptizat in igne: sed, ego quidem inquit, in aqua, qui autem post me venit, in spiritu sancto & igni: vnum sibi tribuit, illi duo. Vides ergo quemadmodum te fefellit numerus: adhuc attende, vnum dixisti baptismum tribus gradibus consecratum, aqua, spiritu sancto, igni, & tres personas per singula posuisti, Ioannem ad aquam, Christum ad spiritum, paracletum ad ignem. Si ergo aqua Ioannis ad eundem pertinet, cuius vnitas commendatur, non debuerunt baptizari iubente Paulo apostolo quos compererat baptizatos à Ioãne. Iam enim habebant aquam ad eundem, sicut dicis, baptismum pertinentem: restabat vt spiritum & ignem acciperent, quia defuerant Ioãni, vt compleretur baptismus tribus, vt asseris, gradibus consecratus. Cum verò autoritate apostolica iussi sunt baptizari, satis declaratum est aquam illam Ioannis non pertinere ad baptismum Christi, sed pro necessario tempore alterius dispensationis fuisse. Postremò quid tibi visum est, vt cũ probare voluisses spiritum sanctum à Christo datum, & adhibuisses ex Euangelio testimonium, quòd resurgens à mortuis, insufflauit in faciem discipulorum dicens, Accipite spiritum sanctum: ad illum vltimum ignem qui cum baptismo hominatus est in linguis igneis, quæ paracleto veniente demonstratæ sunt, velles ostendere? Dixisti enim, *Ipseq; ignis paracletus crepitantibus flammis ardescens in apostolos superuenit*: quasi alius sit spiritussanctus, quem dedit insufflando in faciem discipulorum; & alius qui post eius ascensum in apostolos superuenit. Nunquid ergo duo sunt Spiritussancti? Quis hoc nisi dementissimus dixerit? Ipse itaque Christus eundem spiritum sanctum dedit, siue insufflando in facies discipulorum; siue desuper eum die pentecostes citrã sacramenti commendationem mittendo. Proinde nõ Christus spiritum sanctum dedit, & ignem paracletus; vt quasi compleretur quod dictum erat in Spiritu sancto & igni, sed idẽ ipse Christus spiritum sanctum dedit, quem in terra positus suo flatu, in cælo autem positus linguis igneis demonstrauit. Namque vt noueris nõ tunc impletum esse quod dictum est: Ipse vos baptizat in spiritu sancto: quando eis sufflauit in faciem, vt iam non in spiritu, sed in igne baptizandi venturo paracleto viderentur: reminiscere apertissimam scripturam, & vide quid eis dixerit; quãdo ipse Dominus ascendit in cælum: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto; quem recepturi estis non post multos hos dies ad pentecosten. Quid hoc testimonio clarius? Secũdum autem sensum tuum dicere debuit Christus: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizati estis Spiritu sancto, quando vobis in faciem sufflauit, & deinde baptizabimini in igne; quem accepturi estis non post multos hos dies: vt videlicet complerentur illi tres gradus, quibus dicis vnum baptismum consecratum. Ita fit, vt adhuc nescias quid sibi velit quod dictũ est, Ipse vos baptizat in spiritu sancto & igni: & temerè velis docere, quod nescis.

Matth. 3. Ioan. 20. Aliquid deest. Act. 1. Matth. 3.

CAPVT XXXIII.

PETILIANVS dixit: *Sed vt plenè discutiam baptismũ trinitatis, dixit Apostolis suis Dominus Christus, Ite baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritussancti, docentes eas seruare omnia quæcũque mando vobis. Quem doces traditor? quem condemnas? Quem doces traditor? quem occidis? Postremo quem doces? an quem feceris homicidam? Quomodo igitur baptizas in nomine trinitatis? Patrem Deum dicere non potes. Nam cùm dixerit Dominus Christus, Beati pacifici, quia ipsi filij Dei vocabuntur: tu qui pacem animi non habes, Deum non habes patrem. Quomodo autem in nomine filij baptizas qui tradis ipsum, qui filiũ Dei nõ vllis passionib. nec crucibus imitaris. Quomodo autẽ baptizas in nomine spiritussancti, cũ spiritussanctus in illos apostolos venerit, qui non fuerant traditores? Cũ igitur vobis Deus genitor nõ sit, nec aquã baptismatis verè nascimini, nemo vestrũ penitus natus est, nec patrẽ habetis impij, nec matrẽ. Vos ergo huiusmodi non debeo baptizare, etsi vt carnem Iudæi quasi baptizant, milies vos lauetis?* AVG. respondit, Certè proposueras plenè discutere baptismum trinitatis, & intentos nos multum feceras, sed scilicet, quod vobis facillimum est, quàm citò te ad solita maledicta vertisti. Hoc reuera copiosè facis. Proponis enim tibi quos vis, in quos inueharis quantum vis: in qua magna sermonis latitudine vno breuissimo verbo quod dicitur, proba, in arctissimas coarctaris angustias. Hoc enim tibi dicit semẽ Abrahę, in quo cùm omnes gentes benedicuntur, non curant cùm à te maledicuntur. Sed tamen quia de baptismõ agis, quem tũc putas esse verum cùm in homine iusto est, falsum autem cùm in homine iniquo est: ecce & ego secundum tuam regulam si discutiam baptismum trinitatis, copiosius, vt arbitror, potero dicere, quòd non habeat Deum patrem, cui Comes est Deus: nec Christũ suum credat, nisi pro quo passus est: nec spiritum sanctum habeat, qui longè vario modo linguis igneis miserabilem Aphricam incendit: quomodo ergo habent baptismum, aut quomodo dant in nomine patris & filij & spiritussancti? Certè iam aduertis posse in homine iniquo esse, vel ab homine iniquo dari baptismum, non iniquum sed iustum & verum; non quia illius est, sed quia Dei est. Et ego tibi de isto nihil calũnior, quod tu de nescio quibus orbi terrarũ facere non cessas, & quod est intolerabilius, nec de ipsis aliquid probas. Illud verò nescio quomodo tolerari possit, quòd non solum hominibus sanctis de hominibus iniquis calumniamini; sed etiam ipsi sancto baptismati, quod in quolibet iniquo necesse est vt sanctum sit, crimen ex contagione peccatorum hominum comparatis, vt tale dicatis esse baptisma, qualis est ille à quo habetur vel datur vel sumitur. Porrò si talis sit homo qualis fuerit ille cum quo accedit ad sancta; & talia fiunt ipsa sacramenta quales fuerint homines in quibus sunt; sufficit sanctis hominibus ad solatium cum sancto baptismo communiter à vobis falsum crimen audire: vos tantum videte, quemadmodum vestro ore damnemini; si & sobrij vestri ex contagione ebriosorum vestrorum ebriosi sunt; & misericordes vestri ex raptorum contagione raptores sunt, & quicquid apud vos in malis hominibus inuenitur; hoc coguntur esse qui non sunt, & ipse baptismus in omnibus immundis vestris immundus est; & pro ipsius immunditiæ diuersitate diuersus est; si talis esse cogitur qualis est ille à quo habetur & datur. Hæc vtiq; falsa sunt, & ideo nõbis nihil obsunt, cùm ea dicitis in nos, nec respicitis vos: vobis autem obsunt, quia cùm ea falsa dicitis, in nos non cadũt, sed quia ea vera putatis, in vos recidũt:*

Matth. 28. Matth. 5. Act. 1. Vide supra cap. 23.

CAPVT XXXIIII.

PETILIANVS dixit: *Nam si illos Apostolis licuit baptizare, quos pœnitetiæ baptismo Ioãnes abluerat, mihi vos baptizare sacrilegos non licebit?* AVG. respondit: Vbi est ergo quod suprà dixeras, non alium baptismum fuisse Ioannis, alium Christi, sed vnum baptismum tribus gradibus consecratum, quorum trium graduũ æquam

Ioannes, ſpiritum Chriſtus, ignem paracletus dedit? Cur ergo aquam repetiuerunt Apoſtoli in eis quibus iam Ioannes aquam dederat pertinẽtem ad vnum baptiſmum tribus gradibus conſecratum? Cernis certè quàm ſit neceſſarium, vt ſciat quiſque quod loquitur.

CAPVT XXXV. PETILIANVS dixit, *Neque enim ſpirituſanctus in quenquam manus impoſitione pontificis poterit inſeri, niſi aqua puræ conſcientiæ præceſſerit generatrix.* AVG. reſpõdit in his paucis verbis tuis duo ſunt errores. Et vnus quidem ad quæſtionem quæ inter nos diſcutitur, non valde pertinet, ſed te imperitiæ coarguit. Nam in centum viginti homines ſine cuiuſquam manus impoſitione, in Cornelium verò Centurionem & eos qui cũ illo erant, etiam prius quàm baptizarentur, ſpirituſanctus aduenit. Alter autem error in his verbis tuis totã cauſam veſtram penitus perimit. Dicis enim aquam puræ conſcientiæ præcedere oportere genitricem, vt ſpirituſanctus conſequatur. Proinde aut omnis aqua in nomine patris & filij & ſpirituſancti conſecrata puræ conſcientiæ eſt, non propter eos à quibus miniſtratur, vel à quibus accipitur, ſed propter illum qui hunc baptiſmum immaculatus inſtituit: aut ſi aquam puræ conſcientiæ non facit niſi pura conſcientia & miniſtrantis hominis, & ſumentis; quid agitis de iis quos inuenitis ab eis baptizatos, qui nondum proditi conſcientiam maculoſam gerebãt: præſertim ſi inter iſtos baptizatos aliquis exiſtat, qui ſe fateatur malam cum baptizaretur habuiſſe conſcientiam, quòd per illã fortè occaſionem ad aliquod flagitium peruenire voluiſſet? Cùm ergo vobis fuerit manifeſtatum, nec illum qui miniſtrauit, nec illum qui accepit baptiſmum, puram habuiſſe conſcientiam, denuò baptizandum eſſe cenſebitis? Nequaquã hoc dicturus, nequaquã facturus es. Baptiſmi ergo puritas à puritate vel immunditia conſcientiæ, ſiue dantis ſiue accipientis omnino diſtincta eſt. Aude ergo iam dicere puræ conſcientiæ fuiſſe fraudatorem, raptorem, pupillorum & viduarũ oppreſſorem, coniugiorum ſeparatorem, patrimoniorum alienorum proditorem, venditorem, diuiſorem. Aude etiam dicere puræ conſcientiæ fuiſſe illos, quos talibus temporibus defuiſſe difficile eſt: ſi qui fortè nõ propter Chriſtum, nec propter vitam æternã, ſed propter amicitias terrenas conciliandas, & cupiditates terrenas ſatiandas ab illo vt baptizarẽtur ambierũt. Porrò ſi hos puræ conſcientiæ fuiſſe non audes dicere, ſi quos ex eo numero repereris baptizatos, da eis quam non acceperunt aquam puræ conſcientię: quod ſi non facis, deſine aduerſus nos iactare quod non noſti, ne cogaris aduerſus nos reſpondere quod noſti.

Act. 2. Act. 10.

CAPVT XXXVI. PETILIANVS dixit: *Qui vtique ſpirituſanctus in vos venire non potuit, quos non vel pœnitentiæ baptiſmus abluit: ſed pœnitenda, quod verum eſt, aqua polluit traditoris.* AVGVST. reſpondit: Traditores quidem non ſolùm nos non probatis, ſed nec patres veſtri patres noſtros probare potuerunt: qui ſi probati eſſent, non vtique patres noſtri eſſent ſecundum tuam ſuperiorem aſſertionem, quorum non eſſemus facta ſectati: nec tamen propter eos à conſortio diuelleremur vnitatis, & à ſemine Abrahæ in quo benedicuntur omnes gentes. Veruntamẽ ſi alia eſt aqua Chriſti, & alia eſt aqua traditoris, quia non fuit traditor Chriſtus: cur non alia ſit aqua Chriſti, & alia ſit aqua raptoris, quia nec raptor vtique fuit Chriſtus? Baptiza ergo tu poſt raptorem tuum, & baptizabo ego poſt traditorem nec meum nec tuũ: aut ſi chartis prolatis credendum eſt, & meum & tuum: ſi autem communioni orbis terrarum magis quam parti Donati, non meum, ſed tuũ. Meliore verò & ſaniore ſententia, quia ſecundum Apoſtolicã vocem, vnuſquiſq; noſtrũm propriũ onus portabit: nec ille raptor veſter eſt quotquot non eſtis raptores, nec quiſquam traditor aut noſter aut veſter eſt quotquot non ſumus traditores: & ideo nos ſũmus catholici, qui ſecundum iſtam ſententiam nõ deferimus vnitatem: vos verò hæretici qui propter quorundam hominum crimina ſeu vera ſeu falſa, non vultis tenere cum Abrahæ ſemine charitatem.

Gen. 12. Gal. 6.

CAPVT XXXVII. PETILIANVS dixit: *Sed vt hæc ab apoſtolis facta præluceant, eorum actibus edocemur, ſicut ſcriptum eſt, Factum eſt autem dum Apollo eſſet Corinthi, Paulus peram-bulatis ſuperioribus partibus venit Epheſum. Et cum inuenniſſet quoſdam diſcipulos, dixit illis: Si ſpiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt, Sed neque ſi eſt ſpirituſanctus audiuimus. Dixitq; Paulus, In quo ergo baptizati eſtis? Et reſponderunt dicentes, Ioannis baptiſmo. Ait autem Paulus, Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, plebi dicens, in eum qui venturus eſſet poſt ipſum vt crederent, hoc eſt in Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quo audito, baptizati ſunt in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit ſpiritus ſanctus ſuper illos. Loquebantur autem varijs linguis, & prophetabant. Et erant omnes viri ferè duodecim. Si igitur illi ſunt baptizati vt ſpiritum ſanctum reciperent, cur non vos, ſi ſanctum vultis ſpiritum ſumere, poſt veſtra mendacia verã percipitis nouitatem? Qui ſi malè hoc facimus, quare nos quæritis? aut certè ſi crimen eſt, Paulum primitus condemnate; qui vtique Paulus quod iam fuerat abluit, nos autem in vobis quod nõdum eſt baptizamus. Non enim vos, vt ſæpe iam diximus, vero baptiſmate tingitis, ſed inani vocabulo falſi baptiſmatis infamatis.* AVG. reſpondit: Paulũ non accuſamus, qui dedit hominibus baptiſmũ Chriſti; quia non habebant baptiſmum Chriſti, ſed baptiſmũ Ioannis, ſecundũ ipſorũ reſponſionẽ. Qui interrogati, in quo baptizati eſſent, reſponderunt, baptiſmo Ioãnis: qui ad baptiſmũ Chriſti non pertinet, nec eius pars vlla vel gradus eſt: alioquin aut tũc iterabatur aqua baptiſmi Chriſti, aut ſi baptiſmus Chriſti tũc per duas aquas perficiebatur, minus perfectus eſt modo, quia non datur illa quæ per Ioannem dabatur. Quodlibet autem horum impium & ſacrilegum eſt opinari. Dedit ergo Paulus baptiſma Chriſti eis qui non baptiſmum Chriſti habebant, ſed Ioannis. Cur autem illo tempore neceſſarius fuit baptiſmus Ioannis, qui nunc iam neceſſarius nõ eſt, & alibi diximus, & nunc ad rem quæ inter nos agitur nõ pertinet; niſi tantummodo vt videatur quòd Ioannis baptiſmus alius fuit, Chriſti autem alius: ſicut alius fuit ille baptiſmus, in quo patres noſtros dicit Apoſtolus baptizatos in nube & in mari, quando per Moyſen rubrum mare tranſierunt. Lex enim & prophetæ vſque ad Ioannem Baptiſtam ſacramenta habebant prænunciantia rem futuram: noſtri verò temporis ſacramenta veniſſe teſtãtur, quod illa venturum eſſe prædicabant. Ioannes itaque omnium præcedentium proximus Chriſti annunciator fuit. Et quia omnes ſuperiorum temporum iuſti & prophetæ cupiebant videre completum, quod reuelãte ſpiritu futurum eſſe cernebant, vnde & ipſe Dominus dicit, Quoniam multi iuſti & prophetæ cupierũt videre quæ videtis & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierũt: propterea Ioãnes amplius quàm propheta dictus eſt, & in natis mulierum nõ habuiſſe maiorem: quia prioribus iuſtis prænunciare tantum Chriſtum conceſſum eſt, huic autem pręnunciare abſentem & videre pręſentẽ, vt huic inueniatur patuiſſe quod illi cupierunt. Et ideo ſacramentum baptiſmi eius adhuc ad prænunciationem Chriſti pertinet, ſed plane nouiſſimã: quoniam vſque ad illum fuerũt prænunciationes primi aduentus Domini, cuius aduẽtus modo annunciationes ſunt, iam non prænũciationes. Sed Dominus humilitatis viam docens, ſacramenta quæ hic inuenit prænunciationis ſuæ ſuſcipere dignatus eſt, non ad ſuæ purgationis adiutorium, ſed ad noſtræ pietatis exemplum: vt ſcilicet oſtenderet nobis quanta

Act. 19. Ioannis baptiſmus ad Chriſti baptiſmum non pertinuit. 1. Cor. 10. Matth. 11. Matth. 13. Baptizati à Ioanne cor Chriſtium habuerit.

quanta deuotione ſuſcipere debemus ea quæ illũ iam veniſſe teſtãtur, quãdo ipſe ſuſcipere non dedignatus eſt, quę illum venturũ figurabãt. Et Ioannes ergo quãuis proximus, & infra vnum annum, coętaneus tamen cùm baptizaret venienti præibat Chriſto, propter hoc de illo dictum eſt: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Et ipſe prædicabat dicens, Venit fortior me poſt me. Sic ergo circũciſio octauæ diei quæ patribus data eſt, prænunciabat iuſtificationem noſtram, in expoliationem carnalium concupiſcentiarum per reſurrectionem Domini, quæ poſt ſeptimũ, id eſt ſabbati diem, octauo die, id eſt Dominico facta eſt, qui dies tertius poſt ſepulturam eius occurrit: eandem tamen prænunciantem circuncisionem carnis infans Chriſtus accepit. Et quemadmodũ paſcha quod à Iudæis celebrabatur in occiſione agni, prenunciabat Domini paſſionem & tranſitum de hoc mundo ad patrem, & ipſum tamen paſcha quod erat in eadem prænunciatione, idem Dominus cũ diſcipulis ſuis celebrauit quando ei ſuggeſſerunt dicẽtes, Vbi vis paremus tibi paſcha? Sic & baptiſmum Ioãnis qui erat in proxima eius prenunciatione, etiam ipſe ſuſcepit. Sed ſicut aliud eſt carnis circunciſio Iudæorum, aliud autem quod octauo die baptizatorũ nos celebramus: & aliud eſt paſcha quod adhuc illi de oue celebrant, aliud autem quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus: ſic alius fuit baptiſmus Ioannis, alius eſt baptiſmus Chriſti. Illis enim ventura iſta prænunciabantur: iſtis completa illa prædicantur. Et quãuis illa Chriſtus acceperit; nobis tamen neceſſaria non ſunt, quia ipſum qui per hæc annunciabatur accepimus. Recenti autem aduẽtu Domini quiſquis illa accepiſſet, opus ei erat vt etiam his imbueretur: quiſquis verò his imbutus eſſet, non opus erat vt retrorſus in illa cogeretur. Quapropter nolite de Ioannis baptiſmo caliginẽ facere, cuius cauſa & ratio ſiue iſta ſit quã expoſui, ſiue alia melior certiorq; reddatur, illud tamen manifeſtum eſt, alium fuiſſe baptiſmum Ioannis, aliũ Chriſti: & illum Ioãnis baptiſmum appellatum, quod & iſtorum quos commemoraſti reſponſio declarat, & ſermo ipſius Domini, vbi ait Iudæis: Baptiſmus Ioãnis de cęlo eſt, an ex hominibus? Iſte autem baptiſmus nõ dicitur Cæciliani, nec Donati, nec Auguſtini, nec Petiliani, ſed baptiſmus Chriſti. Nam ſi impudentes nos putas, quia poſt nos neminem volumus baptizari, cùm videamus poſt Ioãnem fuiſſe homines baptizatos, qui vtique incomparabiliter maior eſt nobis, nũquid fortè Ioannes & Optatus æquales ſunt? Ridiculum videtur, & tamen puto quòd non eos æquales, ſed maiorẽ credatis Optatum. Poſt Ioãnem quippe Apoſtolus baptizauit, vos baptizare poſt Optatum neminem audetis. An quia Optatus in vnitate veſtra fuit? Iam hoc quibus præcordiis ſuſtineri poſſit ignoro: ſi amicus Comitis cui Comes erat Deus, in vnitate fuiſſe dicitur, & amicus ſponſi præter vnitatem. Quòd ſi Ioannes maximè in vnitate fuit, & non ſolum Optato, ſed omnibus nobis & omnibus vobis longe excellentior & maior fuit: & tamen poſt eum Paulus apoſtolus baptizauit, quare vos poſt Optatum nõ baptizatis? niſi fortè in has anguſtias vos coarctat cæcitas veſtra, vt dicatis Optatũ dare potuiſſe ſpiritum ſanctum, Ioannem non potuiſſe. Quod ſi non dicitis, ne ab ipſis etiam inſanis veſtra rideatur inſania, quid reſponſuri eſtis, cur poſt Ioãnem baptizãdi fuerint homines, poſt Optatum autem nemo baptizandus ſit, niſi quia illi baptiſmo Ioannis fuerant baptizati: quicũque autem Chriſti baptiſmo baptizantur, ſiue per Paulum baptizẽtur, ſiue per Optatum, nihil diſtat inter iſtorum & illorum baptiſmum, cùm tantum diſtet inter Paulum & Optatum? Redite ergo pręuaricatores ad cor, & nolite ex hominum moribus & factis diuina ſacramenta pẽſare. Illa enim per eum facta ſunt cuius ſunt: ſed dignè tractata afferunt præmium, indignè autem tractata iudicium. Et quãuis vnum non ſint qui Dei ſacramentum dignè & qui indignè tractauerint: vnum eſt tamẽ illud ſiue dignè ſiue indignè tractetur, nõ vt ipſum melius vel deterius fiat, ſed ad vitam mortẽmve tractantium. Illud ſanè quod diſixti, *quia in illis quos baptizauit poſt Ioannem Paulus, quod iam fuerat abluit*, profectò non diceres ſi aliquantum conſideres quid diceres. Si enim abluendus fuit baptiſmus Ioannis, proculdubio ſordidus fuit. Quid ergo iam te vrgeam, recole aut lege, & vide vnde hoc Ioannes acceperit, reperies in quem effuderis iſtam blaſphemiam: quod cum repereris, ſaltem pectus tundatur, ſi lingua † non frænatur. Iam verò quòd elegantẽr vobis dicere videmini, *ſi malè hoc facimus, quare nos quæritis?* nónne aliquando recordamini, quia nõ quæruntur niſi qui perierunt? An & hoc non videre, ad ipſam perditionẽ pertinet? Poſſet enim & illa ouis tam abſurdè paſtori dicere, ſi male facio quòd à grege aberro, quare me quæris? non intelligens quare ſe putat non eſſe quærendã, hanc eſſe vnã cauſam quare quæratur. Quis autem vos quærit, ſiue per Scripturas ſuas, ſiue per linguas catholicas & pacificas, ſiue per flagella temporalium tribulationum, niſi ille qui iſtam miſericordiam vobis diſpenſat in omnibus? Quærimus ergo vos vt inueniamus: tantum enim vos diligimus, vt viuatis, quantum veſtrum errorẽ odimus, vt intereat qui vos perdit, quamdiu ipſe non perit. Atque vtinam ſic vos quæramus, vt etiam inueniamus, & de vnoquoque veſtrum gaudẽter dicamus: Mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.

Malac. 3. Matth. 3. Circunciſio quid præunciauit. Paſcha quid præfiguraut. Matth. 26. Baptiſmus Ioannis alius à Chriſti baptiſmo. Matth. 21. Eſa. 46. Supra cat. 23. Luca 15.

CAPVT XXXVIII. PETILIANVS dixit: *Si vos tenere catholicam dicitis, catholicos illud eſt quod Græcè dicitur vnicum ſiue totum. Ecce in toto non eſtis, quia in partem ceſſiſtis.* AVG. reſpondit: Et ego quidem Græcæ linguæ perparũ aſſecutus ſum, & propè nihil: non tamen impudenter me dico noſſe ὅλον, non eſſe vnum, ſed totum, & καθόλου ſecundum totum: vnde catholica nomen accepit, dicente ipſo Domino: Non eſt veſtrũ ſcire tempora, quę pater poſuit in ſua poteſtate, ſed accipietis virtutẽ ſpiritus ſancti ſuperuenientem in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & totam Iudęã, & Samariam, & vſque in totam terram. Ecce vnde catholica vocatur. Sed ita clauſis oculis offenditis in montem qui ex paruo lapide, ſecundũ prophetiam Danielis, creuit & impleuit vniuerſam terram; vt nobis dicatis, quòd in partẽ ceſſerimus, & in toto non ſimus; quorũ communio vniuerſo orbi diffunditur. Sed quemadmodũ ſi mihi diceres quòd ego ſim Petilianus, non inuenirem quemadmodum te refellerem, niſi vt aut iocantem riderem, aut inſanientem dolerem: hoc mihi nunc faciendum eſſe video: ſed quia iocari te non credo, vides quid reſter.

Act. 1. Dan. 2. Catholicum vnde dicatur. Petilianus Catholicos partem vocat Macarij.

CAPVT XXXIX. PETILIANVS dixit: *Sed non eſt pars tenebrarum contra lucem, nec pars amaritudinis cum melle: non eſt pars vitæ cum morte: non eſt pars innocentiæ cum reatu: non eſt pars aquæ cum ſanguine, nec amurcæ cum oleo pars; licet ſit feculenta cognatio, ſed cunctæ reproba deſluent. Ipſa eſt ſentina vitiorum, dicente Ioanne: Ex nobis exierunt, ſed non ſunt de nobis. Nam ſi eſſent de nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Non eſt aurum cum ſordibus ſuis, omnia precioſa purgantur. Scriptum eſt namque: Sicut aurũ probat fornax, ita & iuſtos vexatio tribulationis. Non eſt pars crudelitas manſuetudinis, nec religio ſacrilegij, nec pars Macarij penitus poteſt eſſe noſtra; quia ritus noſtri ſimilitudinem maculat. Actes namq; inimica non pars eſt quæ implet nomẽ hoſtile, quæ ſi verè pars dicitur ſententiã congruã Salomonis incurret: Pereat pars eorũ de terra.* AVG. reſpondit: Hæc verba iactare et nihil probare, quid eſt niſi delirare? Attẽdis zizania per mundũ, & tritieũ nõ attẽdis, cùm per totum vtraq; iuſſa ſint creſcere. Attẽdis ſemẽ maligni quod tẽpore meſſis ſeparabitur, & non attẽdis ſemen

1. Ioan. 2. Eccl. 27. Prouerb. 2.

Gen.22. Abrahæ, in quo benedicuntur omnes gentes. Quasi verò vos iam sitis massa purgata, & mel syncerum & eliquatum oleum, & aurum purum, nec ipsa species dealbati parietis. Vt enim de vitiis cæteris taceam, nũquid ebriosi partem faciunt sobriorum, aut deputantur auari in parte sapientum? Si mansueti homines lucis vocabulum tenent, furor Circumcellionũ vbi nisi in tenebris deputabitur? Cur ergo per tales baptismus datus apud vos valet, & per quoslibet in orbe terrarũ idem Christi baptismus non valet? Cernis nempe ad illud vos esse ab orbis terrarum communione separatos, vt non quidem sitis omnes ebriosi, nec omnes auari, nec omnes violenti, sed omnes hæretici, ac per hoc omnes impij & omnes sacrilegi. Quod autem vniuersum orbem terrarum Christiana societate gaudentem *Macarij partem vocatis*, quis hoc sano cerebro diceret? Sed quia vos de parte Donati esse dicimus, quæritis hominem de cuius parte nos esse dicatis: & in magnis angustiis nominatis nescio quem si fortè in Africa cognitum, in aliis autem orbis partibus ignotũ. Quapropter ecce respondet vobis vniuersum semen Abrahæ de vniuersa terra: Macarium istum de cuius parte nos dicitis, omnino non nouimus. Respondete vicissim non vos nosse Donatum: sed & si partẽ Optati vos esse dicamus, quis vestrum potest dicere, nescire se Optatum, nisi fortè facie, sicut nec Donatum? Sed gaudetis videlicet de nomine Donati, nunquid & de nomine Optati? Quid ergo vobis prodest Donatus, cum vos omnes coinquinauerit Optatus? Quid vobis prodest sobrietas Donati, cum Circumcellionũ ebrietate polluamini? Quid vobis prodest secundum vestrã opinionem innocentia Donati, cum Optati rapacitate maculemini? Hic enim est error vester, vt amplius putetis valere iniquitatem hominis ad alium contaminandum, quàm iusticiam hominis ad alium purificandum. Itaque si duo pariter diuina sacramenta communicent, vnus iustus, alius iniquus, sed ita vt nec iste illius iniquitatem, nec ille huius imitetur iustitiã: non dicitis ex hoc fieri ambos iustos, sed ambos iniquos, ita vt & illud sanctum quod pariter sumunt, immundum fiat, & amittat propriam sanctitatem. Vbi sibi inuenit tales aduocatos iniquitas, quibus delirantibus ita victrix putetur? Vt quid ergo vobis plauditis de nomine Donati in tanto peruersitatis errore, vbi non Petilianus quidem esse meretur quod Donatus, sed ipse Donatus esse cogitur, quod Optatus? Dicat autem domus Israel, Pars mea Dominus: dicat semen Abrahæ in omnibus gentibus, Dominus pars hæreditatis meę. Nouit enim quomodo dicat in Euangelio gloriæ beati Dei. Nam & vos per sacramentum, quod in vobis est, sicut Caiphas Domini persecutor, nescientes prophetatis. Quod enim Græcè μακάριος, Latinè beatus est. Ita planè de parte Macarij sumus. Quid enim est Christo beatius, cuius sumus, ad quem commemorãtur & conuertuntur vniuersi fines terræ, & in cuius cõspectu adorant vniuersæ patrię gentium? Itaque maledictionem tuam vltimam in peruersum de Salomone vsurpatam, non timet pars huius Macarij, id est huius beati, ne pereat de terra. Quod enim dictum est de impiis, hoc vos ad Christi hæreditatem conuertere conamini, & hoc esse factum nefanda impietate contẽditis. Cum enim de impiis ille loqueretur, ait: Pereat pars eorum de terra. Cum autẽ vos dicitis illud quod scriptum est, Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & commemorabuntur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ: iam istam promissionem periisse de terra, in Christi hæreditatem retorquere vultis, quod de sorte prædictum est impiorum: sed manente atq; crescente Christi hæreditate, cum ista dicitis vos peritis. Non enim vbique per sacramentum Dei prophetatis, quãdoquidem his per vestram insaniam ma-

Macarij partem non vocat Catholicus Donati.

Psal.15.

Catholici quo sensu pars Macarij vocãt dicantur.

A lè optatis. Sed plus valet prædictio prophetarũ, quàm maledictio pseudoprophetarum.

CAPVT XL. 2.Cor.6. PETILIANVS dixit: *Paulus quoque Apostolus clamat: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luminis cum tenebris? Quæ autem conuentio Christi ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?* AVG. respondit: Verba Apostoli agnosco, sed quid te adiuuent, omnino non video. Quis enim nostrum dicit esse participationem iustitiæ cum iniquitate, etiam si iustus & iniquus, sicut Iudas & Petrus, pariter sacramenta communicent? Ex vna quippe re sancta Iudas sibi sumebat iudicium, Petrus salutem, sicut tu si dissimilis eras quando cum Optato sacramentum sumebas, & raptor sicut ille nõ eras. An rapina iniquitas non est? Quis ita insaniat vt hoc dicat? Quæ ergo participatio iustitiæ tuæ cum illius iniquitate, quando ad vnum accedebatis altare?

CAPVT XLI. 1.Cor.1. PETILIANVS dixit: *Et iterum docuit ne schismata nascerentur. Dico autem vobis, quod vnusquisque vestrũm dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Nunquid diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* AVG. respondit: Mementote qui hæc legitis, Petilianus ex Apostolo ista commemorat. Quando enim crederetis sic eum pro nobis contra se dicere?

CAPVT XLII. PETILIANVS dixit: *Si rudibus, si iustis Paulus hæc dixit, ego vobis iniustis hæc dico: Nunquid diuisus est Christus, vt vos ab ecclesia scinderetis?* AVG. respondit: Vereor ne quisquam in hoc opere nostro scriptorem arbitretur errasse, & illic fecisse, Petilianus dixit, vbi debuit facere. AVG. respondit: sed video quid egeris, quasi præoccupare voluisti ne nos ista diceremus. Sed quid fecisti, nisi vt bis dicantur? Si ergo sic te delectat audire, quæ sunt aduersus vos vt ea dicantur, audi illa peto à me Petiliane: Nunquid diuisus est Christus, vt vos ab ecclesia scinderetis?

CAPVT XLIII. PETILIANVS dicit: *Nunquid pro vobis Iudas traditor laqueo suo mortuus est, aut eius vos moribus tingitis, cuius facta sectantes rapitis thesauris ecclesiæ nos Christi hæredes potestatibus seculi venundatis?* AVG. respondit: Non pro nobis Iudas, sed Christus mortuus est. Cui dicit ecclesia toto orbe diffusa: Respondeam exprobrantibus mihi verbum, quoniam in verba tua superseraui. Cum ergo audiam verba Domini dicentis: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in totam Iudæam & Samariam, & vsq; in totam terram. Et per Prophetam: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę verba eorum: malorum commixtio corporalis me nulla perturbat, sed noui dicere: Suscipe seruum tuum in bonum, non calumnientur me superbi. Nõ ergo curo vanum calumniatorem, quia idoneum teneo promissorem. Si autem de rebus vel locis ecclesiasticis quæ tenebatis & non tenetis querimini, possunt & Iudæi se iustos dicere, & iniquitatẽ nobis obijcere, quia locum in quo impiè regnauerunt, modò Christiani possident. Quid ergo indignum, si ea quæ tenebant hæretici, secundum parem Domini voluntatem catholici tenent? Ad omnes enim similes, id est, ad omnes impios & iniquos illa vox Domini valet: Auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti iustitiam. An frustra scriptum est; Labores impiorum iusti edent? Quapropter magis mirari debetis, quòd adhuc tenetis aliquid, quàm quòd aliquid amisistis. Sed neque hoc miremini: paulatim enim cadit paries dealbatus. Respicite tamen Maximianistas, quę loca tenebant; & quibus inde agentibus, & expugnantibus pulsi sint. Et si hoc pati iustitia est, & facere iniquitas, aude loqui si potes. Primò quia vos fecistis, illi passi sunt: deinde quia secundum regulam iustitiæ huius tu inferior inueniris: Illi enim per iudices à catholicis imperatoribus expulsi sunt ex locis antiquis, tu autẽ nec per ipsorum imperatorum iussa de basilicis expelleris vnitatis. Vnde? nisi quia minoris meriti es, non solum cæteris collegis tuis, sed etiam istis ipsis quos certè vt sacrilegos plenarij concilij vestri ore damnastis.

Psal.118. Psal.118. At nunc prò dolor, amiserunt.

Matth.21. Psal.104.

CAPVT XLIIII. Gal.3. PETILIANVS dixit: *Nos enim, vt scriptum est, baptismo nostro Christum induimus traditum, vos vestro cõtagio Iudam induitis traditorem.* AVG. respõdit: Possem & ego dicere, vos vestro contagio Optatum induitis proditorem, raptorem, oppressorem, separatorem: sed absit vt cupiditas reddendi maledicti me prouocet ad aliquam falsitatem: nec vos enim illum induitis, nec nos istum. Itaque si quisque ad nos veniens in nomine Optati se baptizatum esse respondeat, & baptizetur in nomine Christi, & vos quotquot à nobis venientes baptizastis, si in nomine Iudæ traditoris se baptizatos dixerant, non reprehendimus quod fecistis: si autem in Christi nomine baptizati erant, nõ videtis quanto errore arbitremini varietate humanorũ vitiorum diuina sacramenta variari, aut † in te cuiusquã fordib. pollui?

† For. in se.

CAPVT XLV. PETILIANVS dixit: *Sed si istæ sunt partes, nihil nobis præiudicant nomina compartis. Duæ namq; viæ sunt, vna angusta qua pergimus: alia est impiis qua perbunt, & tamen longè discernitur vocabuli æqualitas, ne via iustitiæ consortio nominis maculetur.* AVG. respondit: Timuisti comparatam multitudini vestræ multitudinem orbis terrarum, & ad paucitatis laudem per angustam viam gradientem te conferre voluisti. Vtinam non ad eius laudem, sed ad ipsam viam te contulisses, profectò cõspiceres eandem paucitatem in ecclesia esse omnium gentium, sed paucos dici iustos in comparatione multorum iniquorum: sicut in comparatione paleæ possunt pauca grana dici vberrimæ segetis, quæ tamẽ per seipsa in massam redacta implent horreũ. Nam sicut in tribulationibus amissorum locorum, sic etiam in paucitate, si in his putas esse iustitiam, te ipsi Maximianistæ superabunt.

Iusti quomodo pauci.

CAPVT XLVI. Psal.1. PETILIANVS dixit: *Primo psalmo Dauid beatos & impios separat, non partes scilicet faciens, sed ab omnibus impiis separans sanctitatem. Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum, & in via peccatorum nõ stetit. Ad viam iustitiæ redeat qui errauerat vt periret. Et super cathedram pestilentiæ non sedit. Cùm ita commoneat, ô miseri quid sedetis? Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege Domini meditabitur die ac nocte. Et erit velut lignum quod plantatum est circa decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non decidet, & omnia quæcunque fecerit, prospera procedent. Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ, implet oculos vt excæcet. Propterea non exurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum. Quoniam scit Dominus vias iustorum, & iter impiorum periet.* AVG. respondit: Quis non in Scripturis discernat hæc duo genera hominum? Sed vos maledicti paleæ crimina etiam frumẽtis obiicitis: & cùm sola palea sitis, solum frumentum vos esse iactatis Prophetæ autem veridici vtrumque hoc genus ante ventilationem, quæ in die iudicij futura est, permixtum esse dicunt per totum mundum, id est per totum agrum Domini. Veruntamen admoneo vt istum primum psalmum Græcè legas, ita non audebis pro crimine obiicere orbi terrarum partem Macarij, quia fortè intelliges cuius Macarij sit pars in omnibus sanctis, quæ per omnes gentes benedicuntur in semine Abrahę. Quod enim scritum est Latinè, Beatus vir: Græcè habet μακάριος ἀνὴρ. Ille autem Macarius qui vobis displicet, si malus fuit, nec in hac sorte est, nec huic sorti obest. Si autem bonus, opus suum probet, vt in seipso habeat gloriam, & non in altero.

CAPVT XLVII. Psal.22. PETILIANVS dixit: *Nostri autem baptismatis laudes idem Psalmographus decantauit: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum. Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, sẽ me, inquit, persecutor occidat, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Inde vicit Goliam oleo chrismatis loricata. Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. Impinguasti oleo caput meum, & calix tuus inebrians perquam optimus: Et misericordia tua subsequetur me omnes dies vitæ meæ. Vt inhabitem in domo Domini, in longitudine dierum.* AVG. respondit: Iste psalmus de his loquitur qui bene suscipiunt baptismum, & sanctò sanctè vtuntur. Non enim verba ista etiam ad Simonem magum pertinent, qui tamen eundem sanctum baptismum accepit: & quia eo sanctè vti noluit, non ideò illum inquinauit, aut repetendum talibus docuit. Sed quia Goliæ commemorationem fecisti, attende illum de ipso Golia psalmum, & vide quia in cantico nouo † depictus est: ibi enim dicitur, Deus canticum nouum cantabo tibi, in psalterio decem chordarum psallam tibi. Et vide vtrum ad hoc canticum pertineat, qui orbi terrarum communicat. Alibi enim dicitur: Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Omnis ergo terra in cuius vnitate non estis, cantat canticum nouum, & omnis terrę sunt quoque verba ista: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, &c. Non sunt hæc verba zizaniorum quãuis vsque ad messem in vna segete tolerentur. Non sunt verba paleæ, sed tritici, quamuis eadem pluuia simulque nutriantur, eadem area simulq; triturentur, donec vltimo ventilabro ab inuicẽ segregentur. Quæ duo vtique communiter vnum habent baptismum, quamuis non sint vnum. Sed & si pars vestra esset ecclesia Dei, certè fatereris istum psalmum non ibi pertinere ad furiosas caterias Circumcellionum. Aut si & ipsi per semitas iustitiæ deducuntur, quare negatis eos comites vestros esse cum vobis obiicũtur, quamuis plerunque paucitatem concisionis vestræ, non virga & baculus Dei, sed fustes eorum consolentur, quibus vos & aduersus leges Romanas tutos esse arbitramini: in quos incurrere quid est aliud quàm ambulare in medio vmbræ mortis? Sed non timet mala cum quo Dominus est. Certè tamen non audebis dicere etiam istorum furiosorum esse verba quæ in hoc psalmo cantantur, & tamen habere eos baptismũ, non solùm confitemini, sed etiam profitemini. Non dicunt ergo ista, nisi qui aqua sancta reficiuntur, sicut omnes iusti Dei, non qui ea male vtendo subuertuntur, sicut magus ille à Philippo baptizatus, & tamen ipsa in vtrisq; vna & sancta est. Non dicunt ista nisi qui ad dextram pertinebunt, sed tamen eadem pascua sub vno pastore & oues & hirci pascuntur, donec vt debita recipiant, segregentur. Non dicunt ista nisi qui de mensa Domini vitam sumunt sicut Petrus, non iudicium sicut Iudas: & tamen ipsa vtriq; fuit vna, sed non vtriq; valuit ad vnum, quia ipsi non erant vnum. Non dicit ista nisi qui oleo sancto etiam in spiritu beatificantur, sicut Dauid, non qui in solo corpore consecrãtur, sicut Saul: & tamen cùm ambo vnum sumpsissent, non eis impar sacramentum, sed impar meritum fuit. Non dicunt ista nisi qui calicem Domini in vitam æternam mutata mente suscipiunt, non qui iudicium sibi manducant & bibunt, sicut Apostolus ait, & tamen vtriq; non vnis calix ille vnus est, inebrians ad capessenda cælestia martyres, non ad funestanda præcipitia Circumcelliones. Memento ergo sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominũ, quò illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint, sed ipsis malis hominibus, vt hæc habeant ad testimoniũ dãnationis, non ad adiutorium sanitatis. Saltem quippe ipsa verba vlrima

† al. deuictus.

Psal.143.

Psal.95.

1.Cor.11.

psalmi

psalmi huius considerare debuisti, & propter eos qui baptismo accepto apostatant intelligere, nõ ab omnibus qui sanctum baptisma accipiunt posse dici: Vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierum: & tamen siue permanentibus siue lapsis, cùm ipsi nõ sint vnum, baptismus vnus est: & cùm ipsi non vtriq; sancti sint, baptismus in vtrisque sanctus est: quia & apostatæ si redeant, non quasi eum amiserint rebaptizantur, sed quod in se permanenti iniuriam fecerint humiliantur.

CAPVT XLVIII. PETILIANVS dixit: *At ne vos sanctos esse dicatis, primum id assero, quia qui non fuerit innocens non habet sanctitatem.* AVG. respondit: Ostende nobis tribunal vbi sedisti, vt ante te staret orbis terrarum, & quibus oculis, non dico conscientias omnium, sed vel actus inspexisti & discussisti, vt eum perdidisse innocentiam iudicares. Ille qui raptus est vsque in tertium cælum, 2. Cor. 4. dicit, Sed neque ego meipsum diiudico: & tu de vniuersa terra qua hæreditas Christi dilatatur, audes ferre sententiam. Deinde si satis absolutũ tibi videtur quod dixisti, *Qui non fuerit innocens, non habet sanctitatem*: quæro si non habebat Saul sacramenti sanctitatem, 2. Reg. 10. quid in eo Dauid venerabatur? Si autem habebat innocentiam, quare innocentem persequebatur? Nam eum propter sacrosanctam vnctionẽ & honorauit viuum, & vindicauit occisum. Et quia vel panniculum ex eius veste præscidit, percusso corde trepidauit. Ecce Saul non habebat innocentiam, & tamẽ habebat sanctitatem, non vitæ suæ, (nam hoc sine innocentia nemo potest) sed sacramẽti Dei quod & in malis hominibus sanctum est.

CAPVT XLIX. PETILIANVS dixit, *Nam si legem perfidi nostis, sine iniuria ipsius legis hæc dixerim, hanc & diabolus nouit. Namque Domino Deo in causa Iob iusti, quasi iustus ita de lege respondit, sicut scriptum est, Dixit Dominus diabolo,* Iob 2. *Respexisti in puerum meum Iob, quia non est similis illi in terra, homo sine malitia, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo, perseuerans in simplicitate; tu autem petisti vt omnem rem illius perderes sine causa. Et respondit diabolus & dixit Domino, Corium pro corio, & omne quodcunque habuerit homo pro anima sua dabit. Ecce legaliter loquitur qui nititur contra legem. Et iterum Dominum Christum sermonibus suis sic ausus est attentare, sicut scriptum est, Assumpsit diabolus Iesum in sanctam ciuitatem, & statuit* Matth. 4. *eum super pinnã templi, & dixit ei: Mitte te deorsum: Scriptum est enim, Quia angelis suis mandauit de te, vt manibus tollant te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuũ. Ait* Psal. 90. *Iesus, Iterum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum. Nostis, inquam, sicut diabolus, legem, qui in suis conatibus vincitur, & in actibus erubescit.* AVG. respõdit, Possem quidẽ quærere abs te, in qua lege scripta sunt verba quæ diabolus dixit, cùm sanctum virũ Iob apud Deum criminaretur, si hoc mihi esset propositum, demõstrare legem quam dicis diabolum nosse, teipsum non nosse: sed quia non inde inter nos quæstio est, hoc prætermitto. Sic autem conatus es ostẽdere diabolum legisperitum, quasi nos dicamus omnes qui verba legis nouerunt iustos esse. Quid ergo te adiuuet quod de diabolo commemorare voluisti, nõ video: nisi fortè vt nobis veniret in mentem, quomodo ipsum diabolũ vos imitemini. Sicut enim ille cõtra latorẽ legis proferebat verba legis, sic & vos è verbis legis accusatis homines quos ignoratis, vt Dei promissis quæ in ipsa lege scripta sunt resistatis. Deinde vellem mihi diceres, Confessores illi vestri quando seipsos præcipitant, cui dicant martyrium, vtrum Christo qui talia suggerentem diabolum repulit; an potius ipsi diabolo, qui talia Christo faciẽda suggessit? Duẽ sunt maximè viles atq; vsitatæ mortes eorum qui seipsos interimunt, laqueus & præcipitium. Tu certè dixisti in primis partibus huius Epistolæ, *Laqueo traditor periit, laqueum talibus dere-*

23. q. 5. cap. tu dixisti. Vsitata mortis genera quibus se interficere solent Donatistæ, laqueus, præcipitium, quibus alibi addit & ignem. Matth. 27. Sup. cap. 8.

A *liquit*: hoc ad nos omnino non pertinet. Neque enim veneramur nomine martyrum eos, qui sibi collum ligauerunt. Quanto autem nos probabilius in vos dicimus, magister traditoris diabolus præcipitium Christo suadere voluit, & repulsus est. Quid ergo dicendi sunt quibus hoc suasit & auditus est? Quid enim, nisi inimici Christi, amici autem diaboli, discipuli seductoris, condiscipuli traditoris? spontaneas enim mortes ab vno magistro vtriq; didicerunt; ille laqueum, isti præcipitium.

PETILIANVS dixit, *Sed vt vestra singula destruamus, si sacerdotes vos dicitis, sic à Domino Deo dictum est per prophetam, Vltio Domini super falsos sacerdotes.* AVG. respondit. Quære potius quid verum dicas, non vnde malè dicas, & quid doceas, non quid obiicias. CAP. L.

PETILIANVS dixit, *Si cathedram vobis miseri vendicatis, vt superius diximus, habetis illam profectò quam Dauid propheta psalmographus pestilentiæ cathedram pro-* B *nunciauit: vobis enim iustè relicta est, quia in ea sancti sedere non possunt.* AVG. respondit, Et hæc non vides nõ aliqua esse documenta, sed vana conuitia, Hoc enim est illud quod paulo antè dixi, Verba legis dicitis, sed in quos dicatis non attenditis: sicut diabolus verba legis dicebat, sed cui diceret non agnoscebat. Ille caput nostrum sursum ascensurũ, deorsum volebat deiicere: vos autem corpus eiusdem capitis, quod per totam terram diffusum est, ad exiguam partem vultis redigere. Certè ipse paulo antè dixisti, nos legem nosse & legaliter loqui, sed in actibus erubescere. Dicis quidem ista nihil probans, sed & si de aliquibus probares, de his cæteris non præscriberes. Veruntamen si omnes per totũ orbem tales essent quales vanissimè criminaris, cathedra tibi quid fecit ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet: vel ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Iacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet, quibus nos in catholica vnitate connectimur, & à quib. vos nephario furore separastis? Quare appellas *cathedram pestilentiæ* cathedram apostolicã? Si propter homines quos putas legem loqui & non facere, nunquid Dominus Iesus Christus propter pharisæos de quibus ait, Dicunt enim & non faciunt, cathedræ in qua sedebãt vllam fecit iniuriam? Nónne illam cathedram Moysi commẽdauit, & illos seruato cathedræ honore redarguit? Ait enim, Cathedram Moysi sedent; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Hæc si cogitaretis, non propter homines quos infamatis blasphemaretis cathedram apostolicam cui non communicatis. Sed quid est aliud quàm nescire quid dicere, & tamen non posse nisi maledicere?

B. Petrus Romæ Cathedrã habuit. Anastasius Roman. pontifex. Ioannes Hierosoly. episcop. Etiam Donatistæ Apostolicæ sedis cathedræ maledicunt. Matth. 23.

PETILIANVS dixit, *St sacrificia vos facere iudicatis, de vobis quippe nequissimis Deus ipse sic dicit, Facinorosus,* inquit, *qui sacrificat mihi vitulum, quasi canem occidat, & qui ponit similaginem, quasi sanguinem porcinum fundat, Scitote vestrum sacrificium qui sanguinem humanum iam fudistis. Et iterum, Sacrificia eorum quasi panis luctus, omnis qui manducabit ex illo, inquinabitur.* AVG. respondit, Nos dicimus tale cuique sacrificium fieri, qualis accedit vt offerat, & qualis accedit vt sumat, & eos de sacrificiis talium manducare, qui ad illa tales accedunt quales & illi sunt. Itaque si offerat Deo malus, & accipiat inde bonus, tale cuiq; esse qualis quisq; fuerit, quia & illud scriptum est, Omnia munda mundis. Per hanc sentẽtiam veridicam & catholicam etiã vos Optati sacrificio non estis polluti, si facta eius displicebant vobis. Nam vtique panis illius panis luctus erat, sub cuius iniquitatibus Aphrica tota lugebat: sed panem luctus omnibus vobis cõmunem esse, omniũ vestrum malum schismatis facit. Nam secundum cõcilij vestri sententiã Felicianus Mustitanus humanũ sanguinem fudit. Dixistis enim cùm eos damnaretis, CAPVT LI. Psal. 1. Tit. 1. In conc. Bagaiensi.

Psal. 13. *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Vide ergo quale sacrificium offerat, quem sacerdotem habetis, cùm eum sacrilegum damnaueritis, & si hoc vobis nihil obesse arbitramini, rogo vos, vanitas calumniarũ vestrarum quid oberit orbi terrarum?

CAPVT LII. PETILIANVS dixit, *Si precem Domino facitis aut funditis orationẽ, nihil vobis penitus prodest. Vestras enim debiles preces cruenta vestra conscientia vacuat, quia Dominus Deus puram magis conscientiam quàm preces exaudit, Domino Christo dicente, Nõ omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, sed is qui facit* Matth. 7. *voluntatem patris mei qui in cælis est. Voluntas Dei vtique* Matth. 6. *bona est, nam ideo in sacra oratione sic petimus. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra: vt quia bona eius voluntas est, nobis quæ bona sunt largiatur. Vos ergo voluntatẽ Dei non facitis, quia mala quotidie perpetratis.* AVG. respondit, Ista omnia si & nos in vos dicamus, nónne qui nos audierit, insanos potius litigatores quàm Christianos disputatores, si ipse sanus est, iudicabit? Non ergo reddimus maledictũ pro maledicto, Seruum enim Domi- 2. Tim. 2. nini non oportet litigare, sed esse mitem ad omnes, docibilem, in modestia corripientem diuersa sentientes. Si ergo vobis obiicimus eos, qui mala apud vos quotidie perpetrant, ineptè litigamus, alios ex aliis accusantes. Si autem vos admonemus, vt sicut illa vobis non vultis obiici, sic nobis non obiiciatis aliena, in modestia vos corripimus, si qui aliquando resipiscatis.

CAPVT LIII. PETILIANVS dixit, *Si verò fortè, quod nescio, dæmonia pellitis, nec id vobis proderit: quia nec fidei vestræ, nec meritis cedunt ipsa dæmonia, sed in nomine Domini Iesu Christi pelluntur.* AVG. respondit, Gratias Deo, quia tandem confessus es posse valere inuocatum nomen Christi ad aliorum salutem, etiam si à peccatoribus inuocetur. Hinc ergo intellige cùm Christi nomẽ inuocatur, non obesse aliorum saluti aliena peccata. Nos autem quomodo inuocemus nomen Christi, nõ tuo iudicio nobis opus est, sed ipsius qui inuocatur à nobis. Solus enim potest nosse quo corde inuocetur. Ex eius tamen verbis certi sumus ab omnibus gẽtibus C eum salubriter inuocari quæ benedicuntur in semine Abrahæ.

CAPVT LIV. PETILIANVS dixit, *Etsi prorsus virtutes & mirabilia faciatis, propter vestram nequitiam nec sic vos Dominus nouit, Domino ipso dicente, Multi dicent mihi in die illo,* Matth. 7. *Domine Domine, in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus. Tunc dicam illis, quoniam non noui vos,* 2. Cor. 13. *Discedite à me operarij iniquitatis.* AVG. respõdit, Agnoscimus verba Domini. Hinc & Apostolus ait, Si fidem habeam ita vt montes transferam, charitatem autem non habeã, nihil sum. Hic ergo quærendũ est quis habeat charitatem: inuenies non esse nisi eos qui diligũt vnitatem. Nam de exclusione dæmonum, & de potẽtia miraculorũ, quoniam pleriq; talia non faciunt, & tamen ad regnũ Dei pertinent: pleriq; autem faciũt, & non pertinent: nec nostri nec vestri debent gloriari, si qui fortè ista possunt: quandoquidẽ nec Apostolos, qui verè ista salubriter atq; vtiliter poterãt, voluit Domi- D nus gaudere de talibus, quando eis ait, Nolite in hoc Luce 10. gaudere quod dæmonia vobis subiecta sint: gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælo: Quapropter ista quæ ex Euangelio posuisti, & ego tibi possem dicere, si te viderem signorũ virtutes operãtem: & tu mihi, si me talia facientẽ videres. Non ergo vobis dicamus quę possunt & ex alia parte dici: & remotis ambagibus, quoniam vbi sit ecclesia Christi quærimus, ipsum qui eam suo sanguine redemit, audiamus dicẽtem, Eritis mihi testes in Hierusalem & in totam Iudæam & Samariam, & vsque in totam terram. Huic ecclesiæ quæ per totam terram diffunditur, quisquis non communicat, cui non communicet vides, si cu-

A ius verba ista sint audis. Quid est autem dementius quàm sacramentis Domini communicare, & verbis Domini non communicare? Hi vtique dicturi sunt, In Luce 13. nomine tuo manducauimus & bibimus: & audituri, Non noui vos: qui corpus eius & sanguinem in sacramento manducant & bibũt, & membra eius toto orbe diffusa in Euangelio non agnoscunt, & ideo cum eis in iudicio non computantur.

CAPVT LVI. PETILIANVS dixit, *Quoniam & si vt ipsi putatis, Domini legem purè sequimini, de ipsa lege sanctissima legaliter disputemus. Dicit apostolus Paulus, Bona est lex,* 1. Tim. 1. *si quis ea legitimè vtatur. Lex ergo quid dicit?* Exod. 20. *Non occides. Quod semel fecit Cain parricida, vos fratres sæpius occidistis.* AVG. respondit, Similes vobis esse nolumus, nam non desunt quæ dicantur, sicut & tu ista dicis: & quæ sciantur, nam ista tu nescis: & quæ ostendãtur, nam tu ista non ostendis.

CAPVT LVII. PETILIANVS dixit, *Dictum est, Non mœchaberis: vnusquisq; vestrũm si carnaliter castus sit, spiritaliter mœchus est, quia adulterat sanctitatem.* AVG. respondit, Possunt hæc in quosdã veraciter dici, & nostros & nostros: qui si vtriq; nostrũ displicẽt, nec nostri nec vestri sunt. Sed tu quod in quosdam dicis, & nec in ipsis probas, pro eo vis accipi ac si probaueris, non in aliquibus qui degenerant à semine Abrahæ, sed in omnibus gẽtibus quæ benedicuntur in semine Abrahæ.

CAPVT LVIII. PETILIANVS dixit, *Dictum est, Falsum testimoniũ non reddes: Cum regibus seculi nos vestra venere mentimini, nónne falsa conflatis?* AVG. respõdit, Si non sunt vestra quæ tenetis, nec illa erant vestra quæ à Maximianistis recepistis. Quod si propterea illa vestra erant, quia illi sacrilegum schisma fecerunt, non communicando parti Donati: attende quæ loca teneatis, & cuius hæreditari non communicetis, & cogitate non regibus seculi, sed regi Christo quid respondere possitis. De illo dictum est, Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Psal. 71. Quo vtique flumine, nisi vbi baptizatus est, & vbi super eum columba descendit, magnum charitatis & vnitatis indicium. Vos autem huic vnitati non communicatis, & adhuc loca vnitatis tenetis, & inuidiam nobis de regibus seculi facitis, cùm per iussa proconsulum de locis partis Donati schismaticos vestros expuleritis. Non sunt hæc verba per inane volantia, homines viuunt, ciuitates testantur, gesta proconsularia & municipalia recitantur. Sileat aliquando vox calumniosa obiiciens reges seculi vniuersæ terræ, per quorum proconsules non potuit parcere concisa concisæ. Cùm ergo dicimus quòd nostra teneatis, non ostendimur falsum testimonium dicere, nisi nos ostendatis in ecclesia Christi non esse, quod quidem dicere non cessatis, sed ostendere nunquam valebitis: immo verò cùm hoc dicitis, non iam nobis, sed ipsi Christo falsi testimonij crimen obiicitis. Nos quippe in ecclesia sumus quæ ipsius testimonio prænunciata est, & vbi suis testibus attestatus est dicens, Eritis mihi testes in Hierusalem & in totam Iudæam Act. 1. & Samariam, & vsque in totam terram. Vos autem falsos testes non solum hinc ostendimus, quia huic veritati resistitis, sed etiam in ipso iudicio, quo cum Maximiani schismate conflixistis. Si enim secundum legem Christi agebatis, quanto congruentius secundum eam constituunt aliqui Christiani Imperatores, si possunt secundum eam iudicare Pagani proconsules? Si autem in adiutorium etiam terreni imperij leges assumendas putastis, non reprehendimus. Fecit hoc Paulus cùm aduersus iniuriosos Act. 22. ciuem Romanum se esse testatus est. Sed quæro quibus terrenis legibus sit statutum, vt Maximianistæ locis pellantur: nullas omnino reperies, sed videlicet legibus quæ aduersus hæreticos, atque inter

Dist. 10. c. In adiutorium.

eos etiam aduersus vosipsos latæ sunt, illos expellere voluistis, aduersus infirmos tanquam potentiores prænaluistis. Vnde illi quia nihil potuerunt, innocentes se dicunt tanquam sub leone lupus, tamen legibus aduersus vos latis profectò aduersus alios nisi per falsum testimoninm non vtemini. Si enim veraces sunt illę leges, cedite etiam vos locis quos tenetis: si autem fallaces sunt, cur per eas alios exclusistis? quid quod & veraces sunt, & vos per illas alios nisi fallaciter nõ possetis expellere? Vt enim eis seruirent iudices, hæreticos expellere voluerũt, vnde vos priores expellere debuerunt: sed vos catholicos esse dixistis, vt vobis parcerent leges per quas alios premebatis. Videritis quid vobis apud vosmetipsos videamini, illis tamen legibus non estis catholici. Cur ergo aut eas veraces falso testimonio fefellistis, aut eas fallaces ad opprimendos alios vsurpatis?

CAPVT LIX. Exod. 20. PETILIANVS dixit, *Dictum est, Non concupisces rem proximi tui: vos nostra diripitis vt pro vestris habeatis.* AVG. respondit, Et quęcunque vnitas possidebat, non nisi nostra sunt; qui non secundum calumnias hominum, sed secundũ verba Christi, in quo benedicuntur omnes gentes vniuersæ terræ, in vnitate consistimus, nec propter malos quos à frumentis Dominicis ante iudicij ventilationem separare non possumus, vos à societate tritici separamus. Et si qua iam concisi possidere cœpistis, quia vobis ablata nobis Dominus dedit, non ideo concupiscimus aliena, quia illius imperio cuius sunt omnia, facta sunt nostra, & iustè nostra sunt: vos enim his vtebamini ad præcisionem, nos ad vnitatem. Alioquin & primo populo Dei possent illi obiicere alienæ rei concupiscentiam, qui diuina potestate ab eorum facie, quia ea terra malè vtebantur expulsi sunt: & ipsi Iudæi à quibus ablatum est regnum, secũdum verba Domini, & datum est genti facienti iustitiam, possunt obiicere alienæ rei concupiscentiã, quia ecclesia Christi possidet, vbi persecutores Christi regnabant. Et post omnia, cum vobisipsis dictum fuerit, res alienas concupiscitis, quia Maximianistas de basilicis eiecistis, quid respondeatis, non inuenitis.

23. q. 7. cap. si de rebus.

Matth. 21.

CAPVT LX. PETILIANVS dixit, *Qua igitur lege vos Christianos ostenditis, cùm legi contraria faciatis?* AVG. respõdit, Litigare vis, non disputare.

CAPVT LXI. Matth. 5. PETILIANVS dixit, *Dicit autem Dominus Christus, Qui fecerit & sic docuerit, maximus vocabitur in regno cælorum: sic autem vos miseros damnat, Qui soluerit vnum ex his mandatis, minimus vocabitur in regno cælorũ.* AVG. respondit, Vbi fortè aliter dicis testimonia Scripturarum, quàm sese habent, & ad rem quæ inter nos agitur, non pertinet, non nimis curo: vbi autem impediunt quod tractamus, nisi veraciter proferantur, non te arbitror succensere debere, si quemadmodum scriptum sit commemoro. Ecce hoc quod modo posuisti, non ita scriptum est, sed ita potius, Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic, minimus vocabitur in regno cælorum: Qui autem fecerit & sic docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum. Et continuò secutus ait, Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorũ, non intrabitis in regnum cælorum. Alibi enim pharisæos ostendit & arguit, quoniã dicunt, & non faciunt. Hos ergo & hic significauit, cùm diceret, Qui soluerit & sic docuerit: id est docuerit verbis quod soluerit factis. Super quos abundare præcepit iustitiam nostrã, vt faciamus & sic doceamus, & tamen nec propter illos pharisæos quibus nos non per prudentiam, sed per maleuolentiam comparatis, præcepit Dominus deseri cathedram Moysi, in qua vtique figurabat suam: dicens quippe illos super cathedram Moysi sedentes, dicere & non facere, monet tamen populos facere quæ dicunt, & non facere quæ faciunt, ne cathedræ sancti-

Matth. 23.

Moysi, Christi cathedram figurabat.

A tas deseratur, & propter pastores malos gregis vnitas diuidatur.

CAPVT LXII. 1. Cor. 6. PETILIANVS dixit, *Et iterum, Omne peccatum, quod peccauerit homo, extra corpus est: Qui autem peccauerit in Spiritu sancto, non ei remittetur nec in hoc seculo nec in futuro.* AVG. respondit, Et hoc non ita scriptum est, & vide quãtum te fefellerit Apostolus ad Corinthios scribens, ait, Omne peccatum quodcunq; fecerit homo, extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus suum peccat: hoc autem aliud est, & aliud illud quod Dominus in Euangelio dixit, Omne peccatum & blasphemia dimittetur hominibus, qui autẽ peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei nec in hoc seculo neque in futuro. Tu autem cœpisti ex Apostolo sententiam, & eam tanquam vna sit ex Euangelio terminasti, quod te non credo fraude, sed errore fecisse. Neutra enim ad rem pertinet, & cur hæc dixeris, & quoquo modo dixeris omnino non video: nisi fortè B quia cùm superius dixisses, damnatos esse à Domino qui resoluerint vnum ex mandatis, consideraſti quàm multos habeatis, non vnũ, sed multa mandata soluentes: & ne tibi obiiceretur, voluisti per transitum subinducere differentiam peccatorum, aliud esse soluere aliquod mandatum, vnde venia facilis possit accipi: aliud autem peccare in Spiritum sanctum, quod nõ remittetur neque in hoc seculo neque in futuro. Timẽs itaque contagia peccatorũ hoc tacere voluisti, & rursus timens profunditatem quæstionis excedentem vires tuas, hoc rursum perstringere voluisti, tanta trepidatione, vt quemadmodũ solent aliqua perturbatione festinantes peruersè se vestire aut calceare, nolueris attendere vel quid ad quod pertineat, vel vbi & quẽadmodum scriptum sit. Quale sit autem illud peccatum quod non dimittetur neque in hoc seculo neque in futuro: vsqueadeò nescitis, vt cùm in ipso nos esse credatis, remissionem tamen eius per vestrum nobis C baptismum promittatis. Quod vnde fieri potest, si tale peccatum est vt non dimittatur, neque in hoc seculo neque in futuro?

CAPVT LXIII. Matth. 5. PETILIANVS dixit, *Diuina ergo mandata quibus rebus impletis? Dicit Dominus Iesus, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: vos persequendi malitia furoris diuitias exhalatis.* AVG. respondit, Dicite ista potius Circumcellionibus vestris.

CAPVT LXIIII. Matth. 5. PETILIANVS dixit, *Beati mansueti, quoniam ipsi possidebunt terram. Vos igitur immansueti cælum & terrã pariter perdidistis.* AVG. respondit, Iterum atq, iterum audite Dominum dicentem, Eritis mihi testes in Hierusalem & in totam Iudæam & Samariam & vsque in totam terram. Cur ergo nõ illi perdiderunt terram & cælum, qui vt non communicent vniuersæ terræ, contemnunt verba sedentis in cælo? Nam de vestra mansuetudine non tuę voces, sed Circumcellionum fustes interrogẽtur. Dicturus es, Quid ad nos pertinet? Quasi nos ista dicamus, nisi vt hoc respondeatis? Ideo enim ad vos pertinet schisma vestrũ, quia pertinere ad vos D peccatum nõ vultis alienum: nec tamen ob aliud vos à nobis separastis, nisi dũ nobis obiicitis crimẽ alienũ.

Act. 1.

CAPVT LXV. PETILIANVS dixit, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: vos nostri carnifices lugentes facitis, non lugetis.* AVG. respondit, Considerate paululũ quàm multum, & quantum luctum dederint Deo laudes amatorum vestrorũ. Dicite iterum, quid ad nos? & ego iterum dicam, & tu quod dicis quid ad nos? quid ad orbẽ terrarum? quid ad eos qui laudant nomen Domini à solis ortu vsq; ad occasum? quid ad omnẽ terram quæ cantat canticum nouum? quid ad semen Abrahæ, in quo benedicuntur omnes gentes? Ergo ideo ad vos pertinet sacrilegium schismatis, quia ad nos non pertinent facta mala vestrorum: & hinc intelligitis nec ad orbem terrarum pertinere, etiamsi ea probaretis

Gen. 12.

facta

facta eorum propter quos inde vos separastis.

CAPVT LXVI. Matth. 5. PETILIANVS dixit, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur: vobis hæc iustitia est vt nostrum sanguinem sitiatis.* AVG. respondit, Quid tibi dicã tu homo, nisi quia calumniosus es? Esurit quidem vos & sitit vnitas Christi: quæ vtinam vos absorbeat, hæretici non eritis.

CAPVT LXVII. PETILIANVS dixit, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Vos quando misericordes appellemini, cùm pœnas iustis ingeritis? ad communionem nequissimam, dum animas inquinatis?* AVG. respondit, Nec vos iustos probatis, nec nos pœnas ingerere vel iniustis: & tamen sicut est plærunque crudelis fallax adulatio, sic semper misericors iusta correptio. Nam vnde est illud quod non intelligitis, Emendabit me iustus in misericordia & arguet me? Hoc enim cùm de asperitate misericordis correptionis dixisset, continuò subiunxit de lenitate perniciosæ adulationis, & ait, Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Tu ergo attende quò voceris & vnde reuoceris. Nam vnde nosti quo in te animo sit quem sæuum putas? sed quomodo libet sit, vnusquisque sarcinam suam portat, & apud nos & apud vos: sed sarcinã schismatis quam omnes portatis, abiicite, vt sarcinas vestras bonas in vnitate portetis, & eos qui malas portãt, si possitis misericorditer emendetis: si non possitis, pacificè toleretis.

Psal. 140.

CAPVT LXVIII. PETILIANVS dixit, *Beati qui puro sunt corde, quoniam ipsi Deum videbunt: Quando Deum videbitis qui immunda malitia cordis geritis cæcitatem?* AVGVST. respondit, Quare hoc dicis? An fortè nos ignorata quæ homines dicunt obiicimus omnibus gentibus, & manifesta intelligere nolumus quæ Deus prædixit de omnibus gentibus? Hæc est magna cæcitas cordis, & si nec ipsam in vobis agnoscitis, hæc est maior cæcitas cordis.

PETILIANVS dixit, *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur: Vos pacem scelere fingitis, & bello quæritis vnitatem.* AVG. respondit. Non pacem scelere fingimus: sed pacem ex Euangelio prædicamus, cum quo si pacem habueritis, & nobiscum habebitis. Dominus resurgens, & se non solum oculis intuẽdum, sed etiam contrectandum manibus discipulorum præbens, inde cœpit, Pax vobiscum, inquit. Et quomodo esset tenẽda pax ista, sequentibus verbis aperuit. Ibi enim, Aperuit eis sensum vt intelligerent Scripturas, & dixit eis, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat pati Christum, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Cum his verbis pacem habete, & à nobis non dissentietis, Nam si bello quærimus vnitatem, non potuit laudari præclarius bellum nostrum, quandoquidem scriptum est, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et iterum scriptum est, Nemo vnquam carnem suam odio habuit: & tamen caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Quòd si nemo carnem suam odio habet, & tamen aduersus carnem suam concupiscit: ecce bello vnitas quæritur, vt corpus castigatum seruituti subiiciatur. Quod autem spiritus facit aduersus carnem, non odio, sed dilectione belligerans, hoc spiritales faciunt aduersus carnales, vt quod agunt erga se, agant & erga illos, quia diligunt proximos tanquam proximos, sed bellum spiritalium est illa in charitate correptio, gladius eorum sermo Dei est. Ad tale bellum tuba Apostolica concitantur cum magno impetu personante, Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, hortare, increpa, in omni longanimitate & doctrina. Ecce non agimus ferro, sed verbo, vos autem nec respondetis vera, & accusatis falsa, non corrigitis vestra, obiicitis aliena. Dicit Christus

Luc. 24.

Matth. 5. Ephes. 5.

2. Tim. 4.

A verum testimonium de orbe terrarum, dicitis vos aduersus Christum falsum testimonium contra orbem terrarum. Nos autem si vobis potius quàm Christo crederemus, pacifici essemus: quia Christo potius quàm vobis credimus, pacem scelere fingimus. Et hæc cùm dicatis atque faciatis, audetis insuper commemorare, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Matth. 5.

CAPVT LXIX. Ephes. 4. PETILIANVS dixit, *Cùm dicat apostolus Paulus, Obsecro vos fratres ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis in vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia sustinentes inuicem in charitate, solicitè agentes seruare vnitatem spiritus in coniunctione pacis.* AVG. respondit, Hæc si non tantùm diceretis, sed & audiretis, etiam cognita mala propter pacem sustineretis, non propter dissensionem incognita fingeretis, vel quia postea didicistis propter vnitatem Donati sustinere mala notissima & famosissima Optati. Quæ ista dementia est? Tolerantur cogniti, ne concisio iterum concidatur: & infamantur incogniti, ne in ipsa integritate maneatur.

CAPVT LXX. Hiere. 8. PETILIANVS dixit, *Vobis dicit propheta, Pax pax, & vbi est pax?* AVG. respondit, Tu nobis hoc dicis, non Propheta. Tibi ergo respondemus, Si quæris vbi sit pax, aperi oculos & vide de quo dictum sit, Auferens bella vsque ad finem terræ. Si quæris vbi sit pax, aperi oculos ad illam ciuitatem, quæ non potest abscondi super montem constituta: Aperi oculos & ad ipsum montem, & eum tibi Daniel demonstrat ex paruo lapide crescentem, & implentem vniuersam terram. Tibi autem cùm dixit Propheta, Pax pax, & vbi est pax: quid demonstrabis, an partem Donati ignotam innumerabilibus gentibus quibus notus est Christus? Non est ipsa quæ non potest abscondi, & vnde, nisi quia non est super illum montem constituta? Ipse est enim pax nostra qui fecit vtraque vnum, non Donatus, qui fecit de vno duo.

Psal. 45. Dan. 2. Hiere. 6.

CAPVT LXX. Matth. 5. PETILIANVS dixit, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Vos beati non estis, sed beatos martyres facitis, quorum scilicet animabus cæli repleti sunt, corporumq; memoria terræ floruerunt. Vos ergo non colitis, sed facitis quos colamus.* AVGVST. respondit, Planè si non dictum esset, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, sed dictum esset, Beati qui seipsos præcipitant, implerent cælum martyres vestri: sanè de corporibus eorum multos terrarum flores videmus, sed sicut solet dici, flos cinis.

CAPVT LXXI. Matth. 23. PETILIANVS dixit, *Cùm ergo falsando mandata beati non sitis, vos diuinis sententiis Christus Dominus condemnat. Væ autem vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, neque introeuntes sinitis. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & cùm factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplicius quàm vos. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum & cyminum, & relinquitis quæ grauiora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem. Hæc autem oportebat facere, et illa non omittere: Duces cæci liquantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis monumentis dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia: sic & vos à foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* AVGVSTINVS respondit, Dic mihi vtrum aliquid dixeris quod in vos vicissim ore maledico, & contumelioso similiter dici non possit? Sed ex superioribus quæ à me dicta sunt inueniet, qui voluerit hæc in vos non per vana conuitia, sed per vera testimonia posse dici. Veruntamen quia ex occa-

Matth. 23.

D lium gehennæ duplicius quàm vos.

B

sione

Circumcision pro baptismo habuit antiquus populus Dei.

sione prætermittendum non est: certè antiquus populus Dei, circuncisionem pro baptismo habebat. Quæro ergo si quem fecissent isti in quos tanta dicuntur, pharisæi proselytũ, qui si eos imitaretur, sicut dictum est, filius gehennæ fuisset duplo quàm illi: vtrum si corrigeretur, & vellet imitari Simeonem, Zachariã, Nathanaelem, iterum ab eis circumcidẽdus iudicaretur? Quod si ridiculum est dicere, quamuis more atq; ore vaniloquo talibus nos comparetis, quare post nos baptizatis? Quòd si vos tales estis, quanto nos verius & melius post vos non baptizamus: sicut nec illi quos nominaui, post pessimos pharisæos circumcidi debebãt. Deinde cùm tales sederint super cathedram Moysi, cui Dominus honorẽ seruauit, quare vos propter eos quos istis siue iustè siue iniustè comparatis, cathedram Apostolicam blasphematis?

CAPVT LXXIII. Matth. 10.

PETILIANVS dixit, *Sed nos Christianos ista non terrent: quod enim estis malefacturi, à Christo Domino habemus antè mandatum, Mitto, inquit, vos sicut oues in medio luporum. Lupinam rabiem vos impletis, qui non aliter ecclesiis insidias facitis aut paratis, quàm lupi ouilibus inhiantes, pernicie semper atque impetu, suffectis sanguine faucibus iram anhelantem † suspirant.* AVG. respondit, Vellem in vos dicere istam sententiam, sed nollem istis verbis: nimis inepta vel potius insana sunt. Illud autem opus erat, vt certis aliquibus documentis, non vanissimis maledictis nos lupos esse ostenderetis, vos autem oues. Nam cùm & ego dixero, nos sumus oues, vos autem lupi, ideóne putes interesse aliquid, quia tu illa verbis turgidis dicis? sed attẽde vt ego probẽ quod dico: Nempe Dominus, quod velis nolis nosti, ait in Euangelio, Quæ sunt oues meę, vocem meam audiũt & sequuntur me. Multæ sunt de diuersis rebus voces Domini: verùm exempli gratia, si quispiam dubitaret vtrum in corpore idem Dominus resurrexerit, & recitarentur eius verba dicentis: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: si & his auditis ad credendum resuscitatum corpus eius nollet acquiescere, non vtique inter oues Domini deputaretur, quia vocem eius auditam non sequebatur? Sic & nunc quoniam quæstio est inter nos, vbi sit Ecclesia; cum ex ipso Euãgelij loco vbi post resurrectionem suum corpus etiam palpandum dubitãtibus præbuit, disputantibus consequentia verba recitamus, vbi futuram ecclesiæ latitudinem demonstrauit, dicens, Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorũ in omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem: & vos omnibus gentibus vbi hæc completa sunt communicare non vultis: quomodo estis oues huius pastoris, cuius auditis vocibus non solùm non obsequimini, verumetiam repugnatis? Et oues quidem vos non esse hinc dicemus: esse autẽ lupos audite vnde doceamus. Iam enim vbi sit Ecclesia verbis ipsius apparet, manifestum est vbi sit ouile Christi. Ab hoc igitur ouili certissimis verbis Domini demonstrato & expresso, quicunque, non dico per falsa, sed quod manifestum est, per incerta hominum crimina oues segregant, & ab vnitatis atque charitatis vita ereptas, & alienatas necant, nónne ipsi sunt lupi rapaces? At enim & ipsi Dominum Christum laudant & prædicant. Hi sunt ergo de quibus ipse ait, Induti pellibus ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ouina pellis est in Christi laudibus, lupinus fructus in maledicis dentibus.

† respirãt.

Ioan. 10.

Luca 14.

Matth. 7.

CAPVT LXXIV.

PETILIANVS dixit, *O miseri traditores, impleri quidem scripturam sic decuit: sed in vobis hoc doleo, quòd partes malitiæ vos implere meruistis.* AVG. respondit. Possem ego magis dicere, O miseri traditores, si mihi placeret, imò si iustitia suaderet, omnibus vobis obiicere quorundã facta vestrorum. Quod ergo ad omnes vos pertinet, ô miseri hæretici, cætera iam verba tua ego dixerim, scriptum est enim, Oportet & hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos. Impleri ergo scripturam sic oportuit: sed in vobis hoc doleo, quòd partes malitiæ implere vos meruistis.

A

1. Cor. 11.

CAPVT LXXV.

PETILIANVS dixit, *Nobis autem Dominus Christus contra vestra feralia patientiam simplicem innocentiamq; mandauit. Quid enim dicit? Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos: In hoc enim scient omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem inuicem habueritis.* AVG. respondit, Nisi hæc verba longè à vestris moribus aliena in sermonis vestri superficiẽ trãsferretis, quomodo vos ouina pelle tegeretis?

Ioan. 13.

CAPVT LXXVI.

PETILIANVS dixit, *Paulus quoque Apostolus cùm persecutionès immensas ab omnibus gentibus pateretur, à falsis fratribus pertulit grauiores, sicut de sẽ ipse testatur frequenter afflictus: Periculis ex gẽtibus, periculis ex genere, periculis à falsis fratribus. Quiq; iterũ dicit, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Cùm igitur nos falsos fratres appellatis, Pauli magistri patientiam sub nostris periculis imitamur.* AVG. respõdit, Certè isti sunt falsi fratres, de quibus alio loco idem Apostolus ita conqueritur, Timotheo prædicans germanam synceritatem, Neminem, inquit, habeo vnanimem qui germanè de vobis solicitus sit: omnes enim sua quærunt, non quæ Iesu Christi: vtique de his loquebatur qui tunc quando illam scribebat Epistolam cum illo erant. Non enim omnes qui erant vbicunque Christiani, sua quærebãt, non quæ Iesu Christi. De his ergo, vt dixi, hæc ingemuit, quos eo tempore cùm ista scriberet secum habebat. Quos enim alios tangit, cùm alibi dicit, Foris pugnæ, intus timores: nisi eos quos tantò vehemẽtius, quantò interius metuebat? Si ergo velles imitari Paulum, intus esses falsorum fratrum tolerator, non foris innocentium calumniator.

2. Cor. 11.

1. Cor. 4.

Philip. 2.

2. Cor. 7.

CAPVT LXXVII.

PETILIANVS dixit, *Nam qualis fides in vobis est, quæ non habet charitatem? Paulo ipso dicente, Si linguis hominum loquar, & angelorum scientiam habeam, charitatem autem non habeam, ita sum tanquam æramentum tinniens, aut cymbalum concrepans. Aut si habuero prophẽtiam, & nouerim omnia sacramenta & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem nõ habeam, nihil sum. Etsi distribuero omnẽ sũbstantiam meam pauperibus, et si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* AVG. respondit, Hoc est quod paulo antè dixi, pelle te ouina contegi velle, vt si fieri potest prius te ouis mordentem sentiat, quàm præsentiat venientem. Nónne ista est charitatis laus quæ vestram calumniã solet lucidissima veritate conuincere? An ideo arma ista nostra non erunt, quia vos ea præoccupare conamini? Prorsus hæc iacula viua sunt, vndecunque iactentur agnoscuntur quos perimant. Si à nobis missa fuerint, in vobis hærebunt: si à vobis mittuntur, in vos retorquentur. His enim nos Apostolicis verbis commendantibus eminentiam charitatis vobis solemus ostendere, quomodo non prosit hominibus, quamuis in eis sint vel sacramenta vel fides vbi charitas nõ est, vt cùm ad catholicam vnitatem venitis intelligatis quid vobis conferatur, & quantum sit quod minus habebatis. Charitas enim Christiana nisi in vnitate ecclesiæ non potest custodiri: atque ita videatis sine illa nihil vos esse, & si baptismũ & fidem teneatis, & per illã etiam mõtes tranferre possitis. Quòd si hæc & vestra sententia est, non in vobis detestemur & exufflemus vel Dei sacramenta, quæ nouimus, vel ipsam fidem, sed teneamus charitatem sine qua & cum sacramentis & cum fide nihil sumus. Tenemus autem charitatem si amplectimur vnitatem: Amplectimur autem vnitatem si eam non per verba nostra in parte confingimus,

C

1. Cor. 13.

D

gimus, sed per verba Christi in vnitate cognoscimus.

CAPVT LXXVIII. 1. Cor. 13.

PETILIANVS dixit: *Et iterum, Charitas enim magnanima est & benigna, charitas non æmulatur, nõ agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt: vos autem quæritis aliena: Non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia tolerat, omnia sustinet: Charitas nũquam excidit. Hoc est breuiter dicere, non persequitur charitas, non aduersum cæteras animas Imperatores inflammat, non aliena diripit, non etiam homines quos spoliabat occidit.*

AVG. respondit: Quoties tibi dicturus sum, hæc si non probatis, ad neminẽ pertinẽt: si autẽ probatis, ad nos nõ pertinẽt, sicut nec ad vos, quæ vestri quotidie cõmittunt per scelera furiosorũ, per luxurias vinolentorũ, per cæcitatẽ præcipitatorũ, per tyrannidẽ raptorũ: quis nõ videat verũ esse quod clamo? Sed nunc si esset in te charitas, cõgauderet veritati. Quàm enim eleganter sub pelle ouina dicitur, charitas omnia tolerat, omnia sustinet: vbi autẽ ventũ fuerit ad examen, lupini dentes operiri nõ possunt. Cùm enim charitas te propter id quod dictum est, Sustinentes inuicem in dilectione, studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: etiam si qua mala intus nosses, cogeret, non eis quidem consentire, sed tamen ea si prohibere non poteras sustinere, ne propter malos ventilabro vltimo separandos, nunc à bonorum societate pacis vinculũ abrumperes: foras vento leuitatis excussus, paleæ crimen obiicis tritico, & quæ fingis de malis, per contagionem valere & in bonis affirmas. Et cùm Dominus dixerit, Ager est hic mundus, messis autem est finis seculi, cùm de frumentis & zizaniis dixisset, Sinite vtraque crescere vsque ad messem: tu laboras verbis tuis: vt frumenta iam per totum agrum defecisse, & ad exiguam particulam vestram remansisse credantur, dum vis vt habeatur Christus mendax, tu autem verax: & loqueris quidem contra conscientiam tuam. Neque enim verè quisquam quoquo modo intuens Euangelium: audet in animo suo dicere, per tot gentes in quibus penè respondetur vna voce amen, & cantatur halleluia, non esse Christianos: & tamen ne pars Donati, quæ orbi terrarum non communicat, errare videatur; si quis tibi angelus de cælo qui posset intueri vniuersum orbem terrarum, diceret extra communionem vestram nusquam esse innocentes, & bonos, proculdubiò gauderes super iniquitate generis humani, & vera te dixisse antequam cognosceres gloriareris. Quomodo est ergo in te charitas, quę non gaudet super iniquitate? Sed noli falli: Sunt per agrum, id est, per mundũ vsque ad finem seculi crescentia frumenta Dominica. Christus hoc dixit, Christus est veritas: Sit in te charitas, & congaudeat veritati. Contra Euangelium & si angelus de cælo euangelizauerit, anathema sit.

B

Ephes. 4.

Matth. 13.

Galat. 1.

CAPVT LXXIX.

PETILIANVS dixit: *Postremò quæ est ratio persequendi vos miseri interrogo, si putatis forsitan vos aliqua legis authoritate peccare?* AVG. respondit: Qui peccat, non peccat legis authoritate, sed contra legis authoritatem. Quia verò interrogas quæ sit ratio persequendi, vicissim te interrogo, cuius sit vox in Psalmo dicentis, Detrahẽtem secretò proximo suo, hunc persequebar. Quære itaque persecutionis vel causam vel modum, & noli tanta imperitia generaliter malorum persecutores reprehendere.

D

Psalm. 100.

CAPVT LXXX.

PETILIANVS dixit: *Ego verò econtrà respondeo, Iesum Christum neminem persecutum, & cùm aliquæ sectæ Apostolis eidẽ suggerentibus displicerent: Ita enim fidem venerat facere vt non cogeret homines, sed potius inuitaret, dicunt illi Apostoli, Multi in nomine tuo manus imponunt, & nobiscum non sunt. Dixit Iesus, Dimittite illos, si cõtra vos non sunt, pro vobis sunt.* AVG. respondit: Verum dicis, multo vberius te prolaturum de tuo quæ in Scripturis nõ inueniuntur. Si enim de Scripturis sanctis velis testimonia proferre, nunquid ea quę non inueneris proferres? vestra autem mendacia quàm multa sunt, in vestra potestate est. Vbi enim scriptum est quod posuisti, vel quando aut à Domino illud suggestum est, aut à Domino illud respõsum est, Multi in nomine tuo manus imponunt, & nobiscum non sunt? Nũquam filio Dei quisquam discipulorum dixit, vnde nec illud ab eo responderi potuit, Dimittite illos, si contra vos non sunt, pro vobis sunt: sed est quoddam simile quod reuera in Euãgelio legimus de quodam suggestum esse Domino qui dæmonia in eius nomine eiciebat, & cum discipulis eum non sequebatur, vbi Dominus ait, Nolite prohibere: Qui contra vos nõ est, pro vobis est. Hoc autem ad sectas demonstrãdas quibus pepercisse Dominus videatur, omnino nõ pertinet, sed si te nonnulla fefellit similitudo sententiæ, non est mendacium, error humanus est. Si autẽ imperitis Scripturarũ sanctarũ nebulas falsitatis iniicere voluisti, compungaris & cõfundaris & corrigaris. Est tamẽ quod de hoc ipso de quo Domino suggestũ est, nos agamus. Quomodo enim tunc præter communionem discipulorum, valebat tamen plurimum sanctitas nominis Christi: sic præter ecclesiæ communionem valet sanctitas sacramenti. Neque enim baptismus consecratur nisi in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Quis autem insanissimus dixerit, etiam præter ecclesiæ communionẽ nomen filij valere? Quid enim potest valere in homine sanando, non autem valere in baptismo cõsecrando? Sed planè præter ecclesiæ communionem & vnitatis sanctissimũ vinculum, & charitatis supereminẽtissimum donum, nec ille à quo dæmonium eiicitur, nec ille qui baptizatur, æternam vitam consequitur: sicut nec illi qui per communionem sacramentorum intus videntur, & per iniquitatem morum foris intelliguntur. Quòd autem Christus etiam corporaliter fuerit persecutus eos quos de templo expulit flagellando, iam suprà diximus.

Luca 9.

CAPVT LXXXI. Philip.

PETILIANVS dixit: *Sanctus verò apostolus Paulus hæc dicit, Quoquo autem modo, inquit, Christus annuncietur.* AVG. respõdit: Contra te loqueris, sed tamẽ quia pro veritate loqueris, si eam dilexeris, pro te sit quod loqueris. Quærò enim abs te, de quibus hoc dixerit apostolus Paulus? Recolamus hoc paululum, si placet. Quidam, inquit, per inuidiam & contentionem, quidam verò per bonam voluntatem Christum annũciant, quidam ex charitate, scientes quia in defensionem Euangelij positus sum: quidam verò & per cõtumaciam Christum annunciant non castè, existimantes tribulationem suscitari vinculis meis. Quid enim? Dũ omni modo siue occasione siue veritate Christus annũcietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Videmus istos rem quidem sanctam & castam & veram, non tamen castè annunciasse, sed per inuidiam & contentionem, sine charitate, sine castitate. Certè paulo antè laudes charitatis aduersus nos dicere videbaris ex Apostoli testimonio, quia, Vbi charitas non est, quicquid fuerit nihil prodest: Ecce in istis charitas non est, & tamẽ erat Christi prædicatio, de qua se gaudere sic dicit Apostolus, Neq; enim malo istorum gaudet, sed bono nominis Christi. In ipso quippe charitas erat, quæ non gaudet super iniquitatẽ, cõgaudet autẽ veritati. Inuidia porrò, quæ in illis erat, diabolicũ malũ est: hac enim & cecidit & deiecit. Hi ergo tã mali quos sic arguit Apostolus, in quibus erat tantũ bonũ, de quo gaudet Apostolus, vbi erãt, intus an foris? Elige quod volueris. Si intus, ecce nouerat eos Paulus, & eũ tamẽ nõ polluebãt: sic vos nõ polluerent in vnitate orbis terrarũ, de quibus nescio quæ seu vera dicitis, seu falsa confingitis. Quare ergo vos separastis? quare sacrilegio scelerati schismatis peremistis? Si autẽ foris erant, ecce & in eis qui foris sunt, vtique ad vitam æternã, quia charitatẽ nõ habẽt, & vni-

C

Ibidem.

1. Cor. 13.

Inuidia diabolicũ malum.

& vnitatem non tenent, pertinere non possunt: inest tamen sanctitas nominis Christi, quorum prædicationem Apostolus propter ipsam nominis sanctitatem, quamuis illos detestetur, gaudendo confirmat. Rectè ergo ipsi nomini non facimus iniuriam cùm ad nos veniunt qui foris erant, sed ipsos corrigimus, illud honoramus. Vos itaque videte quàm nefariè in eis quorum facta sicut videtur arguitis, etiam sacramentum nominis Christi, quod in eis sanctum est, exufflatis. Et tu quidem istos quos commemorauit Apostolus, sicut verba tua indicant, foris ab Ecclesia fuisse arbitraris: Ita cùm times à catholicis pati persecutionem, de qua nobis loquendo facis inuidiam, confirmasti in hæreticis Christi nomen, cui baptizando facis iniuriam.

CAPVT LXXXII. PETILIANVS dixit: *Si igitur tanta potentia fidei non est aliquibus aduersata, qua tu ratione persequeris, vt cogas homines inquinari?* AVG respondit: Nec persequimur vos, nisi quemadmodum persequitur veritas falsitatem. Nec ad nos pertinet, si quis vos aliter persecutus est, sicut nec ad vos quicquid nostri similiter faciunt: nec vos cogimus inquinari si suademus sanari.

23.q.4.cap. Qui peccat.

CAPVT LXXXIII. PETILIANVS dixit: *Quòd si cogi per legem aliquem vel ad bona licuisset, vos ipsi miseri à nobis ad fidem purissimam cogi debuistis. Sed absit absit à nostra conscientia, vt ad nostram fidem aliquem compellamus.* AVG. respondit: Ad fidem quidem nullus est cogendus inuitus, sed per seueritatem, imò & per misericordiam Dei tribulationũ flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate volũtatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? Sed tamen malè viuendi vltrix disciplina præpostera est, nisi cùm præcedens bene viuendi doctrina contẽnitur. Si quæ igitur aduersus vos leges constitutæ sunt, non eis benefacere cogimini, sed malè facere prohibemini. Nam bene facere nemo potest nisi elegerit, nisi amauerit, quod est in libera volũtate: timor autẽ pœnarum & si nondum habet delectationem bonæ conscientiæ, saltem intra claustra cogitationis coërcet malam cupiditatem. Qui tamen † aduersas leges constituerunt quibus vestra comprimatur audacia, nónne hi de quibus dicit Apostolus, Quia non sine causa gladium portãt, ministri enim Dei sunt, vindices in iram ei qui malè agit? Tota igitur quæstio est, vtrum vos nõ malè agatis, quibus tanti schismatis sacrilegium obiicit orbis terrarum: cuius quæstionis discussione neglecta, superflua loquimini, & cùm viuatis vt latrones, mori vos iactatis vt martyres. Et quia vel ipsas leges vel inuidiam formidatis, vel ad resistendum impares estis, non dico aduersus tot homines, sed aduersus tot gentes catholicas, etiam de mãsuetudine gloriamini, quòd ad vestram partem neminem cogitis. Isto modo & miluus cùm pullos rapere territus non potuerit, columbũ se nominet. Vbi enim potuistis, & non fecistis? Vnde ostenditis quòd plura faceretis si possetis. Quãdo Iulianus vobis, Christi inuidens paci, basilicas reddidit vnitatis, quæ strages à vobis factæ sunt, quando vobiscum apertis templis suis etiam dæmones exultabant? Quis commemorare sufficiat, bello Firmiano quæ à vobis Rogatus Maurus pertulerit? Ipsa Mauritania Cæsariensis interrogetur, & tempora Gildoniana, quia vnus collega vester familiarissimus amicus eius fuit. Viderint Maximianistæ quæ senserint, nam Felicianum ipsum qui modò vobiscum est, si ad iusiurandum liceret prouocare, vtrum ad communionem vestram non inuitum Optatus redire compulerit: mouere labia non auderet, præsertim si eius faciem populus Mustitanus intueretur, quo-este illa tunc facta sunt. Sed isti, vt dixi, viderint quæ passi fuerint ab eis, cum quibus Rogato talia fecerant: Ipsa catholica Ecclesia solidata principibus catholicis imperãtibus terra marique armatis turbis ab Optato atrociter & hostiliter oppugnata est. Quæ res coëgit tunc primò aduersus vos allegari apud vicarium Seranum legẽ illam de decem libris auri, quas vestrum adhuc nullus pendit, & nos crudelitatis arguitis. Quid autem mãsuetius sit quàm vt coërcitione damnorum tanta vestra scelera mulctentur? Quis autẽ possit enarrare omnia quę nulla amicitia iudicũ aut aliquarum potestatũ, quisque vbi potuerit, in locis vestris propria dominatione committatis? Quis vestrum in plebibus vestris nõ aliquid tale vel à prioribus comperit, vel ipse expertus est? Nónne apud Hipponem vbi ego sum, non desunt qui meminerint Faustinum vestrum regni sui tempore præcepisse, quoniam catholicorũ ibi paucitas erat, vt nullus eis panem coqueret, ita vt cuiusdam diaconi nostri furnarius inquilinus domini sui panem incoctum abiecerit, eique nulla exilij lege dãnato, communicationẽ non solũ in ciuitate Romana, sed etiam in patria sua; nec solũ in patria sua, sed etiam in domo sua negauerit? Quid nuper, quod ipse adhuc lugeo, nónne *Crispinus vester Calamensis cũ emisset possessionẽ, & hoc emphyteuticã, nõ dubitauit in fundo catholicorũ imperatorũ, quorũ legib⁹ nec in ciuitatibus esse iussi estis, vno terroris impetu octoginta fermè animas miserabili gemitu mussitantes rebaptizando submergere? Quibus autẽ nisi talibus factis etiã ipsas de quibus conquerimini leges, lõgè quidem infra meritum sceleris vestri, sed tamẽ qualescunque ferri coëgistis? An verò violentis incursibus Circumcellionum vestrorum, qui sub vestro principatu furiosis agminibus militant, non ex agris vndique pelleremur, nisi vos obsides in ciuitatibus teneremus, qui quoquo modo ipsam faciem publicam & honestorum reprehensionem, & si non timore vel pudore ferre nolitis. Noli ergo dicere, absit absit à nostra conscientia, vt ad nostram fidem aliquem compellamus. Facitis enim vbi potestis: vbi autem non facitis, nõ potestis, siue legum siue inuidię timore, siue resistentium multitudine.

Rogatus Maurus. Optatus Gildonianus.

Maximianistæ præcesserunt.

CAPVT LXXXIIII. PETILIANVS dixit: *Dicit enim Dominus Christus, Nemo venit ad me nisi quem pater attraxerit. Cur autem vos non liberum arbitrium vnicuique sequi permittitis, cùm ipse Dominus Deus liberum arbitrium dederit hominibus, viam tamen iustitiæ ostendens, ne quis forsitã nescius deperiret. Dixit enim, Posui ante te bonũ & malum, posui ante te ignem & aquam, quod volueris elige. Ex quo vos arbitrio miseri, vobis non aquam sed ignem potius elegistis: sed tamen, inquit, bonum elige vt viuas: qui non vis bonum eligere, viuere te nolle damnasti.* AVG. respõdit: Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus pater attrahat ad filium homines quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit vt quis quod voluerit eligat: & tamẽ vtrunque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent. Sicut ergo fieri potest, vt quos in libero dimisit arbitrio, attrahat tamen ad filium pater: sic fieri potest, vt ea quę legum coërcitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium. Quidquid enim homo durum & molestum patitur, admonetur vt cogitet quare patiatur; vt si pro iustitia se pati perspexerit, idipsum bonum eligat pro iustitia talia sustinere. Si autem viderit iniquitatem esse pro qua patitur, se infructuosissimè laborare atque cruciari considerans, mutet in melius voluntatem, simúlque careat & molestia sterili & ipsa iniquitate. Multo itaque grauius & perniciosius nocitura, & vos cũ aliquid aduersus vos reges constituunt, admoneri vos credite, vt cogitetis quare ista patiamini. Si propter iustitiam, reuera illi persecutores vestri sunt, vos autẽ beati qui persecutionem passi propter iustitiam, possidebitis regnũ cælorum. Si autem propter iniquitatẽ schismatis vestri, quid illi nisi correctores vestri sunt, vos autẽ sicut cæteri diuersorũ scelerum rei, qui pœnas legibus pendunt,

Donatistæ vt tant catholicis panem coqui.

Hippnem Romanũ vocat ciuitatẽ, quòd vel iuris vel potestatis esset Romanorũ vide epist. 173.to.2.

23.q.4.cap. Ad fidem.

dunt, profectò infelices & in hoc seculo & in futuro? Nemo ergo vobis aufert liberum arbitrium: sed vos diligenter attendite quid potius eligatis, vtrum correcti viuere in pace, an in malitia perseuerantes, falsi martyrij nomine vera supplicia sustinere. Sic vos autẽ alloquor, quasi verò aliquid dignum vestra iniquitate patiamini, cùm tanta indigna faciatis, & in tanta impunitate regnetis; ita furiosi, vt per Dei laudes amplius quàm buccina bellica terreatis: ita calũniosi: vt etiam spontanea vestrorum præcipitia nostris persecutionibus imputetis. Dicit etiam quasi præceptor benignissimus, *Qui non vis bonum eligere, viuere te nolle damnasti.* Ita verò si criminationibus vestris crederemus, benignè viueremus: quia Dei promissionibus credimus, viuere nos nolle damnamus. Bene, vt arbitror, meministi quid Apostoli dixerint Iudæis quãdo Christum prædicare prohibebantur: hoc ergo & nos dicimus vt respondeatis nobis, Vtrum Deo magis obediendũ sit an hominibus? Traditores, thurificatores, persecutores, verba sunt hominum contra homines. In sola dilectione Donati remansit Christus: verba sunt hominum extollentium gloriã hominis sub nomine Christi, vt gloria minuatur ipsius Christi. Scriptũ est enim, In lata gente gloria regis, in diminutione autẽ populi contritio principis: hęc ergo verba sunt hominum. At illa in Euangelio, Quia oportebat Christum pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gẽtes, incipientibus ab Hierusalem: verba sunt Christi commendantis gloriam quam accepit à patre in latitudine regni sui. Vtrisque auditis, hanc Ecclesiæ cõmunionem potius eligimus, & hominũ verbis Christi verba præponimus. Rogo quis est qui nos dicat mala elegisse, nisi qui Christum dicit mala docuisse?

Hæc cùm scriberet August. nulla extabat adhuc lex in Donatistas capitalis.

Act. 5.

Prou. 14.

Luce 14.

CAPVT. LXXXV. PETILIANVS dixit: *Nunquid igitur cædem vel schismaticis Deus iussit inferri? Qui si omnino præciperet, vos deberetis occidi ab aliquibus Scythis ac Barbaris, nõ tamen à Christianis.* AVG. respondit: Vestri Circumcelliones quiescant, & nolo nos de Barbaris terreas. Vtrum autem schismatici nos simus an vos, nec ego nec tu, sed Christus interrogetur vt iudicet Ecclesiam suam. Lege ergo Euangelium, & respondet tibi, In Hierusalem & in totam Iudæam & Samariam vsque in totam terram. Quisquis igitur in Ecclesia non inuenitur, iam non interrogetur, sed aut correctus conuertatur, aut correptus non conqueratur.

Legum coërcitiones nõ auferunt liberum arbitrium. Legum pœnalium utilitas.

23.q.5.cap. Ad fidem.

Exod. 32.

Luce 24.

CAPVT LXXXVI. PETILIANVS dixit: *Neque enim Dominus Deus humano sanguine aliquando lætatus est, cùm occisorem fratris Cain in vita carnifice voluerit permanere.* AVG. respondit: Si occisori fratris Deus noluit inferri mortẽ, sed relinqui carnifici vitam: vide ne fortè hoc sit, quòd cùm regis cor in manu Dei sit, vnde multas ad vos commonendos & corripiendos leges ipse constituit: nulla tamen lex regia vos iussit occidi: fortasse propterea, vt quicũque vestrũ in pertinaci sacrilegi furoris aura persistũt, Cain parricidæ supplicio & vita carnifice cruciẽtur. Legimus enim multos à famulo Dei Moyse misericorditer interfectos: nã in eo quòd pro eorum nefario sacrilegio sic est Dominum deprecatus, vt diceret, Domine si dimittis illis peccatum, dimitte; sin autem, dele me de libro tuo, ineffabilis eius charitas & misericordia satis apparet. Nunquid ergo subitò crudelis effectus est, cùm de monte descendẽs tot milia iuberet occidi? Considerate itaque ne fortè maiore iracundia Dei per tot leges aduersus vos latas à nullo Imperatore iussi fueritis occidi. An illi fratricidæ non vos comparandos putatis? Audite Dominum per Prophetam dicentem, Ab ortu solis vsque ad occasum glorificatum est nomen meum in nationibus, & in omni loco incẽsum admouebitur nomini meo & hostia pura: Magnum nomẽ meũ in nationibus, dicit Dominus omnipotens. Huic fraterno sacrificio super quod respicit Dominus inuidere vos per calumnias vestras ostenditis: & si quando audieritis, A solis ortu vsque ad occasum laudari nomen Domini: quod est viuum sacrificium, de quo dictum est, Immola Deo sacrificium laudis: ita concidet vultus vester vt illius homicidæ. Sed quia vniuersum orbem interimere non potestis, odio ipso rei tenemini, dicente Ioanne, Qui odit fratrem suum, homicida est. Et vtinam innocens frater in vestrorum potius Circumcellionum tela trucidandus, quàm in vestram linguam rebaptizandus incurrat.

Psalm. 112.

Psalm. 49.

1. Ioan. 3.

CAPVT. LXXXVII. PETILIANVS dixit: *Monemus vos ergo si libenter audiatis, & si non libenter accipitis admonemus, quia Dominus Christus non occidendi formam, sed moriendi Christianis instituit. Nam si ita repugnantes diligeret, nollet pro nobis occidi.* AVG. respondit: Vtinam formam eius sequerentur martyres vestri, non se præcipitarent, quod ille diabolo suggerente non fecit. Vos autem cùm maiores nostros etiam defunctos falso testimonio persequimini, vbi accepistis hanc formam? quod nos ignotorum criminibus maculare conamini, cùm vestrorum malefacta notissima vobis obesse nolitis: vbi accepistis hanc formam? Sed nimium superbimus si de nobis succẽsemus, cùm aduersus ipsum Dominum vos falsum testimonium dicere videamus: quãdoquidem ipse Ecclesiam suam per omnes gentes & promisit & exhibuit, & vos contradicitis. Hanc verò formam nec ab ipsis Iudæis persecutoribus accepistis: illi enim persecuti sunt carnẽ ambulantis in terra, vos Euangelium sẽdentis in cęlo. Quod Euangelium mitius pertulit sæuientũ regum flammas, quàm vestras patitur linguas: nam illis incẽdentibus vnitas mansit, vobis loquentibus manere nõ potuit. Qui verba Domini exusta cupiebant aboleri, non credebant posse lecta contemni. Non ergo illi in Euangelio exercerent flammas suas, si eis contra Euãgelium permitteretis linguas vestras. In illa persecutione Euangelium Christi ab aliis sæuientibus quærebatur, ab aliis metuentibus prodebatur, ab aliis sæuiẽtibus incendebatur, ab aliis diligentibus abscondebatur, nullis cõtradicentibus oppugnabatur, sceleratiores vobis persecutionis partes transacta gentium persecutione seruastis. Qui Christi nomen persequebantur, Christo crediderunt: qui propter Christi nomen honorantur, Christo contradicunt.

Malach. 1.

CAPVT LXXXVIII. PETILIANVS dixit: *Ecce vobis plenissimum documentum, quòd Christiano non liceat in pernicie aliena versari: disciplinæ autem huius initium Petro est constitutum, sicut scriptum est: Percussit Petrus auriculam serui principis Iudæorum, & abscidit eam. Dixitque illi Iesus, Petre reconde gladium tuum in theca. Qui enim gladio vtitur, gladio morietur.* AVG. respondit: Cur ergo non tali voce compescitis arma Circumcellionum? An præter Euangelium vos loqui arbitremini, si dixeritis, Qui fuste vsus fuerit, fuste morietur? Date ergo veniã quia nec illos à quibus Marculũ præcipitatũ esse queremini, potuerint prohibere maiores nostri; neq; enim scriptum est in Euangelio, Qui aliquem præcipitauerit, præcipitio morietur. Atque vtinam sicut illa vel falsa vel transacta sunt, sic istorũ lingua cessaret. Quanquam fortasse irascimini quòd legionibus vestris, etsi non legibus, saltem verbis subtrahimus armaturam, quia eas solis sæuire fustibus dicimus. Vetus quippe ista eorum malitia fuit, nunc autem nimium profecerunt: Nam inter vinolenta conuiuia, & cum feminis maritos non habentibus, liberam cõmitandi, vagandi, iocandi, bibendi, pernoctandi licentiam, nõ solùm fustes tornare, sed etiam ferrum vibrare & fundas circum agere didicerunt. Sed cur eis non dicam, (quo animo dicam, & quo illi accipiant, nouerit Deus) Insan-

Matth. 26.

sani, gladius Petri quamuis adhuc carnali motu animi, tamen pro Christi corpore in corpus persecutoris exertus est: vestra verò arma aduersus Christum diuisa sunt. Corpus verò cui ille caput est, id est, Ecclesia eius, per omnes gentes est. Ipse hoc dixit, & ascendit in cęlum, quò eum furor Iudęorum sequi non potuit, & membra eius in corpore quod ascendens commẽdauit, furor vester oppugnat. Pro istis membris aduersus vos sæuiunt & vobis resistunt quicunque in catholica paruę adhuc fidei, eo animo sunt, quo tũc Petrus fuit cùm ferrum pro Christi nomine strinxit. Sed multum interest inter vestram persecutionem & istorum. Vos similes estis seruo sacerdotis Iudęorum, quia seruientes principibus vestris, aduersus Ecclesiam catholicã, id est, aduersus Christi corpus armamini. Isti autem tales sunt qualis tunc Petrus fuit, qui pro Christi corpore, id est, pro Ecclesia, etiam corporaliter pugnant. Sed si ipsis dicitur vt quiescant, sicut Petro tunc dictum est: quanto magis vobis dicendum est, vt hæretico † furore deposito ad ea membra pertineatis pro quibus illi sic dimicant. Sed læsi à talibus etiã nos odistis, & tanquam aures dexteras perdideritis, Christum sedentem ad patris dexteram non auditis. Sed quibus loquar, aut quando eis loquar, quibus nec horam inuenio, vinum etiam mane ructantibus, siue iam ebriis, siue adhuc potãtibus? Quinimo & minantur, nõ solùm illi, sed de illis etiã Episcopi ipsorum, parati negare ad se pertinere quod fecerint. Donet nobis Dominus canticũ graduũ, quo dicere possimus, Cum his qui oderunt pacẽ, eram pacificus, cũ loquebar illis, debellabãt me gratis. Dicit enim hoc corpus Christi, quod per totã terrã, ab aliis hic, ab aliis alibi, & ab omnib⁹ aliis atq; aliis vbicũq; sunt hæreticis oppugnatur.

23.q.4.cap. Pro memb.

al. errore.

Psalm 119.

Vide lib. 3. cons. crescon. cap. 67. & li. 4. cap. 60. & 61.

CAPVT LXXXIX.

PETILIANVS dixit: *Ergo, inquam, mortem pro fide subeundam constituit, quæ cuique pro communione facienda. Christianitas enim moribus proficit. Nam nemo fidelissimus viueret, si mors à fidelibus timeretur. Dicit enim Dominus Christus, Si granum tritici cadens in terram non moriatur, solum manet: si autem moriatur, multum fructum facit.* AVG. respõdit: Vellem scire quis primo de parte vestra se præcipitauerit. Valde quippe illud granum fertile fuit, vnde tanta seges præcipitatorum cadauerum pullulauit. Sanè cùm verborum Domini memineritis, quia se dixit granum moriturum, & multum fructum facturum: quare ipsi fructui quòd per totum mundum veracissimè prouenerit inuidetis, & ei zizaniorum vel paleæ crimina, vel quæ audistis vel quæ finxistis obiicitis?

Ioan. 12.

CAPVT XC.

PETILIANVS dixit: *Sed vos spinas atque zizania, non semina spargitis, cum quibus vos in summo iudicio deceat concremari. Non maledicimus, sed omnis spinosa conscientia, Dei sententia sic tenetur.* AVG. respondit: Saltem commemoratione zizaniorum simul tibi & triticum veniret in mentem, quia vtraque per agrum iussa sunt crescere vsque ad messem: vos autem oculum maleuolentię in zizaniis acriter figitis, & contra sententiam Christi ea sola per orbem terrarum, excepta Africa, creuisse contenditis.

CAPVT XCI. Matth. 5.

PETILIANVS dixit: *Vbi est quod dicit Dominus Christus, Si acceperis alapam, præpara & aliam maxillam? Vbi est illud quòd sputa in facie passus est, qui sputo suo sanctissimo cæci oculos patefecit? Vbi est quod dicit apostolus Paulus, Si quis vos in faciem cædit? Vbi est quod iterum dicit, In plagis supra modum, in mortibus frequenter, in carceribus abundantius? Quæ pertulit memorat, non quæ fecit: suffecerat fidei Christianæ à Iudæis hæc fieri. Cur hæc miseri perpetratis?* AVG. respondit: Itáne verò vos accepta alapa præbetis alteram maxillam? Non istã vobis famam furiosa vestra agmina per totam Africam cum terribili turpitudine passim vagantia compararunt. Vtinam vobiscum paciscerentur homines, vt saltem secundum veterem legem, oculum pro oculo, dentem pro dente peteretis, non pro auditis verbis fustes erigeretis.

2.Cor.11.

CAPVT XCII.

PETILIANVS dixit: *Quid autem vobis est cum regibus seculi quos nunquam Christianitas nisi inuidos sensit? Quod vt breuiter doceã, Machabæos fratres rex persecutus est. Rex quoque tres pueros, cùm ipse sacrilegus esset, flammis nescius religiosis addixit. Rex quæsiuit animam pueri Saluatoris. Rex iustissimum Danielẽ ferinis morsibus, vt putabat, obiecit. Ipsumque Dominum Christum iudex nequissimus regis occidit. Inde est quod Apostolus clamat, Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam non huius seculi neque principum huius mundi quæ euacuatur, sed loquimur Dei sapiẽtiam in sacramento, quæ fuit abscondita, quam constituit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principũ huius seculi cognouit: Si enim cognouissent, nõ vtique Dominum maiestatis crucifixissent. Sed de pristinis regibus paganis hoc dictum sit. Vos autem huius seculi imperatores quia Christiani esse desiderãt, nõ permittitis esse Christianos, cum fuco & nebula vestri mendacij eosdem bona mẽte credentes, ad iniquitatem vestram prorsus adducitis, vt armis suis contra hostes reipublicæ præparatis in Christianos incurrant, puténtque se suasionibus vestris Deo officium facere, si nos quos odistis occidant, dicente Domino Christo, Veniet, inquit, tempus vt qui vos occiderit, putet se Deo officium facere. Nihil igitur interest vobis malè docentibus, vtrum reges orbis terrarum, Pagani, quod absit, an Christiani esse desiderent, cùm eosdem contra Christi familiam non cessatis armare. Nescitis autem, aut potius non legistis quòd crimine hominem occidentis, maius crimen est suasoris? Iezabel in mortem hominis iusti vel pauperis, maritum suum excitauerat regem, pari tamẽ supplicio vir & vxor ambo perierunt. Neque enim vos aliter reges impellitis, quàm vt sæpe subtilis suadela feminea reges impulit in reatum. Etenim per filiam vxor Herodis impetrauit ac meruit in disco ad mensam caput Ioannis afferri. Pontium Pilatum Iudæi sic coẽgerunt, vt Christum Dominum cruci suffigeret, cuius sanguinem vindicẽ super se semper ac suos manere voluerunt. Ita vos igitur sanguine nostro peccantes obruitis: Nõ enim & si iudex percutiat, nõ vestræ nos potius calũniæ ferierũt. Dicit enim Propheta Dauid ex Domini Christi persona, Quare fremuerũt gẽtes, & populi meditati sunt inania? Adstiterũt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctũ eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli eos comminues. Ipsósque, id est, reges, ne quasi ignari vel nescij persequi cuperent Christianos, his præceptis admonuit ne perirent, quæ illos præcepta quia nesciunt, vtinam nos doceremus: aut certè vos illis sine dubio ostẽderetis, si velletis vt viuerent: vel certè quod tertium est, ipsos sibimet legere vestra malitia permisisset, primus Dauidicus Psalmus illis omnino suaderet, vt Christiani viuerent & regnarent, quos quidem malè decepistis, dum vobis sese committunt. Vos namque illis quæ mala sunt fingitis, & quæ bona sunt occultatis. Hoc tandem legãt vel serius quod olim legere debuerunt. Quid enim dicit? Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite disciplinã, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta: Cùm exarserit quàm citò ira ipsius super vos: beati omnes qui confidunt in eo. Imperatores, inquam, suasionibus præmitis, vt Pilatum quem, vt diximus, Iudæi pressérunt, licet ipse clamauerit lauans publicè manus, Liber sum à sanguine*

2.Mach.7. Dan.3. Matth.2. Dan.6. Matth.27. 1.Cor.2. 3.Reg.21. Proueb.18. Ioan.16. 2.Reg.21. Matth.14. Matth.27. Ibidem. Psalm.2. Matth.27.

guine huius iusti: tam en quomodò potuit à crimine mundus esse qui fecit? Sed vt vetera taceã, in vestris exẽplis aduertite imperatores quàm plures ac iudices vestros persecutionem nobis faciẽdo periisse: vt relinquã Neronem, qui primus est persecutus Christianos. Domitianũ similiter Neronis maximã patrem, Traianum, Getam, Deciũ, Valerianum, Diocletianum: periit etiam Maximianus, qui dũ thura prædicarent, incensis codicibus Dominicis primus Marcellinus, Episcopus Romanorum qui fuit, sed & Carthaginis Mensurius, & Cæcilianus ex ipsis sacrilegis flammis, vt fauillæ vel cineres remanserunt: thuris enim conscientia omnes implicuit qui Mensurio consensistis. Perit Macarius, periit Vrsacius, cũctique comites vestri Dei pariter vindicta perierunt. Vrsacius namque Barbarica pugna prostratum, sæuis vnguibus alites, canúmque auidi dentes morsibus discerpserunt. Nónne idem vestro impulsu percussor est qui vt rex Achab, quem diximus à muliere persuasum, iustum pauperem occidit? Ita vos quoque iustos & pauperes (circa opem dixerim mundanam, nam gratia Dei in nobis non est pauper) nõ desinitis iugulare. Non enim si cum manu nõ facitis, nõ lingua carnifice hominẽ iugulatis. Scriptũ est enim, Mors & vita in manibus linguæ. Omnes ergo qui occisi sunt, tu qui suasor es occidisti. Neque enim manus carnificis nisi lingua tua feruescit, & ille dirus pectoris calor in alienũ sanguinẽ verbis tuis accẽditur sanguinem iustũ sui vindicẽ diffusoris. AVG. respondit: Huic loco tam copiosè à te exaggerato atq; digesto vbi de regibus seculi aduersus nos inuidiosè loquimini, si debitè dignéque respondeam, vereor ne me quoque criminetis regum iracundiam in vos concitare voluisse: Quanquã cũ more vestro vniuersaliter in omnes catholicos huius inuectionis impetu feraris, nec me vtique prætermittis. Curabo tamẽ ostẽdere, si potuero, te potius hoc fecisse talia dicendo, quàm me talibus respõdendo. Ac primum vide quemadmodũ tibi tuipse aduerseris: certè istum locũ sic exorsus es, *Quid autem vobis est cum regibus seculi, quos nunquã Christianitas nisi inuidos sensit?* His verbis prohibes vtique nos ad reges seculi accedere. Et paulo pòst dicis, *ipsósque, id est, reges, ne quasi ignari vel nescij persequi cuperẽt Christianos, his præceptis admonuit ne perirent: quæ illos præcepta quia nesciunt, vtinam nos doceremus: aut certè vos illis sine dubio ostenderetis, si velletis vt viuerẽt.* Quomodo igitur nos regum vis esse doctores? Et nostri quidem si qua eis amicitia est cum regibus Christianis, si ea bene vtũtur, nihil peccant: si qui verò inde extolluntur, multo leuius quàm vos peccant. Vobis enim qui sic nos arguitis, quid fuit cum rege pagano, &, quod est grauius, apostata & Christiani nominis hoste Iuliano, à quo vobis basilicas quasi vestras reddi deprecantes, hoc in eius laude posuistis, *quòd apud eũ sola iustitia locum haberet?* Quibus verbis (credo enim vos Latinè intelligere,) & idololatria Iuliani, & apostasia iustitia est appellata. Tenetur petitio quã vestri maiores dederunt: constitutio quam impetrauerunt; gesta, vbi allegauerunt. Euigilate & attẽdite, inimico Christi apostatæ, aduersario Christianorum, seruo dæmoniorum, talibus verbis ille vester Pontius supplicauit: Ite nunc & nobis dicite, *quid vobis est cum regibus seculi?* vt surdi surdis populis legatis quod cum ipsis audire non vultis, Stipulam in oculo fratris tui vides, trabem in oculo tuo non vides. *Quid, inquis, vobis est cum regibus seculi, quos nunquã Christianitas nisi inuidos sensit?* Hoc cùm dixisses, enumerare conatus es, quos reges iusti senserint inimicos, nec consideraſti quòd plures enumerari possint quos habuerint amicos. Pater Abrahã à rege diuinitus admonito ne attaminaret eius vxorem, & amicissimè habitus est, & munus accepit. Isaac filius eius regem similiter amicissimũ expertus est. Iacob in Ægyptũ à rege honorabiliter exceptus, eum etiã benedicit. Quid loquar de filio eius Ioseph,*

Iulianus apostata supplicantibus Donatistis basilicas à Constantino ereptas restituit.

Iuliani quomodo Donatiste laudarunt.

Matth.7.

Ibidem.

Genes.20.

Genes.26.

Genes.47.

A qui post carceris tribulationem, quo velut igne sicut aurum castitas eius probata est, magnis ab eo sublimatus honoribus, iurabat etiam per Pharaonis salutẽ, non tanquam typho elatus, sed beneuolentiæ non ingratus. Regis filia Moysen adoptauit. Dauid ad alienigenam regis Israël compulsus iniquitate confugit. Helias ante currum pessimi regis, non illius imperio, sed suo cucurrit obsequio. Helisęus hospitæ mulieri si quid sibi fortè à rege per eius intercessionem præstari vellet, etiam vlrò offerẽdum putauit. Sed ad ipsa iam tempora veniam, quando captiuus Dei populus habebatur: vbi, vt mitius loquar, mira tibi irrepsit obliuio. Volens enim probare quod reges nũquam Christianitas nisi inuidos senserit, commemorasti tres pueros & Danielem, quæ passi sunt à persequentibus regibus, nec rebus modò vicinis, sed planè ipsis admoneri potuisti, qualis ipse rex post innocentium flammarum miraculum, siue in Deo laudando atque prædicando, siue in ipsis pueris honorandis extiterit, qualem rex habuerit Danielem, & non recusantẽ quibus muneribus exornauerit, cùm ille honorem debitum reddens regiæ potestati, quod satis in verbis eius apparet, donum Dei quo præditus erat indicãdo, interpretando eius somnium non subtraxit. Vnde cùm ab inuidis sancto viro sacrilega væsania calumniantibus inuitus eum rex in lacum leonum mittere cogeretur, quanquam tristis id fecerit, præsumpsit eum tamẽ per auxilium Domini sui saluum futurum. Itaque cum ille refrenata diuinitus leonum rabie vixisset illæsus, solicita & amica voce regis ipsius sibi præmissa, & ipse cum benedictione de lacu respondit, Rex in seculum viue. Cur istas regũ cum sanctis amicitias, cùm sermo tuus ibidem versaretur, cùm istorum famulorũ Dei, in quibus hæc acta sunt, tu ipse cõmemorares exempla, vel non vidisti vel videre noluisti, vel quod nescio quemadmodum excuses, visa notáque tacuisti? Quod si te sicut causæ pessimæ defensorem studium fallitatis astruere non impediret, & te nolentem vel nesciẽtem à luce veritatis auerteret, profectò reges quosdã bonos, quosdam autem malos, & alios sanctorũ amicos, alios inimicos, sine vlla difficultate recoleres. Et miramur quòd se Circumcelliones vestri sic præcipitant. Quis post te currebat obsecro? te quis Macarius, quis miles insequebatur? Nempe in abruptum falsitatis huius nullus nostrum te impulit. Cur ergo clausis oculis sic isti præceps, vt cùm dixissẽs, quid autem vobis est cũ regibus seculi? non adiungeres, quos sæpè Christianitas inuidos sensit: sed non dubitares dicere, quos nũquã Christianitas nisi inuidos sensit? Itáne verò nec ipse cogitasti, nec eos qui scripta tua legerẽt, cogitaturos putasti tot regũ exẽpla tibi reclamantia, nescit quid loquatur. An quia illi quos cõmemoraui, veterũ temporũ fuerũt, ideo tibi eos nihil aduersari arbitraris, quia nõ dixisti, quos nunquã iustitia nisi inuidos sensit; sed dixisti, quos nunquã Christianitas nisi inuidos sensit: ex illo fortassis tẽpore volẽs eos intelligi iustis inuidere, ex quo Christiani appellari cœperunt? Quid ergo sibi volũt exẽpla veterũ temporũ, quibus quod imprudẽter dixisti, imprudẽtius docere voluisti? Nunquid enim Machabæi, vel tres pueri, vel Daniel non antequã Christus in terra nasceretur, vel egerunt illa vel pertulerunt? Deinde cur, vt paulo antè cõmemorauí, Iuliano Christianitatis inuido supplicastis? cur ab eo basilicas petistis? cur apud eum solam iustitiam locum habere dixistis? Si Christianitatis inuidus hæc audit, quid sunt à quibus hæc audit? At verò Cõstantinus nequaquam Christiani nominis inuidus; sed planè Christiano nomine gloriosus, memor spei, quam gerebat in Christo, pro eius vnitate iustissimè iudicans, acceptari à vobis nec ad se appellãtibus meruit, ambo iam Christianis temporibus, sed non fue-

Exod.2. 1.Reg.27. 3.Reg.18. 4.Reg.4. Daniel.3. Daniel.6.

runt ambo Christiani. Quod si ambo Christianitatis inuidi, cur ad vnum eorum sic appellastis, alteri eorum sic supplicastis? Si autem quod verum est, petentibus tum maioribus vestris episcopale iudicium dederat Constantinus, & apud Romam & apud Arelatum, quorum primum apud eum accusastis, ab altero ad eum appellastis. Si ergo, quod verum est, vnus eorum in Christum crediderat, alter à Christo apostatauerat, cur Christianus consulens vnitati cõtemnitur, & apostata fauens diuisioni laudatur? Constantinus vobis basilicas iussit auferri, Iulianus restitui. Quid horum Christianæ paci conueniat vultis nosse? Illud fecit qui crediderat in Christum, hoc fecit qui dimiserat Christum. O quàm velles dicere, malè factum est vt Iuliano ita supplicaretur, sed hoc quid ad nos pertinet? Quod si diceres, & in his quidem verbis tuis catholica vinceret fides, ad cuius sanctos toto orbe diffusos multo minus pertinet quicquid dicitis de quibus vultis sicut vultis. Sed non potes dicere malè factum vt Iuliano ita supplicaretur, oppilat fauces, premit linguam domestica autoritas, Pontius fecit, Pontius supplicauit, Pontius apostatam iustissimum dixit, Pontius apud apostatam solam iustitiam locum habere prædicauit. His verbis sibi Pontium supplicasse in eodem rescripto suo nominatim sine ambage ipse Iulianus expressit. Extant allegationes vestræ, non hæc incerta fama, sed publica monimenta testantur. An fortè quia contra vnitatem Christi, petitioni vestræ aliquid concessit apostata, verum putas esse quod dictum est, apud eum solam locum habere iustitiã? Quia verò Imperatores Christiani quod valere arbitrantur ad Christi vnitatem, contra vestram statuunt voluntatem, Christianitatis inuidi appellantur? Sic desipiant hæretici omnes, & resipiant vt non sint hæretici. Et vbi, inquies, impletum est quod Dominus ait, Veniet tempus vt qui vos occiderit, putet se Deo officium facere? Neque enim hoc de Paganis dici potuit, qui non propter Deum, sed propter idola Christianos persequebantur. Non videtis si hoc de his imperatoribus dictum esset qui gaudẽt de nomine Christiano, hoc eos vtique præcipuè esse iussuros vt occideremini, quod nũquam omnino iusserunt. Sed vestri hostili more legibus repugnando pœnas debitas luunt, & voluntarias mortes suas dum nobis inuidiosas putant, sibi perniciosas nõ putant. Quod si de regibus nomen Christi honorantibus illud à Domino dictum esse arbitrantur, quærãt quid catholica in Oriente perpessa sit, quando Valens imperabat Arrianus. Ecce haberẽ quod intelligerem impletum esse, quod Dominus ait, Veniet tempus vt qui vos occiderit, putet se officium Deo facere: ne sibi ad famę gloriam assumerent hęretici, si quid aduersus eorum errorem imperatores catholici præcepissent. Veruntamen tempus illud post ascẽsionem Domini completum esse reminiscimur: sancta scriptura huius rei testis omnibus nota est, Iudæi putabant se officium Deo facere, cùm Apostolos occidebant. Inter hos qui officium Deo arbitrabantur se exhibere, etiam Saulus noster, nondum noster, fuit: ita vt hoc inter laudes suas præteritas & obliuiscendas enumeret, Hebræus, inquit, ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens ecclesiam. Ecce qui putabat officium se Deo facere, cùm faciebat quod mox ipse perpessus est. Nam quadraginta Iudęi coniurauerãt vt interficerent eum, quando fecit hoc tribuno innotescere, vt eorum insidias armato milite septus euadẽret: sed nondum erat qui ei diceret, Quid tibi est, non cum regibus, sed cum tribunis armisque regalibus? Non erat qui ei diceret, Audes per milites quærere tuitionem, cùm Dominus tuus per eos ductus sit ad passionem?

Constantinus Donatistis basilicas iussit auferri.

Ioan. 16.

Valens Arrianus imperator catholicos in oriente persecutus est.

Philip. 3.

Act. 23.

A Nondum erant ista deliramenta, sed contra hęc futura iam tunc illa parabantur exempla. Quin etiam terribiliter proponere ausus est & dicere, *Sed vt cætera taceam, in vestris exemplis aduertite, Imperatores quàm plures ac iudices vestros persecutionẽ nobis faciẽdo periisse.* Hoc in epistola tua cùm legissem, intentissimè expectabam quid dicturus, & quos enumeraturus esses: cùm ecce mihi quasi relinquẽdo cœpisti commemorare Neronem, Domitianum, Traianum, † Varium, Decium, Valerianum, Diocletianum, Maximianum. Fateor plures esse, sed tu prorsus contra quos loquaris, oblitus es. Nónne isti omnes Pagani erant, & vniuersaliter Christianum nomen pro suis idolis persecuti sunt? Euigila ergo, nam isti communionis nostræ non fuerunt, vnitatem ipsam vel vnde nos, sicut vos putatis, vel vnde vos, sicut Christus docet, existis, totã persequebantur. Tu autem proposueras ostendere nostros imperatores ac iudices persecutionem vobis faciendo periisse, ac nos tu exigis vt istos computemus, quia relinquens eos commemorasti dicens, Vt relinquam Neronem: & sub ista relictione per cæteros cucurristi. Quid opus fuit ergo vt cõmemorarentur ad rem non pertinẽtes? Sed quid ad me? Iam istos tecum relinquo: nunc saltem procedant isti quos promisisti quàm plures. Nisi fortè propterea non inueniuntur, quia eos periisse dixisti. Sequeris enim iam, & episcopos nominas, quos de traditione codicum soletis arguere. De quibus & nos solemus respondere, aut non probatis, & ad neminem pertinet: aut probatis, & ad nos non pertinet. Suam enim sarcinam portauerunt, vel bonam vel malam. Et bonam quidem credimus, sed qualemlibet, tamen suam: sicut vestri mali, nec ipsi vestram, nec vos ipsorum, sed vestrorum omnium communis pessima sarcina schisma est. Hoc sæpè iam diximus. Exhibe igitur non episcoporum nomina, sed imperatorum ac iudicum nostrorum, qui vos persequendo perierunt. Hoc enim proposueras, hoc promiseras, ad hoc nos intentissimos feceras. *Audi*, inquit, *periit Macarius, periit Vrsacius, cunctique Comites vestri, Dei pariter vindicta perierunt.* Duos solos commemorasti, quorum neuter Imperator fuit. Cui hoc placeat, quæso te, tibiipsi nónne displices? Promittis quàm plures imperatores ac iudices nostros te commemoraturum, qui vos persequendo perierunt, & tacitis imperatoribus nominas duos vel iudices vel Comites. Illud enim quod adiungis, *Cunctique Comites vestri Dei pariter vindicta perierunt:* ad rẽ non pertinet. Hoc quippè modo iam dudum locũ istum finire potuisti, vt omnino neminem nominares. Cur ergo imperatores nostros, id est, nostræ communionis non cõmemorasti? An timuisti ne reus maiestatis accusareris? Vbi est Circumcellionica fortitudo? Deinde quid ais de illis quos tot superius nominasti, qui rectius tibi possunt dicere, quid nos quęrebas? Causam enim tuam nihil adiuuerunt, & tamen nominati sunt. Deinde qualis es qui eos quos periisse cõmemoras nominare formidas? Saltem ipsos iudices vel Comites quos videris non timuisse, plures nominares. Remansisti autem ad Macarium & Vrsacium. Itáne quàm plures illi, duo isti sunt? An quod pueri didicimus, sapis? Si enim quæras ex me, duo quis numerus sit, singularis, an pluralis; quid esse respondeam, nisi pluralem? Sed adhuc etiam non desit quod dicam: E duobus video Macarium. Neque enim dixisti, quomodo perierit. An fortè quisquis vos persequitur, nisi in hac terra fuerit immortalis, quando mortuus fuerit, propter vos mortuus existimabitur? Quid si non in tam longo imperio Constantinus, & tam longa felicitate vixisset, qui primus aduersus vestrum errorem multa constituit: & quid si non Iulianus tam cito abreptus esset è vita, qui vobis basilicas dedit,

al Getam.

Præfuit Constantinus annis amplius 31. Iulianus. 1. tum anno mensibus 7.

dedit; quando ista garriendi finem faceretis, cum & modo tacere nolitis? Nec tamẽ dicimus nos, inde cito mortuum Iulianum, quia vobis basilicas dedit. Possumus enim esse in his pariter copiosi, sed nolumus esse pariter vani. Proinde vt dicere cœperam, ex illis duobus cerno Macarium: cum enim duos proposuisses, ipsum & Vrsacium, repetisti nomen Vrsacij, vt nobis ostenderes quam mortẽ meruerit, & dixisti: *Vrsacium namque Barbarica pugna prostratũ, sæuis vnguibus alites canumq; auidi dentes morsib. discerpserunt.* Vnde satis apparet cum de Macario maiorem inuidiam facere soleatis, ita vt nos Macarianos, non Vrsacianos appelletis, multo maximè te de illo fuisse dicturum, si de morte eius aliquid tale dicere potuisses. Ex his itaque duobus vbi pluralem numerũ posuisti, seiuncto Macario, remanet Vrsacius nomẽ proprium numeri singularis. Vbi est igitur quàm plurium illorum tam minax & tremẽda promissio? Iam illud quam ridiculum sit, qui quoquomodo loqui nouerũt, quantum opinor intelligunt, quod cum dixisses, *Periit Macarius, periit Vrsacius, cunctiq; Comites vestri Dei pariter vindicta perierunt:* tanquam exigentibus vt probares, quia reuera nihil aliud vel auditor vel lector exigeret, statim connexuisti magnum documentum, quo probares cũctos Comites nostros Dei vindicta pariter corruisse. *Vrsacium namq; Barbarica*, inquis, *pugna prostratũ, sæuis vnguibus alites, canũq; auidi dentes morsib. discerpserunt.* Hoc modo potest alius similiter nesciens quid loquatur, dicere, omnes episcopos vestros Dei vindicta in carcere defecisse. Et cum ab eo fuerit flagitatum vnde hoc probet, adiunget statim: Optatus namque de satellitio Gildonis accusatus, tali genere mortis extinctus est. Has nugas audire & discutere & refellere cogimur: tantum timemus infirmis ne tardiore intellectu in vestros laqueos celeriter currãt. Istum autem Vrsacium si fortè bene vixit, & verè ita mortuus est, consolabitur promissio Dei dicentis, Sanguinem animarum vestrarum exquiram de manibus omnium bestiarum. Quod autem nobis calumniamini, dicentes, à nobis in vos ad iracundiam reges seculi concitari, dum eos non docemus diuinã scripturam, sed potius malitiam nostram suggerimus: non puto vos vsq; adeo surdos esse aduersus ipsa sanctorũ codicum eloquia, vt non potius timeatis ne nouerint ea, sed velitis nolitis, intrant ecclesiã, & si nos tacemus, lectoribus admouẽt aurẽ: atq; vt de cæteris taceã, istũ ipsum plerunque psalmum quem tu commemorasti, intentissimè accipiunt. Dixisti enim quòd eos non doceamus: nec eos volentes sinamus vt nouerint quod scriptum est, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, &c. Credite & ista cantari, & illos audire: sed vtique audiunt & illud superius in eodem psalmo, quod tu, nisi fallor, propterea præterire voluisti, ne timuisse intellegereris. Audiũt ergo illud, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: Pete à me, & dabo tibi gẽtes hæreditatẽ tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quo audito vtiq; mirantur esse aliquos qui huic hæreditati Christi contradicunt, & eam ad exiguam partem terræ redigere conantur: mirantesque fortasse quærunt propter id quod in sequentibus audiunt, Seruite Domino in timore: in quo illi seruire possint inquantum reges sunt. Omnes enim homines seruire Deo debent, aliter communi conditione qua homines sunt: aliter diuersis donis, quod ille aliud agit in rebus humanis, ille aliud. Non enim auferenda idola de terra, quod tanto ante futurũ prędictum est, posset quisquã iubere priuatus. Habent ergo reges excepta generis humani societate eo ipso quo reges sunt, vnde sic Domino seruiant, quomodo non possunt qui reges non sunt. Ista ergo cũ cogitant, audiunt & illud quod de tribus pueris ipse commemorasti, & audiunt solemnitate mirabili. Tunc enim eadem scriptura maximè in ecclesia cantatur, quando ipsa festiuitas feruentiores facit, etiam eos qui cætero anno pigriores sunt. Quid ergo putatis animi habere Christianos Imperatores, cum audiunt tres pueros missos in caminum ignis ardentis, quia regi ad iniquitatem adorãdi simulachra consentire noluerunt: nisi vt cogitent piam libertatem sanctorum nec regia potestate, nec pœnæ immanitate posse superari, gaudeantque se non esse ex numero talium regum, qui contemptores idolorũ quasi sacrilegos puniebant? Porrò autem cũ in sequentibus audiunt eundem regem, non solum puerorum, sed & flammarũm Deo seruientium tanto miraculo territum, etiam ipsum cœpisse Deo seruire in timore, & exultare cum tremore, & apprehendisse disciplinam: nónne intelligunt ideo ista esse conscripta, & tanta celebritate recitari, vt & seruis Dei ne ad sacrilegium regibus cedant, & ipsis regibus vt ad religionem Deo credant, proponantur exempla? Volentes ergo & isti ex ipsius admonitione psalmi quem tu quoque inseruisti scriptis tuis, intelligere & erudiri, & seruire Domino in timore, & exultare cum tremore, & apprehendere disciplinam, quam intentè audiunt, quid ille rex postea dixerit. Dixit enim propositurum se decretũ omnib. populis quib. imperabat, vt quicunq; dixissent blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, & Abdenago, interirent, & domus eorum dispergerentur. Et si hoc eum decreuisse cognoscũt, ne blasphemaretur Deus temperator ignium, & liberator trium puerorũ, profectò cogitãt quid decernere debeant in regno suo, ne in suis fidelibus idem ipse Deus exuffletur remissor peccatorum, & liberator iam totius orbis terrarum. Vide itaque cum aduersus vos aliquid pro vnitate catholica reges Christiani constituunt, ne fortè in labiis vestris tãquam scripturarum diuinarum imperitos eos arguatis, in corde autem vestro satis doctos esse doleatis. Quis enim ferat istam vestram sacrilegam odiosãmque fallaciam in ipso vno Daniele reges accusare, quia in lacum leonum missus est: & reges non laudare, quia sublimiter honoratus est, cũ etiam quando missus est, magis eum saluum futurũm, quàm moriturum ipse rex crederet, & de illo sollicitus non cœnaret? Deinde audetis dicere Christianis, quid vobis est cum regibus seculi, quia Daniel à rege persecutionem passus est: & non respicere ipsum Danielem somnia regibus fideliter interpretantem, Dominum regem appellãtem, munera, & honores accipientem? Itemque & eisdem tribus pueris, quod recusantes adorare statuam in flammas missi sunt, intuidiæ flammas de regibus excitare: quod autem à rege sic prædicati & sic honorati sunt tacere & abscondere? Ecce rex fuerat persecutor, cum obiecit leonibus Danielem: quid cum eo saluo recepto gaudens & gratulans inimicos eius dilaniandos & consumendos eisdem leonibus misit, fuit persecutor an non fuit? Volo respondeas. Si enim fuit, cur ei Daniel ipse non restitit, cum præsertim tanta familiaritate facillimè potuisset: & nobis dicitis vt reges ab hominum persecutione reuocemus? Si autem propterea persecutor non fuit, quia scelus in sanctum virum commissum iustissimè vindicauit, quomodo vindicãdum est à regibus, quòd Christi sacramenta exufflantur, si prophetæ membra, quia in periculum missa sunt, sic vindicari meruerunt? Item conclo & manifestum est persecutorem fuisse regem, cũ tres pueros quod simulachrum adorare noluerunt, misit in flammam: sed quæro vtrum fuerit persecutor, cum illud decretum proposuit vt interirent & domus eorum vastarentur, qui blasphe-

Catholicos Donatistæ Macarianos appellare solitis.

Optatus Gildonianus in carcere extinctus.

Gen. 9.

Psalm. 2.

Seruire Deo quomodo peculiariter reges debeant.

Dan. 3.

Dan. 6.

Dan. 2.

Dan. 3.

Dan. 6.

blasphemarent vnum Deum verum? Si enim persecutor fuit, cur ad verba persecutoris respõdetis, amẽ? Si autem non fuit, cur eos persecutores dicitis, qui vos à blasphemiæ furore deterrent? Si enim cogunt vos supplicare idolo, illi sunt similes impio regi, vos tribus pueris: si autem prohibẽt repugnare Christo, vos estis impij, si hoc facitis. Quid sint autem illi si terribiliter hoc ferant, ego non dico: tu inueni aliud quod dicas, si pios Imperatores non vis dicere. Si hæc exempla de Daniele & tribus pueris ego commemorassem, fortasse resisteres, & in hæc nostra tẽpora ex illis temporibus sumi nõ debuisse clamares: Deo gratias, quia ea ipse posuisti ad id quidem quod volebas, sed vides ea potius valuisse ad id quod nolebas. An non est ista vestra fallacia, sed error humanus est? Vtinã ita sit: emẽda ergo, ne timeas, non inde eris minor: imò verò maioris ingenij est animositatis flammas confitendo extinguere, quàm falsitatis nebulas intelligendo vitare.

CAPVT XCIII. PETILIANVS dixit, *Vbi lex Dei, vbi Christianitas vestra est, si cædes & mortes facitis ac iubetis?* AVG. respondit, Ad hoc vide quid dicant cohæredes Christi per totum orbem terrarum, Cędes & mortes nec facimus nec iubemus, & ista facientibus multo sceleratius sæuitis, qui hæc in hominum mentibus contra vitam æternam committitis.

CAPVT XCIIII. PETILIANVS dixit, *Si amicos nos vultis, quare inuitos attrahitis? Si autẽ inimicos fingitis, cur occiditis inimicos?* AVG. respondit, Nec inuitos attrahimus, nec occidimus inimicos, sed quæcunque vobiscum agimus, quanquam vobis agamus inuitis, ex charitate tamen agimus, vt volentes vos corrigatis, correctiq; viuatis: nam nemo viuit inuitus: & tamen puer vt hoc volens discat, inuitus vapulat, & hoc plerunque ab homine charissimo. Et hæc quidem vobis reges dicerent si ferirẽt. Ad hoc enim eorum potestas diuinitus ordinata est: sed cum & isti non feriunt, vos clamatis.

CAPVT XCV. PETILIANVS dixit, *Quæ autem ratio est, quæue inconstantia vanitatis, quòd cum nos falso vocabulo dicatis hæreticos, communionem nostram magnopere cupiatis?* AVG. respondit, Si hæreticorum communionem magnopere cuperemus, corrigi vos ab hæretico errore nollemus: cum autem hoc vobiscum agamus ne sitis hæretici, quomodo hæreticorum cõmunionem magnopere cupimus? Dissensio quippe vos & diuisio facit hæreticos: pax verò & vnitas facit catholicos. Cùm ergo inde huc venitis, desinitis esse quod odimus, & incipitis esse quod amamus.

CAPVT XCVI. PETILIANVS dixit, *Eligite tandem de duobus alterum, quod dicatis. Si innocẽtia vobis est, cur nos ferro sectamini? aut si reos nos dicitis, quid nos quæritis innocentes?* AVG. respondit, O acutissimam complexionem, an potius ineptissimam loquacitatem. Nonne ibi proponi solet vt eligatur alterum de duobus quod respõdeatur, vbi vtrunque non potest eligi? Nam si mihi proponeres vt eligerem alterum de duobus, quid dicerem, vtrum innocentes an nocentes simus, vel rursus ex aliis duobus, siue ex istis, non possem nisi vnum eligere quod dicerem: nunc proponis hęc duo, vtrum nos innocentes simus, an vos rei sitis, & vis vt vnum ex his duobus eligam vt respõdeam. At ego nolo vnum dicere, quia vtrumque dico, & nos innocentes, & vos reos. Nos esse nocentes dicimus à falsis & calumniosis criminationib. vestris, quicunque in catholica possumus salua conscientia dicere, nec sanctos codices nos tradidisse, nec idolorum supplicationibus consensisse, nec quemquam occidisse, vel si quid aliud mali soletis obiicere: nec eos qui fortè, quod c̃ idem nec de ipsis probastis, ista fecerunt, contra nos regnum cœlorum, sed cõtra seipsos clausisse: quia vnusquisque nostrum sarcinam suam portat. Ecce habes vnũ. Et vos omnes nocẽtes & sceleratos esse, non alios aliorũ criminibus quæ apud vos à quibusdam committuntur, & à quibusdã reprehenduntur, sed crimine schismatis, à quo immanissimo sacrilegio nemo vestrũ se potest dicere immunem, quam diu nõ cõmunicat vnitati omnium gentiũ, nisi cogatur dicere de ecclesia quę per omnes gentes diffunditur, incipiens ab Hierusalẽ, Christum fuisse mẽtitum. Ecce habes alterum. Ecce reddidi tibi duo, quorum tu volebas vt vnũ diceremus tibi. Vtiq; attendere debuisti vtrunque à nobis posse dici, saltem si hoc volebas rogare nos, vt vnum diceremus, cum videres quia vtrunque possemus. *Sed si innocẽtia vobis est,* inquis, *cur nos ferro sectamini? Aut si reos nos,* inquis, *dicitis, quid nos quæritis innocentes?* Respicite paululum cateruas vestras, quę non antiquo more parentum suorum solis fustibus armantur, sed & secures & lanceas & gladios addiderunt: & agnoscite quorum potius vox esse debeat, quid nos ferro sectamini, *aut si reos nos,* inquis, *dicitis, quid nos quæritis innocentes?* Hic breuiter respondeo, Ideo quærimini rei ab innocentibus, vt desinatis esse rei, & incipiatis esse innocentes. Ecce vtrunque elegi nostrum, & ad vestrum vtrunque respondi: modo tu elige vnum de duobus, Innocentes estis, an nocentes? Neque potes vtrunque dicere, sed dic vtrunque, si hoc placet. Certè enim non potestis in eadem causa esse innocentes in qua estis nocentes. Si ergo innocentes estis, nolite mirari quod ad pacem quærimini à fratribus: si autem nocentes, nolite mirari quod ad pœnã quærimini à regibus. Sed quia horum duorum alterũ vobis vsurpatis, alterum à nobis auditis: vsurpatis enim vobis innocẽtiam, à nobis autem auditis, quod impiè viuatis, accipe iterum de vtroq; quid dicam. Si innocentes estis, quare Christi testimonio contradicitis? Si autem nocẽtes, quare ad eius misericordiam non confugitis? Nam & testimonium eius est de orbis vnitate, & eius misericordia in fraterna charitate.

Armata Circumcellionum.

CAPVT XCVII. PETILIANVS dixit, *Postremò, vt sæpè iam diximus, qualis est vestra præsumptio, vt de regibus præsumatis dicente Dauid, Bonũ est sperare in Domino, quàm sperare in homine: Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus?* AVG. respondit, Nos non speramus in homine, sed quantum possumus homines admonemus vt in Domino sperent: nec speramus in principibus, sed quantum possumus principes admonemus vt in Domino sperent, & si aliquid à principibus pro vtilitate ecclesiæ petimus, non in eis tamẽ speramus. Neque enim & Apostolus in illo tribuno sperauit tanquã in principe, à quo sibi egit vt deductores darentur armati: aut in ipsis armatis tanquã in hominibus, quorum multitudine septus euasit insidias perditorum. Sed nec vosipsos quod ab Imperatore basilicæ vobis vt redderentur petistis, arguimus, tanquam in Iuliano principe sperauerit is: sed arguimus, quod de Christi testimonio desperauerit is, à cuius vnitate ipsas basilicas separastis: eas enim iubente inimico Christi accepistis in quibus iussa Christi contemneretis, dum validum & verum vobis videtur quod Iulianus constituit, dicens; *Hoc quoq; supplicantibus Rogatiano, Pontio, Cassiano, & cæteris episcopis, sed & clericis; accedit ad cumulum; vt abolitis quæ aduersus eos sine rescripto perperam gesta sunt, in antiquum statum cuncta reuocentur;* inualidum autem & falsum quod Christus constituit, dicens: Eritis mihi testes in Hierusalem, & in totam Iudæam, & Samariam, & vsque in totam terram. Obsecramus vos, corrigimini, redite ad hanc euidentissimam totius orbis vnitatem, vt non verbis apostatæ Iuliani, sed verbis Saluatoris Christi, in antiquũ statum cuncta reuocentur. Miseremini animę vestræ, nõ iam Constantinũ & Iulianum comparamus, vt quàm sint impares demonstremus: non dicimus, si vos non speraſtis in homine & in principe, cum homini Imperatori

Psalm. 117.

Act. 25.

Verba Iuliani apostatæ pro Donatistis.

Luc. 24.

tori Pagano & apostatæ dixistis, quòd apud eum sola iustitia locum haberet, quibus precibus & rescripto, sicut ibi scriptum est, sicut allegationis gesta testãtur; pars Donati vniuersaliter vsa est: multo minus nos criminari à vobis debemus, tanquam speremus in homine & in principe, si quid à Cõstantino vel à cæteris Christianis Imperatoribus nulla sacrilega adulatione petiuimus. Aut si quid ipsi non petentibus nobis, memores rationis quam Domino reddituri sunt, sub cuius verbis tremunt cum audiunt quæ ipse commemorasti, Et nunc reges intelligite, &c cęt. & alia multa, vltro pro ecclesiæ catholicæ vnitate constituunt. Sed taceo de Constantino, Christum & Iulianum vobis opponimus: parum dico Deum & hominem, filium Dei & filium gehennæ, Saluatorem animarum nostrarum, & interfectorem animæ suæ. Cur in basilicis possidendis Iuliani rescriptum tenetis, & in ecclesiæ pace amplectenda Christi Euangelium non tenetis? Clamamus & nos, quæ perperã gesta sunt, in antiquum statum cuncta reuocentur. Antiquius est Euangeliũ Christi quã rescriptũ Iuliani. Antiquior est vnitas Christi quã pars Donati. Antiquiores sunt Ecclesiæ preces ad Dñm pro vnitate Christi, quã Rogatiani & Pontij & Cassiani ad Iulianum pro parte Donati. An perperã geritur cũ reges prohibẽt diuisionẽ, & nõ perperã geritur cum episcopi diuidunt vnitatẽ? Perperã geritur cum ad defendendam ecclesiã Christi testimonio reges seruiunt, & non perperam geritur cũ ad negandam ecclesiã Christi testimonio episcopi contradicunt? Obsecramus ergo vt non contra Euangelium, sed secũdum Euangelium etiam verba ipsius Iuliani cui sic supplicastis audiantur, & ea quæ perperam gesta sunt, in antiquum statũ cuncta reuocentur.

CAPVT XCVIII. PETILIANVS dixit, *Vos vos miseri appello, qui persecutionum metu perterriti, dum vestras diuitias non animas quæritis, nõ tam fidem perfidam traditorum diligitis, quàm contra ipsorum malitiam quorum vobis patrocinia comparastis: non aliter quàm vt naufragi in fluctibus fluctus subeunt ruituros, sicq; in magno vitæ periculo appetunt quod timetur: velut tyrannicus furor vt neminem metuat, vult cum suo periculo vel timeri: sic sic ad* † *arcem malitiæ confugitis, innocentium damna vel pœnas sine vestra formidine spectaturi. Si hoc est vitare periculum, fugere sub ruinam, nec non etiam damnabilis fides est, fidem latroni seruare. Postremo dementis lucri commercium est, vestras animas perdere, ne diuitias amittatis. Dicit enim Dominus Christus, Si omnem mundum lucrifacias, & animam tuam perdas, quam dabis commutationem pro anima tua?* AVG. respondit, Vtilis esset ista exhortatio, fateor, si ea quisquam in bona causã vteretur. Omnino bene deterruisti homines diuitias præponere animæ suæ. Sed vos qui hęc audistis, & nos paululum audite: hoc enim & nos dicimus, sed attendite quemadmodum. Si vobis minantur reges auferre diuitias, quia Iudæi secundum carnem non estis, aut quia idola vel dæmonia nõ colitis, aut quia in nullas hęreses transferimini, sed in vnitate catholica permanetis, eligite potius perire diuitias vestras, ne ipsi pereatis, sed nec aliud quicquam, nec ipsam temporalem vitam saluti æternæ quæ in Christo est præferatis. Si autem reges vobis propterea damna vel damnationem minantur, quia estis hæretici, terrẽt vos illi non crudeliter sed misericorditer: vos autem non fortiter sed pertinaciter non timetis. Audite ergo Petrum dicentem, Quæ autem gloria est, si peccantes pœnas patimini, vt neq; hic habeatis terrena solatia, nec in futuro seculo vitam æternam, sed & hic angustias infelicium, & ibi gehennas hæreticorum? Vides ergo tu frater cum quo mihi nunc res est, prius te debere ostendere vtrum teneas veritatem, & tunc exhortari homines, vt pro ea tenenda parati sint carere omnibus quæ tẽporaliter tenent: cum hoc nõ ostendas, quia non potes, nõ quia ingenium deest, sed quia mala causa est, cur festinas exhortationibus tuis facere homines & mendaces & imperitos & egentes & errantes & pannosos & contentiosos & famelicos & hæreticos, & in hoc seculo bona tẽporalia perdentes; & in Christi iudicio mala æterna inuenientes? Cautus autem filius qui timendo flagellum patris recedit à cubili serpentis, nec vapulat nec perit. Qui autem dolores disciplinæ pro sua perniciosa voluntate contemnit, & vapulat & perit. Iam non intelligis vir diserte, quoniam qui pro pace Christi omnibus terrenis caruerit, Deum habet: qui autem pro parte Donati vel paucos numos perdiderit, cor non habet.

al. autem.

Matth. 16.

P. Pet. 2.

CAPVT XCIX. PETILIANVS dixit, *Nos autem pauperes spiritu non diuitias amamus, sed diuitias formidamus. Nos nihil habentes, & omnia possidentes; censum animam credimus, nostrisq; pœnis & sanguine æternas diuitias cœli mercamur, sicut idem Dominus dicit, Qui perdiderit substantiã suam, centuplum recipiet eam.* AVG. respondit, Et hoc ad rem pertinet cõmonere quemadmodum scriptum est; Nam vbi nihil impedit intentionẽ meam, si quid in scripturis fallis aut falleris, nihil curo. Non ergo ita scriptum est, Qui perdiderit substãtiam suam: sed, qui perdiderit animam suam propter me. De substantia verò non scriptũ est, Qui perdiderit: sed, qui dimiserit: nec solum substantiam pecuniæ, sed & multa alia. Tu autem interim non perdidisti substantiam tuam: vtrũ verò dimiseris quòd sic de paupertate gloriaris, nescio: si fortè scit hoc collega meus Fortunatus, quia in eadem ciuitate estis, nunquã mihi indicauit, quia nũquam quæsierã. Veruntamen etiã si hoc fecisti, tu ipse cõtra te in hac ipsa tua epistola cõmemorasti apostolicum testimonium, Si distribuero omnia mea paueribus, & tradidero corpus meum vt ardeã, charitatem autem nõ habeam, nihil mihi prodest. Si enim haberetis charitatẽ, nõ objceretis ignaro, & incognito vobis orbi terrarum, nec ipsa saltẽ probata crimina fratrum. Si haberetis charitatẽ, non in vestris calũniis fingeretis, sed in verbis Dñi manifestissimè expressam vsque in totã terrã cognosceretis vnitatem. Si autẽ hoc nõ fecisti, quid gloriaris quasi feceris? Itáne verò diuitias formidatis, vt nihil habentes omnia possideatis? Dic ista collegę tuo Crispino, qui modo iuxta Hipponẽ nostrã cõparauit fundũ, vbi mergeret homines in profundũ. Vnde hoc & ego nimirũ noui; tu fortè nescis, & ideo securus clamas, *Diuitias formidamus.* Vnde miror quod ista vox tua vt ad nos peruenirẽt, ipsum trãsilijt. Inter Cõstantinã quippe vbi tu es, & Hipponẽ vbi ego sum, Calama vbi ille est, vicinior quidẽ nobis; sed tamẽ interposita est. Miror ergo quomodo ille nõ prior excepit hanc vocẽ, & repercussit ne transiret ad nos, & aduersus te diuitiarum laudes multo copiosius recitauit. Non solũ enim nõ fotmidat ille diuitias, sed & amat: & certè de cætero prius quam ædas, recita illi talia: si nõ emẽdauerit, respõdemus, tu autẽ si verũ est quod pauper sis, ibi habes fratrẽ meũ Fortunatũ, facilius inde placere poteris illi collegę meo, quã huictuo.

Crispinus Cathaliensis Donatistarũ episcopus. vide lib. 3. contrã Cresc.

Hinc liquet Petilianum Cirthensem & Constantiniensem eodem fuisse tempore episcopum.

CAP. C. PETILIANVS dixit. *Nos timorè Dei quo viuimus pœnas & mortes quas gladio facitis non timemus; sed id solum denique fugimus, quod communionẽ nequissima animas iugulatis, Domino ipso dicente: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam enim occidere non possunt: sed timete potius eum qui habet potestatem corpus & animam mittere in gehennam ignis.* AVG. respondit. Quod dicitis vos facitis, non gladio visibili, sed illo de quo dictum est, Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Hoc enim gladio criminatore & calumniatore orbis incogniti, imperitorum animas trucidatis. Si autem cõmunionem nequissimam accusas,

Matth. 10.

Psal. 56.

ecce ore non meo sed tuo ascendas, descendas, intres, A verseris, tergiuerseris, talis es qualis Optatus. Si autem redis ad cor, & inuenies te nõ esse talem, non quia tecum sacramenta non cõmunicauit, sed quia tibi displicuit: absolues orbem terrarum criminibus alienis, & inuenies vos implicatos crimine schismatis.

CAPVT CI. Petilianus dixit, *Vos ergo qui falsissimo baptismo vultis lauari quam nasci, non solum vestra delicta nõ ponitis, verum animas vestras reorum criminibus oneratis. Vt enim aqua nocentium à sancto spiritu vacuata est, ita planè referta est criminibus traditorum. Quicunq; igitur miser ab huiusmodi baptizaris, si mendacio carere volueris, perfunderis falsitate. Si delicta carnis volebas excludere, reorum accedente conscientia percipies & reatum. Si auaritiæ flammam volebas extinguere, perfunderis fraude, perfunderis scelere, perfunderis & furore. Postremò si credis, quia accipientis & dantis est fides, ab eo qui interficit hominem, sanguine perfunderis fratris. Ita agitur, vt qui ad baptismum innocens veneras, à baptismo redeas parricida.* AVG. respondit, Vellem cum eis sermocinari, qui verbis istis lectis vel auditis acclamauerunt. Tales enim nõ habent aures in corde, sed cor in auribus. Cor in auribus Legant tamen iterũ & iterum, & cogitent, & sentient ea, nõ quid sonent, sed quid sapiant. Primo vt hoc vltimũ excutiã. *Ita ergo fit*, inquis, *vt qui ad baptismũ innocens veneras, à baptismo redeas parricida.* Responde prius, quis ad baptismum innocẽs venerat, excepto illo qui nõ ideo venit baptizari vt eius ablueretur iniquitas, sed vt nobis humilitatis præberetur autoritas? Quid enim dimittetur innocenti? Aut verò ita es eloquens vt ostendas nobis quandã innocẽtiam peccatricem. Iob. 25. Nónne audis dicẽtem scripturã, Nemo mundus à peccato in conspectu tuo, nec infans cuius est diei vnius vita super terram? Nã vnde ad remissionem peccatorũ & cũ infantib. curritur? Nonne audis aliam, Ego in iniquitate conceptus sum? Psal. 50. Deinde si propterea redit parricida qui sine parricidio venerat, quia eum parricida baptizat; quotquot ab Optato baptizati redierunt, Optati facti sunt. Ite nunc & nobis obiicite, quod in vos regũ iracundiã cõcitemus. Non meruitis ne à vobis tot Gildonis satellites inquirarur, quot homines ab Optato baptizari potuerunt? Vidés ne tandem quemadmodum ista tua, nõ sententia, sed vesica, non solum inani sono, sed etiã in capite vestro crepuerit? Iam cætera superiora quæ nunc refellenda proposuimus, talia sunt vt omnino talis quisq; baptizatus redire dicatur, qualis fuerit à quo baptizatur. Sed absit vt quam delirans ista dicis, tam deliri à te redeant quos baptizas. Et quam bene tibi sonuit quod dixisti, *Perfunderis fraude, perfunderis scelere, perfunderis & furore.* Tu verò nisi furore non perfusus, sed repletus esses, ista non effunderes. Itáne vt alia taceam, quicunq; nõ auari ad auaros collegas tuos vel presbyteros vestros baptizandi veniunt, auari redeũt: & quicunque sobrij ad illas vini voragines currunt vt baptizentur, ebriosi reuertuntur? Ista sentientes & ista suadẽtes, audetis etiã tanquã aduersus nos cõmemorare, D quod paulo antè posuisti superius, Bonũ est sperare in Domino quã sperare in homine: Psalm. 117. Bonũ est sperare in Domino quã sperare in principibus. Quid aliud docetisque so quã nõ in Domino, sed in homine sperare, quãdo talem fieri dicitis baptizatum, qualis fuerit baptizator? Et quia istum vobis baptizãdi assumitis principatum, credant vobis homines: & qui erant in Domino speraturi, sperent in principibus. Imò verò non audiant vos, sed illa potius testimonia quæ posuisti contra nos, & aliquid etiã terribili, quia non solum bonum est sperare in Domino quam sperare in homine, Hier. 17. sed etiam maledictus omnis qui spem suam ponit in homine.

CAP. CII. Petilianus dixit, *Imitamini saltem prophetas, qui suas animas sacras falso baptismate decipi timuerunt. Dixit namq; Hieremias, apud impios homines aquam esse mendacem. Aqua, inquit, mendax non habet fidem.* AVG. respondit, Qui scripturarum ignarus hæc audit, nec te credit aut sic errantem vt nescias quid loquaris, aut sic fallentem vt quem fefelleris nesciat quid loquatur, putat Hieremiam prophetam cum baptizari vellet, præcauisse ne ab hominibus impiis baptizaretur, & sic ista dixisse. Quò enim pertinet quòd antequam hoc testimonium poneres dixisti, *Imitamini saltem prophetas, qui suas animas sacras falso baptismate decipi timuerunt*, quasi Hieremiæ temporibus quisquam sacramento baptismi ablueretur, nisi quòd seipsos illis lauacris quæ Dominus redarguit, Pharisæi penè per omnia momenta tingebãt, & lectos & calices & paropsides, sicut in Euangelio legitur. Quomodo ergo potuit Hieremias tanquam baptismum desiderans & ab impiis baptizari deuitans ita dixisse? Hoc ergo dixit cum de populo infideli quereretur, cuius pessimis moribus tribulabatur, non se commiscens factis eorum, qui tamen corporaliter non se ab illo populo segregauit, nec alia sacramenta quæsiuit, quam ille populus secundum legis ordinem illi tempori congrua sumebat. Hunc ergo populum malè viuentem dixit plagam, qua cor iusti grauiter cædebatur, siue hoc de seipso diceret, siue in seipso figuraret quæ futura cernebat. Hier. 15. Sic enim ait, Domine memor esto mei, & visita me, & innocentem me fac ab insectantibus me, non in longanimitate, scito quomodo acceperim de te improperium ab his qui spernunt sermones tuos. Consumma illos, & erit verbum tuum mihi in iocunditatem & gaudium cordis mei, quoniam vocatũ est nomen tuum in me, Domine omnipotens. Non sedi in concilio eorum laudantium, sed timebam à facie manus tuæ: singulariter sedebam, quoniam amaritudine repletus sum. Vt quid qui me contristant, præualent in me? Plaga mea valida est, vnde C sanabor? Facta est mihi vt aqua mendax, quæ non habet fidem. In his omnibus videtur quid propheta intelligi voluerit, sed videtur ab eis qui non ad causam suam peruersam volũt peruertere quod legunt. Plagam enim suam dixit Hieremias factam sibi aquam mendacem quæ non habet fidem: eos autem voluit intelligi plagam suam, qui eum cõtristabant male viuendo. Vnde dicit & Apostolus, Foris pugnæ, intus timores. 2. Cor. 7. Et iterum, Quis infirmatur, & ego non infirmor; & quis scandalizatur, & ego non vror? 2. Cor. 11. Et quia desperabat eos posse corrigi, propterea dixit, Vnde sanabor? tanquam semper habiturus dolorem quandiu illi tales essent inter quos viuere cogeretur. Apoc. 17. Populum autem nomine aquæ solere significari, in Apocalypsi manifestatur, vbi aquas multas populos multos, non coniectura vestra, sed illic enodata interpretatione cognoscimus. Noli ergo per prauum intellectum vel Acto. 2. potius errorem blasphemare sacramentum baptismi, etiam si in homine perditissimo fuerit, quia nec in Simone mendace aqua mendax erat baptisma quod acceperat, nec tot mendaces vestri aquam mendacem dant cum baptizant in nomine Trinitatis. Neq; enim tunc incipiunt esse mendaces, quando proditi atque conuicti facinora sua confitentur, sed tunc potius erãt mendaces, quando cum essent adulteri & scelerati, castos & innocentes se esse fingebant.

CAPVT CIII. Petilianus dixit, *Dixit quoque Dauid, Oleum peccatoris non vnget caput meum. Quem igitur asserit peccatorem? Me qui tua scelera patior? an te qui persequeris innocentem?* AVG. respondit, Ex persona corporis Christi quæ est ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis, toto orbe terrarum diffusa propter Euangelium quod prædicatur, sicut dicit Apostolus, in Col. 1. omni creatura quæ sub cælo est: Ex persona orbis terræ, de

quo idem Dauid, cuius verba non intelligitis, dicit, Cõfirmauit orbem terræ qui non cõmouebitur: quem tu peccatis alienis nõ commotum esse, sed omnino periisse contẽdis. Ex illius ergo persona respõdeo ego, nõ persequor innocentẽ. Dauid autẽ oleum peccatoris dixit, non dixit traditoris, nõ thurificatoris, nõ persecutoris, sed peccatoris. Quid ergo facturus es secundum intellectum tuũ? Vide primum, vtrum non sis ipse peccator. Nolo mihi dicas, non sum traditor, non sum thurificator, non sum persecutor. Nec ego quidem, si Domino placet, aliquid horum sum, nec orbis terræ qui non commouebitur. Sed dic si audes, non sum peccator. Ille quippe ait, oleum peccatoris. Quicquid enim in te vel leuis peccati fuerit inuentum, vnde non ostendis pertinere ad id quod dictum est, oleũ peccatoris? Quæro enim vtrũ ores oratione Dñica? Si enim nõ oras ea oratione quã Dñs orare discipulos docuit, vnde aliã didicisti pro maioribus meritis tuis excedẽtẽ merita apostolorũ? Si autẽ sic oras, vt ille magister docere dignatus est, quomodo dicis, Matth. 6. Peccata in baptismo dimissa non petimus nobis in oratione dominica remitti: concupiscentia ergo in renatis cui nõ consentiũt peccatum non est, vide li. 2. cont. Cresc. cap. 23. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Neque enim de his peccatis hoc petimus quæ nobis in baptismo iã dimissa sunt. Ergo ista verba orationis aut te non permittũt esse Dei deprecatorẽ, aut aperiunt peccatorẽ. Eant nũc & osculentur tibi caput qui abs te baptizati sunt, quorum capita oleo tuo perierunt: sed tu vide quid sis, vel quid de te sentias. Itáne verò Optatus quem Pagani, Iudæi, Christiani, nostri, vestri per Africam totam, furem, raptorem, proditorem, oppressorem, separatorem; & illius quem quidã vestrum eius dixit comitẽ Deum, non amicum, non clientem, sed satellitem clamant, non fuit vel qualiscunque peccator? Quid ergo faciẽt quibus vnxit capita reus criminis capitalis? Nõne & ipsi vobis capita osculantur, de quorum capitibus per hunc intellectum male iudicatis? Saltem prodite illos & admonete vt sanentur. An vobis potius caput sanãdum est ita delirantibus? Quid ergo, inquies, Psalm. 140. dixit Dauid? Quid me interrogas? Ipsum interroga: Superiori versu tibi respondet, Emendabit, inquit, me iustus in misericordia, & arguet me, oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum. Quid planius? Quid apertius? Malim, inquit, me misericordi obiurgatione sanari, quàm blanda adulatione tanquam mihi caput vngatur, decipi atque peruerti. Sub aliis verbis ipsa sententia est alibi † scripturarum, Meliora sunt vulnera amici, quã volũtaria oscula inimici. Prouerb. 27. (†. scripta.)

CAPVT CIIII. PETILIANVS dixit: *Vnguentũ verò concordiæ sic in fratribus laudat, Ecce quã bonũ & quam iocundũ, habitare fratres in vnũ. Tanquã vnguentũ in capite, quod descendit in barbã, barbã Aaron, Quod descendit in oram vestimẽti eius sicut ros Hermõ, qui descendit in montẽ Sion: Quoniã ibi mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in seculum. Sic*, inquit, *vngitur vnitas, sicut vncti sunt sacerdotes.* Psalm. 132. AVG. respondit: Verum dicis. Nam illud sacerdotium in figura corporis Christi habebat vnctionem, quod vnitatis compage fit saluum. Nam & ipse Christus à chrismate appellatur, id est, ab vnctione. Punica lingua affinis Hebræa Hunc Hebræi dicunt Messiam, quod verbum Punicę linguæ consonum est, sicut alia Hebræa permulta & penè omnia. Quid est ergo in illo sacerdotio caput, quid barba, quid ora vestimenti? Quantum donat Dominus vt intelligã, Caput est ipse Saluator corporis, de quo Apostolus ait, Et ipse est caput corporis ecclesiæ. Colos. 1. Per barbam non incongruẽ fortitudo intelligitur. Ergo ad eos qui sunt fortes in ecclesia eius, & adhærent ori eius, vt sine timore prædicent veritatem, ab ipso Christo tanquam à capite sanctum descendit vnguentum, id est, sanctificatio spiritalis. Ora vestimenti hæc datur intelligi quæ in capite vestimenti est, qua vestientis caput ingreditur: per hanc

A significantur perfecti fideles in ecclesia. In ora namque perfectio est, & vtique meministi esse dictum cuidam diuiti, Si vis esse perfectus, vade vende omnia Matth. 19. quæ possides, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere me. Tristis quidem ille discessit, neglector perfectionis, & elector defectionis. Sed nunquid ideo defuerunt in quos vnitatis vnguentum tali rerum terrenarum dimissione perfectos, tanquam in oram vestimenti à capite descenderet? Nam exceptis Apostolis, & qui cum eis erant præpositis atque doctoribus, quos eminentiores & fortiores in barba intelligimus, lege in Actibus apostolorum, & vi- Act. 4. de qui rerum suarum venditarum pretia ad pedes apostolorum ponebant; & nemo dicebat aliquid proprium, sed erant eis omnia communia, & distribuebatur vnicuique sicut cuique opus erat, & erat illis anima vna, & cor vnum in Deum. Nempe ita scriptum esse cognoscis. Agnosce ergo bonum & iocundum, fratres habitantes in vnum. Agnosce barbam B Aaron. Agnosce oram vestimenti spiritalis. Interroga ipsam Scripturam vbi cœperunt ista fieri, inuenies in Hierusalem. De hac ora vestis per omnes gentes vnitas tota contexitur. Hac intrauit caput in vestem, vt indueretur Christus varietate orbis terrarum, quia in hac ora vestimenti apparuit varietas ipsa linguarum. Cur ergo ipsi capiti, vnde illud vnitatis descendit vnguentum, id est, amoris fragrantia spiritalis, cur, inquam, ipsi capiti resistitis testanti & dicenti, Prædica- Luce 24. bitur in nomine eius pœnitentia & remissio peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem? Et in hoc vnguẽto sacramentũ chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus: sed potest esse & in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, & regnum cælorum non possessuris, & ideo nec ad barbam Aaron, nec ad oram vestimenti eius, nec ad vllam contextionem vestis sacerdotalis pertinentibus. Vbi enim posituros es quæ Apostolus enumerat manifesta opera carnis, quæ Galat. 3. C sunt, inquit, fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis sicut prędixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebũt? Sequestra fornicationes quæ latenter admittuntur: immunditias interpretare vt volueris, sequestro & ipsas: illic ponamus & veneficia, quia nemo est palàm confector datórque venenorum: sequestro & hæreses, quia & hoc vultis: idolorum seruitutem nescio vtrum debeam sequestrare, quandoquidem Apostolus ibi ponit auaritiam, quæ publicè insanit. His ergo sequestratis, nulline apud vos luxuriosi, nulli auari, nulli pertinaciter inimicitias exercentes, nulli contentiosi, æmuli, animosi, dissensionibus studentes, inuidi, ebriosi, comessationibus D vacantes? Nulline apud vos tales vnguntur, & in his intus noti manifestique moriuntur? Si nullos dicis, quoniam studio contentionis apertè mentiris, vide ne de talibus ipse sis. Si autem ab huiusmodi remotus es, non corporis separatione, sed vitę dissimilitudine, & tales turbas circum altaria vestra gemens conspicis, quid dicemus quia oleo sancto vncti sunt, & sicut Apostolus liquida veritate confirmat, regnum Dei non possidebunt: nunquid barbæ Aaron & oræ vestimenti eius sacrilega iniuria facienda est, vt ibi eos ponendos arbitremur? Absit: discerne ergo visibile sanctum sacramentum, quod esse & in bonis & in malis potest: Illis ad præmium, illis ad iudicium, ab inuisibili vnctione charitatis quæ propria bonorum est. Discerne ista, discerne, discernat te Deus à parte Donati, & in catholicam reuocet, vnde te illi cate-

catechumenum abreptum mortiferi honoris vinculo ligauerunt. Iam ros Hermon super montes Sion, quomodolibet abs te accipiatur, non estis in montibus Sion, quia nõ estis in ciuitate super montem constituta, quę certum signum hoc habet, quòd abscondi non potest. Nota est ergo omnibus gentibus, pars autẽ Donati ignota est pluribus gentibus, nõ est ergo ipsa.

Ecclesia abscondi non potest.

CAPVT CV.

PETILIANVS dixit: *Væ igitur vobis qui violando quod sanctum est, rescinditis vnitatem, Propheta dicente: Si peccauerit populus, orabit pro eo sacerdos: si autem peccauerit sacerdos, quis orabit pro eo?* AVG. respondit: Et videbar pauloantè cũ de oleo peccatoris disputaremus, vngere tibi frontem, vt diceres, si auderes, vtrum ipse peccator non esses. Ecce dixisti illud, ô scelus, ô monstrum! Quia enim te sacerdotem asseris, quid aliud per hoc propheticum testimonium, nisi te omnino sine peccato esse dixisti? Nam si habes peccatum, quis pro te orabit secundum intellectum tuum? Ita enim vos miseris plebibus venditatis commemorantes ex propheta: Si peccauerit populus, orabit pro eo sacerdos: si autem sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo? vt vos sine peccato esse credant, & peccata sua vestris orationibus purganda committant. Magni homines vos, excelsi, cælestes, diuini, non iam homines sed angeli, qui pro plebibus oratis, & pro vobis plebes orare non vultis. Tu ne iustior Paulo, tu perfectior tanto apostolo, qui eorũ quos docebat orationibus se commendabat? Orationi, inquit, instate, vigilantes in illa, in gratiarũ actione orãtes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium verbi ad loquendum mysterium Christi, propter quod & vinctus sum vt manifestem illud, ita vt oportet me loqui. Ecce oratur pro Paulo apostolo, quod fieri non vis pro episcopo. Vides ne quàm sit ista diabolica superbia? Oratur pro apostolo, vt manifestet mysterium Christi, sicut oportet loqui. Proinde si pias plebes haberetis, hortari debuisti vt pro te orarent ne loquereris sicut nõ oportet. Tu iustior Ioanne euãgelista, qui ait, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est? Tu postremo iustior Daniële? quem tuipse in hac tua epistola ita commemorasti vt diceres, Rex iustissimum Daniëlẽ ferinis morsibus vt putabat obiecit: quod ille non putauerat, quãdoquidem amicissimo animo, sicut lectionis circumstantia probat, dixit ipsi Daniëli, Deus tuus cui deseruis assiduè, ipse eripiet te. Sed hinc iam multa diximus: nũc quod agitur, Nempe iustissimus erat Daniel: nõ testimonio tuo, quanquam hoc mihi ad causam quam tecũ ago, sufficiat, sed testimonio spiritus Dei loquentis etiam per Ezechielem, vbi tres eminentissimæ iustitiæ nominauit, Noë, Daniëlẽ & Iob, quos dixit solos à quadam vehementissima ira Dei, quæ cæteris impenderet, posse liberari. Vir ergo iustissimus, vnus ex tribus memorabilibus orat & dicit, Cùm orarem & confiterer peccata mea & peccata populi mei in conspectu Domini Dei mei. Et tu te dicis esse sine peccato, quia videlicet sacerdos es, & si peccauerit populus, oras pro eo: si autẽ tu peccas, quis pro te orabit? Verè quia impietate tantæ arrogantię indignum te prębes, pro quo sacerdos ille interpellet, quẽ Propheta his verbis quæ nõ intelligis, voluit intelligi. Iam enim ne quis inquirat cur hoc dictum sit, quantum Dominus donat, expediam. Præparabat Deus animas hominum per Prophetam, vt talem desiderarent sacerdotem pro quo nullus posset orare. Ipse figurabatur temporibus primi populi & primi templi, vbi omnia figuræ nostræ fuerunt. Ideo solus summus sacerdos intrabat in sancta sanctorum, vt oraret pro populo, qui cum sacerdote in ipsa interiora sancta non introibat, sicut ille sacerdos intrauit in secreta cælorum in illa veriora sancta sanctorum, adhuc nobis hic positis pro quibus interpellat. Ideo dixit Propheta, Si peccauerit populus, orabit pro eo sacerdos: si autem sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo? Quasi diceret, talem desiderate sacerdotem qui peccare nõ possit, ne indigeat orari pro se. Et ideo pro Apostolis oratur à populis: pro illo autẽ sacerdote Apostolorum magistro & Domino nõ oratur. Audi hoc Ioannẽ fatentem & dicentẽ, Fratres, inquit, hæc scribo vobis vt nõ peccetis: & si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrẽ Iesum Christum iustũ, ipse exoratio est pro peccatis nostris. Habemus, dixit, peccatis nostris dixit. Disce humilitatẽ ne cadas, imò vt aliquãdo surgas. Neque enim ista dixisses, nisi cecidisses.

1.Reg.2. Coloss.4. 1.Ioan.1. Dan.6. Ezech.14. Dan 9. Leuit.16. Hebr. 1.Reg.2. Act.14. 1.Iohan.2.

CAPVT CVI.

PETILIANVS dixit: *At ne se vindicet à delicto qui laicus est, hoc interdicto tenetur: Ne communices peccatis alienis.* AVG. respondit: Erras, vt dicitur, toto cælo per superbiã, dum nõ vis communicare orbi terræ per humilitatem. Nam neque hoc laico dictum est, & nescis quemadmodũ dictũ sit. Ad Timotheum apostolus cùm scriberet, hoc monebat eundẽ ipsum Timotheum, cui alio loco dicit, Noli contemnere gratiã quæ in te est, quæ tibi data est per impositionem manuum presbyteri. Et multis aliis documentis ostenditur quòd non erat laicus. Quod autem ait, Ne communices peccatis alienis: consensu & placito intelligi voluit. Vnde statim subiiciens quomodo id agat, Teipsum, inquit, castum custodi. Neque enim & ipse Paulus communicabat peccatis alienis, quia falsos fratres de quibus gemit, in vnitate corporali tolerabat: aut communicauerunt furto & sceleri Iudę prędecessores eius apostoli, quia cũ eo iam Domini venditore & à Domino demonstrato, sacrosanctã cœnam communicauerunt?

1.Tim.5. 1.Tim.4. 1.Tim.5.

CAPVT CVII.

PETILIANVS dixit: *Hac iterum sententia ipse Apostolus comparat conscientiæ malæ consortes. Et qui faciunt ea*, inquit, *& qui consentiunt talia facientibus, digni sunt morte.* AVG. respondit: Quomodolibet ea dixeris, nõ curo; vera sunt hæc: & hoc est quod catholica docet, multum interesse inter consentientes quibus hęc placent, & tolerantes quibus hęc displicẽt. Illi enim palea fiunt dũ paleæ sequũtur sterilitatẽ, illi triticũ sunt, dũ expectant vt segregentur per Christum ventilatorem.

Rom.1.

CAPVT CVIII.

PETILIANVS dixit: *Venite ergo ad ecclesiam populi, & aufugite traditores, si cum iisdem perire non vultis. Nam vt facilè cognoscatis, quòd cùm ipsi sint rei, de fide nostra optimè iudicent: ego illorum infectos baptizo: illi meos, quod absit, recipiunt baptizatos, quæ omnino non facerent si in baptismo nostro culpas aliquas agnouissent. Videte ergo quod damus, quàm sit sanctum, quod destruere metuit sacrilegus inimicus.* AVG. respondit: Contra istum quidem errorem multa iam diximus, & in hoc opere & alibi. Sed quia ita magnum firmamentũ vanitatis vestræ in hac sententia esse arbitramini, vt ad hoc tibi terminandam putares epistolam, quo quasi recentius in animis legentium remaneret, breuiter respondeo. Sic approbamus in hæreticis baptismum, non hæreticorum, sed Christi, sicut in fornicatoribus immundis, luxuriosis, idololatris, veneficis, inimicitiarum retentoribus, contentiosis, æmulis, animosis, dissensionum studiosis, inuidis, ebriosis, comessatoribus, & his similibus approbamus baptismum non eorum, sed Christi. Omnes enim isti inter quos & hæretici positi sunt, sicut dicit Apostolus, regnum Dei non possidebunt, & ideo ad sinistram partem cum diabolo pertinebũt. Nec ideo putãdi sunt esse in Christi corpore, quod est ecclesia, quia sacramentorum eius corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus sancta sunt, & eis indignè tractantibus & sumentibus ad maius iudicium valebunt. Ipsi autem non sunt in illa ecclesiæ Christi compage, quæ in membris Christi per connexum & contactum crescit in incremẽtum Dei. Illa quippe ecclesia in petra est, sicut Dominus dicit, Super hanc petram

Matth.16.

petram ædificabo ecclesiam meam. Illi autem in arena ædificant, sicut idem Dominus dicit, Qui audit verba mea & non facit ea, similabo eũ viro stulto qui ædificat domum suam super arenam. Sed ne putes ecclesiam quæ in petra est in vna parte esse terrarum, & non diffundi vsque ad fines terræ, audi eius vocem de psalmo gementis inter mala peregrinationis suæ. Ait enim, A finibus terræ ad te clamaui, dum angeretur cor meum in petra exaltasti me: Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Videte quemadmodum à finibus terræ clamat. Non est ergo in sola Africa, vel solis Afris, episcopum Romam paucis Montensibus, & in Hispaniam domui vnius mulieris ex Africa mittentibus. Videte quemadmodum in petra exaltetur. Non ergo in ea deputandi sunt omnes qui ædificant in arena, id est, qui audiũt verba Christi & non faciunt, qui tamen & apud nos & apud vos habent & tradunt baptismi sacramẽtum. Videte quemadmodum spes eius Deus sit pater & filius & Spiritus sanctus, non Petrus, nõ Paulus, quanto minus Donatus, aut Petilianus. Non ergo vestrũ est quod destruere metuimus, sed Christi: quod & in sacrilegis per se sanctum est. Nam veniẽtes à vobis recipere non possumus, nisi quod vestrum est destruamus: destruimus enim perfidiam desertoris, non destruimus characterem imperatoris. Proinde tuipse considera & destrue quod dixisti, *Ego*, inquis, *infectos illorum baptizo: illi meos, quod absit, recipiunt baptizatos.* Tu enim non infectos baptizas, sed vt tui erroris fraude inficias, rebaptizas. Nos autem non tuos recipimus baptizatos, sed destruimus errorem tuum vnde sunt tui, & suscipimus Christi baptismum vnde sunt baptizati. Itaque opportunè in medio abs te positum est, *quod absit*. Dixisti enim, *illi meos, quod absit, recipiunt baptizatos.* Nam cùm tu velles intelligi quod absit recipiunt, timens ne tuos recipiamus, ego nesciẽtem dixisse accipio, meos quod absit. Reuera enim absit vt tui sint qui iam ad catholicã transeũt, nec sic transeũt vt baptizati nostri sint, sed vt socij nostri sint: baptizati autem Christi nobiscum sint.

Matth.7. Psalm.60. Donatista Romæ agentes Montensis appellati Luciliani intelligit. Psalm.51.

Libri secundi finis.

D. AVRELII AVGVSTINI
CONTRA PETILIANI RESPONSIONEM, LIBER TERTIVS.

REGI Petiliane literas tuas quando legere potui, quibus te satis indicasti aduersus catholicã ecclesiã pro parte Donati, nec aliquid valuisse dicere idoneum, nec tacere permissum. Quos æstus passus es, quanta cordis tempestate fluctuasti, cùm legisses ea quibus parti epistolæ tuæ quæ in manus meas tunc venerat, quanta potui breuitate ac perspicuitate respondi. Vidisti enim tanta firmitate roboratam, tãta luce illustratam, quam tenemus & defendimus veritatem, vt quid contra eam dicendum esset quo conuicta refelleretur, inuenire non posses. Attendisti etiã multorum qui ea legerant expectationem in te esse conuersam, scire cupientiũ quid diceres, quid ageres, quà euaderes, quò ex tantis angustiis quibus te Dei verbum circumuallarat, erũperes. Hic tu qui debueras contempta opinione vanorum pergere in veram sanámque sentẽtiam, fecisti quod de talibus Scriptura prædixit, Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem. Proinde si & ego tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quàm duo maledici essemus, vt ij qui nos legerent, alij detestatos abiicerent sana grauitate, alij suauiter haurirent malcuola voluntate? Ego quando cuique vel dicendo vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantum mihi Dominus donat, frenatis atque coërcitis vanæ indignationis aculeis, auditori lectoriúe consulens, non ago vt efficiar homini conuiciando superior, sed errorem conuincendo salubrior. Si enim qualecunque cor habent qui ea quæ scripsisti considerant, quid tibi profuit ad causam quæ inter nos de communione catholica, vel de parte Donati agitur, quòd relicto negotio quodammodo publico, priuata quadã simultate hominis vnius vitam maledicis opprobriis infectatus es, quasi homo ille sit causa quæ inquiritur? Tam malè existimasti, non dicam de Christianis, sed de ipso humano genere, vt non crederes posse tua scripta in manus aliquorum venire prudentium, qui se à personis nostris tollerẽt, & quæstionem potius quæ inter nos verteretur inquirerent, nec qui vel quales essemus, sed quid pro veritate vel contra errorem diceremus attenderent? Et horum iudicium tibi reuerendum fuit, horum reprehensio præcauenda, ne te arbitrarentur nihil inuenisse quod diceres, nisi tibi proponeres cui quoquomodo maleddiceres: Sed videlicet quorundam leuitate atque vanitate qui libenter audiunt lites nugantium disertorum, vt cùm attendunt quàm eloquenter conuicieris, simul non intueantur quàm veraciter conuincaris. Simul & illud opinor egisti, vt occupatus in mea defensione susceptam causam etiam ipse desererem, atque ita hominibus non ad disputantium, sed ad litigantium verba conuersis obscuraretur veritas quam diluescere atque innotescere formidatis. Ego itaque contra tale consilium quid agam? nisi mea potius defensione neglecta rem teneam, de qua intẽtionem meam nullus meus criminator excutiat, domum Dei mei, cuius decorem dilexi, præconio seruientis vocis extollã, me verò humiliabo & abiiciam. Elegi enim abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis hæreticorum. A te ergo Petiliane sermonem parumper auertam, & ad eos conuertam quos à me maledictis tuis es conatus auertere, quasi hoc ego moliar vt homines ad me cõuertantur, & non potius mecum ad Deum.

Psalm.83.

CAPVT II.

AVDITE ergo quicunque maledicta legistis, quæ in me iratior quàm cõsideratior Petilianus euomuit: Prius vos apostolicis verbis alloquor, quæ certè qualiscunque ipse sim vera sunt: Sic nos existimet homo quasi ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem minimum est vt à vobis diiudicer, aut ab humano die; sed neque ego meipsum iudico. Iam quod sequitur, & si mihi non audeo coaptare, vt dicã, Nihil enim mihi conscius sum: fideliter tamen in conspectu Dei dico, nihil eorum quibus Petilianus tempus vitæ meæ posteaquam in Christo baptizatus sum, criminatus est, mihi conscius sum, nec tamen in hoc iustificatus sum. Qui autem diiudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus quemquã iudicare, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordis, & tũc laus erit vnicuique à Deo. Hæc autem fratres transfiguraui in me, ne supra quàm scriptum est, vnus pro altero infletur aduersus alterum. Itaque nemo glorietur in homine. Omnia enim vestra sunt, vos autẽ Christi, Christus verò Dei. Iterũ repeto, Nemo glorietur in homine: si quid in nobis laudabile aduertitis, ad illũ laudẽ referte, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectũ: desursum est enim descendens à patre luminum, apud quem non est immutatio, nec momenti obumbratio. Quid enim habemus quod non accepimus? Si autem accepimus, non gloriemur quasi non acceperimus.

1.Cor.4. 1.Cor.3. Iacobi 1.

al. si tamẽ. perimus. Et in his omnibus quæcunque in nobis bona A ipsi in vna gente tolerare quod nouerant. Vnde etiam
nostis, imitatores nostri estote, †sicut nos Christi: si au- non discussa causa in qua documentis grauissimis cõ-
tem aliqua mala in nobis suspicamini vel creditis vel uincuntur calumniati innocẽtibus, probabilius cre-
videtis, retinete illud Dominicum, quo secuti eius duntur traditionis crimina falsa finxisse, qui non du-
Matth. 23. ecclesiam, nõ propter mala hominum deseratis. Quæ bitauerunt longè sceleratius crimen nefariæ diuisio-
dicimus facite, quæ aut mala nos facere putatis aut nis admittere. Quia & si verum esset quicquid de tra-
nostis, nolite facere. Non enim tempus est purgandi ditione iactauerunt, tamen consortium Christianorũ
me vobis, cùm mea causa neglecta rem vobis salubrẽ quos vsque ad extrema terræ diuina Scriptura com-
commẽdare susceperim, vt nemo glorietur in homi- mendat, propter hoc quod ipsi scierũt, illi autẽ nescie-
Hierem. 17. ne. Maledictus enim omnis qui spem suam ponit in runt, relinquere nullo modo debuerunt.
homine. Hoc præcepto Dominico & apostolico re- NEQVE hoc ideo dixerim vt negligatur ecclesia- CAPVT IIII.
tento atque seruato, etiam me in mea causa sicut ini- stica disciplina, & permittatur quisq; facere quod ve-
micus existimari cupit deficiente & oppresso, victrix lit sine vlla correptione, & quadã medicinali vindicta,
erat causa cui seruio. Si enim firmissimè tenueritis & terribili lenitate, & charitatis seueritate. Nã vbi erit
quod exhortor, & satago, maledictũ esse omnem qui 1. Thess. 5. illud Apostoli, Corripite inquietos, cõsolamini pusil-
spẽ suã ponit in homine, vt nemo glorietur in homi- lanimes, suscipite infirmos, patiẽtes estote ad omnes:
ne, areã Dñicã propter paleã quę nũc vel vẽto super- Videte ne quis malũ pro malo reddat alicui? Cũ hoc
biæ percussa volat, vel vltima ventilatione separabi- vtiq; subiecit, Videte ne quis malũ pro malo alicui red
tur, nullo modo deseretis, nec domũ magnã propter dat; satis ostẽdit, non esse mali pro malo redditionem,
vasa facta in contumeliã refugietis, nec propter malos corripere inquietos, quãuis pro culpa inquietudinis
pisces in litore separandos per dirupta retia exibitis, B reddatur pœna correptionis. Nõ ergo malũ est corre-
nec propter hædos pastore diuisuro ad sinistram po- ptionis pœna, cùm sit malũ culpa. Neque enim ferrũ
nendos bona vnitatis pascua relinquetis, nec propter est inimici vulnerãtis, sed medici secãtis. Fiunt ista in
commixta zizania vos à tritici societate, cui caput est ecclesia, & ille spiritus interioris lenitatis ardet zelo
granum illud mortificatum & multiplicatum, & quæ Dei, ne virgo casta vni viro desponsata Christo, in ali-
per mundum simul vsque ad messem crescit, nefaria quibus suis mẽbris, sicut Eua seducta serpẽtis astutia, 2. Cor. 11.
Matth. 13. decisione separabitis. Ager est enim mundus, non corrũpatur à castitate quæ est in Christo. Verũtamen
1. Cor. 1. Africa: Messis finis seculi, non tempus Donati. absit à seruis patrisfamiliãs, vt immemores sint præce-
CAPVT III. HAS certè similitudines Euãgelicas recognoscitis, pti Domini sui: & sic aduersus zizaniorũ multitudinẽ
ad quid aliud datas, nisi vt nemo glorietur in homine, flagrãtia sanctę indignationis igneſcãt, vt cũ ea volũt
& ne quis pro altero inflat° aduersus alterũ diuidatur, ante tẽpus colligere, simul eradicetur & triticũ. Cuius Matth. 13.
dicens, Ego sum Pauli: cùm vtiq; nõ Paulus crucifixus peccati isti rei tenentur, etiã si vera crimina traditori-
1. Cor. 1. sit pro vobis, nec in nomine Pauli; quanto minus in bus quos insimulabãt, se obiecisse mõstrarent: quoniã
nomine Cæciliani vel cuiusquam nostrũm baptizati simul nõ solũ ab iniquis, quorũ societatẽ velut euita-
sitis: vt discatis quamdiu palea cum frumento trituratur, quamdiu pisces mali cum bonis intra retia Domi-
bãt, sed etiã à bonis fidelibus in omnibus gẽtibus con-
stitutis, quibus ea quę se nosse dicebãt, probare nõ po-
nica natant, ante tempus ventilationis tolerare potius terant, impia præsumptione separati sunt, secũmque
propter bonos commixtionem malorum, quàm vio- C multos apud quos aliqua authoritate præualebant, & qui
lare propter malos charitatẽ bonorum? Hæc quippe minus intelligere poterãt, vnitatẽ ecclesię toto orbe
commixtio non æterna, sed temporalis; nec spiritalis, diffusę, pro alienis peccatis nullo modo esse deserẽdam,
sed corporalis est. In qua non errabunt angeli, quãdo traxerũt in eandẽ perniciem: vt etiam si ipsi sci-
colligent malos de medio iustorum, & mittent eos in rent vera crimina quibusdã se obiicere, eo modo peri-
caminũ ignis ardentis. Nouit enim Dominus qui sunt ret infirmus in eorũ scientia, propter quem Christus Rom. 14.
2. Tim. 2. eius. Et si ab iniquis ad tempus corporaliter nõ potest, mortuus est, dũ offensus malis alienis, interimebat in
recedat tamen ab ipsa iniquitate omnis qui nominat se bonũ pacis quod habebat cũm fratribus bonis, qui
nomẽ Domini. Licet enim à malis interim, vita, mo- partim talia non audierant, partim nõ discussa & non
ribus, corde ac volũtate separari atque discedere, quæ probata temerè credere formidauerãt, partim iudici-
separatio semper oportet custodiatur. Corporalis au- bus ecclesiasticis ad quos trãs mare tota causa perdu-
tem separatio ad seculi finem fidenter, patienter, for- cta est, quantacũque illa essent pacifica humilitate re-
titer expectetur: propter quam expectationẽ dictum liquerant
Psalm. 26. est, Sustine Dominum, viriliter age, confortetur cor VOS ergo sancta germina vnicæ matris catholicæ, CAPVT V.
tuum, & sustine Dominum. Maxima quippe palma huiusmodi sceleris & erroris exemplum, subditi Do-
tolerantiæ est inter subintroductos falsos fratres, sua mino, quanta potestis vigilantia præcauete, quan-
quærentes non quæ Iesu Christi, dilectionẽ non suam talibet doctrinę ac famæ luce prefulgeat, lapidẽmque
quærentium, sed quę Iesu Christi, nulla turbulenta & se esse iactet pretiosum quisquis vos trahere voluerit
temeraria dissensione turbare, nec vnitatem sagenæ D post seipsum, mementote quòd illa mulier fortis &
Dominicæ ex omni genere piscium congregantis, vna vni amabilis viro suo, quã in vltimo Prouerbiorũ
dum ad litus, id est, ad finem seculi ducitur, superbè sancta Scriptura describit, pretiosior est lapidibus pre-
nefaria contentione dirumpere: cùm se putat quisque tiosis. Nemo dicat, Illũ sequar; quoniã ipse me Chri-
aliquid esse, cùm nihil sit, atque ita seipsum seducit, & stianũ fecit; aut illũ sequar, quoniã me baptizauit. Ne-
sufficere vult ad populorum Christianorum separa- que qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui in- 1. Cor. 3.
tionem, suum vel suorum iudicium, qui malos quos- crementũ dat Deus. Et Deus charitas est, & qui ma- 1. Ioan. 4.
dam communione sacramentorum Christianæ re- net in charitate, in Deo manet, & Deus in illo manet.
ligionis indignos se apertissimè nosse dicunt: de qui- Nullus etiã prædicans nomen Christi, & gestans ac
bus tamen quicquid nosse se dicunt, vniuersæ eccle- ministrans sacramentum Christi, sequendus est cõtra
siæ quæ per omnes gentes sicut est prædicta diffun- vnitatem Christi. Opus suum probet vnusquisque: &
ditur, persuadere non possunt. E cùm istorum quasi tunc in seipso tantùm gloriam habebit, & non in al- Galat. 6.
quos nouerũt, refugiunt communionem, illius dese- tero. Vnusquisque enim propriũ onus portabit, onus
rũt vnitatem, cùm potius deberent si esset in eis cha- videlicet reddendæ rationis, quia vnusquisque nostrũ
ritas omnia sufferens, ne se à bonis diuiderent, quos in pro se rationem reddet. Non itaque amplius inuicem
omnibus gentibus aliena mala docere non poterant, iudicemus. Nam quantum attinet ad onera mutuæ Rom. 14.
cha-

charitatis, inuicem onera vestra portate; & sic adim-
Galat. 6. plebitis legem Christi. Qui enim putat se esse aliquid
cùm nihil sit, seipsum seducit. Sufferamus ergo inui-
Ephes. 4. cem in dilectione, satagẽtes seruare vnitatẽ spiritus in
vinculo pacis, extra quã quisquis colligit, nõ cũ Chri-
CAPVT VI. sto colligit: quisquis autem nõ cum Christo colligit,
spargit. PROINDE siue de Christo, siue de eius ecclesia, siue de quacunque alia re quæ pertinet ad fidẽ
Galat. 1. vitãmque nostram, non dicam nos, nequaquam com-
parandi ei qui dixit, Licet si nos, sed omnino quod se-
cutus adiecit, Si angelus de cælo vobis annunciauerit
præterquam quod in Scripturis legalibus & euange-
licis accepistis; anathema sit. Hæc vobiscum & cum
omnibus quos Christo lucrari cupimus actitantes, at-
que inter cætera sanctam ecclesiam quam in Dei li-
teris promissam legimus, & sicut promissa est in om-
nibus gentibus reddi cernimus, prædicãtes, ab iis quos
ad eius pacificum gremium attrahi cupimus, pro
actione gratiarum flammas meruimus odiorum: quã-
si nos eos in ea parte ligauerimus, pro qua non inue- B
niunt quid loquãtur, aut nos mãdauerimus tãto antè
prophetis & apostolis, vt in libris suis nulla testimo-
nia ponerent, quibus pars Donati ecclesia Christi es-
se doceatur. Et nos quidem charissimi; cùm falsa cri-
mina audimus ab eis quos offendimus prædicando
eloquia veritatis, & erroris vaniloquia conuincendo,
habemus sicut nostis abundantissimam consolatio-
nem. Nam si in eis quibus me criminantur, testimo-
nium conscientiæ meæ non stat contra me in cõspe-
ctu Dei, quò nullus oculus mortalis intenditur, non
solùm contristari non debeo; verumetiam gaudere &
exultare, quia merces mea multa est in cælis. Neque
enim intuendum est quàm sit amarum; sed quàm fal-
sum quod audio, & quã verax pro cuius nomine hoc
Cantic. 1. audio, & cui dicitur, Vnguentum effusum est nomen
tuũ. Et meritò fragrat in omnibus gẽtibus, cuius odo-
rẽ isti, qui nobis maledicunt, in vna Africæ particula
conãtur includere. Cur itaque feramus indignẽ quòd
nos infamant, qui gloriæ Christi sic detrahunt, quorũ
parti contentionique inimicum est, quod de illius ad
cælos ascensione, & de nominis eius tanquam vnguẽ-
ti effusione, tanto antè prædictum est: Exaltare super
Psalm. 56. cælos Deus, & super omnem terram gloria tua?
CAPVT VII. HÆC & talia testimonia diuina nos aduersus hũ
mana vaniloquia proferentes ab inimicis glorię Chri-
sti acerba opprobria sustinemus. Dicãt quod volunt,
Matth. 5. dum ille nos exhortetur dicens, Beati qui persecu-
tionem patiuntur propter iustitiam, quia ipsorum est
regnum cælorum. Beati eritis cùm vos persecuti fue-
rint homines, & maledixerint vobis, & dixerint omne
malum aduersum vos mentientes propter me. Quod
ait superiùs propter iustitiam, hoc repetiuit, quod ait
postea, propter me: quia factus est nobis sapientia &
1. Cor. 1. iustitia & sanctificatio & redemptio; vt quemadmo-
Hier. 9. D dum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorie-
Matth. 5. tur. Qui cũ dicat, Gaudete & exultate, merces enim
vestra multa est in cælis, si quod dictũ est, propter iu-
stitiam & propter me, in bona cõscientia teneo; quis-
quis volens detrahit famæ meæ, nolens addit mercedi
meæ. Neque enim me ille suo verbo tantũmodo do-
cuit, nõ etiam suo firmauit exemplo. Sequere sancta-
rum scripturarum fidem, inuenies Christum resurre-
xisse à mortuis, ascendisse in cælum, sedere ad dexterã
patris. Sequere criminationes inimicorum, iam puta-
bis eum de sepulchro furatum esse à discipulis. Quid
ergo nos quantum ipse donat, defendentes domum
Matth. 10. eius ab inimicis eius aliud sperare debemus? Si patrẽ-
familiãs Beelzebub vocauerũt: quanto magis dome-
sticos eius? Si ergo toleramus, & conregnabimus. Si
autem non aurem solam percutit iracundia criminã-
tis, verumetiam conscientiam mordet veritas crimi-
A nis, quid mihi prodest si me continuis laudibus totus
mundus attollat? Ita nec malam conscientiam sanat
præconium laudantis, nec bonam vulnerat conuiciã-
tis opprobrium. Nec sic tamen decipitur spes vestra
quæ in Domino est, etiam si fortè in occulto tales si-
mus, quales nos putari cupit inimicus, quia non eam
posuistis in nobis, nec vnquam hoc audistis à nobis.
Securi ergo estis qualescunque nos simus, qui dicere
didicistis, In Domino sperans non infirmabor: &, In Psalm. 35.
Domino sperabo, non timebo quid faciat mihi ho- Psalm. 117.
mo. Et eis qui vos ad hominum superborum terrenas
altitudines seducere moliuntur, respondere nostis, Psalm. 10.
In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ,
Transmigra in montem sicut passer. NEC tan- CAPVT VIII.
tùm vos quibus in nobis ipsa Christi veritas placet,
quantumcunque per nos & vbicunque prædicatur, &
quia eam quantulocunque nostræ linguæ ministerio
libẽter auditis, etiam de nobis bene benignẽque sen-
titis, securi estis qualescunque nos simus, quia in illo
B spes vestra est, quem vobis ex illius super vos misẽri-
cordia prædicamus: verùm etiam quicunque nostra
dispensatione etiam sacramẽtum sancti baptismi per-
cepistis, eadem securitate gaudete: quoniam non in
nobis, sed in Christo baptizati estis. Non itaque nos,
sed Christum induistis; nec vos interrogaui, vtrum ad
me conuerteremini, sed ad Deum viuum; nec vtrum
in me credideritis, sed in patrem & filium & Spiritum
sanctum. Quod si veraci animo respondistis, saluos
vos fecit, non carnis depositio sordium, sed conscien-
tiæ bonæ interrogatio: non conseruus, sed Dominus;
non præco, sed iudex. Neque enimuero sicut Petilia-
nus inconsideratè dixit: *Conscientia dantis*, vel quod
addidit, *conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat
accipientis*. Cùm enim hoc datur quod Dei est, sanctũ
dat etiam non sancta conscientia. Quæ certè siue sit
sancta siue non sancta, ab accipiente inspici nõ potest,
sed planè illud quod datur potest, quod cognitũ ei qui
C semper est sanctus, per qualẽlibet ministrũ accipiatur,
securissimè accipitur. Nisi enim sancta verba essent ex Matth. 23.
cathedra Moysi, nõ diceret veritas: Quæ dicũt facite.
Si autẽ ipsi qui verba sancta dabãt sancti essent, nõ di-
ceret, Quæ faciunt, facere nolite: dicũt enim & non
faciũt. Nullo quippe modo legitur vua de spinis, quia
nunquã de spinarũ radicibus oritur, sed cùm se spino-
sis sepib° palmes vitis implicuit, nõ ideo fructus qui il
lic pẽdet horretur, sed spina cauetur, vua decerpitur.
ITAQVE, vt sæpe dixi, & vehemẽter inculco, qua- CAPVT IX.
lescunque nos simus, securi estis qui Deum patrem &
eius Ecclesiam matrem habetis. Quãuis enim simul
hædi cum ouibus pascantur, nõ stabunt ad dexteram.
Quamuis simul palea cum tritico trituretur, non in-
trabit in horreum: Quamuis simul pisces mali cum Matth. 13.
bonis intra retia Dominica natant, non mittuntur in
D vascula. Nemo glorietur nec in homine bono, nemo
bona Dei fugiat nec in homine malo.
HÆC vobis Christiani catholici fratres mei cha- CAPVT X.
rissimi pro negotio præsenti suffecerint quæ si catho-
lica dilectione retinetis, cùm sitis vnus grex de vno
pastore securus, non nimis curo quòd mihi vel con-
gregali vestro vel certè cani vestro conuiciatur quili-
bet inimicus, dummodo me magis pro vestra quàm
pro mea defensione latrare compellat: quã tamen si
opus esset ad causam, breuissima facillimáque vterer,
totum scilicet vitæ meæ tempus antequam percipere
baptismum Christi, quantum ad meas cupiditates er-
roresque attinet, cum omnibus improbans & dete-
stans, ne in eius temporis defensione meam gloriam
quærere viderer, non illius qui me per gratiam suam
& à meipso liberauit. Vnde illam vitam meam cùm
vituperari audio, quolibet animo id faciat qui hoc fa-
cit, non vsqueadeò sum ingratus vt doleam: quantũ-
cunque

cunque ille accusat vitium meum, tantum ego laudo medicum meum. Quid ergo iam de illis præteritis atque abolitis malis meis defendendis laborem, de quibus Petilianus multa quidem falsa dixit, sed plura vera non dixit. De tempore autē vitę meę quod est post baptismum, vobis quicunque me nostis, superfluò loquor ex iis quæ nota esse hominibus possunt: hi verò qui me non nouerunt, non ita iniqui esse debent in me, vt magis de me credant Petiliano quàm vobis. Nam si laudanti amico credendum non est, nec inimico detrahenti: restant ea quæ occulta sunt hominis, vbi sola conscientia talis est, quæ testis esse apud homines non potest. In his me Petilianus Manichæū esse dicit, loquens de aliena conscientia: hoc ego me non esse dico, loquens de mea conscientia. Eligite cui credatis. Veruntamen quoniam nec ista breui ac facili mea defensione opus est, vbi quæstio nō de qualiscunque vnius hominis merito, sed de sanctæ Ecclesię †vnitate versatur, ad vos etiam mihi plura dicenda sunt, quicunque in parte Donati, Petiliani quæ in me scripsit maledicta legistis, quæ ab illo non audirem, si vestram perditionem contemnerem: sed charitatis Christianæ viscera non haberem.

Vt amico laudanti, sic nec detrahēti inimico facilè credendum.

al. veritate.

Ad Donatistas sermonem conuertit.

CAPVT XI.

QVID ergo mirum, si cùm grana de area Dominica excussa, simul cum terra & palea introrsum traho, iniuriam resilientis puluerisſuffero? Vel cùm Domini mei oues perditas diligēter inquiro, spinosarum linguarum vepribus laceror? Obsecro vos deponite paululum studia partium, atque inter me & Petilianum cum aliqua æquitate iudicate. Ego Ecclesię causam volo vt noueritis, ille vt meam. Ad quid aliud, nisi quia testibus meis quos in causa Ecclesiæ cōstanter adhibeo, non audet dicere ne credatis: Prophetæ sunt enim & Apostoli, & ipse Prophetarum ac Apostolorum Dominus Christus: de me autem quicquid dicere libuerit homini aduersus hominem, & vestro aduersus alienum, facilè creditis? Et si quos vitæ meæ testes adhibuero, quid magnum est vt dicat, non eis esse credendum: & hoc vobis citò persuadeat, præsertim quando quisquis pro me vllum verbum fecerit, inimicus parti Donati, ac per hoc vester continuò deputabitur? Regnat itaque Petilianus; quando in me quælibet conuicia iaculatur, ei omnes acclamatis & plauditis. Hāc igitur sibi inuenit vincibilem causam, sed iudicibus vobis: nec testem nec argumentum requiret, cui hoc solum probare est quod dicit, quia ei quem maximè odistis, copiosissimè maledicit. Nam quoniam diuinæ Scripturæ testimonia, cùm pro Ecclesiā catholica tam densa & tam clara recitantur, vobis dolentibus remanet mutus: elegit materiam vbi vobis fauentibus loquatur, & victus verum simulans statum, talia vel etiam sceleratiora dicat in me. Mihi sat est ad rem quam nunc ago, quòd qualiscunque in ea sim, tamen Ecclesia pro qua loquor inuicta est.

CAPVT XII.

HOMO sum enim de area Christi, palea si malus, granum si bonus. Non est huius areæ vērilabrum lingua Petiliani, ac per hoc quicquid in eius paleam mali etiam verè dixerit, nullo modo frumentis eius præiudicat. Quicquid autem in ipsa frumenta maledictorum calumniarūmque iactauerit, fides eorum exercetur in terris, merces augetur in cælis, Sanctis enim Dei seruis, sanctēque Deo militantibus, non aduersus Petilianum, atque huiusmodi carnem & sangujnem, sed aduersus principatus & potestates rectores talium tenebrarum, quales sunt omnes aduersarij veritatis, quibus vtinam dicamus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Hanc ergo militiam militantibus seruis Dei quæcunque ab inimicis conuicia criminosa dicuntur, quæ apud maleuolos & temerè credulos famam malam faciant, arma sinistra sunt. Etiam diabolus his expugnatur. Cùm enim per bonam famam probamur vtrum nos in superbiam nō extollamus, & per malam famā probamur vtrum inimicos eosipsos à quibus nobis confingitur, diligamus, per arma iustitiæ à dextera & à sinistra diabolum vincimus. Quæ cùm Apostolus commemorasset dicens, Per arma iustitiæ à dextra & à sinistra: continuò tanquam exponens quid dixerit, Per gloriam, inquit, & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, & cætera talia: gloriam scilicet & bonam famam numerans in armis dextris, in sinistris autem ignobilitatem & infamiam. Si ergo sum Dei seruus & miles non reprobus, quamlibet disertus cōuiciator in me Petilianus existat, nunquid molestè ferre debeo, quòd mihi armorum sinistrorū faber sollertissimus paratus est? Opus est vt his in adiutorio Domini mei peritissimè dimicem, & eis illum feriam contra quem inuisibiliter pugno, qui peruersissima & antiquissima astutia callidè intendit & agit, vt propter hæc Petilianum oderim, ac sic præceptum Christi quod ait, Diligite inimicos vestros, implere nō possim: quod à me auertat eius misericordia qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me, vt pendens in cruce, diceret: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: méque de Petiliano & talibus inimicis meis dicere doceret, Domine ignosce illis, quia nesciunt quid loquuntur.

Ephes. 5.

2. Cor. 6.

Luca 6.

Luca 23.

CAPVT XIIII.

PROINDE si impetrauero à vobis sicut intendi, vt remoto ab animis vestris omni studio partium inter me & Petilianum æqui iudices sitis, ostendam vobis non eum respondisse scriptis meis: vt intelligatis quia veritatis inopia coactus sit causam relinquere, & in hominem qui eam sic egit vt respondere ille non posset, quæ potuit maledicta iactare. Quanquam tanta manifestatione clarent quæ dicturus sum, vt etiam si studio partium & odio mei vestrę mentes à me alienentur, tantūmodo si vtraque legatis, certè apud vosmetipsos in cordibus vestris verum me dixisse fateamini. Ego enim respondens primæ parti scriptorum eius quæ tunc in manus meas venerat, prætermisso conuicioso & sacrilego multiloquio, vbi ait: *Bis baptisma nobis obiiciunt ij qui sub nomine baptismi animas suas reo lauacro polluerunt, quibus equidem obscenis sordes cuncta mundiores sunt: quos peruersa munditia aqua sua contigit inquinari:* Illud quod sequitur tenui discutiendum, & refellendum quod ait, *Conscientia namque dantis attenditur, quæ abluat accipientis.* Et quæsiui, vnde abluendus sit qui accipit baptismum, cùm dantis polluta conscientia est, & hoc ille qui est accepturus ignorat?

Supra lib. 1. cap. 1.

CAPVT XV.

LEGITE nunc eius copiosissima maledicta quæ in me inflatus & iratus effudit, & videte vtrum quærenti mihi responderit, vnde sit abluendus qui accipit baptismum, cùm dantis polluta conscięntia est, & hoc ignorat accipiens. Obsecro vos quærite attētè, omnes excutite paginas, omnes dinumerate versiculos, omnia verba versate, omnes syllabas enucleate, & dicite mihi si inueneritis, vbi respōderit, cùm dātis cōscientia polluta est, vnde sit eius abluenda qui hoc accepturus ignorat? Quid enim ad rem pertinet, quia verbum addidit quod à me diceret fuisse subtractum, atquie ita se scripsisse contendit: *Conscientia nāque sanctè dantis attēditur, quæ abluat accipientis.* Nam vt noueritis à me non fuisse subtractū, nihil inquisitionem meā impedit additū, nihil eius subleuat defectionem. At ipsa enim verba rursus interrogo, & iterū quæro: [Si conscientia sanctè dātis attēditur, quę abluat accipiētis: vnde abluitur accipiētis cōscientia, quādo dātis maculosa cōscientia est, & hoc accepturus ignorat?] Ad hoc respōderi flagitate, neminē relicta causa conuiciosè alienari permittite: Si cōscientia sanctè dantis attenditur: videte quia non dixi, cōscientia dantis, sed addidi, sanctè dantis: si conscientia, inquam, sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis, vnde igitur abluendus est qui accipit baptismū cùm dantis polluta conscięntia est, & hoc ille qui est accepturus ignorat?

CAPVT XVI. *Calumnia Petiliani in Augustinum.*

EAT nunc & anhelis pulmonibus ac turgidis faucibus me tanquam dialecticum crimineturimmo nō me, sed ipsam dialecticam velut mentiendi artificem in populare iudicium ream deuocet, & in eam quamlibet fragosissimo strepitu aduocati forensis ora distēdat. Dicat quicquid vult apud imperitos, vnde stomachentur docti, illudantur indocti: me propter rhetoricam, Tertulli oratoris, à quo accusatus est Paulus, vocabulo denotet: sibi propter aduocationem in qua potentiam quondam suam iactat, paracleti nomen imponat, atq; ob hoc se cognominalē Spiritus sancti non esse sed fuisse deliret. Manichæorum immunditias libentissimè exaggeret, easq; in me latrando detorquere conetur. Ignotorum mihi & notorum gesta recitet damnatorum, & quod ibi amicus quondam meus magis ad defensionem suam me nominauit, absentem in calumniam præiudicati criminis, nescio quo nouo & suo iure conuertit: titulos epistolarum mearum à se vel à suis sicut eis placuit inscriptos legat, & tanquam me in eis comprehendisse se gestiat, confitentem culogias panis simpliciter & hilariter datas, ridiculo nomine & venenosæ turpitudinis ac furoris infamet, & de nostro corde tam malè sentiat, vt amatoria maleficia data mulieri, marito non solùm conscio, verumetiam fauente, credi sibi posse præsumat: quod de me adhuc presbytero scripsit iratus, ordinator futurus episcopatus mei velit valere aduersus me: quod autem à sancto concilio de hoc quod in nos ita peccauit, veniam petiuit & meruit, nolit valere pro me: ita Christianę mansuetudinis, & præcepti euangelici vel nescius vel oblitus, vt etiam quod fratri vt sibi ignosceretur humiliter postulanti clementer ignotum est, criminetur.

Act. 24.

Petilianus antè susceptum episcopatum causarum fuit huic.

Vide lib. 2. cont. Cresco. c. 80. & lib. 3. cap. 80.

CAPVT XVII.

PERGAT etiam sermone multiloquo, sed planè vaniloquio in ea quæ prorsus ignorat, vel in quibus potius abutitur ignorantia plurimorum: & ex confessione cuiusdam feminæ, quòd catechumenam se dixerit Manichæorū quæ sanctimonialis & catholica fuerit, quod ei placet de illorum baptismo dicat: & scribat nesciens, aut nescire se fingens, non illicitè appellari catechumenos tanquam eius baptismus quandoque debeatur, sed eos hoc vocari qui etiam auditores vocantur, quòd videlicet tanquam meliora & maiora præcepta obseruare non possint quæ obseruantur ab eis quos electorum nomine discernendos & honorandos putant. Me etiam presbyterum fuisse Manichæorum, vel falsus vel fallens mirabili temeritate contendat: verba tertij libri Confessionum mearum, quæ per se ipsa & de multis antè & postea dictis manifestissima sunt legentibus, sub quo ei videtur intellectu proponat atque arguat: futem me denique verborum suorū quod duo subtraxerim, tanquam eis repositis victor exultet.

CAPVT XVIII.

IN his certè omnibus, sicut legendo cognoscere poteritis, impetum quidem linguæ suæ quo libuit ambitu iactationis exercuit. Nusquam tamen dixit, vnde abluatur accipientis conscientia, cùm maculosam dātis ignorat. At ego inter strepitum eius grandem vel post strepitum, & nimis vt putat ipse terribilem, lentè vt dicitur & bene, hoc ipsum repeto, & vt respōdeatis exposco. Si conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis, vnde est abluendus qui maculosam conscientiam dantis ignorat? & per totam eius epistolam ad hoc non inuenio aliquid dictum.

CAPVT XIX.

NAM fortasse dicet mihi aliquis vestrum: Hæc omnia quæ dixit in te, ad hoc valere voluit vt te deformaret, ac per te illos quib. cōmunicas, ne vlterius alicuius mōmēti esse te existimēt, vel ipsi, vel ij quos ad vestrā communionē traducere niteris. Cęterū ex loco quo proposuit verba epistolæ tuæ, ex illo considerandum est, vtrum nihil ad illa respōderit. Ita ergo faciamus: Ex ipsō prorsus loco scripta eius cōsideremus: excepto ergo procœmio quo volui animū præparare lectoris, & pauca eius verba præuia contumeliosa magis quàm ad rem pertinentia prætermittere, *ait inquam: Conscientia nanque dantis attenditur, quæ abluat accipientis. Quid si lateat dantis conscientia, & fortasse maculosa sit, quomodo poterit accipientis abluere conscientiam, si quemadmodum dicit: conscięntia dantis attenditur, quæ abluat accipientis? Si enim dixerit ad accipientem nō pertinere quicquid mali latuerit in conscientia dantis, ad hoc valebit fortasse illa ignorantia, vt de conscientia baptizatoris sui non possit nesciens maculari. Sufficiat ergo, vt alterius conscientia maculosa cùm ignoratur non maculet. Nunquid autem etiam abluere potest? Vnde igitur abluendus est qui accipit baptismum, cùm dantis polluta conscięntia est, & hoc ille qui est accepturus ignorat, præsertim cùm addat & dicat: Nam qui fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatū?*

Supra lib. 1. cap. 1.

CAPVT XX.

HAEC omnia verba Petilianus ex literis meis refellenda proposuit: videamus ergo vtrum refellerit, vtrū omnino responderit. Addo enim verba quæ me subtraxisse calumniatur, & eadem ipsa sic repeto, vt etiā breuius. Addendo enim hæc duo verba etiam ad breuitatem propositionis huius me plurimum adiuuit. Si conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis, & qui fidem sciens à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum: vnde abluitur accipientis conscientia cùm maculosam dantis ignorat, & cùm fidem nesciens sumit à perfido, rogo vnde abluitur? Dicat nobis, non eat in aliud, non obtendat nebulas imperitis. Postremò saltem multis & anfractuosis circuitibus interpositis & peractis, tandem aliquando dicat nobis, vnde abluitur accipientis conscientia quando maculosa perfidi baptizantis occulta est, si conscięntia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis: & qui fidem sciens à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum? Nesciens enim sumit à perfido nō habente conscientiam sanctè dantis, sed maculosam & occultam: vnde ergo abluitur? vnde ergo percipit fidem? Si enim nec tunc abluitur, nec tunc percipit fidē cùm baptizator perfidus & maculosus occultus esti cur eo postea prodito atque damnato, non dentiò baptizatur, vt abluatur fidemq; percipiat? Si autem illo perfido & maculoso occulto iste abluitur & percipit fidem: vnde abluitur? vnde percipit, vbi non est conscientia sanctè dantis, quæ abluat accipientis? Hoc dicat, ad hoc respondeat, vnde abluitur? vnde percipit si conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis: & hoc ibi non est quando baptizator maculosus & perfidus latuit? Nihil ad hoc responsum est omnino.

CAPVT XXI.

SED ecce angustiatus in causa, rursum in me impetum facit nebulosum atque ventosum, vt veritatis serenitas obscuretur, & fit summa inopia copiosus, non vera dicendo, sed maledicta inania non emendando. Tenete sanè intētissimè atque fortissimè quid habeat is respondere: id est, vnde abluatur accipientis cōscientia, cùm maculosa dantis occulta est: ne fortè hoc vobis è manibus eius flatus excutiat, vosq; ipsi sermonis turbidi caliginosa tempestate rapiamini, vt vel †discessum vel quò redeundū sit omnino nesciatis. Et videte hominē vagari qua potest, dū pro negocio quod suscepit, stare nō potest. Videte quàm multa dicat non habendo quod dicat. Dicit *me labi lubricum, sed teneri: nec destruere, nec confirmare quod obicio, incerta pro certis excogitare, non permittere legentes quæ vera sunt credere, sed facere vt altius dubia suspicentur: dicit me Academici damnabile ingenium habere Carneadis:* conatur etiam insinuare quid Academici sentiant de falsitate vel fallacia sensus humani, etiā in his omnino quid loquatur igno-

CAPVT XXII.

†Vet. vnde discessum.

Falsa sibi.

ignorãs. *Dici ab eis asserit nigras niues esse cùm albæ sint, nigrum argẽtum, turrem rotundam vel teretem videri cum angulosa sit, remum in aqua fractũ cùm sit integer.* Et hoc totum propterea, quoniã cùm dixisset, *conscientia dantis* vel *sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis:* contrà ego dixi, *quid si lateat dantis conscientia, & fortasse maculosa sit?* Iltæ sunt niues nigræ, & argentũ nigrum, & turris rotunda pro angulosa, & remus in aqua fractus pro integro: rem quippe dixi quæ putari possit, & esse non possit, vt lateat dantis conscientia, & fortasse maculosa sit. Et sequitur se & clamat: *Quid est, quid si? quid est, fortasis? nisi incerta & inconstans hæsitatio dubitantis, de qua ille tuus ait: Quid si nunc redeo ad illos qui aiunt: Quid si nunc cælum ruat?* Hoccine quod dixi, *Quid si lateat dantis conscientia, & fortasis maculosa sit,* tale est ac si dixerim: Quid si nunc cælum ruat? dictum est vtique, *quid si,* quia fieri potest vt lateat, fieri potest vt non lateat. Nã quãdo ignoratur quid cogitet, aut quid admiserit, latet vtiq; accipientẽ dantis conscientia: quando autẽ peccatum eius manifestatur, non latet. Dictum est, *& fortasse maculosa sit,* quia fieri potest vt lateat & munda sit, & rursus fieri potest vt lateat ac maculosa sit. Ideo, Quid si, ideo Fortasse. Nunquid huic simile est: Quid si nunc cælũ ruat? O quotiens & cõuicti & cõfessi sunt homines se maculosas & adulterinas habuisse cõscientias, cùm ab eis baptizarentur ignari, posteaquam manifestato scelere degradati sunt, & tamẽ cælũ nõ ruit. Quid hic facit Philus & Furius, qui cõtra iustitiã iniustitiã defenderũt? Quid hic facit atheus Diagoras, qui esse Deũ negauit, vt de illo videatur prædixisse prophe ta: Dixit stultus in corde suo, non est Deus? Quid hic isti faciũt? vt quid nominati sunt, nisi vt interuenirent pro homine non habente quid dicat, vt dum de his saltem aliquid sine causa dicitur, agi causa videatur, & ad quod non responsum est, responsum esse credatur?

Tronia.

Terent. in Heautont.

Consule scholia.

Psal. 13.

CAPVT XXII. POSTREMO si duo vel tria verba ista, *Quid si, & fortasse* vsqueadeo sunt intolerabilia, vt propter illa excitarentur olim dormiẽtes Academici, & Carneades, & Philus, & Furius, & Diagoras, & niues nigræ, & ruina cæli, & cætera similiter insana & absurda, remouea tur de medio. Neque enim reuera sine his non potest dici quod volumus. Ecce sufficit quod paulo pòst ita positum est, & ab ipso ex meis literis interpositum. *Vnde igitur abluendus est qui accipit baptismum, cùm dantis polluta conscientia est, & hoc ille qui est acceptur us ignorat?* Nempe hic non est, Quid si & fortasse. Respondeatur ergo. Attendite ne fortè in eo quod sequitur ad hoc respondeat. *Sed ego te,* inquit, *cauillantem ad fidem credendi constringo, ne vlterius euageris: Quid argumẽtis stultitiæ auertis erroribus* † *vitam? Quid fidei rationem de rebus irrationabilibus turbas? Hoc vno verbo te teneo & conuinco.* Hæc Petilianus dixit, non ego. Ista ex Epistola Petiliani sunt, sed tãtùm verba. Iam duo illa quẽ me abstulisse insimulat addidi, & nihilominus ostendi inquisitionis meæ, cui non respondet, multo breuius & enodatius fixam stare sententiam. Certè hæc illa duo sunt *sanctè & sciens,* vt non sit videlicet cõscientia dãtis, sed conscientia sanctè dantis: & non sit, qui fidem à perfido sumpserit: sed qui fidem sciens à perfido sumpserit. Quæ quidem verba non subtraxeram, sed in codice qui mihi datus erat non inueneram: Fieri autem potest vt mendosus fuerit. Neque enim & hoc incredibile est, vt etiã hinc mihi Academica excitetur inuidia, & tale asseratur esse quod dixi, codicem fuisse mẽdosum, quale si dicerem, niues nigras. Vt quid enim ei repẽdo temerariam suspicionem, vt dicam, quòd ipse pòst addiderat qui me subtraxisse conuincit, cùm possit istam mendositatis notam sine mea maledica temeritate codex qui non irascitur sustinere?

Psal. 61.

Supra lib. 1. cap. 2.

† For. viam.

CAPVT XXIII. ET illud quidẽ primum, id est, sanctè dantis, omnino non impedit inquisitionẽ meã, qua ille vehemẽter

A urgetur, vtrum ita dicam, si conscientia dantis attẽditur: an verò ita, si conscientia sanctè dantis attenditur quæ abluat accipientis: vnde igitur abluendus est qui accipit baptismũ, si dãtis polluta est conscientia, & hoc ille qui acceptur us est ignorat? Illud autẽ alterũ quod additur, sciens, vt non dicatur, qui fidẽ à perfido sumpserit, sed qui fidẽ sciens à perfido sumpserit, nõ fidem percipit, sed reatũ: fateor tanquam deesset me nõnulla dixisse, quorũ iacturam facilè patior, quoniam magis moram meę facilitati afferebant quam adiutorium facultati. Quanto enim expeditius, quanto planius & breuius sic interrogo: Si conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis; & qui fidem sciens à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum: vnde abluitur quẽ latet non sanctè dantis maculosa conscientia, & vnde veram percipit fidem, qui nescius baptizatur à perfido? Dicatur vnde, & ibi omnis causa baptismi patebit, ibi totum quod quæritur elucebit: sed si dicatur, non si tempus maledicendo finiatur.

B

CAPVT XXIIII. QVICQVID ergo de duobus istis verbis vel detractis calumniatur, vel additis gloriatur, nihil interrogationem meã impedire perspicitis: cui quid respondeat ille non inueniẽs, ne tamen taceat, irruit idemidem in personam meã, dicerem recedẽs à causa, si omnino accessisset ad causam. Quippe quasi de me agatur, & nõ de *Ecclesia* vel baptismi *veritate, ideo me* dicit *subtractis illis duobus verbis argumentatum, vt quasi conscientiæ meæ non obsit, quòd inquinatoris,* vt dicit, *mei sacrilegam ignorauí conscientiam.* Quod si ita esset, verbum illud quod positum est, sciens, additum mihi potius prodesset, & obesset ablatũ. Si enim me ita defendi potius voluissem, vt baptizatoris mei putarer ignorasse conscientiã, pro me locutum acciperem Petilianum; quãdo non vtcunque ait: Qui fidem à perfido sumpserit: sed, qui fidem sciens à perfido sumpserat, non fidẽ percipit, sed reatũ: vt hinc ego non me reatum, sed fidẽ percepisse iactarem: quia dicerem, non ego sciens à perfido accepi, sed homo conscientiam dantis hominis ignorauí. Videte itaque & numerate, si potestis, quãta superflua loquatur ad vnũ *Ignorauí*, quod me proponit dixisse, cùm hoc omnino nõ dixerim: quia nec de me agebatur vt dicerem, nec aliquid criminis in eo qui me baptizauit apparuit, vt eius me ignorasse conscientiam, pro mea defensione cogerer dicere.

C

Augustinus ab inimicis baptizatus.

ET tamẽ iste ne respõdeat ad ea quæ dixi, proponit sibi quod non dixi, & auocat homines ab intentione debiti sui, ne id quod responsum est exigatur, interponit sæpe, *ignorauí*, inquam: & respondet, *sed si ignorares;* & quasi cõuincit ne mihi liceat dicere, *ignorauí.* Commemorat *Mensurium, Cæcilianum, Macarium, Taurinum, Romanum, & eos contra Ecclesiam Dei fecisse affirmat, quæ ignorare non possem, eo quòd Apher sim, & ætate penè iam senex:* cùm sicut audio, Mensurius in communionis vnitate defunctus sit, antequã se scinderet pars Donati: causam verò Cæciliani legerim, quòd ad Constantinum ipsi detulerint, & ab Episcopis quos ille imperator iudices dederat, & semel & iterum, ab ipso rege illis ad eum appellãtibus etiã tertio fuit absolutus. Macarius verò & Taurinus & Romanus, quicquid vel iudiciaria vel executoria potestate aduersus eorum obstinatum furorem pro vnitate fecerunt, secundum leges eos fecisse constat: quas iidem ipsi causam Cæciliani ad imperatoris iudicium deferendo, contra se ferri exerique coẽgerunt. Inter multa etiam prorsus ad rem non pertinentia dicit, *Meßiani proconsulis sententia me fuisse percussum vt ex Aphrica fugerem:* & propter hoc falsum, (quod si non ipse confinxit, certè maleuolis fingentibus maleuolè credidit,) quàm multa alia falsa consequenter non vtcunque dicere, sed etiam scribere mira temeritate non timuit: cùm ego Mediolanum ante Bautonem Consulem venerim, eique

D

CAPVT XXV.

Respondet ad aliam calumniam.

Lib. 6. cont. cap. 6.

Augustinus Bautoni consuli Panegyrim dixit.

eique consuli calendis Ianuariis laudem in tanto conuentu conspectuque hominum pro mea tunc rhetorica professione recitauerim, & ex illa peregrinatione iam post Maximi tyranni mortem Aphricam repetiuerim: Manichæos autem Messianus proconsul audierit, post consulatum Bautonis, sicut dies gestorum ab eodem Petiliano insertus ostendit. Quæ si dubitãtibus vel contradicentibus probare necesse esset, multos possem claros in seculo viros testes locupletissimos adhibere totius illius temporis vitæ meæ.

CAPVT XXVI. SED quid ista requirimus? quid & patimur superfluas moras & facimus? Nunquid hinc inuenturi sumus vnde sit accipientis abluenda conscientia, qui maculosam dantis ignorat: fidemque vnde percipiat, qui nesciẽs baptizatur à perfido, quod sibi Petilianus cùm ex Epistola mea tanquam ad respondendum proposuisset, quicquid voluit, aliud locutus est, quã id quod causa poscebat? Quotiẽs dixit, Si ignorares: quasi ego dixerim quod nunquã dixi, mei baptizatoris me ignorasse conscientiam. Et aliud nihil egisse visus est ore maledico, quàm vt me malitiam eorum apud quos baptizatus, & quorũ cõmunioni sociatus sum, non ignorasse, conuincere videretur: satis vtiq; intelligens quia ignorantia me non faceret reum. Ecce ergo si ignorarem, sicut totiens repetiuit, proculdubio ab eis omnibus malis innocens essem. Vnde ergo abluerer, qui cõscientiam non sanctè dantis ignorans criminibus eius impediri minimè possem? Vnde perciperem fidem qui nesciens à perfido baptizarer? Non enim frustra, Si ignorares, toties repetiuit, nisi ne me putari sineret innocentem: proculdubio iudicans quòd nullius innocentia violatur, si nesciens fidem sumat à perfido, & maculosam conscientiam non sanctè dantis ignorat. Dicat ergo vnde tales abluantur, vnde fidem percipiant non reatum? Sed non vos fallat, Dicat, non multa dicendo nil dicat, aut nil dicendo potius multa dicat. Deinde, quod in mentem venit & prætereundũ non est, si ego propterea reus sum, quia non ignorauí, vt secundum ipsum loquar; ideo autem non ignorauí, quia & Apher sum, & ætate penè iam senex; saltem pueri cæterarum toto orbe terrarum non sint rei, qui nec gente nec ætate ista nostra, obiecta seu vera seu falsa nosse potuerunt, qui tamen si in vos inciderint, sine vllo respectu rebaptizantur.

A

B

C

CAPVT XXVII. Sed alienatur.

SED nunc ista non quærimus, illud potius respondeat (quod nẽ respõdere cogatur copiosissimè † altercatur) vnde abluatur accipientis conscientia, qui maculosam dantis ignorat, si conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis? Et vnde percipit fidem qui nesciẽs baptizatur à perfido, si quisquis fidem sciens à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum? Omissis ergo eius maledictis quæ in me sine vlla sana consideratione iactauit, adhuc attendamus ne fortè hoc quod exposcimus in consequentibus dicat. Libet autem intueri quàm garrulus ea proposuerit, quasi facillimè conuulsurus & euersurus. *Sed ad illud* inquit; *tui phantasmatis argumentum, quo quemcunque baptizas verbis tibi pingere visus es, redeamus: Imaginari enim te verisimilia decuit; qui non vides veritatem.* Hæc verba suã prælocutus est Petilianus; verba mea propositurus. Deinde subiunxit: *Ecce,* inquis, *stat perfidus baptizaturus, at ille qui baptizandus est; perfidiã eius ignorat.* Non totam dixit propositionem atque interrogationem meam, & mox ipse interrogare me cœpit, dicens: *Quis est iste, aut vnde prosiluit quem proponis? Cur tibi videris videre quem simulas, ne videas eum quem videre ac discutere diligentißimè debeas & probare? Sed quia intelligo te ignorare ordinem sacramẽti, hoc tibi breuiter dico, & tu baptistam discutere; & ab eo discuti debuisti.* Quid est quod expectabamus? vt diceret, vnde abluatur accipientis conscientia, qui maculosam non sanctè dantis ignorat, & vnde fidẽ, non reatum percipiat, qui baptismum nesciens à perfido sumpserit. Ecce audiuimus baptistam debere diligẽtissimè discuti ab eo, qui vult fidem percipere non reatum, vt inueniat conscientiam sanctè dantis quæ abluat accipientis. Nam qui non discusserit, & nesciens à perfido acceperit, eò ipso quòd non discussit, maculosamque dantis ignorauit conscientiam, non fuit vnde fidem perciperet sed reatum. Quid ergo adiuuit quod pro magno addidit, sciens, quod me subtraxisse calumniatus est? Cùm enim noluit ita dici: Qui fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum: videtur aliquam spem reliquisse nescienti. Nunc verò cùm interrogatur vnde percipiat fidem qui nesciens baptizatur à perfido, respondit eum discutere debuisse baptistam: proculdubio miserum, nec ignorare permittit, non inueniẽdo vnde fidem posset accipere, nisi spem suam in homine baptizante posuerit.

Supra lib. 1. cap. 2.

CAPVT XXVIII. HOC est quod exhorremus in vobis, hoc est, quod diuinã damnat sententia, veracissimè & manifestissimè clamans: Maledictus omnis qui spem suam ponit in homine. Hoc est quod apertissimè prohibet sancta humilitas & charitas Apostolica clamante Paulo: Nemo glorietur in homine: hoc est quod in nos inanium calumniarum & acerrimorum maledictorum crebrescit impetus, vt quasi euerso homine nulla spes remaneat eorum quibus verbum Dei & sacramentum pro dispensatione nobis credita ministramus. Respondemus eis: Quousque apponitis super hominẽm? Respondet eis catholica veneranda societas. Nõnne Deo subiicietur anima mea, ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse est Deus meus, susceptor meus, non emigrabo. Nam quæ alia causa fuit istis emigrandi de domo Dei, nisi quia vasa facta in contumeliam, sine quibus illa vsque ad diem iudicij non erit, finxerunt se ferre non posse, cùm tamen hoc magis ipsi fuisse & aliis calumniosè obiecisse gestis atque conscriptis tunc rebus apparent: de quibus in contumeliam factis ne propter illa de domo Dei magna quæ magno patrifamiliãs vna est, perturbatus emigret: dicit Dei seruus & bonus fidelis, vel fidẽ in baptismo perceptur us, quod paulo antè commemorauí: Nonne Deo subiicietur anima mea? Deo vtique non homini; ab ipso enim salutare meum, non ab homine. Iste autem non saltem tunc Deo daret abluendum mundandumque hominem, quando maculosa conscientia non sanctè dantis occulta est, & fidem nesciens quisquis sumit à perfido, *Hoc,* inquit, *tibi breuiter dico, & tu baptistam discutere, & ab eo discuti debuisti.*

Hier. 17.

1. Cor. 1.

Psal. 61.

CAPVT XXIX. OBSECRO vos hic aduertite, ego quæro, vnde abluatur accipientis conscientia, cùm maculosam non sanctè dantis ignorat, si conscientia sanctè dantis attenditur quæ abluat accipientis: & vnde accipiat fidem qui nesciens à perfido baptizatur, si quisquis fidem sciens à perfido sumpserit, non fidem percipit sed reatum: & ille mihi respondet, discutiendum esse & baptizatorem & baptizandum. Et ad hoc probandum, vnde quæstio nulla est, adhibet exemplum Ioannis, quòd eum discusserint qui ab eo quæsierunt quem se esse diceret, quod ipse quoque discusserit eos quibus ait: Generatio viperarum quis vobis ostendit fugere ab ira ventura? Quid hoc ad rem, & quid hoc ad causam? Deus Ioanni perhibuerat testimonium excellentissimæ sanctitatis prophetia præclarissima præcedẽte, & quando conceptus & quando natus est. Quærebant autem illi iam credentes esse sanctum, quemnam se diceret esse sanctorum, vel vtrum ipse esset sanctus sanctorum, quod est Christus Iesus. Tanta quippe gratia illi habebatur, vt continuo crederetur quicquid de se ipse dixisset. Si autem hoc exemplo asseritur quilibet nunc discutiendus esse baptista, quicquid de se quisq; dixerit

D

Ioan. 1.

Matth. 3.

Sap.1. dixerit credendus erit. Quis est autem fictus quem fu A
git vtique, sicut scriptum est, Spiritus sanctus, quin de
se optimè credi velit, atq; id agat quibus verbis potue
rit? Iam ergo cùm fuerit interrogatus quisnam sit, &
responderit se esse Dei fidelem dispensatorem, nec cu
iusquam criminis macula pollutam habere conscien
tiam, hæc erit tota discussio, an etiam mores eius & vi
ta diligentius intuenda est: Ita sanè. Nó hoc scriptum
Matth.3. est fecisse illos qui Ioannem in deserto Iordanis inter
rogauerunt quis esset.

CAPVT XXX. Vnde hoc exemplum ad rem de qua agitur omni
no non pertinet: magis Apostolica illa sententia satis
1.Tim.3. hanc incutit curam, vbi ait: Probentur primum, & sic
ministrent nullum crimen habentes. Quod cùm sol
licitè ac de more vtrobique penè ab omnibus fiat, vn
de tam multi reprobi post tempus gestę dispensationis
huius inuenti sunt, nisi quia & humana diligentia ple
runq; fallitur, & nónulli primũ boni in deterius com
mutatur? Quę cùm tam crebrò accidát, vt dissimulare
ac obliuisci neminẽ sinát, quid est quod contumeliosè
nos docet Petilianus breuiter, à baptizádo discutiendũ
esse baptistã, quoniã quęrimus, vnde sit accipientis ab
luenda conscientia, cũ maculosa non sanctè dantis oc
culta est, si conscięntia sanctè dantis attenditur, quę ab
luat accipiẽtis? *Quia intelligo te*, inquit, *ignorare ordinẽ
sacramẽti, hoc tibi breuiter dico, & tu baptistã discutere, &
ab eo discuti debuisti.* Hoc mihi respõde, circũstat enim
in rã multis locis tanta hominũ multitudo quæ bapti
zata est ab eis, qui cùm prius iusti & casti viderentur,
postea nudatis criminibus conuicti atq; deiecti sunt: &
se putat euadere huius interrogationis violẽtiam, qua
quęrimus, vnde abluatur accipientis conscientia, quã
do maculosam non sanctè dantis ignorat, si conscięntia
sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis; quia
breuiter, discutiendus esset baptista. Nihil infelicius,
quàm non consentire veritati, qua ita quisque conclu- C
ditur, vt exitum inuenire non possit. Quærimus à quo
accipiat fidem qui nesciens à perfido baptizatur? Re
spondetur, *discutere debuit baptizatorem suum.* Ergo quia
non discutit eũ & fidem nesciens sumit à perfido, non
fidem percipit, sed reatum? Cur itaque non denuo ba
ptizantur, quos à proditis atque conuictis, cùm adhuc
laterent, baptizatos esse constiterit?

CAPVT XXXI. Et *vbi est*, inquit, *quod addidi sciens, vt non dicerem,
qui fidem à perfido sumpserit: sed, qui fidem sciens à perfido
sumpserit, non fidem percipit, sed reatum?* Percipit ergo
fidem non reatum, qui nesciens sumpsit à perfido, &
ideo quæro vnde perceperit. Vbi coarctatus respõdet:
Discutere debuit. Esto, debuit, non fecit aut non valuit:
Quid de illo censetis? Ablutus est, an non? Si ablutus
est, quæro vnde? Non enim eum maculosa non sanctè
dantis conscientia, quam nesciuit, abluere potuit. Si
autẽ non est ablutus, iubete vt abluatur. Non iubetis,
ergo ablutus est. Dicite vnde? dicite saltem vos quod D
ille non dixit. Eadẽ quippe verba propono, quibus re
spondere nõ potuit. Ecce stat perfidus baptizaturus, at
ille qui bãptizandus est, perfidiam eius ignorat, quid
eum accepturum esse arbitramini, vtrum fidẽ, an rea
tum? Sufficiunt adhuc proposita, respondete, aut quę
rite diligenter quid ille responderit: Inuenietis etiam
conuicta cõuitia: Culpat enim me quasi deridẽs, *quòd
verisimilia proponam, qui non videam veritatem.* Repeti
tis etiam verbis meis & dimidiata sententia, *dicit*, in
quit: *Ecce stat perfidus baptizaturus, at ille qui baptizãdus
est, perfidiam eius ignorat.* Deinde subiũgit: *Quis est iste,
aut vnde prosiliuit?* Quasi vnus sit aut duo, & non tali
bus vtrobique plena sint omnia. Quid ex me quærit
quisnam sit iste, aut vnde prosiliat, ac non potius cir
cumspicit, & videt raras esse ecclesias vel in vrbibus,
vel in ruribus, quę non habeãt in criminibus detectos,
& à clericatu deiectos homines cùm laterent, bonóst
que se videri vellent cùm mali essent, & castos putati
cùm essent adulteri. Nempe ficti erant, nempe Spiri
tus sanctus eos, sicut scriptum est, fugiebat. Ex istorum
ergo adhuc latitantium turba prosiliuit ille perfidus
quem proposui, quid ex me quærit vnde prosiliuerit,
claudens oculos aduersus tantam turbam, vnde si soli
considerentur qui conuinci deiicique potuerunt, so
nitus eorum sufficit cæcis.

CAPVT XXXII. Quid quod etiã ipse posuit in epistola sua, *Quod
vulti deum de duobus adulteriis apud vos conuictum & ab
iectum, à nostris esse susceptum?* Quid ergo (sine huius
præiudicio dixerim, qui causam suam bonam, vel pro
bauit, vel persuasit) tales apud vos nondum detecti
cùm baptizant, quid ab eis accipitur, fides an reatus?
Non vtique fides, quia non habent conscientiam san
ctè dantis, quæ abluat accipientis. Sed nec reatus, pro
pter illud additum verbum: *Nam qui fidem sciens à per
fido* B *sumpserit, non fidem percipit, sed reatum.* Ab istis au
tem cùm baptizarentur homines, quales fuissent vti
que nescierunt. Proinde non ab eis accipiendo fidem,
quia non habebant cõscientiam sanctè dantis: non ac
cipiendo etiam reatum, quia non scientes, sed nescien
tes eorum crimina baptizati sunt, sine fide & sine rea
tu remanserunt. Non sunt ergo in numero talium fla
gitiosorum, sed nec in numero possunt esse fidelium:
quia sicut nec reatum, ita nec fidem ab eis accipere po
tuerunt. At eos in numero fidelium à vobis cernimus
deputari, nec censere quemquam vestrũm vt baptizẽ
tur, sed reatum habere quòd baptizati sunt. Acceperunt itaque fidem, nec tamen ab eis acceperunt, qui non habebant conscientiam sanctè dantis quæ ablueret accipientis.

CAPVT XXXIII. Vnde ergo acceperunt? Hinc satago, hoc vrgen
ter interrogo, hoc vt respondeatur vehemẽtissime fla
gito. Inspicite nunc Petilianum ne hoc respõdeat, vel
ne hoc respondere non potuisse deprehẽsus appareat,
per nostras contumelias inaniter euagari, criminantẽ,
& nihil probantem, & vbi fortè conatur pro causã
quasi pugnaciter resistere vbique facillimè superari:
ad hoc tamen vnum omnino nihil respondere quod
quærimus, si conscientia sanctè dantis attenditur, quæ
abluat accipientis, vnde abluendus sit qui accipiebat
baptismum, cùm dantis polluta conscientia est, & hoc
ille qui est accepturus ignorat. His enim verbis ex E
pistola mea commemoratis, proposuit me interro
gantem, & se ostendit nihil respondentem. Cùm e
nim dixisset ea quæ iam recolui, & in quibus eum
ostendi ad id quod interrõgaui non respondisse: cum
que magnis angustiis coarctatus, coactus esset dice
re discutiendum esse baptistam à baptizando, bapti
zandum à baptista: cumque id exemplo Ioannis si
fortè inueniret negligentissimos vel imperitissimos
auditores astruere tentauisset: adhibuit alia testimo
nia de scripturis ad rem non pertinentia, quòd Philip
po dixerit Eunuchus, Ecce aqua, quis prohibet me ba- Act.8.
ptizari? quia sciebat, inquit, perditos prohiberi, &
quòd ideo Philippus eum baptizari non vetuit, quia
cum legentem probauerat quomodo crederet Chri
stum: quasi prohibuerit Simonem Magum. Et quòd
Prophetæ falsò baptismate decipi timuerunt: & ideo
dixerit Esaias, Aqua mendax non habens fidem: velut Hier.15.
ostendens apud perfidos homines aquam esse menda
cem, cùm hoc non Esaias, sed Hieremias de homini
bus mendacibus dixerit, figuratè aquam populum ap
pellans, quod in Apocalypsi manifestissimè demon
stratur. Et quod Dauid dixerit, Oleum peccatoris non Apoc.17.
vngat caput meũ: cùm ille hoc dixerit de adulatione Psal.140.
assentatoris fallaci laude decipientis, vnde laudati ca
put in superbiã crescat. Quẽ intellectum aperiũt ver
ba in eodẽ Psalmo præmissa superius. Sic enim ait, E
mẽdabit me iustus in misericordia & arguet me, oleũ
autem

autem peccatoris non impinguet caput meum. Quid A
hac sententia clarius, quid euidentius? Mauult enim
se aspera emendatione iusti argui misericorditer vt sa
netur, quã lenibus blãditiis adulatoris vngi vt infletur.

CAPVT XXXIIII. Commemorat Petilianus & Apostolum Ioã
nem monuisse, ne omni spiritui credatur, sed probẽtur
1.Ioan.4. spiritus, si ex Deo sunt: quasi ad hoc adhibeatur ista di
ligentia, vt nunc ante tempus frumentum à palea se
paretur, ac non potius ne frumentum à palea decipia
tur. Aut verò etiam spiritus mendax si aliquid veri di
xerit, ideo negandum est, quia hoc detestandus spiri
tus dixit? Quod quisquis arbitratur tam demens est,
vt fortè contendat Petrum non debuisse dicere, Tu es
Matth.16. Christus filius Dei viui: quia tale iam aliquid dæmo
Mar.1. nes dixerãt. Cùm ergo baptismus Christi siue per ini
quũ siue per iustum ministratus, nihil aliud sit, quàm
baptismus Christi, ab homine cauto bono fideli ini
quitas hominis est vitanda, non Dei sacramenta dam
nanda. In his certè omnibus nõ respondet Petilianus,
si conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat acci
pientis, vnde sit abluendus qui accipit baptismũ, cùm
dantis polluta conscientia est, & hoc ille qui est acce
pturus ignorat? Collega eius à Thubursicubure qui
dam Cyprianus cum turpissima femina in lupanari
deprehensus, & Primiano Carthaginis oblatus atque
damnatus est: Iste quanquã baptizabat, antequam de
tectus & abiectus esset, non vtique habebat conscien
tiam sanctè dantis, quæ ablueret accipientis. vnde igi
tur abluti sunt qui hodie illo damnato non vtiq; rur
sus abluuntur? Non erat necesse vt hominem nomi
narem, nisi Petilianus iterum diceret, *Quis est iste, aut
vnde prosiliuit?* Cur istum baptistam vestri non discus
serunt, sicut Ioannes Petiliano ita sentiente discussus
est? An & discusserunt quantum homines hominem
potuerunt, sed astuta fictione latitantem diu non in
uenerunt?

CAPVT XXXV. Hvivsne aqua non erat mendax, aut oleum for
nicatoris non est oleum peccatoris: an quod catholica
dicit, & verum est, & illa aqua & illud oleum non eius C
erat à quo ministrabatur, sed cuius ibi nomẽn inuoca
batur? Cur illi qui ab isto ficto & occulto baptizaban
tur, non probabant spiritum, quia ex Deo nõ erat? Spi
Sap.1. ritus enim sanctus disciplinæ fictum fugiebat? An & il
lum fugiebat, & sua sacramẽta quamuis per eum mi
nistrata non deserebat? Postremo quoniam illos non
negatis ablutos, quos illo damnato non curatis abluẽ
dos, videte si tot nebulis multipliciter offusis, vllo lo
co Petilianus respondet, vnde isti abluti sint, si con
scientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipien
tis, quam latens immundus habere non potuit. Nihil
ergo ad hoc respondens quod ab eo tam instanter in
quiritur: deinceps etiã sibi loquendi latitudinem com
parans, *Cùm hæc*, inquit, *& Prophetæ & Apostolus cautè
timuerint, qua fronte tu dicis quòd bene credentibus san
ctum est baptisma peccatoris:* Quasi ego vel quisq; catho
licus, peccatoris baptisma esse dicat, quod peccatore
ministrante traditur vel accipitur, & nõ illius in cuius
credens nomine baptizatur. Inde etiam excurrit in Iu D
dam traditorem, & dicit in eum quicquid potest, adhi
bens testimonia prophetica quę de illo tanto antè pre
missa sunt: tanquã Ecclesiam Christi toto orbe diffu
sam, cuius causã in hac quæstione versatur, Iudæ tra
ditoris impietate perfundat, non considerans quòd vel
hinc debuit admoneri, tam non esse dubitãdum illam
esse Ecclesiam Christi quæ in omnibus gentibus dila
tatur, quoniã hoc tãto antè veraciter prophetatũ est,
quàm nõ est dubitandũ ab vno ex discipulis tradi opor
tuisse Christũ, quoniã & hoc similiter prophetatũ est.

CAPVT XXXVI. Sed planè post hæc Petilianus vbi ad nostrũ illud
Supra lib.1. cap.10. venit obiectũ, quòd Maximianistarũ baptismũ quos
damnauerant susceperunt: quamuis in huius quæstio
nis propositione suis verbis quàm meis vti maluerit.
Neque enim nos dicimus prodesse nobis debere ba
ptismũ peccatorum, quem non solùm peccatorũ, sed
nullorũ omnino hominum dicimus, quia cum Chri
sti esse cognoscimus. Ita quippe proposuit. *At enim
pertinaciter asseueras*, inquit, *quia debet vobis prodesse ba
ptismum peccatorum, propterea quia & nos, vt dixisti, reo
rum quos iustè damnauimus baptismum conseruamus.* Vbi
ad hanc quæstionẽ venit, vt dixi, omnis etiam simula
ta pugna defecit: Quò iret, quà exiret, quo aditu per
scrutato aut molito vel clanculò euaderet, vel vi crũ
peret, non inuenit; *Licet hoc*, inquit, *secundo libro demõ
strem quantum inter nostros intersit & vestros quos dicis
innocentes: tamen interim vos prius à collegarum vestrorũ
criminibus quæ nostris eripite, & sic de iis quos obiicimus
exquirite rationem.* Sic respondeat quisquã hominũ, sic
respondeat, nisi qui veritati aduersatur, contra quem
non inuenit quid respondeat? Si ergo & nos eadẽ ver
ba dicamus, Interim vos prius à collegarũ vestrorum
B criminibus quæ nostris eripite, & sic nobis de his quos
putatis apud nos malos vllum crimen obiicite, vtrique
vicimus, an vtriq; victi sumus? Imò verò ille vicit pro
Ecclesia sua & in Ecclesia sua, qui nos docuit in scri
ptura sua, vt nemo glorietur in homine, & vt qui glo
riatur in Domino glorietur. Ecce enim nos qui cum 1.Cor.1.
veritatis eloquio dicimus, non iustificari credentem
ab homine à quo baptizatur, sed ab illo de quo scriptũ
est, Credenti in eum qui iustificat impium, deputatur Rom.4.
fides ad iustitiam, quoniam non gloriamur in homi
ne, nitimurq; donante ipso, cùm gloriamur, in Domi
no gloriari, quam securi sumus, quicquid de quibusdã
nostræ communionis hominibus erroris aut criminis
probare potuerit? Apud nos enim quicunque mali vel
penitùs latent, vel quibusdã noti propter bonos qui
bus ignoti sunt, & apud quos conuinci non possunt
propter vnitatis & pacis vinculum tolerantur, ne cum
zizaniis eradicetur & triticum, ita malitiæ suæ sarcinã
portant, vt eam cum eis nemo cõmunicet, nisi quibus
eorũ iniquitas placet. Neq; enim metuimus ne quos
baptizant iustificari non possint, cùm illi in eum cre
dant qui iustificat impios, vt deputetur fides eorum
ad iustitiam.

CAPVT XXXVII. Proinde apud nos nec ille quem dixit à vobis
propter Sodomitarum crimen abiectum, & in locum
eius constitutum alterũ, & rursus ipsi nostro collegio
redditum, nesciens quid loquatur: nec ille quem apud
nos pœnitẽtem fuisse commemorat, quocunq; modo
eorum causæ defendi siue possint sine non possint, ali
quid præiudicant Ecclesiæ Dei quæ per omnes gentes
diffunditur, & crescit in mundo vsque ad messem: in
qua si verè mali sunt quos accusatis, nõ iam in illa, sed
in paleis eius sunt. Si verò boni sunt, cùm eos iniquis
criminationibus infamatis, ipsi velut aurum probãtur
vobis in paleæ similitudinem ardentibus: alienis tamẽ
peccatis non maculatur Ecclesia, quæ secundum fide
lissimas prophetias toto terrarum orbe dilatata finem
seculi tanquam littus expectat, quò perducta careat
piscibus malis, cum quibus intra eadem Dominica re
tia, quamdiu separari ab eis impatienter non debuit,
naturæ incommoditas ferri potuit innocenter. Nec
propterea tamen Ecclesiastica disciplina negligitur à
constantibus & diligentibus & prudentibus dispensa
toribus Christi, vbi crimina ita manifestantur, vt nul
la possint probabili ratione defendi. Extãt innumera
bilia documẽta in eis qui vel Episcopi vel alterius hu
iuscemodi gradus clerici fuerunt, & nũc degradati vel
pudore in alias terras abierunt, vel ad vosipsos aut ad
alias hæreses transierunt, vel in suis regionibus noti
sunt: quorum tanta est multitudo dispersa per terras,
vt si eam Petilianus refrenata paululum maledicendi
temeritate cogitaret, nequaquã caderet in tam apertè
falsam

falsam vanamq; sententiam, qua dicendum nobis putaret: *Nemo vestrum est innocẽs, vbi reus nemo damnatur.*

CAPVT XXVIII. Vt enim alios omittam in diuersis terris habitantes, vix enim alicubi deest hoc genus hominum, quo appareat iniquos præpositos ac ministros, & in catholica Ecclesia solere damnari, Mileuitanum Honoriũ de proximo potuit intueri. De Splendonio verò quem diaconum in catholica damnatum, & à se rebaptizatũ presbyterum fecit, cuius in Gallia damnationem ad nos à fratribus missam collega noster Fortunatus ibidem apud Constantinam publicè legendâ proposuit, & quem postea idem Petilianus horrẽdas eius insidias expertus abiecit. De hoc ergo Splendonio quando nõ potuit commoneri quemadmodũ mali & in catholica degradentur, miror in quo temeritatis præcipitio cor habebat cùm ista dictaret, vbi aufus est dicere, *Nemo vestrum est innocens, vbi reus nemo damnatur.* Quãobrem permixti corporaliter, separati spiritaliter in catholica mali, & quando humana conditione ignorantur, & quando disciplinæ consideratione damnantur, suas sarcinas portant: Ac per hoc illi securi sunt, si eorum peccatis imitatione & consensione non communicant, quicunque per eos Christi baptismo baptizantur: quia & si per optimos baptizarentur, non nisi ab illo qui iustificat impium iustificarentur. Credentibus quippe in eum qui iustificat impium, deputatur fides ad iustitiam.

Honorius Milevitanus Splẽdonius.

Excommunicatio alicuius in alias etiam regiones transmittitur, istique in ecclesia publicatur.

CAPVT XXXIX. Vos autem cùm obiiciuntur vobis Maximianistę trecentorum & decem concilij sentẽtia damnati: eodem concilio tot proconsulibus & tot gestis municipalibus allegato oppugnati, de basilicis quas tenebant per iussa iudicum & ciuitatum auxilia perturbati: rursus à vobis cum eis quos extra cõmunionem vestram baptizauerant, sine vlla baptismi quæstione suscepti & honorati, quid respondeatis non inuenitis. Sententia quippe vincimini, non vera, sed vestra, qua contenditis in eadem communione sacramentorum, alios aliorum perire criminibus, & talẽ quemq; esse, qualis est homo à quo fuerit baptizatus, si nocens nocentem, si innocens innocentem. Quę si vera sunt, vt alios innumerabiles omittam, Maximianistarum certè quorum scelus vsque ad illorum similitudinem quos viuos terra sorbuit, in tam numeroso concilio vestri exaggerarunt, vos crimina perdiderunt. Si autem Maximianistarum crimina vos non perdiderunt, falsa sunt quę ita sentis; & multo minus nescio quæ non probata crimina Aphrorum orbem terrarum perdere potuerũt. Ac per hoc sicut scribit Apostolus, Vnusquisq; sarcinam suam portat: & nullius est baptismus Christi nisi Christi, & frustra promittit Petilianus ex hoc quod de Maximianistis intendimus, in secundo libro esse dicturũ, nimis malè sentiens de cordibus humanis, quasi non intelligant eum non habere quid dicat.

Gal. 6.

CAPVT XL. Nam si baptismus quem Prætextatus & Felicianus in Maximiani communione ministrauerunt, illorum fuit, eur à vobis in eis quos baptizauerunt tanquã Christi susceptus est? Si autem verè Christi est, sicuti est, nec eis prodesse posset, qui eum cum scelere schismatis habuissent, quid vos potuisse dicitis præstitisse illis quos cum eodem baptismo suscepistis, nisi vt per vinculũ pacis deleto crimine sceleratæ diuisionis, non cogerẽtur sancti lauacri sacramentũ accipere quasi nõ haberẽt, sed sicut erat antea perniciosum, ita illis iam vtile esse inciperet quod haberent? Aut si hoc eis in vestra communione præstitum non est, quia nec præstari schismaticis apud schismaticos posset, hoc tamẽ vobis in catholica cõmunione prestatur, non vt baptismum accipiatis quasi desit vobis, sed vt ipse quem accepistis prosit vobis. Omnia quippe sacramenta Christi non ad salutem, sed ad iudiciũ habentur sine charitate vnitatis Christi. Sed quia non vera sed vestra sententia est, *nescio per quorum baptismum traditorũ periisse Christi baptismum de orbe terrarum*, meritò non inuenitis quid respondeatis de recepto baptismo Maximianistarum. Videte itaque & vigilantissimè mementote quemadmodum Petilianus nec ad ea ipsa responderit, quæ sibi ita proponit, vnde aliquid loqui videatur. Illud autem olim dimisit omnino, nec nobis dicere voluit, quia vtique non potuit, nec vsque ad finem voluminis sui aliquando dicturus est, quod ex primis partibus Epistolæ meæ, quasi refellendum cõmemorauit. Additis quippe etiam duobus verbis quæ me subtraxisse, quasi fortissima sua munimenta iactauit, nihilominus immunitus iacens, non inueniens quid respondeat cùm quæritur, si conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis, vnde sit eius abluenda conscientia, qui pollutam conscientiã non sanctè dãtis ignorat: & si quis fidem sciens à perfido sumpserit, nõ fidem percipit, sed reatũ, vnde fidẽ accepturus sit, non reatum, qui nesciẽs baptizatur à perfido? Ad hoc eum iam diu ex quo loquitur, nihil respõdisse manifestum est. Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem monasteriorum & monachorum, arguens etiam me, quòd hoc genus vitæ à me fuerit instituti. Quod genus vitæ omnino quale sit, nescit, vel potius toto orbe notissimum, nescire se fingit, inde asserẽs me dixisse, Christum esse baptistam. Subiecit etiam quædam verba ex Epistola mea, quasi hoc ex mea sententia dixerim, quod ex vestra & ipsius dixi, & copiosissima atrocitate inuectus est, quasi in me qui hoc dixerim: cũ illa quam reprehendit, non sit mea, sed ipsius, & vestra sententia, quod paulo pòst dilucidè quantum valuero, demonstrabo. Deinde conatus est nos docere multis & superfluis verbis, quòd non Christus baptizet, sed in eius nomine baptizetur, simul & patris & filij & spiritus sancti, de qua ipsa trinitate dixit vel quod voluit, vel quod potuit, Christum esse medium trinitatis. Inde de nomine Simonis, & Variæ magorum ingessit nobis quas ei libuit contumelias: inde Optati Thamugadensis causam pedetentim suspẽdens, ne illius perfunderetur inuidia, non se, nec suos de illo iudicare potuisse; & in eo ipso nos insimulans, quòd ille meis suggestionibus pressus sit.

Monasteria habuit D. Augustinus.

Simon & Varias magi.

CAPVT XLI. Postremo conclusit Epistolam suos exhortans & monens ne decipiantur à nobis, & nostros dolens quòd eos peiores quàm fuerant fecerimus. His igitur diligenter consideratis atque discussis, quòd ex ea ipsa Epistola quam scripsit, satis dilucidè apparet: Petilianus non respondit omnino ad hoc quod in Epistola mea primitus posui, si quemadmodũ dicit, conscientia dantis, vel potius vt addam quod magnum firmamentum putat, si conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis, vnde abluẽdus sit qui accipit baptismũ, cùm si dantis conscientia polluta est, accepturus ignorat. Vnde nõ mirandũ est hominem pro falsitate resistentẽ, pressum cõtrauenientis veritatis angustiis, insana potius anhelasse cõuitia, quàm cũ illa quæ vinci nõ potest ambulare voluisse. Nũc iam obsecro paucis animũ intendite, vt vobis quid timuerit vt ad hoc non responderet euidenter ostendam, & quod obscurare conatus est, in lucem proferã. Poterat vtiq; nobis quærentibus vnde abluendus sit qui accepit baptismũ cùm dantis polluta conscientia est, & hoc ille qui est accepturus ignorat, facillimè respondere, à Domino Deo, & omnino fidentissimè dicere: prorsus Deus abluit accipientis conscientiam, quando maculosam nõ sanctè dãtis ignorat, sed homo qui iam sectę vestræ intentione coactus fuerat mundationem accipientis in conscientia dantis ponere, quippe qui dixerat, *Cõscientia nanque dãtis, vel sanctè dantis attẽditur, quæ abluat accipiẽtis*, timuit ne melius homo baptizari videretur ab occulto homine malo quã à manifesto homine bono:

tunc

tunc enim non à conscientia sanctè dantis hominis, sed ab ipsa excellentissima Dei sanctitate esset abluẽdus. Hoc ergo metuens, ne tanta eum sequeretur absurditas vel potius dementia, vt quæ fugeret nesciret, noluit dicere vnde sit accipientis abluenda conscientia, quando maculosam conscientiam non sanctè dantis ignorat, & litigioso strepitu cuncta perturbans occultare maluit quid ab eo quæreretur, quàm hoc respondere quærenti, vnde statim suffocaretur: nunquã tamen putans ab hominibus bene cordatis legi posse literas nostras, aut ab eis legi suas qui legissent et meas, quibus respondere se finxit.

CAPVT XLII. Nam hoc quod modò dixi in illa ipsa Epistola mea contra quam scribendo nihil dixit, euidentissimè positum est, & quid ibi egerit quæso parumper aduertite: & quamuis illi faueatis, nõsque oderitis, si potestis æquo animo tolerate. Quia in priori Epistola sua, cuius primis partibus quæ solæ in manus nostras tunc venerant primo responderam, ita spem baptizandi hominis in homine baptizãte posuerat, vt diceret, *Omnis res enim origine & radice consistit: & si caput non habet aliquid, nihil est.* Quia ergo hoc Petilianus dixerat, non aliud volens intelligi originem & radicem & caput baptizandi hominis, nisi hominem à quo baptizaretur, subieci ego & dixi, *Quærimus itaque nos cùm ille baptizator perfidus latet, si tunc ille quem baptizat fidem percipit non reatum, si tunc ei non est baptizator eius origo & radix & caput: quis est à quo accipit fidem? vbi est origo de qua oritur? vbi radix vnde germinat? vbi caput vnde incipit? An fortè cùm baptizantem perfidum ille qui baptizatur ignorat, tunc Christus dat fidem, tunc Christus est origo & radix & caput?* Hoc ergo & nunc dico & exclamo, sicut etiam illic exclamaui, *O humana temeritas & superbia, cur non sinis potius vt semper Christus det fidem, Christianum dando facturus? Cur non sinis vt semper sit Christus origo Christiani, in Christo radicem Christianus infigat, Christus Christi caput? Neque enim etiam cùm per sanctum & fidelem dispensatorem gratia spiritalis credentibus impartitur, dispensator ipse iustificat, ac non ille vnus de quo dictum est, quòd iustificat impium. Aut verò apostolus Paulus erat caput & origo eorum quos plantauerat, aut Apollo radix eorum quos rigauerat, ac non ille qui eis incrementum dederat, cùm idem dicat, Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit: Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus? Nec radix eorum erat ipse, sed ille potius qui ait, Ego sum vitis, vos estis sarmenta. Caput etiam eorum quomodo esse poterat, cùm dicat nos multos vnum esse corpus in Christo, ipsumq; Christum caput esse vniuersi corporis, pluribus locis apertissimè prædicet? Quapropter siue à fideli siue à perfido dispensatore sacramentum baptismi quisque percipiat, spes ei omnis in Christo sit, ne sit maledictus qui spem suam ponit in homine.* Hoc ego in Epistola priore cum Petiliano respõderem, puto quia & dilucidè & veraciter posui. Hoc etiã nunc commemoraui, illud insinuans atque commendans, vt omnino spes nostra non sit in homine, Deumq; Christum mundatorem, iustificatorem hominum esse credamus, credentium in eum qui iustificat impium vt deputetur fides eorum ad iustitiam, siue ille homo sit sanctus qui ministrat baptismum, siue impius & fictus quem fugiat spiritus sanctus. Tunc deinde subdidi, si aliter esset, quanta consequeretur absurditas, & dixi quod & nunc dico. *Alioquin si talis quisque in gratia spiritali renascitur, qualis est ille à quo baptizatur, & cùm manifestus est qui baptizat homo bonus, ipse dat fidem, ipse origo & radix caputque nascentis est: cùm autem latet perfidus baptizator, tunc quisque à Christo percipit fidem, tunc à Christo ducit originem, tunc in Christo radicatur, tunc Christo capite gloriatur: optandum est ab omnibus qui baptizantur, vt baptizatores perfidos habeant & ignorent eos. Quamlibet enim bonos habuerint, Christus est vtique incomparabiliter melior, qui tunc erit baptizati caput si perfidus lateat baptizator. Quod si dementissimum est credere (semper enim Christus iustificat impium, faciendo ex impio Christianum, semper à Christo percipitur fides, semper Christus est origo regeneratorum & caput Ecclesiæ) quid habent ponderis illa verba quæ vani lectores non attendunt quid intus habeant, sed tũtum quemadmodum sonent?* Hæc tunc dixi, hæc in illa mea Epistola scripta sunt.

Suprà lib. 1. cap. 4. & lib. 3. cap. 5.

Suprà lib. 1. cap. 5. & 6.

1. Cor. 3.

Ioan. 15.

CAPVT XLIII. Deinde paulo pòst quoniam ille dixerat, *Quæ cùm ita sint fratres, quæ potest esse peruersitas, vt qui suis criminibus reus est, alium facit innocentem, dicente Domino Iesu Christo, Arbor bona, bonos fructus facit: arbor mala, malos fructus facit. Nũquid colligunt de spinis vuas? Et iterum, Omnis homo bonus de bono thesauro cordis sui profert bona, & omnis homo malus, de thesauro cordis sui profert mala.* Quibus verbis Petilianus satis apertissimè ostendit tanquam arborem accipiendum eum hominem qui baptizat, & tanquam fructum eum qui baptizatur. Ad hæc ego responderam, *Si arbor bona bonus baptizator est, vt fructus eius bonus sit ille quem baptizauerit, quisquis ab homine malo etiam non manifesto fuerit baptizatus, bonus esse non poterit: de mala quippe arbore exortus est. Aliud est enim arbor bona, aliud arbor occulta, sed tamen mala.* Quid aliud his verbis intelligi volui, nisi quod paulò superius posueram arborem & fructum eius, non eum qui baptizat & eum qui baptizatur, sed hominẽ arborem, fructum verò eius opus & vitã eius accipi debere, quam semper habet bonam bonus, & malam malus, ne illa sequatur absurditas, vt malus sit homo etiam ab occulto malo homine baptizatus, tãquam fructus arboris quamuis occultæ, sed tamen malæ: contra quod ille nihil omnino respondit.

Suprà lib. 1. c. 7. & 8.

Matth. 7.

Matth. 12.

Suprà lib. 1. cap. 6.

CAPVT XLIV. Sed ne diceret, siue ille siue aliquis vestrũm, cùm quis occultus malus est qui baptizat, tunc non esse fructum eius illum quem baptizat, sed fructum Christi: continuò subieci quàm væsanus error etiam istam sententiam consequatur, & repetiui illud, licet aliis verbis, quod paulo antè dixeram, *Si cùm occulta est arbor mala, quicunque ab illa fuerit baptizatus, non de illa, sed de Christo nascitur, sanctius iustificantur, qui baptizantur ab occultis malis, quàm qui baptizantur à manifestis bonis.* Petilianus ergo his tam vehementibus coarctatus angustiis, tacuit superiora ex quibus ista pendebant, & hæc absurda quæ illius consequuntur errorem, ita commemorauit in responsione sua, quasi hæc ego ex mea sententia dixerim, quæ ideo dicta sunt, vt attenderet quantum mali sequeretur eius sententiam, & eam mutare cogeretur. Hanc ergo fraudem audientibus faciens, & omnino desperans legi posse quæ scripsimus, cœpit in me grauiter & petulanter inuehi, tanquam ego sensissem optandum esse omnibus qui baptizãtur, vt baptizatores perfidos habeant & ignorent eos: quoniam quamlibet bonos habuerint, Christus est incomparabiliter melior, qui tunc erit baptizati caput, si perfidus lateat baptizator. Item tanquam ego sensissem, sanctius iustificari eos qui baptizantur ab occultis malis, quàm qui baptizantur à manifestis bonis: cùm hæc mirabilis insania ideo à me commemorata sit, quia illos necessario sequitur qui cùm Petiliano sentiunt, sic esse hominem baptizatum ad baptizatorem suum, quemadmodum est fructus ad arborem de qua nascitur, bonus de bona, malus de mala: quibus cùm dixerimus vt respondeant cuius arbitrentur fructũ esse hominem baptizatum quãdo ab occulto malo baptizatur, quoniam non audent eum rebaptizare, coguntur respõdere, tunc cum non esse fructum occulti illius mali, sed esse fructum Christi: ac per hoc sequitur eos quod nolunt, & quod sentire dementis est, quia si homo tunc est fructus hominis

Suprà lib. 1. cap. 8. in fi.

baptizatoris ſui, quando à manifeſto bono baptizatur, cùm verò baptizatur ab occulto homine malo, tunc non ipſius fructus, ſed Chriſti eſt, ſanctius iuſtificantur qui baptizantur ab occultis malis, quàm qui baptizantur à manifeſtis bonis.

CAPVT XLVI. QVOD cùm mihi Petilianus tribuens tãquam hoc ego ſenſerim, ſatis in me grauiter ac vehementer inuehitur, ipſe vtique demonſtrat, ea ipſa grauiſſima in uectione ſua, quantum nephas ſit iſta ſentire: ac per hoc quicquid propter iſtam ſententiam in me dixiſſe videri voluit, in ſeipſum dixiſſe inuenitur, quia talia ſentire conuincitur. Ibi enim oſtendit quanta vi veritatis ſuperatus ſit, vbi alium exitum non inuenit, niſi vt me ſenſiſſe fingeret, quod ipſe ſentit: quemadmodum ſi illi quos Apoſtolos arguit, quia dicebant non eſſe reſurrectionem mortuorum, eundem Apoſtolum
8.Cor.15. accuſare vellent, quoniam dixit, Neque Chriſtus reſurrexit, & inanem eſſe prædicationem Apoſtolorum, inanem etiam fidem credentium, falſoſque inueniri teſtes aduerſus Deum, qui dixiſſent quòd ſuſcitauerit Chriſtum. Hoc mihi Petilianus facere voluit, deſperans legi poſſe quæ ſcripſi, quibus reſpondere non potuit, & putari ſe reſpondiſſe magnopere concupiuit. Sed quemadmodum ſi quiſquam illud feciſſet Apoſtolo, recitato vniuerſo ipſo loco ex eius Epiſtola, redditisque ſuperioribus verbis ex quibus iſta pendere quiſquis legit intelligit, omnis illa calumnioſa reprehenſio in frontem reprehendentium relideretur: Sic redditis ex Epiſtola mea ſuperioribus, dum me Petilianus accuſat, in eius faciem, vnde illa conatus eſt remouere, maiore impetu retorquetur. Apoſtolus enim redarguens eos qui negabãt reſurrectionem mortuorum, iſta abſurditate corrigit quæ inuitos ſequitur talia ſentientes, vt dum exhorrent quod nephas eſt di-
8.Cor.15. cere, corrigant quod auſi ſunt credere. Proinde ita dicit, Si reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit: ſi autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, vana eſt & fides veſtra. Inuenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quia ſuſcitauit Chriſtum quem non ſuſcitauit: vt dum timeant dicere Chriſtum, non reſurrexiſſe, & cætera mala ac nepharia quæ ſequuntur, corrigant quod ſtultè infideliterque dixerunt non eſſe reſurrectionem mortuorum. Si ergo tollas quod in capite ratiocinationis huius eſt poſitum: Si reſurrectio mortuorum non eſt: malè cætera dicta ſunt & Apoſtolo tribuenda ſunt. Si autem reddas vnde pendẽt & in exordio conſtituas, Reſurrectio mortuorum non eſt: rectè conſequenter, neque Chriſtus reſurrexit, & inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra, & cætera quæ connexa ſunt. Et hæc omnia ab Apoſtolo bene & prudenter dicta ſunt, quoniam quicquid mali habent, illis imputandum eſt qui negabãt reſurrectio-
Supra l.1. cap.6. nem mortuorũ. Sic etiam in Epiſtola mea, tolle quod positum eſt. *Si talis quiſque in gratia ſpiritali renaſcitur, qualis eſt ille à quo baptizatur, & cùm manifeſtus eſt qui baptizat homo bonus, ipſe dat fidem, ipſe origo & radix caputq; naſcentis eſt: Cùm autem latet perfidus baptizator, tunc quiſque à Chriſto percipit fidem, tunc à Chriſto ducit originem, tunc in Chriſto radicatur, tunc Chriſto capite gloriatur:* tolle iſta vnde pendet quod ſequitur, & valde peſſimè dictum mihique tribuendum eſt: *Optandum eſt omnibus qui baptizantur vt baptizatores perfidos habeant & ignorent eos: Quamlibet enim bonos habuerint, Chriſtus eſt vtique incomparabiliter melior, qui tunc erit baptizati caput, ſi perfidus lateat baptizator.* Reddantur autem illa quæ vos dicitis, tunc iam hoc quod inde pendet & religatum ſequitur, non à me ſentiri inuenitur, & quicquid mali habet, in veſtram ſententiam re-
Supra l.1. cap.8. torquetur. Item tolle quod poſitum eſt, *Si arbor bona bonus baptizator eſt, vt fructus eius bonus ſit ille quem baptizauerit, & ſi cùm occulta eſt arbor mala, quicunque ab illa fuerit baptizatus, non de illa ſed de Chriſto naſcitur,* tolle iſta quæ cogimini & ex veſtra ſecta & ex Petiliani Epiſtola confiteri, & meum erit ac mihi imputandum illud inſanum quod ſequitur, *Sanctius iuſtificantur qui baptizantur ab occultis malis, quàm qui baptizantur à manifeſtis bonis.* Redde autem illa ex quibus hoc pendet, continuò videbis & me hoc ad vos corrigendos rectè poſuiſſe, & totum quod vobis in hac ſententia meritò diſplicet, in veſtram faciem recidiſſe.

CAPVT XLVII. PROINDE quemadmodum illi qui reſurrectionẽ mortuorum negabant, nullo modo ſe defenderent à tantis malis quę ad eos redarguendos connexuit Apoſtolus dicens, Neque Chriſtus reſurrexit, & nephanda
1.Cor.15. ſimiliter cætera, niſi mutarent ſententiã, & faterentur eſſe reſurrectionẽ mortuorũ: ſic etiã vos ſi nõ vultis vobis imputari quod ad vos cõuincendos & corrigendos dicimus, Sãctius iuſtificari eos qui baptizãtur ab occultis malis, quã qui baptizãtur à manifeſtè bonis, mutate ſententiã, & eorũ ſpẽ qui baptizãtur nolite in homine ponere. Nã ſi ponitis, videte quid dicã, ne hoc aliquis iterũ ſupprimat, & dicat me ſenſiſſe quod ad vos redarguendos corrigendosque commemoro. Videte quid dicam, vnde pendeat quod dicturus ſum: Si eorum ſpẽ qui baptizandi ſunt, in homine à quo baptizantur ponitis: Si baptizatorem hominem ſicut ſcripſit Petilianus, originem & radicem & caput eius qui baptizatur conſtituitis: Si arborem bonam bonum hominem baptizantem, fructum autem eius bonum eum qui fuerit ab ipſo baptizatus accipitis, admonetis vt quæramus à vobis, qua origine oriatur, qua radice pullulet, cui capiti ſubnectatur, de qua arbore naſcatur quem malus baptizat occultus. Ad hanc quippe inquiſitionem pertinet etiam illud, cui non reſpondiſſe Petilianum ſæpiſſimè commendaui: Vnde abluatur qui accipit baptiſmum cùm maculoſam conſcientiam non ſanctè dantis ignorat: hanc enim conſcientiam dantis vel ſanctè dantis vult eſſe originem, radicem, caput, ſemen, arborem, vnde exiſtat, vnde propagetur, vnde incipiat, vnde germinet, vnde naſcatur ſanctificatio baptizati.

CAPVT XLVIII. CVM ergo quærimus vnde ablutus ſit, quem in veſtra communione non rebaptizatis, etiam cùm eum cõſtiterit ab aliquo baptizatum qui propter occultam nequitiam iam ſanctè dantis conſcientiam non habebat, quid reſponſuri eſtis, niſi à Chriſto aut à Deo, quamuis & Chriſtus Deus ſuper omnia ſit benedictus in ſecula: aut à ſpiritu ſancto, cùm & ipſe ſit Deus, quia hæc Trinitas vnus Deus. Vnde Petrus cùm dixiſ-
Act.5. ſet homini, Auſus es mentiri ſpiritui ſancto: continuo ſecutus adiunxit quid eſſet ſpiritus ſanctus, & ait, Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Poſtremò etiam ſi dicatis eum ab angelo ablui atque mundari, quando pollutam conſcientiam non ſanctè dantis ignorat, videte quia ſancti homines cùm in æternam vitam reſurrexerint, tunc de illis dictum eſt, quòd erunt æquales angelis Dei. Quiſquis ergo & ab angelo abluitur, ſanctius abluitur quàm ſi abluatur ab hominis qualicunque conſcientia: Cur ergo nõ vultis vt dicatur vobis, ſi tunc abluit homo quãdo manifeſtus bonus eſt, cum autem occultus homo malus eſt, quoniam non habet conſcientiam ſanctè dantis, non iam ipſe, ſed Deus aut angelus abluit, ſanctius iuſtificantur qui baptizantur ab occultis malis, quàm qui baptizantur à manifeſtis bonis. Quæ ſententia ſi vobis diſplicet, quoniam reuera omnibus diſplicere debet, illa tollite vnde naſcitur, illa corrigite vnde religatur: illa enim non præcedant, & iſta non ſequitur.

CAPVT XLIX. NOLITE itaque dicere, conſcientia ſanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis, ne dicatur vobis, quando latet dantis conſcientia polluta, quis abluit acci-

accipientis conſcientiam? Et cùm reſponderitis, vel Deus vel angelus, (quoniam quid reſpondeatis aliud non habetis) ſequatur vos vnde confundamini: Sanctius iuſtificantur qui baptizantur ab occultis malis, vt vel à Deo vel ab angelo abluantur, quàm qui baptizantur à manifeſtis bonis, qui Deo vel angelis non comparantur. Sed dicite quod dicit veritas & catholica Eccleſia, quia non ſolùm cùm malus eſt miniſter baptiſmi, verumetiam cùm ſanctus & bonus eſt, non eſt in homine ſpes ponenda, ſed in illo qui iuſtificat impium, in quem credentibus fides ad iuſtitiam de-
Rom.4. putatur. Cùm enim dicimus, Chriſtus baptizat, non viſibili miniſterio dicimus, ſicut putat vel putari cupit nos dicere Petilianus, ſed occulta gratia, occulta potentia in ſpiritu ſancto: ſicut dictum eſt de illo à Io-
Ioan.1. anne Baptiſta, Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Nec ſicut Petilianus dicit, iam baptizare ceſſauit, ſed adhuc id agit, non miniſterio corporis, ſed inuiſibili opere maieſtatis. Quòd enim dicimus, ipſe baptizat, non dicimus ipſe tenet, & in aqua corpus credentis tingit: ſed ipſe inuiſibiliter mundat, & hoc vniuerſam prorſus Eccleſiam. Neque enim apoſtolo Paulo
Epheſ.5. non eſt credendum, qui de illo dixit, Viri diligite vxores veſtras ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Ecce quia Chriſtus ſanctificat, ecce quia Chriſtus ipſo lauacro aquæ in verbo vbi miniſter videtur corporaliter operari, ipſe abluit, ipſe mundat. Nemo ergo ſibi arroget quod Dei eſt, ſi certa ſpes hominum cum illo figitur qui fallere non poteſt: quoniam maledictus omnis qui
Hier.17. Pſal.39. ſpem ſuam ponit in homine: &, Beatus cuius eſt Dominus Deus ſpes ipſius. Nam diſpenſator fidelis mercedem accipiet vitam æternam: diſpenſator autem infidelis cùm cibaria Dominica diſtribuit conſeruis, abſit vt per ſuam infidelitatem cibaria inutilia faciat: Quoniam quæ dicunt, inquit, facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Quod ideo contra malos diſpen-
C ſatores præceptum eſt, vt bona Dei per ipſos accipiantur, mala autem ipſorum vita ex diſſimilitudine caueatur.

CAP. L. SI autem ad iſta prima verba Epiſtolæ meæ Petilianum non reſpondiſſe manifeſtum eſt, & vbi reſpondere conatus eſt, magis oſtendit quod non potuerit reſpondere: quid de illis partibus meorum ſcriptorum loquar, quibus nec reſpondere tentauit, quæ omnino non attigit: quæ tamen qualia ſint ſi recenſere quiſq; voluerit, qui & mea & ipſius habet ſcripta, puto quòd intelligat quanta firmitate roborata ſint. Quod vt vobis breuiter oſtendam, ipſa teſtimonia de ſcripturis ſanctis prolata recolite, vel legendo recenſete, quæ poſuit velut aduerſus nos, & in mea reſponſione quæ poſui etiam ego aduerſus vos: & videte quemadmodum ego illa quæ ipſe poſuit, oſtendi non nobis, ſed potius vobis eſſe contraria: ipſe autem illa quæ poſui maximè neceſſaria, omnino non attigit, & in illo vno Apoſtoli quod tanquam pro ſe pertractare conatus eſt, videbitis quàm nullum exitum inuenerit. Pars quippe Epiſtolæ quam ſcripſit ad ſuos à capite vſque
Matth.10. ad eum locum vbi dicit, *Hoc nobis Dominus imperat, Cùm vos perſecuti fuerint homines in ciuitate iſta, fugite in aliam, quòd ſi & in ea vos perſequuntur, fugite in aliam:* primùm venit in manus noſtras, huic reſpondimus: quæ noſtra reſponſio cùm etiam in illius veniſſet manus, ſcripſit hanc contra, quam nunc refellimus, & eum noſtræ non reſpondiſſe monſtramus. In illa ergo prima parte ſcriptorum eius quibus primum reſpondimus, hæc ſunt teſtimonia Scripturarum, quæ nobis
Matth.7. putauit aduerſa. Arbor bona bonos fructus facit, & arbor mala malos fructus facit. Nunquid colligunt de
Matth.11. ſpinis vuas? Et iterum, Omnis homo bonus de bono A theſauro cordis ſui profert bona, & omnis homo malus de theſauro cordis ſui profert mala. Et iterum, Qui baptizatur à mortuo, non ei prodeſt lauatio eius. Eccl.34. His teſtimoniis volens oſtendere talem fieri eum qui baptizatur, qualis fuerit à quo baptizatur: Ego contra quemadmodum accipienda eſſent hæc teſtimonia, & quòd eius intentionem nihil adiuuarent oſtendi. Cætera verò quæ poſuit dicta, in malos & ſceleratos homines, non eſſe aduerſus frumenta Dominica, ſicut prædicta & promiſſa ſunt toto orbe diffuſa, & potius à nobis contra vos poſſe dici ſatis edocui. Recenſete & inuenietis. At verò ego quæ poſui pro Eccleſiæ catholicæ aſſertione iſta ſunt, quod ad baptiſmum attinet, ne id quod gratia Dei regeneramur, mundamur, iuſtificamur, danti homini tribuatur. Bonum eſt confide-
Pſal.117. Hier.17.5. & 59. re in Domino, quàm confidere in homine. Et, Maledictus omnis qui ſpem ſuam ponit in homine, Et, quia Domini eſt ſalus. Et, Vana ſalus hominis. Et, quia neq; qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incre-
1.Cor.3. Rom.4. mentum dat Deus. Et, quia ille in quem creditur iuſtificat impium, vt deputetur fides eius ad iuſtitiam. Propter ipſius verò Eccleſiæ vnitatem quæ in omnibus gentibus dilatatur, cui vos non communicatis, hæc teſtimonia poſui de Chriſto eſſe prædicta, Qui
Pſal.71. Pſal.2. dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum: Et, Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Et quòd teſtamentum Dei factum ad Abraham pro noſtra, hoc eſt, catholica communione recitetur, vbi ſcriptum eſt, In ſemine tuo benedicentur omnes
Gen.22. Gal.3. gentes. Quod ſemen interpretatur Apoſtolus dicens, Et ſemini tuo quod eſt Chriſtus. Vnde apparet in Chriſto, non ſolùm Aphros aut Aphricam, ſed omnes gentes habituras benedictionem per quas catholica dilatatur Eccleſia tanto antè promiſſa: & quòd palea cum frumentis ſit vſque ad vltimam ventilationem, ne quiſquam per calumnias criminum alienorum ſacrilegium ſuæ ſeparationis excuſet, quòd reliquerit vel deſeruerit omnium gentium communionem. Et ne propter malos diſpenſatores, hoc eſt præpoſitos, ſocietas Chriſtiana diuidatur, etiam illud teſtimonii
Matth.23. poſui, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Hæc ille teſtimonia de Scripturis ſanctis à me poſita, nec oſtendit quẽadmodum aliter accipi deberent, vt non ea pro nobis neque contra nos eſſe oſtenderet, nec omnino attingere voluit: imò id egit tumultu conuitiorum, vt ſi fieri poſſet, hæc à me dicta nulli omnino veniret in mentem, qui poſt Epiſtolam meã lectam etiam ipſius legere voluiſſet.

CAPVT LI. QVOD verò ex apoſtoli Pauli ſcriptis à me poſitum pro ſe tractare conatus eſt, quale ſit parumper attendite, *Diximſti enim*, inquit, *Apoſtolus Paulus eos, qui dice-*
Supra lib.1. cap.3. & 4. 1.Cor.1. *bant ſe apoſtoli eſſe Pauli, obiurgat & dicit, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati* D *eſtis? Quapropter ſi errabant illi, et niſi corrigerentur perirent, qui volebant eſſe Pauli, quæ tandem ſpes eorum eſt, qui voluerunt eſſe Donati? Id enim agunt iſti, vt origo & caput & radix baptizati, nõ niſi ille ſit à quo baptizatur.* Hęc verba & hoc Apoſtoli teſtimonium, ex Epiſtola mea commemorauit, & ſibi propoſuit refellendum. Proinde videte ſi ad propoſitum reſpondit. Ait enim, *Inane hoc dictum eſt, inflatum & puerile & inſipiens, & quod longè ſit penitus à fidei noſtræ ratione: tunc enim rectè hoc diceres, ſi nos diceremus, in nomine Donati baptizati ſumus: aut, Donatus crucifixus eſt pro nobis: aut in noſtro nomine baptizati ſumus. At cùm hæc à nobis nec dicta ſint nec dicantur, quia formam diuinæ ſequimur trinitatis, & qui nobis talia obiicis, certum eſt te inſanire. Aut, ſi putas quia in Donati, vel in noſtro nomine baptizati ſumus, falleris perdite, ſimúlque de nobis ſacrilege confiteris, quia*

ris, quia nos in nomine Cæciliani miseros inquinatis. Hæc Petilianus contra illa mea respondit, non intendens, vel potius ne ab aliquo intendatur, obstrepens omnino nihil se respōdisse, quod ad rem de qua agitur pertineret. Quis enim non videat ideo magis à nobis rectè positum hoc Apostoli testimonium, quia non vos dicitis in Donati nomine baptizatos, neq; Donatum crucifixum esse pro vobis, & tamen propter partē Donati vos ab Ecclesiæ catholicæ communione separatis: sicut etiam illi quos Paulus arguebat, non vtique dicebant in nomine Pauli se fuisse baptizatos, aut Paulum pro se esse crucifixum, & tamen de Pauli nomine schisma faciebāt. Sicut ergo illis pro quibus Christus nō Paulus crucifixus est, & qui in nomine Christi, nō in nomine Pauli fuerunt baptizati, & tamen dicebāt, Ego sum Pauli, propter hoc rectius dicitur, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis, vt hæreāt ei qui pro ipsis crucifixus est, & in cuius nomine baptizati sunt, & non ad nomen Pauli diuidantur: sic & vobis multo magis, quia non dicitis, in nomine Donati baptizati sumus, & tamen vultis esse de parte Donati, congruenter dicitur, Nunquid Donatus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Donati baptizati estis? Scitis enim Christum pro vobis esse crucifixum, & in nomine Christi vos baptizatos, & tamen propter nomen & partem Donati vnitati Christi, qui pro vobis crucifixus est, & in cuius nomine baptizati estis tanta pertinacia repugnatis.

CAPVT LII. QVIA verò id egit Petilianus scriptis suis, vt origo & radix & caput baptizati non nisi ille sit à quo baptizatur, & hoc à me non inaniter, nec pueriliter, nec insipienter dictum est, primordia Epistolæ ipsius quibus tunc respondi, recensete & videbitis, imò verò me cōmemorante diligenter aduertite. *Conscientia*, inquit, *sanctè dantis attenditur quæ abluat accipientis: nam qui fidem sciens à perfido sumpserit, non fidem percipit sed reatum.* Et tanquam diceretur ei, vnde hoc probas? *Omnis res enim origine*, inquit, *& radice consistit: & si caput non habet aliquid, nihil est: nec quicquam bene regenerat nisi bono semine regeneretur. Quæ cùm ita sint fratres, quæ potest esse peruersitas, vt qui suis criminibus reus est, alium faciat innocentem, dicente Domino Iesu Christo, Arbor bona bonos fructus facit: Nunquid colligunt de spinis vuas? Et iterum: Omnis homo bonus de thesauro cordis sui profert bona, & omnis homo malus de thesauro cordis sui profert mala. Et iterum, Qui baptizatur à mortuo, non ei prodest lauatio eius.* Hæc omnia quò pertineant videtis, vt scilicet sanctè dantis conscientia, (ne quisquam fidem sumens à perfido, non fidem percipiat, sed reatum) ipsa sit origo & radix & caput & semen baptizati. Volens enim probare conscientiam sanctè dantis attendi quę abluat accipientis: & nō fidem percipere, sed reatum, qui fidem sciens sumit à perfido, continuò subiecit, *Omnis res enim origine & radice consistit: & si caput non habet aliquid, nihil est: nec quicquam bene regenerat nisi bono semine regeneretur.* Et ne quisquam tam tardus esset, vt adhuc non intelligeret de illo eum dicere à quo quisque baptizatur, explanat hoc subsequenter & dicit, *Quæ cùm ita sint fratres, quæ potest esse peruersitas, vt qui suis criminibus est reus, alium faciat innocentem, dicente Domino Iesu Christo, Arbor bona bonos fructus facit: Nunquid colligunt de spinis vuas?* Et ne adhuc incredibili obtusitate cordis cæcus auditor, vel lector non videat de homine baptizante dicere: adiungit aliud, vbi & hominem nominat. *Et iterum*, inquit, *Omnis homo bonus de thesauro cordis sui profert bona, & omnis homo malus de thesauro cordis sui profert mala. Et iterum, Qui baptizatur à mortuo, non ei prodest lauatio eius.* Certè iam manifestum est, certè iam non indiget interprete nec disputatore aut demōstratore, id agere istos, vt origo & radix & caput baptizati non nisi ille sit à quo baptizatur: & tamē vi veritatis oppressus, & quasi quæ dixit oblitus, concedit mihi postea Petilianus, vt Christus sit origo & radix regeneratorum & caput Ecclesiæ, non quisquam homo dispensator ministerque baptismatis. Cùm enim dixisset, quia in nomine Christi baptizabant Apostoli, & Christum fundamentum ponebant vt facerent Christianos, & hoc Scripturarum sanctarum testimoniis & exemplis, tanquam nos hoc negaremus probaret: *Vbi est nunc*, inquit, *illa vox quæ minutis & crebris quæstiunculis crepitans, multa inuoluta de Christo & pro Christo & in Christo, contra humanam temeritatem, & superbiam inuidiosè & elatè dixisti? Ecce Christus est origo Christiani, Christus est radix, Christus est caput.* His ergo auditis quid nisi ipsi Christo gratias agam, qui coegit hominem confiteri? Falsa ergo sunt illa quæ in Epistolæ suæ dixit exordio, cùm vellet persuadere conscientiam sanctè dantis attendi quæ abluat accipientis: & cùm quis sciens fidem à perfido sumpserit, non fidem percipiat, sed reatum. Hoc enim volens velut ostendere, quantum sit in homine baptizante, tanquam magna documenta subiecerat dicens, *Omnis enim res origine & radice consistit: & si caput non habet aliquid, nihil est.* Postea verò cùm dicit quod & nos dicimus, *Ecce Christus est origo Christiani, Christus est caput, Christus est radix:* delet quod antea dixerat, *quia conscientia sanctè dantis est origo & radix & caput accipientis.* Vicit ergo veritas, vt homo qui baptismum Christi desiderat, non in homine ministro spem ponat, sed ad ipsum Christum tanquam ad originem quæ non mutatur, ad radicem quæ non euellitur, ad caput quod non deiicitur, securus accedat.

CAPVT LIII. IAM illud quis non aduertat, de qua inflata vena veniat, quòd cùm Apostoli sententiam velut exponeret, ait, qui dixit, Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit: quid aliud dixit, nisi ego hominem in Christo catechumenum feci, Apollo baptizauit, Deus quod fecimus confirmauit? Quare ergo non addidit Petilianus quod Apostolus addidit, & ego maximè commendaui, vt etiam hoc nobis exponeret, Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus? Quòd si velit exponere secundum ea quæ suprà posuit, sine dubio sequitur, vt neque qui baptizat aliquid sit, sed Deus qui incrementum dat. Quid enim ad rem nunc pertinet quomodo dictum sit, Ego plātaui, Apollo rigauit: vtrum reuera ita accipiendum sit tanquam dixerit, Ego catechumenum feci, Apollo baptizauit: an sit alius verior & congruentior intellectus? Ecce interim secundum ipsius expositionem, neque qui catechumenum facit, neque qui baptizat est aliquid, sed qui incremētum dat Deus. Multum autem interest inter cōfirmare quod alius facit, & facere. Qui enim dat incrementum, non arborem vel vitem confirmat, sed creat. Illo quippe incremento fit, vt etiam lignum plantatum radicem producat & figat, Illo incremento fit vt semen iactum germen emittat. Sed quid hinc diutius differamus? Sufficit quòd secundum ipsum nec qui catechumenum fecit, neque qui baptizat aliquid est, sed qui incrementum dat Deus. Quando autem hoc diceret Petilianus, vt eum dicere intelligeremus, *neque Donatus Carthaginis est aliquid, neque Ianuarius, neque Petilianus*, quando hoc tumor ille pateretur, quo se putat homo aliquid esse cùm nihil sit, & seipsum seducit?

CAPVT LIIII. DENIQVE etiam paulo pòst cùm institueret, & intenderet tanquam ea verba Apostoli, quæ nos obiecerāmus iterum retractare, noluit hæc ponere quæ dixeram ego, sed alia in quibus posset vtcunque humana inflatio respirare. *Nam vt ea*, inquit, *Apostoli dicta quæ nobis obieceras, iterum replicemus, dixit, Quid est enim*

1.Cor.3. *enim Apollo, quidve Paulus? Ministri eius cui credidistis. Quid aliud verbi gratia, dicit omnibus nostris, nisi quid est Donatus Carthaginis, quid Ianuarius, quid Petilianus, nisi ministri eius cui credidistis?* Hoc ego Apostoli testimonium non posui, sed illud quod commemorare noluit, posui, Neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: iste autem ea verba Apostoli inserere voluit, vbi interrogat quid sit Paulus, vel quid sit Apollo, & respondet, Ministri eius cui credidistis; hoc aliquo modo ferre potuit torus ceruicis hæreticæ: illud autem vbi non interrogauit, & respondit quid esset; sed dixit non esse aliquid, ferre omnino nō potuit. Sed iam volo quærere, vtrum non sit aliquid minister Christi? Quis hoc dixerit? Quomodo qui plantat & rigat aliquid & nō aliquid est. Quomodo ergo verum est, Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incremētum dat Deus: nisi quia ad aliud aliquid est, ad aliud non est aliquid? Ad ministrandum & dispensandum verbum ac sacramentum aliquid est: ad mundandum autem & iustificandum non est aliquid: quia hoc non operatur in interiore homine nisi per quem creatus est totus homo, & qui Deus manens factus est homo, ille scilicet de quo dictum est; Act.15. Fide mundans corda eorum: & credēti in eum qui iustificat impium. Rom.4. Quod testimonium in verbis meis Petilianus ponere voluit, in suis autem nec tractauit, nec attigit.

CAPVT LV. MINISTER ergo, id est, dispēsator verbi & sacramenti Euangelici, si bonus est, consocius sit Euāgelij: si autem malus est, non ideo dispensator non est Euangelij. Si enim bonus est, volens hoc facit: si autem malus, hoc est sua quærens non quæ Iesu Christi, inuitus hoc facit propter alia quæ requirit. Vide tamen quid 1.Cor.9. idem Apostolus dixerit, Si ergo volens hoc facio, inquit, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Tanquam diceret, Si bonus bonum annūcio, etiam ipse peruenio: si autem malus, bonum annuncio. Nunquid enim dixit, si inuitus facio, dispēsator non ero? Annunciauit Petrus & cæteri boni, inuitus Iudas, tamen cum ipsis missus annunciauit. Illi mercedem habent, huic dispensatio credita est. Qui autem omnibus illis annunciantibus Euāgelium perceperunt, non à plantatore vel rigatore, sed ab eo qui incrementum dat, mundari & iustificari potuerunt. Neq; enim dicturi sumus Iudam non baptizasse, cùm adhuc inter discipulos fuerit, quando fiebat quod scriptum est, Ipse non baptizabat, sed discipuli eius. An 1.Ioan.4. quia nondum Christum tradiderat qui loculos habebat, & ea quæ mittebantur auferebat, qui pecunię custos innocens esse non potuit, dispēsator tamen gratiæ sine accipientium damno fuit? Aut si non baptizauit, certè fatemini quia euangelizauit. Quod si hoc minimum & leue ducitis, 1.Cor.1. videte quid de ipso Paulo apostolo sentiatis, qui dixit, Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare. Huc accedit, quia incipit esse potior Apollo, qui baptizando rigauit, quàm Paulus qui euangelizando plantauit, cùm sibi officium patris erga Corinthios ob hoc vendicet, nec eis qui post illum ad eos venerant, hoc nomen cōcedat. Ait enim, 1.Cor.4. Si decem milia pædagogos habeatis in Christo, sed nō multos patres: in Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui. Eis dicit, Ego vos genui: quibus alio loco dicit, Gratias Deo, quòd neminem vestrum baptizaui nisi Crispum & Caium & Stephanæ domum. 1.Cor.1. Genuerat itaque illos, non per se, sed per Euāgelium. Qui etiam si sua quæreret, non quæ Iesu Christi, & inuitus hoc faceret sine sua mercede, tamē pecuniam Dominicam dispensaret: quam licet malus, non malam nec inutilem bene accipientibus faceret.

CAPVT LVI. ET si hoc de Euangelio rectè dicitur, quanto magis de baptismo dicendum est, quod ita pertinet ad Euangelium, vt sine illo quidem ad regnum cælorum nemo peruenīat, sed si accedat sacramento iustitia. Qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum: idem ipse dixit, Ioan.3. Nisi abundauerit iustitia vestra plùs quàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Matth.5. Forma sacramenti datur per baptismum, forma iustitiæ per Euangelium. Alterum sine altero non perducit ad regnum cælorum: veruntamen perfectè baptizare etiam minus docti possunt, perfectè autem euangelizare multò difficilioris, & rarioris est operis. Ideo doctor gentium plurimis excellentior euangelizare missus est, non baptizare: quoniam hoc per multos fieri poterat, illud per paucos, inter quos eminebat. 2.Tim.2. Et cùm legimus eum aliquibus locis dixisse, Euangelium meum, baptismum autem meum nunquam dixit, sed nec cuiusquam per quem ministratus est. Nam solus ille baptismus quem dedit Ioannes, dictus est baptismus Ioannis. Act.19. Hoc præcipuum vir ille dispensationis suæ munus accepit, vt lauacri præcursorium sacramentum etiam illius diceretur per quem dispensabatur: baptismus autem quem ministrauerunt discipuli Christi, nullius eorum dictus est, vt illius esse intelligeretur, de quo dictum est: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Ephes.5. Si ergo Euangelium quod ita Christi est, vt possit & minister propter munus dispensationis dicere suum, potest homo etiam per malum dispensatorem sine periculo accipere faciens quod dicit, quod autem facit non faciens: quanto magis baptismum Christi quem nemo Apostolorum ita ministrauit, vt auderet dicere suum, potest quisque sine contagione mali ministri percipere, qui bona fide accedit ad Christum.

CAPVT LVII. PROINDE si Petilianus, cùm ego quæ posuit de Scripturis testimonia quàm contra nos non essent, non prætermiserim demonstrare: ipse quæ posui, partim omnino non attigit, partim quæ tractare voluit, nihil aliud se quam exire inde non potuisse monstrauit: non diu hortandi estis vel admonendi, vt videatis quid tenere, quid cauere debeatis. Sed fortè in sanctarum Scripturarum testimoniis talis apparuit, in his verò documentis, quæ inter homines de ipso schismate gesta sunt aliquid valuit: imò verò & in his quanquam post diuina testimonia superfluò requirantur, quid commemorauit aut quid probauit? Qui cùm fuisset grauiter in traditores inuectus, & multa in eos etiam de sanctis libris testimonia proclamasset, nihil tamen dixit vnde eos ostenderet traditores. Ego autem commemoraui Syluanum Cirtensem, cui quibusdam interpositis etiam ipse successit, cùm adhuc esset subdiaconus, gestis municipalibus expressum esse traditorem. Petilianus in Cirtensi Donatistarū Ecclesia Syluani successit, sed non proximus. Contra hoc ille mutire nil ausus est. Et profectò videtis, quanta eum necessitudo compellebat ad respondendum, vt videlicet prædecessorem suum, & non solùm consocium suum, sed vt ita dicam, etiam concathedraneum innocentem à crimine traditionis ostenderet, præsertim cùm totam causam vestram ibi constituatis, vt traditores appelleris eos quos traditoribus communionis tramite successisse vel fingitis vel putatis. Qui ergo ipsius causæ vestræ necessitate etiamsi Ruficcadiensem vel Calamensem, vel cuiuslibet alterius ciuitatis aliquem de parte vestra gestis municipalibus demonstratum, diceremi traditorem, omnimode eum defendere cogeretur, de suo prædecessore conticuit. Vide lib. contra Cresc. cap.17. Vnde? nisi quia hic nō inuenit quam caliginē offunderet, vnde saltē homines mente tardissimos, & somnolētissimos falleret? Quid enim diceret nisi talsa de Syluano ista iactari? Sed recitamus gesta, & quando factū sit, & quando etiā Zenophilo cōsulari allegatū sit. Ibidem c.12. Quib. quomodo ille resisteret septus vndiq; optima causa catholicæ, vestra autē pessima?

pessima? Vnde ista verba commemoro ex illa Epistola mea, cui per hanc quam nunc refello, videri voluit respondisse: vtique vt videatis, quàm inuictè positum sit, contra quod ille nihil tutius inuenire potuit, quàm silentium.

CAPVT LVIII. Matth. 7. Suprà lib. 1. cap. 21.

CVM enim ex Euangelio velut contra nos testimonium posuisset, vbi Dominus ait: Venient ad vos in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, Ex fructibus eorum cognoscetis eos: ego respondi & dixi, *Ergo fructus consideremus*: tum continuò subieci & adiunxi, *Obiicitis traditionem, hanc ipsam multò probabilius nos vobis obiicimus. Et ne per multa curramus, in eadem Constantiniensi ciuitate Syluanum Episcopum maiores vestri in ipso exordio schismatis sui ordinauerunt. Iste cùm adhuc esset subdiaconus, manifestissimus traditor municipalibus gestis expressus est. Si & vos aduersus maiores nostros aliqua documenta profertis, æqua conditio postulatur, vt vtraque vera vel vtraque falsa credamus. Si vtraque vera sunt, vos estis sine dubio schismatis rei; qui crimina vos fugere in totius vrbis communione finxistis, quæ in ipsa particula vestræ concisionis habebatis. Sin autem vtraque falsa sunt, vos estis sine dubio schismatis rei, qui propter falsa crimina traditorum immani separationis crimine maculamini. Quòd si à nobis aliqua & à vobis nulla, vel à nobis vera & à vobis falsa proferuntur, non est discutiendum quàm penitus vestra ora claudantur. Quid si vos vera & sancta Ecclesia Christi conuinceret atque superaret, etiamsi nos nulla vel falsa, vos autem aliqua & vera traditionis documenta teneretis: quid iam vobis restet, nisi vt, si vultis, pacem diligatis; si autem non vultis, saltem obmutescatis? Etenim quæcunque modo proferretis, facillimè & verissimè dicerem, tunc Ecclesiæ plenariæ, & catholicæ vnitati iam per tot gentes diffusæ atque firmatæ vos ea probare debuisse, vt vos intus estetis: illi autem quos conuinceretis, pellerentur foras. Quod si conati estis facere, proculdubiò probare non potuistis, & victi vel irati, vos ab innocentibus, qui damnare incerta non possent, immani sacrilegio separastis. Si autem nec conati estis id agere, nimis execrabili & impia cæcitate vos à frumentis Christi, quæ per totum agrum, id est, mundum vsq; ad finem crescunt, paucis in Aphrica zizaniis offensi præcidistis.* Ad hæc quæ ex illa mea priore Epistola commemoraui Petilianus nihil respondit omnino. Et vtique videtis his paucis verbis totam causam quæ inter nos agitur contineri. Quid enim dicere conaretur, vbi quicquid eligeret vinceretur? Cùm enim de traditoribus & à nobis contra vestros, & à vobis contra nostros documenta proferuntur: si tamen & à vobis aliqua proferuntur, quæ vsque ad hunc diem omnino nescimus: (neque enim ea Petilianus suis litteris inserere prætermitteret, qui tam diligenter contra me partes gestorum, quæ ad causam pertinent commemorandas inserendasque curauit.) Veruntamen vt iam dicere cœperam, si & à nobis & à vobis talia proferuntur, quæ vsque ad hunc diem omnino nescimus: profectò aut vtraque vera sunt, aut vtraque falsa, aut nostra vera & vestra falsa, aut nostra falsa & vestra vera: plus quid dicatur, non inuenitur.

A

CAPVT LIX.

AT in omnibus his quatuor sententiis veritas pro communione catholicæ est: quia si vtraque vera sunt, propter homines, quales & vos habebatis, communionem orbis terrarum deserere minimè debebatis. Si vtraque falsa sunt, propter nulla crimina traditionis, cauendum erat crimen atrocissimum diuisionis. Si nostra vera & vestra falsa sunt, olim quid diceretis non habetis. Si vestra vera & nostra falsa sunt, falli potuimus cum orbe terrarum de hominum iniquitate, non fidei veritate. Non enim debuit attendere semen Abrahæ in omni gente diffusum, quid vos nosse diceretis, sed quid iudicibus probaretis. Vnde scimus quid egerint, quos vestri maiores accusauerunt, etiamsi vera eis obiiciebantur, cùm vel cognitoribus causæ vel certè Ecclesiæ vbique diffusæ, quæ non nisi cognitorum sententias debebat attendere, non illa vera, sed falsa putarentur? Non ideo Deus absoluit, si quid hominum sceleris vt homines nosse non possint: neminem tamen rectè iudicari puto nocentem, qui hominem non conuictum crediderit innocentem. Vnde ergo nocens orbis terrarum, si nosse non potuit, etiam verum fortasse crimen Aphrorum: & hoc aut ideo nosse non potuit, quia nemo ad eum detulit, aut ideo quia in eo, quod delatum est cognitoribus potius iudicantibus, quàm victis murmurantibus credidit. Hinc ergo laudandus est Petilianus, quòd cùm hoc omnino inuictissimum cerneret, silentio prætermisit. Non planè laudandus, quòd cætera similiter inuicta, quæ tamen putauit posse obscurari, verborum nebulis operire conatus est, & quòd me facit causam, cùm defecisset in causa: de me quoque ipso nihil dicens, nisi quòd aut omnino falsum esset, aut culpandum non esset, aut ad me iam non pertineret. Sed interea vos, quos inter me & illum iudices posui, sapitis ne aliquid inter verũ falsũmve discernere? inter inflatum & solidum, inter turbidum & tranquillũ, inter tumidum & sanũ, inter diuina prædicta & humana præsumpta, inter probationes & criminationes, inter documenta & figmenta, inter causæ actionẽ & causæ auersionem? Si sapitis, bene & rectè: si autem non sapitis, nos vestri curam gessisse nõ pœnitebit: quia & si cor vestrũ ad pacẽ non conuertitur, pax nostra tamen ad nos reuertetur.

B

C

LIBRI TERTII FINIS.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
LIBER SIVE EPISTOLA CONTRA PETILIANI CONSTANTINIENSIS EPISCOPI DONATISTÆ EPISTOLAM.

ARGVMENTVM LIBRI SEQVENTIS.

Docet veram Christi Ecclesiam Catholicam esse debere; qualis cùm non sit Donatistarum colligit eam penes eos non esse. Sub finem calumnias eorum de traditione, de persecutione & baptismo refellit.

CAP. I.

AVGVSTINVS episcopus, dilectissimis fratribus ad nostrę dispensationis curam pertinentibus. Salus quæ in Christo est & pax vnitatis & charitatis eius sit vobiscum, & integer spiritus vester & anima & corpus in diem Domini nostri Iesu Christi seruetur. Meministis fratres Petiliani Donatistarum Constantiniensis episcopi, perparuam epistolæ partem in manus nostras aliquando venisse, eiq; particulæ quod responderimus scripsisse me ad dilectionem vestram. Sed cùm postea tota & plena nobis à fratribus qui ibi sunt mitteretur, placuit ei ab exordio respondere, tanquam præsentes ageremus: quemadmodum semper scitis nos cum eis agere voluisse, vt sine studio contentionis, quid vel ab ipsis, vel à nobis dicatur, collata disputatione omnibus appareret. In multorum enim manibus illam epistolam esse didicimus, qui etiam multa ex illa memoriter tenẽt, aliquid verum aduersus nos eum dixisse arbitrantes. Sed nunc si legere voluerint quæ respondimus, profectò intelligent quid sibi abiciendum, & quid tenendũ sit. Neq; enim illa nostra sunt, sicut ipsi possunt considerare, si velint sine studio partium iudicare. Nam de Scripturis sanctis ita sunt omnia prolata & probata, vt ea negare non possit, nisi qui illarum scripturarum se inimicum esse profitetur. Sed de illo opere nostro video quid possint dicere illius tam malæ causæ pertinacissimi defensores: me videlicet absentis epistolæ respondisse, vbi verba mea ille non audiret, quibus continuò responderet. Defendat ergo verba epistolæ suæ, & si potest ostendat responsionibus meis, non ea fuisse refutata atque conuicta. Aut si hoc non vult, faciat & ipse huic epistolæ meæ, quod ego illi ipsius, cui iam respondi. Illam quippe scripsit ad suos, sicut ego hanc ad vos. Cui si velit etiam ipse respondeat.

A

B

CAPVT II. Status causæ inter Catholicos & Donatistas, vbi sit Ecclesia. Catholicum vnde dicatur. Col. 1. Extra Ecclesiam non est salutis spes.

QVÆSTIO certè inter nos versatur, vbi sit ecclesia, vtrum apud nos, an apud illos. Quæ vtiq; vna est, quam maiores nostri catholicam nominarunt, vt ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est. Secundũ totum enim καθ' ὅλον Græcè dicitur. Hæc autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit, Pro corpore eius, quæ est Ecclesia. Vnde vtique manifestum est eum qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse. Membra verò Christi per vnitatis charitatem sibi copulantur, & per eandem capiti suo cohærent, quod est Christus Iesus. Totum igitur quod annunciatur de Christo, caput & corpus est. Caput est ipse vnigenitus Iesus Christus filius Dei viui, ipse saluator corporis, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrã. Corpus eius ecclesia, de qua dicitur, vt exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Inter nos autem & Donatistas, quæstio est vbi sit hoc corpus, id est vbi sit ecclesia. Quid ergo facturi sumus? in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui, Domini nostri Iesu Christi? Puto quòd in illius potius verbis eam quærere debemus, qui veritas est, & optime nouit corpus suũ. Nouit enim Dominus qui sunt eius. Quæ sint autem verba nostra, in quibus eam quæri non oportet, aduertite, & videte etiam ibi quid intersit inter nostra verba & illorũ. Et tamẽ in verbis nostris ecclesiã quæri nolumus. Quicquid nobis inuicem obiicimus, de traditione codicum diuinorũ de thurificatione, de persecutionibus, verba nostra sunt. Et in talibus quidem nos hũc tenemus modum, vt vel vtraque vera esse deputent, siue quæ à nobis, siue quæ ab ipsis dicuntur; vel vtraque falsa, vel nostra vera & sua falsa; vel nostra falsa & sua vera. Et in his omnibus nullũ crimen esse orbis Christiani, cui nos communicamus ostendimus. Si enim vera sunt crimina & quæ à nobis in illos & quæ ab ipsis in nos dicuntur, faciamus quod ait Apostolus, Donantes nobismetipsis, sicut & Deus in Christo donauit nobis: vt maligni homines, nec illi qui fortè fuerunt vel sunt apud nos, nec qui vel fuerunt vel sunt apud illos impediant concordiam nostram & vinculum pacis, vno eorum scelere correcto, quòd se frustrà separauerunt ab vnitate orbis terrarum, cùm tales haberent. Si autem vtraque falsa sunt, siue quæ nos illis, siue quæ illi nobis obiiciunt, vel de traditione, vel de persecutione innocentium, nullam video litis causam, nisi quia est causa vt illi se corrigant, qui se sine causa separauerunt. Quòd si nos vera dicimus; quoniam gesta quæ protulimus, & literis Imperatoris ad quem tunc & primo scripserunt & postmodum appellauerunt, & totius orbis communione firmamus: quæ autẽ illi dicunt, ideo falsa esse conuincuntur, quia ipsis temporibus cùm eadem quæstio versaretur obtinere causam suam minimè potuerunt: maior in eis apparet sacrilegæ animositatis furor & animarum innocentiũ persecutio, quàm si solo schismatis crimine tenerentur. Et illa quidem tribuant, non omnibus, sed quibus voluerint suorum: schisma tamen crimen est omniũ. Porrò si crimina traditionis & persecutionis vera volunt esse, quæ obiiciunt, & falsa quæ obiiciuntur à nobis; nec sic purgantur à crimine schismatis. Ad quosdam quippe illa pertinere possunt, non ad vniuersum orbem Christianum. Quem si contagione perisse arbitrantur, omitto dicere quàm multa sancti bono pacis etiam cognita mala in hominum cõgregatione tolerauerint: illud dico, isti ostendant, quomodo eorum contagione non perierint, quos sacrilegos incestatores consecratæ pudicitiæ feminarum inter se latere vel latuisse, vel modo nesciunt; vel aliquando nesciebant: Profectò dicturi sunt hoc ipso se non contaminatos, quòd nesciebant. Quomodo ergo cõtaminatus est orbis qui nescit adhuc an vera sint ista quæ dicuntur? Putemus nobis modo probata, modo demonstrata; quid agimus, de tot gentibus? Deseruntur nescientes, ergo deseruntur innocentes. Et cùm illud sit nullum crimen illorum, hoc esse incipit sceleratissimũ nostrum. An currere debemus, & eos docere quod scimus? Vt quid hoc? Sicut innocentes sunt, innocẽtes sunt etiam dum nesciunt. Non enim malefacta hominum cognoscendo, sed cognitis non consentiendo, de incognitis autem

C

D

Rom. 4. Ephes. 5.

2. Tim. 3.

Sic lib. 1 contra eos cap. 21 & 22.

Ephes. 4.

Vtrum inalò quomodo innocentes esse dicantur.

autem non temerè iudicando, innocentiam custodimus. Ac per hoc, vt dixi, innocens est orbis terrarum, qui crimina quę ab istis in quosdam dicuntur, etiam si vera dicantur, ignorat. Ab his autem innocẽtibus qui seipsos separauerunt, eodem ipso crimine separationis & schismatis innocentiam perdiderunt; & modo nos docent, vera se dicere in quosdã, vt ab eis nos separent in quos non habent vera quæ dicunt. Hoc enim eis dicit orbis terrarum, quod quidem sermone breuissimũ est, sed robustissimum veritate: Aphri nempe inter se episcopi confligebant. Si finire inter se obortam dissensionem non poterant, vt siue per concordiam compositis, siue degradatis qui malè contenderent, hi qui bonam causam habebant in communione orbis terrarum per vnitatis vinculum permanerent: restabat vtrique vt episcopi transmarini, quà pars maxima diffundebatur Ecclesiæ catholicæ, de Aphrorum collegarum dissensionibus iudicarent, illis videlicet instantibus qui crimen malæ ordinationis aliis obiiciebant. Hoc si factum non est, culpa eorum est à quibus fieri debuit; non orbis terrarum, qui non ad se perlata nesciuit. Si autem factum est, quid peccauerunt ecclesiastici iudices, qui crimina etiam si vera & ad se delata, sibi tamen non probata, damnare nullo modo debebant? Nunquid eos mali polluere poterant, qui eis manifestari non poterant? Si autem manifestati sunt eis, & aliqua vel segnitia, vel cohibentia tales à communione remouere noluerunt, & peruerso iudicio pro eis etiam dixerunt sententias: quid peccauit orbis terrarum, qui causam illam malos iudices habuisse nesciuit, & eos malè iudicasse non credidit de quibus iudicare non potuit? Sicut enim reorum scelus si iudices latuit, non eos vtique contaminauit: sic & iudicum scelus si aliquod fuit, quia orbem terrarum latuit, eum profectò contaminare non potuit. His igitur innocentibus innocenter communicauimus, hodieque † nescientes quæ tunc acta sint. Quapropter etiam si vera esse quæ in quosdam dicunt hodie didicerimus, nulla causa est cur ab innocentibus qui hæc nesciunt recedamus, & transeamus ad eos, qui propterea crimine schismatis omnes implicati sunt, quia id fecerunt quod nos facere suadent; vt non exemplo Apostolorum toleremus malos, sed exemplo hæreticorum deseramus bonos. Sed faciamus orbem terrarum quod fieri non potest, hodie nobiscum ad liquidum posse cognoscere vera esse quorundam scelera, quos isti criminantur, nunquid ex hoc innocentior fieri poterit, quàm erat antequam nosset? Sicut enim eos maculare non poterant incogniti mali, etiam si adhuc in hac vita essent; ita qui iam ex hac vita emigrarunt, etiam cogniti maculare non possunt. Si ergo talis est causa nostra in verbis nostris de quorundam criminibus, quæ alternis nobis obiicimus, vt tam inuicta sit, etiam si falsa esse quæ in quosdam illorum dicimus, & vera esse quę in quosdam nostrum dicunt, hodie cognoscamus, quid habent quod respondeant? Siue illa potius vera sint quæ nos dicimus, & falsa quæ dicunt, siue vtraque falsa sint, siue vtraque vera sint, quãdoquidem & ipsi vincuntur ibi, quòd solum votis omnibus sibi vt credatur exoptant.

† Deest aliquid forte cõmunicamus.

CAPVT III.

SED vt dicere cœperam, non audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed audiamus, Hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Dominici, quorum authoritati vtriq; consentimus, vtrique credimus, vtrique seruimus; ibi quęramus ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Hic fortè dicturi sunt, Quid quæris in libris quos ignibus tradidisti? Ad hoc respondeo, Quid times ne legantur isti libri, si eos ab ignibus custodisti? Eos certè ille tradidisse credatur, qui eis lectis non consentire conuincitur. Aut si fortè isti libri ita designant traditorem suum, sicut designauit Dominus Iudam; legant in eis nominatim & expressè vel Cæcilianum vel ordinatores eius, eorundem librorum futuros fuisse traditores, & si non eos anathematizauero, ipse cum eis iudicer tradidisse. Sed neque nos in eis libris inuenimus Maiorini ordinatores designatos esse traditores, quamuis hæc aliunde recitemus. Auferantur ergo illa de medio, quæ aduersus nos inuicem, non ex diuinis canonicis libris, sed aliunde recitamus. Quòd si nolint vt auferantur, videant, quia & si vtraque vera sunt, nulla fuit causa separationis illorum vt eos fugerent quos habebant: & si vtraque falsa sunt, nulla fuit causa separationis illorum vt eos fugerent quos in nullo crimine reperiebant. Et si nostra vera, illorum autem falsa sunt; nulla fuit causa separationis illorum, quia potius se corrigere, atque in vnitate permanere debebant. Et si nostra falsa sunt, & illorum vera sunt, nulla fuit causa separationis illorum, quia innocentem orbem terrarum cui hæc demonstrare vel noluerunt vel non potuerunt, deserere non debebant. Quærat fortasse aliquis, & dicat mihi, Cur ergo ista vis auferri de medio, quando communio tua, etiam si proferantur, inuicta est? Quia nolo humanis documentis, sed diuinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari. Si enim sanctæ Scripturæ in Aphrica sola designauerunt Ecclesiam, & in paucis Romæ Rupitanis & Montensibus, & in domo vel patrimonio vnius Hispanæ mulieris, quicquid de chartis aliis aliud proferatur, non tenent Ecclesiam nisi Donatistæ. Si in paucis Mauris prouinciæ Cæsariensis eam sancta Scriptura determinat, ad Rogatistas transeundum est. Si in paucis Tripolitanis & Byzacenis & prouincialibus, Maximianistæ ad eam peruenerunt. Si in solis Orientalibus, inter Arrianos & Macedonianos & Eunomianos, & si qui illic alij sunt, requirẽda est. Quis autem possit singulas quasq; hæreses enumerare gentium singularum? Si autem Christi Ecclesia canonicarum scripturarum diuinis & certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata est quicquid attulerint, & vndecunque recitauerint, qui dicunt, Ecce hic Christus, ecce illic: audiamus potius, si oues eius sumus, vocem pastoris nostri dicentis, Nolite credere. Illæ quippe singulæ in multis gentibus, vbi ista est, non inueniuntur: hæc autem, quæ vbique est, etiam vbi illæ sunt inuenitur. Ergo in Scripturis sanctis canonicis eam requiramus.

Matth. 24.

CAPVT IIII.

TOTVS Christus caput & corpus est. Caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius ecclesia, sponsus & sponsa, duo in carne vna. Quicunque de ipso capite ab Scripturis sanctis dissentiunt, etiam si in omnibus locis inueniantur in quibus ecclesia designata est, non sunt in ecclesia. Et rursus quicunque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, & vnitati ecclesiæ non communicant, non sunt in ecclesia, quia de Christi corpore, quod est ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt. Verbi gratia, Qui non credũt Christum in carne venisse de virgine Maria ex semine Dauid, quod apertissimè Scriptura Dei loquitur; aut non in corpore ipso resurrexisse, in quo crucifixus & sepultus est, etiam si per omnes terras inueniantur per quas est ecclesia, non vtique sunt in ecclesia, quia ipsum caput ecclesiæ non tenent, quod est Christus Iesus. Nec in aliqua diuinarum scripturarum obscuritate falluntur, sed notissimis & apertissimis earum testimoniis contradicunt. Item quicunque credunt quidem quòd Christus Iesus, ita vt dictum est, in carne venerit, & in eadem carne, in qua natus & passus est resurrexerit, & ipse sit filius Dei, Deus apud Deum & cum patre vnũ, & incommutabile verbum patris, per quod facta sunt omnia: sed tamẽ ab eius corpore, quod est ecclesia, ita dissentiunt, vt eorum cõmunio non sit cum toto quacunque diffunditur, sed in aliqua parte separata inueniatur, manifestum est eos non esse in catholica ecclesia. Quasia. Quapropter quia cum Donatistis quæstio nobis est, non de capite, sed de corpore, id est non de ipso Saluatore Iesu Christo, sed de eius ecclesia; ipsum caput de quo consentimus, ostendat nobis corpus suum, de quo dissentimus, vt per eius verba iam dissentire desinamus. Ille est autem vnigenitus filius & verbum Dei, & ideo nec Prophetæ sancti vera loqui potuissent, nisi ab ipsa veritate, quod est verbum Dei manifestaretur eis quod dicerent, & iuberetur vt dicerent. Proinde prioribus temporibus per prophetas sonuit verbum Dei. Deinde per seipsum, cùm verbum caro factum est, & habitauit in nobis: deinde per Apostolos quos misit ad se prædicandum, vt esset salus vsque ad fines terræ. In his igitur omnibus quærenda est ecclesia.

Ephes. 5.

Extra Ecclesiam sint qui vel de capite Christi, vel de corpore eius quod est Ecclesia, à Christi testificatione dissentiunt.

Ephes. 5.

Figurata & obscura quæ in extremis partem incipi possunt, non sunt idonea ad refellẽdam falsitatem.

CAP. V.

SED quoniam multa in alios, vel ob aliud dicta, in quos volunt, & ad quos volunt maledici plerunque conuertunt; multa etiam propter exercendas rationales mentes figuratè atque obscurè posita per ænigmatis imagines vel ambiguitatis anceipitem sensum, fallaci aliquando interpretationi consonare & conuenire creduntur, hoc etiam prædico atque propono vt quæque aperta & manifesta deligamus. Quæ si in sanctis Scripturis non inuenirentur, nullo modo esset vnde aperiretur clausa & illustrarentur obscura. Verbi enim gratia, Videte quàm facile sit vel nobis in eos dicere, vel illis in nos quod ait Dominus Pharisæis, Similes estis monumentis dealbatis quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia: sic & vos à foris quidem apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Hæc siue in illos à nobis, siue ab eis in nos dicantur, nisi prius probetur manifestissimis documentis qui sint, qui cùm sint iniusti, iustos se esse confingant; conuiciante magis leuitate quàm cõuincente veritate dici, quis mediocriter sanus ignoret? Alitef quippe illa Dominus in Pharisæos dicebat tanquam Dominus, id est cognitor cordis & humanorum omnium secretorum & testis & iudex: nos autem prius debemus inuenire & ostendere quid arguamus, ne ipsi potius grauissimo crimine insanæ tẽmeritatis arguamur. Sanè, si antè docuerint nos tales esse, nequaquam recusare debemus talibus sanctarum scripturarum verbis nos reprehendi atque contundi. Ita si nos eos tales esse docuerimus, erit similiter in potestate nostra, quibus Dominicis increpationibus iam demonstratos conuictosque feriamus. Sic & illa interim seponenda sunt, quæ obscurè sunt posita & figurarum velaminibus inuoluta, & secundum nos, & secundum illos possunt interpretari. Est quidem acutorum hominum diiudicare atque discernere, quis ea probabilius interpretetur; sed nolumus in has ingeniorum contentiones in ea causa, quam populus tenet, nostram disputationem committere. Nulli nostrum dubium est per arcam Noe salua rerum gestarum fide, vt deletis peccatoribus domus iusti à diluuio liberaretur, etiam ecclesiam fuisse figuratã. Quæ fortè humani ingenij cõiectura videretur, nisi hoc Petrus apostolus in epistola sua diceret. Sed quod ille ibi non dixit, si quis nostrum dicat, propterea cuncta animaliũ genera ibi fuisse, quia in omnibus gẽtibus futura prænunciabatur ecclesia, fortasse Donatistis aliud videatur, & aliter hoc interpretari velint. Similiter & ipsi aliquid obscurè & ambiguè positum, si pro sua sententia interpretentur, si nobis † pateat aliud inde dicere quod pro nobis sonat, quis erit finis? Nam quidam eorum Episcopus cùm hic apud Hipponem, sicut audiuimus, sermonem in populo faceret, dixit eandem arcam Noe ideo bituminatam intrinsecus, ne aquam emitteret suam; ideo etiam extrinsecus, ne admitteret alienam. Ad hoc vtique valere voluit hanc interpretationem, ne baptismus vel extra ecclesiam posse exire credatur, vel qui extra datus fuerit, acceptetur. Visus est aliquid dicere, & acclamatum est ab eis qui libẽter audiebant, nec diligenter de his quæ audierant cogitabant; vt quod erat facile, aduerterent fieri non posse, vt extrinsecus admittat aquã compago lignorum, si non emittit intrinsecus: si autem ab ea parte quæ intus est, emittit; consequens esse vt ab ea etiam quæ est foris admittat. Sed & si hoc de compacto ligno verum esset quod ille dixit, quis mẽ prohiberet de arca ex vtraque parte bituminata, si possem aliquid aliud dicere, vt incertum esset, quid horum, vel quid fortasse aliud tertium res illa significaret? Neque enim absurdè dicitur, aut non etiam multo probabilius, per bitumen, quia violentum gluten & res feruentissima est, significatam esse charitatem. Vnde enim dicitur in Psalmo, Agglutinata est anima mea post te, nisi flagrantissima charitate. Quæ quoniam præceptum est, vt sit nobis inuicem & in omnes, ideo & intus & foris arca bituminata. Aut certè quia scriptum est, Charitas omnia tolerat, vis ipsa tolerãtiæ tenax vnitatis per bitumẽ significata est, quo ideo intus & foris arca illita est, quia intus & foris mali tolerandi sunt; ne pacis cõpagũ soluatur. In hac ergo disputatione nostra parcamus talibus interpretationibus, & apertũ aliquid quo manifestetur ecclesia requiramus. Nempe scriptũ est in libro Iudicũ, Et dixit Gedeõ ad Dominũ, Quoniam tu saluum facies Israel in manu mea, quemadmodum locutus es: Ecce ego pono vellus lanæ in area, & si factus fuerit ros in vellere, in omnẽ verò terram siccitas, sciã quoniam saluum facis in manu mea Israel sicut locutus es. Et factum est sic. Et diluculo vigilauit Gedeon in crastinum, & expressit vellus: Et decurrit ros de vellere plena peluis aquæ. Et dixit Gedeon ad Dominũ, Non irascatur furor tuus in me Domine, & loquar adhuc semel, & tentabo adhuc semel in vellere. Fiat siccitas in vellere tantum, in omnem autem terram fiat ros. Et fecit Deus sic in nocte illa, & facta est siccitas in vellere tãtum, super omnem autem terram ros. Non video quid hic aliud figuratum & prænunciatum sit, nisi vt aream intelligamus orbem terrarum, locum autem velleris populum Israel. Nouimus enim illam quondam gentem diuini sacramenti gratia tanquam cælesti rore perfusam, cuius muneris per omnes in circuitu gentes, quia eo carebant, tanquam siccitas erat. Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere, id est in velamine & quasi in nube secreti, quia nõdum fuerat reuelatũ, Nunc autem videmus orbem terrarum iam reuelato rore saginari per Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod tunc in illo tẽgmine figurabatur: illã verò gentẽ amisso sacerdotio quod habebat, quia in Scripturis nõ intelligit Christũ, tãquam in sicco vellere remãsisse. Nec tamẽ in talibus rerum figuris, quãuis non videã quid hic aliud possit intelligi, volo quæramus ecclesiã. Prorsus quæ alicuius vel talis interpretationis indigent, interim seponamus: nõ quia falsa sunt, quæ hoc modo de talibus tanquam inuolucris interpretando soluuntur; sed quia vel interpretem quærũt, nolo in eis nostra ingenia cõparentur; sed aperta veritas clamet & luceat, in obturatas aures irrũpat, dissimulantiũ oculos feriat. Nemo in eis latebris quærat falsæ suæ sententiæ locum, omnem conatum contradicendi cõfundat, omnẽ frontem impudẽtis elidat.

Scripturæ ita sunt à Spiritu S. temperatæ, vt quædam in eis obscura, quædam clara & manifesta essent.

Ad disputationem adferenda nõ sunt, quæ vtrique parti possunt esse cõmunia. Matth. 23.

† al. plãceat.

Bituminata Ecclesia allegoria Donatistarum errori accommodata.

Acclamatio diuinorum in sacris cõcilibus.

Diuersa allegoria veritati imagines cõtinentia.

Psal. 62.

1. Cor. 13.

Iudic. 6.

Vellus Gedeõnis mystice interpretatur.

CAPVT VI.

O DONATISTÆ, Genesim legite, Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, Propter quod fecisti verbum hoc, & non pepercisti filio tuo amantissimo propter me, nisi benedicens benedicam te, & implendo implebo semen tuum tanquam stellas cæli, & tanquam arenam quæ secus oram maris est, & hæreditate possidebit semẽ tuum ciuitates aduersariorum tuorũ, & benedicentur in nomine tuo omnes gentes terræ, quia

Genes. 22.

Ex scripturis & primum ex Lege ostendit catholicam Christi Ecclesiam.

quia obaudisti vocem meam. Quid ad hæc dicitis? An Iudæorum nobiscum peruersitate contenditis, vt dicatis in solo populo nato ex carne Abrahæ intelligendum semen Abrahæ? Sed Iudæi Paulum apostolum non legunt in synagogis suis, quem vos legitis in conuenticulis vestris. Quid ergo dicat Apostolus, audiamus, Quærimus enim iam, quemadmodum sit intelligendum semen Abrahæ; Fratres, inquit, secundum hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed tanquam in vno, & semini tuo quod est Christus. Ecce in quo semine benedicentur omnes gentes. Ecce testamentum Dei, aperite aures, Hominis, inquit, confirmatum testamẽtum nemo irritum facit, aut superordinat. Quare vos irritum facitis testamentum Dei, dicendo nec in omnibus gentibus esse completum, & periisse iam de gentibus in quibus erat semen Abrahæ? Quare superordinatis dicendo, in nullis terris hæredem permanere Christum, nisi vbi potuerit cohæredem habere Donatum? Non inuidemus alicui: Legite nobis hoc de lege, de Propheris, de Psalmis, de ipso Euangelio, de Apostolicis literis: Legite & credimus; sicut nos vobis legimus & de Genesi & de Apostolo, Quia in semine Abrahæ quod est Christus benedicuntur omnes gentes. Audite hoc idem testamentum ad Isaac etiam filium Abrahæ, Facta est autẽ fames super terram, præter famẽ quæ antè facta est in tempore Abrahæ. Abiit autem Isaac ad Abimelech regem Palæstinorum in Gerara, & apparuit ei Dominus & dixit, Noli descendere in Ægyptum, habita autem in terra quam tibi dixero, & habita in terra hac, & ero tecum & benedicã te. Tibi enim & semini tuo dabo omnem terram hãc: & statuam iusiurandum tecum quod iuraui Abraham patri tuo, & ampliabo semen tuum tãquam stellas cæli: & dabo tibi & semini tuo omnem terram hanc, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, pro his quæ obaudiuit Abraham pater tuus vocem meã, & seruauit præcepta mea, & iustitias meas, & legitima mea. Respõdete ad ista. Semen quippè Abraham, hoc idem semẽ est & Isaac, quod est Christus. Quomodo enim venerit Christus ex tribu Iuda in carne per virginem, quis quoquomodo Christianus ignorat? Audite hoc idem testamentum ad Iacob, Exiit Iacob à puteo iurationis, & profectus est in Charram, & deuenit in locum, & dormiuit in loco illo, quoniam solis occasus erat, & sumpsit lapidem ex lapidibus loci, & posuit ad caput suum, & dormiuit in loco illo, & visum vidit. Et ecce scala stabilita super terram, cuius caput pertingebat ad cœlum, & angeli Dei ascendebant & descendebant per illam, & Dominus incumbebat super illam & dixit, Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: Noli timere, terram in qua dormis super eam, tibi dabo & semini tuo: Et erit semẽ tuum sicut arena terræ, & multiplicabitur supra mare, & in Aphricum & in Aquilonem & ad Orientem: Et benedicentur in te omnes tribus terræ, & in semine tuo: Et ecce ego sum tecum custodiens te in omni via quacunque ibis, & reducã te in terram hanc, quia non te derelinquam donec faciam omnia quæ tecum locutus sum. Ecce cui promissioni resistitis, ecce quàm firmum testamentum irritum facitis. Dicit Deus, Non te derelinquã donec faciam omnia quæ tecum locutus sum: & vos contradicitis dicentes, vt vobis potiùs credamus quicquid criminis obiicitis ignoto & ignaro orbi terrarum: Deo autem dicenti, non relinquam donec faciam, non credamus. Legite nobis de scripturis canonicis eos tradidisse diuinos codices quos nominatim accusatis. Legite tam aperta quàm sunt ista quę vobis de Genesi legimus. Non à vobis quærimus quid lapis ille significet, quẽ Iacob sibi ad caput posuit cùm dormiret, quid scala stabilita super terram, cuius caput pertingebat ad cælum, quid angeli Dei descendẽtes & ascendentes per illam. Requirant ista prudẽtiores atq; doctiores, & in populo pacato eloquantur, vbi non obstrepat improba contradictio, de obscuritate sacramenti & ænigmate lectionis armans impudentiã suam. Non desunt corda fidelium, quæ commemorat Dominus ex Euãgelio, vbi ait, cùm vidisset Israelitam in quo dolus non erat, quia Iacob qui has vidit scalas, ipse dictus est Israel. Non desunt ergo quos inde commęmoret Dominus, ibi quippè ait, Videbitis cælum apertum, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis: id est, super semen Abraham, in quo benedicuntur omnes gentes. Sed hoc non inculco recusantibus. Ecce quod audite, Erit semẽ tuum sicut arena terræ, & multiplicabitur supra mare, & in Aphricum, & in Aquilonem, & in Orientem: & benedicentur in te omnes tribus terræ, & in semine tuo. Date mihi hanc ecclesiã, si apud vos est, ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas iam videmus in hoc semine benedici. Date hanc, aut furore deposito accipite, non à me, sed ab illo ipso in quo benedicũtur omnes gentes. Hæc de primo libro legis cõmemorasse sufficerit: Plura innotescent sine impia contentione, & cum pia dilectione legentibus.

Gal. 3. Gen. 22. Gen. 26. Gen. 28. Gen. 28. Gen. 28. Gen. 28. Gen. 28. Ioan. 1. Gen. 22.

CAPVT VII. Ex prophetis.

QVID in Prophetis, quàm multa & quàm manifesta sunt testimonia ecclesiæ per omnes gentes toto orbe terrarum diffusæ, vnde pauca commemorabo, plura relinquens ocio diligentiæ cum Dei timore legentibus. Accipiamus per os Esaiæ sancti diuina responsa, & eius ora tanquam Dei oracula sciscitemur. Sileant humanarũ contentionũ animosa & perniciosa certamina, inclinemus aurẽ verbo Dei. Dicat Esaias vbi ecclesiam sanctã Deo reuelante præuiderit, vt in verbis futura dicentis iam nunc præsentia videamus, Repleta est, inquit, vniuersa terra vt cognoscat Dominum, vt aqua multa operiat mare. Et erit in illa die radix Iesse, & qui exurget principiũ habere in nationes, & in eum gentes sperabunt. Radicem Iesse Christum esse ex semine Dauid secũdum carnem natum, nullus quoquomodo Christianus ignorat: & si contentiosus est, cum Apostolo contendat, qui hoc testimonio in literis suis vtitur. Item dicit, Germinabit & florescet Israel, & replebitur orbis terrarum fructu eius. Israel nempe fuit filius Isaac, nepos Abrahã, cui promissum est quòd in semine eius benedicerẽtur omnes gentes: quod semen Christum interpretatur Apostolus. Venit autem Christus ex semine Abraham per Isaac & per Israel, & deinceps, sicut generationes ad ortum Christi pertinẽtes Euangelista contexit. Qui ergo vult contra disputare, contradicat Euangelio, neget ex semine Israel venisse Christũ, vt possit negare quod Esaias dicit, Germinabit & florescet Israel, & replebitur orbis terrarũ fructu eius, Item dicit, Ego Deus primus: & in his quæ aduenient ego sum. Viderũt gentes, & timuerunt fines terræ. Hoc est quod alibi dicit scriptura, Primus & nouissimus, vt sit α & ω, quæ sunt literæ in signo Christi omnibus notę. Pro eo enim quòd ibi est nouissimus, hic positũ est, & in his quæ aduenient ego sum. Huic ergo manifestationi contradicunt qui nolunt credere, imò qui nolunt iam videre compleri quod sequitur, Viderũt gentes, & timuerũt fines terræ. Item paulo post, Iacob puer meus suscipiã illũ, Israel electus, suscepit eũ anima mea. Dedi spiritum meum in illũ, iudiciũ gẽtibus proferet: nõ clamabit neq; cessabit, neq; audietur foris vox eius. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, sed cum veritate proferet iudicium. Refulgebit & non confringetur, donec ponat in terra iudicium, Et in nomine eius gentes sperabunt. Hoc testimonium de Christo intelligendum

Rom. 15. Esa. 11. Esa. 27. Gen. 22. Matth. 1. Esa. 41. Apoc. 22. Esa. 42. Esa. 52.

gendũ, & in Euangelio positũ est. Qui audet, cõtradicat: qui autẽ non audet, speret in eũ cũ gentibus, & ab vnitate gentiũ in eũ sperãtiũ nõ recedat, aut si recesserat, redeat ne pereat. Itẽ dicit Esaias, Et nunc sic dicit Dñs, Qui finxit me in vtero seruũ sibi, vt cõgregẽ Iacob & Israel ad eũ, appropinquabo illũ, & honorabor corã Dño, & Deus meus erit mihi virtus, & dixit mihi, Maximũ tibi erit hoc, vocari te puerũ meũ, vt constituas tribus Iacob, & prolẽ Israel conuertas. Et posui te in testamẽtũ generis in lucẽ gentiũ, vt sis salus vsq; ad fines terræ. Et paulo pòst, Sic dicit, inquit, Dñs Israel, Tẽpore aptissimo exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Certè ista verba cũ cõmemorasset Apostolus Paulus, nõ nisi in Christianis ostẽdit impleri. Cõnexuit enim dicẽs, Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nũc dies salutis. Audiamus ergo quid Esaias adiũgat, Et dedi te, inquit, in testamẽtũ gẽtiũ, vt incolas terrã, & possideas hęreditatẽ deserti. Et interpositis deinde cõnectit & dicit, Ecce isti à longinquo venient: hi autẽ ab Aquilone & mari, alij autẽ ex terra Persarum. Exulta cælum, & in lætitia esto terra, emittant mõtes iucunditatẽ, quoniam misertus est Deus populi sui, & humiles populi sui allocutus est. Dixit autẽ Sion, Dereliquit me Dñs, & Deus oblitus est mei. Nũquid capiet obliuio mulierẽ filij sui, vel potest fieri vt nõ misereatur fœtus vteri sui? Nunc ecce & si illã obliuio habebit, me tamẽ tui nullo modo obliuio capiet, dicit Dñs. Ecce super manus meas descripsi tuos muros, in conspectu etiã meo es in perpetuũ, & in breui ædificaberis ab his à quibus euersa es. Cùm igitur per Apostolicam vocẽ non sinamur hoc de populo Iudæorum, sed de Christianorum intelligere, quid intellecturi sumus in eo quod hoc loco ait Esaias, Et breui ædificaberis ab his à quib. euersa es: nisi reges terræ qui primo persequebantur ecclesiam, pòst adiuturos eam tanto antè prędictũ? Sed quia multi eorum in suis iniquitatibus morituri erant, adiungit & dicit, Et qui desolauerunt te, discedent à te. Deinde quia omnes gentes adiungerẽtur ecclesiæ, sequitur & dicit: Circũspice vbique oculis tuis, & vide vniuersos, Viuo ego, dicit Dñs, omnes hos indues te, & dispones eos vt ornamentũ nouæ nuptæ: quoniam quæ deserta fuerunt in te, & corrupta & delapsa, nunc in maxima arctura erunt per eos qui cõmorantur. Isti è lõgè à te efficiãtur, qui te transuorabũt. Dicẽt enim in aures tuas filij tui quos amiseras, Angustia nobis est in isto loco, facito itaq; nobis etiã nunc locũ in quo cõmoremur. Tu verò dices in corde tuo, Quis generauit mihi istos, cùm sciã esse me sine filiis & viduã? Quis ergo istos educauit mihi? Ego enim derelicta fui sola, hi autẽ mihi vbi erant? Sic dicit Dñs, Ecce tollã in nationes manus meas, & in insulas signũ meum, & adducã filios tuos in sinu, filias etiam tuas super humeros portabunt: & erunt reges educatores vestri, quæ autẽ principales sunt nutrices vestræ, super terrã declinantes faciem deprecabũtur te, & vestigia pedũ tuorũ elingẽt, & scies quoniã ego Dñs, nec erubesces. Et paulo pòst adiungit & dicit, Audite me, audite populus meus, reges quoq; intendite mihi, quoniã lex à me prodiet, & iudiciũ meũ in lucẽ gentibus. Appropinquat maturè iustitia mea, & salutare meum proficiscetur, & in brachio meo gẽtes saluãtur. De hoc aũt brachio scripturas apostolicas cõsulamus. Quãdo enim apostolus Paulus de Iudęorũ infidelitate eiusdẽ Prophetæ testimonium posuisset, quòd eis Christus nõ fuisset reuelatus, hoc posuit, Quis credidit auditui nostro, & brachium Dñi cui reuelatũ est? Deinde in consequentib. adiũgit Esaias & dicit, Erũpat lætitia simul deserta Hierusalẽ, quoniã misertus est eius, & eruit Hierusalẽ, & patefaciet Dñs brachiũ suũ sanctũ in conspectu vniuersarũ gẽtiũ, & videbũt omnes nationes vsq; ad vltima terræ saluté quæ à Deo est. Quis tã surdus, quis tã demens, quis tã mẽte cęcus, vt his tã euidentib. testimoniis obloquatur, nisi qui nescit quid loquatur? Sed ad manifestiora veniam. Certè sacratissimas nuptias in Scripturis nouimus, spõsum & spõsam, Christũ & ecclesiã. Vtrunque descripsit Esaias, ne fortè in eorũ aliquo erremus, quod cui acciderit, vtrunq; amittit. Quia de hoc cõiugio in sacramento dictũ est, sicut testatur Apostolus, Erũt duo in carne vna. Sic ergo prior ipse describitur post multa, quę de illo ita dicit Esaias, vt & ipsi obmutescant Iudęi. Ne longũ sit omnia memorare, hoc paululũ aduertite, Et peccata, inquit, eorũ ipse portabit, ideo hęreditate possidebit multos, & fortiũ partietur spolia, propter quod tradita est in mortẽ anima eius, & inter iniquos deputatus est, & ipse peccata multorũ sustinuit, & propter iniquitates nostras traditus est. Hęc de Dño nostro Iesu Christo tãto antè prędicta & prophetata fatemur. Hic ergo spõsus vt quid traditus est ad mortem, vt quid inter iniquos deputatus est tãta humilitate celsitudinis suę? Quid egit, quid acquisiuit? Quis ita surdus est, vt hęc nõ audiat? Quis ita obtusus, vt nõ intelligat? Quis ita cęcus, vt nõ videat? Ideo, inquit, ipse hęreditate possidebit multos, & fortiũ partietur spolia, propter quod tradita est in mortẽ anima eius, & inter iniquos deputatus est. Quid est, hęretici, quod de paucitate gloriamini, si propterea Dñs noster Iesus Christus traditus est ad mortẽ, vt hęreditate multos possideret? Et qui sunt hi multi, vel quã latè occupãt terrã? Quę sequũtur audiamus, Prenũciato spõso & expresso, procedat & spõsa. In verbis Esaiæ legamus eã in veritate paginarũ sanctarũ, & agnoscamus in orbe terrarũ. Hoc testimoniũ de sancta ecclesia prędictũ etiã Paulus apostol⁹ posuit. Nõ est quò fugiat cõtentiosa tergiuersatio hęreticorũ, Lętare, inquit, sterilis quę nõ paris, erumpe & exclama quę non parturis, quoniã multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. Vbi est, inquam, quod de paucitate gloriamini? Nõne isti sunt multi, de quib. paulo antè dictũ est, Ideo ipse hęreditate possidebit multos? Nã quę est hęreditas eius, nisi ecclesia eius? Multi, inquit, filij desertæ magis, quã eius quæ habet virũ: Synagogã scilicet Iudęorũ volens intelligi virũ habentẽ, quoniã acceperat legẽ. Hinc iã potest diiudicari quod dicimus. Cõparẽt isti multitudinẽ suã in Afris vel in Africa constitutã, cũ multitudine Iudęorũ per omnes terras quacunque dispersi sunt, & videãt quàm sint in illorũ cõparatione paucissimi. Quomodo ergo de se dictum assignabunt, Multi filij desertę magis, quã eius quę habet virũ? Rursus cõparẽt multitudinẽ Christianorũ per omnes gentes, quib. nõ cõmunicãt, & videãt quã pauci sint in cõparatione omnes Iudæi; & tãdẽ aliquãdo intelligãt in ecclesia catholica toto orbe diffusa, istã prophetiã esse cõpletã, Multi filij desertę magis, quã eius quæ habet virũ. Sed cui habenti virũ hæc deserta pręlata fuerit in multitudine filiorũ, sit obscurũ, sit in ænigmate: hanc tamẽ esse ecclesiã Christi, de qua dictũ est, Multi filij desertæ, quisquis cõtradicit, nõ mihi, sed Apostolo cõtradicit. Vnde aũt multos filios esset habitura, consequẽter adiũgit & ait, Dixit enim Dñs, Dilata locũ tabernaculi tui, & pelles aularũ tuarũ fige, noli parcere, lõgos fac funiculos tuos, & palos tuos cõfirma. Adhuc in dextrã & sinistram extẽde, & semẽ tuũ gentes possidebit, & ciuitates desertas inhabitabis. Ne timeas, quoniã pręualebis, neq; verearis quòd detestabilis fueris. Cõfusionẽ ęternã obliuisceris, ignominię viduitatis tuæ nõ eris memor, quoniam ego Dñs qui facio te, Dñs nomẽ illi, & qui liberauit te, Dñs Israel vniuersæ terræ vocabitur. Ecce quousq; iussa est extẽdere funiculos, donec Deus eius Israel vniuersæ terræ vocetur. De illa quippe & ei dicitur alio loco per eũdẽ prophetã, Propter Sion non tacebo, & propter Hierusalẽ non quiescã, donec prodeat sicut lux iustitia mea, salutatio aũt mea sicut facula ardebit, & videbũt omnes gẽtes iustitiam tuam, & reges honorem tuum, & vocabit te nomi-

Esaiæ 49. 2. Cor. 6. Esaiæ 53. Ephes. 5. Esaiæ 53. Donatista de paucitate gloriati. Esaiæ 54. Esaiæ 54. for. aulearũ Rom. 10. Esaiæ 53. Esaiæ 62.

nomine tuo nouo quod Dñs vocauit illud, & eris corona pulchritudinis in conspectu Dñi, & diadema regni in manu Dei tui, & iam nõ vocaberis derelicta, & terra tua nõ vocabitur deserta. Tu enim vocaberis volũtas mea, & terra tua orbis terrarũ. Quid dici adhuc manifestiùs exigendũ est? Ecce ex vno Propheta quàm multa, quàm clara: & tamẽ resistitur & contradicitur, non cuiquã homini, sed spiritui Dei, & euidentissimæ veritati. Et tamẽ ab eis qui nomine Christiano gloriari volunt, gloriæ Christi ipsius inuidetur, ne ista, quæ tanto antè de illo prænunciata sunt, credãtur impleri, cùm iam non prænunciantur, sed ostenduntur, videntur, tenentur. Iam verò si de omnibus Prophetis ecclesiæ signatæ, quam sicut legimus, cernimus, testimonia colligere in hanc vnam epistolã velim: vereor ne ipse videar iudicare pauca esse quæ tam multa sunt, vt ex isto solo Esaia si omnia congregare vellem, modum debiti sermonis excederem.

CAPVT VIII. Ex Psalmis.

IAM ergo pauca de Psalmis audiamus, tanto antè cantata, & nunc iã cõpleri cum magno gaudio videamus. Et prius illud ipsum quod Petilianus in epistola sua, quo ore posuerit nescio, audiant & iudicẽt, Dñs dixit ad me, filius mes es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gẽtes hæreditatẽ tuam, & possessionem tuã fines terræ. Quis enim Christianus vnquã dubitauit hoc de Christo esse prædictũ, aut hanc hereditatem aliud quàm ecclesiã esse intellexit? Et quia bonos & malos intra eadẽ retia sacramentorũ erat habitura, Reges eos, inquit, in virga ferrea, tanquã vas figuli conteres eos. Eadẽ quippe firma & inflexibili iustitia boni reguntur, mali conteruntur. Quis tam deuius & absurdus est à diuinis eloquiis, qui non ipsum Euãgelium recognoscat, cùm cantatur ille Psalmus vbi scriptũ est, Foderũt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, Ipsi verò cõsiderauerunt & conspexerunt me, diuiserunt sibi vestimẽta mea, & super vestimẽtum meũ miserunt sortẽ? Quando etiam cùm hoc factũ Euangelista narraret, huius testimonij memor fuit. Quid autẽ huius crucis precio, quid tãtæ celsitudinis tanta humilitate, quid illo innocẽtissimo & diuino sanguine cõparatum est, nisi quod illic in eõ sequentibus dicitur, Cõmemorabuntur, & cõuertentur ad Dñm vniuersi fines terræ, Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ gentium, Quoniã Dñi est regnũ, & ipse dominabitur gentiũ? Nõnne Apostolus de prædicatoribus Noui Testamenti dictum exposuit quod scriptum est, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum? De quo alio nisi de Christo intelligitur, Deus deorũ Dñs locutus est, & vocauit terrã à solis ortu vsque ad occasum: ex Sion species decoris eius? Cuius, nisi Christi vox est, Dormiui conturbatus? Et vnde conturbatus, sequitur & dicit, Filij hominũ dentes eorũ arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta. Quorũ nisi eorum qui clamauerunt, Crucifige, crucifige? Vt quid hoc totũ, cui bono, cui lucro? Audi quid sequatur, Exaltare super cælos Deus, & super omnẽ terram gloria tua. Ecce habes Christũ in passione dormisse, & resurrectione super cælos ascendisse. Et vnde gloria eius super omnẽ terram, nisi quia ecclesia eius per omnem terrã? In his duabus sententiis breuissimis, vos hæretici totũ quod inter nos agitur interrogo. Exaltare, inquit, super cælos Deus, & super omnem terrã gloria tua, Cur Dñm Christum exaltatũ super cælos prædicatis, & eius gloriæ super omnem terram non cõmunicatis? Psalmus septuagesimus primus in Salomonem titulatur. Sed quia ita dicta sunt quæ in illum regem temporalẽ, & postea grauiter peccantem cõuenire non possunt, etiam contra ipsos Iudæos de Christo esse prædicta inuictissimè defenduntur. Nullus autem hoc Christianus negat. Talia enim dicta sunt, de quibus dubitari non possit, quòd ad Christum pertineant. Ibi etiam dicuntur hæc, vbi agnoscatur ecclesia toto orbe diffusa, omnibus etiam regibus Christo subiugatis, Et dominabitur, inquit, à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ. A flumine vtiq; vbi eum Spiritus sanctus in columbæ specie, & vox de cælo manifestauit. Deinde sequitur, Coram illo decidẽt Æthiopes, & inimici eius terram lingẽt, Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei. Et paulo pòst, Et benedicẽtur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eũ. Benedictus Dñs Deus Israel, qui fecit mirabilia solus. Et benedictum nomen gloriæ eius in æternũ & in sæculum sæculi. Et replebitur gloria eius omnis terra, fiat, fiat. Ite nunc Donatistæ & clamate, non fiat, non fiat. Vicit vos verbum Dei dicens, fiat fiat. Ecce manifestata est in Psalmis ecclesia toto orbe diffusa, super quam requiescit gloria regis eius. Vnde & ipsa regina est spõsa eius, de qua ei dicitur in quadragesimo quarto Psalmo, Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumamicta varietate. Et ad eam ipsam adhortandam cõtinuò diuinus sermo dirigitur, Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum & domum patris tui, quoniã cõcupiuit rex speciem tuã, quia ipse est Deus tuus. Attendite vnde cœperit alloqui sponsam Christi diuina prophetia, Audi, inquit, filia & vide. Vos autem nec audire vultis hæc prædicta, nec videre cõpleta: & tamen & auditis & videtis inuiti. Audite ergo quid paulo pòst ei dicitur, Audite hoc ex pagina diuina quomodo prænuncietur; & videte in omni terra quomodo compleatur. Pro patribus tuis, inquit, nati sunt tibi filij, cõstitues eos principes super omnẽ terram. Quàm multa prætercam de hac re testimonia Scripturarũ, norũt qui legũt, & ego noui, sed onerare epistolã nolo, cui responderi flagito.

Psal. 21. Matth. 27. Ioannis. 19.

CAPVT IX. Quomodo hæ scripturæ dicendæ sint Donatistæ.

QVID ad hæc dicturi sunt quæ commemorauì ex lege, & Prophetis, & Psalmis, de Christi ecclesia, quæ toto orbe diffunditur, cui malunt repugnare peruersi, quàm communicare correcti? Quid, inquam, dicturi sunt, vtrum hæc falsa esse, an obscura? Sed falsa esse nõ audent dicere, Premũtur enim mole tantæ authoritatis. Hæc ergo cùm vera esse fateãtur, impleri non posse contendunt: quasi aliud sit Prophetiam crimine falsitatis arguere, quàm dicere, quæ prænunciauit, non posse compleri. Hoc est enim dicere, non esse Prophetiam, sed potius pseudoprophetiam. Et cùm quæsieris ab eis, cur hæc impleri non possint? Respondẽt, *quia homines nolunt, Cum arbitrio quippe*, inquiunt, *libero homo creatus est, & si vult credit in Christum: si non vult, non credit. Si vult, perseuerat in eo quod credit. Si non vult, non perseuerat: & ideo cùm cœpisset per orbem terrarũ crescere ecclesia, noluerũt homines perseuerare, & defecit ex omnibus gẽtibus Christiana religio, excepta parte Donati.* Quasi verò nescierit spiritus Dei futuras hominum voluntates. Quis hoc insanissimus dixerit? Cur ergo nõ hoc potius prænunciauit, quod de voluntatibus hominum sciebat futurum? Hoc enim modo quo isti putant hęc esse prædicta, quisquis voluerit potest esse Propheta, vt cùm ea quæ prædixerit, impleta non fuerint, respondeat, homines noluerunt, Libero enim arbitrio Christiani sunt. Hoc modo poterat aliquis prophetare Christum non in cruce passurum, sed gladio moriturum: vt cùm aliter factũ esset, responderet, Quid ego feci? Homines in libero arbitrio constituti noluerunt ei facere quod ego prædixeram, & hoc fecerunt quod ipsi voluerunt. Iam cui non occurrat, quàm multa isto modo poterãt prophetari, vel etiam possunt à quibuslibet hominibus? Quis enim dubitauerit, quòd Iudas Christum, si voluisset, non vtique tradidisset: & Petrus si voluisset, ter Dominũ non negasset? Sed ideo fuit de istis

Psal. 71. Psal. 44. Psal. 2. Virga ferrea, firma & inflexibilis iustitia. Psal. 56. Luca 23. Psal. 56. Psalmus 71. de Christo, non de Salomone intelligendum. Refutatio. Liberè Christum Iudas tradidit, & Petrus negauit.

istis certã prædictiõ, quia & Deus etiam futuras præuidet voluntates.

CAP. X. Ex Euãgelio.

VERVNTAMEN quãquam hæc & tardis cordibus patent, audiamus hinc & ipsius Verbi vocẽ ore propriæ carnis expressam. Certè cùm post resurrectionẽ præberet se etiam contrectandũ atq; palpandum manib⁹ dubitantium discipulorũ, & cùm accepisset coram illis, & manducasset quod ei porrexerant, dixit eis; Isti sunt sermones, quos locutus sum ad vos; cùm adhuc essem vobiscũ, quia oportebat adimpleri omnia scripta in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. De quo autẽ, nisi de illo scripta sunt, quæ nos quoque cõmemorauimus ex lege, & Prophetis, & Psalmis, sicut per singula demonstraui? Cùm ergo ipse dicat qui veritas est, Oportebat adimpleri omnia: quomodo isti negant, nisi quia veritatis inimici sunt? Si aũt obscura esse adhuc dicunt, & hinc ipsum caput audiamus verissimũ demõstratorem corporis sui. Cùm enim dixisset, quia oportebat adimpleri omnia scripta in lege, & Prophetis, & Psalmis de me: tanquam quæreremus vtrũ in eo quod dixit de me, illic intelligenda esset ecclesia, propter id quod scriptum est, Erunt duo in carne vna, vt non solum de capite, verũetiam de corpore certa diuina oracula teneremus, sequitur Euangelista & dicit, Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas, & dixit illis, Quoniã sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die. Hic ipsum caput ostẽditur, quod etiã se manibus discipulorũ præbuit contrectandũ. Vide quemadmodum de corpore adiũgat, quod est ecclesia, vt nos nec in sponso, nec in sponsa errare permittat. Et prædicari, inquit, in nomine eius pœnitentiã, & remissionẽ peccatorum per omnes gentes, incipiẽtibus ab Hierusalẽ. Quid hac voce veracius, quid diuinius, quid manifestius? Me piget eam cõmendare verbis meis, & hæreticos non pudet eã oppugnare verbis suis. Dicãt ea testimonia, quæ posui de lege, & Prophetis, & Psalmis, obscura esse & figuratè dicta, etiã aliter posse intelligi, quamquã & in eis egerim quantũ potui, vt nec hoc audeant dicere. Sed ecce dicant, Nunquid & obscurè dictũ, aut ænigmatis velamẽto adumbratũ est, quod ipse Christus dixit, Quia sic scriptum est, & sic oportebat Christũ pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiã, & remissionem peccatorũ per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalẽ? Si obscurũ est, Dormiui conturbatus: nunquid obscurũ est, quia oportebat Christũ pati? Si obscurũ est, Exaltare super cælos Deus: nunquid obscurum est, & resurgere tertia die? Si obscurũ est, Super omnẽ terram gloria tua, nũquid obscurũ est, & prædicari in nomine eius pœnitẽtiam, & remissionẽ peccatorum per omnes gentes? Si obscurũ est, Deus deorum Dñs locutus est, & vocauit terrã à solis ortu vsque ad occasum: nunquid obscurũ est, & prædicari in nomine eius pœnitentiã, & remissionem peccatorũ per omnes gẽtes? Sic enim terra vocata est à solis ortu vsque ad occasũm, quemadmodũ ipse ait, Non veni vocare iustos, sed peccatores in pœnitentiã. Si obscurum est, Ex Sion species decoris eius, nunquid obscurũ est, incipientibus ab Hierusalẽ? Ipsa est enim Sion quæ Hierusalẽ. Sed quid ad me? Dicant ea quæ posui de lege, & Prophetis, & Psalmis, nõ pertinere ad hæc verba Dñi, quæ in Euangelio leguntur. Non curo, nec resisto. Certè tamen nisi in lege, & Prophetis, & Psalmis hoc prædictum esset, siue in eis testimoniis, quæ ipse adhibui, siue in aliis, nequaquã dixisset Dñs, Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Ac deinde aperto eorũ sensu vt intelligerent Scripturas, doceret ea ipsa quæ de illo scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis, eo modo vt diceret, Quoniã sic scriptum est, & sic oportebat Christũ pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiã, & remissionem peccatorũ per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Non ego potuerim in lege, & Prophetis, & Psalmis hæc scripta cognoscere: ibi tamẽ hoc esse scriptũ ille dicit, qui veritas est. Sed etsi hæc ibi scripta esse nõ diceret, procũl dubio sufficeret Christianis quod Christus ipse dixisset, oportere prædicari in nomine suo pœnitentiam, & remissionẽ peccatorum per omnes gentes, incipiẽtibus ab Hierusalẽ. Sed dubitantes discipulos suos quãuis conspecto & contrectato eius corpore, maiore documento Scripturarum voluit confirmare, quàm quòd se ipse visibilẽ atque palpabilem mortaliũ sensibus admouebat. Teneamus ergo ecclesiã ex ore Dñi designatam, vnde cœptura, & quousq; peruẽtura esset; cœptura scilicet ab Hierusalẽ, & peruẽtura in omnes gentes. Hic iãquisquis dixerit, Hierusalem non illam visibilẽ ciuitatem intelligendã, sed figuratè positam, vt spiritaliter accipiatur tota ecclesia æterna in cælis, & ex parte in terris peregrina, potest dicere etiã illud figuratè dictũ, Quia oportebat Christũ pati, & resurgere tertia die. Quod quisquis dixerit, nec quòquo modo Christianus habendus est. Sicut ergo illud propriè positũ est, ita & quod adiunctũ est de omniũ gentium ecclesia incipiente ab Hierusalẽ. Exposuit enim Dñs hæc de se dicta esse in lege, & Prophetis, & Psalmis, & vtique ipsa expositio non potuit esse figurata, alioquin non esset expositio. Deinde cùm Hierusalẽ figuratè posita & spiritaliter intellecta, vniuersam ecclesiam significet, quomodo vniuersa ecclesia incipit ab vniuersa ecclesia, tanquam Hierusalem incipiat ab Hierusalẽ? Manifestum est ergo propriè positum de illa ciuitate, vnde etiã cœpisse probatur ecclesia, etiam atque etiã ipso manifestante, & nullam insidiarũ latebram calliditati hæreticæ relinquẽte. Sic enim sequitur & dicit, Et vos horũ testes, & ego mitto promissionem meã super vos. Vos aũt sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto. In qua vtiq; ciuitate sedere eos iussit quoadusque induerẽtur virtute ex alto, id est, Spiritu sancto, quem se missũrũ esse promiserat, ab ea cœpturã prædixit ecclesiã. Si autem nõ eam putant esse Hierusalẽ, audiant quod sequitur, Produxit autẽ illos vsque Bethaniã, & leuauit manus suas, & benedixit illos. Et factũ est cùm benedixisset illos, discessit ab eis; Et ipsi reuersi sunt cum gaudio magno in Hierusalem, & fuerunt semper in templo laudantes Deum. Ecce vbi ostenditur illã ciuitas, in qua eos sedere iussit, donec induerentur virtute ex alto.

Luca 24. Ioann. 14. Luca 24. Hierusalem, vnde cœpit ecclesia non, i. manifestè, sed visibiliter intelligendum esse. Luca 24. Genes. 2. Luca 24. Luca 24. Psal. 56. Psal. 107. Psal. 56. Psal. 46. Matth. 9. Psal. 49. Luca 24.

CAPVT XI. Ex Actis apostolorum.

ET hic quidẽ quot diebus cum eis fuerit, postquam se viuum post passionẽ suam oculis eorũ, & manibus eorum demonstrauit, prætermissum est: non autẽ tacetur in Actibus apostolorũ, vbi rursus eadẽ manifestatione verborũ Dominicorũ futura per orbẽ terrarum prænunciatur ecclesia: vbi nullus omnino dubitare permittatur, nisi qui de sanctarũ Scripturarũ fide dubitat, illam esse Hierusalẽ visibilem ciuitatẽ, vnde cœpit ecclesia post Dñi nostri Iesu Christi resurrectionẽ, & ascensionem: nec aliud eũ voluisse ostendere, nisi huius terræ loca, vnde illi daret initiũ, & quomodo eam per cuncta inde diffunderet. Sic enim scriptum est in Actibus apostolorũ, Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere vsque in diẽ, quo apostolos elegit per Spiritum sanctũ, mandãs eis prædicare Euangeliũ: quibus & manifestauit seipsum post passionem suã in multis signis, per dies quadraginta apparens eis, & disputans de regno Dei. Et cùm conuersaretur cum eis, præcepit eis ne discederẽt ab Hierosolymis, sed expectarent promissionem eius quam audistis, inquit, ex ore meo. Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto; quẽ & accepturi estis non post multos hos dies. At illi conuenientes interrogabant eum, dicẽtes, Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Quibus respõdens dixit

Act. 1.

xit, Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutē Spiritus sancti superuenientē in vos. Et eritis mihi testes in Hierusalē, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in totam terrā. Ecce & hîc manifestatū est vnde cœpturа, & quousque esset peruēturа ecclesia. Quid ad hæc dicunt qui Christianos se superbissimè dicūt, & Christo apertissimè contradicunt? Nos hanc ecclesiā tenemus, contra istas diuinas voces nullas humanas criminationes admittimus. Mouet enim nos plurimum, quod Dñs noster ait, cui non credere sacrilegū & impiū est, nouissimis verbis suis, quæ habuit in terra, hæc primitiuæ ecclesiæ documenta salubria & nouissima dereliquit. His enim dictis mox ascendit in cælū, præmunire voluit aures nostras aduersus eos, quos procedentibus tēporibus exurrecturos esse prædixerat, & dicturos, Ecce hîc Christus, ecce illic. Quibus ne crederemus admonuit. Nec vlla nobis excusatio est, si crediderimus contra vocē pastoris nostri, tam clarā, tam apertam, tam manifestā, vt nemo vel obtusus & tardus corde posset dicere, Non intellexi. Quis enim nō intelligat, Sic oportebat Christū pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiā, & remissionem peccatorū per omnes gentes, incipiētibus ab Hierusalem? Quis non intelligat, Eritis mihi testes in Hierusalē, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in totam terrā? His dictis, eleuatus est, & nubes suscepit eum, & viderunt eum euntē in cælum. Quid hoc est rogo? cùm verba nouissima hominis morientis audiūtur ituri ad inferos, nemo eum dicit esse mentitum, & impius iudicatur hæres, qui fortè illa contempserit. Quomodo ergo effugiemus irā Dei, si vel non credentes, vel contemnentes repulerimus verba nouissima, & vnici filij Dei, & Dñi nostri ac Saluatoris, & ituri in cælū, & inde prospecturi, quis ea negligat, quis obseruet: & inde vēturi, vt de omnibus iudicet? Habeo manifestissimā vocē pastoris mei commendantis mihi, & sine vllis ambagibus exprimētis ecclesiam, mihi imputabo si ab eius grege, quod est ipsa ecclesia, per verba hominū seduci, atque aberrare voluero, cùm me præsertim admonuerit dicens, Quæ sunt oues meæ, vocē meam audiunt, & sequuntur me. Ecce vox eius clara & aperta: hac audita qui eum non sequitur, quomodo se ouē eius dicere audebit? Nemo mihi dicat, Quid dixit Donatus, aut quid dixit Parmenianus, aut Pontius, aut quilibet illorū. Quia nec catholicis Episcopis consentiendū est, sicubi fortè falluntur, vt cōtra canonicas Dei scripturas aliquid sentiant. Sed qui custodito vnitatis & charitatis vinculo in hoc incidunt, fiet in eis quod Apostolus ait, Et si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit. Iā verò istæ diuinæ voces de vniuersa ecclesia, ita manifestæ sunt, vt contra eas nisi hæretici animosa peruersitate, & cæco furore latrare non possint. Sed prædictā demonstrauimus ecclesiam in verbo Dei sponso eius, siue per legē, & prophetas, & psalmos, siue per os propriū, ab Hierusalem cœpturam, & peruenturā vsque ad terminos orbis terræ. Quomodo autem cœperit ab Hierusalem, & in omnes gentes inde diffusa fructificet, in eodem verbo Dei etiā per apostolos demonstratur, sicut scriptū est in Actibus apostolorum, quod iam commemoraui dixisse Dñm, Eritis mihi testes in Hierusalē, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in totam terram. Deinde sequitur: Hæc cùm dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorū. Et cùm intuerentur in cælū euntem illum, ecce duo viri astiterunt illis in veste candida, qui & dixerunt, Viri Galileī quid statis aspicientes in cælū? Iste Iesus qui assumptus est à vobis in cælū, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Tunc reuersi sunt in Hierusalem à monte qui vocatur Elæon, qui est iuxta Hierosolymā sabbathi habens iter. Et cùm introissent, ascenderunt

Donatistæ solos suæ factionis homines Christianos appellabant.

Matth. 24.

Luca 24.

Act. 1.

Act. 1.

Ioann. 10.

Philip. 3.

A in superiora, vbi erant inhabitātes, Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant asseruientes vnanimes orationi cum mulieribus & Maria, quę fuit mater Iesu, & fratribus eius. In his autē diebus surgēs Petrus in medio discipulorū, dixit, Erat autē turba hominum circiter centūuiginti. Deinde narratur Petro faciente sermonē, quemadmodum Matthias in locū Iudæ traditoris Dñi surrogatus sit. Et post eius ordinationem sequitur scriptura dicens, Et cùm cōplerentur dies Pentecostes, erant omnes simul in codē loco, & factus est repēnte de cęlo sonus, velut decurrētis spiritus vehementis, & repleuit totam domū, vbi erant sedentes, & visæ sunt illis distributæ linguæ velut ignis: consedit autē super vnumquemq; eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperūt loqui variis linguis, prout Spiritus dabat pronūciare illis. Erant autē inhabitantes Hierusalē viri religiosi Iudæi, ex omni gente, quæ est sub cælo. Cúmq; facta esset hęc vox, conuenit multitudo, ac mente confusa est, quia audiebat vnusquisque eorū sua lingua loquentes eos. Stupebant autem & mirabantur ad inuicē dicentes, Nónne omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audiuimus vnusquisque propriam linguam, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam Iudæi, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ sunt ad Cyrenem, & qui aduenerant Romani, Iudæi quoque, & aduenæ Cretenses, & Arabes audiebant loquentes illos suis linguis magnalia Dei. Stupebant autem & hæsitabant adinuicem dicentes, Quídnam vult hoc esse? Alij verò irridebant eos dicentes, Quia musto pleni sunt isti. Stans verò Petrus cum vndecim discipulis, eleuauit vocem suam, & locutus est dicens: Viri Iudæi, & vniuersi qui habitatis Hierusalem, hoc vobis notum sit: & cætera quibus eos exhortabatur ad fidem. Quæ cùm terminasset, sequitur Scriptura ita narrans, His igitur auditis, compuncti sunt corde, dicentes ad Petrum & ad apostolos, Quid faciemus viri fratres? Ostendite nobis. Petrus autem dixit ad eos, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrūm in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis gratiam Spiritus sancti: vobis est enim promissio, & filiis vestris, & omnibus qui lōgè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster. Et aliis quidem verbis plurimis testificabatur eis dicens, Saluamini à generatione praua hac. Illi verò recepto verbo hoc, crediderunt, & baptizati sunt. Et adiectæ sunt in illa die animæ circiter tria milia. Ecce quemadmodum cœpta est ab Hierusalem, inde itura ecclesia per omnes linguas: quod etiam præsignatum est in eis, qui ibidem constituti accepto Spiritu sancto, linguis omnibus sunt locuti. Iam per alias gentes quemadmodum ierit, quod etiam ipse Petrus prædixerat, vbi ait, Vobis est promissio & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster: deinceps videamus. Narrantur enim consequenter ea, quæ tunc gesta sunt Hierosolymis vsque ad passionem Stephani diaconi. Vbi etiam Saulus cōmemoratur consentiens occisioni eius. Qua completa, ita deinde narratur, Facta est autem in illa die persecutio magna in ecclesia, quæ erat Hierosolymis, omnesque dispersi sunt in regionibus Iudææ, & Samariæ, exceptis apostolis, qui remanserunt Hierosolymis. Videte quemadmodum deinceps impleatur, quod per ordinem Dominus dixerat, Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in totam terram. Iam in Hierusalem factum erat, sequebatur in Iudæa, & Samaria, propter quod illi dispersi sunt in regionibus Iudęæ, & Samariæ. Hoc

Act. 2.

Act. 2.

Act. 8.

Act. 8.

enim

enim de illis mox dicitur, At illi qui dispersi erant, transeuntes per ciuitates, & castella, euangelizabant verbum Domini. Quia verò ierant & apostoli, audito quòd recepisset Samaria verbum Dei, quando per impositionem manus eorum acceperūt Spiritum sanctum, ita dicitur de Petro & Ioanne, Petrus autem & Ioannes testificati verbū Dñi, redibant Hierosolymā, multisque viris Samaritanorum euangelizabant trāseuntes. Deinde narratur de illo eunucho, qui rediens ab Hierosolymis, à Philippo baptizatus est, & de ipso Philippo dicitur, Angelus autem Domini rapuit Philippum ab eo, & amplius non vidit eum eunuchus. Ibat autem via sua gaudens: Philippus autem inuentus est venisse in Azotum. Vnde reuertens euangelizabat per omnes ciuitates vsque dum veniret in Cæsariam. Sic ergo inuenitur & per Iudæa, & per Samariæ ciuitates prædicatum Euangelium. Restabat ergo vt prædicaretur ex ordine etiam per omnes gētes, sicut Dominus dixerat, vsque in totam terram. Vocatur ergo Saulus de cælo, fit ex persecutore prædicator, & dicit de illo Dominus ad Ananiam, Vade, quoniam vas electionis est mihi, vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel magnificari. Ego enim monstrabo ei quanta patietur propter nomē meum. Iam itaque tenemus ecclesiam in Hierusalem, & per totam Iudæam, & Samariam. Vnde apertissimè paulo pòst dicitur, Ecclesiæ quidem per totam Iudæam, & Galilęam, & Samariam habebant pacē, instructæ & confirmatæ in timore Dñi, & consolatione Spiritus sancti replebantur. Deinde paucis interpositis, venitur ad eum locū, vbi Cornelius centurio credidit, & baptizatus est cum suis, qui omnes gentiles erant incircūcisi. Quod antequā fieret, Petrus vidit in assumptione mētis, cùm oraret, cælū apertum, & quatuor initiis ligatū vas quoddam tāquam linteū limpidum, in quo erat omne genus quadrupedū ac ferarū, & volucrum cæli. Et facta est vox, Petre surge, occide, & manduca. Ait autē Petrus, Dñe, nunquam manducaui omne cōmune & immundum. Et vox rursus ad eum, Quæ Deus mundauit, tu communia ne dixeris. Quòd autē per hoc visum gentes crediturę significatę sint, non est opus vt cōiiciamus: ipse quippe Apostolus hoc exponit in illa voce sibi demonstratū. Cùm enim ingressus esset domū vbi erat Cornelius, & multi conuenissent, dixit ad eos, Vos meliùs scitis quomodo abominandū sit viro Iudęo, iungi aut accedere ad alienigenam; sed mihi ostendit Deus, nullū communē aut inquinatum dicere hominē. Ita exposuit illam vocē, quā de animalibus in illo linteo demōstratis audierat, Quæ Deus mundauit, tu ne cōmunia dixeris. Iam cui non appareat, illo vase significatū orbem terrarū, cum omnibus gentibus? Vnde etiā quatuor initiis erat alligatū, propter notissimas quatuor partes, Orientē, Occidentē, Austrū, & Aquilonē, quas sępissimè Scriptura cōmendat. Iam verò Paulus missus ad gentes, quę loca circūierit disseminans verbū Dei, & natas confirmans ecclesias, longū est cōmemorare. Cui Iudęi cùm restitissent Antiochiæ, ipse & Barnabas dixerūt ad eos, Vobis oportebat primū loqui verbū Dei, sed quoniā repulistis illud, & indignos vos iudicastis vita æterna, ecce cōuertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dñs, Posui te lumē gētibus, vt sis in salutē vsq; ad extremū terræ. Et sequitur dicens, Audientes autē gentes, perceperunt verbum Dei, & crediderunt quotquot erant destinati ad vitā æternam. Ecce & hîc cōmemoratum est testimonium ex propheta Esaia, quod & nos posuimus, vt sit salus vsque ad extremum terræ.

interpretatio initiis quatuor initiis sublligati. al. illo vase

Act. 10.

Act. 13.

Esa. in 46.

Act. 13.

Vt ergo non cōmemorem gētes, quæ post apostolorū tempora crediderunt, & accesserūt ecclesiæ: illæ ipsæ solę, quas in sanctis literis, in Actibus, & Epistolis apostolorū, & in Apocalypsi Ioānis inuenimus, quas vtrique amplectimur, & quib. vtrique subdimur, dicāt

Aug. tom. 7.

isti nobis quēadmodū Aphricana seditione perierint? Has enim accepimus, non ex cōciliis contendentiū episcoporum, non ex disputationib⁹ nouitiis, non ex forensibus vel municipalibus gestis, sed ex literis sanctis canonicis. Antiochena ecclesia vbi primùm appellati sunt discipuli Christiani, quomodo potuit Aphrorum perire criminibus? Quis tā vehemēs Aphricus tam lōgè potuit ablatā spargere pestilētiam, vbi nec nominā eorū per quos ortū est, vel de quibus ortū est hoc malum, nota esse potuerūt, Athenis, Iconio, Listris? Quis deleuit ecclesias apostolico labore fundatas? In extremis epistolę ad Romanos dicit idem Apostolus doctor gentium, Audacius autē scripsi vobis ex parte, tanquā cōmemorans vos, propter gratiam quæ data est mihi à Deo, vt minister sim Christi Iesu in gentibus, consecrans Euangeliū Dei, vt fiat oblatio gentiū acceptabilis, sanctificata in spiritu sancto. Habeo ergo gloriā in Christo Iesu ad Deū. Non enim audeo quicquam eorum loqui, quorum non perfecerit Christus per me in obedientiā gentiū verbo & opere in potestate signorū & prodigiorum, in virtute spiritus sancti, ita vt ego ab Hierusalē & in circuitu vsq; in Illyricū repleuerim Euangeliū Christi. Quærite Donatistæ, si nescitis, quærite ab Hierusalē per terrena itinera in circuitu vsque in Illyricum quot mansiones sint, si tot ecclesias computemus? Dicite quemadmodū per Aphricanas contentiones perire potuerunt? Ad Corinthios, ad Ephesios, ad Philippēses, ad Thessalonicenses, ad Colossenses, vos solas Apostoli epistolas in lectione, nos autem epistolas in lectione ac fide, & ipsas ecclesias in cōmunione retinemus. Iā verò Galatia non vna ecclesia est, sed in ea regione innumerabiles. Corinthios aūt videte quemadmodum salutauerit: Paulus apostolus Iesu Christi per voluntatē Dei, & Timotheus frater, ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cū sanctis omnibus, qui sunt in vniuersa Achaia. Quot putatis esse ecclesias in vniuersa Achaia? Fortasse vbi Achaia sit, nescitis, & de tā incognita prouincia tāta cæcitate iudicatis, vt eam criminibus Aphrorū periisse dicatis. Nonne plena sunt florētissimis ecclesiis omnia loca, quę Petrus nominauit, Pōtus, Galatia, Cappadocia, Asia, Bithynia? Quid Ioannes quibus scripsit Smyrnæ, Pergami, Sardis, Tiathyræ, Philadelphiæ, Laodicię, quę sunt ecclesiæ? Iam enim Ephesum cōmemorauimus. Dicat mihi aliquis vestrū, vbi sint, quantū ab inuicē distent? Fortasse modò id quæritis vel legēdo, vel audiēdo cognoscere. Cognoscite ergo etiā quàm lōgè ab Aphrica remotæ sint, & dicite nobis, cur eas omnino vobis incognitas, & in Apostolicis literis manifestatas tam sacrilega temeritate accusetis, & tanta demētia criminibus Afrotum perisse dicatis? Postremò quid de illis in sanctis canonicis libris scriptū sit, scio, quid de illis vos dicatis, nescio. Certè sicut nos eas legim⁹ ecclesias Christi ex codicibus, quos & vos veneramini: sic & vos ex codicib⁹ quos & nos veneramur, quēadmodum perierint, legite nobis. An placet vobis, vt contra ecclesias, quæ mēbra sunt vnius ecclesiæ toto orbe diffusæ, quas nobis Spiritus sanctus per scripturas suas cōmendauit & tradidit, vndelibet prolata quælibet hominū maledicta credamus? Hoc quidē vobis placet, sed nobis non placet. Quib. autē iustius placeat, & vos videtis; sed victi animositate, non vultis vinci veritate. Ecce sunt scripturę Dei. Ecce sunt in eis ecclesię, & vniuersali totius orbis nomine, & nominatim designatæ & expressæ. quid maiores vestri collegis suis obiecerint, nescierunt; quales ea causa iudices habuerit, nescierunt; quomodo ergo perierunt? Ecce sunt scripturæ quibus credo, ecce sunt ecclesiæ, quibus communico. Vbi tibi lego nomina earū, ibi mihi lege crimina earū. Si aūt aliūde clamas vel recitas, nos post vocē pastoris nostri, per ora prophetarum, per os propriū, per ora Euāgelistarū nobis apertissimè declaratā voces vestras

Act. 11.

Act. 13.

Act. 15.

Act. 15.

*Act. 15

non admittimus, non credimus, non accipimus. Quæ A
Io. 10. sunt oues meæ, inquit pastor cælestis, vocem meam audiunt, & sequuntur me. Vox eius de ecclesia non est obscura. Quisquis ab eius grege errare non vult, hunc audiat, hunc sequatur. Fidelissimus dispensator eius doctor gentium in fide & veritate, quia ipse in eo
Gal. 1. loquebatur, hæc dicit, Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi aliqui sunt conturbantes vos, & volentes conuertere Euãgelium Christi. Sed licet si nos, aut angelus de cælo vobis euangelizauerit, præterquam quod euãgelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis vobis euãgelizauerit præterquam quod ac-
Luce 24. cepistis, anathema sit. Euangelizata est nobis ecclesia per totum orbem terrarũ futura. Hoc in lege, & pro-
Act. 1. phetis, & psalmis esse prænũciatum ipse Dominus testificatus est, qui eam cœpturam ab Hierusalem & per omnes gentes permanaturam esse prædixit, testes sibi B
futuros in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, vsque in totam terram cùm iam in cælum ascenderet, prænunciauit. Hæc verba facta secuta sunt. Quomodo cœptum sit ab Hierusalem, & deinde processum in Iudæam, & Samariam, & inde in totam terram, vbi adhuc crescit ecclesia, donec vsque in finem etiam reliquas gentes, vbi adhuc non est, obtineat, Scripturis sanctis testibus cõsequenter ostenditur: quisquis aliud
Gal. 1. euangelizauerit, anathema sit.

CAPVT XIII. Refellunturargumenta Donatistarũ pauciratem suam cõmendare cupientium.

ALIVD autem euangelizat qui periisse dicit de cætero mundo ecclesiã, & in parte Donati in sola Aphrica remãsisse dicit. Ergo anathema sit. Aut legat mihi hoc in Scripturis sanctis, & non sit anathema. *Lego*, inquit, *Nam Enoch vnus inter omnes homines placuit Deo, & trãslatus est. Postea toto mundo aquarũ inundatione deleto, solus Noe cum coniuge, & filiis, & nuribus suis in arca meruit liberari. Adiungunt etiam de Loth, quòd solus cũ*
Genes. 5. *filiabus de Sodomis liberatus sit. De ipso quoque Abraham,*
Genes. 7. Genes. 19. *Isaac, & Iacob, quòd pauci fuerint Deo placentes, cæteri idolis dediti & dæmonibus. Postremò iam multiplicato populo Israel, iam temporibus regũ in terra promissionis, quæ fuerat omnibus duodecim tribubus distributa, commemorat*
3. Reg. 11. *decem tribus diuisas, & traditas seruo Salomonis: duas autem remansisse filio Salomonis ad regnum, quod erat Hie-*
Vide hæreticam superbiã. *rusalem. Sic & nunc*, inquiunt, *totus mundus apostatauit, nos autem tanquam duæ illæ tribus in templo Dei, hoc est, in ecclesia remansimus. Dominum etiam Iesum Christum cùm plurimi discipuli sequerentur, septuaginta duobus apostatantibus, soli cum illo duodecim remanserunt.* His atque huiusmodi exemplis hæretici suam paucitatem commendare conantur, & in sanctis ecclesiæ multitudinẽ toto orbe diffusam blasphemare non cessant. Sed quero ab eis: si, quod absit, nollẽ credere vera esse ista quæ ab eis commemorantur exempla, vnde me conuincerent? Nónne de Scripturis sanctis, vbi leguntur tanta manifestatione, vt quisquis illas literas in fidem recepit, non possit nisi & ista verissima confiteri? Porrò si D
hæc exempla ideo cogerer credere vera esse, quia ibi scripta sunt vbi non possem dicere falsa esse quæ scripta sunt, cur non & ipsi de ecclesia toto orbe diffusa eisdem scripturis credunt? Ecce nos omnia illa credimus; credãt & ipsi quod ait Dominus, prædicari in nomine suo pœnitentiam, & remissionem peccatorum
Luce 24. per omes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Credant quod ascensurus in cælum nouissimè dixit, Eritis
Act. 1. mihi testes in Hierusalẽ, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in totam terram. Et illa, & ista vera esse credantur, & nulla inter nos contentio remanebit, quia nec illis veris ista, nec istis veris illa impediuntur. *Et*
O superbiã! *ista*, inquiũt, *credimus, & completa esse cõfitemur, sed postea orbis terrarum apostatauit, & sola remansit Donati communio.* Hoc nobis legant, sicut legunt de Enoch, de Noe, & de Abraham, Isaac, & Iacob, & de illis duabus tribubus, quæ decem separatis reliquæ factæ sunt, & de duodecim apostolis, qui cæteris apostatantibus remanserunt, & hoc similiter legant, & nihil resistimus. Si autem non ea de Scripturis sanctis legunt, sed suis contentionibus persuadere conantur, credo illa quæ in Scripturis sanctis legũtur, non credo ista quæ ab hæreticis vanis dicuntur. Sed quia se duabus illis tribubus, quæ cum Salomonis filio remãserunt, comparandos putant, legant, & eos hoc legisse pœnitebit. Sic enim commemorantur in Scripturis ipsi duo populi, Pars quæ erat ad Hierusalem Iuda nominatur: illa verò alia quæ cum seruo Salomonis in ampliore numero segregata est, Israel vocatur. Legant quæ dicãt Pro-
Ezech. 16. phetæ de vtrisque, quemadmodum peiorem dicãt Iudam quàm Israel, ita vt iustificatam dicant aduersatricem Israel peccatis preuaricatricis Iuda: id est, tam gratia esse peccata huius, vt in eius comparatione illa iusta dicẽda sit. Nec huius tamen, nec illius peccata obfuerunt aliquid iustis, qui & hic & illic fuisse inueniũtur. Nam & in illa parte, quam pro exemplo perditionis ponũt, id est, in Israel, fuerunt sancti prophetæ. Ibi erat ille memorabilis Helias, vt de aliis taceam, cui etiam dictum est, *Reliqui mihi septem milia virorum,*
3. Reg. 11. *qui non curuauerunt genua ante Baal.* Ideo nequaquam pars illa populi, tanquam hæresis fuisse deputãda est. Deus enim easdem tribus iusserat separari, non
Secessio Israelis à regno Iuda nequaquã schismatica fuit. vt religio, sed vt regnũ diuideretur, & hoc modo vindicaretur in regnum Iuda. Deus autem nunquam iubet schisma vel hæresim fieri. Neque enim quia & in orbe terrarum plerunque regna diuiduntur, ideo & Christiana vnitas diuiditur, cùm in vtraque parte catholica inueniatur ecclesia. Hoc ideo de Iuda & Israel commemorandum arbitratus sum, maximè vt admoneantur isti, non obesse iustis in medio impiorum constitutis, quicquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur: vt desinant colligere testimo-C
nia, quæcunque siue per prophetas, siue per os Domini, siue per Euangelistas in zizaniam, vel paleam orbis terrarum dicta inueniũtur. Plerunque enim sermo diuinus impias turbas ecclesiæ, quæ nec in ecclesia deputantur, tamen propter sacramenta, quæ cum sanctis
Quomodo intelligenda sint prophetica increpationes, quæ in totam interdum multitudinem dicuntur. communiter habent, quia in eis est quædã forma pietatis, cuius virtutem negant: sicut ait Apostolus, Habentes formam pietatis, virtutem autẽ eius abnegan-
2. Tim. 3. tes: sic redarguit tanquã omnes tales sint, & nullus bonus omnino remanserit. Inde quippe admonemur in suo quodã numero eos dici omnes, id est, omnes filios gehennæ, quò eos Deus pertinere præsciuit. Isti ergo vel imperitè, vel fallaciter agentes, colligunt de Scripturis talia, quæ vel in malos bonis vsque in finẽ permixtos, vel de vastatione prioris populi Iudæorum dicta reperiuntur: & volunt ea detorquere in ecclesiam Dei, vt tanquam defecisse ac periisse de toto orbe videatur. Desinant ergo talia proferre, si respõdere huic epistolæ volunt. Neque enim nos ita dicimus per totum orbem diffundi ecclesiam, vt in sacramentis eius solos bonos esse dicamus, ac non etiam malos, & eos etiam multo plures, vt in eorum comparatione pauci sint, cùm per seipsos ingentem numerum faciant.

CAPVT XIIII. *Malos in ecclesia bonis esse permixtos.*

HABEMVS innumerabilia testimonia, & de commixtione malorum cum bonis in eadem communione sacramenti: sicut Iudas ab initio malus inter bonos vndecim conuersatus est: & de bonorũ paucitate, propter malorum plurium comparationem, & rursus de bonorum multitudine per seipsam cõsiderata. Ex quibus, ne longum faciam, pauca cõmemoro. Est in Canticis canticorũ, quod de sancta ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Vnde appellat
Cant. 2. spinas, nisi propter malignitatem morum? Et easdem

vnde

vnde filias, nisi propter communionem sacramento-
Ezech. 9. rum? Videt etiam Ezechiel signatos quosdam, ne cum malis pariter interirent, de quibus dicitur: Qui gemũt & mœrent peccata & iniquitates populi mei, quæ fiũt in medio eorum. Populum suum non diceret, quem solis illis illæsis, perire mox iubet, nisi eum populum, qui eius sacramenta gestabat. Dicit & Dominus de su-
Matth. 13. perseminatis zizaniis, Sinite vtraque crescere vsque ad messem: id est, triticum & zizania. Et ipse interpretatur messem, finem esse sæculi, agrũ verò, vbi vtrumque seminatum est, mundum esse. Oportet itaque vsque in finem sæculi crescere vtrumque per mundum. Vnde iam non permittuntur isti suspicari, aut asserere quod dicunt omnes bonos defecisse de mundo, vt in sola parte Donati remanerent. Conantur enim contra apertissimam sententiam Domini dicentis, Ager est hic mundus: &, Sinite vtraque crescere vsque ad messem: &, Messis est finis sæculi. Est alia similitudo apertissima de cõmistione malorum & bonorum in-B
tra eandem sacramentorum communionem & connexionem, quam Dominus ipse & ponit, & exponit.
Matth. 13. Simile est, inquit, regnum cælorum sagenæ missæ in mari, quæ congregat omnia genera piscium. Cùm autem esset impleta, eduxerunt eam ad litus, & sedentes elegerunt optimos in vasa sua, malos autem foras miserunt: sic erit in consummatione sæculi. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Nulla ergo malorum commixtio terret bonos, vt propterea velint tanquam retia rumpere, & à congregatione vnitatis exire, ne homines non pertinentes ad regnum cælorum in sacramentorum consortio patiantur. Quandoquidem cùm ad litus, id est, ad finem sæculi ventum fuerit, fiet debita separatio, non humana temeritate, sed diuino iudicio. De paucitate autem bonorum ipse Dominus apertissimè dicit, In-
Matth. 7. *Boni & electi quomodo nũc pauci, nunc multi esse dicantur.* trate per angustam portam. Quoniam lata & spaciosa via quæ ducit ad interitum, & multi sunt qui pergunt per illam. Quàm angusta porta, & arcta via quæ ducit C
ad vitam, & pauci sunt qui ingrediuntur per illam. Istos paucos Donatistæ se putant esse, & ideo dicunt perisse orbem terrarum, se autem in hac paucitate, quam laudauit Dominus, remansisse. Qui quando cõparantur cum eis, longè pauciores Rogatistas, aut Maximianistas obiicimus, qui se ab eis separauerunt, si existimant sibi de paucitate esse gloriandum. Veruntamen hanc paucitatem in comparatione multitudinis malorum, esse à Domino commendatam: multitudinem autem bonorum, cùm per se ipsa consideratur, non tacuisse Scripturas, legant, & videant quàm plura testimonia reperiãtur. Vnde enim ipsum semen
Genes. 15. Abrahæ, sicut stellæ cæli, & sicut arena maris promittitur, nisi propter innumeram multitudinem? Cùm
Rom. 9. dicat Apostolus ideo dictum esse, In Isaac vocabitur D
tibi semen: quia non filij carnis, sed filij promissionis
Isaia 5. deputantur in semine? Vnde mihi filij desertæ, magis
Matth. 8. quàm eius quæ habet virum? Vnde multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum, filij autem regni ibunt in tenebras exteriores: hoc est, impij Iudæi? Vnde dicit Apostolus, Vt mũdaret nos sibi populum ab-
Tit. 2. *Populorum.* undantem, æmulatorem bonorum operum? Vnde Apocalypsis milia milium dicit esse sanctorum ecclesiæ
Apocal. 5. filiorum? Ecce ipsi dicuntur multi, qui dicũtur & pauci. Quare, nisi multi per seipsos considerati: pauci autem, in comparatione iniquorum?

CAPVT XV. Refellit alia Donatistarũ argumenta. Matth. 20.

DE *nobis*, inquiunt, *dictum est, Erunt primi qui erant nouissimi. Ad Aphricam enim postmodum Euangelium venit, & ideo nusquam literarum apostolicarum scriptum est Aphricam credidisse. De Orientalibus autem & cæteris gentibus, quæ in sanctis libris commemorãtur fidem re-*

A *cepisse Christianam dictum est, Erunt nouissimi qui erant primi, quia recessuri erant à fide.* Nónne ista est hæreticorum cauenda calliditas, volentium conuertere verba Dei à veritate, propter quam dicta sunt, ad peruersitatem, in qua ipsi sunt? Cur enim hoc non potius de Iudæis intelligimus, qui nouissimi facti sunt cùm fuissent primi; & de Christianis ex gentibus, qui primi facti sunt cùm fuissent nouissimi? Quem intellectum si aliquo certiore documento probare non possem, sufficere debuit bene iudicanti auditori, quòd inuenerim exitum in his verbis, vnde istos appareat nihil pro se attulisse tanquam certum, vt dubitari non possit: quia etsi non essent Iudæi, & Gentes, de quibus hoc dictum intelligerem; nonnullæ etiam barbaræ nationes post Aphricam crediderunt. Vnde certum sit, A-
Aphrica in credendis nouissima non fuit. phricam in ordine credẽdi non esse nouissimam. Huc accedit quod ipse Dominus de quibus hoc dixisset, exposuit, & ora calumniatorum oppilauit. Loquens
Luce 13. enim Iudæis, qui ei dicturi sunt, In plateis nostris docuisti: Cùm videritis, inquit, Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras: & venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei: & ecce sunt nouissimi qui erant primi, & sunt primi qui erant nouissimi. Hic certè quid contradicatur, non inuenitur. Item dicunt *de apostasia orbis terrarum dictum esse quod ait Dominus, Filius hominis veniens putas*
Luce 18. *inueniet fidem in terra?* Quod nos intelligimus dictum vel propter ipsam fidei perfectionem, quæ ita difficilis est in hominibus, vt in ipsis quoque admirabilibus
Exodi 20. sanctis, sicut in ipso Moyse, inueniatur aliquid, vbi tre pidauerint, vel trepidare potuerint: vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum, de qua satis diximus. Propterea enim tanquam dubitans hoc Dominus dixit. Neque enim ait, veniens filius hominis non inueniet fidem in terra: sed, putas inueniet fidem in terra? Cui vtique cuncta scienti & præsciente de aliqua re dubitare non conuenit, sed illius dubitatio nostram dubitationem figurauit: quia propter multa scandala circa finem sæculi pullulantia, hoc quoque erat quandoque infirmitas humana
Psal. 118. dictura. Vnde in Psalmis dicitur, Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Quã-
Matth. 24. re dormitauit anima mea præ tædio, nisi propter illud quod Dominus ait, Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum? Et quare, Confirma me in verbis tuis, nisi propter id quod sequitur, Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit? Sunt ergo per totum mundum, in quibus quoniam abundat iniquitas, refrigescet charitas multorum. Et sunt rursus per totum mundum qui perseue-
Matth. 13. rando vsque in finem salui erunt: quia, Sinite, inquit, crescere vtraque vsque ad messem: & messis est finis sæculi, ager autem mundus. Cuius humanæ infirmi-
Psal. 11. tatis est etiam vox illa, Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Et inter hos tamen est vnum cor, & vna in Deum anima fidelium clamans, Saluum me fac Domine. Quia enim sic vnus est iste homo qui dicit, saluum me fac Domine, vt ex multis constet: paulo pòst in eodem Psalmo dicitur, Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Et rursus post paululum plurali numero dicitur, Tu verò seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum. Qua generatione, nisi de qua superius dictum est, Defecit sanctus, & diminutæ sunt veritates à filiis hominum? Sed vtrumque hoc genus per totum mundum vsque in finem: quia finite, inquit, vtraque crescere vsque ad messem: & ager est
Christi corpus ex multis constãs quãdo homo dicitur. mũdus, messis finis sæculi. Ipse enim vnus homo, quod est corpus Christi ex multis constans, tãquam Enoch
Gen. 5. 7. 18

Deo placens transferetur, & tanquam Loth de Sodomis, & tanquam Noe de diluuio liberabitur. In ipso est miseria inopum & gemitus pauperum, quia eius anima dormitat à tędio, cùm se petit confirmari in verbis Dei. In eo autem Psalmo dicit vnde sit ipsum tædium: Tædium, inquit, detinuit me à peccatoribus relinquentibus legem tuam. Ipse item clamat, cùm eodem tædio cor eius angitur: sed videant vnde clamat, A finibus terræ, inquit, ad te clamaui, dum angeretur cor meum. Ipse persecutionem verè pro iustitia patitur, non solùm si tormentis corporalibus patiatur; hoc enim non semper; sed quod semper quamdiu transeat iniquitas, patitur cruciatus videlicet cordis, cùm eum tædium detinet à peccatoribus relinquentibus legem Dei. Neque enim nullam persecutionem Loth in Sodomis patiebatur, vbi tamen ei habitanti nullus per corporales pœnas molestus fuit, sed aspectu & auditu iustus inhabitans animam iustam iniquis aliorum factionibus cruciabat. De hoc dicit Apostolus, Sed & omnes qui volunt piè viuere in Christo, persecutionem patientur. De illis autem qui relinquunt legem Dei, de quibus dicit idem ipsum corpus Christi, Vidi insensatos, & tabescebam. Mali, inquit, & facinorosi proficient in peius, ipsi errantes, & alios in errorem mittentes. Sed vtrunque hoc genus per totum mundum vsque in finem: quia sinite, inquit, vtraque crescere vsque ad messem: ager autem est mundus, messis finis sæculi. Veruntamen istos miror non attendere quid dicant, cùm velut pro se commemorant quod ait Dominus, Filius hominis veniẽs putas inueniet fidem in terra? quasi Aphrica non sit terra. Si enim hoc ita dixit, tanquam omnino in nullis inuenturus fidem, aut de quadam terra dixit, & incertum est de qua dixerit; aut de tota terra dixit, & non inueniuntur quomodo de Aphrica non dixerit: sanè videant, ne fortè consequentibus verbis tales tetigerit quales isti sunt. Cùm enim dixisset, filius hominis putas inueniet fidem in terra: credo quia poterat quibusdam superbis hæreticis, qui in aliqua parte terrarum se ab orbis vnitate separauerunt, ascendere in cor vana & inflata cogitatio, quod ipsi essent iusti, deficientibus & pereuntibus à fide cæteris gentibus, per quas ecclesiæ communio dilatatur: continuò sequutus Euangelista, Dixit autem, inquit, ad quosdam qui sibi iusti videbantur, & spernebant cæteros, similitudinem istam. Et sequitur de illis duobus in templo orantibus, Pharisæo & publicano: in quibus duobus figuratur superba gloriatio bonorum operum, & humilis confessio peccatorum. Desinant ergo isti, si respondere huic epistolæ parant, ea testimonia commemorare, quæ nos cum ipsis commemoramus, vel in perditionem Iudæorum, vel in zizania, siue paleam, siue malos pisces totius mundi. Et sicut nos manifestissimis testimoniis asseruimus ecclesiam toto orbe diffusam, sic & ipsi manifestum aliquid proferant, vnde ostendant esse prædictum cæteris gentibus à fide Christi pereuntibus, solam Aphricam remansuram, & quocunque episcopi ex Aphrica mitterentur.

Psal. 118. — Genes. 19. — 2. Petri 2. — 2. Timoth. 3. — Psal. 118. — Matth. 13. — Luca 18. — Ibidem.

CAPVT XVI. Rursus alia detrimenta refellit. Cantic. 1.

SCRIPTVM *est*, inquiunt, *in Canticis Canticorum, sponsa, id est, ecclesia dicente ad sponsum, Annuncia mihi quem dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie?* Hoc est vnicum testimonium quod pro se isti resonare arbitrantur, eo quòd Aphrica in meridiana orbis parte sit constituta. Vnde primùm quæro, quomodo Christum interrogat ecclesia, vt annunciet ei vbi sit ecclesia; neque enim duæ, sed vna est? Aut isti ostendant, quoniam non negant hæc verba ecclesiam Christo dicere, quæ sit ecclesia quæ interrogat, & quæ sit ecclesia de qua interrogat. Quærit enim quò veniat ad sponsum suum, & dicit ei, Annuncia mihi quem dilexit anima mea, vbi pascis, vbi cubas in meridie? Adhuc enim ista ecclesia est quæ loquitur & quærit, vbi sit ecclesia in meridie. Neque enim interrogat vbi pascis, vbi cubas, & ei respondetur in meridie: tanquam sponsus respondeat, in meridie pasco, in meridie cubo: sed omnia ista verba ad interrogationem pertinẽt, vbi pascis, vbi cubas in meridie? Adhuc enim ipsa dicit, Ne fortè fiam sicut operta super greges sodalium tuorum. Iam verò ille respondet, Nisi cognoueris te-metipsam, ô decora inter mulieres, & cæt. Non ergo his verbis ostenditur, in sola parte meridiana esse ecclesiam, sed in aliis mundi partibus constituta, interrogat fortasse quid ad eius communionem pertineat in meridie, id est, vbi sponsus eius pascat & cubet in meridie; quia suos pascit, & in suis cubat. Veniunt enim quædam membra eius, id est, boni fideles ex partibus transmarinis in Aphricam, & cùm audierint hîc esse partem Donati, timentes ne incidant in manus alicuius rebaptizatoris, inuocant Christum orantes & dicentes, Annuncia mihi quem dilexit anima mea; vbi B pascis, vbi cubas in meridie? id est, qui sint meridies vbi tu pascis, & vbi cubas, id est, qui habent charitatẽ, & non diuidunt vnitatem. Et vide quid adiungat, Ne fortè fiam velut operta super greges sodalium tuorũ: id est, velut latens & incognita & non reuelata. Hoc est enim operta fiam, non super gregem tuum, sed super greges sodalium tuorum, qui cùm primo tecum essent, extra colligere voluerunt non tuũ gregem, sed suos greges; nec audierunt te dicentem, Qui mecum non colligit, spargit: nec quod Petro dixisti, Pasce oues meas, non tuas. Non est autem ista operta, quia non est sub modio, sed super cãdelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Et de illa dictũ est, Non potest ciuitas abscondi super montem cõstituta. Sed Donatistis velut operta est, qui audiunt tam lucida & manifesta testimonia, quæ illam toto orbe demonstrant; & malunt clausis oculis offendere in montem, quàm in eum ascendere; qui cùm esset lapis præcisus de monte sine manibus, creuit, & factus est mons ingens, & impleuit vniuersam terram. Potest & alio modo intelligi, vbi pascis, vbi cubas in meridie. Ipsius enim vox est in Psalmis ex persona Moysi famuli Dei, Dexterã tuam notam fac mihi, & eruditos corde in sapientia. In illis enim meridies dicitur, propter ingentẽ sapientiæ lucem, & ingentẽ charitatis ardorem. Vnde quendam cùm exhortaretur Spiritus Dei ad bona opera per Prophetam, hoc illi etiam promittit, Et tenebræ tuæ sicut meridies erunt. Sed si aliquis mundi locus intelligendus esset, quod dictum est in meridie, tamẽ ipsa verba, sicut dixi, quæ omnia vnam faciunt interrogationem, nullo modo permitterent quenquam ad suum sensum istam detorquere sententiam. Et si tanquam quærenti vbi pasceret, & vbi cubaret, de terreno loco responderetur, in meridie: non continuò Aphricam accipere deberemus. Aphrica enim in parte quidem meridiana mundi est, sed ad Aphricum, non ad Austrum, vbi verè meridies est. Ibi enim sol facit medium diem, sub qua cæli plaga potius Ægyptus inuenitur. Si ergo sponsus ab sponsa tanquam de loco familiarius dilecto, & cubili quodam suo secreto interrogatus, responderet esse in meridie; multo probabilius ecclesia catholica in his membris suis hoc agnosceret, quæ sunt in Ægypto in milibus seruorum Dei, qui per eremum sancta societate viuũt, perfectionem præcepti Euangelici studentes tenere, quo dictum est, Vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere me. Quãto enim melius ibi secretius pascere, & cubare, id est, requiescere filius Dei dici potest, quàm in turbis inquietis furiosorum Circũcellionum, quod malum Aphricæ proprium est. Nam de Ægypto ita Esaias prophetat, Illo die erit altare Domini in regione Ægyptiorum, & titulus ad fines eorum Domino, A & erit in signum in æternũ Domino in regione Ægyptiorum. Quoniam clamabunt ad Dominum aduersus eos, qui eis pressuram faciebant, & mittet eis Dominus hominem, qui saluos eos faciet, iudicãs seruabit eos. Et cognitus erit Dominus Ægyptiis. Et timebunt Ægyptij Dominum illo die, & facient sacrificia, & vota promittent Domino, & reddent. Et feriet Dominus Ægyptios plaga, & sanabit eos sua misericordia, & conuerterentur ad Dominum, & exaudiet eos, & sanabit eos. Quid ad hæc dicunt? Quare non communicant ecclesiæ, quæ prædicta est, Ægyptiorũ? Aut si præfiguratione prophetica Ægyptus mundũ significat, quare non communicãt ecclesiæ orbis terrarum? Proinde perscrutentur Scripturas, & contra tam multa testimonia, quibus ostenditur ecclesia Christi toto orbe terrarum diffundi; vel vnum proferant tam certum & tam manifestum quàm illa sunt, quo demonstrent ecclesiam Christi perisse de cæteris gentibus, & B in sola Aphrica remansisse, tãquam ab alio initio, non ab Hierusalem, sed à Carthagine, vbi primò Episcopum contra Episcopum leuauerunt. Si autem voluerimus intelligere Donatum principem Tyri, quia Tyrus Carthago cognominata est, quæ in eum per Ezechielem prophetantur, vbi eũ maximè designat, quod ei dicitur, Ostendam tibi quia homo es, & non Deus. Isti enim de huius magis quàm de Dei nomine gloriantur. Et cùm solus Deus sine peccato sit, & sacerdos ille qui interpellat pro nobis, quia & de ipso dictum est, Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula: isti Donati imitatores ita sine peccato se volunt videri, vt etiam iustificatores hominum se asserant, & suũ oleum, quod non sit oleum peccatoris. Meritò dicitur principi Tyri, Dixisti, Deus sum: es autem homo, non Deus. Cui etiam dicitur, Nunquid tu melior quàm Daniel? Confitetur enim Daniel peccata sua, & pec- C cata populi sui. Isti autem pertinentes ad principẽ Tyri, ideo se dicunt orantes audiri pro peccatis populi, quia ipsi sine peccato sunt. Meritò dicitur principi Tyri, Nunquid tu melior quàm Daniel? Ecce nos possumus inuenire aliquid proprium, & hoc malum maximum à capite Aphricæ, id est, Carthagine exortum. Norunt enim homines quàm congruenter Tyrus pro Carthagine accipitur, & tamen non agimus talibus. Fortassis enim aliquid aliud significet Tyrus; quanto magis meridies, cùm & ipsa verba ad alium cogant intellectum? Sed quamuis non permittãtur saltem quærere aliquid quo probent esse prædictum, deficiẽtibus à fide Christiana cæteris gentibus, in sola Aphrica ecclesiam remansuram: attendant illud quod sæpe commemoraui, Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & agrum esse mundum, messem finem sæculi, non nobis, sed ipso Domino interpretante parabolam suam. Est aliud euidentissimum, quod eis omnino auferat laborem quærendi vnde probent, ecclesiã mundo per- D dito ad solos Aphros redactam. Potest enim aliquid esse, & non inueniri, non esse autẽ, & inueniri non potest. Desinant ergo quærere quod inuenire non poterunt; non quia occultum est, sed quia non est. Sunt enim adhuc nonnullæ gentes, in quibus nondũ est Euangelium prædicatum, necesse est autẽ impleri omnia, quæ de Christo & ecclesia prædicta sunt. Oportet ergo & in eis prædicari. Quod cùm impletum fuerit, tunc erit finis.

Meridies in Scripturis quid significet. — Esaiæ 58. — Aphrica stim. — Monachis in Aegypti eremo sancta societate viuentes. — Matth. 19. — Studiis omnimoda paupertatis ad Euangelicam perfectionem pertinet. — Esaiæ 19.

CAPVT XVII. Luca 24.

QVOMODO ergo isti dicunt iam esse completum quod Dominus ait: prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem: sed postea cæteris deficientibus, solam Christo Aphricam remansisse, cùm adhuc illud implendum sit, nondum impletum? Cùm autem impletum fuerit, veniet finis. Sic enim Dominus ait: Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Quomodo ergo cùm adimpleta esset fides omnium gentium, tunc perditio gentium, excepta Aphrica, consecuta est? Quandoquidem ipsa fides omnium gentium nondum impleta est. Nisi fortè hoc restat hominum insaniæ, vt dicant non ex illis ecclesiis, quæ fundatæ sunt per apostolorum labores, adimpleri prædicationem Euangelij in omnibus gentibus, sed illis pereuntibus, earum reparationem ex Aphrica futuram per partem Donati, & residuarũ gentium acquisitionem. Puto quòd ipsi etiam rideãt cùm hoc audiũt, & tamen nisi hoc dicant, quod erubescũt si dicant, non habent omnino quod dicãt. Sed quid ad nos? Nemini inuidemus, legant nobis hoc de Scripturis sanctis, & credimus. Hoc, inquam, nobis ex canone diuinorum librorum legant, tot ciuitates, quæ vsque ad hodiernum diem baptismũ per apostolos sibi con- B signatum tenuerunt, propter Aphrorum sibi incognita crimina perisse à fide Christi, & denuò baptizandos esse à parte Donati, atque inde cæteris gentibus, quæ nondum audierunt, prædicandum Euangelium. Hoc nobis legant. Quid morantur? Quid tergiuersantur? Quid impediunt salutem gentium? Legant hoc, & cum ipsa lectione nouos apostolos mittant ad tot gentes rebaptizandas, & residuas baptizandas. Sed planè videant, cùm ad Colossenses venerint, quomodo ibi vel legant, vel audiant ad eos epistolam datam, vbi eis dicit Apostolus: Gratias agimus Deo patri Domini nostri Iesu Christi, semper pro vobis deprecantes, audientes fidem vestram in Christo Iesu, & dilectionem quam habetis in omnes sanctos propter spem, quę reposita est vobis in cælis, quam antè audistis in verbo veritatis Euangelij, quod peruenit in vos, sicut in omni mundo est fructificans & crescens, sicut & in vobis ex qua die audistis & cognouistis gratiam Dei in veritate. Hæc enim verba conueniunt cum Euangelio, vbi dictum est, Simile est regnum cælorum homini seminanti bonum semen in agro suo. Postea exponitur, ager esse hic mundus. Sicut enim hîc, ex quo seminatum est, crescere prædictũ est vsque ad messem, ita & Apostolus dicit: In omni mundo fructificans & crescens, sicut & in vobis ex qua die audistis. Crescit autem vsque ad finem, quia vsque ad messem. Messis enim est finis sæculi. Dicent ergo non solùm Colossenses, ad quos data est, sed etiam cæteri omnes, apud quos legitur hæc epistola, vbi per apostolicas literas constat bonum semen esse seminatũ, etiam tunc crescere & fructificare cœpisse. Quid nobis affertis noui? Nunquid iterum seminandum est bonũ semen, quando ex quo seminatum est, crescit vsque ad messem? Si dicitis perisse in illis locis quod erat per apostolos seminatum, & ideo esse rursus ex Aphrica seminãdum, respondetur: Legite nobis hoc ex diuinis oraculis, quod profectò legere non potestis, nisi prius ostenderitis falsum esse quod scriptum est, semen illic antè seminatum crescere vsque ad messem. Et quia nullo pacto sibi diuina eloquia contradicunt, nullo modo in eis inuenietis, quod contra hoc tam manifestum recitare possitis. Restat ergo vt non ex diuinis libris, sed ex vobis ista dicatis. Proinde dignissimè respondebitur, anathema sitis. Tenent enim ecclesiæ apostolico labore fundatæ cum quãta cura sibi prædictum sit: Si quis vobis euangelizauerit præterquam quod accepistis, anathema sit.

Matth. 28. — Matth. 18. — Ioannis 21. — Ecclesia non est operta & inuisibilis. — Matth. 5. — Psal. 89. — Daniel. 2. — Matth. 13. — Colos. 1. — Gal. 1.

CAPVT XVIII. QVONIAM igitur in Scripturis sanctis ecclesia manifestè cognoscit, incipiens ab Hierusalem, & per alias gentes crescens, donec omnes occupet vsque ad finem sæculi, non autem sola frumenta, sed & purgamenta eius commemorantur: prius correcti communicate frumentis, & tunc videbitis quid in eis zizania,

Imitatus est Optatũ lib. 3 — Ezech. 28. — Psal. 140. — Dan. 9. — Matth. 13.

nia, vel paleam dicere debeatis: alioquin & malos bo-
A bis nunquam probastis, aduersus paleam nostram ta-
norum laudibus exornare, & bonos malorum crimi-
lia documenta gereretis, nos autem aduersus vos tan-
nibus accusare detestando errore cogimini. Nempe
ta ista, quæ cõmemoraui, non haberemus: etiã sic ni-
in manibus documenta gestamus, quibus probemus
hil frumentis nostris toto orbe diffusis omnino preiu-
maiores vestros, quorum schisma sectamini, & muni-
dicaret quicquid in eorum paleã quamuis verissimũ,
cipalibus gestis sanctos libros ignibus tradidisse, & ec-
quamuis manifestissimum, quamuis probatissimum
clesiasticis negare non potuisse, eosdemque inter iu-
diceretis. Proinde remoueãtur omnes moratoriæ ter-
dices fuisse illos, qui apud Carthaginem contra Cæci-
giuersationes. Quicquid de peccatis hominum fal-
lianum, & collegas eius absentes sententias contule-
sum obiicitur, conueniatur cõscientia, & non obiicia-
runt. Nempe iidem leguntur gestis & municipalibus
tur. Quicquid de peccatis hominum etiam verũ obii-
& ecclesiasticis traditores, qui postea proferũtur à vo-
citur, & vel probari non potest, vel cùm debuit pro-
bis tanquam traditorum absentium damnatores. Nẽ-
bari, non potuit; non obiiciatur. Quicquid de pecca-
pe Nundinarius illius temporis diaconus vester, apud
tis hominum & verum & probatum obiicitur, nec ta-
Zenophilum cõsularem omnes Lucillę nundinas pa-
men ad frumenta, quæ inter paleã latent, sed ad ipsam
tefecit, quæ damnationem Cæciliani emit ab episco-
paleam, quæ in fine separabitur, pertinet, non obiicia-
pis; qui ei factus fuerat inimicus, verum prædicans.
tur. Hæc enim & nos multo copiosius & probabilius
Nempe ipsi postea literas ad Imperatorem Constan-
obiicere possumus, non ea inanitate qua illi, vt in eis
tinum dederunt, datisque ab eo, sicut petiuerant,, disc-
causam nostram constituamus, sed vt eis ostendamus,
ceptatoribus episcopis non consenserunt, eosdemque
B non ideo nos nolle talibus fidere, quia non inuenimus
postmodum apud illum tanquam iniquos iudices ac-
talia quæ dicamus, sed ne tempus rebus necessariis vti-
cusauerũt, & ab aliis sibi ad Arelatum datis, ad ipsum
le, in rebus nõ necessariis cõteramus. Quod propterea
Imperatorem appellauerunt, eodemque inter partes
illi faciunt, quia robusta & firma veritate subnixa do-
audiente, calumniatores inuẽti atque damnati, in ea-
cumenta, quibus causam suam tueãtur, inuenire non
dem furoris pertinacia permanserunt. Nempe vosipsi
possunt, & volunt videri aliquid dicere, dum tacere e-
qui propterea dicitis Christianam sanctitatem de tot
rubescunt, & inania loqui non erubescunt. Remotis
gentibus, in quibus apostoli eam fundatissimam reli-
ergo omnibus talibus, ecclesiam suam demonstrent,
queruut, penitus esse deletam, quia communicauerũt
si possunt, non in sermonibus & rumoribus Aphrorũ,
eis, quos vestri maiores septuaginta episcoporum con
non in conciliis episcoporum suorum, non in literis
cilio Carthaginensi damnauerant. Nónne illis, quos
quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis
trecenti decem Vagaiensi concilio cum Maximiano
fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini præ-
damnastis, modò communicatis? Nónne Prætextatus
parati & cauti redditi sumus: sed in præscripto Legis,
Assuritanus & in ipso concilio damnatus legitur, &
in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in
gestis proconsularibus à vobis accusatus & oppugna-
ipsius pastoris vocibus, in Euangelistarum prædicatio-
tus: & tamen in quo damnatus erat, honore susceptus,
nibus & laboribus; hoc est, in omnibus canonicis san-
& in vestra communione defunctus est? Nónne Feli-
ctorum librorum authoritatibus. Nec ita, vt ea colli-
cianus Mustitanus eodem modo in eadem causa, eo-
gant & commemorent, quæ obscurè vel ambiguè
C vel figuratè dicta sunt, quæ quisque sicut voluerit, in-
dem concilio damnatus ab episcopis, accusatus apud
terpretetur secũdum sensum suum. Talia enim rectè
iudices, postea receptus à vobis, nunc vobiscum epi-
intelligi exponique non possunt, nisi prius ea, quæ a-
scopus viuit? Nónne illi, qui ab istis damnatis baptiza-
pertissimè dicta sunt, firma fide teneantur. Quisquis
ti sunt, in eodem baptismo vobis modò cõmunicant?
ergo huic epistolæ respondere se præparat, †ante de-
Sed videlicet tot ecclesiæ transmarinæ apostolico la-
nunciatione mihi dicat, Illi codices Dominicos igni- for. ante denuncio, ne mihi
bore fundatæ, si communicauerint sacramenta cum
bus tradiderunt, illi simulachris gentium sacrificaue-
eis, quos nec apud se accusatos ipsi damnauerũt, & ab
runt, illi nobis iniquissimam persecutionem fecerũt,
aliis postea purgatos & absolutos audierunt, amittunt
& vos eis in omnibus consensistis. Breuiter enim re-
salutem religionemque Christianam: pars autem Do-
spondeo quod sæpe respondi, aut falsa dicitis, aut si ve-
nati & damnat quos voluerit, & in ipsa damnatione sa-
ra sunt, non ad frumenta Christi, sed ad eorum paleã
crilegia schismatis eorum sic exaggerat, vt illis, quos
pertinent ista quæ dicitis. Non inde perit ecclesia, quę
viuos terra sorbuit, comparare non dubitet, & eis rur-
vltimo iudicio ventilata, istorum omnium separatio- Matth. 7.
sus cùm voluerit, in eodem honore susceptis commu-
ne purgabitur. Ego ipsam ecclesiam requiro, vbi sit,
nicat, & sancta atque integra perseuerat. O regula iu-
quæ audiendo verba Christi, & faciendo ædificat su-
ris Numidici, ô priuilegia Vagaitana. Et baptismus
per petram; & audiendo & faciendo tolerat eos, qui
Christi exufflatur in eis, qui eum in ecclesiis apostoli-
audiendo & non faciendo ædificant super arenam. V- Matt. 18.
cis acceperunt, in eis autem quos damnati sacrilegi,
bi sit triticũ quod inter zizania crescit vsque ad mes-
sicut in Vagaitano concilio scriptum est, Prætextatus
sem; non quid fecerint vel faciant ipsa zizania. Vbi sit Cantic. 2.
& Felicianus baptizauerunt, parcitur baptismo Chri-
D proxima Christi in medio filiarum malarum, sicut li-
sti: non quia baptismus Christi est, sed quia per eos da-
lium in medio spinarum; non quid fecerint vel faciãt
tus est, qui à suis damnatoribus episcopis recedere, &
ipsæ spinæ. Vbi sint pisces boni, qui donec ad litus per- Matth. 13.
ad suos damnatores episcopi redire meruerũt. Nem-
ueniant, tolerant pisces malos pariter irretitos; non
pe hæc omnia, quæ iam diu commemoro, regalibus li-
quid fecerint vel faciant ipsi pisces mali.
teris, & ecclesiasticis, & municipalibus, & proconsula-
OMISSIS ergo istis morarum tendiculis, osten- CAPVT XIX.
ribus gestis facta recitamus: tamen ô Donatistæ, si vos
dat ecclesiam vel in sola Aphrica, perditis tot genti-
teneretis ecclesiam toto orbe diffusam, quæ manifes-
bus, retinendam, vel ex Aphrica in omnibus gentibus
tissimis canonicarum scripturarum testimoniis desig-
reparandam atque adimplendam: & sic ostendat, vt
nata & expressa est, nihil aduersum vos omnia ista
non dicat, verum est, quia hoc ego dico, aut quia hoc
valere deberent: quia neque vobis paleæ crimina præ-
dixit ille collega meus, aut illi collegæ mei, aut illi e-
iudicarent, si vos in ea triticum essetis; nec si vos esse-
piscopi, vel clerici, vel laici nostri: aut ideo verum est,
tis palea, & vestra essent crimina, tritico Dominicæ
quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius,
segetis aliquid preiudicaretis, quod ita in agro Domi-
vel quilibet alius; aut quia homines ad memorias mor-
ni seminatum est, vt crescat vsque ad messem: id est,
tuorum nostrorum orant, & exaudiuntur; aut quia il-
quod ita in mundo seminatum est, vt crescat vsque in
la & illa ibi contingunt; aut quia ille frater noster, aut
finem sæculi. Eo ergo modo si forte, quod adhuc no-

Donatistica historia capita.

Num. 16.

illa soror nostra tale visum vigilans vidit, vel tale vi-
sum dormiens somniauit. Remoueãtur ista vel figmẽ-
ta mendacium hominum, vel portenta fallacium spi-
rituum: aut enim non sunt vera quæ dicuntur; aut si
hæreticorum aliqua mira facta sunt, magis cauere de-
bemus: quod cùm dixisset Dominus quosdam futu-
ros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo etiam e-
lectos, si fieri posset, fallerent, adiecit vehementer cõ-
Matth. 24. mendans & ait, Ecce prædixi vobis. Vnde & Aposto-
1. Tim. 4. lus admonens, Spiritus, inquit, manifestè dicit, quia in
nouissimis temporibus recedent quidam à fide, inten-
dentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmonio-
rum. Porrò si aliquis in hæreticorum memoriis orans
exauditur, non pro merito loci, sed pro merito deside-
rij sui recipit siue malum, siue bonum. Spiritus enim
Domini, sicut scriptum est, repleuit orbem terrarum.
Sap. 1. Et: Auris zeli audit omnia. Et: Multi Deo irato exau-
Multi Deo irato exauditur, multi propitio non exauditur. diuntur. De qualibus dicit Apostolus, Tradidit illos
Rom. 1. Deus in concupiscẽtias cordis illorum. Et multis pro-
2. Cor. 12. B pitius Deus non tribuit quod volũt, vt quod vtile est,
tribuat. Vnde idẽ Apostolus ait de stimulo carnis suæ,
angelo Satanæ, quem sibi datum dicit, à quo colaphi-
zaretur, ne magnitudine reuelationum extolleretur.
Propter quod ter Dominum rogaui, vt auferret eum
à me. Et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam vir-
tus in infirmitate perficitur. Nónne legimus ab ipso
Domino Deo nonnullos exauditos in excelsis mon-
tium Iudęæ, quæ tamen excelsa ita displicebant Deo,
vt reges qui ea non euerterent, culparentur, & qui e-
Magis valet petentis affectus, quàm petitionis locus. uerterent, laudarentur? Vnde intelligitur magis vale-
re petentis affectum, quàm petitionis locum. De visis
autem fallacibus legant quæ scripta sunt, & quia ipse
2. Cor. 11. satanas transfigurat se tanquam angelum lucis, & quia
Eccl. 34. multos seduxerunt somnia sua: audiãt etiam quæ nar-
rant Pagani de templis & diis suis mirabiliter vel facta
Psal. 95. vel visa, & tamen dij gentium dæmonia, Dominus au
tem cælos fecit. Exaudiuntur ergo multi & multis mo
Etiam pagani & hæretici interdum exauditur. dis, non solùm Christiani catholici, sed & Pagani, &
Iudæi hęretici, variis erroribus & superstitionibus de-
diti. Exaudiũtur autem vel ab spiritibus seductoribus,
D qui tamen nihil faciunt, nisi permittantur Deo sublimi-
ter atque ineffabiliter iudicante quid cuique tribuen-
dum sit: vel ab ipso Deo, vel ad pœnam malitiæ, vel
ad solatium miseriæ, vel ad monitionem quærendæ
salutis æternæ. Ad ipsam verò salutem ac vitam æ-
Colos. 1. ternam nemo peruenit, nisi qui habet caput Christũ.
Christum caput habere non potest, nisi qui in eius corpore, hoc est, ecclesia fuerit. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui
in eius corpore fuerit, quod est ecclesia, quam sicut
ipsum caput in scripturis sanctis canonicis debemus
agnoscere, non in variis hominum rumoribus & opi-
nionibus, & factis, & dictis, & visis inquirere. Nemo
mihi hæc opponat qui mihi respondere paratus est:
quia nec ego dico ideo mihi esse credendum, commu
nionem Donati non esse ecclesiam Christi, quia qui-
D dam qui apud eos episcopi fuerunt, diuina instrumen
ta ignibus tradidisse, gestis ecclesiasticis, & municipa-
libus, & iudicialibus conuincũtur: aut quia in iudicio
episcoporum, quod ab Imperatore petiuerãt, causam
suam non obtinuerunt: aut quia prouocãtes ad ipsum
Imperatorem, etiam ab ipso contrariam sibi senten-
tiam meruerũt: aut quia tales sunt apud eos Circumi-
cellionum principes, aut quia tanta mala committũt
Circumcelliones, aut quia sunt apud eos qui se per ab-
rupta præcipitent, vel concremandos ignibus inferãt,
quos ipsi sibimet accenderunt: aut trucidationem suã
etiam inuitis hominibus terrendo extorqueant, & tot
spontaneas & furiosas mortes, vt colantur ab homini-
bus, appetant: aut quòd ad eorum sepulchra ebriosi
greges vagorum & vagarum permixta nequitia die
noctuque se vino sepeliant, flagitiisque corrumpant.
Sit ista omnis turba palea eorum, nec frumentis præ-
A iudicet si ipsi ecclesiam tenent. Sed vtrum ipsi eccle-
siam teneant, non nisi de diuinarum scripturarum ca
nonicis libris ostendant: quia nec nos propterea dici-
mus nobis credi oportere quòd in ecclesia Christi sũ-
mus, quia ipsam quam tenemus, cõmendauit Mile-
uitanus Optatus, vel Mediolanensis Ambrosius, vel
alij innumerabiles nostræ communionis episcopi, aut
quia nostrorum collegarum conciliis ipsa prædicata
est, aut quia per totum orbem in locis sanctis, quæ
frequentat nostra communio, tanta mirabilia vel ex-
auditionum, vel sanitatum fiunt, ita vt latentia per tot
annos †corpora martyrum, quod possunt à multis in- Gerualsii & Prothasii hæc fuere, de quibus plina lib. 22. De ciuitate Dei, cap. 8. & lib. 9. Confess. cap. 7. Apud Ambrosium quoque epistola 85. & sermõ 91.
terrogantes audire, Ambrosio fuerint reuelata, & ad
ipsa corpora cæcus multorum annorum ciuitati Me-
diolanensi notissimus oculus lumenque receperit:
aut quia ille somnium vidit, & ille spiritu assumptus
audiuit, siue ne iniret in partem Donati, siue vt rece-
deret à parte Donati. Quæcunque talia in catholica
fiunt, ideo sunt approbanda, quia in catholica fiunt;
B non ideo ipsa manifestatur catholica, quia hæc in ea
fiunt. Ipse Dominus Iesus cùm resurrexisset à mor-
tuis, & discipulorum oculis videndum, manibusque
tangendum corpus suum offerret, ne quid tamen fal- Miraculorum visus quatenus valeat. Lucæ 24.
laciæ se pati arbitrarentur, magis eos testimoniis legis
& prophetarum & Psalmorum confirmandos esse iu-
dicauit, ostendens ea de se impleta, quæ fuerant tan-
to antè prædicta. Sic & ecclesiam suam commenda-
uit dicens, prædicari in nomine suo pœnitentiam, &
remissionem peccatorum per omnes gentes, incipien-
tibus ab Hierusalem. Hoc in lege, & prophetis, & psal
mis esse scriptum ipse testatus est, hoc eius ore com-
mendatum tenemus. Hæc sunt causæ nostræ docu-
menta, hæc fundamenta, hæc firmamenta. Legimus
in Actibus apostolorum dictum de quibusdam cre- Act. 17.
dentibus, quòd quotidie scrutarentur Scripturas, an
hæc ita se haberent. Quas vtique scripturas, nisi ca-
nonicas legis, & prophetarum? Huc accesserunt Eu-
angelia, Apostolicæ epistolæ, Actus apostolorum, A-
pocalypsis Ioannis. Scrutamini hæc omnia, & eruite
C aliquid manifestum, quo demonstretis ecclesiam vel
in sola Aphrica remansisse, vel ex Aphrica futuram
esse, vt impleatur quod Dominus dicit: Prædicabi- Matth. 24.
tur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testi-
monium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Sed
aliquid proferte quod non egeat interprete, nec vn-
de conuincamini, quod de alia re dictum sit, & vos il-
lud ad vestrum sensum detorquere conemini. Vide-
tis enim nunc illud vnicum quod proferre consue- Cant. 1.
stis, Vbi pascis, vbi cubas in meridie; quemadmo-
dum excussis omnibus eiusdem loci verbis, longè a-
liud indicat quàm vos putatis. Et si hoc sonaret quod
vultis, Maximianistæ vos in eo vincerent. Magis e-
nim meridies Prouincia, Byzacium, Tripolis, vbi il-
li sunt quicunque sunt, quàm Numidia, vbi vos præ-
D polletis. Ita ergo ipsi germaniùs & distinctiùs possunt
de meridie gloriari, vt eos excludere ab hac sententia
non possitis, nisi in illis verbis verum sensum & catho-
licum teneatis, ostendentes eis secundum quatuor
angulos orbis terrarum ab Austro magis quàm ab A-
frico esse meridiem: secundum figuratas autem Scri-
pturarum locutiones, perfectam mentis illuminatio-
nem, feruoremque maximum charitatis, vocari me-
ridiem. Vnde scriptum est, Et tenebræ tuæ tanquam Esaiæ 58.
meridies erunt. Aliquid ergo proferte quod non con-
tra vos veriùs interpretetur, sed quod interprete o-
mnino non egeat. Sicut non eget interprete, In semi- Genes. 22.
ne tuo benedicẽtur omnes, quia semen Abrahæ Chri
stum, non ego, sed Apostolus interpretatur. Sicut non Gal. 3.
eget interprete, Tu enim vocaberis voluntas mea, & Esaiæ 62.
terra tua orbis terrarum; quia ei dicitur, quam nemo
Christianus, nisi ecclesiam Christi intelligit. Sicut non

Psal.21. eget interprete, Commemorabuntur & cõuertentur A ad Dominum vniuersi fines terræ, Et adorabunt in cõspectu eius vniuersæ patriæ gentium, quoniam ipsius est regnum, & ipse dominabitur gentium: quia in eo psalmo dicitur, vbi passio Domini etiam teste Euãgelio declaratur. Sicut non eget interprete, Quia oportebat Christum pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalẽ. Sicut non eget interprete, Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa, & Samaria, & vsque in totã terram. Cœpisse enim ecclesiam ab Hierusalem, atq; inde isse circum Iudæam, & Samariam, & cæteras gẽtes, consequentia gesta testãtur canonicis firmata documentis. Sicut non eget interprete, Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimoniũ omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Interrogatus enim Dominus de fine huius sæculi, cùm quædam initia parturitionum dixisset, ait, Sed nondum statim finis. Finem autem futurum prędixit post prædicationẽ Euangelij in vniuerso orbe in omnibus gẽtibus. Sicut non eget interprete, Sinite vtraque crescere vsque ad messem: quia cùm egeret interprete, ipse Dñs interpretatus est, & ipse exposuit, cui nemo cõtradicere potest, maximè in ea parabola, quæ ab illo prolata est: & ipse ait, bonum semen esse filios regni, agrum mundũ, messem finem sęculi. Tale aliquid proferte vel vnum, quo apertissimè Aphrica declaretur, vel in reliquis sola derelicta, vel ad principium renouandi, & implendi orbis sola seruata. Neque enim tot testimoniis eom mẽdaretur quod erat citò periturum: & sic taceretur, aut quod solum esset relinquendum, aut ex quo solo totum esset reparandum, & implendum. Si autem nõ potestis quod tam iustè à vobis flagitamus, ostendere, credite veritati, cõticescite, obdormiscite, à furore expergiscimini in salutem. An adhuc dicitis, *Si apud vos est ecclesia, vt quid nos ad eius pacem persequendo compellitis? aut si mali sumus, quid nos quæritis? Et si zizania sumus, sinite nos crescere vsque ad messem:* quasi nos quibus modis possumus, aliud agamus, nisi ne triticum simul eradicetur, dum ante tempus zizania separãtur. Quicunque enim boni in æternum futuri sunt, etsi ad tẽpus mali sunt, non zizania, sed triticũ sunt in præscientia Dei. Sic autem nos accusatis, quare vos quæramus si mali estis: quasi nõ eo perieritis quo mali estis; & ideo sitis quærendi, quia peristis, vt perditi quæramini, quæsiti inueniamini, inuẽti reuocemini, sicut illa ouis à pastore, sicut illa drachma à muliere, sicut ille filius, qui mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Ille vos enim quęrit qui in sanctis habitat, & imperat vt quæramini.

Matth.24. Matth.13. Vetus hæreticorum vox. Zizania quædam in Dei præscientia triticum. Luca 15.

CAPVT XX. De persecutione. Psal.110.

DE persecutione autem vestra querela sedabitur, si cogitetis, & intelligatis prius, non omnem persecutionem esse culpabilem, alioquin non laudabiliter diceretur, Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Nam quotidie videmus & filium de patre tãquam de persecutore suo conqueri, & coniugẽ de marito, & seruum de domino, & colonum de possessore, & reum de iudice, & militem vel prouincialem de duce & rege; cùm illi plerunque ordinatissima potestate sibi homines subditos per terrores leuiorum pœnarũ à grauioribus malis prohibeant atque compescãt; plerunque autem à bona vita, & à bonis factis minãdo & sæuiendo deterreant: sed cùm à malo & illicito prohibent, correctores & consultores sunt; cùm autem à bono & licito, persecutores & oppressores sunt. Culpantur etiam qui prohibent à malo, si modum peccati modus coercitionis excedat. Item iure culpandi sunt, qui turbidè atque inordinatè in eos coercendos insiliunt, qui nulla sibi lege subiecti sunt. Proinde Circumcellionum vestrorum inordinatas licentias & superbas insanias iustè reprehẽdimus, etiã eum aliquibus pessimis violẽti sunt: quia illicita illicitè vindicare, & ab illicitis illicitè deterrere, non est bonum. Cùm verò & innocentes vel causa incognita, vel iniquissimis inimicitiis persequuntur, quis eorum latrocinia non perhorrescit? At verò quòd Maximianistarũ furorem legibus publicis coercendum putastis, vt eos per iussa iudicum & executionem Officiorum, & auxilia ciuitatũ pulsos de Basilicis quas tenebant, ad considerationem sui sceleris argueretis, non reprehendimus; nisi quia hoc in eis infectati estis quod ipsi fecistis, imò multo leuius quàm fecistis. Illi enim aduersus partem Donati, vos autem aduersus orbem terrarum, & aduersus eius verba, qui ecclesiam suam incipientẽ ab Hierusalem per omnes gentes commẽdauit, sacrilegæ dissensionis altare erexistis. Portò si Maximianistæ iussionibus iudicum aduersum se impetratis illicitè & furiosè resistere auderent, nónne ipsi sibi iudiciũ acquiererent? dicente Apostolo: Qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistũt, ipsi sibi iudicium acquirunt. Principes enim non sunt timori bono operi, sed malo. Cùm ergo eorum malum opus existeret, quod vos per ordinatas potestates cohibere conabamini, si vellent illi pro ipso malo opere suo peiore opere legibus aduersari, nũquid à vobis & non à seipsis quicquid eis mali accideret, paterentur? Quemadmodum quicũque voluisset dicere blasphemiam in Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, & secundum edictum regis cum domo sua disperderetur, nũquid hoc ab istis tribus viris, quib. de igne liberatis rex cõmotus illud edixerat, aut verò etiã ab ipso rege, ac non potius à seipsis illa digna mala paterẽtur? Si etiam quadraginta illi Iudæi, qui Paulum interficere cõiurauerant, in armatos, à quibus ordinata tuitione idẽ Paulus deducebatur, irruissent, nũquid eos Paulus ac non seipsi potestatibus resistendo peremissent? Quapropter & vos sine tumultu animi, sine turbulenta cõtentione, sine amaritudine odiorum considerate diligenter ea quæ contra vos reges nostræ communionis constituunt, qua causa patiamini. Et si vos in ecclesia Christi esse inueneritis, gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cælis. Vos enim tanquam martyres coronamini, illi autem tanquã persecutores martyrum iudicantur. Si autem vos cõtra ecclesiam Christi altare erexisse, & à Christiana vnitate, quæ toto orbe diffunditur, sacrilego schismate separatos esse, & corpori Christi, quod est ecclesia toto orbe diffusa, & rebaptizando, & blasphemando, & quantum potestis oppugnando aduersari sancta & canonica scriptura conuincit, vos impij atque sacrilegi; illi autem qui vos pro tanto scelere tam leniter damnorum admonitionibus vel locorum, vel honorũ, vel pecuniæ priuatione deterrendos coercendosque decernunt, vt cogitantes quare ista patiamini, sacrilegium vestrum cognitũ fugiatis, & ab æterna damnatione liberemini; & rectores diligentissimi, & consultores piissimi deputantur. Hanc vobis dilectionem debent Christiani catholici Imperatores, vt sacrilegia vestra & propter Christianã mansuetudinem, non pro merito punienda decernãt; & propter Christianam solicitudinẽ non omnino impunita dimittant. Hoc in eis Deus operatur, cuius misericordiam etiam in his molestiis, de quibus conquerimini, non vultis agnoscere. Nos autem quantum in nobis est, quantum Dominus donat atque permittit, nec ipsas leges lenissimę coercitionis aduersus vos mouemus, nisi vt ecclesia catholica propter infirmorum fragilitatem, vt eis liceat sine timore eligere quid teneant vel sequantur, à vestris terroribus libera præstetur: vt si aliquid vestri in nostros violẽter fecerint, tũc vos quoque tanquam obsides in fundis, & in ciuitatibus habemus, non qualia vestri faciunt, patiamini, sed per

Psal.21. Luca 24. Act.1. Matth.24. Luca 24. Roman.13. Matth.13. 2.Tim.2. Dan.3. Act.23. Matth.5. Matth.18. Genes 16. Psal 68. Ioannis 2. Correctio quæ, & quatenus licita.

per ordinata iudicia subiecti legibus damno pecuniario vapuletis. Quod si vobis graue videtur, vestri nobis parcant, & quiescant. Si autẽ in nos non quiescendo illi sæuiunt, qui vel sub vobis, vel vobiscum sunt; quod de nobis conqueramini non habetis: qui in vestra, vel vestrorum potestate posuimus, vt etiam sectãtes hæresim vestram, nulla damna patiamini; si nullas catholica, siue à vobis, siue à vestris violentias patiatur. Quòd si aliquæ factæ fuerint, vobis inuitis & compescere non valentibus; misericorditer ipsis damnis & iustè admonemini, quales habeatis à quibus vos contaminari non putatis; atque hinc intelligere cõgimini, quàm inanes calumnias ecclesiæ Christi totõ orbe diffusæ faciatis. Neque iam nobis obiiciatis, quòd persequimur vos; sed vestris potius, si & nos suis violentiis infestari, & vos publicis legibus malunt conteri, quàm se à solito furore sedari. Si quid sanè à nostris Christianæ charitatis modum votumque non custodiẽtibus, odiosè & perniciosè patimini, non esse illos nostros citò dixerim; sed aut futuros, si se correxerint; aut in fine separandos, si in malitia perdurarint: nos tamen nec propter pisces malos retia rumpimus, nec propter vasa in contumeliam facta domum magnam deserimus. Quòd si vos quoque illos, à quibus talia catholica patitur, non esse vestros eadem regula dicitis, probate animum vestrum, corrigite errorem, amplectimini vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Nam si nec vos illi contaminant, nec nos isti, non nobis inuicem alienis criminibus calumniemur: in vna charitate frumẽta crescamus simul, vsque ad ventilabrum paleam toleremus. Quamobrem si nullo interprete indigent Canonicarum scripturarum testimonia, quæ commendant ecclesiam in totius orbis communione consistere; & separationi vestræ in Aphrica constituræ, ex eisdem libris nulla talia potestis inuenire suffragia, nec iustè de persecutionibus cõquerimini, quas grauiores ipsa perpetitur, quo latius diffunditur; fide, ac spe, & charitate omnia tolerat, non tantùm talia, qualia vestri Circũcelliones, & eorum similes vbi possunt membris eius infligunt, sed omnia variarum iniquitatũ scandala per vniuersum mundũ scatentia, de quibus Dominus exclamauit, Væ mundo ab scandalis. Grauiùs enim persequitur filius patrem malè viuendo, quàm pater filiũ castigando. Et grauiùs ancilla Saram persecuta est per iniquam superbiam, quàm eam Sara per debitam disciplinam. Et grauiùs Dominum persequebãtur, propter quos dictum est, Zelus domus tuæ comedit me; quàm eos ipse cùm eorum mensas euertit, & eos flagello de templo expulit.

CAPVT XXI.

QVID habetis amplius quod dicatis? An illud vltimum vestrum iam placet, in medium proferamus? *Ecce*, inquiunt, *vos tenetis ecclesiam. Quomodo nos suscipitis si ad vos transire voluerimus?* Breuiter respondeo, Sic vos suscipimus quomodo suscipit ecclesia, quam in sanctis libris canonicis inuenimus. Deposita quippe animositate contradicendi, qua tumẽt omnes, qui veritate Dei vinci nolunt, & sua peruersitate vincuntur, facilè potestis intelligere, & in bonis esse & in malis sacramenta diuina, sed in illis ad salutem, in malis ad damnationem. Et cùm tantum distet inter eos qui hæc dignè indignéque tractauerint, ipsa tamen eadem sunt, illis ad præmium valẽtia, illis ad iudicium. Quapropter quando plures quàm Ioannes Dominus baptizabat, sicut in Euangelio scriptum est, vbi subiecit Euangelista: Quamuis ipse non baptizabat, sed discipuli eius; cùm tãtum distaret inter Petrum & Iudam, nihil tamẽ distabat inter baptismum, qui dabatur per Petrum, & qui dabatur per Iudam. Illud enim quod per eos labatur, vnum erat, cùm ipsi non essent vnũ. Et illud Christi erat; illorum autem, vnus ad membra Christi, alter ad partem diaboli pertinebat. Cùm verò Ioannes Baptista & Paulus apostolus vnũ essent, quià vterque sponsi amicus erat, tamen quia non erat vnus baptismus qui dabatur à Ioanne, & qui dabatur à Paulo, iussit Paulus Christi baptismo baptizari eos, qui baptismo Ioannis fuerãt baptizati. Itaque ille baptismus Ioannis dictus est, qui autem per Paulum datus est, nõ est dictus baptismus Pauli, sed iussit eos, inquit, baptizari in Christo. Ecce vnum sunt Ioannes & Paulus, & non vnum dant. Ecce non sunt vnum Petrus & Iudas, & vnum dant. At verò Petrus & Paulus & vnum sunt, & vnum dant. Abraham & Cornelius ex fide iustificati vnũm sunt, & non vnum sacramẽtum acceperunt. Idemq; Cornelius & Simon magus non sunt vnum, & vnum sacramentum acceperũt. At verò Cornelius, & ille spado, quẽ Philippus in itinere baptizauit, & vnum sunt, & vnum sacramẽtum acceperunt. Cum ergo vnum est sacramentum, nec diuersi datores, nec diuersi perceptores faciũt, vt non sit vnum quod vnum est. Isti autem cùm volunt hominum esse quod Christi est, res falsissimas & absurdissimas persuadere conantur, vt propè tot sint baptismi, quot homines per quos dãtur. Itaque illud quod Dominus ait de homine, & opere hominis, Arbor bona bonos fructus facit, arbor mala fructus malos facit, isti ad hoc detorquere conantur, vt à bono baptizatus bonus sit, & à malo baptizatus malus sit. Vnde sequitur, eos etiam si nolint, vt à meliore baptizatus melior sit, & ab inferiore baptizatus inferior sit. Ex quo fit, vt illi quos ante Domini passionem non ipse Iesus baptizabat, sed discipuli eius multo sanctiùs nascerentur, si ab ipso baptizarentur. Quis enim vel cogitare possit, quantum intererat inter ipsum, & discipulos eius à quibus baptizabãtur? Ergo inuidit eis sanctiorem generationem, quos à discipulis suis sese hic cõstituto maluit baptizari? Quod vtique quisquis credit, insanus est. Quid ergo Dominus eo ipso demonstrare dignatus est, nisi suum esse quod daretur, per quemlibet daretur, & se baptizare, de quo amicus ille sponsi dixerat, Hic est qui baptizat, per cuiuslibet manus ministri baptizaretur qui credidisset in eum? Dicit etiã Paulus, Gratias Deo, quòd neminem vestrũm baptizaui, nisi Crispum & Caium, ne quis dicat quòd in nomine meo baptizaui. Et iste ergo credatur inuidisse hominibus meliorem sanctificationem, si quanto melior erat, tanto meliùs poterãt baptizari, qui ab illo baptizarentur: imò verò ad hoc ipsum vigilauit cautissimi & fidelissimi dispensatoris intentio, ne quisquam ideo sanctiùs se baptizãtũ putaret, quòd à ministro sanctiore baptizaretur, & quod Domini erat, seruo tribueret. Cùm igitur boni & mali dent, & accipiant baptismi sacramentum, nec regenerati spiritaliter in corpus & membra Christi coædificẽtur nisi boni, profectò in bonis est illa ecclesia, cui dicitur, Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. In his est enim qui ędificãt super petram, id est, qui audiunt verba Christi, & faciũt: quia & Petro cõfitenti se Christum filium Dei, sic ait, Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meã. Non est ergo in eis qui ædificãt super arenam, id est, qui audiũt verba Christi, & non faciũt. Ipse enim dixit, Qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ędificat domum suam super petram. Et ibidem paulo pòst, Qui audit, inquit, verba mea hæc, & non facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificat domum suam super arenam. Qui ergo compage charitatis incorporati sunt ędificio super petram constituto, & lilio inter spinas candenti, ipsi vtiq; possidebunt regnum Dei. Qui autem super arenam ædificant, vel in spinis deputãtur, quis dubitauerit, quòd regnũ Dei non possidebunt? Nihil vtique prodest talibus baptismi sacramentum, nec tamen propter eorum instabile fundamentum, sterilemque malitiam etiam sacramento,

Matth.13. 2.Tim.2. Ioannis 4. Baptismus discipulorum Christi ante passionem eius, Christi fuit baptismus. Act.19. Act.8. Matth.16. Matth.7. Ioannis 1. 1.Cor.1. Cant.2. Matth.16.

mento quod habent, ulla iniuria facienda est.

CAPVT XXII. PROINDE in loco illo ex epistola Pauli apostoli, quam scripsit ad Galatas, sine studio contentionis aduertite, quàm rectè fiat, vt hæreticum corrigentes errorem, si sacramentum hoc habent quod habere debuerunt, illud accipiãt quod eis deerat, non improbetur & blasphemetur quod inerat, Manifesta, inquit, Gal. 5. sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contẽtiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidię, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Omnes itaq; isti nõ sunt in lilio, nec super petram, inter hos autem & hæretici positi sunt. Cur ergo vos, vt omittã cætera, nõ baptizatis post ebriosos, luxuriosos, inuidos, qui regnũ Dei non possidebunt, & ideo in petra non sunt? & quia in petra non sunt, proculdubio in ecclesia non deputantur, quia super hanc petram, inquit, ędificabo ecclesiam meam: & vos vultis vt baptizemus post hæreticos, qui inter easdem spinas regnum Dei non possessuras enumerati sunt, & quibus similiter sacramenta insunt, quando eadem sunt, sed non prosunt, quia cùm illa recta sint, ipsi peruersi sunt. Hęc sine pertinacia considerantes atque cogitantes, facilè potestis intelligere, id in quoquo corrigendum esse quod prauum est, quod autem rectum est, approbãdum: & hoc dandum esse quod deerit, quod autẽ inerit, agnoscendum. Veniens itaque hæreticus vt catholicus fiat, errorem corrigat proprium, non Christi violet sacramẽtum. Accipiat vinculum pacis quod non habebat, sine quo illi prodesse nõ poterat baptisma quod habebat. Vtrumque enim necessarium est ad regnum Dei adipiscendum, & baptismus, & iustitia. Et in contemptore quidem baptismi Christi non potest esse iustitia: baptismus autem & in eo qui iustitiam nõ habet, potest esse, sed non potest prodesse. Sicut enim veritas dixit, Ioannis 3. Si quis non renatus fuerit ex aqua & spiritu, nõ intrabit in regnum cælorum: ita eadem veritas dixit, Nisi abundauerit iustitia vestra super scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum: vt non baptismus solus, sed etiam iustitia perducat ad regnum. Cui autem vel vtrũque, vel vnum defuerit, illuc peruenire non possit. Quapropter cùm dicatur hęreticis: Iustitia vobis deest, quam sine charitate ac vinculo pacis habere nullus potest: cúmque & ipsi fateantur multos baptismum habere, & iustitiam non habere, & si non fateantur, eos conuincat Scriptura diuina: miror quomodo putent, cùm eos habentes non suum, sed Christi baptismum, iterũ nolumus baptizare, ita nos agere, ac si eis iam nihil deesse iudicemus: & quia baptismus eis in catholica non datur, quem habere inueniuntur, nihil se illic accipere arbitrantur, vbi hoc accipiunt, sine quo illud quod habent, eis ad perniciẽ valeat, non ad salutem. Quod si nolũt intelligere, sufficit nobis, quòd eam tenemus ecclesiam, quæ manifestissimis sanctarum & canonicarũ scripturarum testimoniis demonstratur. Dicat mihi nunc hæreticus: Quomodo me suscipis? Citò respondeo: Sicut suscipit ecclesia, cui Christus prohibet testimonium. Nunquid tu meliùs potes nosse quomodo suscipiendus sis, quàm Saluator noster medicus vulneris tui? Hîc fortè dicis: Lege ergo mihi quemadmodum Christus suscipi iusserit eos, qui ab hæreticis transire ad ecclesiã volunt. Hoc apertè atque euidẽter, nec ego lego, nec tu. Si enim hæreticus esset Ioannes, & in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizaret, post cuius baptismum iussit Paulus homines baptizari, tu obtineres quod dicis, ita vt contrà quid dicerem, non haberem. Rursus si Petrus in nomine Patris & Filij & Spiritus Ioann. 13. sancti ab hæreticis baptizatus fuisset, cui Dñs ait, Qui lotus est semel, non habet necessitatem iterum lauandi: ego obtinerem quod dico, ita vt tu contrà quid diceres, non haberes. Nunc verò cùm in Scripturis non inueniamus aliquos ad ecclesiam transisse ab hæreticis, & sicut ego dico, aut sicut tu dicis, esse susceptos, puto si aliquis sapiẽs extitisset, cui Dñs Iesus Christus testimonium perhibet, & de hac quæstione cõsuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere quod ille dixisset, ne non tam ipsi quàm Domino Iesu Christo, cuius testimonio commendabatur, repugnare iudicaremur. Perhibet autẽ testimonium Christus ecclesiæ suæ. Ecce Euangelium, lege vbi ait: Oportebat Christũ pati, & resurgere tertia die, & prædicari Luca 24. in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalẽ, Quomodo ergo suscipit ista ecclesia per omnes gentes incipientibus ab Hierusalẽ, remotis omnibus ambagib⁹ & tergiuersationibus, sic suscipiẽdus es. Quod si non vis, non mihi, aut cuiquã hominum, qui vult ita suscipere, sed ipsi Saluatori cõtra salutem tuam perniciosissimè reluctaris, qui te sic suscipiendum esse non vis credere, quemadmodũ suscipit illa ecclesia, quam testimonio suo commendat ille, cui fateris nefarium esse non credere.

Hæretici quomodo in ecclesiam recipiendi.

AT *enim dixit Hieremias: Facta est mihi vt aqua mendax, non habens fidem.* CAPVT XXIII. Hier. 15. Non de hac aqua dixit, quam putas. Lege diligẽter. Ipsam enim hominum mendaciũ multitudinem dixit aquam mendacem, more prophetico, sicut figuratè loqui solent, sicut in Apocalypsi, populos aquarum nomine nouimus appellatos. Nam sic Apoc. 17. *Aquæ figurate quid significẽt.* ait Hieremias: Vt quid qui contristant me, præualent? Plaga mea valida est, vnde sanabor? Facta est mihi vt aqua mendax non habens fidem. Plagam suam sibi dixit factam vt aquam mẽdacem: eandem verò plagam suam eos appellauit qui se contristabant. Quod enim ait, qui contristant me: hoc dixit postea, plaga mea: & quod suprà dixit, preuałẽt: hoc postea dixit, valida est. Prou. 5. Sic & illic facitis vbi scriptum est: Ab aqua aliena abstine te, & de fonte alieno ne biberis. Putatis enim de baptismo dictum, qui est apud hæreticos, vt ideo sit aqua aliena, quia hæretici regnũ Dei non possidebunt: quasi non ita sit & apud ebriosos, & apud inuidos, & cæteros huiusmodi, de quibus pariter dictum est: Regnum Dei non possidebunt: & tamen in omnibus talibus, si secundum Euangelium baptizati sunt, Christi est baptismus, non ipsorum. Vnde aqua illa non est aliena, cùm ipsi alieni sint, quibus dicturus est: Non noui vos. Cur non ergo potius intelligam aquam alienã & fontem alienum, doctrinã esse maligni spiritus, qua decipiuntur, & sẽducuntur alienati à Deo per ignorãtiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum: hoc expressiùs commendante Apostolo: Spiritus autẽ 1. Tim. 4. manifestè dicit, quia in nouissimis tẽporibus recedent quidam à fide; attendentes spiritibus seductoribus, & doctrinis dæmoniorum? Hæc est aqua aliena & fons alienus. Si enim aqua in bono intelligitur & Spiritus sanctus, cur non aqua in malo intelligatur & spiritus malignus? Non enim semper vbi aquam nominat Scriptura, hoc visibile baptismi sacramentum vult intelligi; sed aliquando ipsum, aliquãdo aliud. Iam enim hoc visibili baptismo etiam alios discipuli Domini baptizauerant, antequam veniret ad eos secundũ eius promissionem Spiritus sanctus. De quo tamen idem Iesus dicit: Si quis sitit, veniat & bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina aquæ viuę fluent de ventre eius. Et sequitur Euãgelista, & exponit vnde sit dictũ: Hoc autem, inquit, dicebat de spiritu, quem accepturi erant ij, qui in eum erant credituri. Spiritus enim nondum erat datus, quia Iesus nondũ fuerat clarificatus. Ecce aquã dicit spiritum, qui nõdum erat datus, cùm iam aqua illa baptismi multis fuisset data. Vnde & illud,

1. Cor. 6. Gal. 5.

Aqua aliena & fons alienus. Matth. 7.

Ioann. 7.

Prou. 5. lud, quod similiter non intelligitis, quod scriptum est: Bibe aquã de tuis vasis, & de puteorũ tuorũ fontibus, & fons aquæ tuæ sit tibi proprius, & nemo alienus cõmunicet tibi, & non superfluant tibi aquæ foras, & in plateis tuis discurrant aquæ tuæ. Non visibilem baptismum quem possunt habere & alieni, id est, qui regnũ Dei non possidebunt, sed hoc donum commendat Spiritus sancti, quod proprium est eorum tantum, qui regnabunt cum Christo in æternum. Quoniam charitas Dei, sicut dicit Apostolus, diffusa est in cordi- Rom. 5. bus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ipsa enim latitudo cordis, quam charitas facit, vnde illam diffusam dicit, & vnde ad Corinthios ita loquitur: Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nos- 2. Cor. 6. trum dilatatum est: platearum nomine significata est. Quod ergo apertè audimus: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint; hoc figuratè 2. Ioan. 4. audimus: Ab aqua aliena abstinete, & de fonte alieno ne biberitis. Et quod apertè audimus: Charitas Dei Rom. 5. diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis: hoc figuratè audimus, Fons aquæ tuæ sit tibi proprius, & nemo alienus communicet tibi. Multa enim munera Dei possunt habere & alieni, nõ solùm ista communia cum lapidibus & arboribus, sicuti est esse & vigere: nec solùm communia cum pecoribus, sicuti spirare, sentire: sed etiam maiora iam hominum propria, sicut est ratio, locutio, artes vtiles innumerabiles, & alia multa. Ipsa etiam quæ domui Dei data sunt, nonnulla ex eis habent alieni, id est, nõ Matth. 25. possessuri regnum Dei, quibus in fine dicetur: Nõ noui vos, etiam cum dixerint, in nomine tuo prophetauimus & virtutes multas fecimus: quia etsi habeam, 2. Cor. 13. inquit prophetiam, & sciam omnia sacramenta & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Hoc est ergo donum Spiritus sancti propriũ sanctorum, vnde nemo cõmunicat alienus. Hoc deest omnibus malignis & gehennæ filiis, etiam si Christi baptismo baptizentur, Sicut Simon fuerat baptizatus. C Hoc deest etiam hæreticis. Hoc accipiunt cùm correcti veniunt & vnitatis vinculum synceriter amplectũtur. Quod si non acciperent, etiam habẽtes baptismũ Christi, nõ erant possessuri regnum Christi, quia non introierant ad fontem illum proprium aquarum discurrentium in plateis sanctorum, & foras non excurrentium, quo fonte charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Desinite itaque illa testimonia commemorare, quæ aut non intelligitis, aut pro nobis cõtra vos esse intelligitis. Quod si ambiguè posita, & pro nobis, & pro vobis possent interpretari, nihil vtique adiuuarent causam vestram: quia & nos si talibus vti vellemus, innumerabilibus vteremur, quæ causam nostram nihil similiter adiuuarent. Sed planè talia malam causam vel moras faciendo sustentant.

CAPVT XXIIII. ECCE, inquiunt, *de corpore Domini aqua profluxit.* Et quid te hoc adiuuat ô hæretice? *Multum*, inquit. *Baptisma enim significat nõ esse, nisi in corpore Domini, id est, in ecclesia.* Melius diceres de corpore Dñi, hoc est, de ecclesia; etiã si iam constet, quod adhuc fortè diligentiùs requirendũ est, aqua illa baptismũ esse significatũ. Nã & nos baptismum quem habetis, de corpore Dñi esse dicimus, hoc est, de ecclesia, quamuis in ea ipsi non sitis, sicut omnes qui non ædificant super petrã, sed super arenam. Quare tamen non attendis aquam illam, qua baptismũ significatum dicis, non tãtùm in corpore Dñi fuisse, sed etiam de corpore eius foras exisse, & hoc per vulnus persecutoris? Neq; enim & hęretici & omnes mali secũ foras sacramẽta traxissent, si vnitatis integritatẽ in corpore Dñi custodissent. Sed etiã hoc videtis quàm profundum sit, & quãta mysterij altitudine occultum. Iam sufficiat: Desinite talibus agere. Omnia quæ huiusmodi protuleritis, aut pro nobis sunt, aut vt multum causæ nostræ minuam, incertum est pro quib. sint. Sed libẽter in opertis immoraminí, *Hæretici libẽter in operatis & obscuris immoramur.* ne fateri aperta cogamini. Ecce ecclesia, rogo quid patimini? Ecce ecclesia tot manifestissimis sanctarũ Scripturarum testimoniis cõmendata & expressa, prędicta & demõstrata: Sicut audiuimus, ita & vidimus. Quid tergiuersaris quomodo suscipiaris? Cur detrectas sic suscipi quomodo illa suscipit, cui testimoniũ perhibet qui mentiri non potuit? Doce Scripturas canonicas apertè dixisse, baptizandũ esse in ecclesia catholica, qui apud hæreticos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti fuerit baptizatus. Quòd si hoc docere non potes, illud doce: huic communioni tuæ, id est, parti Donati, vbi hoc didicisti, apertum aliquod & manifestum testimonium à Scripturis canonicis perhiberi: & fareor ad te esse transeũdum, nec aliter esse suscipiendos hę- B reticos, quàm sicut suscipit ecclesia, in qua es, quia tali testimonio declarata est. Quid æstuas? quid perturbaris? Non inuenis in Scripturis canonicis, quod à te iustissimè exigimus? Nã quod dicere soletis: Vbi pascis, Cantic. vbi cubas in meridie: vides quale sit, & quàm pro te non sit. Noli ergo talia quærere, quia & si in partibus Aquilonis esset pars Donati, quæ contrariæ sunt partibus Meridianis, diceret de se esse dictũ: Montes Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni. Nam vtique ciuitas regis magni non est nisi ecclesia, & hoc potius indubitanter sonat ecclesiam, quàm illud: Vbi pascis, vbi cubas in meridie. Sed fortasse illo testimonio Marcion hæreticus vteretur, qui dicitur Ponticus fuisse, quæ partes ad Aquilonem sunt. Rursus si in occidente esset pars Donati, diceret de se esse dictum: Iter fa- Psal. 77. cite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen est illi. Fortassis enim sublimius esse diceret, ascendit super occasum: quàm cubat in meridie. Hæc mystica sunt, operta sunt, figurata sunt, aliquid manifestum quod interprete non egeat, à vobis flagitamus. Ego itaque sic te suscipio, quemadmodum suscipit semen Genes. 22. Abrahæ, in quo benedicuntur omnes gentes. Hoc fortè obscurum esset, nisi Paulus aperuisset semen Abrahæ quod est Christus. Sic te suscipio, quemadmodum Gal. 3. suscipit illa sterilis, cuius multi filij magis quàm eius quæ habet virum. Quod obscurum esset, nisi Paulus dixisset, ipsam esse ecclesiam matrem nostram, cui di- Gal. 4. ctũ est; Dominus qui eruit te, ipse Deus vniuersæ ter- Esaiæ 54. ræ vocabitur: cui dictum est, Terra tua orbis terrarũ. Psal. 62. Sicut suscipit regina illa, de qua in Psalmis dicitur: A- Psal. 44. stitit regina à dextris tuis: & cui dicitur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Postremò ne multa commemorem: Sic te suscipio, sicut suscipit ecclesia per omnes gẽtes incipiens ab Hierusalem, & in tota Iudæa & Samaria, & vsque ad totam terram. Ille enim te suscipit, qui hoc de illa dixit, qui in talibus eam verbis ne quis- D quam de illa dubitaret ostendit. Sic te suscipio quemadmodum suscipit triticum seminatum in agro, quod cum zizaniis crescit vsque ad messem. Hi sunt enim fi- Matth. 13. lij regni, ager autem est mundus, messis est finis sęculi: Dominus exposuit, Euangelium est, verba Dñi sunt, manifesta sunt. Possem tibi dicere, sic te suscipio, quẽadmodum & vos suscepistis quos Prætextatus & Felicianus à vobis damnati, extra vestram cõmunionem baptizauerunt. Cui rei quid contradicas, omnino non habes. Sed hoc potius dicam, quod & aduersus ipsos Maximianistas inuictissimè valeat, qui vos in duobus præcipuè testimoniis, quibus imperitissimè, tamen ꝛc berrimè vti soletis, omnino vicerunt, & de paucitate, & de meridie. Hoc ergo dicam quod vos omnes tanquam pariter contra nos insurgatis, extinguat. Sic vos suscipimus si corrigi vultis, quẽadmodum suscipit ecclesia

clesia, quam Dominus Iesus dixit ab Hierusalem cœpturam, & in Actibus apostolorum legimus inde cœpisse: & per omnes gentes ituram, & in Actibus apostolorum legimus per multas isse antequam veniret in Aphricam, & per omnes gentes ituram antequam
Matth. 24. veniat finis, quia ipse Dominus ait: Prædicabitur hoc Euangelium in omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Ecce purgamenta eius, Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Ecce frumenta eius. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Vbi hîc Aphrica nominata est in parte Donati? Ecce iterum frumenta eius: Vt scias, inquit A-
1. Timot. 3. postolus, quemadmodum te oporteat in domo Dei conuersari, quæ est ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Et sine dubio magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, & iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assum-
1 Timot. 4. ptum est in gloria. Ecce purgamenta eius: Spiritus autem, inquit, manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, attendentes spiritibus seductoribus, doctrinisque dæmoniorum, &c. Vbi hîc Aphrica in parte Donati nominata est, vt in ea remanserit columna & firmamentum veritatis, aut pietatis sacramentum, de quo vsque in finem ita cucurrit, vt diceret: Prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria? Quid ergo pluribus teneam? Qui respondere cogitat huic epistolæ, scrutetur Scripturas: & aut manifestum de Aphrica, vel in qua sola, vel ex qua sola est pars Donati, proferat testimonium: quod ideo proferre non potest, quia illis tam manifestis, quæ à nobis prolata sunt, repugnare Scriptura non potest: aut si suarum suspicionum vel criminationum, vel calumniarum sectatores credulos quærit, & vult traducere in aliud Euangelium quod non est aliud, atque annunciare nobis præterquam quod accepimus, & si angelus de cælo esset,
Gal. 1. anathema esset: quoniam & diabolus qui propterea de cælo cecidit, quia in veritate nõ stetit, si anathema fuisset homini, quando ei præterquam quod à Domino Deo acceperat, annunciauit, primi parentes carnis nostræ, nec in pœnam mortis incidissent, nec de loco felicitatis exiissent.

CAPVT XXV. Conclusio libri in Donatistarum perculi narratione, & fidelium consolatione consistens.

QVA PROPTER vos charissimi, quibus hanc epistolam scribo, præceptum pastoris qui animam suam posuit pro ouibus suis, & nunc glorificatus & exaltatus sedet ad dextram Dei patris, corde fidelissimo & firmissimo retinete dicentis: Quæ sunt oues meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me. Audistis eius vocem manifestissimam, non solùm per Legem, & Prophetas, & Psalmos, sed etiam per os proprium commendantis ecclesiam suam futuram. Et ea quæ prædixit quemadmodum ex ordine consecuta sint, in Actibus & literis apostolorum, quæ diuinarum Scripturarum canonem complent, legendo perspicitis. Non est obscura quæstio in qua vos fallant, quos ipse
Matth. 24. Dominus prædixit futuros atque dicturos: Ecce hîc est Christus, ecce illic, ecce in deserto, quasi vbi non est frequentia multitudinis: ecce in cubiculis, quasi in secretis traditionibus atque doctrinis. Habetis ecclesiam vbique diffundi, & crescere vsque ad messem. Habetis ciuitatem, de qua ipse qui eam condi-
Matth. 5. dit, ait: Non potest ciuitas abscondi super montem constituta. Ipsa est ergo quæ non in aliqua parte terrarum, sed vbique notissima est. Hæc temporales aliquando etiam in suis frumentis patitur tempestates, vt in quibusdam locis non cognoscantur, sed tamen etiam illic latent. Neque enim falli potest diuina sententia, quoniam crescunt vsque ad messem. Itaque & in aliis gentibus sæpe nonnulla membra ecclesiæ præualentibus hæresum & schismatum seditionibus, A pressa atque obumbrata sunt; & tamen quia inerant, paulo post nullo dubitante claruerunt: & in ipsa Aphrica post illud Secundi Tigisitani apud Carthaginem seditiosum turbulentumque concilium, vbi & à femina nobili Lucilla operata corruptio, postea iudicialibus gestis commemorata est, cùm inde literæ *Lucilla.* penè per totam Aphricam, qua ecclesiæ Christi iam germinauerant, missæ fuissent, creditum est literis cõcilij, neque enim aliter oportebat, & quasi visa sunt per aliquam partem agri frumenta Dominica defecisse: nullo modo autem defecerant, quæ verè frumenta erant prædestinata atque seminata, & alta radice veraciter germinantia. Salua enim conscientia literis concilij crediderant, neque enim ab hominibus de aliis hominibus aliquid incredibile dicebatur, aut eis contra Euãgelium credebatur: sed | osteaquam illi furiosam pertinaciam vsque ad dissensionem sacrilegã B contra totum orbem Christianum contentione obstinatissima perduxerunt, atque innotuit bonis fidelibus quos à Cæciliano alienauerat falsa criminatio, viderunt se, si in illa communione persisterent, non iam de quodam homine, vel de quibusdam hominibus, sed de ecclesia toto terrarum orbe diffusa prauum habere iudicium, & maluerunt Christi Euãgelio, quàm collegarum concilio credere. Itaque illis relictis, mox ad catholicam pacem multi, & Episcopi, & clerici, & populi redierunt, quod & antequam facerent, in tritico deputabantur. Tunc enim non faciebant, cùm aduersus homines malè sibi à collegis †insinuatos, non *†ex. insimulatos,* aduersus ecclesiam Dei, quæ in cunctis gentibus crescit, illa eorum contradictio tenebatur. Itaque & in Aphrica triticum quod filius hominis seminauerat, triticum mansit: Ex illo vsque adhuc creuit, & crescit, & deinceps vsque ad messem fructificabit & crescet, sicut in omni mundo. Nonnulli etiam bonæ voluntatis per carnalem caliginem, etiam post confirmatum cõtra ecclesiam Dei malignorum furorem, in illa dissensione diutius errauerunt, tanquam si adhuc mollia C conculcarentur frumenta, & radice viua herbæ vigor attereretur: etiam ipsa tamen frumenta sua nouerat Deus, quamuis vt reuiuiscerẽt arguenda & increpãda. Non enim eo modo dictum est Petro: Redi post me *Matth. 16.* satana: quomodo dictum est de Iuda, Vnus ex vobis *Ioann. 17.* diabolus est. Quidam quoque & apertissimæ veritati malo studio contradixerũt: illi verò eradicati vel præcisi erant, sed non permanentes in infidelitate, sicut de quibusdam ramis fractis Apostolus dicit, manu diui- *Rom. 11.* na replantati, aut iterum inserti sunt. Tunc enim quisque infructuosus, & nõdum à radice præcisus est, cum mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum est: Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non *Gal. 5.* possidebunt: sed cùm pro ipsis operibus etiam veritati apertissimè qua redarguitur, resistere cœperit, tunc præciditur. Et multi tales sunt in sacramẽtorum communione cum ecclesia, & tamen iam non sunt in ec- *Hæretici quomodo quidam in ecclesia.* D biliter excommunicatur; consequens erit vt tunc rursus inseratur, cùm visibiliter communioni restituitur. Quid si ergo fictus accedat, atque aduersus veritatem & ecclesiam cor inimicissimum gerat, quamuis peragatur in eo illa solennitas, nunquid reconciliatur, nunquid inseritur? Absit. Sicut ergo iam denuò communicans nondum insertus est: sic & antequam visibiliter excommunicatur, quisquis contra veritatem, qua conuincitur & arguitur, inimicum gestat animũ, iam præcisus est. Ita fit, vt & semen bonum, & semen malum vtraque per agrum crescãt vsque ad messem: id est, & filij regni, & filij maligni vtrique per mundũ crescant vsque in finem sæculi, illis fructum ferentibus cum tolerantia, illis cum sterilitate amaricãtibus. Vos autem innitentes tot euidentissimis testimoniis legis,

Legis, Prophetarum, Psalmorum, ipsius Domini, & A Apostolorum, de sancta Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, exigite ab istis vt ostendant de Aphrica, quod attinet ad partẽ Donati, aliqua manifesta de canonicis libris testimonia. Neque enim, sicut iam dixi, vllo modo fieri posset, vt Ecclesia, sicut dicunt, & quod absit, tam citò ex tot gentibus peritura, tot testimoniis tam sublimiter, & tam indubitanter prædicaretur: & de ista, quam volunt, sua, quæ vsque in finem sicut contendunt permansura fuerat, taceretur. Mementote enim quid illi diuiti dictum sit, cùm apud inferos torqueretur, & ad fratres suos aliquẽ ex mor-
Luc. 16. tuis mitti vellet: Habent illic, inquit, Moysen & Prophetas. Et cùm ille diceret, non eos credituros, nisi ad eos isset aliquis mortuorum: Si Moysen, inquit, & Prophetas non audiunt, nec si quis ex mortuis resur-
Genes. 22. 26. 28. rexerit, credent. Dixit Moyses, quòd in semine Abrahæ benedicentur omnes gentes. Dixerunt Prophetæ, Tu vocaberis voluntas mea, & terra tua orbis terra- *Psalm. 62.* rum: &, Commemorabuntur, & cõuertentur ad Do- *Psalm. 21.* minum vniuersi fines terræ. His & talibus tam manifestis prænunciationibus Ecclesiã demonstrantibus, isti credere noluerunt. Surrexit Dominus à mortuis, *Luca 24.* dixit in nomine suo prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Illi qui Moysi & Prophetis non crediderunt, nec Domino resurgenti à mortuis crediderunt. Quid restat nisi vt diuitis illius tormenta sortiantur? Quæ vos fugientes dum adhuc tempus est, antequã de hac vita emigretur, diuinis eloquiis constanter inhærete, vt nec in vita conturbemini, & post hanc vitam quod semini Abrahę promissum est, accipere mereamini. Amen.

Epistolæ de vnitate Ecclesiæ finis.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
CONTRA CRESCONIVM GRAMMATICVM, LIBRI IIII.

Ex Retract. lib. 2. cap. 26.

GRAMMATICVS *etiam quidam Donatista, Cresconius, cùm inuenisset epistolam meã, qua primas partes quæ in manus nostras tunc venerat epistolæ Petiliani redargui, putauit mihi esse respondendum, & hoc ipsum scripsit ad me. Cui operi eius libris quatuor respondi: ita sanè vt tribus peragerem quod vniuersa responsio flagitabat: sed cùm viderem de sola Maximianensium causa qua suos schismaticos damnauerunt, & eorum aliquos rursus in suis honoribus receperunt, baptismumq; ab eis extra suam communionem datum non repetiuerunt, responderi posse ad cuncta quæ scripsit: etiam quartum librum addidi, in quo idipsum quantũ potui diligenter euidenterq; ostendi. Hos autem quatuor libros quando scripsi, iam contra Donatistas leges dederat Honorius Imperator. Hoc opus sic incipit:*

LIBER PRIMVS.

CAP. I. Eloquentia quatenus vtilis.

QVANDO ad te Cresconi, mea scripta peruenire possent ignorãs, peruentura tamen minimè desperaui, quia & ad me tua quamuis longè postea quàm scripsisti, tamen quandoq; peruenire potuerunt, quæ tibi visum est aduersus ea scribere debere, quæ Petiliano Cirtensi Episcopo vestro iterationem baptismi astruere molienti, & cõmunionem nostram non documentorum pondere vrgenti, sed maledictorum leuitate criminanti, vt potui breuiter pro parte respondi. Non enim tota eius epistola in manus meas tunc venerat, sed parua pars prior. Quod cur acciderit, quid opus est quærere, quandoquidem, cùm ad nos postea vniuersa peruenit, vniuersæ respondere non piguit? His ergo literis tuis quas ad me dedisti, si non rescriberem, fortasse contumeliosum putares. Quod autem rescribo, rursus vereor ne contentiosum putes. Sed si tu inuentis literis meis, non ad te datis tantùm, quæ Episcopum partis Donati, vel ipsam partem Donati redarguere videbantur, ad officium tuum pertinere arbitratus es, B cùm tibi esses alicuius conscius facultatis, suscipere atque exercere contradictionem, quia eius communionis es, quamuis nulla functione clericatui astrictus: quantò minus mihi licuit pro munere sarcinæ meæ, vel contra Petilianum vel contra teipsum tacere, cùm ille oppugnaret Ecclesiam pro qua militó: tu autem in simili opere etiam nominatim ad me institueres, promeres, conscriberesq; sermonem, in cuius primis partibus laborasti, vt suspecta hominibus eloquentia videretur. Nam velut laudans genus dicendi meum, & rursus velut timens ne hoc genere te vel quenquam falsa persuadendo deciperem, in accusationem totius ipsius eloquentiæ perrexisti, adhibens *Eloquentiã Augustini Cresconius accusat.* etiam testimonium aduersus eam de Scripturis san- *Prouerb. 10.* ctis, vbi dictum putas, Ex multa eloquentia non effugies peccatum: cùm dictũ non sit, ex multa eloquentia: sed ex multiloquio. Multiloquium autem est superflua locutio, vitium scilicet loquendi amore con- *Multiloquium ab eloquentia qui differat.* C tractum. Plerunque autem loqui amant, etiam qui nesciunt quid loquantur vel quomodo loquantur, siue ad sanitatem sententiarum, siue ad ipsum qui arte Grammatica discitur, integrum sonum ordinemque verborum. Eloquentia verò facultas dicendi est, congruenter explicans quæ sentimus: qua tunc vtendum est, cùm recta sentimus. Hoc modo ea non vsi sunt hæretici. Nam vtique si recta sensissent, nõ solùm nihil mali, verùm & boni aliquid esset, quod eloquenter explicare potuissent. Frustrà igitur istorum exemplorum commemoratione accusasti eloquentiam. Neque enim propterea pro patria non est miles armandus, quia contra patriam nonnulli arma sumpserunt. Aut ideò vti non debent boni doctique medici ferramentis medicinalibus ad salutem, quia his ad perniciem etiam indocti pessimique abutuntur. Quis *Eloquentia quatenus vtilis.* enim nescit, sicuti vtilia vel inutilia fuerint ea quæ quæruntur: ita eloquentiam, hoc est, peritiam facul- D tatemque dicendi ac esse vtilem vel inutilem, vt fuerint vtilia vel non vtilia quæ dicũtur? quod nec te arbitror ignorare. SED credo cùm me videres à non- CAP. II. nullis putari eloquentem, vt à me Lectoris auditorisve studium deterreres, accusandam existimasti elo-

quentiam: vt iam quid dicerem non attenderet, quis-
quis abs te perterritus tanquam eloquēter me dicen-
tem eo ipso iam cauendum fugiendumque censeret.
Vide ergo ne hoc quod fecisti sit artis illius malæ, quā
sicut de Platone commemorasti, nonnulli rectè iudi-
cauerunt de ciuitate ac de humani generis societate
pellendam. Hæc non est eloquentia, quæ vtinam mi-
hi ad explicanda ea quæ sentio pro desiderio proue-
nisset, sed quædā sophistica & maligna professio, quæ
sibi proponit, non ex animo, sed ex contentione vel
commodo pro omnibus, & contra omnia dicere. De
Eccli. 37. hac ait sancta Scriptura, Qui sophisticè loquitur, odi-
bilis est. Ab hac mihi videtur Paulus Apostolus iu-
2. Tim. 2. uentutem Timothei prohibere, vbi ait, Noli verbis
contendere: ad nihil enim vtile est nisi ad subuersio-
nem audientium. Et ne à facultate rectè dicendi eum
prohibuisse putaretur, continuò subiecit, Satisage te-
ipsum probabilem operarium exhibēdo, non erube-
scentem, verbum veritatis rectè tractantem. Nimi-
rum itaque tibi hæc animi subrepsit affectio, quòd
contradicendi studio, (non quò ita sentires, sed quò à
nobis intentionem discere volētium auerteres,) per-
hibuisti nos eloquentes, & vituperasti eloquentiam.
Nam quomodo te hoc ex animo fecisse credam, cùm
sciam quemadmodum prædicare soleatis eloquen-
tiam Donati, Parmeniani, aliorumq; vestrorum: qua
quid esset vtilius si tam largo flumine pro pace Chri-
sti, pro vnitate, veritate, charitate proflueret? Sed quid
de aliis loquar? Tu de teipso nónne aperuisti, quàm
non ex animo, sed ex contentione vituperator fueris
eloquentiæ: cùm & cętera quæ scripsisti per eloquen-
tiam suadere, & eandem ipsam eloquentiā eloquen-
Cap. III. ter accusare conatus es? NAM quod te dicis & ar-
te dicendi imparem nobis, & exemplis legis Christia-
næ penitus non instructum, quò pertinet obsecro?
Nunquidnam te compuli contra mea scripta rescri-
bere: & ideò recusantis & excusantis hæc vox est? Si
ergo penitus non instructus es, cur non potiùs taces,
aut ita loqueris vt institui te desideres? Instare me di-
cis & prouocare semper, vt ad dignoscendam veri
quæstionem mecum vestri disceptēt: sed vestros pru-
dentiùs ac patientiùs facere, qui in Ecclesia tantùm
quæ in lege mandata sunt populos docent, nec nobis
respondere curant, scientes quia si lex diuina, & tot
documenta legalium Scripturarum nobis quid sit
melius, quid verius, suadere non possunt, nunquam
humana queat authoritas nos discussis erroribus ad
veritatis regulam reuocare. Quid tibi ergo visum est,
vt aduersus nos illis tacentibus tu loquaris? Nam si
bene faciunt, cur non imitaris? si malè, cur laudas? Di-
cis quòd intoleranda arrogantia credam me solum
terminare posse, quod aliis velut inexplicabile visum,
atque ideò iudici Deo dimissum est: cùm paulò super-
iùs dixeris, hoc me velle finiri post tot annos, post tot
iudices atque arbitros, quod apud principes tot disce-
D ptantibus literatis ab vtriusque partis Episcopis finiri
non potuit. Certè solus hinc satago, certè solus quæ-
stionem istam finiri disceptando desidero? Puto enim
si solos nostros id conatos culpare voluisses, nō etiam
vestros in eo conatos fuisse fatereris. Quia ergo illum
conatum, illam voluntatem & instantiam saltē pro-
pter vestros reprehendere iam non potes, nolo esse à
tam bono opere alienus. Quid arguis? quid reprehen-
dis? An inuides? Non hoc de te temerè credēdum est.
Cap. IIII. RESTAT ergo vt studio contentionis hoc in
me culpes, quod etiam in vestris laudare compelle-
ris. At enim quod inter tot ac tales finitum non est,
intolerabilis arrogantia est per te solum finiri posse
præsumere. Ne quæso mihi soli hoc tribuendū putes,
plurimi sumus, qui hoc vt finiatur, imò iam vt fini-
tum esse innotescat, instamus. Illi enim dixerunt non
A esse finitum qui eidem fini consentire noluerunt,
eumq; vobis occultauerunt, vt etiam vos eorum au-
thoritate decepti finitum non esse credatis. Nostri
autem ex quo finitum est, nullo prorsus tempore vti-
pse finis innotesceret cessauerunt, quomodo id pu-
blicè priuatimque agere potuerunt, ne quisquam in
perniciosissimo errore persistens de segnitia circa se
ministrorum Dei in vltimo iudicio quereretur. Non
ergo nos olim finitam causam de integro volumus
retractare, sed quemadmodum finita sit demonstra-
re, propter eos maximè qui hoc nesciunt: vt cùm de-
fensores conuincuntur erroris, aut etiam ipsi correcti
liberentur, aut certè ipsis confutatis, & in aperta per-
tinacia remanentibus, hi qui cupidiores sunt verita-
tis quàm contentionis, videant quid sequantur.
NEQVE hoc fit sine fructu, vt existimas. Nam si Cap. V.
posses videre quàm longè lateque Aphricam error i- Semper prædi-
ste peruaserit, & quàm pauca eius remanserint quæ canda veritas.
B nondum in pacem catholicam correcta transierunt,
nullo modo assertorum Christianæ pacis, & vnitatis
infructuosam & inanem arbitrareris instantiā: quam-
uis etiam si cui diligentia medicinæ huius impensa
non prodest, sufficit ad rationem Deo reddendā quod
non cessauit impendi. Sicut enim malignus suasor
peccati, etiamsi non persuaserit, meritò pœnam de-
ceptoris incurrit: ita fidelis iustitiæ prædicator, etiam-
si ab hominibus respuatur, absit vt apud Deū sui offi-
cij mercede fraudetur. Res enim certa fit ad incertū.
Incertum autem dico, non præmium facientis, sed a-
nimum audientis. Incertum est enim nobis vtrum af-
fensurus sit cui veritas prædicatur, sed certū est etiam
talibus veritatem prædicari oportere, & certum est
fideliter eam prædicātes dignam retributionem ma-
nere, siue suscipiantur, siue spernantur, siue etiā pro-
pterea quælibet temporaliter aduersa patiantur. Do-
minus dicit in Euangelio, Cùm ingressi fueritis, dici- Matth. 10.
C te, Pax huic domui: si digni fuerint qui ibi sunt, re-
quiescet super eos pax vestra: si quò minus, ad vos re-
uertetur. Nūquid eos certos fecit, quòd essent eorum
pacem suscepturi, quibus eam prædicarent? certos
tamen fecit vt eam sine cunctatione prædicarent.
APOSTOLVS etiam Paulus, Seruum, inquit, Do- Cap. VI.
mini litigare non oportet, sed esse mitem ad omnes, 2. Tim. 2.
docibilem, patientem, in modestia corripientem di-
uersa sentientes, ne fortè det illis Deus pœnitentiam
ad cognoscendam veritatem, & resipiscant de diabo-
li laqueis captiuati ab ipso in ipsius voluntate. In-
tende quomodo quem noluit litigare, voluit tamen
in modestia corripere diuersa sentientes, ne Dei ser-
uus prohibitionem petulantiæ, occasionem putaret
esse pigritiæ. Verùm quia multi & ipsam correptio-
nem quæ modestè fit, vel peccatis suis fauentes, vel
quid respondeant non inuenientes, nec tamen veri-
tati acquiescentes, onerosè ac molestè ferunt, eos qui
D secum sedulò agunt, nec ab eorum conuincendo er-
rore dissimulant, litigiosos & contentiosos vocant.
Falsitas enim quæ nudari, & redargui metuit, eorum
vitiorum nomine quæ veritas damnat, diligentiam
veritatis accusat. Nunquid ideò tamen ab hac instan-
tia desistendum est? Vide quemadmodum Timo-
theum idem astringat Apostolus, ne propter homi-
nes quibus insuauis est prædicatio veritatis, aliqua ei
segnitia prædicandi subreperet. Testificor, inquit, co-
ram Deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos &
mortuos, & per manifestationem & regnū eius, præ-
dica verbum, insta opportunè, importunè, argue, hor-
tare, increpa, in omni longanimitate & doctrina.
Quis hæc audiens si Deo fideliter seruit, si dolosus o-
perarius non est, ab hac diligentia & instantia con-
quiescat? Quis sub tanta testificatione segnis esse au-
deat? Non itaque nobis obstrepat in hac causa facun-
dia

dia tua: prædicamus omninò in adiutorio Domini
Dei nostri Christianę vnitatis vtilitatem, sanctitatem,
pietatem: prædicamus volētibus opportunè, renitē-
tibus importunè, & quantis valemus viribus istam
inter nos partemque Donati quæstionem, & quibus
possumus, olim finitam esse monstramus.
Cap. VII. AGNOSCANT in se contentiosæ animositatis
Qui recta docēt iniqueē. nomē & crimen, qui vel peruicaci astutia præbēt pa-
trociniū falsitati, vel inuida iactantia ministrant præ-
conium veritati. Vtrunq; hoc contentiosorum genus
2. Tim. 2. Apostolus Paulus expressit. Illud primùm in Alexan-
dro, de quo ait: Alexander ærarius multa mala mihi
ostendit, reddet illi Dominus secundum opera eius,
quem & tu deuita, valde enim restitit nostris sermo-
Philip. 1. nibus. Hoc verò alterum in eis de quibus ait: Quidam
quidem ex inuidia & contentione Christum annun-
ciant, non castè, existimantes tribulationem suscitari
vinculis meis. Nam illi proculdubiò idipsum annun-
ciabant quod Paulus, non tamen eo animo, non ea
voluntate, non ex charitate, sed ex inuidia, sicut dixit,
& ex contentione, volentes superbo sensu in eadem
ipsa annunciatione præcellere, & Apostolo Paulo an-
teponi. Quod ille non molestè ferēs, imò etiam gau-
dens quod ab eis illud videbat prædicari, quod latiùs
innotescere cupiebat: Quid enim, inquit, dum omni
modo, siue occasione, siue veritate Christus annun-
cietur? Neq; enim cordis sui veritate, quia non synce-
ra intentione, sed æmula contentione, veritatem ta-
men, hoc est Christum annunciabant. Tu igitur cùm
iudex interiorum cordis nostri esse non possis, tan-
tūmodò vtrum veritati resistamus, an eos qui veritati
resistunt reuincere cupiamus, aduerte. Nam procul-
dubiò si veritatem suademus, erroremq; refellimus,
etiāsi non veritate proprię intētionis, sed emolumen-
tū seculi huius humanamq; gloriam quærentes id a-
gamus, gaudere debent dilectores veritatis, quia &
hac occasione veritas annunciatur, sicut Apostolus
qui dicit, & in hoc gaudebo. Si autem (quod Deo ma-
ximè notum est, & quòd tibi etiam ipsi quantum est
facultatis humanæ, si nobiscum viueres, notum esse
potuisset) pia solicitudine charitatis in huius dispen-
sationis labore versamur: puto nequaquā iustè repre-
hendi ministerium nostrum, si cōtra quoslibet adver-
sarios veritatis feruenti spiritu pro veritate certemus.
Cap. VIII. NAM si contentiosus habetur à vobis vel animo-
Etiam audituris prædicandum. sus paratorque rixarum, quisquis cuiquam sermonis
altercationem vel inferre, vel referre curauerit, vide-
te quid de ipso Domino Iesu Christo, eiusque seruis
prophetis & apostolis sentiatis. Nempe enim Domi-
nus ipse filius Dei, nunquid cū solis discipulis vel tur-
bis qui in eum crediderunt, an non etiam cum inimi-
cis tentantibus, obtrectantibus, maledicētibus habuit
de veritate sermonem? Nūquid eum etiam cum vna
muliere de quæstione orationis cōtra opinionem vel
hæresim Samaritanorum piguit disputare? Sed illam,
D inquis, crediturum esse prescibat. Quid toties adver-
Etiā non auditurū prædicādū. sus Iudæos, Pharisæos, Sadduceos, non solùm minimè
credituros, verùm etiam maximè contradicturos &
persecuturos coràm in os eorum quàm multa locu-
tus est? Nónne ab eis vltrò cùm voluit quod voluit in-
quisiuit, vt eorū illos responsione conuinceret? Nón-
ne illis dolosè tentando quærentibus, cùm redargu-
ti obmutescerent, sine vlla ambiguitate respondit?
Quod cùm faceret, nullus ex his legitur ad eū sequē-
dum fuisse conuersus. Et vtiq; nouerat, quia præscius
erat, nihil ad eorum salutem cùm hæc ad eos vel in
eos, vel aduersus eos diceret, profuturum. Sed nos for-
tasse suo firmauit exemplo, qui futuram fidem perfi-
diámve hominū prænoscere non valemus: ne si quan-
do nimium duris nimiumque peruersis sine fructu sa-
lutis eorū locuti fuerimus, deficiamus & desistamus
A ab instantia prędicandi, cùm inaniter piguerit labora-
re. Quid quòd etiam ipsum diabolū, quē iam non so-
lùm Deus, sed ne homines quidem dubitare possunt,
nullo modo ad iustitiam conuersum iri, filius Dei ta-
men insidiosè tentantē, & de Scripturis sanctis quæ- Matt. 4.
stionū laqueos opponentem, de Scripturis sanctis re-
spondendo conuicit, nec iudicauit indignum cum sa-
tana Christus de diuinis eloquiis habere colloquiū:
quid vtiq; præuidens, nisi quod Iudæis & diabolo ni-
hil proderat, credituris gētibus profuturum? Prophe-
tas etiam legimus missos ad homines tam inobedien-
tes, vt Deus ipse qui prophetas mittebat de his ad
quos mittebat prædiceret, quod verbis eorū obtem-
peraturi non essent. Omitto quod Prophetico spiritu
quo futura cernebant, etiam hoc vtique nosse potuis-
sent, quod eorum verba contempturi fuerant, quibus
ea tamen vehementi instantia non tacebant. Apertis-
simè Dominus ad Ezechielem Prophetam dicit: Va- Ezech. 3.
B de & intra in domum Israël, & loquere verba mea ad
ipsos, quia non ad populum ignotæ linguæ tu mitteris
ad domum Israël, nec ad populos multos diuersis aut
grauibus linguis loquentes, quorum verba non possis
audire: & si ad tales misissem te, forsitan audissent te:
domus autem Israël non audient te, quia nolūt audi-
re me. Omnis enim domus Israël inquieto & duro
corde est. Ego autem dedi faciem tuā fortem aduer-
sus faciem eorum, & certamen tuum confortabo ad-
uersus certamen eorum. Ecce mittitur Dei seruus, &
eis loqui iubetur, qui eum non erant audituri, eo ipso
Dño qui mittebat & loqui iubebat prædicente quòd
non erant audituri. Qua causa, cui bono, quo fructu,
quóve effectu mittitur ad certamen prædicandæ ve-
ritatis aduersus certatutos & nō obedituros? Nū quis-
quam dicere audebit sanctos Dei prophetas incidisse
in opprobrium abs te mihi obiectum, cùm diceres: *Si*
C *tu scis rem de qua agitur à te finiri non posse, cur incassum*
laborem sumis? cur inanem impendis operam? cur superua-
cuè ac sine fructu contendis? An non magnus error est,
velle quod non valeas explicare, cùm & lex moneat dicens:
Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Eccli. 3.
Et iterum: *Homo animosus parat lites, & vir iracundus* Prouer. 19.
exaggerat peccatum? Ezechieli certè ista non diceres,
qui cum verbo Dei mittitur inferre certamen homi-
nibus nō obedituris, cōtrasensuris, contradicturis, cō-
trafacturis. Nā si diceres, respōderet tibi fortasse, quod
eisdem Iudæis Apostoli responderunt: Cui obedire Actor. 5.
oportet, Deo magis quàm hominibus? Hoc tibi
etiam ipse responderim. HIC si tu flagitaueris, vt Cap. IX.
ostendam vbi etiam mihi Deus præceperit id agere Episcopi officiū.
quod tu prohibes, memēto apostolicas Epistolas non
eis tantùm scriptas qui tempore illo quo scribeban-
tur audiebant, sed etiam nobis: non enim ob aliud in
ecclesia recitantur. Attende etiam illud quod Apo-
stolus ait: An vultis experimentum eius accipere qui 2. Cor. 13.
D in me loquitur Christus? & recole iam non quid Pau-
lus, sed quid per eum Christus locutus sit, quod paulò
antè cōmemoraui, prædica verbum, insta opportunè, 2. Tim. 4.
importunè, &c. Attende etiam quemadmodū ad Ti- Tit. 1.
tū cùm explicaret qualis esse episcopus debeat, etiam
perseuerantē dixit esse oportere iuxta doctrinā fidelis
verbi, vt potens sit, inquit, & exhortari in doctrina sa-
na, & cōtradicentes redarguere. Sūt enim multi, non
subditi, vaniloqui, & mentis seductores, maximè qui
ex circumcisione sunt, quos oportet refelli. Non ergo
solos qui ex circumcisione sunt, sed eos maximè tales
esse ait, oportere tamen in doctrina sana redargui re-
felliq; ab episcopo vaniloquos & mentis seductores,
indubitata præceptione firmauit. Vnde hoc etiā mihi
iussum esse cognosco: hoc pro viribus ago, huic operi
quantū ipse qui iussit adiuuat, perseueranter insisto.
Quid obstas, quid obstrepis, cur prohibes, cur repre-
hendis?

CAP. X. Obiectio.

hendis? Tibíne obedire oportet, an Deo? Nisi fortè ista quæà me de Scripturis sanctis documenta plata sunt, sic acipienda arbitraris, vt quod vestros factitare laudasti, in ecclesia tãtùm quæ in lege mandata sunt populi doceãtur. Ibi enim forsitan putas corripiendos & conuincendos esse diuersa sentientes, vt vnusquisq; Doctor suorum tantummodò disputando & prædicando emendet errorem. Si quid autem tale cum eis qui foris sunt agere instituerit, tunc animosus, tunc contentiosus vel litigiosus habendus sit, quia & ipse Ezechiel, inquis, & alij Prophetæ cum verbis Dei ad suum populum mittebantur, Israëlitæ scilicet ad Israëlitas.

CAP. XI. Solutio.

Ad hæc quoq; tibi respondeo. Iam quidem suprà cõmemoraui, Dñm ipsum Iesum qui se imitandum discipulis præbuit, non solùm Iudæis, verùm etiam Pharisæis, & Sadducæis, & Samaritanis, & ipsi diabolo principi omniũ fallaciarum & errorum asserere veritatem, & de lege respondere nõ dedignatum. Sed ne hoc Dño licuisse, seruis autem eius existimes non licere, accipe quid in Actibus Apostolorum legatur: Iudæus autem quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere deuenit Ephesum potens in Scripturis: hic catechizatus erat viã Domini, & feruens Spiritu loquebatur & docebat verissimè quæ iuxta Iesum, sciẽs solùm baptismum Ioãnis. Hic etiam cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cũ audissent Aquila & Priscilla, assumpserunt eum, & certius illi exposuerunt viam Dñi. Volente autem illo ire in Achaiam, exhortati fratres scripserunt discipulis vt eum reciperent. Qui cùm venisset, multũ contulit his qui ibi crediderunt, vehementer enim Iudæos reuincebat publicè ostendens per Scripturas esse Iesum Christũ. Quid de isto dicis, quid sentis? Nónne fortasse contẽtiosum & animosum concitatoremq; rixarum criminaremini, nisi tãnta libri sancti autoritate premeremini?

Actor. 18.

CAP. XII. Etiam alienis ingerenda veritas.

An quia Iudæus in Christũ crediderat, propterea Iudæos Christianæ fidei resistẽtes, & Iesum negantes esse Christum, publicè reuincere debebat: nos autem quia partis Donati nunquam fuimus, propterea partem Donati resistentem Christianæ vnitati reuincere non debemus? Nunquid Paulus Apostolus aliquando fuit cultor idolorum, aut aliquando fuit in hæresi Epicureorum vel Stoicorum, cum quibus tamen eum nec puduit nec piguit de quæstione Dei viui & veri habere sermonẽ? Accipe quid de hac re in eodẽ libro scriptum sit: Paulus autem cùm illos Athenis expectaret, irritabatur spiritu suo intra se, videns circa idola esse ciuitatem. Disputabat igitur cum Iudæis in synagoga, & gentibus & colentibus, & in foro per omnem diem ad eos qui aderant. Quidam verò Epicureorum & Stoicorum philosophorum conferebant cum illo, & quidam dicebant: Quídnam vult seminator verborum hic dicere? Alij verò, Peregrinorum dæmoniorũ videtur annunciator esse. Ecce Apostolus Paulus Stoicos & Epicureos, diuersas, non solùm ab illo, verùm etiam inter se, aduersasq; hæreses secum conferre non respuit, nõ tantùm extra Ecclesiam, sed extra synagogam disputans cum eis: nec eorum conuitiis exterritus velut lites contentionesque declinans à prædicãda Christiana veritate cessauit. Nã vide quid consequẽter sancta Scriptura testatur: Apprehẽsumq; eum, inquit, in Areopagum duxerunt, dicentes: Possumus scire quæ sint hęc quæ à te dicuntur: Insueta enim quędam affers in aures nostras, volumus ergo scire quidnam velint hęc esse. Athenienses autem & aduenę hospites ad nihil aliud vacabãt, quàm dicere noui aliquid aut audire. Stãs verò Paulus in medio Areopago dixit: Viri Athenienses, per omnia superstitiosos vos video; perambulans enim & considerans simulachra vestra, inueni etiam aram, in qua erat scriptum,

Actor. 17.

A Ignoto Deo. Quem ergo ignorãtes colitis, hunc ego annuncio vobis: & cætera, quæ cõmemorare omnia longum est. Quod tamen ad quæstionem quam nunc discutimus, sufficit, attende obsecro te: Hebræum ex Hebræis Apostolum Christi stantem ac sermocinantem, non in synagoga Iudæorum, neque in ecclesia Christianorum, sed in Areopago Atheniensium, hoc est, contẽtiosorum maximè impiorumq; Græcorum. Ibi enim loquacissimæ philosophorum hæreses extiterunt, quarum nonnullæ, sicut ipsi qui hîc commemorati sunt Stoici, magis de verborũ quàm de rerum aduersitate confligunt, quod Apostolus prohibuit Timotheum, dicens ad nihil esse vtile, nisi ad subuersionem audientiũ. Nam de his, vt nosti, Tullius ait: Verbi enim controuersia iã diu torquet homines Græculos, contẽtionis cupidiores quàm veritatis. Hos tamẽ Paulus noster alloquẽdos corrigendosq; suscepit, nec ipsius loci nomine exterritus, quod ex Marte inditum resonat, quem Deum dicunt esse bellorum, ibi pacifica credituris intrepidus loquebatur, ibi spiritalibus accinctus armis perniciosos expugnabat errores, nec contentiosos tanquam mitissimus, nec dialecticos tanquam simplicissimus formidabat.

2 Tim. 2.

Lib. 1. de Oratore.

Lęgns.

B

CAP. XIII. Dialectica & eloquentia.

Nosti enim quàm maximè apud Stoicos viguisse dialecticam, quãuis & ipsi Epicurei quos imperitia liberaliũ disciplinarum non solũ non pudebat, verùm etiam delectabat, quasdam disputandi regulas quibus quisque vsus minimè falleretur, se potiùs & tenere & docere iactabãt. Quid est enim aliud dialectica, quàm peritia disputandi? quod ideò aperiendũ putaui, quia etiã ipsam mihi obiicere voluisti, quasi Christianæ nõ congruat veritati, & ideò me doctores vestri velut hominẽ dialecticũ meritò fugiendum potiùs & cauendum, quàm refellendũ reuincendumq; censuerunt. Quod cùm tibi nõ persuaserint, nam te aduersus nos etiã scribendo disputare non piguit, tu tamen in me dialecticã criminatus es, quò falleres imperitos, illosq; laudares qui disputando mecum cõgredi noluerant. Sed tu videlicet non dialectica vteris cùm contra nos scribis. Vt quid te ergo in tantũ disputandi periculum piccisti, cùm disputare non noueris? Aut si nosti, cur dialecticus dialecticam criminaris, ita vel temerarius, vel ingratus, vt aut imperitiã qua vinceris non refrenes, aut doctrinam qua iuuaris accuses? Inspicio sermonem tuum, istum ipsum quem ad me scripsisti, video te quædam copiosè ornateq; explicare, hoc est, eloquenter, quædam verò subtiliter arguteq; disserere, hoc est, dialectícè, & tamen eloquentiã dialecticamq; reprehendis. Si noxia sunt, quare hoc facis? si nõ sunt, cur arguis? Sed ne etiam nos verbi controuersia torqueat, cùm res ipsa intelligatur, minus laborãdum est quid hominibus eam vocare placuerit. Proinde si eloquens ille appellandus est, qui non solùm copiosè & ornatè, sed etiam veraciter dicit: itemq; si dialecticus ille appellandus est, qui nõ solũ subtiliter, sed veraciter etiam disserit, nec eloquẽs es, nec dialecticus: non quia ieiuna & inordinata est dictio tua, nec quia obtusa & crassa est disputatio tua, sed quia ipsa facundia atq; solertia ad defẽsionẽ abuteris falsitatis. Si aũt nõ in sola veritate, sed etiam cũ mala causa disseritur vel neruosè agitur, rectè potest eloquẽtia vel dialectica nominari, & eloquẽs es & dialecticus, quia & facũdè dicis vana, & acutè disputas falsa. Sed de te videro.

C

Dialectica Cresconius Augustino pro crimine obiicit.

CAP. XIIII. Paulus dialecticus.

Stoici certè maximè dialectici fuerunt: cur Apostolus Paulus ne conferrent cum illo, non eos cautissimè deuitauit, & vestros episcopos laudas, quòd nobiscum velut cum dialecticis nolint habere sermonem? Aut si & Paulus dialecticus erat, & ideò conferre cum Stoicis non timebat, quia non solùm acutè disputabat sicut & illi, sed etiam veraciter, quòd non illi: iam caue ne cuiquam dialecticam pro

pro crimine obieceris, qua vsos Apostolos confiteris. Neque enim cùm hoc mihi obiicis, imperitia te falli puto, sed fallere astutia. Nomen quippe Græcum est dialectica, quæ, si vsus admitteret, fortasse Latinè disputatoria vocaretur, sicut grãmaticam literaturam Latinè, viri vtriusq; linguæ doctissimi appellauerunt. Sicut enim à literis denominata est grãmatica, quoniam Græcè grammata literæ dicuntur: sic à disputatione dialectica nomen accepit: quoniã disputatio Græcè dialoge vel dialexis appellatur. Sicut aũt grammaticus à veterib. Latinè dictus est literator: ita Græcè dialecticus multò vsitatius & tolerabilius Latinè dicitur disputator. Puto iam quòd Apostolum disputatorem nõ neges, etiamsi dialecticum neges. Improbare ergo in vocabulo Græco quod approbare cogeris in Latino, quid est aliud quàm indoctis prætentare fallaciam, doctis facere iniuriam? Aut si & disputatorem Apostolũ negas, qui tam assiduè, tam egregiè disputabat, nec Græcè nosti nec Latinè, vel quod est credibilius, & in verbo Græco fallis eos qui Græcè nesciunt, & in Latino qui nec Latinè sciunt. Quid enim est, non dico imperitius, neq; enim tu ista non nosti, sed omninò fallacius, quàm cùm audias & legas tam multos multiplicesq; sermones Apostoli asserẽtes veritatem, conuincentes falsitatem, negare, quòd soleat disputare, cùm hoc fieri nisi disputando non possit? Quod si hoc ab illo factitatũ fateris, quia fateri eius literis cogeris, non tamen has disputationes, sed sermones vel epistolas appellandas esse contendis: quid ego tecũ sic diutiùs agam, vt qui hæc ignorant, quem volunt nostrum approbent, vel quem volunt improbent, de ipsis diuinis literis quibus necesse est cedas, hoc doceo, ipsa prorsus verba, ipsa rerum vocabula profero. Habes in hoc eodem testimonio, quod de Actibus apostolorum commemoraui, de ipso Paulo ita positum: Disputabat igitur cum Iudæis in synagoga & gentibus & colentibus in foro. Habes alio loco, quamuis cum populo Christiano ageret congregatis in ecclesia fratribus, ita scriptum: Sedens verò quidam adolescens nomine Eutychus in fenestra deductus somno graui disputante Paulo. Habes etiam in libro Psalmorum: Suauis sit ei disputatio mea. Habes & apud Esaiam prophetam: Venite disputemus, dicit Dominus. Et multis aliis diuinarum scripturarum locis lege vbi inueneris hoc verbum, & inspice codices Græcos in eisdem testimoniis sanctarũ scripturarum, & videbis vnde sit appellata dialectica: ne quod omnes iusti etiam cum Deo faciũt, quibus dictum est: Venite disputemus, dicit Dominus, non imiteris sapienti pietate, sed insulsa temeritate crimineris.

A

Actor. 17.

Actor. 20.

CAP. XV. Disputare quid.

Qui enim disputat, verum discernit à falso. Quod qui non possunt, & tamen dialectici videri volũt, per insidiosas interrogationes captant incautorum assensiones, vt ex eorum responsionibus concludant, vnde illos vel in aperta falsitate deceptos rideant, vel occultam falsitatem deceptis persuadeant, quam plerunque etiam ipsi existimant veritatem. Qui autem verus disputator est, id est, veritatis à falsitate discretor, primò id apud seipsum agit, ne non rectè discernens ipse fallatur, quod nisi diuinitùs adiutus peragere non potest: deinde cùm id quod apud se egit ad alios docẽdos profert, intuetur primitùs quid iam certi nouerint, vt ex his eos adducat ad ea quæ non nouerant vel credere nolebant, ostendens ea cõsequentia his quæ iam scientia vel fide retinebant: vt per ea vera de quibus se perspiciunt consentire, cogantur alia vera quæ negauerãt approbare: & sic verum quod falsum antea putabatur, discernatur à falso, cùm inuenitur consentaneum illi vero quod iam antea tenebatur.

D

CAP. XVI. Rhetor & dialecticus qui differant.

Hoc ille verus disputator si latè diffuseque faciat, eloquenter facit, alioq; censetur augeturq; vocabulo, vt dictor potiùs quàm disputator vocetur: sicut illum locum Apostolus copiosè dilatat atq; diffundit: In omnibus, inquit, commendantes nosmetipsos vt Dei ministros, in multa patiẽtia, in tribulationibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiũniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in benignitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei per arma iustitiæ dextrà & sinistrà, per gloriã & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces, vt qui ignoramur & cognoscimur, quasi morientes & ecce viuimus, vt coërciti & non mortificati, vt tristes, semper autem gaudentes, sicut egeni, multos autem ditantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Quid enim hoc stylo apostolico vberius & ornatius, id est, eloquentius inueneris? Si autem pressè atq; constrictè, magis eum disputatorem quàm dictorem appellare cõsueuerunt, qualiter agit idem Apostolus de circumcisione & præputio patris Abraham, vel distinctione legis & gratiæ. Quod quidã non intelligentes, imò verò calumniantes, criminati sunt eum dicere: Faciamus mala vt eueniant bona. Siue autem sit dictor siue disputator, nec dictio sine disputatione est, cùm & in ipsa eloquentiæ latitudine veritas à falsitate discernitur: nec disputatio potest esse sine dictione, quando vtiq; verbis & lingua ipsa constrictio sermonis exprimitur: siue illo vtatur perpetuo, siue interrogando eum cum quo agit, cogat respondere quod verum est, & ex hoc ad aliud verum quod quærebatur adducat, vbi maximè regnare dialectica dicitur.

B

2 Corinth. 6.

Roman. 3.

CAP. XVII. Christus dialecticus.

Cum enim quisq; suis responsionibus vincitur, & si malè respondit, non habet quod imputet disputatori, sed sibi: & si bene respondit, erubescit vlterius resistere, non iam disputatori sed sibi. In quo genere Dominus cùm aduersus Iudæos crebrò ageret, eosq; illorum responsionibus captos conclusosq; conuinceret, non vos audierant, nec à vobis conuitiari didicerant. Nam libẽtiùs & inuidiosiùs eum fortasse dialecticum quàm Samaritanum appellarent. Quomodo enim putas eos contortos atq; confusos, cùm volentes eum capere in verbo, priores interrogauerunt, vtrùm liceret tributum reddere Cæsari, bicipiti videlicet complexione insidiantes, vt quodlibet eligens caperetur? Si licere responderet, tanquam reus esset aduersus populum Dei: si autem diceret, non licere, tanquam Cæsaris aduersarius perimeretur. Vbi ille nummum sibi poposcit ostendi, & interrogauit cuius haberet imaginem & inscriptionem: At illi cùm respondissent, Cæsaris (aperta enim veritas hoc eos respondere cogebat) cõtinuò Dominus eorum responsione colligatos ac captos trahens: Reddite, inquit, Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Obsecro te, illine fuerunt dialectici qui prætensis interrogationis insidiis decipiendo superare moliti sunt: an ille potiùs qui ex hoc ipso quod interrogauerunt veram eorum responsionem prudentia interrogationis eliciens, illud verum quod ab eo putabant periculosè dici, ipsos compulit confiteri?

Matth. 22.

C

CAP. XVIII.

Si illos dixeris fuisse dialecticos, quia dolosè, quia calũniosè, quia malitiosè interrogãdo in verbo capere cupiebãt: tales enim etiam nos vultis videri: cur eis tamen Dominus respondit? cur eos vsque ad veritatis confessionẽ reddita ratione perduxit? Cur eis dixit: Quid me tentatis hypocritæ: & nõ addidit, dialectici? Cur sibi nummũ demonstrari flagitauit, vt sentẽtiam suam veracẽ exprimeret etiã de ore fallacium, ac non potiùs ait: Abscedite, neq; enim loquendũ est vobiscũ qui captiosas interrogationes proponitis, qui dialecticè mecum agere vultis? Nihil tale dixit, nec aduersus captio-

Matth. 22.

D

captiosos interrogatores, & verborum nostrorũ callidos captatores exemplũ tale nobis proposuit, sed vt eos potiùs etiã veritatis inimicos vigilanti interrogatione & inuicta ratione testimoniũ veritati perhibere cogamus. Hoc nobis faciant vestri, si nos malitiosi & dialectici sumus. An se timere indicant, ne hoc eis nos potiùs faciamus? Si autem Christum dixeris dialecticum, laudabis dialecticam, quam mihi pro crimine obiecceras.

CAP. XIX. Dialecticus quis.

QVOD ne facias, video quod fortasse dicturus sis, nec illos nec illũ in ea sermocinatione aliquid egisse dialecticè. Si ergo nec illi qui captiosè atq; insidiosè sermocinantur, vt inverbo decipiant eos cum quibus agunt, nec illi qui tales eorũ responsione cõuincunt, dialecticè agunt: dic nobis tandem quid sit dialectica, & quantũ mali habeat, quantũ noceat, quàm fugienda sit, doce. Cuius nomen inuidiosè subucis ignorantibus, crimen oftẽde quærẽtibus. Non vis fateri quod dialecticè agat, qui homines auersos à vero peritè rectéq; interrogans, responsionibus eorũ adducit ad verum, ne dialecticè cum Iudæis etiam Christum egisse fatearis. Item nõ vis illos agere dialecticè qui captiosis interrogationibus insidiantes respondentem decipere moliuntur, ne & ibi ostendatur ita cum Christo egisse Iudæos, quos tamen ille non declinauit tacendo, sed potiùs loquẽdo superauit: ac sic cogaris fateri non rectè episcopos vestros, quos doctos atq; sapientes putas, etiam cum dialecticis nolle habere sermonem, quo inuictã doceant veritatem. Video, magnos æstus pateris quomodo definias dialecticum, vt nec peritus disputator sit; ne quod vituperasti, laudare cogaris: nec insidiosus verborũ captator, ne tibi dicatur, sicut egit cum talibus Christus, sic agat cum isto Christianus. Proinde si placet ista cura liberari, eũ defini esse dialecticum cum quo legis periti de parte Donati nolunt habere colloquium. Quid enim tibi aliud suggerendũ est homini obiiciẽti nobis dialecticã, & ideò prædicanti episcopos suos, quòd nobiscum nolint habere sermonem? Sed de Iudæis fortasse inuenis quid dicas, quamuis callidè atque versutè dolos interrogationũ prætenderint, non eos fuisse dialecticos. De Stoicis certè dici potest nihil, qui non solùm dialectici fuerunt, sed etiã cæteras philosophorum sectas in hac vel arte vel facultate vicerunt. Stoicus quippe, vt mecum recolis, fuit ille Chrysippus, de quo

Cõsule scholia.

Academicus Carneades hãc habebat sententiam, vt quando cum illo sibi esset disputandũ, elleboro purgandũ cor esse censeret: cæteros autem vel pransus facilè superaret. Si ergo nos libri Stoicorum dialecticè disputare docuerunt, doctrinã Pauli contra nos proferant episcopi vestri, secum tamen nos conferre patiantur, sicut ipsos tunc Stoicos ille non repulit.

CAP. XX. Vsus dialectica.

HANC enim artem quam dialecticam vocãt, quæ nihil aliud docet quàm consequentia demonstrare, seu vera veris, seu falsa falsis, nunquã doctrina Christiana formidat, sicut eam in Stoicis non formidauit

Actor. 17.

Apostolus, quos secũ volentes cõferre non respuit. Et ipsa enim fatetur & verũ est, neminẽ disputando ad conclusionẽ falsam consequenter impelli, nisi prius consenserit falsis, quibus eadem conclusio velit nolit efficitur: ac per hoc qui cauet ne se loquente consequantur falsa quæ non vult, volens falsa caueat quæ præcedunt. Si autem præcedentibus veris inhæserit, quæcunque consequentia perspexerit quæ falsa existimabat, vel de quibus dubitabat, admonitus amplectatur, si veritati est pacatissimæ amicior, quàm contentiosissimæ vanitati.

CAP. XXI. Exemplum.

PARVM egerim, nisi hoc quod dico in hac eadem quæ inter nos vertitur nostra sermocinatione mõstrauero. Ecce in ea ipsa quæstione de baptismo tu proposuisti à me requirens, vbi te baptizari cõueniat, vtrùm

A apud nos, an in parte Donati. Et quia intentio tua est in parte Donati, hominem potiùs baptizari oportere, hanc intẽtionem hinc ꝓbare conatus es, quod etiam nos esse illic baptismum non negamus. Vides certè id te agere voluisse, vt ex eo quod concedimus, ad id quod non concedebamus attrahamur, id est, vt quia concedimus esse illic baptismum, etiam illic esse hominem baptizandum concedere compellamur.

CAP. XXII. Collectio vitiosa.

CONSIDERA diligenter si est hoc consequens, & tibi ipse responde. Puto enim iam hoc ante oculos cõstituto, cernis pro ingenij tui viuacitate, quàm non consequentia pro consequentibus colligas. Nam reuera dicimus baptismũ & illic esse, sed non dicimus & prodesse, imò verò dicimus & obesse. Cùm autem quæritur vbi quisq; debeat baptizari, credo propter illud quæri quod Dominus ait: Nisi quis renatus fuerit

Ioan. 3.

ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.

Quia ergo propter hanc vtilitatẽ accipiendus est ba-
B ptismus, cùm quæritur vbi accipiẽdus sit, non quæritur vbi sit, sed vbi ad regnũ cœlorum adipiscendum vtilis sit. Sequeretur aũt etiam illic accipiendum esse vbicunq; eũ constat esse, si omnes qui habent aliquid boni, etiã bono suo habere docerẽtur. Cùm verò tam multi tam multa bona habeãt malo suo, quis non videat cùm quæritur vbi aliquid accipiendũ sit, nõ quẽri vbi sit, sed vbi ꝓsit? Quomodo enim si mihi concederes bonũ esse aurũ, concederes etiã latrones quoq; habere aurũ, non opinor velles vt ex his duobus concessis concludere, eum qui habere aurũ velit, in latronũ societate esse oportere: ita cùm & ego cõcedo bonum esse baptismum, concedo etiã Donatistas quoq; habere baptismum, non debet ex his duobus concessis quasi sequatur concludere, eum qui habere baptismum velit, in societate Donatistarũ esse debere.

CAPVT XXIII. Non eadẽ omnibus prosunt.

IAM ex hoc etiam tibiipsi occurrere multa nõ du-
C bito, quæ quãuis bona sint, & ad vtile aliquid instituta, non omnibus tamen habentibus sint vtilia, sed tãtummodò bene vtentibus. Nam cum eadem luce & sani oculi perfunduntur & saucij, istis adiumentũ est, illis tormentum. Idẽ cibus alias valetudines alit, alias lædit. Idem medicamentum hos curat, illos debilitat. Eadem arma alios muniunt, alios impediunt. Eadem vestis aliis tegumento est, aliis implicamento. Sic & baptismus aliis valet ad regnum, aliis ad iudicium.

CAPVT XXIIII. Nec sacramenta prosunt semper habentibus.

HIC video quid te possit mouere. Fortasse enim dicis, quòd in his omnibus nihil sacramẽti cõmemorauerim: baptismus aũt sanctum sacramentum est, & ideò non esse consequẽs, vt si de auro, de luce, de alimentis, armamẽtis, indumentis probari potuit, quòd aliis habẽtibus apta sint, aliis incõuenientia, quamuis sint bona & ad vtile aliquid instituta, continuò etiam baptismus aliis prosit, aliis obsit habentibus. Restat ergo adhuc requirere vtrum etiam illa bona quæ ad legem Dei pertinent, omnia omnibus habentibus
D prosint. Hac quæstione proposita, intentio nostra est, quòd nec ipsa omnia omnibus habentibus prosint. Hanc intentionẽ nostram vide quemadmodum probemus ex concessionibus vestris. Conceditis enim in omnibus credẽdũ esse Apostolo Paulo. Teneo vnum.

1. Timoth. 1.

Conceditis etiam eundem Apostolum dixisse: Bona est lex. His duobus conficitur, bonam esse legem, sed legitimè vtentibus. Si ergo ea nõ legitimè vsus quisq; fuerit, non ipsa sit mala, sed certè oberit malis.

CAP. XXV.

FORTASSIS dices, neminem posse & in lege esse, & lege malè vti. Hoc ipso enim quod contra legem viuit, non esse in lege monstratur. Contrà ego dico, fieri posse vt quisq; & in lege sit, & non legitimè vtatur. Quod item vestris concessionibus probo. Cõceditis enim memoratum Apostolum testimonium posuisse de Psalmis aduersus eos qui gloriabantur in lege, & viuebant contra legem: Sicut scriptum est, in-

Roman. 3.

quit,

quit, quia non est iustus quisquam, non est intelligẽs,

Psalm. 13.

non est inquirens Deum: omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum: sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendũ sanguinem, contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis nõ cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum. Et ne putarent hæc in eos dicta qui non erant in lege, continuò subiecit: Scimus autem, quoniam quæcunq; lex dicit, his qui in lege sunt loquitur, vt omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus Deo. Item alio loco dicit: Quid ergo dicimus? Lex peccatũ

Rom. 7.

est? Absit, sed peccatum non cognoui nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret:

Exod. 20.

Non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnẽ concupiscentiam. Item paulo pòst: Peccatum, inquit, accepta occasione per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum vt appareat peccatum per bonũ mihi operatum est mortem. Attendis quemadmodum lege laudata, eos qui in lege sunt arguit, quòd ea malè vtendo per bonum habebant malum. Item ipse Apostolus scientiam quandam ex lege quam & se habere dicebat & alios, sine

1. Cor. 8.

charitate tamen inutilem dicit & noxiam. De sacrificiis, inquit, idòlorum scimus quia omnes scientiã habemus: Scientia inflat, charitas verò ædificat. Proinde & ista scientia quãuis ad legem Dei pertineat, si in ali-

Sacrificium corporis & sanguinis domini. sic & infra ca. 27. Ioan. 6.

quo sine charitate fuerit, inflat & nocet. Quid? de ipso corpore & sanguine Domini vnico sacrificio pro salute nostra, quamuis ipse Dominus dicat: Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: nónne idem Apostolus docet etiam hoc perniciosum malè vtentibus fie-

1. Corinth. 11.

ri, ait enim: Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini?

CAP. XXVI. Baptismum non omnib. prodesse.

ECCE quemadmodum obsunt diuina & sancta malè vtentibus, cur non hoc modo & baptismus? Cur non ita in bono baptismo nõ sunt boni hæretici, quomodo in bona lege non sunt boni Iudæi? Iam certè probaui concedentibus vobis, quandoquidem Paulo vos credere, & testimonia quæ de Scripturis posui, Paulum dixisse conceditis. Iam ergo probaui concessionibus vestris quædam etiam bona legitima, obesse tamen non legitimè habentibus & vtentibus. Cur nõ ita & baptismus quamuis bonus & legitimus, non tamen omnibus habentibus prodest? Tu tanquã certissimum & consequentissimum cõcludebas, in parte Donati esse hominem baptizandum, quia nos etiam ibi esse concedimus baptismum: nec attendebas posse nos dicere, esse ibi quidem baptismum Christi iustum, sanctum, & bonum, sed pœnalem, contrarium, perniciosum inimicis corporis Christi, quod est ecclesia, quæ secundum promissa diuina in omnibus gentibus dilatatur.

CAPVT XXVII. Falsitas falsitatem trahit.

NVNQVID hîc quid dicas inuenies, nisi non in eis bonis ad legem Dei pertinentibus deputandum esse baptismum, quæ possunt homines & habere & boni non esse, sed ipsam quidem legem & scientiam & sacrificiũ corporis & sanguinis Christi talia bona esse quæ possint homines & habere & mali esse: baptismũ verò tale bonum esse, quod quisquis habuerit, necessariò bonus sit? Quod si dicere volueritis, falsum dicetis, & ideò quid aliud falsum consequatur attende. Quod non ideò cõmemorabo vt ex illo tuo falso ad alia falsa te adducam, sed vt hoc consequens cùm fal-

A sum esse cognoueris, ab hoc te liberes, illud quod præcedit emendes. Quid ergo præcedit? ex vobis omnes qui habent bonum baptismum bonos esse, quod est falsum euidens. Quid consequitur? bonos fuisse scilicet illos qui schismata faciebant, dicentes: Ego quidẽ

1. Corinth. 1.

sum Pauli, ego autem Cephæ, ego aũt Christi. Quos arguens Apostolus ait: Diuisus est Christus? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Sed falsum est quod isti boni erant, exceptis eis qui dicebant, ego autem Christi: & tamen baptizati erant sancto baptismo Christi. Hoc itaque falsum quare secutum est? Quia falsum præcessit, omnes habentes bonum baptismũ bonos esse. Vtrunq; ergo respuatur, vtraq; sententia corrigatur: vt quoniã manifestũ est istos qui schismata faciebãt bonos non fuisse, & tamẽ bono baptismo baptizatos fuisse: illud etiam manifestum sit, non omnes qui bonum habent baptismum bonos esse: ac per hoc non ideò tenemur
B vt in parte Donati baptizandum esse aliquem concedamus, quia & partem Donati quã malam dicimus, bonum baptismum habere concedimus.

CAPVT XXVIII. † Legẽdum videtur non sentio. Ephes. 4.

RVRSVS vt ex ea consensione me ad id quod † consentio detineres, posuisti scriptum esse: Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma, vna incorrupta & vera catholica ecclesia. Quæ omnia concedo, etsi aliquantò aliter scripta sunt. Sed quid ad rem, cũ omnia sicut † dixisti ista cõcedam? Verũ quod ex his conaris efficere, non efficitur, videlicet vt qui non sunt in vna ecclesia, non possint habere vnum baptismum, quod omninò falsissimum est, & melius, quia & ipse posuisti vnde te possim commemorare quod volo. Certè enim ista proposuisti in concessionibus meis, ex quibus me adducas ad intentionem tuam, vnum Deum esse, vnã fidem, vnum baptismũ, vnam incorruptam & catholicam ecclesiam. Quæ cùm inter nos conueniãt, putas ex his illud quod non cõuenit posse mon-
C strari, apud eos qui non sunt in hac vna ecclesia, hoc vnũ baptisma esse non posse. Ego autem dico posse, si non mutatur, si hoc idem obseruatur: nec ideò fieri vt non sit vnũ baptisma, quia est & apud illos qui in vna non sunt ecclesia. Hoc autem probo ex his quę in eadem sentẽtia posuisti de vno Deo & vna fide: inuenimus enim eundem Deum extra ecclesiã ab ignorantibus coli, nec ideò fieri vt non ipse sit Deus: & fidem qua creditur Christũ esse filium Dei viui, inuenimus etiam eos qui non pertinent ad membra ecclesiæ cõfiteri, nec ideò fieri vt nõ sit vna fides. Sic etiam cùm inuenimus eundem baptismum ab eis qui sunt extra ecclesiam in baptizandis hominibus obseruari, non ideò non esse ipsum baptismum existimare debemus.

CAP. XXIX. Non alius baptismus, sed idem huic utilis, illi inutilis.

FORTASSE ad hoc dicas, fieri non posse vt extra ecclesiam idem ipse vnus Deus colatur, aut eadem fides qua confitemur Christum filium Dei, vnde Pe-
D trus beatus est appellatus, etiam in eis qui non sunt in ecclesia, reperiatur. Hoc ergo restat vt probem. Habes in hoc ipso beati Pauli sermone quem suprà ex Actibus apostolorum cõmemoraui, cùm de Deo loqueretur, quia inscriptum in ara inuenerat, Ignoto

Actor. 17.

Deo, quem vos, inquit, ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis. Nunquid dixit, quia extra ecclesiam colitis, non est Deus ipse quem colitis? sed ait, Quem vos ignorãtes colitis, hunc ego annuncio vobis. Quid eis præstare cupiens, nisi vt eundem Deum quẽ præter ecclesiam ignoranter atq; inutiliter colebant, in ecclesia sapienter & salubriter colerent? Ita vobis & nos dicimus, quem baptismum vos ignorantes obseruatis, eius † potestatem vobis nos annunciamus, non

† aliàs pacem.

vt cùm ad nos veneritis alterum accipiatis, sed vt eum qui iam apud vos erat vtiliter habeatis. De fide etiam Iacobus apostolus cùm loqueretur aduersus eos qui sibi quod crediderant sufficere arbitraban-

tur, & bene operari nolebant. Tu credis, inquit, quo-
Iacob. 2. niam vnus Deus est, bene facis, & dæmones credunt,
& contremiscunt, Nempe in vnitate ecclesiæ dæmo-
nes non sunt, nec ideò tamen possumus dicere aliud
esse quod credunt, cum & Domino Iesu Christo di-
xerint, quid nobis & tibi est fili Dei? Vnde & Paulus
Marc. 1. 1. Corinth. 13. apostolus, Si habeam, inquit, omnem fidem, ita vt
montes transferam, charitatem autem non habeam,
nihil sum. Non autem existimo quenquam ita desi-
pere, vt credat ad ecclesiæ pertinere vnitatẽ eum, qui
non habet charitatem. Sicut ergo Deus vnus colitur
ignoranter etiam extra ecclesiam, nec ideò non est ip-
se: & fides vna habetur sine charitate etiam extra
ecclesiam, nec ideò non est ipsa: ita & vnus baptismus
habetur ignoranter & sine charitate, etiam extra ec-
Ephes. 4. clesiam, nec ideò non est ipse. Vnus enim Deus, vna
fides, vnum baptisma, vna incorrupta catholica ec-
clesia, nõ in qua sola vnus Deus colitur, sed in qua so-
la vnus Deus piè colitur: nec in qua sola vna fides re-
tinetur, sed in qua sola vna fides cum charitate reti-
netur: nec in qua sola vnus baptismus habetur, sed in
qua sola vnus baptismus salubriter habetur.

CAP. XXX. PROINDE vnum Deum, vnã fidem, vnum ba-
ptisma, vnam incorruptam & catholicam ecclesiam
nobis consentientibus tu proposuisti, sed non solùm
ex his id quod volebas non effecisti, verumetiam vt
ex his quod volebamus te admoneremus, nos multũ
adiuuisti. Vide ergo nos quàm probabilem rationem
sequamur, qui ea quæ schismatici vel hæretici corru-
perunt, cùm ad nos inde veniunt corrigimus: quæ ve-
rò sicut acceperunt tenuerunt, agnoscimus & proba-
mus, ne commoti humanis vitiis vltra iustitiam facia-
mus vllam diuinis rebus iniuriam, cùm Apostolũ vi-
deamus etiam in ara gentilium à quibus idola cole-
bãtur, Dei nomen inuentum cõfirmasse potiùs quàm
negasse. Neque enim propterea immutandus vel im-
Character. probandus est regius character in homine, si erroris
sui veniam & militandi ordinem à rege impetrauerit,
quia eundem characterem quo sibi satellites congre-
garet, desertor infixit: aut propterea signa mutanda
sunt ouibus cùm Dominico gregi sociantur, quia eis
Dominicum signum fugitiuus seruus impressit.

CAPVT XXXI. Ex aliorum exemplis. QVOD si hæc tanquam decipientia formidatis,
quia non sunt ecclesiastica exempla (quanquam & de
ouibus & de militibus datas esse in Scripturis simili-
tudines noueritis) propheticarum scripturarum, quæ
dicuntur veteris Testamenti, volo aliquid dicere,
quoniam in noui Testamenti libris nec à nobis nec à
vobis rei huius inuenitur exemplum. Circumcisio-
Circumcisio in figura futuri baptismi ab antiquis obseruata. nem certè præputij in figura futuri baptismi Christi
ab antiquis obseruatam esse negare, vt arbitror, non
audetis. Nunquid apud Samaritanos circumcisus, si
fieri tunc vellet Iudæus, posset iterum circumcidi?
Nónne illius hominis error corrigeretur, signaculum
autem fidei agnitum probaretur? Et nunc sunt qui-
dam hæretici qui se Nazarenos vocant, à nonnullis
Nazareni & Symmachiani hæretici baptismo circũcisionem addebant. autem Symmachiani appellãtur, & circumcisionem
habent Iudæorum & baptismum Christianorum: ac
per hoc quemadmodum si quis eorum ad Iudæos ve-
nerit, non potest iterum circumcidi: sic cùm ad nos
venerit, non debet iterum baptizari. Adhuc dicturi
estis, aliud est circumcisio Iudæorũ, aliud baptismus
Christianorum: sed cùm illa vmbra fuerint huius ve-
ritatis, cur illa circumcisio & apud hæreticos Iudæo-
rum esse potuit, iste autem baptismus apud hæreticos
Christianorum nõ potest esse? Proferte certè aliquẽ
de Scripturis canonicis, quarum nobis est communis
authoritas, ab hæreticis venientem denuò baptizatũ:
Nam quòd iusserunt apostoli quosdam post Ioannis
baptismum in Christo baptizari, longè alia causa est.
Ioan. 3. Matth. 11. Neq; enim Ioannes hæreticus fuit, amicus ille spon-

A si, quo nemo surrexit maior in natis mulierum. Lon-
gè ergò alia causa est, alioquin si Paulus post Ioannem
baptizauit, cùm ambo in vnitate Christi fuerint, quã-
tò magis debẽt episcopi vestri, qui se in vnitate Chri-
sti esse dicunt, baptizare post collegas suos, in quibus
collegis mores aliquos rectè reprehendunt, cùm hoc
fecerit Paulus, qui nihil potuit in Ioanne reprehen-
dere. Ergo illa alia causa est, alia ratio, de qua nunc
differere longum est, & in aliis opusculis nostris hinc
multa iam diximus. Ab hæreticis ergo venientẽ pro-
bate in Scripturis canonicis denuò baptizatum. Nam
Ioan. 13. & nos proferimus Petro dictum: Qui lotus est semel,
non opus habet iterum lauari. Sed etiam vos dicitis,
Petrus non fuerat apud hæreticos baptizatus. Proin-
de quia nec vos potestis proferre de Scripturis, quarũ
nobis communis est authoritas, ab hæreticis venien-
tem denuò baptizatum, nec nos ita susceptum: quan-
tum ad hanc rem attinet, par nobis causa est.

B VERVM nos multa ostendimus etiam ad legem CAPVT XXXII.
Dei pertinentia esse apud eos qui non sunt in eccle-
sia, quæ nemo vestrum audet negare: sed cut tale ali-
quid nolitis esse & baptismum, omninò nõ video, nec
vos posse demonstrare confido. Sequimur sanè nos in
hac re etiam canonicarum authoritatẽ certissimam
scripturarum. Neq; enim parui momenti habendum
est, quòd cùm inter episcopos anterioris ætatis quàm
esse inciperet pars Donati, ista quæstio fluctuaret, &
varias haberet inter se collegarum salua vnitate, sen-
tentias, hoc per vniuersam catholicam quæ toto orbe Nicænum intelligit concilium.
diffunditur obseruari placuit quod tenemus. Nam &
vos profertis concilium Cypriani, quod aut non est Vide infrà lib. 2. cap. 31.
factum, aut à cæteris vnitatis mẽbris à quibus ille non
diuisus est, meritò superatum. Neq; enim propterea
sumus episcopo Cypriano meliores, si tamen censuit
hæreticos denuò baptizari, quia nos hoc rectè non fa-
cimus; sicut nec Petro apostolo meliores sumus, quia
C non cogimus gentes Iudaizare, quod ille fecisse Pau- Galat. 2.
lo apostolo attestante & corrigente monstratur, cùm
similiter inter apostolos de circumcisione quæstio,
sicut postea de baptismo inter episcopos non parua
difficultate nutaret.

PROINDE quamuis huius rei certè de Scriptu- CAPVT XXXIII. Ecclesiæ authoritas.
ris canonicis non proferatur exemplum, earũdem ta-
men scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur ve-
ritas, cùm hoc facimus quod vniuersæ iam placuit ec-
clesiæ, quã ipsarum scripturarum cõmendat authori-
tas, VT QVONIAM SANCTA SCRIPTVRA
FALLERE NON POTEST, QVISQVIS FAL-
LI METVIT, HVIVS OBSCVRITATE QVAE-
STIONIS, EANDEM ECCLESIAM DE IL-
LA CONSVLAT, QVAM SINE VLLA AM-
BIGVITATE SANCTA SCRIPTVRA DE-
MONSTRAT. Si autem dubitas quòd ecclesiã quæ
per omnes gentes numerositate copiosissima dilata-
D tur hæc sancta Scriptura commendat: (neque enim si D
non dubitares, adhuc esses in parte Donati) multis &
manifestissimis testimoniis ex eadẽ authoritate pro-
latis onerabo, vt ex tuis cõcessionibus si nimium peru-
icax esse nolueris, ad hoc etiã perducaris, cùm prius
ostendero etiam epistolæ meæ, cui respondere à con-
trario voluisti, nihil te quod ad veritatem pertineat
respondere potuisse.

HOC interim satis sit, quòd propter nimiam ob- CAPVT XXXIIII. Epilogus.
stinationem hominum multa dicẽda arbitratus sum,
aduersus eos qui cùm habeant principalem causam
malam, ab ea discutienda præscriptione volunt auer-
tere iudices, cùm dicunt nullo modo sibi loquendum
esse nobiscum. Probaui enim & de Scripturis sanctis,
& qua potui ratione perspicua, nec eloquentiã, quan-
tamlibet, nec dialecticam qualemlibet metuendam
esse assertoribus veritatis, quò minus assertores falsi-
tatis

tatis disputando cum eis, & eos refellendo conuin-
Cap. 21. cant. Vbi etiam demonstraui & illud quo te præter e-
pistolam meam dixi esse permotũ, quàm non sit con-
sequens, vt si concedimus esse baptismũ in parte Do-
nati, simul etiam concedamus in eadem societate
quenquam baptizari oportere: quia sicut bonam le-
gem potuit habere reprobus populus Iudæorum, sic
bonum sacramentum potest habere reproba societas
hæreticorum. Quid autem propriè detur in ecclesia
quod præter illam omninò non datur, suo loco sine
Infrà libr. 2. cap. 13. difficultate monstrabitur. Neq; enim rectè ageremus
cum hæreticis quos habere baptismum confitemur,
vt omni modo ad ecclesiam catholicam veniant, nisi
veniendo acciperent aliquid quod nec alibi possint
accipere: & quod nisi acceperint, frustrà & perniciosè
habeant quæcunque alia, quamuis bona & ad legem
Dei pertinentia vbilibet accipere potuerunt. Hoc e-
nim quicquid est quod secundum Scripturas certissi-
mamque rationem inueniri potuerit, non nisi in san-
cta ecclesia vel dari vel accipi posse, hoc pertinebit ad
fontem signatum, puteum aquę viuę, paradisum cum
fructu pomorum, cuius vt potuisti mentionem feci-
sti. Sed quid illud sit non te intellexisse ostendisti,
quandoquidem hoc de visibili baptismo dictum esse
arbitratis: quod licet sanctum sit, neque vllo modo
prætermittendum, quoniam sacratissima significatio-
ne præpollet, quàm multi eum tamen accipiant, non
solùm boni qui secundum propositum vocati sunt
cõformes imaginis filij Dei, sed etiam hi qui regnum
1. Corinth. 6. Dei non possidebunt, in quibus sicut dicit Apostolus,
& ebriosi & auari numerantur: puto quòd si pertina-
cia deposita cogitaueris, verum me dicere, tibi ipse
facilè respondebis, vt non quæras fontem signatum
& puteum aquæ viuæ, nisi quo hi qui displicent Deo
diuinitùs non permittuntur accedere. Contuli, lege.

LIBRI PRIMI FINIS.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA CRESCONIVM GRAMMATICVM, LIBER II.

CAP. I. Repetit antè dissenta.

VPERIORIS voluminis tam prolixo
sermone puto, quòd tandem aliquando
persuasimus, non esse in hoc laudandos
vestros episcopos neque approbandos,
quòd de causa dissensionis quę nostram
communionem dirimit, nolunt nobiscũ habere col-
loquiũ. Hac enim quasi præscriptione se in causa pes-
sima putant acutissimos, quam, nisi fallor, & veris certis-
q; rationibus, & maximè diuinarum scripturarum
exemplis penitus amputaui, quibus dilucidissimè do-
cui, à sanctis prædicatoribus atque assertoribus veri-
tatis, etiam contra præsentes eius aduersarios, nec D
tantùm qui ex eodem populo quo & illi fuerunt, ve-
rumetiam contra alienigenas & extraneos, & vnde
præcipuè vanas formidines iniicitis imperitis, contra
eos qui dialecticam maximè profiterentur, habitum
fuisse sermonem, ne contentiosissimus habeatur dili-
gentissimus prædicator: & ne litigator putetur impi-
ger disputator, instans secundum præceptum Apostolorum
2. Timoth. 4. 1. Thess. 5. opportunè, importunè, vt doctrina sana contradi-
centes redarguantur, vaniloqui refellantur, inquieti
corripiantur, pusillanimes consolentur, infirmi suscipiantur, dum aduersus omnes resistentes, verbum salutis Euangelicæ cum patientia defenditur, sine diffidentia prædicatur. Ostendi etiam quàm non debeatis ideò putare apud vos esse hominem baptizandum, quia & nos consentimus, quòd & haberi à vobis baptismus possit & dari: cùm & illud dicamus pernicio-

A sè haberi & perniciosè dari, quoniam illa sancta qui-
bus vtique mali vti possint, quantò sanctiora sunt,
tantò ab eis inutilius pœnaliusque tractantur. Vnde
cùm ad ecclesiam sanctam veniunt, ipsi corrigendi
sunt: non à nobis illa violanda, quæ nec à malis muta-
ta sunt. Audi ergo Cresconi, dum breuiter & hoc de-
monstro, nihil te dixisse per totam epistolam tuam
quo refelleres meam, nisi fortè quòd me nomina de-
riuare vel declinare docuisti, vt à Donato Donatianos A Donato, ab Donatiani potiùs, quàm Donatistæ appellandi.
potiùs quàm Donatistas dicere, quam tamen Græ-
cam saltem declinationem esse concedis, videlicet
quòd ita Donatistæ à Donato, vt Euãgelistæ ab Euan-
gelio nominentur, quo te delectari dicis, vt vestris
Euangelium prædicantibus, à simili mutata sit voca-
buli declinatio. Vide ergo ne fortè ipsi priores hoc
voluerint appellari, quia Donatum habẽt pro Euan-
gelio: nam sic isti à Donati, quomodo sancti omnes
nolunt ab Euangelij societate discedere, & ideò de-
B lectantur vocari Donatistæ, sicut Euangelistæ: tuque B
potiùs eis facias iniuriam, cùm scribis in Latino ser-
mone, non nisi Latinam regulam probans, Donatia-
nos à Donato, sicut ab Arrio & Nouato, Arrianos &
Nouatianos velles vocari. Namque ego cùm scribe-
rem, iam à nescio quibus propagatum sonabat hoc
nomen, neque id mutare curaui, cùm & hoc ad di-
stinctionem quam volebam satis sufficere existima-
rem. Si enim Demosthenes clarissimus oratorum,
quibus verborum tanta fuit cura, quanta rerum au-
thoribus nostris, cùm tamen ei nonnullam locutio-
nis insolentiam obiecisset Æschines, negauit ille in
eo positas esse fortunas Græciæ, illóne an illo verbo Oratione pro Ctesiphonte contra Aeschinem.
vsus fuerit, & an huc an illuc manũ porrexerit: quan-
tò minus nos laborare debemus de regulis deriuan-
dorum nominum, quando siue hoc siue illud dica-
mus, intelligitur sine ambiguitate quod dicimus,
quorum non in expolitione sermonis, sed in demon-
C stratione veritatis est maior intentio. Si autem quis- C
quam nostrorum primus flexit hoc nomẽ, nullo mo-
do mihi videtur illud simile intuitus, quòd Euangeli-
stæ ab Euangelio nuncupantur: sed quia per Dona- Donati duo, alter Cæsensis Numida, alter Carthaginiensis.
tum non tantùm Carthaginis, qui hanc hæresim ma-
ximè roborasse perhibetur: sed etiam maiorem Do-
natum à Casis nigris, qui altare contra altare in ea-
dem ciuitate primus erexit, magnum scandalum fa-
ctum est: ita fortassis à Donato Donatistas, vt ab scan-
dalo scandalistas voluit appellare.

SED ego ea in re, in qua nihil causæ nostræ mi- CAP. II.
nuitur, me facillimum præbeo, & quãdo tecum ago,
iam Donatianos voco: quando autem cum aliis, con-
suetudinem potiùs sequor quę his sonis iure domina-
tur: tu tantùm memento me, cui tantam tribuisti e-
loquentiam, nõdum nosse nomina declinare, & nun-
cia vestris securitatem, ne iam timeant tanquam dia-
lecticum, cui vides adhuc necessarium esse gram ma-
ticum. Quòd si disciplina disputandi, siue illam dia-
lecticam velis appellare, siue quid aliud: satis tamen so-
briè docet, cũ de re constat, non esse de nomine labo- De re vbi constat, non est de nomine laborandum.
randũ. Sicut non curo vtrũ ea ipsa dialectica vocetur,
curo tamẽ quantũ valeo nosse ac posse disputare, hoc
est, veritatem à falsitate in loquendo discernere; quia
hoc nisi curauero, perniciosè errabo: ita nõ curo vtrũ
Donatistæ an Donatiani peritiùs & literatiùs decli-
nemini; vtrũ postremò à Donato, vel qui primus extra
ecclesiã sacrificauit, vel qui hanc dissensionẽ maximè Prior Cæsensis fuit, posterior Carthaginiensis.
roborauit: an à Maiorino qui primus contra Cæcilia-
num vestræ partis episcopus ordinatus est, debeat vo-
bis, quando loquimur, distinctionis causa indi voca-
bulum. Quòd tamen hæretici sitis, & ideò ne decipi-
atis, cautissimè deuitandi, nisi diligenter demon-
strare curauero, non paruam negligentiæ culpam pro
mei officij sarcina incurram.

CAP. III. Inter hæresim & schisma quid interest.

QVANQVAM id quod inter nos accidit, schisma potius quàm hæresim censes appellari oportere, & quod rarò audere dialectici solent, etiam definitionibus ista discernis, vbi quantum nos adiuues, satis demonstrare nõ potero, nisi ex epistola tua inseram verba tua, *Quid sibi vult*, inquis, *quòd aís hæreticorum sacrilegum errorem? Nam hæreses nõ nisi inter diuersa sequentes fieri solent, nec hæreticus nisi contrariæ vel aliter interpretatæ religionis est cultor, vt sunt Manichæi, Arriani, Marcionitæ, Nouatiani, cæteriq; quorum inter se contra fidem Christianam diuersa sententia stat. Inter nos, quibus idem Christus natus, mortuus & resurgens, vna religio, eadem sacramenta, nihil in Christiana obseruatione diuersum, schisma factum, nõ hæresis dicitur. Siquidem hæresis est diuersa sequentium secta: schisma verò eadem sequentium separatio. Quare & in hoc studio criminandi quem tu incurris non vides errorem, cùm quod schisma est hæresim vocas.* Hæc nempe verba tua sunt quæ posui ex epistola tua.

Libr. I. contra Petil. cap. I.

CAP. IIII. Donatianos probat & hæreticos & schismaticos.

IAM nunc attende si pertinax non sis, quàm facili compẽdio id quod inter nos agebatur, ipse finieris. Si enim & nobis & vobis idem Christus natus, mortuus ac resurgens, vna religio, eadem sacramẽta, nihil in Christiana obseruatione diuersum est, nónne rebaptizare peruersum est? Tria namq; posuisti, quorum si vnum posuisses, satis superq; sufficeret. Sed quasi cõtra Donatianos fideliter ageres, ne quisquã vel nimis acutus, id quod semel breuiterq; dixisses interpretari aliter conaretur, etiã obtusis auribus & cordib. tuam curasti immergere atq; inculcare sententiam. *Vna*, inquis, *religio, eadem sacramenta, nihil in Christiana obseruatione diuersum*: & adhuc aduersus inuicem laboramus? iam tandem aliquando cohibere dissensionem, finite litẽ, amate pacem. Quid reprobatis? Quid exufflatis? Quare rebaptizatis? Vna religio est, eadem sacramẽta, nihil in Christiana obseruatione diuersum. Nam si vobis & nobis non est vnus baptismus, quomodo est vna religio? sed tu dixisti, vna religio: ergo & vnus baptismus. Quomodo sunt eadem sacramenta? sed tu dixisti eadem sacramenta; idem ergo & baptismus. Item si nobis & vobis diuersus est baptismus, quomodo nihil est in Christiana obseruatione diuersum? Sed tu dixisti nihil in Christiana obseruatione diuersum, non ergo diuersus est & baptismus. Quæ cùm ita sint, nos rectè quod vnum atq; idem neq; diuersum est, nec improbamus, nec exufflamus, nec iteramus, sed agnoscimus, suscipimus, acceptamus. Vos verò impiè quod vnum atq; idem neq; diuersum est, dissimulatis agnoscere, suscipere recusatis, acceptare non vultis, sed eligitis improbare, audetis exufflare, non metuitis iterare. Et cùm in hoc ipso quòd ea quæ inter nos mutata non sunt, nos suscipimus, vos repellitis: nos si à vobis data sunt, data iudicamus: vos si à nobis data sunt, tanquam non data repetitis. Cùm tam diuersa sequamini, appellari vos hæreticos dedignamini. Attende diligenter quid dicas, & quid dicam. Tu certè definisti & dixisti, *Hæresis est diuersa sequentium secta: schisma verò eadem sequentium separatio.* Item tu dixisti, nobis & vobis vnam esse religionem, eadem sacramenta, nihil in Christiana obseruatione diuersum. Quare ergo rebaptizas Christianum, ego non rebaptizo? Diuersa vtiq; sequimur. Quare te dici non vis hæreticum? puto quòd nõ parua signo agnoscamus hæreticos, qui cùm sibi & nobis vnam religionem, eadem sacramẽta, nihil in Christiana obseruatione diuersum esse fateantur, nolunt nos agnoscere baptizatos. An tanta obstinatione contenditis, tanta dissensione veritati resistitis, vt à religione, à sacramentis, à Christiana obseruatione baptismum separetis? Quod si facitis, in eo estis hæretici, quòd ad religionem, ad sacramenta, ad obseruationẽ Christianam baptismum pertinere non vultis. Si autem nõ facitis, in eo estis hæretici, quòd eos qui vobiscum habent vnam religionem, eadem sacramẽta, nihil in Christiana obseruatione diuersum, cùm & baptismum ad religionem, ad sacramenta, ad Christianam obseruationem pertinere fateamini; tamen rebaptizatis. Attende enim diligenter definitionem tuam in qua dixisti, *Hæresis est diuersa sequentium secta:* & vide vtrùm non diuersum sequamini, aut separando baptismum à religiosa obseruatione Christianorum sacramẽtorum, quibus eum nos inter magna coniungimus: aut eos cum quibus in vna religiosa obseruatione Christianorum sacramentorum etiam baptismus vnus est; tamen rebaptizando, quod nos detestamur.

A

B

C

D

CAP. V. Vrget verba Cresconij.

QVAM vellem si possem, cùm aliquẽ deceptum ex nostris fidelibus, vestri nefandis interimendum insidiis excipiunt, cùm apud nos iam baptizatum, nec cœpisse dicunt esse Christianum, cùm tanquam paganum exufflant, cùm catechumenũ faciunt, vt præparent deinde retingendum vel potiùs extinguendum, repentè aliunde existere, cum hac epistola tua, & hunc ipsum eius locum in mediis eorum ausibus recitando porrigere & exclamare, Quid facitis? Ecce audite, videte, legite, vna est nobis vobisq; religio, eadem sacramenta, nihil in Christiana obseruatione diuersum: in cuius nomine iste baptizatus sit priùs interrogate, & tunc si alium meliorem in vestro baptismo nominatis, date. Tunc illi fortasse si non ipsa rerum euidentia contremiscerent, continuò consilium suum magnum videlicet atque acutum proferrent & dicerent, Quis iste è nobis est cuius epistolam geris? Laicus noster est, nobis vinceret, vincitur sibi. Tum ego si adessem, conuersus ad te dicerem, Tu saltem obsecro dic nobis quid isti faciunt? Ecce apud nos baptizatum rebaptizare disponunt: Certè † ergo nobis & vobis vna religio, eadem sacramenta, nihil in Christiana obseruatione diuersum. An responderes, sed Christi baptismus non est religio, non est sacramentum, non est obseruatio Christiana? Auerterit Deus hanc à tua mente dementiã. Quid igitur mihi respõderes vrgẽti ac dicenti, Vna nobis vobisq; religio est: quibus autem baptismus vnus non est, non est vna religio: ergo nobis vobisq; vnus est baptismus. Eadem nobis & vobis sacramenta sunt: quibus autem baptismus idem non est, non sunt eadem sacramenta: ergo idem nobis & vobis est baptismus. Nihil est nobis & vobis in Christiana obseruatione diuersum: quib. autem diuersus est baptismus, nõ vtiq; nihil est in Christiana obseruatione diuersum: non ergo nobis & vobis diuersus est baptismus, Cur quod vnum est improbatur, cur quod idem est exufflatur, cur quod diuersum non est iteratur?

† Ergo, rediuiuo date videtur.

CAP. VI.

ME sic agente in præsentia, sic instante, ad quas tergiuersationes confugeretis? Videlicet contemnerent in epistola tua illi Grammaticos, tu accusares in nostra dialecticos, sed veritas ex vrraq; superaret hæreticos, hoc solùm in eis ostendens à nobis esse diuersum, quod cõstat esse peruersum: quia nos sacramenta nostra cognoscimus, errorẽ alienum emendamus: vos autem eadem sacramenta fatemini, quæ tãquam nulla sint iteratis, magna diuersitate reprobantes quod diuersum non esse conceditis.

CAP. VII. Quid propriè schisma.

PROINDE quãuis inter schisma & hæresim magis eam distinctionẽ approbem, qua dicitur schisma esse recens congregationis ex aliqua sententiarum diuersitate dissensio: (neq; enim & schisma fieri potest nisi diuersum aliquid sequantur qui faciunt) hæresis autem schisma inueteratum: tamẽ quid hinc opus est adlaborẽ, cùm me tantùm adiuuent definitiones tuę, vt si mihi & per alios vestros concederetur, schismaticos vos libentius quàm hæreticos dicerem. Si enim schisma

schisma faciunt quibus cum eis à quibus se diuidunt vna religio est, eadem sacramenta, nihil in Christiana obseruatione diuersum: hinc est vestra rebaptizatio dãnabilior, quia in vna religione, eisdem sacramentis, nihilo in Christiana obseruatione diuerso, alius & diuersus esse non potest baptismus. Sed quoniã nec nullum est nec aliquid paruum, quod diuersum sequimini cùm ab vnitatis vinculo separati, etiam de repetitione baptismi dissentitis à nobis: fit vt secundũ istam ipsam definitionem tuam qua dixisti, *Hæresis est autem diuersa sequentium secta*, & heretici sitis, & victi appareatis. Hæretici quidem quòd non tantùm diuisi, verùm & in rebaptizando diuersum sequimini. Victi autem, quia datum per nos baptismum tanquam non ipsum, vel tanquã nullum sit iteratis, quod vnum atq; idem, nec diuersum esse fatemini. Tua quippe verba sunt quòd nobis vobisq; sit vna religio, eadem sacramenta, nihil in Christiana obseruatione diuersum.

A

CAP. VIII. Donatista iniuriati transeunt.

QUAPROPTER si literis tuis pars Donati subscriberet, ac deinde ista quæ à me atq; à te dicta sunt, sine insana pertinacia vel impudentia cogitaret, nihil vlterius aduersus nos sentiret & diceret. Sed quoniam tu es cui respondeo, iam puto quòd & ipse videas, quàm non studio criminandi, sed perniciosam redarguendi fallaciam dixerim Donatistarum hæreticorum sacrilegum errorem. In quibus quatuor verbis siue nominibus, quia hoc vel tibi vel arti Grammaticæ placet, primum quod positum est Donatistarum corrigo & muto, & Donatianorũ dico, cętera verò tria quoniam verissima dicta esse iam, vt puto, sentis, vos corrigite, vos mutate. Mutate inquam & corrigite Donatianorum vel quodlibet aliud vocandi sitis, tamen hæreticorum sacrilegum errorem: nam & hæretici estis, vel quòd in schismate inueterato remansistis, vel ex tua definitione quòd de ecclesia, quæ corpus est Christi, vel de iteratione Christiani baptismi diuersum sequimini. Et sacrilegus error est non solùm à Christiana vnitate separatio, verũetiam sacramentorum, quæ secundum tuam confessionem vna atque eadem sunt, violatio atq; rescissio. Quod si corrigitis & mutatis, quomodo tales vos suscipimus quales eratis? Vnde inaniter tam multa locutus es, & cùm sis ingenio tam acuto, consuetudine audiendæ vanitatis obtunderis, vt videatur tibi quòd cùm ad nos à vobis transeunt, tales eos quales erant suscipimus, quia in eis traditionem Christianorum, quam nec alienati alienauerãt, nec peruersi peruerterant approbamus, quæ sacramenta etiam tu, quamuis non talis quales nos sumus, non potuisti tamen nisi talia, nec sic talia, quasi alia similia, sed omninò eadem confiteri.

B

CAP. IX.

OBSECRO te dic mihi, quomodo talis est qualis fuit qui veneratur ecclesiã quam blasphemabat, qui tenet vnitatẽ quam non tenebat, qui habet charitatem quam non habebat, qui accipit pacẽ quã respuebat, qui approbat sacramentum quod exufflabat? An verò ita sunt omnia falsis vera preposterata, vt non dicantur mutati, in quibus ea quæ diuersa fuerant veritate corriguntur, & mutati dicantur, in quibus ea quę similia vna eademq; fuerant, vanitate iterantur? Noli ergo vlterius in hac re, non tãtùm carnaliter, verumetiam puerìliter sapere, vt tales quales erant vestros à nobis suscipi existimes: qui cõuersione voluntatis ab errore ad veritatem, à diuisione ad vnitatem, à dissensione ad pacem, ab inimicitiis ad charitatẽ, ab humana præsumptione ad diuinarum scripturarum authoritatem, nõ antè incipiunt esse nostri quàm esse destiterint vestri. Hæc cõuersio voluntatis repentè mutatit, non solũ in teloneo peccatorem, verumetiam in cruce latronem. Nisi putas q̃ Christus in paradiso secum esse voluisset cruentũ sceleratumq; hominem, si non cordis illa cõuersio continuò faceret innocẽtem, vt eo die, ex eo loco, ex eo ligno trãsiret ad immortale fidei præmiũ, in quo exceperat mortis pro iniquitate supplicium. Siue enim ad malũ siue ad bonum paruo momẽto animus cõmutatur, sed non ideo paruum est quod meretur. In ipsis corporalibus & tẽporalibus pœnis & beneficiis diu nutritam quamlibet ætatem vnus ictus interimit, & triginta & octo annorũ ægritudinem mox vt Dominus dignatus est iubere, sanauit. Crede certè rebus, non verbis inanibus. Mutati ad nos vestri trãseunt, absit vt ipsi sint qui fuerunt. Quod vtinã & tu facias, & quàm verum sit in te tibi credas.

Matth. 9. Luc. 23.

Ioan. 5.

C

D

CAP.

MAGNVM aliquid tibi dicere visus es, nominando Candidum Villaregiensem, & Donatũ Macomadiensem, qui ex vestris episcopis etiã apud nos episcopi fuerunt, & probata vita ad honorabilis senilis ætatis meritũ peruenerunt: quasi sacramẽta & inuocatio nominis Dei quæ sit apud vos, ipsa inimica sit nobis, cùm & in eis qui extra ecclesiã sunt, non sit omninò nisi ecclesiæ. In qua quæstione si meis verbis laborarem, tuis adiuuarer: Nam si extra ecclesiã nihil ecclesiasticum posse esse sentires, non ipse dixisses, nobis & vobis vnam esse religionẽ, eadem sacramenta, nihil in Christiana obseruatione diuersum. Quib⁹ verbis tuis non in totũ consentio. Christiana quippe ecclesia caretis, Christianã charitatẽ nõ habetis: Christiana sanè in vobis sacramẽta cognosco, & in his illud quoq; diuersum improbo ac respuo, quod cũ eadẽ etiã in schismate habeatis, eadem in catholicis exufflatis. Prorsus agnoscit in vobis ecclesia euncta quę sua sunt, nec ideò nõ sunt eius, quia & apud vos inueniũtur. Apud vos quippe aliena sunt, sed cùm vos correctos recipit cuius sunt, fiũt etiam salubriter vestra, quæ perniciosè habebatis aliena. Discordia vos possidet sub titulo pacis. Ergo discordia pellatur, pax introducatur. Quid causæ est vt titulus deponatur? Episcopus est, inquis, episcopũ recipis: presbyter, presbyterũ. Posses & mihi hoc dicere, homo est, hominem recipis. Tam quippe in illo sacramenta Christiana, quàm membra humana cognosco, nec curo per quẽ fuerint seminata, sed à quo creata. Quibus si malè vti voluerit, eoipso malus fit, quòd creatorem de bonis eius offendit. Si autem bene vti cœperit, se corriget, non illa mutabit.

A

B

C

CAP. XI. Episcopatus officium laudabiliter interdum & recusati, & suscepti deponitur.

ET de episcopis quidem vel clericis recipiendis alia quæstio est. Quamuis enim cùm apud vos ordinãtur, non super eos inuocetur nomen Donati, sed Dei: tamẽ ita suscipiuntur vt videtur paci & vtilitati ecclesiæ cõuenire. Neq; enim episcopi propter nos sumus, sed propter eos quibus verbum & sacramentum Dominicũ ministramus: ac per hoc vt eorum sine scandalo gubernãdorum sese necessitas tulerit, ita vel esse vel non esse debemus, quod non propter nos, sed propter alios sumus. Deniq; non nulli sanẽta humilitate præditi viri, ꝓpter quædã in se offendicula, quibus piè religioseq; mouebãtur, Episcopatus officium non solùm sine culpa, verumetiã cum laude posuerũt. Nunquid sic etiã Christianum nomen & fidẽ laudabiliter, ac non potiùs damnabiliter ponerent? Sicut in accipiendis his rebus possunt esse iustæ causæ cur excuseret quisq; fieri episcopus: nec tamen similiter potest vlla causa esse iusta cur q̃s excuset fieri Christianus. Quid ita, nisi quia sine episcopatu vel clericatu salui esse possum⁹, sine Christiana verò religione nõ possumus?

CAP. XII. Respiciẽtes hæreticos quatenus in ipsorum honorũ gradibus recipi conueniat.

PROINDE vestri episcopi seu quilibet clerici, quantum ad ipsa ecclesiastica officia pertinet, sic in catholicam susceptí sunt vnitatem, quemadmodum expedire videbatur iis quorum saluti per eorum consulebatur officium vel exercendum vel omittẽdum. Veruntamen etiam de ipsis qui & apud nos eosdẽ administrauerunt honores: nunquid sicut dicere potuisti: Episcopus est, episcopum recipis, ita poteris dicere: hæreticus est, hæreticum recipis: aut schismaticus est,

est, schismaticum recipis: aut Donatianus est, Donatianum recipis? His enim nominibus non gradus honoris à plebeia dignitate, sed crimen erroris à catholica veritate distinguitur. Proinde illa tanquã ecclesiastica munera etiã in alienis inuẽta, qui vos relinquendo ad nos transeundo nostri fiunt, pro vtilitate populorũ, quibus hac dispensatione seruimus suscipiũtur: illa verò vitiosa & propriè vestra, sanantur, corriguntur, mutantur: dum tamen ea sacramenta sine quibus homo non potest fieri Christianus, etiã in hæreticis sic tractentur, vt cùm ad ecclesiam veniunt, quod defuerit addatur, quod agnitũ fuerit approbetur: ne dũ nimis offendimur eis malis quæ contra ecclesiam pepererunt, persequamur etiã bona quæ de ecclesia discedendo traxerunt. Nam etiam ramus fractus, si rursus, sicut ait Apostolus, inserẽdus sit, radix ei redditur, non forma mutatur. *At enim quia nostros*, inquis, *hæreticos & sacrilegos vocas, quod nefariũ & inexpiabile crimen est, nunquid talibus sine aliqua expiatione ignosci debet aut potest? Cur ergo*, inquis, *non emaculas venientem? cur non primò abluis & emundas, & sic tibi communicat?* Quid quòd ex his verbis tuis multò conuenientiùs alius dixerit, talibus tamen ignosci nec debere nec posse: teq; tibiipsi contraria locutũ esse monstrauerit, vt ideò diceres cũ aliqua expiatione talibus ignoscẽdum, quia id quod obiicitur inexpiabile est. Quomodo ergo expiatur quod inexpiabile est? Quomodo sperem te auditurum esse quod dico, qui tam in proximo non audis ipse quod dicis, cùm tibi continuò contradicis: censendo expiandũ quod inexpiabile dixeris? Nos autem ita vestrũ dicimus hæreticum & sacrilegum errorẽ, vt tamen inexpiabilem nõ dicamus: alioquin frustrà vobiscũ vt eo relicto correcti ad ecclesiã catholicam transeatis, quibus modis possumus agendum esse cẽsuimus. Nec nostro sicut scribis verbo te vti arbitreris, quasi hoc malum sine venia & sine medico esse dicamus, quod omninò non dicimus, quia & veniam merentur quos huius mali pœnituerit, & omnipotẽs est medicus qui per Propheram dicit: Si conuersus fueris & ingemueris, tunc saluus eris. Quapropter si in aliquẽ fortè incidisti, vel minùs in his rebus instructũ, vel minus quid loqueretur intuentem, quamuis esse cõmunionis catholicę videretur qui hoc tibi diceret, ipse potiùs huius incõsiderati verbi veniã mereatur: sicut tu qui cùm sis tam liberaliter eruditus, & in arte verborũ non mediocriter doctus, minus tamen quid loquaris attẽdens, expiandum censes quod inexpiabile dixeris: & quod est monstrosius, ideo expiandũ, quia inexpiabile. Non est aũt catholicũ eos hortari, vt errore correcto salui fiant, quos inexpiabiliter atq; insanabiliter asserimus errare. Sed ideò vobis nõ videntur mundari, cùm ad nos à vobis transeunt, quia non denuò baptizantur: quasi solo baptismo quem repeti non oportet cùm idem atq; vnus est, homines ab errore mundentur. Mundãtur & verbo veritatis ab illo qui ait, Iam vos mundi estis, ꝓpter verbũ quod locutus sum vobis. Mundantur & sacrificio cõtriti cordis ab illo de quo dictũ est: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritũ & humiliatũ Deus non spernit. Mundantur & eleemosynis ab illo qui ait: Date eleemosynã, & ecce omnia munda sunt vobis. Mundãtur ipsa quæ supereminet omnib⁹ charitate ab illo qui per apostolũ Petrum dixit, Charitas cooperit multitudinem peccatorum: quæ vna si assit, omnia illa rectè fiunt: si autẽ desit illa, omnia frustra fiunt. Hæc verò vnde sit, audi docentem Apostolum: Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordib⁹ nostris per Spiritũ sanctum qui datus est nobis. Vnde meritò creduntur qui extra ecclesiã baptismũ ecclesiæ perceperunt, non habere Spiritũ sanctũ, nisi cùm ipsi ecclesię vinculo pacis per cõnexionẽ charitatis adhærescunt.

Rom. 11.

Eccl. 18.

Non solo baptismo peccata mundari.

Ioan. 15.

Psalm. 50.

Lucæ 11.

1. Petr. 4.

Roman. 5.

A IAM enim locus est vt ostendã quod in primo libro distuleramus, quid in ecclesia quæ sanctũ corpus est Christi ꝓpriè possit accipi, quod præter illam non potest accipi. De his enim qui schismata faciebant, idem Apostolus dicit: Animalis aũt homo non percipit ea quę sunt spiritus Dei: primã ad Corinthios epistolã lege, & inuenies. Baptismus igitur sacramentum est nouæ vitæ ac salutis æternæ: quem multi habent non ad vitã æternam, sed ad pœnam æternam, nõ bene vtẽtes tanto bono. Charitatem verò sanctam quæ est vinculum perfectionis, nemo potest habere non bonus, nemo qui habet potest esse vel schismaticus vel hæreticus. Cùm ergo quisq; ad ecclesiæ veniẽs vnitatẽ, cùm eius mẽbris veraciter copulatur accipiat Spiritũ sanctum, per quẽ diffunditur charitas in cordibus nostris, eademq; charitas cooperiat multitudinem peccatorũ, vt baptismum quem primũ habebat ad iudiciũ, habere iam mereatur ad præmiũ: quomodo eũ mundari negas, nisi quia omninò quæ sit mundatio spiritalis ignoras? Non igitur sicut conuiciaris, tanquam in asylum Romuli vestros nocentes recepimus, quos ciuitas Dei recipiendo efficit innocentes, cùm ad eandem veraci corde transierint, de qua eius conditor dicit, Non potest ciuitas abscõdi super mõtem constituta, non enim eã condidit qui fratrem superbè occidit iratus, sed qui fratres humiliter redemit occisus. Hanc Spiritu sancto mundante lætificat, de quo clamabat dicens, Si quis sitit, veniat & bibat: non aquam visibilem commendans quæ datur in baptismatis sacramento, quam & boni & mali habere possint, quamuis sine illa boni salui fieri non possunt. Quæ quamuis ecclesiæ sit, tamẽ etiam foràs profluit, cùm & apud illos inuenitur qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: sicut aqua in aliquo ex illis memorabilibus quatuor fluminibus negari non potest quòd sit aqua paradisi, quamuis non sit in solo paradiso, quæ etiam extra inde manauit.

Cap. vltimo.

1. Cor. 2.

Sola charitas extra Ecclesiam haberi non potest.

Matth. 5.

Ioan. 7.

C NON ergo hanc aquam, sed aquæ nomine inuisibile Dei donũ sanctum spiritum cõmendabat, dicẽs: Si quis sitit, veniat & bibat: sicut euidenter Euangelista testatur adiungens: Hoc aũt dicebat de spiritu quẽ accepturi erant credentes in eum. Spiritus enim nondũ erat datus, quia Iesus nondum fuerat clarificatus. Et vtiq; quantum ad sacramentum attinet lauacri visibilis, antequã esset resurgendo clarificatus, iam baptizauerat plures quàm Ioannes, sicut ipsum loquitur Euangeliũ. Vnde dicit discipulis suis: Ioãnes quidem baptizauit aqua, vos autẽ baptizabimini Spiritu sancto, quem & accepturi estis non post multos dies hos vsq; ad Pentecosten. Hic Spiritus sanctus veniens in eos, tale signum primitus dedit, vt qui eũ acceperant, linguis omnium gentiũ loquerentur: quia portendebat ecclesiã per omnes gentes futurã, nec quenquam acceptur.m Spiritum sanctũ, nisi qui eius vnitati copularetur. Huius fontis largo atque inuisibili flumine lætificat Deus ciuitatẽ suam, de qua Propheta prædixit, Fluminis impetus lætificat ciuitatẽ Dei. Ad hunc enim fontẽ nullus extraneus, quia nullus nisi vita æterna dignus, accedit. Hic est ꝓprius ecclesiæ Christi, cui tanto antè prophetatũ est, Fons aquæ tuæ sit tibi ꝓprius, & nemo alienus cõmunicet tibi. De hac enim Ecclesia & de isto fonte dicitur & in Cantico Canticorũ, Ortus cõclusus, fons signatus, puteus aquę viuę.

CAPVT XIIII. Spiritus sanctus fons.

Ioan. 7.

Ioan. 4.

Actor. 1.

Actor. 2.

Prouerb. 5.

Cantic. 4.

D HOC vestri de visibilis baptismatis sacramento accipientes, tantùm errant vt res absurdissimas fateri cogantur inuiti: quod ad illum scilicet fontem viuum, qui proprius est vnicæ columbæ, de quo dictum est: Nemo alienus communicet tibi: ad ortum conclusum puteumq; signatũ potuerit accedere Simon magus, quem legimus à Philippo baptizatum: potuerint accedere tot ficti, de quibus gemẽs loquitur Cypria-

CAP. XV.

Prouerb. 5.

Actor. 8.

Epistola seu ser. de lapsis.

nianus, *Seculo verbis solis & non factis renunciantes*, tot etiã Episcopi auari, de quibus idem ipse testatur. *Fundos insidiosis fraudibus rapientes, vsuris multiplicantibus fœnus augentes.* Ista quippe in baptizatis & baptizantibus visibili baptismo reperiuntur. Ad illum tamen fontẽ proprium cui nemo cõmunicat alienus: ad illum fontem signatum, hoc est, ad Spiritus sancti donum, quo charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, nullus istorum nisi mutatus accedit, ita omninò mundandus, vt nõ sit alienus, sed sit cælestis particeps pacis, sanctæ socius vnitatis, plenus indiuiduæ charitatis, ciuis angelicæ ciuitatis. Ad hanc itaq; ciuitatem quisquis hęresis vel schismatis deposito errore, correctis moribus, pia mẽte conuertitur, si iã sacramẽta gestabat, quæ foras etiã ad indignos ꝓfluere potuerunt, hæc honorantur in eo, quia & in alienis nõ videntur aliena, sed iam illo proprio cui nemo cõmunicat alienus, illo signato spiritus sancti fonte mundatur, à quo apud vos etiam quisquis cæteris moribus laudabilis fuerit, solo schismatis vel hæresis crimine separatur.

Aliter hereticos & schismaticos, aliter paganos in ecclesiam recipiendos.

CAP. XVI. CVM ergo veniunt ad nos vestri, desistentes esse vestri, incipientes esse nostri, accipiunt quod non habebant, & salubriter habere incipiunt, quod tanto perniciosiùs, quanto indignùs habebant. Accipiunt enim primitus ipsam Ecclesiam, & in ea pacem, charitatem, vnitatem per fontem eius proprium atq; inuisibilem Spiritum sanctum, sine quibus vtique nullo dubitante interiissent, quicquid aliud apud vos quod de ecclesia foràs trahi potuit habuissent: faciliore autem venia quod nõdum habuerunt accipiunt, quàm si habuissent, & tamen deseruissent. Et hoc discernitur apud nos, vt aliter recipiantur qui catholicam reliquerunt, aliter qui ad illam primitus veniunt. Illos enim amplius grauat crimen desertionis: hos autem non à se diruptum, sed cognitum & retentum vinculum releuat vnitatis. Vnde fieri potest vt quos seductos rebaptizauerunt, ipsi pro eis pœnitẽtibus Dominum deprecentur, si prius isti conciliati, quàm illi reconciliati ecclesiæ fuerint. Sicut fieri potest, vt etiam cultores idolorum si quos fortè Christianos ad idola seductos apostatas fecerint: si priores seductores facti fuerint Christiani, & magnum aliquod meritũ in Ecclesia consecuti, per ipsos illi quos deceperant redeãt, per ipsos commendentur & reconcilientur Dño per quos dimiserant Dñm. Quod enim valet ad mundanda sacrilegia gentilium, rectè perceptum sacramentum baptismatis; hoc valet ad mundanda sacrilegia schismaticorum & hæreticorum, veraciter apprehensa charitas vnitatis. Quamobrem sicut seductores fidelium Christianorum veniẽtes ad Christum seductis redeuntibus præponũtur, vnde isti & Episcopi fieri possunt, illi non possunt: ita mirari non debent decepti ab hæreticis quando ad catholicam redeunt, suos deceptores sibi anteponi quando ad catholicam veniunt. Isti namque excusabilius petunt, quæ sibi defuerunt, illi humilius repetunt quod fuerunt: istos honorabilius vbi nondum steterant aduocamus, illos suspectius vnde lapsi fuerant reuocamus. Proinde iam peruides, vt opinor, non frustrà me dixisse Donatistarum, vel vt tu mauis Donatianorum, hęreticorum sacrilegum errorem, si & ab ecclesia catholica dissentitis, & quæ vna atque eadem fatemini sacramenta rescinditis: nec tamen sine venia vel insanabiles estis misericordiæ Dei, quia discordioso errore deposito, ad catholicam veritatem pacemq; conuersi, per donum eius ꝓprium, hoc est, sanctum eius spiritum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, mundari sanariq; poteritis: non vt destruãtur in vobis Ecclesiæ sacramẽta, quæ aliena perniciosè foris habebatis, sed vt ea ipsa intus iam vestra salubriter habeatis.

Vide epistol. 73. cent. 2.

Iuicio lib. 1. cap. 2. contra Petil.

CAP. XVII. NVNC videamus quemadmodum ostendas rectè

A dixisse Petilianum, vel quemlibet alium: *Cõscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis*: vbi ego dixi: *Quid si lateat dantis conscientia, & fortasse maculosa sit, quomodo poterit accipientis abluere conscientiam?* Tu contrà, non quid à te homine acuto, sed quid à vestris dicatur diu locutus es, quod totum breuiter ita dici potest: Conscientia dantis attenditur, non secundum eius synceritatem, quæ in illa videri non potest, sed secundum famam quæ de illa seu vera seu falsa est: quia videlicet eius est hominis, qui & si sceleratus occultus sit, sufficit accipienti, quòd bonæ sit existimationis, nondum cognitus, nondum iudicatus, nondum ab Ecclesia separatus. Vide, obsecro te, in quod præcipitium compulerit homines angustia non inueniendi quà exirent. Itáne dantis maculosa conscientia, conscientiam potest accipientis abluere, si habeat famam bonam, & tantũ ad abluendum poterit, quantum bona, si bonam famam fallendo contraxerit? Attendis quid dicatur, & vis iam prætereamus hunc locum, an hoc idem adhuc versabo, vt diligentius cogaris attendere? Perilianus dixit, *Cõscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis*, Ego dixi, *Quid si lateat dantis conscientia, & fortasse maculosa sit, quomodo poterit accipientis abluere cõscientiam?* Tu vel potiùs vestri dixerunt (nam tu vir talis quãdo ista dixisses) quamuis habeat conscientiam maculosam, mihi tamen qui ab eo baptizor, quia latet & nescio, sufficit quòd ab eo accipio, cuius innocentem, quia in Ecclesia est, conscientiam puto. *Nam ideo*, inquis, *conscientiam dantis attendo, non vt quod fieri non potest, de latentibus iudicem, sed vt si quid de illo in publica fama vel cõscientia est, non ignorem. Propter hoc enim ab omnipotente Deo dictum est, Quæ nota sunt, vobis: quæ occulta, mihi. Semper igitur attendo conscientiam dantis, & quia ipsam non video, quid de ea in publico notum est, quæro: nec ad rem pertinet si aliud sit in secreta conscientia, aliud in publica fama. Sufficit enim scisse, quia necdum eius à quo accipio damnata conscientia est.*

Excutitur dictum Petilianii, Conscientia sanctè dantis attenditur quæ abluat accipientis. Vide libr. 1. contra Petil. cap. 1.

B

C

CAPVT XVIII. ECCE ipsa verba tua posui quibus te dicere ostẽderem, quod meis verbis breuiter aperteque complexus sum, quod ad hoc attendatur abluentis cõscientia, vt quę de illâ fama sit cognoscatur. Non ergo ipsa attenditur homo bone, non ipsa attenditur quę videri non potest, sed fama attenditur, quę etiam falsa esse potest, quod ipse confiteris atque concedis. Nam & tu vidisti maculosam cõscientiam non valere ad abluendum. Non ergo conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipiẽtis; sed fama, qua putatur sanctè dare, etiã qui sanctè nõ dat & putatur abluere qui nõ abluit. Abluit ergo accipientẽ mali hominis fama bona, non ipsius dantis polluta conscientia. Cur ergo dictum est, *Conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis*: nisi quia non abluit accipientis, si non est conscientia sancte dantis? Si maculosa & immunda est, quid ergo tunc attenditur? Ipsa, inquis, attẽditur, cùm fama eius attẽditur. Et si bona est fama, nihil interest ad abluendum accipientem, etiã cùm est mala conscientia, sed abluit bona eius fama. Dic rogo te, cũ mala cõscientia est, vera est bona fama eius an falsa? Proculdubio vtiq; falsa. Proinde cùm bona nõ est, & occulta est dãtis conscientia, quomodolibet eam tibi videaris attendere, secundum hanc sententiã, non abluit accipientem, nisi dantis aut fama falsa aut polluta conscientia. Vtrunq; insanum est, si te talia delectant, tu elige quid sit insanius. Porrò quia veritas non admittit vt accipientis conscientiam vel falsa fama dantis abluat vel polluta conscientia: restat vt abs te etiam vnde abluatur accipiens, quando latet dantis maculosa cõscientia, requiramus, quod & ibi quęsiuimus: quoniã sicut dicit Petilianus vel quilibet alius, consentientibus vobis, cùm sanctè dantis conscientia est,

CAPVT XVIII.

D

est, id est, cùm bona & munda conscientia est, abluit accipientis cõscientiam. Puto enim iam non te repetiturum atque dicturum, quòd impleat in abluendo vicem conscientiæ bonæ eius falsa bona fama: sufficit quòd hoc vestros non te dicere asseruisti. Illorum te pudeat, non etiam tui. Restat ergo vt tunc vel Deus vel quisquam sanctus angelus abluat. Quod si dixeritis, illa horrenda cõsequetur absurditas, quam in illa epistola mea cõmemoratam, non dico videre noluisti, quia prsus nõ attigisti, sed tanto attentiùs acutiusq́ue vidisti, quantò magis attingere timuisti. Si enim hoc dicitis, quòd cùm sanctus homo baptizat, sancta eius cõscientia diluit accipientis conscientiã, cùm verò conscientia dantis latenter immunda est, tũc Deus angelúsve abluit: cauete ne qui vobis hæc dicẽtibus credũt, occultos malos optent inuenire à quibus baptizentur, vt multo sanctiùs ab ipso Deo vel angelo eius abluãtur. Hanc absurditatẽ vel deridendam vel detestandã cùm in verbis præcedentib⁹ Petiliani perspiceres, cõsequenter & à me in Epistola mea cõmemoratã, cautè tu quidẽ quasi nihil horũ dixetim, rem tantam silendã putasti, sed confugisti ad nescio quid absurdius, vt cũ maculosa conscientia dantis occulta est, & ideò non potest accipientis abluere, tunc falsa fama eius accipiens abluatur, & in eo veritatẽ falsitas operetur. Núc i, & accusa calũniosẽ dialecticos quòd fugienda versutia sermonis efficiant, vt si falsum est, verũ sit, si verũ est, falsum sit. Ecce tale aliquid ipse in sacramẽta Christianæ regenerationis immittis, imò peius magisq́ue fugiendũ. Illi enim non in sua fraude nec in rerũ veritate, sed in pplexitate locutionis humanæ quędã verba dicunt tunc videri vera cùm falsa sunt, tunc falsa cũ vera sunt, quę cùm in disputationẽ incíderint, animo discerni, etiãsi dissolui sermone nõ possunt. Tu verò non verbũ quodlibet, nec rẽ quamlibet, sed ipsam qua in æternã vitã renascamur mundationẽ conscientiæ verã fieri posse dicis in homine per famã falsam alienæ cõscientiæ. Et ne tibi hoc tribuatur quia dialecticam didicisti, vestrorũ dicis hanc esse sententiã, quibus non vt dialecticus, sed planè vt hæreticus consensisti. Per te igitur aut per vestros hęc est magnifica inuẽta vel demõstrata doctrina, Cũ sanctè dãtis bona cõsciẽtia est, tũc ab ea fit bonus qui baptizatur, tũc arbor bona bonũ fructũ parit: cùm verò conscíẽtia dãtis mala & occulta est, tũc eius quæ falsa est bona fama consulitur; vt tunc à fallente accipiat homo baptismũ verũ, cùm de illo crediderit falsum: atq; ita ne desit quæ fructũ pariat hæretici erroris, fit mater falsitas veritatis. Hoc ideò totũ tã execrabile, tã mirabiliter peruersum & insanũ †, ne quod Dei est Dei esse dicatur: vt quod à Deo sumitur, hominib⁹ tributur: ne qui dixit, *Cõscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis*, errasse videatur. *Nostri hoc*, inquis, *de scripturis probant, quoniã Iudas traditor, antequã damnaretur, omnia sicut Apostolus gessit.* Quid hoc ad Petiliani sententiã fixam atq; definitã, *Conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis?* nisi quòd & Iudas iste nimiũ contra vos est, cùm verbis alienis inconsideratè ꝓlatis patrocinium prębere conamini. Cũ enim Iudas sicut Apost. baptizaret, quãdoquidem malus erat, quia fur erat, & ea quæ mittebantur in cõmissos sibi loculos auferebat, non vtiq; cõsciẽtia eius attẽdebatur, sed Deus & Christus in quẽ credebatur. Neq; n. & ipsius mali hominis falsò bona fama credẽtes & accipiẽtes abluebat, nec generabat in homine gratiã diuinæ veritatis falsitas humanæ opinionis. Et illud testimoniũ quod de Scripturis posuisti, Quæ manifesta sunt, vobis: quę aũt occulta sunt, Dño Deo vestro: ista verba redarguit atq; cõuincit. Si enim quæ occulta sunt, Dño Deo relinquenda sunt, quomodo conscíẽtia dantis nõ solũ mala, verumetiã bona, cùm occulta est attenditur, vt abluat accipiẽtis? Aut si ipsa cũ occulta est non attenditur, quid tunc accipiens iubetis attendat, vnde conscientia eius abluatur?

Libr. 1. contra Petil. cap. 6.

† Deféditur, aut tale quiddã subintelligendũ.

Matth. 7.

EXPERGISCIMINI aliquãdo, nunc saltẽ dicite, attẽdat Deũ, qui timetis ne humiliemini, si nõ in homine, sed in Dño gloriemini. Est, inquis, quod timeã: si enim cũ latet dantis conscientia dixero, vt accipiẽs attendat Deũ, & ab illo tunc eius ablui conscientiam confessus fuero, illa me horrẽda consequitur absurditas, sanctiùs ablui homines cùm baptizatores habent occultos malos, quàm cũ manifestos bonos, si homo abluit quãdo dantis conscíẽtia bona est & manifesta, Deus aũt quando mala & occulta. Dic ergo quod dicimus, quia hoc est verum, hoc sanum, hoc catholicum, quòd Christus mundat accipientium conscientias, siue per bonos ministros baptismi sui, siue per malos, quoniam de illo scriptum est, Christus dilexit ecclesiã, & seipsum tradidit pro ea, vt eã sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo. *Tu*, inquis, *responde quomodo baptizent quos damnauit ecclesia?* Iam ergo receditur à verbis Petiliani, quoniam illo dicente, *Conscientia sanctè dantis attenditur quæ abluat accipientis*: cùm quærerem, quis abluat accipientis conscientiam, quando polluta dantis occulta est, non mihi potuit respondere; tam enim contra veritatem dicitur, quod falsa eius fama possit abluere, quàm si hoc ipsa mala conscientia posse diceretur. SI autem quæris, quomodo baptizant quos damnauit Ecclesia? Respondeo sic eos baptizare, quomodo baptizant quos damnauit Deus, antequam de illis quicquã iudicaret ecclesia. Qui enim mente peruersa videtur intus esse cùm foris sit, ab ipso Christo iam iudicatus est. Ipse quippe ait, Qui non credit, iam iudicatus est. Paulus aũt Apostolus dicit, Ecclesia subdita est Christo, Non igitur debet ecclesia se Christo præponere, vt putet baptizare posse ab illo iudicatos, à se aũt iudicatos baptizare non posse, cũ ille semper veraciter iudicet, Ecclesiastici aũt iudices sicut homines plerunq; fallantur. Baptizãt ergo quantũ attinet ad visibile ministeriũ & boni & mali, inuisibiliter aũt per eos ille baptizat, cuius est & visibile baptisma & inuisibilis gratia. Tingere ergo possunt & boni & mali, abluere autem conscientiam non nisi ille qui semper est bonus. Ac per hoc etiã nesciente Ecclesia ꝓpter malam pollutamq́; conscientiã damnati à Christo, iam in corpore Christi nõ sunt quod est Ecclesia, quoniã non potest Christus habere membra damnata: proinde & ipsi extra Ecclesiã baptizant. Omnia quippe ista monstra absit omninò vt in mẽbris illius colũbæ vnicæ cõputentur: absit vt intrare possint limites orti conclusi, cuius ille custos est qui non potest falli: Qui tamen si confitẽtur & corriguntur, tunc intrãt, tunc mundantur, tunc in arboribus orti conclusi, tunc in mẽbris vnicæ colũbæ numerantur, nec tamẽ denuò baptizantur. Ita & cùm ab hæreticis veniũt cũ ipso baptismate, quod & foris habuerunt, sed nõ & cũ ipsa mundatione quam intus accipiunt, vt quod defuit prẽstetur, quod aũt non mutatũ est approbetur. VESTRA, inquis, *per vestros maiores traditionis & thurificationis, & per vos persecutionis crimine damnata conscientia est.* De traditoribus quidem & thurificatoribus qui fuerint qui hoc nefas admiserint, non scripturis sanctis sed famæ hominum credidistis. Quæ si potest esse falsa bona de malis, cur non possit etiam mala de bonis? De persecutione autem hoc tibi breuiter iterumq́ue responderim, quod cùm respondissem Petiliano, refellere minimè valuistis. In scriptura quippe sancta, quæ neminem fallit, area dicta est Ecclesia Dei: Dominumq́ue ipsum cum ventilabro esse venturum & mundaturum aream suam, vt frumenta recondat in horreo, paleam verò comburat igni inextinguibili.

CAP. XX.

Ecclesia ꝓpter malam pollutam conscientiam damnati à Christo.

CAP. XXI. Sacramenta dãtur & à malis.

Ioan. 3.

Ephes. 5.

Aur

Aut ergo rectè passi estis persecutionem, aũt si modus Christianus excessus est, palea nostra fecit, propter quam non fuerat area Dominica deserenda, ne quisquis ante tempus ventilationis ab area paleam refugeret, à frumento separatus palea fieret. Tu aũt cùm hoc non meum, sed sanctæ scripturæ testimonium refellere conareris, nullam persecutionem iustam esse posse dixisti: vbi ignoscendũ tibi est nescienti scripturas, vnde tibi venire posset in mentẽ quàm iusta voce sit dictum, Detrahentem proximo suo occultè, hunc persequebar. Et ab ipso Domino Iesu Christo in excellentissima prophetia, Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Et alia multa diuina testimonia quæ persequi longum est: si tamen non mihi propter hoc verbũ calumniaris, vt quoniam dixi, persequi lõgum est, persecutorẽ me diuinorũ testimoniorum esse crimineris.

Psal. 100.

Psalm. 17.

CAPVT XXIII. Psal. 140.

OPPONIS mihi verba scripturarum totiens demõstrata quàm vos nihil adiuuent, *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*: cùm & apud vos esse saltem occultos peccatores, negare nõ possis, qui tamen baptizant, nec in his verbis excepti sunt. Non enim ait, Oleũ manifesti peccatoris: sed absolutè, oleũ peccatoris. Et, Facti sunt mihi velut aqua mẽdax simulatoris occulti, cuius & falsa fama non habet fidẽ. Vbi miror prudentiã tuam quomodo tibi non videatur aqua mendax simulatoris occulti, cuius & falsam famam mundandæ alienæ cõscientiæ ꝓdesse aliquid credidisti: nisi quia illud non dialecticũ, sed planè sophisticũ, quod in me frustra quasi in dialectico reprehendisti, subuenire tibi arbitratus es: Si mentiris, verum dicis. Quid enim aliud conaris asserere, cũ homini tribuẽs baptismum, quem Dei esse nõ vis agnoscere, ideò dicis adulterum dare posse verum baptismum, quia seipsum occultãdo castum esse mentitur. Itaq; tunc verum dicit in baptismo cùm mẽtitur in flagitio, & non est aqua eius mendax quam esse vultis in Ecclesia secundum promissionem tot prophetiarum toto terrarum orbe diffusam, cùm aquam mendacem nõ baptismum dixerit Hieremias, sed mendaces homines secundum intellectum qui manifestatus est in Apocalypsi, vbi interrogante Ioanne quid essent aquæ illæ in visione monstratæ, populos esse responsum est.

Hierem. 15.

De hoc & similibus Chrysippi sophismatibus habes apud Ciceronem libr. 4. Academ. quæst.

Hierem. 15.

Apocal. 17.

CAPVT XXIII. Libr. 1 contra Petil. cap. 9. Eccli. 34.

DE illo verò testimonio quod scriptum est, Qui baptizatur à mortuo, quid ꝓficit lauatio eius: quam non intellexeris quod ego in illa Epistola posui, quantumq́; me verbis tuis adiuueris, paululũ attẽde. Cùm enim putasses à me mortuũ hoc loco intelligi cultorem idolorum, quasi eos solos exceperim, qui baptizare non possint, elegisti quantũ potuisti, repetito illo de oleo testimonio quòd nullum peccatorem baptizare voluerit, qui dixit, Oleum peccatoris non impinguabit caput meũ, non excipiendo aliquem peccatorem: vnde magis vos vrgemini, sicut paulò antè monstraui. Si enim nullus peccator exceptus est, proinde baptizatos ab occultis malis cùm conuicti fuerint denuò baptizate. Hic iam conaberis occultum excipere peccatorem, quem sancta scriptura non excepit. Totus igitur iste vester intellectus falsus à veritate conuincitur, cùm & vestræ intentioni similiter repugnare monstretur. Neque enim hoc reuera de baptismo in Psalmo positũ est, ac non de assentatoris adulatione, quod superiora verba satis indicant: nam tota sententia ita connectitur, Emendabit me iustus in misericordia, & arguet me, oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum. Maluit ergo contundi caput suum ab arguente veraciter, quàm vngi à blandiente fallaciter; translatis verbis, oleo & vnctione lenitudinem significans adulantis.

Psalm. 140.

Psalm. 140.

Libr. 1. contra Petil. cap. 18. Matt. 3.

CAP. XXV. Libr. 1. contra Petil. cap. 9. Eccli. 34.

QVID autem ego in illa Epistola de hoc testimonio senserim, vbi dictũ est, Qui baptizatur à mortuo; ipsis ex ea repetitis verbis satis, quantũ opinor, ostendam. Cùm enim dissererem quid respondere debeat ad ista catholicus Christianus, *cùm audierit*, inquam, *Qui baptizatur à mortuo, non ei prodest lauatio eius: respondebit, Viuit Christus, & iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur: de quo dictum est, Ipse est qui baptizat in Spiritu sancto. Baptizantur autem à mortuis qui baptizãtur in idolorum templis. Non enim & ipsi à sacerdotibus suis se accipere arbitrantur sanctificationem quam putant, sed à dijs suis. Qui quoniam homines fuerunt, & ita mortui sunt, vt neq; super terras neq; in requie sanctorum viuant, verè ipsi à mortuis baptizantur.* Hucusq; ex Epistola mea verba ipsa transscripsi, in quibus iã perspicis, vt opinor, si nunc saltem diligenter attendis; non me ipsos cultores mortuos appellasse, quamuis alio modo etiam ipsi mortui sint, sed deos falsos quos colunt, quia homines fuerunt, & sicut homines de corpore exierunt, nec resurrexerunt, nec vitæ vllum meritũ quæ post hanc vitam promittitur habuerunt. Ab ipsis ergo diis, qui baptizantur, sicut dixi, verè à mortuis baptizantur, id est, qui in eorum nomine baptizantur, quia & ipsi nõ in nomine sacerdotũ suorũ; sed deorũ de quibus vana opinãtur, se sanctificari putant: Christus autem resurrexit & viuit. Proinde qui ab illo baptizatur, nõ solũ per bonum, verumetiã per malũ ministrum perditis moribus mortuũ, nõ à mortuo baptizatur. Ab illo enim baptizatur, qui viuit in æternũ, & de quo dictũ est in Euãgelio, quod etiam ibi cõmemoraui, Ipse est qui baptizat in spiritu sancto.

Rom. 6.

Rom. 1.

HOC tu in Epistola mea, quantum indicant verba tua, non intellexisti: nolo enim dicere, parum intelligens fraudare voluisti. Miror autem quòd verba illic mea consequentia non aduerteris, aut ab eis dissimulandum putaueris. Paulo pòst quippe subieci & dixi, *Nam si hoc loco mortuum intellexero peccatorem baptizatorẽ, eadem illa consequetur absurditas, vt quisquis etiam à latente impio fuerit baptizatus, tanquam à mortuo baptizatus inanitèr lotus sit. Non enim ait, Qui baptizatur à mortuo manifestò: sed absolutè dicit, à mortuo.* Hæc manifestatio verborum illic meorum, quẽ de somno vel potiùs de ipsa morte nõ excitaret? Et tamẽ te non excitauit: & insuper quod ego contra Petilianum dixerã, quasi cõtra me dicens velementius etiã confirmasti: sicut solent homines, iniectã sagittam nesciendo excludere, altiùs etiã penitusq́; defigere. Asseruisti enim mortuum nõ intelligendum nisi peccatorẽ baptistam, & nullum peccatorem excipiendum: & ideò quod ego dicebam, contra te concluditur, nec occultum excipi posse, vbi nullus excipitur. Rebaptizate igitur eos quos ab occultis peccatoribus baptizatos esse constiterit, quibus potest viuentibus & scientibus subueniri, vt eis solis nõ obsint, qui vel ignorantur vel antè defuncti sunt, vt manifestatis postea malis baptizatoribus suis iam baptizari non possint: Baptizate, inquam, prodito adultero atque damnato, quos ab eo cùm lateret, baptizatos esse constiterit: à mortuo quippe baptizati sunt, omnemq́ue peccatorem sine vllã exceptione intelligendum esse dixisti, qui baptizare non possit, adiungendo testimonium de oleo peccatoris. Tu dixisti, tu scripsisti, teipsum audi, lege teipsum. Si omnis peccator tanquam mortuus non potest baptizare, nec occultus potest. Non enim quia occultus ideò viuus est, cùm multò profundiùs etiam mendacio simulationis absorptus sit. Minus enim mortuus diceretur, si saltem confiteretur. Sed sit in illo quod alio loco scriptum est. A mortuo velut qui non sit, perit confessio. Ab isto mortuo in tanta mortis profunditate demerso; quos baptizatos esse claruerit, non rebaptizatis: & ab eis baptizatos qui in vltimis terris nec Cæciliani, nec Maiorini, nec Donati nomen audierunt, rebaptizare si possi-

CAP. XXVI.

Ibidem.

Eccli. 17.

Eccle. 34. si possitis minimè dubitatis, obiicientes eis, Qui baptizatur à mortuo, quid ei prodest lauatio eius? mortuos dicentes ad quos Aphrorum cadauerum, quorumlibet illa fuerint, nec aura potuit peruenire, & mortuum non putantes qui proprium potest occultare flagitiũ, cum Scriptura clamet, A mortuo velut qui non sit perit confessio. Itáne quia fictus est, mortuus non est? cùm magis propter ipsam fictionem carendo spiritu vitæ penitus expirauerit, iterum dicen-
Sap. 1. te Scriptura, Sanctus enim spiritus disciplinæ fugiet fictum. Adhuc defendite istos mortuos, & viuere dicite, vt & vos peius ipsa falsa defensione moriamini. Mortui sunt, inquis. Sed quid faceret qui baptizãdus ad eos ignarus accessit? Nunc ergo faciat quando illo prodito se agnouit à mortuo baptizatum. Si enim cõscientia propterea lædi non potuit, quia nesciuit, nũc
Ignorantia quatenus excusat. incipit lædi quia sciuit: velut si tunica de latrocinio nesciens vestiretur, ex illo fit iniquitatis vestis illa ex quo cognouerit, & ipse iniquus nisi abiecerit: & qui nesciens vxorem duxerit alienam, ex illo fit adulter ex quo didicerit, nisi discesserit. Abiiciat ergo & iste baptismum, quem se à mortuo percepisse cognouit. Habet enim quod faciat adhuc, baptizari iterum potest. Postremò scierit nescierit à mortuo baptizatus, quid ei prodest lauatio eius, stricta sententia est, sicut & tu ipse clamas, neminem excepit, A mortuo, inquam, baptizatus est, nihil ei prodest lauatio eius. Mundate hominem baptizando qui viuitis, aut vosipsos potiùs ab hoc errore mundate, ne talia sentiendo pereatis. Contendis enim velut aduersus me, vt
Psal. 140. nullum exceptum dicas in eo quod scriptum est, Oleum peccatoris: & qui baptizatur à mortuo: nec te sentis nodum quo ligatus es renitendo constringere, hoc enim ago, hoc insto, hinc vos ad mutandam vanam peruersamque sententiam vrgenter impingo, vt in oleo peccatoris & mortui baptismo, nullus mortuus, nullus peccator exceptus sit, sicut tu pro me C velut contra me loqueris: Ita enim nec occultus excipitur, quo euertitur omne quod loqueris, ac si rebaptizare coguntur qui te talia docuerunt, omnes quos ab occultis malis baptizatos in hac vita reperire
CAPVT XXVII. potuerint. QVID agis quò te conuertis, verba tua tibi recitãtur: Non solùm enim ea cùm dicerem non refellisti, sed nesciens quid meum elegeris aliis verbis tanquam tuum, hoc idem ipse dixisti, vt & diligentiùs audiri & considerari posset, scripsisti vt tibi quotiẽs libuerit, recitetur. Audi ergo verba tua, nempe ista sunt: *Quod si idoli cultorem*, inquis, *tantùm tibi placet excipere, quid illud de quo dicitur, Nolo oleum peccatoris vngat caput meum: vtrúmne & hic peccator ille solus est, qui idolum colit, an quisquis quod non licet committit? Quod si & peccatorem tãtùm cultorem idoli putas, Christianus ergo si quid contra legem gesserit, peccasse non dicitur? Quod si nihil dici stultiùs nec absurdiùs potest, apertè prædictum est, vt non solus idoli cultor, sed quisquis* D *peccator inter omnes homines fuerit, ius sibi baptismatis non vsurpet.* Hæc certè quæ inserui verba tua sunt. Ego cultorem idoli nõ excepi, sed ipsos deos eorum mortuos esse dixi, quorum à nullo baptizari aliquid prodest: ab ipsis enim diis sibi baptizari videntur, in quorum nomine se mundari arbitrantur, tu autem nullum peccatorem excepisti. Quod si hoc loco peccator & mortalis homo qui baptizat intelligendus est, nullum peccatorem excipiens, proculdubio nec occultum excepisti. *Apertè*, inquis, *prædictum est, vt non solus idoli cultor, sed quisquis peccator inter omnes homines fuerit, ius sibi baptismatis non vsurpet.* Audi ergo teipsum, *quisquis peccator* dixisti, nec manifestum nec occultum excepisti. Proinde qua fronte cogunt baptizari post manifestum, qui nolunt post occultum, vbi asserunt neminem exceptum? Fuge ergo frater

A ab insano intellectu ad sanum, vt in hoc testimonio de oleo peccatoris, sicut superiora eiusdem Psalmi verba præscribunt, blandam lenitudinem fallaciam adulatoris intelligas. Ita enim & nullus erit exceptus, & non impinget in angustias insuperabiles malus baptizator occultus. Sic & in alio testimonio, vbi dictũ est. Qui baptizatur à mortuo, quid ei prodest lauatio eius: aut inspice diligenter codices antiquos, & maximè græcos, ne fortè ipsa verba aliter conscripta, ex præcedenti & consequenti contextione sermonis alium sensum intiment: aut certè mortuos intelligamus, sicut dixi, in quorum nomine baptizantur idolorum cultores, vt ab illo quemque intelligas baptizatum, in cuius nomine se credit esse mundatum. Ita enim & illic nullus excipitur, nullus quippe mortuus Deus paganorum mundare potest credentes in se. Si autem hoc loco omnem hominem peccatorem intellexeris mortuum, tanta quæ non vis te sequentur,
B vt ipse quemadmodum viuas inuenire non possis, dicente Ioanne, Si dixerimus quia peccatum non ha- 1. Ioan. 1.
bemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis nõ est, vt omninò non inuenias hominem à quo baptizeris, CAPVT XXVIII.
si omnem peccatorem deuitare volueris. QVANQVAM si prorsus mortuum non intelligeres nisi hæreticum vel schismaticum, vt quisquis apud eos baptizatur à mortuo quid ei prodest lauatio eius, quod Aliquid deest.
vides, quàm præcipiti præsumptione sic accipiatur, ac si dictum sit, qui baptizatur ab hæretico vel schismatico: nec sic cõtra nos esset, qui fatemur nihil prodesse homini baptismum Christi, si apud hæreticos vel schismaticos baptizetur, eis ipsis tribuens baptismum quo baptizatur, sed tunc ei prodesse incipere cùm transit ad corpus Christi, quod est ecclesia Dei viui. Túc enim sub eodem baptismo quod & foris Christi erat, sed foris posito nihil proderat, mundato proderit ab eo cuius membris insertus est. Nec illam tuam nimium seueram sententiam formidabo, qua dixisti, *Quisquis peccator inter omnes homines fuerit, ius sibi baptismatis non vsurpet*, nisi quia non inuenis quis veraciter dicat in oratione Dominica, Dimitte nobis de- Matth. 6.
bita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: nisi peccatorem se esse fateatur. Vellem singulos interrogare qui baptizant apud vos, vtrum peccatores omninò non sint: Potest enim quilibet eorum mihi respondere, Non sum traditor, non sum thurificator, non sum adulter, non homicida, non idolorum cultor, non postremò hæreticus, non schismaticus: nõ sum autem peccator, nescio vtrum quisquam vel hæretica superbia reperiri possit qui audeat dicere, audeat cogitare: nescio vtrum quisquam tanto arrogantiæ tumore cæcetur, vt non dicam voce profiteatur, sed vel apud seipsum tacitus arbitretur, non sibi esse necessariam deprecationẽ, in qua dicimus Deo, Dimitte nobis debita nostra. Neque enim pro eis de- Non est ergo inanatis conciplscentia remanens, cui non consentitur, peccatum.
bitis dimittendis rogamus, quæ semel in baptismo dimissa esse confidimus, sed pro eis vtique sine quibus humana fragilitas non est, quantumcunque in obseruandis præceptis Dominicis vigilemus. Postremò suscipiat qui voluerit huius impudentiæ frontem, & dicat, Non sum peccator, ex quo mihi in baptismo cuncta dimissa sunt, nullum in me peccatum poterit inueniri. Magis ego Ioanni credo, & multò fidentiùs respondeo: Teipsum decipis, & veritas in te non est. Neque hoc agit præceps & fallax ista professio, vt in te peccata non inueniantur, sed vt quæ inueniuntur non dimittantur. Si ergo iam baptizatus es, vellem scire quem repereris qui cõtra Ioannem Apostolum 1. Ioan. 2.
diceret, peccatum nõ habeo. Si enim talẽ quenquam reperire potuisti, quomodo baptizatus es ab eo qui seipsum decipiebat, & in quo veritas non erat? Si autem qualiscunque humilitatis non immemor peccatorem

torem se esse dicebat, quomodo sibi secundum tuam A sententiam ius baptismatis vsurpabat? Tu enim dixisti, tu etiam minimè scribere timuisti; *vt quisquis peccator inter omnes homines fuerit, ius sibi baptismatis non vsurpet.* Si autem nondum baptizatus es, aut hanc vanissimam sententiam corrige, aut à quibus baptizeris angelos quere. Sed arbitremur te conuictum correxisse, quisquis eo crimine quod nostri obiiciunt, peccator inter omnes homines fuerit, ius sibi baptismatis non vsurpet. Neque hoc contra nos est, quia si etiam talis vsurpauerit & dederit, non eum sibi vsurpare debuisse dico, non autem dedisse non dico. Ille verò qui accipit, si homo bonus ab homine malo, si fidelis à perfido, si pius ab impio, perniciosum erit danti, non accipienti. Illud quippe sanctum malè vtẽtem iudicat, bene accipiẽtem sanctificat. Si autem & ille qui accipit, iniquè acceperit, nec sic rescissum, sed agnitum, quod per se oberat, correcto proderit sacramentum.

CAPVT XXIX. Sacramentum interdum danti nocet, accipienti prodest.

SIC enim te putabo dixisse, non iam *quisquis peccator* (quia nisi fallor, iam cernis quàm temerè dictũ sit) sed peccator qualem nostri describunt, *quisquis inter omnes homines fuerit, ius sibi baptismatis non vsurpet*, quemadmodum scriptum est, Peccatori autem dicit Psal. 49.
Deus, vt quid tu enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Et vt ostẽderet quali peccatori hoc diceret, ne omnes homines à prædicando verbo eius sese abstinerẽt, qui nec sentire audent, nec dicere se peccatores nõ esse, sequitur, eumq; describit, Tu verò odisti disciplinam, & abiecisti sermones meos post te: Os tuum abundauit malitia, & lingua tua amplexa est dolositatem: Si videbas furem, concurrebas ei: & cum adulteris portionem tuam ponebas: Sedens aduersus fratrem tuum detrahebas, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Tali ergo peccatori dicit, Vt quid tu enarras iustificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuũ? Tan- C quam diceret, Frustra hoc facis quãtum ad te attinet, non tibi prodest, hoc tibi ad iudiciũ damnationis, non ad meritum salutis valebit. Veruntamen si etiam tali peccatore narrante iustificationes Dei, & assumente testamentum eius per os suum, illi qui ex eius ore audiunt, credant, faciant, proficiant; nónne illo reprobato laudabũtur, illo culpato iustificabũtur, illo damnato coronabuntur, quoniam curauerunt obedire Domino dicenti, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, Matth. 23.
facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Sicut ergo iste peccator, si ius sibi prædicandi testamẽti diuini vsurpauerit, sibi nihil prodest, audientibus autem & facientibus non ipse, sed quod prædicat prodest: ita & ille qui ius baptismatis sibi vsurpare non debuit, sibi nocet qui bonum malè vsurpauit, non ei qui bonum bene percepit.

CAPVT XXX.

VIDES non solùm te non potuisse refellere quod ego contra Petilianũ dixi, sed quãta luce veritatis mo- D dis omnibus refellatur quod contra me ipse dixisti, & adhuc pergis & dicis, *quòd causam nostram non probã faciamus, & quodammodo peccatores nos esse fateamur, quoniam dum nobis obiicitur, ius baptismatis qua nobis licẽtia vendicemus; non de merito actuum, non de innocentia vitæ tractamus, sed cuicunque licere dicimus.* Attende certè ex his quæ dicta sunt, non cuicũque licere nos dicere, sed ei pœnam esse qui sanctum tractat illicitè, & eum esse corrigendum, non sanctum quod illicitè tractat, illicitè rescindendum: sicut homines non legitimè lege veritates corrigi volumus, non ipsam legem irritam dicimus: sicut Dei testamentum illicitè per os suum assumentem reprehendimus, non ipsum testamentum negamus aut scindimus: nec ideo nos peccauisse confitemur, quia & in peccatore quod est ipsius improbamus, quod autem Dei est honoramus: quia in Deum credentem non ex occultis hominum pendere volu-

mus, sed in Domino gloriari de quo certus est, admonemus. Neque enim & Apostolus malæ suæ conscien- 1. Cor. 3.
tiæ diffidebat, sed spem credentis poni nolebat in homine, & in Deo stabiliter collocabat, cũ diceret, Neq; qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Non itaque nos dicẽtes quod scriptum est, Non nobis Domine non nobis, sed nomini Psal. 113.
tuo da gloriam: accusamus nostram conscientiam, sed vos in hominum moribus eorum spem qui baptizantur poni volentes, non agnoscitis vestram superbiam.

CAPVT XXXI. Respondet ad Cypriani authoritatem.

QVID quòd etiam beati Cypriani mentionem facere audetis, velut ille author sit vestræ diuisionis, tantus defensor catholicæ vnitatis & pacis? Primo esto in ecclesia, quam constat tenuisse ac prædicasse Cyprianum, & tunc aude velut authorem sententiæ tuæ nominare Cyprianum. Primo imitare pietatem humilitatemq; Cypriani, & tunc proferẽ cõcilium Cypriani.
B Nos enim nullam Cypriano facimus iniuriã, cùm eius quaslibet literas, à canonica diuinarum scripturarũ authoritate distinguimus. Neque enim sine causa tam salubri vigilantia canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnino iudicare non audeamus, & secũdum quos de cæteris literis vel fidelium, vel infidelũ liberè iudicemus. Proinde cùm dicat Apostolus, cuius epistolæ in authoritate canonica vigent, Quotquot er- Philip. 3.
go perfecti, hoc sapiamus; & si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus reuelauit: quãdiũ aliter sapuit Cyprianus, si scripta eius esse constat quæ pro vobis proferenda arbitrãmini, quamdiu ergo de hac re aliter sapuit quàm veritas diligentiùs cõsiderata patefecit, donec ei Deus id quoque reuelaret, ineffabili laude charitatis vnitatem pacemq; catholicam etiam cum collegis suis, à quibus aliter sapuit, non reliquit.

CAPVT XXXII. Quomodo tã sancti Cypriani dicta, quàm aliorum doctorum accipienda sint.

VERBA eius ex epistola ad Iubaianum inseruisti li teris tuis, quibus ei placuisse mõstrares baptizãdos eos esse in ecclesia catholica, qui fuerint in hæresi vel schismate baptizati. Ego huius epistolæ authoritate nõ teneor, quia literas Cypriani nõ vt canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero, & quod in eis diuinarũ scripturarum authoritati congruit, cũ laude eius accipio; quod autem non congruit, cum pace eius respuo. Ac per hoc si ea quæ commemorasti, ab illo ad Iubaianũ scripta de aliquo Apostolorum, vel Prophetarũ canonico recitares, quod omnino contradicerẽ non haberem. Nunc verò quoniam canonicũ non est quod recitas, ea libertate ad quam nos vocauit Dñs, eius viri Galat. 5.
cuius laudem consequi non valeo, cuius multis literis Cypriani cõtinuum.
mea scripta non comparo, cuius ingenium diligo, cuius ore delector, cuius charitatem miror, cuius martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit, non accipio. Nõ accipio, inquam, quod de baptizandis hæreticis & schismaticis beatus Cyprianus sensit, quia hoc ecclesia nõ accipit, pro qua beatus Cyprianus sanguinẽ fudit. Sed quia dicitis eum pro hac sententiã legalia documenta firmasse, quanquam non ille documẽta legalia firmare potuit, sed eis potius quæcunque rectè sensit ille firmauit: relinque ergo scriptà Cypriani, & ea ipsa legalia documenta quibus eum dicis vsũ esse, cõmemora. Si ea non demõstrauero nostram causam adiuuare, vicisti. Quapropter ita hoc Cypriani nõ accipio, quãuis inferior incõparabiliter Cypriano, sicut illud apo- Galat. 2.
stoli Petri quòd gẽtes Iudaizare cogebat, nec accipio, nec facio, quamuis inferior incomparabiliter Petro. Vos autem qui scripta Cypriani nobis tãquam firmamenta canonicæ authoritatis opponitis, quicquid de Cypriano contra vos proferre potuerimus, necesse est cedatis, & iustum est vt victi taceatis, ac vos aliquando ab errore perniciosissimæ dissensionis ad vnitatem catholicam conuertatis.

CAPVT XXXIII. Cyprianum excusat.

VNDE ne longum faciam, ex hac ipsa epistola ad

Iubaianum, attende quid ingerã, quod vestrum euertat & absumat errorem. Cùm enim persuadere conaretur vel sanctus Cyprianus, vel quicunque illam scripsit epistolam, hæreticos ad ecclesiam venientes bapti zari oportere, quòd videlicet baptismus nullus deputãdus esset quem foris apud hæreticos accepissent, opposuit sibi quæstionem & ait: *Sed dicet aliquis, quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæresi ad ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt? Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare, & eos qui ad ecclesiam simpliciter admissi in ecclesia dormierunt, ab ecclesiæ suæ muneribus non separare.* Ista nobis simplicitas sufficit, cui testimonium perhibet ipse Cyprianus, tãtum bonum intelligens esse vnitatem corporis Christi, vt in eam simpliciter admissos etiã illos quos esse sine baptismo arbitrabatur, de diuina misericordia mereri indulgentiam, & ab ecclesiæ muneribus non separari, pia cogitatione præsumeret. Hæc cõsuetudo ecclesię fuit ante concilium Cypriani, hæc superari & auferri nõ potuit nec concilio Cypriani: vt ex hæresi venientes non quidem sine baptismo, sicut dicit, quia idem baptismus etiam foris eis inerat, sed non proderat, veruntamen simpliciter, sicut idem dicit admissi de Dei misericordia indulgentiam mererentur, & à muneribus non separarentur ecclesiæ. Hæc simplicitas, magis quàm duplicitas, ecclesiæ placuit vniuersæ toto terrarum orbe diffusæ. Cui Cyprianus ipse quale testimonium perhibeat, audi ex epistola quam De vnitate conscripsit:

Et nunc liber de simplicitate prælatorum inscribitur.

Auelle, inquit, *radium solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide riuum, præcisus arescit.* In his Cypriani verbis non intelligimus lucem nõ capere diuisionem nisi in sanctis regno Dei prędestinatis qui diuidi ab ecclesia nullo modo possunt: & non germinare ramum fractum salutis æternę germine accipimus: ariditatem verò riui à fonte præcisi, in eo quòd sancto spiritu vacuantur qui ab vnitate separantur agnoscimus, non in sacramẽto baptismi, quod & boni & mali habere possunt, ita foris aperrè quemadmodum intus occultè ab ecclesiæ sanctitate separati. Sed inde nemo dubitat. Quid verò de ipsius ecclesiæ fœcunditate toto terrarum orbe diffusæ senserit Cyprianus, attende in his quæ subiungit: *Sic*, inquit, *& ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, vnum tamen lumen est quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copia vberitatis extendit, profluentes largiter riuos latius expandit, vnum tamen caput est & origo vna, & vna mater fœcunditatis successibus copiosa.* Hanc ecclesiã Cyprianus in scripturis sanctis promissam, in vniuerso mundo redditam, dilexit, tenuit, commendauit: quam perditi schismatici vel hæretici velut à malis se discernere ac separare cupientes, seditionibus impiis reliquerunt. Qui ne suos exitus impios vanis excusationibus abluere conarentur, sancta scriptura prædixit: Filius malus ipse se iustũ dicit, exitum autem suum nõ abluit: quia nec propter malos qui videntur esse intus, deserendi sunt boni qui verè sunt intus.

Prouerb. 30.

CAPVT XXXIIII. Lib. 3. epi. 3.

HINC beatus Cyprianus quid senserit accipe ex epistola quam scripsit ad presbyterum Maximum & cæteros, quibus de schismatico & hæretico errore ad ecclesiam redeuntibus gratulatur. *Nam etsi videntur*, inquit, *in ecclesia esse zizania, nõ tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in ecclesia cernimus, ipsi de ecclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est, vt frumentum esse possimus: vt cùm cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit, In domo autem magna non solùm vasa sunt aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem honorata, quædam verò inhonorata. Nos operam demus, & quantum possumus laboremus, vt vas aureum & argenteum simus. Cæterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui & virga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo seruus. Neque quisquam sibi quod soli filio pater tribuit vendicarit: vt se putet aut ad aream ventilandam & purgandam, palam ferre iam posse, aut à frumento vniuersam zizaniam humano iudicio separare. Superba est ista obstinatio & sacrilega præsumptio, quam sibi furor prauus assumit. Et dum sibi semper quidam plus quàm mitis iustitia deposcit assumũt, de ecclesia pereunt: & dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore cæcati veritatis lumen amittunt.* Vides frater secũdum scripturas diuinas hoc præcepisse Cyprianum, etiã propter malos. Qui cùm sint à bonis vita moribusq; spiritaliter separati, corporaliter tamen eis in ecclesia videntur esse permixti vsque in diem iudicij, quo etiam corporaliter debitas separabuntur ad pœnas. Non est ecclesia deserenda tanquam fruméta propter paleam vel zizaniam, sicut nec domus magna propter vasa inhonorata. Vides, audis, sentis, capis, intelligis, quanto scelere propter eos qui vobis siue rectè siue cùm fallimini displicent, separemini ab ecclesia quæ toto orbe diffunditur, cui secundum scripturas diuinas, tam magnum, tam firmũ, tam clarũ atq; luculẽtum testimoniũ perhibet Cyprianus.

Psal. 2. Ioan. 13.

Lib. 3. epi. 3.

CAPVT XXXV.

QVAMOBREM attende diligenter de tota ista quæstione breuem ratiocinationem meam. Si rectè in ecclesiã recipiũtur ex hęreticis venientes, vt in eis error proprius corrigatur, diuinũ autem sacramẽtum nõ rescindatur, bene illis viuentibus tanquam frumentis Dominicis gratulamur. Si autem sicut putatis, & Cyprianũ vobis in hac sentẽtia fauere iactatis, nõ habent baptismũ, certè admissi simpliciter ad ecclesiam, secũdum eundem Cyprianũ, propter meritũ tamen ipsius vnitatis indulgentiã Dei merentur, ne ab ecclesię muneribus separentur. Et quicunq, illos secundũ morem anteriorem, de quo non tacuit Cyprianus, simpliciter admittunt, & rectè ac pacifici viuunt, inter eadem fruméta horreo destinata deputãtur. Qui autẽ vel scientes contra veritatem in eis recipiendis contentiosè dimicant, vel prauis atq; peruersis moribus viuunt, in zizaniis & palea flãmis debita tolerantur: propter eos tamen ecclesiam quæ per totum orbem terrarũ copiosis successibus dilatatur, hoc est fruméta Dominica, quæ vsq; ad messem pariter crescũt vel vsq; ad ventilationẽ pariter triturãtur, non esse deserẽdam, imperat Deus, testis est Cyprianus. Ac per hoc si in cõmunione sacramentorũ mali maculant bonos, quãdo temporib. Cypriani vel ante Cyprianũ sine baptismo, sicut putatis, hæretici suscipiebãtur, ecclesiam periisse dicite, & vos vnde nati fueritis ostẽdite. Si autem quod veritas etiã per Cyprianum docet, cùm pro ecclesiæ pace etiã cognita zizania tolerantur, frumenta nõ maculant, filius malus ipse se iustum dicit, exitũ autem suum non abluit, quia de ecclesia propter malos exire non debuit.

CAPVT XXXVI.

ITERVM dico, Ecce ab hac inuictissima ratione dissimulare non sino. Si non communicantes peccatis malorum, propter ipsam tantum cõmunionem sacramentorum mali perdunt bonos: quãdo in præteritum ex hæresi ad ecclesiam veniẽtes sine baptismo admissi sunt, contagione sua bonos vtique perdiderunt. Iam tunc ergo non erat ecclesia quam Cyprianus teneret, prædicaret, nec vnde postea Donatus exiret. Si autem bonos contagio illa non perdidit, nec eorum quos accusatis contagio, Christianum orbem perdere potuit, nolite calumniari separati, & ad ecclesiam redite correcti. Cæcilianum & socios eius, contra quos tunc Secundus Tigisitanus contraxit condiditque concilium, necesse est tibi accusare, mihi non est necesse defendere. Accusa eos quantis viribus potes. Si innocentes fuerunt, nihil eis tanquam frumentis oberit ventositas tua. Si nocentes fuerunt, non debuerunt propter

propter illam zizaniam frumenta deseri, quibus nihil obfuerunt. Accusa quantum potes, vinco si non probas, vinco si probas: vinco, inquam, si non probas iudice teipso: Vinco si probas, teste Cypriano. Quid eos vis fuisse? Si innocentes, cur frumẽtis Dominicis cùm sitis zizania, calumniamini? Si nocentes, cur à frumentis Dominicis propter zizania separamini? EXTAT ECCLESIA CVNCTIS CLARA ATQVE CONSPICVA, quippe ciuitas quæ abscondi non potest super montem constituta, per quam dominatur Christus à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad termi nos orbis terræ, tanquam semen Abrahę multiplicatũ sicut stellæ cæli, & sicut arena maris, in quo benedicũtur omnes gentes. Hanc etiam beatus Cyprianus ita commendat, vt eam dicat Domini luce perfusam, radios suos per orbem terrarũ porrigere, ramos suos per vniuersam terram copia vbertatis extendere. Hæc vt in frumentis suis non accusaretur, aut propter zizania non desereretur, vnum horum vobis etiam vosipsi respondete; alterũ Cypriani monitis discite. Ipsius enim verba sunt attestantis & dicentis: *Nam etsi videntur in ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in ecclesia cernimus, ipsi de ecclesia recedamus.*

Ecclesia conspicua. Psal. 72.

Lib. 3. epi. 3.

CAPVT XXXVII. Probat malos non obesse bonis.

VOS contagione malorum Aphrorum perisse dicitis de orbe terrarũ, & in parte Donati eius reliquias remansisse tãquam in frumentis à zizaniis & palea separatis, contra Cyprianum apertissimè sentientes, qui dicit nec malorum permixtione bonos perire in ecclesia, nec eosdem malos posse ante tempus iudicij diuini à bonorum permixtione separari. Vos itaque secũdum vestrum errorem, vel potius furorem accusare cogimini non solùm Cęcilianum & ordinatores eius, verum etiam illas ecclesias quas in scripturis apostolicis & canonicis pariter legimus, non solùm Romanorum, quò ex Aphrica ordinare paucis vestris soletis episcopum, verùm etiam Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Thessalonicensium, Colossensium, Philippensium, ad quas apertissimè scribit apostolus Paulus, Hierosolymitanam, quam primus apostolus Iacobus episcopatu suo rexit: Antiochẽsem, vbi primo appellati sunt discipuli Christiani: Smyrnensem, Thiatirensem, Sardensem, Pergamẽsem, Philadelphensem, Laodicensem, ad quas est Apocalypsis apostoli Ioannis. Tot alias ecclesias Ponti, Cappadocię, Asiæ, Bithyniæ, ad quas scribit apostolus Petrus, & quicquid aliud se Paulus ab Hierusalem vsque ad Illyricum Euangelio repleuisse testatur: vt taceam de aliis tam latis atq; immensis terrarum partibus, in quas ex his apostolicis laboribus & plantationibus porrecta creuit & crescit ecclesia. Istas certè ecclesias quas ex literis diuinis atq; canonicis nominaui, tam longè ab Aphrica constitutas, tanquam perierint ex peccatis Aphrorum accusare cogimini, nec corrigitis errorem qui vos ad tantum scelus nefaria dissensione cõpellit. Nos autem vt istũ errorem vestrum facilius conuincamus, nec ipsos Aphros quorum falsò crimen in cæteras etiam gentes perfundere audetis, nec ipsos, inquam, defendere cogimur. Habent enim cum illis transmarinis ecclesiis societatem regni si innocentes fuerint: si autem nocentes, tanquam zizania frumento, nec in Aphrica obesse potuerunt eis, qui se propter illos etiam cognitos ab vnitate ecclesiæ separare noluerũt. Vt enim omittam quàm multi eos crediderunt innocentes, quibus facinus eorum etiam si aliquod fuit, tamen demonstrari non potuit, & vtiq; istos nec vos potestis dicere peccatis alienis incognitis potuisse maculari. Sed vt hos, inquam, omittam, ipsi qui eos nocentes vel nouerãt vel putabant, quamuis in Aphricanis ecclesiis constituti, cùm viderent eos apud ecclesias transmarinas non potuisse conuinci, nec crimina eorum longè lateq; diffusis membris ecclesiæ demonstrari, si se vellẽt propter illos quos malos nouerant, à communione tot gẽtium quibus eos ostendere non valebant, velut pestiferę cõtagionis timore separare: teneret eos, non ego, non tu, non Donatus, nõ Cæcilianus, sed ipse quem nominare ausus es Cyprianus: & diceret ea verba quæ scripsit ad Maximũ. ET *si videntur*, inquit, *in ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in ecclesia cernimus, ipsi de ecclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est, vt frumentum esse possimus, vt cùm cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit: In domo autem magna non solùm vasa sunt aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem honorata, quædam inhonorata. Nos operam demus, & quantum possumus laboremus, vt vas aureum & argenteum simus. Cæterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui virga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo seruus. Nec quisquam sibi quod soli filio pater tribuit, vendicarit: vt se putet aut ad aream ventilandam & purgandam, palam ferre iam posse, aut à frumento vniuersam zizaniam humano iudicio separare. Superba est ista obstinatio & sacrilega præsumptio, quàm sibi furor prauus assumit. Et dum sibi semper quidam plus quàm mitis iustitia deposcit assumũt, de ecclesia pereũt: & dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore cæcati, veritatis lumen amittunt.* His Cypriani verbis Deum timẽtes in ecclesia tenerẽtur, qui vellẽt ab ea separari propter cognitos malos, quibus verbis vos damnamini qui separati accusatis & bonos. His verbis Cyprianus, & nos tenet in domo Dei, cuius decorem dilexit, etiã si quod nunquam facere potuistis, à vobis accusatos & demonstratos traditores, & quoslibet alios malos nosse possemus, ne illam propter vasa facta in contumeliam deseramus. His verbis etiam vos in catholicã pacẽ correctos pacificus introducat, ne quibuslibet peccatis alienis seu veris seu falsis offensi, cõtra ecclesiam Christi in toto mundo † scripturis fructificantem atq; crescentem, mala tanta iactetis, ne propter zizania triticum accusetis, ne propter paleam frumenta deseratis, ne propter vasa inhonorata extra domum magnã remaneatis. Ecce quãtum nos abs te commemoratus beatus Cyprianus adiuuit, cui de baptismo repetendo si quid aliter sapuit, pro tantis meritis flagrantissimæ charitatis corrigendum proculdubio Dominus reuelauit: quia in ea vite permãsit tanquã farmentum tanto fructu pacis & dilectionis opulentum, vt etiam si quid in eo purgandum reperiretur, si nulla re alia, certè falce martyrij purgaretur. Quãquam itaque ad errorem vestrum conuincendum, & si volueritis corrigendum, satis superq; potuerint ista sufficere, tamẽ ne quisquã arbitretur aliquid te in epistola posuisse quod refellere non valerem, aut in quo te nostris contra Petilianum literis nihil idoneum respondisse, demõstrare non possem, sequenti volumine cætera videamus.

Act. 11.

1. Pet. 1.

CAPVT XXXVIII. Lib. 3. epi. 3.

† For. secũdum scripturas.

LIBRI II. FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA CRESCONIVM GRAMMATICVM, LIBER TERTIVS.

CAP. I.

SI TARDORVM mihi ingenia curanda non essent, qui intelligere nequeunt, me duobus voluminibus superioribus ad causam totã, quę tua frater Cresconi epistola cõtinetur, multis modis ita respondisse, vt etiam illa quæ ibi restant, iam soluta atq; frustra-

frustrata sint, iam debuit à me huic operi finis imponi. Sed quia multi sunt quibus seruire nos conuenit, qui omnia depulsa esse nõ putant, nisi locis suis etiam singula pertractentur, residua sermonis tu breuiter ex ordine refellenda percurram. Quicquid de Cypriani venerabilis martyris, & de quorundam Oriẽtalium literis inserendum putasti, quod eis placuerit apud hæreticos & schismaticos datũ improbare baptismi sacramentũ, nihil impedit causam nostrã, si eam ecclesiã retineamus, quam non deseruit Cyprianus, etiam cùm multi eius collegæ in hanc sententiã cõsentire noluissent. Nam & in ipso concilio dixit: *Neminem iudicantes, nec à iure cõmunionis aliquem si diuersum senserit amouentes.* Et eãdem epistolam ad Iubaianũ ita conclusit.

CAPVT II. HAEC *tibi charissime pro nostra mediocritate respondimus, nemini præscribentes aut præiudicantes, quo minus vnusquisque episcoporum quod putat faciat, habens arbitrij sui liberam potestatem, &c.* In his ergo nos interim deputa, quibus illud non potuit persuadere Cyprianus, à quibus tamen etiã in hac re diuersa sentientibus, communionem suam minimè separauit. Maiores autem vestri, quibus tale testimonium perhibuisti, *quod ab Orientalium propterea communione discreti sunt, quia illi suum iudicium resciderunt, quo eis placuerat de ista baptismi quæstione Cypriano atque illi Aphricano concilio consentire oportere,* contra Cyprianum fecerunt. Debuerunt enim cum collegis suis etiam in hac quæstione diuersa sentientibus tenere communionis vnitatem, quod in suis literis fecisse legimus Cyprianum. Respondetis *ideo eum sic loqui voluisse, ne fortasse excommunicationis timore deterriti, non auderent liberè dicere quod sentirent, non quia cum eis esset in communione mansurus si diuersa sensissent*, vbi apertè dicitis Cyprianum esse mentitum. Si enim dicebat, *Neminem iudicantes, nec à iure communionis aliquem si diuersa senserit amouentes*, quod eum dixisse conscripta indicant gesta concilij; & tamẽ si quisquam eorum quibus ea dicebat diuersum sentire se ostenderet, non cum eo fuerat sacramenta Christi communicaturus: proculdubio mentiebatur qui talia dolosè, non veraciter promittebat: & quod est in eodem mendacio deterius, simplicitatem fratrũ duplici corde fallebat, cùm præsertim & scriberentur quæ dicebantur. Nam quicunque ab illo concilio diuersum sensisset, quomodo posset ab eius ore damnari vel excommunicari, cùm eiusdem concilij principium recitaret? Quis ergo de Cypriano tolerabilius sentit, vtrum nos qui eum dicimus in obscura de baptismo quæstione hominem falli potuisse; an vos qui eum dicitis in promittenda Christiana communione episcopum fallere voluisse, non vnum aliquem fratrũ, sed vniuersam episcopalem societatem. Quod si & vobis de illo credere nefas est, vestri maiores contra eius sententiam fecerunt, qui se ab Orientalium communione, quod de hac re diuersa senserint, diuiserunt.

Vide lib. 3. de baptis. contra Donatist. c. 3.

CAPVT III. PROINDE si omnino iam credendum sit, quinquaginta episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Aphris vel aliquanto etiam pluribus contra tot milia episcoporum quibus hic error in toto orbe displicuit, cur non potius etiam ipsos paucos Orientales suum iudicium correxisse dicamus, non vt tu loqueris rescidisse? Sicut enim laudabile est à vera sententia non amoueri, ita culpabile persistere in falsa, quam nunquam tenere prima laus est, secunda mutare: vt aut ex initio vera permaneat, aut mutata falsa, vera succedat. Neq; nunc ad nostrã pertinet quæstionẽ, quale sit quod pars Christiani orbis maximè cum Orientalibus sensit. Si enim hoc verũ, si hoc tenendum atque seruandum est quod de baptismo tenemus atq; seruamus, duo mala vestra vobis obiicimus. Vnũ quòd erratis in baptismi quæstione, alterum quòd vos ab eis qui de hac re verum sentiunt separatis. Si autem, vt secũdum vos loquar, hoc est in ea quæstione verũ, quod ipsi sentitis, illo certè crimine maculamini quòd ab ecclesia recessistis, propter cuius pacẽ sicut Cyprianus & fecit & monuit, etiã diuersa sentientes ferre debuistis.

Laus prima est à vera sententia nõ amoueri, secunda falsam mutare.

CAPVT IIII. Lib. 1. cont. Pet. cap. 6.

NVNC exclama quod ego dixerim, *nihil inter fidelem perfidumq; discernas: idem tibi pius atq; impius videatur*, quod ego non dixi. Sed planè illud dixi, vnde tu quasi hoc dicerem exclamare voluisti, & dicere quod non dixi, *Siue*, inquam, *à fideli, siue à perfido dispensatore sacramentum quisque percipiat.* In qua sentẽtia nõ nihil inter fidelẽ perfidumq; discreui, nec iussi vt idẽ cuique pius atq; impius videatur, sed idem sacramẽtum pium & impium posse habere; quod nec tu negas, qui saltẽ post impios occultos baptizandum non esse concedis. Proinde sine causa coniungis & dicis, *Nihil prodest bonis moribus viuere, quia quicquid iusto licet, potest & iniustus implere:* Quia & falsum est, & à me dictum nõ est. Boni quippe mores vitam bonorum malorumque discernũt, & ad diuersa perducũt. Nec quicquid iusto licet, potest & iniustus implere, quia iustus implet legẽ Christi per dilectionem, vnde iniustus alienus est, potest tamen aliquid quod & iustus implere, vt & ipse baptizet, si nihil aliud certè cùm latet: sicut etiam illi possunt Dei mandata prædicare, sicut iusti, sed non secundum ea viuere sicut iusti, de qualibus dictum est, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Matth. 23.

CAPVT V. SED fac iniustũ non latentem & nonnullis cognitum bonis per aliquã seditiosam factionẽ de ecclesia non posse separari. Audi Cyprianũ, tolera zizania, esto frumentũ. Quam tibi bene sonare visa sunt, quæ in vna re variè repetisti. *Quid hoc præcepto*, inquis, *dici iniquius potest, vt purificet alium maculosus, abluat sordidus, emũdet immũdus, det infidelis fidẽ, criminosus faciat innocẽtem?* Breuiter respõdeo; Nec maculosus, nec sordidus, nec immundus, nec infidelis, nec criminosus est Christus, qui dilexit ecclesiã, & seipsum tradidit pro ea, mũdans eam lauacro aquæ in verbo, faciens nos certos de bonis suis, ne malis vitiaremur alienis. Nam ecce cùm minister iniquus occultus est, à quo tamen datum baptismum nõ rescindis, nónne omnia tibi verba tua ista replicari possunt, quia & purificat maculosus, & abluit sordidus, & emũdat immundus, & dat infidelis fidẽ, & criminosus efficit innocentẽ? *Non*, inquis, *ipse, sed fama eius bona, quamuis inanis & falsa.* Hinc nõ vis vt ego exclamẽ, ô scelus, ô portentũ, non vt ait quidam, in vltimas terras exportandũ, sed potius extra omne cælũ & omnes terras, si fieri possit, abigendũ. Nõ teipsum dico quem correctũ volo, sed hunc errorem à quo te corrigi cupio. Itáne ad mundandũ hominem quando boni ministri falsa sufficit fama, quæ hoc efficiat quod efficeret bona vita, vt ad hominem sanctificandum quãdo ministri latet iniquitas, ministra Deo militet falsitas? Hoc totum ideo, ne dicatis quod dicimus, Siue à fideli siue à perfido dispensatore sacramentum quisq; percipiat, non sanctificat nisi Deus. Deinde cõmemoras verba mea quòd dixerim, *Semper Christus det fidem, Christus sit origo Christiani, in Christo radicem Christianus infigat, Christus Christiani sit caput.* Dixi planè & dico, nec tu omnino respondere potuisti. Videris enim quasi succubuisse tanto ponderi veritatis, cùm subiecisti, *hoc & nos suademus, hoc volumus.*

Ephes. 5. Ciceron. 1. Verrem. Contra Pett. lib. 1. c. 5.

CAPVT VI. Cur præstet in sui esse quam ministrum sacramenti iniustum.

DEINDE rursus supponis hominẽ in quo spẽ constituat accepturus: *Sed quærimus*, inquis, *per quẽ hoc melius fiat?* Et quia sine ministro nec nos dicimus posse hominẽ baptizari, queris à me, vtrũ ne melius, iniustus sit minister an iustus? Vbi respõdeo ad hoc esse melius vt sit iustus minister, quod infirmitas hominis, cui sine exẽplo laboriosum est & difficile quod imperat Deus, imitatione boni ministri ad vitã bonam facilius erigatur. Vnde dicit apostol. Paulus, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ad hominẽ verò baptizandum & sanctificãdum, si tanto est melius quod accipitur, quãto est melior per quem traditur: tanta est in accipientibus baptismorum varietas, quanta in ministris diuersitas meritorum. Si enim quod sine cõtrouersia creditur, melior erat Paulus quàm Apollo, meliorem baptismum profectò dedit, secũdum istam vestram vanam peruersamque sentẽtiam. Et si meliorem baptismum dedit, profectò eis quos à se non baptizatos gratulatur, inuidit. Porrò si inter bonos ministros, cùm sit alius alio melior, nõ est melior baptismus qui per meliorem datur, nullo modo est malus, qui etiam per malum datur, quando idem baptismus datur. Et ideo per ministros dispares Dei munus æquale est, quia nõ illorum, sed eius est. 1. Cor. 4.

CAPVT VII. NON ergo sicut inaniter inueheris, nihil inter fidelem perfidumq; discernimus, sed discernimus humana merita, non sacramenta diuina: quæ tu quoque vi veritatis † adductus & hæreticæ intentionis oblitus, nobis & vobis non alia, sed vna eademque esse dixisti. Quomodo dicis, *hoc & nos suademus & volumus vt semper det Christus fidem, Christus sit origo Christiani, in Christo radicem Christianus infigat, Christus Christiani sit caput:* cùm defendas literas Petiliani, vbi apertissimè cùm baptizantis meritum commendaret, quantumq; ad dandum baptismum valeret humana iustitia: pro suscepta causa conaretur ostendere: *Conscientia*, inquit, *sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis. Nam qui fidem sciens à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum.* Et tanquam ei diceretur, vnde hoc probas? secutus adiunxit, *Omnis enim res origine & radice consistit: & si caput non habeat aliquid, nihil est.* Quid obsecro, quia incidisti in defensionem temerariæ falsitatis, nebulas manifestis rebus moliris offundere? Apertè dicit homo, originem, radicem, caputq; hominis regenerandi per baptismum non esse posse, nisi cuius ministerio baptizatur: & tu dicis, *hoc & nos volumus, vt Christus sit origo & radix, caputq; Christiani. Sed quærimus per quem hoc melius fiat.* Hoc aliud est quod dicis, aliud quod dixit Petilianus: hoc quod dicis etiamsi verum sit, non hoc est quod ille dixit.

† For. adactus.

Cont. Pet. lib. 1. c. 1. & 2. Cont. Pet. lib. 3. cap. 4.

CAPVT VIII. 1. Cor. 3. PROINDE si hoc & tu vis, vt Christus sit origo & radix & caput Christiani, Petiliano resiste, non mihi, quoniam neq; qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Quod ego ex Apostolo cùm in meis literis posuissem, ita tu respondere voluisti vt diceres, *Dei quidem dare est incrementum, sed sicut qui plantat & rigat, nõ nisi colonus fidelis & diligens quæritur: sic etiam in sacramento baptismatis non nisi fidelis & iustissimus operarius adhibetur.* Quasi verò quòd infidelis colonus plantauerit, propter eius infidelitatem non germinet vis seminis, & fœcunditas terræ cœliq; temperies hanc efficaciam diuinitùs non acceperint; vt ad propagandos fructus plantatorem vel rigatorem operarium tantummodò expectent, qua mente operetur, qua laboret intentione non curent, vtrùm Dominum agri fideliter diligat, an sua non illius lucra conquirat. Adiungis etiam testimoniũ propheticum dicens, Dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos, pascentes cum disciplina. Scio, completum est, Tales Apostoli fuerunt, tales etiam nunc, etsi pro ecclesiæ latitudine perpauci, non tamen desunt. Sed quid etiam per Ezechielem prophetam dicatur aduersus pastores malos, debuisti quærere, legere, cogitare. Ibi enim dicit, Ego pascam, non pastores. Hier. 3. Ezech. 34.

CAPVT IX. PROINDE & per pastores bonos & pastores malos cùm verbũ suũ sacramentũq; dispensat, ipse pascit, quia de se ipso ait, vt sit vnus grex & vnus pastor. Bonum est enim confidere in Dominũ, quàm confidere in hominẽ. Et maledictus qui spem suam ponit in homine. Quod à me in illa epistola commemoratũ, sic te intelligere ostẽdis, vt ideo magis te dicas iustum & fidelem, per quem hoc sacramẽtum celebretur inquirere, *quia spem & fiduciam Dei, non hominis habes: Dei esse autem fidem atque iustitiam, quam semper in ministris eius attẽdis.* Hoc verum dicis, quia bonorum omnium nihil habemus quod non accipimus, & ideo fides & iustitia nobis à Deo est. Sed cùm dicis hanc tibi Deum dare nõ posse, nisi habeat eam homo per quem baptizaris: spem profectò in homine ponis, qui vtrum sit iustitiæ particeps, nescis. Et si non est, tunc famam eius attendis, & cùm famam bonam de malo latente repereris; ad sanctificationem tibi sufficere credis. Obsecro te si fiduciam Dei nõ hominis habes, & ideo magis vt iustus & bonus & fidelis sit, per quem hoc sacramentum celebratur inquiris, quia Dei est fides atque iustitia: nunquid Dei est etiam falsitas famæ, quam si habeat bonam minister malus, hanc tibi dicis in tua sanctificatione sufficere? Iam mallem in hominem cõfiderẽs, vnde te vehementissimè prohibebam, quàm in famæ ipsius falsitatem. Homo enim qualiscunque sit, quantum ad id quod homo est attinet, Dei creatura est: nulla vero falsitas Dei creatura est. Porrò si maledictus qui spem suam ponit in homine, quanto magis qui spem suam ponit in falsitate opinionis humanę, vt in illud aliud incidat quod scriptum est, Qui fidit in falsis, hic pascit ventos: id est, sit esca spiritibus malis. Hier 17. Proverb. 10.

CAP. X. De baptismo Ioannis. Act. 2.

SI *datum*, inquis, *à quocunque & quomodocunque baptisma rescindi non debet, cur post Ioannem apostoli baptizauerunt?* Quanto vehemẽtius ita proponitur, Si post Ioannem apostoli baptizauerunt, cur non etiam post quemlibet sanctum baptizat vel melior vel æqualis: vt vel hinc intelligere cogaris, ad istam quæstionem non pertinere baptismum Ioãnis? *Et Iudæis*, inquis, *à Moyse baptizatis Petrus dixit, Pœnitemini et baptizetur vnusquisq; vestrũm in nomine Iesu Christi.* Si propterea iam baptizati erant Iudæi, quia Moyses per mare rubrum ante tam longum tempus parentes eorum baptizauerat, qui de Christianis baptizatis nascuntur, sine causa hodie baptizantur: & tamen dicis ista & scribis ista, aut diris & legeris & putaris respõdere literis nostris: quasi hoc sit respondere potuisse, quod est tacere noluisse. Exod. 14.

CAPVT XI. Lib. 1. contra Petil. cap. 4. NEC illud quod prætereundum putasti, refellisti principio huius epistolæ, sicut tibi videris, quod à me dictum est, *Si errabant illi qui volebant esse Pauli, quæ tandem spes eorum est qui volunt esse Donati?* Quis enim non videat hinc esse istam diuisionem factam, hinc hodieque in hac peste persistere, dum in hominis iustitia spes ponitur, vt tunc sit acceptabilis baptismus Christi, si ab homine iusto quisque tingatur? Contra quem errorem aduersus eos qui iam schismata propter diuersa merita hominum facere cœperant, clamat ipse Paulus, Gratias ago Deo meo, quod neminẽ vestrum baptizaui, ne quis dicat quòd in nomine meo baptizaui: Quid aliud insinuans, nisi baptisma Christi non esse nisi eius in cuius nomine datur, & ideo non fieri melius cùm per meliorem datur, nec deterius per deteriorem. Frustrà itaque deineceps exultas & dicis, *Sequitur vt omnia illa quæ à sancto Petiliano seu cuiuslibet sermone scripta sunt, rectè dicta concludam.* Ipsa enim verba quæ velut rectè dicta concludis, non se rectè dicta conuincunt, quia nec conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis, cùm maculosa dantis occulta est. Ibi victus cùm veritati acquiescerẽ debuisses, ad falsam eius famam, tanquam ad deceptũ mendacio infelicem iudicem prouocasti: quia neque attenditur conscientia, quando fama eius attenditur, & tam non potest falsa cuiusquam fama, quàm nec mala vita quisque mundari: & nemo fidem Christianam sumit ab homine, nec perfido nec fideli, sed ab illo de quo scriptum est: Fide mundans corda eorum. 1. Cor. 1. Act. 15.

Qui si per fidelem audit quid credẽdum sit, eum quidem imitatur, non tamen ab eo iustificatur. Nam si mini-

minister iustificat impium, consequens est vt etiam in ministrum rectè credatur, Apostolica quippe clara & certa sententia est, Credenti in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. Proinde si minister non audet dicere, Crede in me, non audeat dicere, iustificaris à me. Iam verò quod sequitur, *Omnis res origine & radice consistit: & si caput non habeat aliquid, nihil est:* si origo & radix & caput baptizati, baptizans minister est; Christus non est: si Christus est, ille non est. Denique cùm minister occultus est malus, quæ origo, quæ radix, quod caput est baptizati? an falsa eius fama? Hoc quidem Cresconius dicit, sed veritas contradicit. Ergo & tunc origo & radix & caput Christus est. Ipse est enim quando minister est bonus, ne quod absurdissimum est, melior sit conditio baptizati per occultum malum quando Christus est caput, quàm baptizati per manifestum bonum, si huic minister est caput. Hoc & de bono semine dixerim. Sequitur enim, *Nec quicquam bene regenerat nisi bono semine regeneretur.* Quæ verò sequuntur ex epistola Petiliani abs te posita vbi ait, *Quæ cùm ita sint fratres, quæ potest esse peruersitas, vt qui suis criminibus reus est, alium faciat innocentem, cùm scriptum sit: Arbor bona bonos fructus facit, & arbor mala malos fructus facit. Nunquid colligunt de spinis vuas? Et iterùm: Omnis homo bonus de thesauro cordis sui producit bona: & malus homo de thesauro cordis sui profert mala:* satis aperteque conuincunt Petilianum hæc omnia non retulisse nisi ad hominem per quem baptismus ministratur, vt ipse intelligatur si innocens est facere innocentem quem baptizat: ipse sit bona arbor, cuius fructus sit qui baptizatur: ipse bonus homo, de cuius cordis thesauro procedit sanctificatio baptizati. Ac per hoc cùm iste occultus est malus, dic mihi à quo fit ille innocens? dic mihi cuius erit arboris fructus? dic mihi de cuius cordis thesauro sanctificabitur baptizatus? aut si tunc effectorem innocentię suæ, tunc arborem de qua fructus bonus nascatur, non hominem ministrum baptismi meretur habere, sed Christum: felicius incidit in ministrum latentem malum, quàm si incidisset in manifestum bonum. Quod si absurdissimè atque insanissimè dicitur, Christi fructus est qui eius baptismo sanctificatur, cuiuslibet ministri opere baptizetur. Nisi fortè ad consilium tuum recursurus est, quando incurrit in ministri conscientiam maculosam & occultam, vt ei de qua nascatur arborem ostendas falso bonam mali hominis famam: cuius radicem si quęsieris, inuenies fallentis astutiam, de qua si potest nasci fructus bonus, quod absit, mentitus est Christus qui dixit: Non potest arbor mala fructus bonos facere. Sed quia verum dixit Christus, habeat homo bonus tanquam bona arbor bonum fructum, opus bonum: sicut homo malus tanquam mala arbor malum fructum, opus malum. Qui autem baptizatur, non de cuiusquam hominis, sed de spiritu Christi nascatur, si vult esse fructus qui vento nõ corrumpatur, & arbor quæ non eradicetur. Quæ cùm ita sint, cùm tu dixeris, *Ergo sequitur vt omnia quæ à sancto Petiliano seu cuiuslibet sermone scripta sunt, rectè dicta cõcludam.* Puto quia ego potius illa omnia non rectè dicta concludo.

Rom. 4. — Cont. Per. lib. 1. cap. 4. — Cont. Petil. lib. 1. cap. 7. & 8. — Matth. 7. — Matth. 12. — Matth. 7.

CAPVT XII. *Aggreditur causam Optati Gildoniani, & Maximianistarum.*

IAM nunc videamus quod deinde in epistola tua contexuisti, quomodo te Optati causam & Maximianistarũ, quinimo vt abs te doctior fiam, Maximianensium, vestri docuerunt. Et de Optato quidem, de quo nihil conscriptum valeo recitare, quodlibet sentias, facilè cedo. Vnum illud scio, si vera sunt quæ de illo, vt non dicam ostendebantur, certè tamen dicebãtur, nec ipse erat bonus, nec famã habebat bonam: vnde quicunq; per eum baptizati sunt, nec conscientia eius secundum Petilianum, nec fama eius secundum te, ablui potuerunt. Si autem falsa mala eius, sicut sępe assolet, in uida fama iactauit, vide quàm rectè nõ facilè credamus, quod nũquam nobis de traditoribus quos accusatis probare potuistis. Quia solet etiã de bonis mala fama mentiri. Si ergo non illorum innocentia, non denique quod verum atque firmum est Dei gratia & non nostra conscientia ratum nobis baptismum facit, faciat saltem sententia tua.

CAPVT XIII.

TV enim cùm de Optato loquereris dixisti: *Ego quidem Optatum nec absoluo nec damno.* Si hoc ego, imò non tantùm ego, sed omnis Aphricana catholica ecclesia, quanto magis etiam transmarina tam longè latéq; diffusa, de Cæciliano & eius ordinatorib. dicat, Ego illos nec absoluo nec damno: parúmne putas esse illis quos ij baptizauerunt, quorum nemo vnquam Cęcilianum vidit, quod de Optato sufficere credis eis, quos ille etiã suis manibus baptizauit? An quia de Cæciliano parentum vestrorum concilium recitatis, de Optato autem nullum recitatur à nobis: ideo putas nulli nostrum licere dicere, Ego Cęcilianum nec absoluo nec damno: quod tibi licuit de Optato? Sed factũ est pro Cęciliano posterius iudicium †transmãrinum, vestris apud Constãtinum imperatorem vt fieret instantibus. Aut si ecclesiastica iudicia quæ prius facta fuerunt iam cõuelli non possunt, quid de Primiano facturi estis vestro episcopo Carthaginensi, contra quem primo cẽtum, plures vtique quàm de Cæciliano iudicauerunt, eiq; abrogato episcopatu Maximianum pro illo constituerunt? Nónne Primianus posteriore iudicio nititur, quod pro illo factum est in oppido Bagaiensi, secũdum quod iudicium non vult de se dubitari, sed ab omnibus vobis se extorquet absolui? Vnde & nos secũdum posterius de Cæciliano iudicium prorsus eum incunctanter absoluimus. Sufficit tamen ad causam si hoc de illo dicamus, quod tu de Optato dixisti, nos Cæcilianum nec absoluimus nec damnamus. Viderint illi seu vestri seu nostri, quemadmodum de illo iudicauerint. Ipsi suarum sententiarum rationem reddant, ipsi portent seu mali seu boni sui operis sarcinam, nobis de alienis saltem factis dubitare permittite, ne cogamur in nobis ea sacramenta damnare, de quibus non licet dubitare. Sed iam dixi, senti de Optato quod vis, Neq; enim est vnde conuincamus eum qui non apud acta commisit. Quę tamen ita commisit, vt inter Gildonis satellites præcipuus haberetur, teneretur, moreretur. Nunquid etiam de Feliciano & Prætextato sociis Maximiani, quos trecenti & decem episcopi vestri cum cæteris similiter nominatim expressis, vna eãdémque sententia Bagaitani concilij damnauerunt, eosdémq; non post paruum tempus cum omnibus quos damnati baptizauerunt, sicut fuerunt, episcopos susceperunt, quodlibet vobis garrire permittitur?

† al. transmarinus vestris. — Romanum vide lectet & Arelatense. — Maximianus in Primiani locum constitutus Carthaginis episcopus. — Infrà toto lib. 4. — Vide & infra lib. 4. capu 27.

CAPVT XIIII.

QVOCIRCA quęcunq; in nos siue in nostros quasi parcendo & prætereundo dixistis, sine nominibus, sine testibus, sine vllis omnino documẽtis, partim culpãdo quæ culpanda nõ sunt, partim quæ culpanda sunt, non probãdo, superuacaneum est velle purgare. Istos iterũ attende, Felicianum Mustitanũ & Prætextatum Assuritanũ aliquanto diligẽtius intuere, quorũ totam causam suo loco ita si Dominus permiserit, explicabo, vt etiã si nimius hostis veritatis esse volueris, vestrorum mendaciũ defendere vel negare non possis: sed nũc interim secundũ hoc mihi placet agere quod tibi dixerunt, nondũ discutio quàm verũ dixerint, nondũ ostẽdo, quàm mira impudentiæ cęcitate mẽtiti sint. Certè cùm de iis quos Maximianistas appellatis, & damnatis vestrorũ concilio & receptis, in epistola mea perlegeres, sicut scribis *valde permotus es: quippe cùm adhuc* (verbis enim tuis vtor) *quod haberet veritas ignorares.* Denique statim, sicut narras, *ex vestris episcopis diligẽtius inquisisti, atq; ipsis docẽtibus, & decretũ concilij & sententiã in eos qui dãnati sunt dictã, et rei totius ordinẽ cognouisti.*

Et quia

Et quia & me quid gestum sit ignorare credebas, quid veritas haberet hortatus vt discerem, ita deinceps cuncta narrasti. Vide quia in hac causa verba ipsa tua pono ex epistola tua, sunt enim mihi pernecessaria.

CAPVT XV. *Infra lib. 4. cap. 28.*

CVM *quam plurimos*, inquis, *episcopos error sibi Maximiani sociare contenderet, contractò à nostris concilio in eos omnes qui in eius schismate perstitissent, prolata sententia est, quam tu quoque te legisse testaris. Quæ sentẽtia cum consensu omnium firmaretur, placuit tamen*, inquis, *decreto concilij dilationem temporis dari intra quod si quis corrigi voluisset, innocens haberetur. Sic factum est*, inquis, *vt non solùm duo illi quos memoras, sed etiam multi alij purgati atque innocentes se ecclesiæ reddidissent. Quorum ideo baptisma rescindi non debuit, quia intra diem præstitutum restituti peremptoria sententia non tenerentur, nec cùm baptizarent fuerunt ab ecclesia separati, quippe nec dum trãsacti temporis definita meta disiuncti. Hi autem qui etiam post prædictum diem cum Maximiano pertinaciter perstiterunt, sententia damnationis retenti, simul & baptisma & ecclesiam perdiderunt.* Hæc verba tua certè mi Cresconi cognoscis ex epistolæ tuæ contextione expressa.

CAPVT XVI.

PROINDE quæro abs te, Si nõdum fuerant ab ecclesia separati, quomodo in eos omnes qui in Maximiani schismate perstitissent, prolata sentẽtia est, quæ cum consensu omnium firmaretur, placuit tamen decreto concilij dilationem temporis dari, intra quod si quis corrigi voluisset, innocẽs haberetur? Quibus vtrbis ostendis eorum qui in Maximiani schismate perstitissent, si quis intra dilationem temporis corrigi voluisset, innocens haberetur. Corrigeretur ergo si quis corrigi voluisset ab illo schismate in quo cum Maximiano perstiterat, proinde antequam corrigeretur, in schismate erat in quo perstiterat, quamuis in eo quia intra placitum tempus correctus est, non pertinaciter perstitisset. Nam & posterioribus verbis paulo pòst ita distinguis, *Hi autem qui etiam post prædictum diem cum Maximiano pertinaciter perstiterunt, sententia damnationis retenti, simul & baptisma & ecclesiam perdiderunt:* dicens vtique *pertinaciter perstiterunt*, ostendis etiam illos qui correcti sunt perstitisse, sed non pertinaciter. In quos simul ab omnibus prolata est sententia illa quæ consensu omnium confirmata est, placuisse tamen dicis decreto concilij dilationem illam temporis dari. Quomodo igitur in ecclesia erant, qui antequam corrigerentur in schismate cum Maximiano perstabant. Quòd si in ecclesia non erant, quia in schismate erãt, quomodo baptizabant? Deinde quomodo factum est, sicut dicis, vt nõ solùm illi quos memoraui, sed etiam multi alij purgati atque innocentes se ecclesiæ reddidissent, si ab ecclesia non erant separati? Cui se reddiderunt, vnde non recesserunt? Aut si recesserunt, dic quæso antequam se ecclesię reddidissent, quo iure baptizauerunt? *Quorum ideo*, inquis, *baptisma rescindi non debuit, quia intra diem præstitutum restituti, peremptoria sententia nõ tenerentur.* Restituti, quò? Euigila obsecro, dic nobis, quò restituti? Profectò dicturus es in ecclesiam, cui se illos reddidisse dixisti. Quisquam ne restituitur in ecclesiam, qui non fuerit ab ecclesia separatus? Quisquam ne ab ecclesia non separatur, quamlibet paucos dies persistit in schismate? Quisquam ne ab ecclesia non separatur, si post tempus quãlibet paruum redditur ecclesiæ?

CAPVT XVII.

ARBITROR te charissime, non solùm verba tua non considerasse conscribenda, sed nec legisse conscripta. Veruntamen quid faceres cui necessitas in hoc opere ingerebatur in Maximianum ac socios eius, non propriam dicere, sed ab aliis dictam quoquo modo posses defensare sententiam. Nam & si tu non vtereris his verbis, idem ipsũm decretum concilij Bagaiensis recitarem vbi scriptum est: *Eos autem quos sacrilegi surculi non polluere plantaria, hoc est qui à Maximiani capite proprias manus verecundo fidei pudore retraxerunt, ad matrem ecclesiam redire permisimus.*

CAPVT XVIII.

PROINDE & si talia tua verba non reperirem, hic certè dicerem, hic pro veritate clamarẽ, Quomodo ad matrem ecclesiam redire permittuntur, qui ab ecclesia matre nõ recesserunt? Aut si recesserunt, quo iure antequam redirent baptizare potuerunt; nisi quia in causa resarciendi huius schismatis obliti estis propriæ vanitatis, qua post episcopos ab ipsis Apostolorũ sedibus inconcussam seriẽ vsque in hæc tempora perducentes, non vnum hominem, non vnam domum, non vnam ciuitatem, non vnam gentem, sed orbem terrarum rebaptizandum esse censetis: aut certè quia huius facti horror semper etiam facientium corda cõcussit, tot populis ad vestram communionem à Maximiani communione redeũtibus tam multos quidem libuit reparare, sed puduit tã multos rebaptizare: quod tamen quibuslibet detestantibus & exhorrentibus propter salutem hominum faceretis, quæ quanto plurium fuerat, tanto minus vtique contemnenda erat, si hoc vnquam contuitu veritatis, & non præiudicio faceretis erroris. Vides certè in hoc Maximianẽsium ad vestram communionem reditu patefactum, vera esse quæ de baptismo dicuntur à nobis. Nam si vllus est in hominibus intellectus, vel dicendi aliquid vel audiendi, qui antequam redeat ad ecclesiam baptizat, profectò extra ecclesiam baptizat: & tamen rescindendus baptismus nõ est, sicut nec in illis rescissus à vobis est. Quo non mutato, nec in suo, nec in cuiusquam alterius, sed in patris & filij & spiritus sancti nomine quisque baptizat. Deinde præter baptismi sacramentum quod vel ad pœnam peruersi, vel ad salutem recti siue correcti integrum perseuerat, de ipsa correctorum expiatione vel mundatione volo aliquid dicere. Meministi enim quæ aduersus nos dixeris, quòd veniẽtes ad nos à vobis ex hæreticorum sacrilego errore, sine vlla expiatione susceptos habeamus, Tu nobis dic modò, de schismate Maximiani redeũtes ad vos, cùm in suis etiam susciperentur honoribus, qua tãdem quæso expiatione mundati sunt? In illo tanto scelere participato, non erant tam nepharia societate maculati?

Episcoporum ab ipsis vsque Apost. inconcussa series.

CAPVT XIX. *Concilij Bagaiensis contra Maximianũ & eius ordinatores sententia. Num. 16.*

ATTENDE quid insonet, quid increpet, quid in illo præclaro concilio fateatur veriloquum os illud episcoporum tuorum. *Maximianum*, inquit, *fidei æmulum, veritatis adulterum, ecclesiæ matris inimicum; Dathan, Chore, & Abiron ministrum, de pacis gremio sententiæ fulmen excussit: & quod adhuc eum dehiscens terra non sorbuit, ad maius supplicium superis reseruauit. Raptus enim pœnam suam compendio lucrauerat funeris: vsuras nunc grauiores colligit fœnoris, cùm mortuus interest viuis.* Itáne tandem in huius schismate, sicut ipse dixisti persistentes, antequam intra tempus dilationis, sicut tu idẽ dixisti, se vestræ ecclesiæ reddidissent, nullam vel paruam de huius societate traxerant maculam? Sed audi deinde quid sequatur, Audi, inquã, dictator vel dictor illius sententię quid connectat, *Nec hunc solum*, inquit, *sceleris sui mors iusta condemnat, trahit etiam ad consortiũ criminis plurimos catena sacrilegij, de quibus scriptum est, Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorũ ad effundendum sanguinem, Contritio & infelicitas in viis eorũ, & viam pacis non cognouerunt. Nollemus quidem tãquam è proprij corporis iunctura præcidi, sed quoniam tabescentis vulneris putredo pestifera plus habet in abscissione solaminis, quàm in remissione medicaminis; inuenta est causa salubrior, ne per cuncta membra pestilens irrepat virus, vt compendioso dolore natum decidat vulnus. Famosi ergo crãminis reos Victorianum Carchabianensem, Martianũ Sullectinum, Beianum Baianensem, Saluium Aufaphensem, Theodorum Vsulẽsem, Donatum Sabratensem, Miggenem Elephantariensem, Prætextatum Assuritanum, Saluium*

Ritteritus ie fuit, Cæsariensis Donatistarum episcopus. Psal. 13.

Membrestitanum, Valerium Melzitanum, Felicianum Mustitanũ, & Martialem Pertusensem, qui funesto opere perditionis vas sordidum collecta fæculentia glutinarunt: sed & clericos aliquando ecclesiæ Carthaginis, qui dum facinori intersunt, illicito incestui lenocinium præbuerunt, Dei præsidẽtis arbitrio vniuersalis cõcilij ore veridico damnatos esse cognoscite. Quæ grauiora in illos dicere potuistis? Quæ grauiora in nosipsos dicere soletis? *Sed ab hoc*, inquis, *tam magno malo intra dilationis tẽpus correcti sunt:* videro vtrũ correcti sint, quia reuera correcti essent, si ad veram ecclesiã remeassent. Sed si vestra vera est, quomodo expiati sint à tam immani scelere, dicite. Si enim non sunt expiati, omnes vos estis secundum vestram sententiam eorũ scelere maculati. Si autem expiati sunt, solo ipso reditu propter charitatẽ quæ cooperit multitudinem peccatorũ expiari potuisse concediti: & nos de vestris cùm correcti ad nos veniũt, inanibus calũniis accusatis: nisi fortè iam quidã sicut cõcilij verba indicãt schismatis sacrilegium perpetrauerãt, sed ante diem cõcessæ dilationis eodẽ sacrilegio nondũ fuerant inquinati, & ideo nõ putati sunt expiandi.

CAPVT XX. Hoc si ita est, quis vos non audiat, qui tam mirabilem potestatẽ in homines accepistis? Peccant quando volunt, & inquinantur quando vultis: Non obscurum aliquid recitamus, minúsve notũ atq; vulgatũ: illa sententia est quæ tantę facũdię merito in manib. omniũ, in omniũ ore versatur qui legendorũ taliũ studiosi sunt, de qua nunc saltẽ cernis quàm verè dixerim, quod nõ eã deberẽt primò gaudere disertã, ne postea plãgerent diffamatã. Attende quid habeat, audi quid perstrepat. Lib. 1. contra Petil. c. 10.

CAPVT XXI. Maximianvm, inquit, *fidei æmulum, veritatis adulterum, ecclesiæ matris inimicum, Dathan, Chore & Abiron ministrum, de pacis gremio sententiæ fulmen excussit.* Cùm hoc igitur si quis sacramentum altaris vno die sciens communicasset, secundum iactantissimam illam seueritatem vestram, non de tanto malo sic polluereturr, vt par eius fieret? Quid ergo fuerũt, vel quid ex illo facti sunt qui non solùm ad altaria cum eo accesserũt, verum etiam ipsi eum ordinatum episcopum contra Primianum vestrum erectis altaribus admouerunt? Sed quid ego te de istis interrogem, Ipsa sententia loquatur cuius verba sic fulgent, vt si eam volueritis abscondere, quarumlibet latebrarum tenebras suo nimio splendore perrumpat. Videamus in socios Maximiani, quanto sonitu damnationis insurgat.

CAPVT XXII. Nec *solum hunc*, inquit, *sceleris sui mors iusta condemnat, trahit etiam ad consortium criminis plurimos catena sacrilegij, de quibus scriptum est, Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinẽ. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Deinde paulo pòst cùm omnes ordinatores Maximiani nominatim enumerasset, inter quos etiam isti de quibus ago, Felicianus & Prætextatus leguntur, quid fecerunt, vt tanta in eos dignè dicenda essent, ita subiungit, *Qui funesto*, inquit, *opere perditionis vas sordidũ collecta fæculentia glutinarunt:* sic intelligi volens quod ipsi affuerint, ipsi Maximianum impositis manibus ordinauerint. Addens etiam de Carthaginis clericis, *Sed & clericos*, inquit, *Carthaginis ecclesiæ, qui dum facinori intersunt, illicito incestui lenocinium præbuerunt.* Psal. 13.

CAPVT XXIII. Rogo te Cresconi, nunquid ullis meis verbis hoc crimen exaggero? Quod si voluissem, fortasse mihi & si non talia, tamen qualitercunque sufficientia nõ defuissent. Quæro igitur abs te, antequam isti duo de quibus interim ago, ad vestræ communionis concordiam remeassent, in illa catena sacrilegij cõstituti, sub quorum labiis erat venenum aspidum, cum ore pleno maledictione & amaritudine, cum pedibus velocibus ad effundendum sanguinem, quomodo baptizarunt? Nunquid in his erat conscientia sanctè dantium, quàm ablueret accipientium? Nunquid eos saltem fama bona vel falsissima commendabat, quæ tibi in illis angustiis non quà euaderes, sed quà te præcipitares exitum præbuit, cùm eos tam insigne conciliũ clamet famosi criminis reos? Redeuntes deinde sicut falsa narrãtibus vestris episcopis credidisti, ante dilationis diẽ quomodo suscipiuntur in honoribus suis, cum eis quos extra ecclesiam cum Maximiano constituti in catena sacrilegi schismatis baptizauerant, vnde à sacrilegio tanto expiantur, à catena illa vnde soluuntur, labia eorum, os eorum venenum aspidum, à maledictione & amaritudine vnde mundantur, vnde pedes ab effusione spiritalis sanguinis abluuntur quo velociter cucurrerũt, vnde manus à funesto opere perditionis emaculãtur, vnde ab illicito incestu non membra corporis, sed animæ purgantur affectus?

CAPVT XXIIII. Nempe istam causam vt defendatis, velitis nolitis ad patrocinium veritatis venire cogemini, quæ dicit baptismum Christi, nõ solum per occultos, sed etiam per manifestos malos: nec solùm à conuersis, verumetiam à peruersis datum, habere inconcussam sui roboris firmitatem, & eis posse quidem inesse, sed nisi correctis non posse prodesse: correctos autẽ etiam fraternis orationibus expiari per charitatem cooperientem multitudinem peccatorum. Ecce antequam ostẽdam quàm impudenter tibi vestri episcopi de Maximianẽsium susceptione mentiti sint, secundum ipsum mendacium eorum & narrationem tuam, quàm tota causa vestra subuersa sit, puto quod non iam quærere debeas, sed agnoscere, nec parare contradictionem, sed correctionem potius cogitare. Vides enim nũc saltem quàm veraciter à me illa dicta sint, quibus frustrà mẽdaciter respondere conatus es: quàm rectè dixerim, *Si pro vnitate partis Donati in nefario schismate baptizatos nemo rebaptizat, cur non pro vnitate Christi vera & plenaria, lex illius hæreditatis agnoscitur?* cùm ipse fatearis eos qui in Maximiani schismate perstitissent meruisse sententiam, qua non tenerentur si intra diem dilationis se ecclesiæ reddidissent? Vnde cõstat antequam se reddidissent, eos in schismate in quo perstiterant baptizasse, cum quibus in vestram communionem recepti sunt. Vides quemadmodum mortui baptizauerũt, quia de illis qui in Maximiani schismate perstitissent, antequam ad vos redirent, dictum erat sententia concilij Bagaiensis, *A Egyptiorum admodum exemplo, peeuntium funeribus plena sunt litora.* Lib. 1. contra Petil. cap. 13.

CAPVT XXV. Quod verò dixi, *Quando apud eos decernenda recitata est, ore lætissimo acclamauerunt: nunc autem cùm à nobis recitata fuerit, obmutescunt:* quibus pœnis ecce iam multo melius obmutescerent; quàm cùm talia loquũtur, implicarentur. Vides quàm verum sit quod à me dictum est, *Iam tandem sentire deberent, quanta sint pro pace toleranda, & pro pace Christi redire ad ecclesiam, quæ non damnauit incognita; si pro pace Donati placuit reuocare damnata:* multo magis enim hoc secundum tuam narrationem verum est, qui dixisti etiam illos dilatione concessa reuocatos, de quibus nominatim expressis iam dictum fuerat, *Dei præsidentis arbitrio vniuersalis concilij ore veridico damnatos esse cognoscite.* Cùm enim post hæc verba illa est dilatio constituta, quomodo nõ placuit reuocare damnata? aut quomodo nobis tanto pòst natis, vel ipsi etiam Christiano orbi terrarum incognita esse non possint, quæ probari non potuerunt de Cæciliano, in eo quòd postea factum est iudicio transmarino; quando ea quæ de Maximianensibus gesta sunt, & in Aphrica & tẽporibus nostris, tu cùm sis Apher, sicut dicis, post tot annos adhuc vsq; non noueras? sicut autem nos docere poterimus, adhuc vsq; non nosti, quia episcopis vestris mentientibus credidisti. Ibidem c. 13.

CAPVT XXVI. Quod autem me de traditione in vestros maiores, dicis, quasi per anticategoriam, quod à nostris maioribus factum est, retorquere voluisse, culpans quod hoc fecerim, quasi in schola de causæ generibus vel quæstionibus ageretur, non in ecclesia veritas quæreretur. Nunquid hoc Heliæ prophetæ diceres, qui cùm sibi à rege iniquissimo esset obiectum, quod ipse euerteret Israel: respondit, Ego non euerto, sed euertis tu & domus patris tui? Quid enim ad nos pertinet hoc retortæ obiectionis genus, quo nomine à Græcis appellatur in arte rhetorica, cùm hoc inueniamus in authoritate prophetica? Cùm ergo quisque dicit, Non ego feci, sed tu fecisti, verum dicere opus est, nõ dicere metuendum est. Et tu quomodo ostendas non fecisse maiores vestros, quod suis confessionibus lectis fecisse monstrantur, debes si quid vales vigilantissimè cogitare, non verbo Græco imperitos ne nos audiãt deterrere. Et maiores quidem nostros fuisse traditores non docuisti. Neque enim quia dixisti esse multas literas quibus hoc posset ostendi, ideo iam ostendisse putandus es. De vestris autem maioribus extat Secundi Tigisitani concilium cum paucissimis quidem factum apud Cirtam post persecutionem codicum tradendorum, vt illic in locum defuncti ordinaretur episcopus. 3. Reg. 18.

CAPVT XXVII. Acta Cirtẽsis concilij sub Secundo Tigisitano. Consule Optatum lib. 1.

Ibi quæ gesta sint accipe, Nam quæ necessaria fuerunt, infrà scribere curaui. *Diocletiano octies, & Maximiano septies consulibus quarto nonas Martij Cirtæ, cùm Secundus episcopus Tigisitanus primæ cathedræ consedisset in domo Vrbani Donati, idem dixit, Probemus nos primò, & sic poterimus hic ordinare episcopum. Secundus Donato Masculitano dixit, Dicitur te tradidisse. Donatus respondit, Scis quantum me quæsiuit Florus vt thurificarem, & non tradidit me Deus in manus eius frater: sed quia Deus mihi dimisit, ergo & tu seruame Deo. Secundus dixit, Quid ergo facturi sumus de martyribus? Quia non tradiderunt, ideo & coronati sunt. Donatus dixit, Mitte me ad Deum ibi reddam rationem. Secundus dixit, Accede vna parte. Secundus Marino ab aquis Tibilitanis dixit, Dicitur & te tradidisse. Marinus respondit, Dedi Pollo chartulas, nam codices mei salui sunt. Secũdus dixit, Transi vna parte. Secundus Donato Calamensi dixit, Dicitur te tradidisse. Donatus respondit, Dedi codices medicinales. Secundus dixit, Transi vna parte. Et alio loco Secundus Victori à Rusiccade dixit, Dicitur te tradidisse quatuor euangelia. Victor respondit, Valentianus curator fuit, ipse me coegit vt mitterem illa in ignem. Sciebam illa deletitia fuisse. Hoc delictum indulge mihi, & indulgebit mihi Deus. Secundus dixit, Transi vna parte. Et alio loco Secũdus Purpurio à Limata dixit, Dicitur te necasse filios sororis tuæ duos Milei. Purpurius respondit, Putas me terreri à te sicut & alteri? Tu quid egisti qui tentus es à Curatore & Ordine vt scripturas dares: quomodo te liberasti ab ipsis, nisi quia dedisti aut iussisti dari quodcunque? Nam non te dimittebant passim. Nam ego occidi & occido eos qui contra me faciunt. Ideo noli me prouocare vt plus dicam, Scis me de nemine tractare. Secundus minor patruo suo Secundo dixit, Audis quæ dicat in te? Paratus est recedere & schisma facere, non tantum ipse, sed & omnes quos arguis: quos scio quia dimittere te habent, & dare in te sententiam, & remanebis solus hæreticus. Ideo quid ad te pertinet, quis quid egit? Deo habet reddere rationem. Secundus Felici à Rotaria Centurioni, & Victori à Garbe dixit, Quid vobis videtur? Responderunt: Habent Deum cui reddant rationem. Secundus dixit, Vos scitis & Deus, Sedete. Et omnes responderunt, Deo gratias.* Hos tu traditores qui cum aliis apud Carthaginem in Cæcilianum & socios eius dixerunt sententias, inter quos & Syluanus Cirtensis fuit, de cuius traditione gesta mox inseram, præclara videlicet ratione defendis: hoc enim de his iam pluribus vtique dicturus es, quod de vno Syluano tanquam magnum aliquid dictandum putasti, hinc te arbitratus manifestè falsum crimen quod ei traditionis obiicitur, demõstrare, quia interposuisti sententiam eius quam in concilio inter cæteros episcopos contra Cæcilianum & alios communionis eius participes dixit, tanquam fieri non posset vt traditores traditor condemnaret. Prudẽtius enim tu vides ista quàm Paulus Apostolus: nam ille quibusdam res obiiciebat absurdas, nec considerabat non posse fieri quod dicebat, Qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non adulterandum, adulteras; qui abominaris idola, sacrilegium facis? Et illud præcipuè, In quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas, Eadem enim agis quæ iudicas. Hos ergo traditores quibus confessis territus Secundus ignouit, secum habuit in Carthaginensi concilio, & in absẽtes non confessos dixerunt sentẽtias; qui præsentes de sua non sunt confessione damnati. Hoc conciliũ non maneret, nec in posteritatis memoria perduraret, nisi describeretur ab aliis, conseruaretur ab eis qui eo se defendere præparabant, si quis eis eadem crimina postea quæ illic relaxata sunt obiecisset. Rom. 2.

CAPVT XXVIII. Intererat etiã Secũdi ipsius, vt appareret eũ, ne schisma fieret, quòd solent præ ceteris pacifici præcauere, illa omnia diuino iudicio dimisisse: quod multo magis facere deberet in concilio Carthaginẽsi, vbi contra absẽtes nulli constiterant, nisi Lucilla tunc præpotens & pecuniosissima femina odiis accensa furialibus vehementer instaret, vt contra Cæcilianum veluti damnatum alter ordinaretur episcopus. Quod in Zenophili consularis iudicio postea commemoratum est per quendam Nundinarium Syluani Cirtensis tunc vestri episcopi diaconum, qui cum memorato episcopo suo quem perpessus fuerat inimicũ, sicut volebat cõcordare non potuit. Egerat sanè hoc apud collegas eius magis terribiliter, ne omnia proderet, quàm suppliciter vt veniam mereretur. Lucilla.

CAPVT XXIX. Ex illius iudicij gestis hæc pauca interposui: *Constantio Maximo Augusto et Cõstantino iuniore nobilissimo Cæsare consulibus, idibus Decemb. ex tota Mociacensi indicto & applicito Victore grãmatico, astante etiã Nundinario diacono Zenophilus consularis dixit, Quis vocaris? Respondit, Victor.* Et paulo pòst alio loco *respondit Nundinarius, Legantur acta. Zenophilus cõsularis dixit, Legantur. Et legit Nundinius exceptor, Diocletiano octies et Maximiano septies cõsulibus, quarto decimo calendas Iunij, ex actis Munatij Felicis flaminis perpetui curatoris Coloniæ Cirtẽsis: cùm vẽtum esset ad domũ in qua Christiani cõueniebãt, Felix flamẽ perpetuus curator Paulo episcopo dixit, Proferte scripturas legis, & si quid aliud hic habetis, vt & præcepto & iussioni parere possitis. Paulus episcopus dixit, Scripturas lectores habẽt, sed nos quod hic habemus, damus. Felix flamẽ perpetuus curator dixit Paulo, Ostẽde lectores, aut mitte ad illos. Paulus episcopus dixit, Omnes cognoscitis. Felix flamen perpetuus curator dixit, Nõ eos nouimus. Paulus episcopus dixit, Nouit Officiũ publicũ, id est Edẽsius & Iunius exceptores. Felix flamẽ perpetuus curator dixit, Manẽte ratione de lectoribus quos monstrauit Officium, & vos quod hic habetis date. Sedente Paulo episcopo & Montano & Victore de Castello, Memor presbyter, astãte Marte cum AElio, et Marte diacono, proferẽte Marcuclio, Catulino, & Syluano & Carioso subdiaconis, & Ianuario Marcuclio, Fructuoso, Miggene, Saturnino, Victore, Sãsurico, & cæteris fossoribus, cõtrascribente Victorẽ Aufidij in breue sic, Calices duo aurei, Item calices sex argentei, &c.* Et alio loco, *Posteaquã apertũ est in bibliothecã, inuenta sunt ibi armaria inania, ibi protulit Syluanus capitulatam argẽteam & lucernã argenteam, quod diceret se post arcam inuenisse eas Victor Aufidij Syluano dixit, Mortuus fueras, si non illas inuenisses. Felix flamen perpetuus curator Syluano dixit, Inquire diligentius ne quid hic remanserit. Syluanus dixit, Nihil hic remansit, totum hoc eiecimus. &c.* Et alio loco. *Exẽplar libelli traditi episcopis à Nũdinario diacono. Testis est Christus & angeli eius, quoniam traditoribus* Gesta apud Zenophilum quibus Syluanus traditor fuisse declaratur. Vide & infra lib. 4. cap. 56.

ribus communicastis: id est Syluanus à Cirta traditor est, & fur rerum pauperum, quod omnes vos episcopi, presbyteri & diaconi & seniores scitis, & de quadringentis folles nummi libras Lucillæ clarissimæ feminæ, pro quo vobis comturastis vt faceret Maiorinus episcopus, & inde factum est schisma. Nam & Victor fullo vestri præsentia & populi dedit folles vigiati, vt factus esset presbyter, quod scit Christus & angeli eius, &c. Et alio loco: *Quibus lectis Zenophilus consularis dixit, Et actis & literis quæ recitatæ sunt, traditorem constat esse Syluanum.* Item alio loco: *Zenophilus consularis dixit, Quis administrabat? Tunc Syluanus in clericatu respondit, Sub Paulo episcopo orta persecutio est, & Syluanus subdiaconus fuit.*

Follis nummi genus.

CAPVT XXX. HABES ne frater Cresconi ad ista quod dicas? Puto non vsque adeò frontem periisse de rebus humanis, vt ad purgationem Syluani adhuc putes sententiam recitandam quam dixit in Cæcilianum & collegas eius quasi traditores, ne magis nos admoneas dicere ex epistola Apostoli simile aliquid, vt paulò antè commemoraui, Qui prædicas non tradendum, tradis, & in quo alium iudicas, temetipsum condemnas, eadé enim agis quæ iudicas. Sed posteaquam Vrsacio & Zenophilo persequentibus communicare noluisset, actus est in exilium. Imò qui iam traditor fuit, permanere etiam hæreticus voluit, vt falsum honorem in ipsa parte Donati haberet, qui habere in catholica nullum posset, tam manifestis traditionis suæ gestis publico iudicio reseratis. Hæc tu profectò falsa esse dicturus es, & pro vestris maioribus, vt plurimum possis, contra nostros alia prolaturus. Quod quidem forsitan non valebis, non inueniendo quid proferas. Sed fac te inuenisse, fac protulisse: Tantane furis impudentia vt abs te prolatis magis contendas credi oportere, quàm eis quæ proferuntur à nobis? Aut enim & hic & illic fuerunt traditores, si & tu aliqua recitas de confessione nostrorum: aut si aliquid putas contra vestros à nostris esse confictum, cur non & à vestris contra nostros hoc idem nobis putare conceditis? Ergo pro humanis factis, aut & hinc & inde manifestatis, aut ex vtroq; latere incertis, ne qui in vnũ Deum credimus litigemus, quod certum & diuinum munus est, in Christi gratia concordemus. Cùm enim gesta maiorum nostrorum atq; vestrorum hinc atque inde contraria recitantur nobis tanto pòst natis, si nec saltẽ dubitare permittitur, quid iniquius? si autem permittitur, quid sufficiẽtius? Neq; enim sicut incertum est à quibus extiterit traditionis malum, sic incertum est à quo iubeatur reddi turbatæ pacis bonum.

Syluanus Cirtensis Donatistarum episcopus in exilium actus.

Rom. 2.

CAPVT XXXI. Ac per hoc qui pro incerto alieno malo pacem Christi respuit, certissimè malus est: quandoquidem Cyprianus nec pro certa permixtorum malitia zizaniorum pacem deseruit frumentorum, qui scribens ad Maximũ dixit, *Et si videntur in ecclesia esse zizania, non tamen impedirit debet fides aut charitas nostra, vt quoniã zizania esse in ecclesia cernimus, de ecclesia recedamus.* Nõ dixit suspicamur, opinamur, arbitramur, coniicimus, credimus: sed cernimus dixit. O verbũ quo cuncta dubitatio tolleretur, vt corpus Christi nõ diuideretur. Si sola frumenta desideras, geme in labore agri, gaude in spe horrei, tolera malos in communione sacramentorum Christi, ne ante litoris tempus retia dirumpẽdo, fias quod tolerare noluisti. Ista dicerẽ, si de traditoribus quos accusatis aliquid probassetis. Imò hoc verò tẽpore nec ista iã dicerẽ, nõ enim iubeor tolerare, cum quibus iam nõ cogor viuere. Quod si mihi etiam nunc traditor demonstretur, qua cõscientia desero tot Christianas gentes quibus non demõstratur? Deinde ego ipse si nunc dico quod paulò antè nesciebã, cur in me rescinditis quod sciebã? baptismũ quippe Christi me accepisse sciebã, vos etiã ipsi alienum scelus, quod ignoratũ nemini obesse conceditis.

Lib. 3. ep. 3.

A CVR ergo heri baptizatum hodie rebaptizatis, cùm alienum scelus quod heri † nesciebam, hodie docea- CAPVT XXXII.
tis? Nesciens à quali acceperit, baptismi accepti non erat reus. Modo abs te hoc didicit, baptismi rescissi quare sit reus? Nam siue consenserit documentis tuis, siue non consenserit qui Christi baptismum ministerio traditoris accepit, nisi probaueris cum scisse à quo acceperit, nec secundum vos rectè poteris baptizare. Iam nunc auerte ab studio partium mentem tuam, & considera quàm innumerabilis multitudo Christianorum in Aphrica ipsa nesciat qui fuerint traditores: quanto magis in cætero orbe terrarum, quantam multitudinem, nisi cùm baptizaretur scisse conuiceris, aut baptizandam dicere non audebis, aut iudicare de occultis cordis audebis. Et vbi est quod tibi placet, quæ abs te interposita est diuina sententia, quæ manifesta sunt vobis, quæ autem occulta sunt Domino Deo vestro? Crede orbi Christiano dicenti tibi, baptismum Christi scio, qui fuerint traditores in Aphrica, vel vbi- B libet, ignoro. Quid in me occulta humana iudicas, vt manifesta in me diuina rescindas? Fac te scelus alienũ modo mihi probare, quod dicis: hoc cùm baptismum acciperem, nesciebam, Si propter eos quos modo mihi prodis, baptizare eos qui nescientes ab adulteris acceperunt, quos nunc prodis. Quid ad hæc dicis, nisi nõ est sanctum, non est mundum, nisi quod voluero, & quomodo voluero.

† For. nesciebat.

IN *hac re testis est*, inquis, *totius orbis penè conscientia.* CAPVT XXXIII.
Respõdetur tibi: In hac re totius orbis nulla est omnino conscientia. *Hoc*, inquis, *maiores nostri à suis parentibus acceperunt.* Respondetur, Sed errates ab errantibus aut calumniantibus. Nam & maiores Iudæorum corpus Christi de sepulchro furatum à suis maioribus acceperunt. *Non olim defuncti sunt*, inquis, *qui traditionis huius facinus per quos & quibus locis admissum sit cognouerunt.* Respondetur, Hoc & nostri pro suis partibus dicunt. *Extant*, inquis, *etiam libri quibus ordo rerum gestarum fideliter ac diligenter asscriptus est: sunt acta, sunt* C *literæ, multorum quoque tenetur manifesta confessio.* Respondetur tibi, hæc & nostris pro suis partibus nõ deesse. Aut ergo illis credamus qui potuerũt causam suã illis ecclesiis persuadere, quas scriptas in libris diuinis & canonicis legimus: aut quod tu dixisti de Optato, nec absoluamus dubia, nec damnemus; & pacẽ Christi cuius bonum dubium non est, fraterna dilectione teneamus.

SED Orientales quos modò nostros esse concedis, CAPVT XXXIIII.
non latuisse hoc facinus dicis. Atq; vt hoc probes, inseris principiũ epistolæ concilij Sardicẽsis, vbi Donati Carthaginis episcopi vestri nomẽ inuenitur asscriptũ. Quod ideo factũ putas & affirmas, quòd videlicet Orientalibus qui de concilio suo hęc scripta miserũt, facinus displicuerit traditorũ, & ab eorum se cõmunione retraxerint, & propterea Donato vestro cõmunicabant. Disce ergo quod nescis, Sardicense conciliũ Arrianorum fuit, quod notum iam diu est, vt habemus in manibus contractũ, maximè contra Athanasium epi- D scopum Alexãdrinum catholicum, qui eorũ errorem ex ipsa ciuitate ortum, præ cæteris acriter arguebat & refellebat. Non igitur mirum si illi hęretici Donatum sibi ascisceré tentauerunt, quos per totum orbẽ catholica damnabat ecclesia: quanquam nos sine ciuitatum nominibus episcopos ad quos hæ literæ datæ sunt habeamus. Aut ergo aliquis Donatus fuit non in Aphrica episcopus, cui nomini Carthago à vestris est addita, aut, vt dixi, Aphricanam hæresim Orientalis hæresis sibi tentauit adiungere. Quod hinc maximè credibile est, quod ad Carthaginis episcopum Romano prætermisso, nunquã Orientalis catholica scriberet: vbi saltẽ vester scribi debuit, quem soletis Romã paucis vestris mittere ex Aphrica. Sed Deo gratias, quod nec valuit, si tamen

Infra lib. 4. cap. 44.

Sardicẽse concilium.

Donatistæ sibi adiungere sunt conati.

Romani episcopi authoritas.

Donatistæ episcopum etiam suum Romæ habuerunt.

si tamen cœpta est illa conspiratio hæreticorum Oriẽtalium cùm Aphris hæreticis præualere. Tu Arrianos iam inter hæreticos & nobis & vobis detestãdos in tua epistola posuisti, vnde mihi tecum nulla necessitas est, etiã de hac quæstione confligere. Nam quod tibi proposuisti quęstionem tanquam à nobis obiectam, *Si hæc ita sunt, à communione vestrorum quemadmodum Orientales postea segregati sunt?* & respondisti, *quod in recipiendis iterum nostris, damnatæ causæ non potuerint seruare cõstantiam:* nunquid mirandum est de tam longinquis terris episcopos tuos tibi narrare impunè quod volũt? Quod si omnino ita esset, tot populi quid fecerũt, qui cum ista nescirent, tamen à vobis rebaptizandi censentur? At nõ est credibile, quòd hæc populi ignorare potuerint, cùm tu harum rerum aliquantum studiosior, quid cum Maximianensibus egerint vestri Aphri in Aphrica, si literis meis velles respõdere, nõ quæreres.

A *largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere.* Nunquid talium ille cõmunicabat peccatis? Nunquid eorũ sectam sequebatur? Et tamen cùm eis in eorundem sacramentorum communione persistebat, quia illa sacramenta non ipsi instituerant moribus suis, sed ad pœnam sibi valere faciebant moribus malis.

QVID est autem quod dicis, quòd ex persona mea tibi proposuisses, quod ego nunquam diuinum tradi- CAPVT XXXVI.
derim testamentum? Adiungis enim, *Sed ille qui tradidit, te creauit.* Deinde contexis quę tibi bene sonare videbantur, *Fonte deducitur riuus, & caput membra sequũtur. Sano capite omne sanum est corpus, & si quid in hoc morbi vel vitij est, omnia membra debilitat. Originem suam respicit quicquid in stirpe processit.* Et post hæc quasi in extremo concludis. *Non potest innocens esse qui sectam non sequitur innocentiũ.* In his omnibus verbis tuis creatorem meum, caput meum, nõ fecisti nisi traditorem; B quem quidem accusare tantum, non continere potuisti. Ego autem nec eius innocentiam mihi creatricem, vel fontem capútve constituo: sed tu ad illud redis in quo Petilianus errauit, ne cuiusque in sanctificatione baptismatis Christus sit origo caputq; nascentis: & non vis venire in maledictum, de quo scriptum est: Maledictus omnis qui spem suam ponit in homine: cum te aliunde non inuoluas, ne cùm resilieris, in aliud recidas.

Infra lib. 4. cap. 45.

CAPVT XXXV. Lib. 1. cont. Petil. c. 17.

Hier. 17.

SED & testimonio me admones de Scripturis, quid CAPVT XXXVIII.
tibi adhuc ad ista respõdeam. Dicis enim propter hoc scriptum esse, In legalibus patrum vestrorum ne ambulaueritis. Nec aduertis dictum esse Iudæis, vt mala facta patrum suorum non imitarentur, non vt ab illo Dei populo scinderentur. Si ergo licuit regi Dauid, Samueli, Esaiæ, Hieremiæ, Zachariæ, cæterisq; sanctis ac prophetis Dei inter contemptores legis Dei mandata seruare, atq; in illos ipsos mandati transgressores multa digna & vera verba iaculari, patrum quoq; illa peccata quibus sub Moyse ita offenderunt Deũ, vt nemo eorum dignus esset terram promissionis intrare, non imitari, non sectari, sed detestari ac fugere, & illos qui ea committerẽt, similitudine talium patrum increpare, nec tamen sibi alterum populũ quasi purgatum & liquatum separatione sacrilega constituere: quomodo nobis non liceat nec facta, nescio quorum, quæ magis obiicitis quàm probatis, imitari: nec tamẽ ab ea quę in vniuersõ mũdo, sicut Apost. dicit, fructificat & crescit Col. 1. sancta Ecclesia separari? Nũquid aliqua sacramẽta instituerunt traditores, in quib. baptizarer? Nunquid aliquos libros de facienda vel imitãda traditione posteris cõdiderunt; & eorũ tenemus sequimurq; doctrinam? Quod si fecissent, nec sibi cõmunicare paterentur, nisi eos qui illa legerent, approbarent; ipsi ab ecclesiæ se vnitate diuiderẽt. In quorũ diuisione me si videres, D tũc me dicerẽ deberes esse in ecclesia traditorũ. Quòd si sua pessima de facienda traditione præcepta conscriberẽt, nec tamẽ extra ecclesiã sua propria cõgregatione atq; cõmunione colligerẽtur, zizania propterea cõputarẽtur, quorũ causa frumenta nõ rectè desererẽtur.

Lib. 1. cont. Petil. c. 17.

Ezech. 20.

ECCE dico iterum quæ me vlterius vetas dicere, CAPVT XXXIX.
Arguis apud me eos quos iam olim defunctos mea cognitio non iudicauit. Dicis tu contrà: *Licet tibi & hodie iudicare, & iudicium non tantùm de viuis, sed etiam de mortuis haberi potest. Licet enim sit mortuus qui peccauit, nunquam illud moritur quod admisit.* Quid si cùm viueret se correxit, Deumque placauit? Nonne mortuum & deletum est quod admisit? sicut Felicianus & Prætextatus Maximianæ ordinatores, data sicut dicis dilatione, se tanto scelere correxerunt. Mirum est autem si propria peccata non obsunt hominibus qui ea facta correxerint, & aliis obsunt qui ea omnino non fecerint: quòd si de nobis agitur, adde, qui nec

Lib. 1. cont. Petil. c. 17.

Epistola sua scr. de Lapsis.

facta

facta cognouerint. Sed dicis *licere mihi etiam hodie iudicare, quia iudicium non tantùm de viuis, sed etiam de mortuis fieri potest*. Ecce volo iudicare, sed vos causam ipsam non vultis agere; immo verò tunc actam, tunc etiam sine dubio terminatam, nobis demõstrantibus, non vultis agnoscere. Sed faciamus vos potius habere quod docere possitis; quos nondum docuistis, quare iam rebaptizandos esse contenditis, quandoquidem à traditoribus quos ignorauerant baptizatos, nec cùm docueritis baptizare debeatis; sicut eos qui nescientes ab adulteris baptizati sunt, & illis proditis atque conuictis non baptizatis?

CAPVT XL. Hic fortè dicas, sed de Cæciliano iam iudicatum est. Respondetur tibi. Iam iudicatum erat & de Primiano à centũ Episcopis vestris quibus eum iniquissimum Maximianus persuaserat antequam Bagaiense cõcilium faceretis. Sed in primo iudicio damnatus est absens, in secundo absolutus est præsens. Si post primũ quos baptizauit rebaptizari non possunt, quãto potius post secundum? Ita & Cæcilianus primo apud Carthaginẽ iudicio Secundi Tigisitani damnatus est absens, secundo iudicio Miltiadis Romani absolutus est præsens: adhuc nos de illo certos esse non vultis, saltem dubitare permittite, vincit enim vos non solùm qui Cæcilianum scit innocentem, verumetiam qui nescit nocentem. Vos autem vtrosque rebaptizandos esse censetis, & qui dicunt, nouimus & qui dicunt non nouimus qualis fuerit Cæcilianus. Non sunt baptizandi quos baptizauit Primianus post primũ iudicium quo damnatus est absens, & baptizandi sunt quos baptizauit Cæcilianus post secundum iudicium quo absolutus est præsens? Illum damnatum damnare non licuit, de isto absoluto saltem liceat dubitare. Cuius crimina etiamsi certa nobis essent in Ecclesia cõstitutis, quam Spiritus sanctus velut aream cum palea prænunciauit, nequaquam nos aliena peccata non imitata macularent. Et tamen etiam si nobis incerta esse dicuntur, nõ solũm rei constituimur, verumetiam baptizandi iudicamur, Itane agitis? Siccine cuncta peruertitis? Tantũmne reuera vobis licere arbitramini, vt quod vultis sit sanctum, quod vultis immundum? Cohibete vos, non proficiatis in malis, ne pereatis à bonis.

CAPVT XLI. Lib. 1. cont. Peril. c. 18. Infra lib. 4. cap. 46. Nam illud quod dixi, *Quòd si de persecutionibus agitis citò respondeo; si aliquid iniquè passi estis, non pertinere ad eos qui talia quamuis improbè facientes, pro pace tamen vnitatis laudabiliter tolerant*, quàm fallaciter refellere voluisti, prorsus non cogitans literas tuas sani capitis habituras esse Lectorem. Ita enim respõdes quasi ego dixerim, persecutionem vobis pro pace vnitatis fieri debere. Quod illo quidem loco non dixi, sed dixi, si aliquid iniquè passi estis, non pertinere ad eos à quibus laudabiliter pro vnitatis pace tolerantur, qui talia in vos quamuis improbè faciunt. Quod cùm apertissimè dictum sit, saltem expositum attendant quos fallere voluisti. Neque enim te quod tam apertum est, non intellexisse arbitror: sed breuitatem sententię meæ facilè putasti posse in caliginem mitti, vbi quodlibet aliud diceres, ei respondisse videreris. Cur autẽ dixerim malos communionis nostræ, hoc est, areæ Dominicæ paleam, cùm in vos iniquè agunt, à bonis nostris laudabiliter pro pace tolerari, quid opus est vt ipse ostendam, ipse defendam; cùm pro me beatus Cyprianus apertissimè & candidissimè dicat, Etiam cum cernuntur in Ecclesia mali, non propter eos Ecclesiam deserendam: hoc est, quod dixi eos pro vnitatis pace tolerandos. Neq; enim vos amplius quàm nos persequuntur, qui vos iniquè persequentes dant vobis ad decipiendos imperitos, licet falsam similitudinem gloriæ nobis autem vulnus grande tristitiæ.

Lib. 3. epi. 3.

CAPVT XLII. Deinde commemorans etiam nescio quos mortuos, quos à nostris dicis occisos, tanquam in campo facundiæ sepositus latissimè exaggeras locum in quo vobis videmini similes martyrum, cùm quotidie vestrorum incredibilia patiamur facta clericorum & circumcellionum, multo peiora quàm quorumlibet latronum atque prædonum. Nanque horrendis armati cuiusque generis telis, terribiliter vagando, nõ dico ecclesiasticam, sed ipsam humanam quietem pacemque perturbant, nocturnis aggressionibus clericorum catholicorum, inuasas domos nudas atque inanes derelinquunt. Ipsos etiam raptos & fustibus tunsos, ferroque concisos, semiuiuos abiiciunt. Insuper nouo & antehac inaudito sceleris genere, oculis eorum calcem aceto permixto infundentes & infertientes, quos euellere compendio poterant, excruciare amplius eligunt quàm citius excæcare. Nam primo tantum calce ad hoc facinus vtebantur, sed posteaquam illos quibus hoc fecerant citò salutem reparasse didicerunt, acetum addiderunt.

Circumcellionum scelera, & crudelitas in catholicos exempla.

CAPVT XLIII. Omitto antè quanta commiserunt, quibus easdem leges aduersus errorem vestrum constitui coegerunt, magis Christiana mansuetudine temperatas, quàm in tam magna scelera vi congruã vigoris exertas. Episcopus catholicus à Thubursicubure Seruus nomine, cùm inuasum à vestris locum repeteret, & vtriusque partis procuratores proconsulare præstolarentur examen, repentè sibi in oppido memorato vestris armatis irruentibus vix viuus aufugit. A quibus pater eius presbyter, ætate & moribus grauis, ea cæde qua vehementer afflictus est, post dies paucos excessit è vita. Maximianus Episcopus catholicus Bagaiensis, dicta inter partes iudiciaria sententia, basilicam fundi † Calmanensis euicerat, quam vestri illicitè aliquãdo vsurpauerant. Hanc cum iũre perspicuo retineret, in ea ipsa sub altari quo confugerat, eodem supra se fracto, eiusque lignis aliisque fustibus, ferro etiam cruderiter cæsus, totum illum locum sanguine oppleuit. Acceperat autem & grande vulnus in inguine, vnde cruore largiùs effluente, continuò moreretur, nisi maior eorum crudelitas per occultam Dei misericordiã profuisset. Nam cum membris ex ea parte nudatis semiuiuus insuper pronusque traheretur, exundantes venas latenter puluis obstruxit. Inde nostrorum manibus cùm ferretur, rursus illis irruentibus violenter extortus est, grauiusque mulctatus, & de excelsa turri noctu præcipitatus, subter cinere stercoris molliter iacebat exceptus, sensu amisso vix extremum spiritum tenens. Ibi eum transiens quidam pauper inuenit, cum ventris exonerandi causa ad eum diuertisset locum. Agnouit autem cùm pauidus suam coniugem accersiit, quam procul verecundia dimouerat lucernam ferẽtem. Tunc eum ambo peruexerunt domum, vel miserando vel aliquid etiam lucelli sperando, cùm siue viuus siue mortuus, collectus tamen nostris ostendẽtur? Quid plura? Mirabili curatione sanatus est, viuit, plures in eius corpore cicatrices quàm membra numerantur. Hunc ad transmarinas terras occisum à vestris fama nunciauerat, & eius facinoris immanitas, grauisque indignitas, quaqua versum audiri potuit, dolore horrẽdo cuncta commouerat. Quo posteaquam ipse secutus est, recentissimæ cicatrices eius famę illud mendacium defenderunt. Nam quem tum inspicientes vix crederent viuum, non temerè illa iactasse videbatur occisum. Hic cùm illic inuenisset collegã Thubursicensem, quem paulo antè cõmemoraui, & alios nonnullos similia vel non multò inferiora perpessos, nec eis ad propria reuertendi vlla facultas patere videretur: & quia Circumcellionum vestrorum nobilis furor horrendum præbens vestris clericis satellitium vsquequaque odiosissimè innotuit, ingens in vos conflagrauit inuidia, atq; inde factũ est, vt & preteritæ omnes contra vos leges excitarẽtur, & istæ conderẽtur nouæ.

Seruus Thubursicensis episcopus.

Maximianus Bagaiensis episcopus quam à Donatistis & Circumcellionibus pertulerit. Vide epist. 58. tom. 2.

† al. Calulanensis.

Qua-

Quarum tamen vniuersarum seueritas, si vestrorũ inordinatæ ac sine vlla lege grassanti sæuitiæ cõparetur, mira lenitas appellanda est. His enim magis tanta potestate accepta mansuetudo catholica commẽdatur, quàm hæretica immanitas plectitur: imo verò in nos, cædes, rapinas, incendia, cæcitates, excogitando, minando, exercendo, audacius, & insanius debacchatur.

CAPVT XLIIII. Honorij imperatoris leges intelligit. Hæc enim ego commemorare volui, per quæ factum est, vt his nostris temporibus aduersus vos ita imperialia statuta ferrentur, imò aduersus errorem vestrũ. Nam quid iam si sapiatis, potest esse probabilius? Cæterùm omnia quæ vel anteriorum literis didici, vel ipse cognoui, sæua facta vestrorum, qui ab initio diuisionis vestræ vsque ad hoc tempus Ecclesiam catholicam persecuti sunt, si velim retexere, quæ lingua, quis stylus, quantum tempus ociumque sufficiat?

CAPVT XLV. De Optato cùm agerem, tuque hoc magis excusare voluisses, quàm purgare, dixisti *reos hinc vestros esse non posse, quòd eos ad vindicandum nemo pertulerit*. Tot protestationes nostrorum de furiosissimis vestrorum violentiis, archiua publica citiùs impleuerunt, quàm vllam apud vos vindictam illa facta meruerunt. Sed fortè & hic dicatur, protestationes quidem depositas, sed ad ipsos vindicandos nullam perlatam. Audi ergo quædam quæ ipse fum expertus. Cùm receptorum à vestris Maximianensium quos damnauerant causam cognouissemus, & eã quaqua versum poteramus ferueuti diffamaremus instantia; illi rebus tam recentibus & tanta manifestatione clarentibus, quid respondere possent non inuenientes, solito crebrius & audacius Circumcellionum violentiis, turbisque furentibus nos à prædicanda catholica veritate, suaque fallacia conuincenda, deterrere cœperunt. Et quia multi erroris eorum laqueis implicati, cum quibus vt inde liberarentur agebamus, respondebant nobis, hoc nos cum Episcopis suis agere debere, collationemque nostram se vehementer optare, vbi possent videre quibus asserentibus superaret veritas falsitatem, in Carthaginensi totius Aphricæ concilio nobis placuit, vt adhibita etiam publicorum testificatione gestorum, quò possemus eis qui hoc flagitabant probare, desiderio eorum nos minimè defuisse, vestri pacificè conuenirentur Episcopi, quisque ab eo nostrum qui eodem loco in quo ille cõsisteret: vt per collationem nostram errore sublato, Christiana & fraterna societate, vnitate, charitate, pace frueremur; id intuentes, quia si hoc fieri vellent, adiuuante misericordia Dei facillimè poterat, quicquid in causa nostra esset agnosci. Si autem recusarent, saltem diffidentia eorum non frustra illis, qui hoc à nobis poposcerant appareret. Factum est, conuenti sunt, recusarunt, quibus verbis, quo dolo, maledictione, amaritudine plenis, nunc longum est demonstrare.

Omnes optãt Catholicorum & Donatistarum inter se collationem. Vide epist. 68

Donatistæ recusant collationem.

CAPVT XLVI. Interea Crispinus Calamensis vester Episcopus, à Possidio collega meo in eadẽ ciuitate, apud acta conuentus, ad concilium vestrum primò distulerat, pollicens cum collegis suis ibi se visurum quid respondere deberet. Deinde post non paruum tempus repetita conuentione, rursus apud acta respondit: *Verba viri peccatoris ne timueris. Et iterum: In aures imprudentis caue ne quicquam dixeris: ne cùm audierit, irrideat sensatos sermones tuos. Postremò, hanc responsionem meam Patriarchali sermone desinio: Recedant à me impij, vias eorum nosse nolo.* Hanc eius responsionem cùm docti indoctique riderent, quippe hominis dicentis verba viri peccatoris se non timere, cui respondere minimè auderet: & in aures imprudentis nolle se aliquid dicere, quasi aliquod secretum fuerit imprudẽtis auribus temerè commissurus, cùm ea quæ diceret multi possent prudentes audire, qualium causa & Dominus Christus tanta Pharisęis quamuis imprudentibus loquebatur: & nolle se nosse vias impiorũ quasi vias suas eum docere vellent quos impios putabat, ac nõ potius ipse si teneret vias Dei, etiam impios docere deberet, sicut scriptum est: Doceam iniquos vias tuas, & impij ad te conuertẽtur. Cùm ergo ista responsio à multis intelligeretur, multis etiam demonstraretur, quantum inanis esset, quantum attinebat ad causam: quàm verò amara & maledica, quod non pertinebat ad causam, atque ita eius sicut apud vos habetur doctissima annositas, hesterno contra stante tyrone nihil aduersum veritatem posse videretur: subitò pòst paucos dies iter agenti Possidio, alius Crispinus eius presbyter, & vt perhibetur propinquus, tetendit insidias armatorum; in quas penè iam noster inciderat, nisi eis prospectis atque nunciatis, ad quendam fundum fugiens diuertisset, vbi ille nihil auderet vel non præualeret, vel si quid etiam fecisset, negare non posset. Quo comperto, continuò consecutus est tanta cęcus insania, vt iam latere turpe arbitraretur. Tunc domum in qua cum suis se Possidius incluserat, sepire armatis, lapidibus circumtundere, ambire flammis, aditum ex omni parte moliri. Quæ verò aderat incolentium multitudo, memor periculi sui si in eo loco aggressum tantum facinus impleretur, partim illum deprecabatur vt parceret, quem resistendo non audebat offendere, partim verò ignes suppositos extinguebat. Cùm ille nihilo segnius cœptis feruidus atque inexoratus instaret, cessit aliquando ictibus ianua, ingressi sunt, fauciatisq; cæde iumentis quæ in inferiore domus parte compererant, de superioribus Episcopum deposuerunt, afflicientes plagis & contumeliis. Vbi ne grauius sæuirent, intercessit ipse Crispinus velut alius rogantibus flexus, quorum non tam videbatur in ira sua curare deprecationem, quàm in facinore testimonium formidare.

Psal. 50.

Hesternum dixit inuenis.

Crispini Donatistæ immanitas.

De qua etiam epist. 166.

1. Macha. 2. Prouerb. 13.

Veritas etiam coram indignis propter dignos non celanda.

CAPVT XLVII. Theodosii leges. Haec posteaquam nota facta sunt in oppido Calamẽsi, expectabatur Crispinus Episcopus vester, quẽ admodum in suum prebyterum vindicaret. Accessit etiam protestatio municipalibus gestis expressa, cuius vel timore vel pudore cogeretur exercere ecclesiasticam vindictam. Quod cùm omnino contemneret, tantusque fieret vestrorum tumultus, vt quia veritati prædicandæ respondere non poterant, itinera clausuri putarentur, imò verò iam etiam cernerentur: leges quæ non deerant, sed quasi deessent in nostris manibus quiescebant, aduersus Crispinum Episcopum vestrum commotæ sunt, magis vt nostra mansuetudo demonstraretur, quàm vt illorum puniretur audacia. Neque enim aliter innotesceret, quid adiutorio Christi ecclesia catholica in suos inimicos posset & nollet, non secundum hæreticam præsumptionem priuato fauore Circumcellionibus sæuientibus, sed secundum propheticam veritatem, iugo Domini Dei subditis regibus. Exhibitus igitur Crispinus, & quod se esse proconsuli quærenti negauerat, facillimè cõuictus hęreticus, decem tamen libras auri quam mulctam in omnes hæreticos Imperator maior Theodosius constituerat, intercedente Possidio non est compulsus exoluere. Qua mitissima sententia non contentus, nescio quo consilio, quod displicuisse vestris omnibus dicebatur, ad eiusdem Theodosij filios prouocandum putauit. Acceptatum est, rescriptum est. Quid aliud, nisi quòd pars Donati iam sciret se ad illam pœnam auratiam cum cæteris hæreticis pertinere? cum quibus propter communionem talis persecutionis, aut communem se deputet habere iustitiam; aut si non deputat, non se ideo iactet iustam, quia eà pœna coercetur, quà coerceri & eas hæreses videt quas concedit iniustas: & tandem intelligat, quòd Christi martyrem non facit pœna, sed causa: nos autem vsq; adeò sæuos persecutores esse arguat, vt nec post imperiale rescriptum

Decem libras auri mulctam in omnes hæreticos senior Theodosius constituit, vide epistolã 68.

Martyrem non pœna facit, sed causa.

aurum

aurum illud fisco Crispinus expenderit, indulgentiam illi catholicis Episcopis impetrantibus, & nunc inter ipsas etiam recentissimas leges proscriptionem vestris Episcopis comminantes in re propria securus sedeat, & catholici clerici inter manus Circumcellionum clericorumque vestrorum, domos, victum, salutem ac lumen corporis pendant.

CAPVT XLVIII. HÆC qui faciunt, quid ego dicam latronibus, piratis, truculento alicui generi Barbarorum, quando nec ipsi omnium crudelitatum magistro diabolo comparandi sunt? Ille sanctum virum Iob omnibus eius rebus ablatis, grauissimo vulnere à capite vsque ad pedes percussit, & tamen fuit illic integris integer luminibus locus, nec oculos eius extinxit, cuius totum in potestatem corpus acceperat. Verùm hæc videlicet non perferuntur ad vestros, cùm Crispinus maluerit Carthaginem pergere, propria pertinacia superari, mansuetudinis Episcopalis intercessione mitissimam in se prolatam recusare sententiam, appellare ad eius filios cuius lege se irretitū videbat, vt excitaret vniuersę parti Donati, quod solus perpeti nec volebat nec cogebatur, quàm vnius sui presbyteri audacissimum & inuidiosissimū, facinus sola degradatione punire. Restitutus quidam in regione Hipponensi vester presbyter fuit, qui cùm ad catholicam pacem antequam istis imperialibus legibus iuberetur, veritatis ratione permotus, manifesta volūtate transisset, de domo sua raptus est à clericis & Circumcellionibus vestris, luce palàm in castellum proximū ductus, & multitudine spectante, nihilque resistere audente, ad furentum arbitrium fustibus cæsus, in lacuna lutulenta volutatus, amictu iūnceo dehonestatus. Posteaquam satis excruciauit oculos dolentium, ridentiumq; satiauit, inde ductus ad alium locum quo nemo nostrorū audebat accedere, duodecimo die vix dimissus est. Hoc Episcopo vestro in Hipponensi Proculiano ipse sum questus, gestis sanè municipalibus ne si quid agere esset necesse, hoc ad se negaret fuisse perlatum. Quid respōderit, quemadmodum ab inquirēda causa dissimulauerit, nostramq; intentionem dolosius eludendam, post etiam non respondendo putauerit, satis eadē gesta testantur. Nunc verò qui ad nos à vobis clerici transierunt, quanta patiantur à vestris quando narrare sufficimus? Denique non quicunque ad nos inde veniunt, veritatem persecutione derelinquunt, sed multi ad nos inde non veniunt, quia persecutionem à vestris pro veritate perpeti metuunt.

Crudelitas Donatistarum in Restitutum presbyterum, ad catholicam relictis eis conuersum. Vide eadem de re epist. 68. & 166. n. 2.

CAPVT XLIX. AVFER itaque de medio superuacuas inuidias molestiarum, quas regalibus iussis pro vestro errore patimini, per paruas & propè nullas pro magno furore vestrorum, imputantes etiam nobis quæ ab ipsis terrenis potestatibus, vt vestrorum impetus à sua salute depellant, necessitate fiunt non voluntate. Neque si quadraginta illi, qui Paulum apostolum interficere coniurauerant, in armatos à quibus deducebatur irruissent, pœnasque sumpsissent, Paulo ista fuerant imputanda. Omitto quòd etiam voluntarias mortes quas ipsi sibi ingerunt, in nos mentiendo transfertis: Nam de Marculo, quòd se ipse præcipitauerit audiui? Quod profectò est credibilius, quàm hoc aliquam potestatem Romanā iubere potuisse, Romanis legibus nimis insolitū: cùm hoc malū inter tot hereses sub Christiano vocabulo errantes, propriū sit hæresis vestræ. Vnde quid prodest, quòd conciliis suis hoc vestri Episcopi prohibuisse, & dānasse se iactent, sicut ipse cōmemorasti, cū tot rupes & abrupta saxorū ex Marculiano illo magisterio quotidie funestētur? Dixi ergo quid de Marculo audiuerim, & vnde hoc credibilius possit videri, qui autem verum sit Deus nouerit. De aliis autem tribus quorū mortes pariter obiecisti, quid vel quomodo factum sit, ab eis quos nosse existimo, fateor nō quæsiui.

Acto. 23.

Spontaneæ Donatistarum mortes. L. 1. 2. contra Petil. c. 14.

NVLLIS tamen bonis in catholica hoc placet, si vsque ad mortem in quenquam, licet hæreticum sæuiatur. Neque verò si longè à morte † cuiuslibet molestiis libido vlciscendi malum pro malo retribuat, approbamus: multò amplius detestantes, si ex hac occasione, velut pro vnitate conandi, concupita quisque auferat aliena, non illa quæ sub nomine Ecclesiæ non debent ab hæreticis possideri, sed quorumque priuata. Hæc omnia displicent bonis, & ea prohibent & cohibent quantum possunt, quantum autem non possunt ferunt: & sicut dixi pro pace laudabiliter tolerant, nō ea laudabilia, sed damnabilia iudicantes: nec propter zizania segetem Christi, nec propter paleas aream Christi, nec propter vasa inhonorata domum magnā Christi, nec propter pisces malos retia Christi derelinquunt.

CAP. L. Loquitur aduersus eos qui Circumcellones imitati, ipsos vitiosius ac Donatistas priuata auditate antecediant. † Forte, quibuslibet.

REGES cùm in errore sunt, pro ipso errore leges contra veritatem ferunt: cùm in veritate sunt, similiter contra errorem pro ipsa veritate decernunt: ita & legibus malis probantur boni, & legibus bonis emendantur mali. Rex Nabuchodonosor peruersus legem sæuam dedit, vt simulachrum adoraretur: idem correctus seueram, ne Deus verus blasphemaretur. In hoc enim reges, sicut eis diuinitùs præcipitur, Deo seruiūt inquantum reges sunt, si in suo regno bona iubeant, mala prohibeant, non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verumetiam quæ ad diuinam religionem. Fruſtrà dicis, *relinquar libero arbitrio.* Cur enim non in homicidiis & in stupris, & in quibusque aliis facinoribus, & flagitiis libero te arbitrio dimittendum esse proclamas? Quæ tamen omnia iustis legibus comprimi, vtilissimum ac saluberrimum est. Dedit quidem Deus homini liberam volūtatem, sed nec bonam infructuosam, nec malam esse voluit impunitam. *Quisquis Christianum*, inquis, *persequitur, Christi est inimicus.* Verùm dicis, sed hoc in illo persequitur quod Christo est inimicum. Neque enim Dominus in seruo, pater in filio, maritus in coniuge cùm sunt vtrique Christiani, non debent persequi vitia Christianæ contraria veritati. An verò si non persequantur nō rei negligentiæ merito tenebuntur? Sed in omnibus tenendus est modus aptus humanitati, congruus charitati, vt nec totū quod potestatis est exeratur; & in eo quod exeritur, dilectio non amittatur, in eo autē quod non exeritur, mansuetudo monstretur. Vbi verò nulla ex diuinis humanísve legibus potestas conceditur, nihil improbè atque imprudenter audeatur.

Regnum Christianorum est fides.

23. q. 4. c. qui quis.

In persequendis vitiis & delictis modus quis tenendus.

CAPVT LI. AVDI iam de Maximianensibus quod paulo antè distuleram, vt & tuos Episcopos noueris tibi esse mentitos, & nō solùm quod pertinet ad baptismi quæstionem, vel ad alienorum peccatorum in Ecclesia sine propria cōtaminatione tolerantiam, verum etiā quod ad persecutionis inuidiam, in qua quidem, vestri in nos omnia Romana iura & præsidia superarunt, in hac vna Maximianensium causa noueris terminari. Nam si concilij Bagaiensis Episcoporum vestrorum trecentorum & decem, memorabilem illam, de qua superius quod satis esse videbatur inserui, non te piguit legere sententiam, cùm illa verba damnatos cum Maximiano duodecim, quorum præsentium manibus ordinatus est, apertissimè ostendant; dilationem autem redeundi ad communionem vestram illis esse concessam; qui cùm essent in communione Maximiani, Primianumque damnassent, tamen quando Maximianus ordinatus est, non interfuerūt, neque enim omnes interesse potuerūt, aut ex more debuerunt: plurimum miror quomodo te falli nescio quo mentiente permiseris, cui verba ipsa quæ obscura non sunt, nec acutum ingenium quo discutiantur, sed tantum animum quo aduertantur exposcunt, ne ab eo fallereris, recitare potuisti. Sed quia fieri potest, vt non eam legeris, & sim-

& simplici affectu tanquam Episcopo, vel Episcopis aliud tibi insinuantibus facilè credideris, accipe eam & lege, & quam tibi à me verum dicatur attēde. Neq; enim possunt eam tegendi mendacij sui causa, vt libitum fuerit emendarè, imò falsare, quā iudicio publico apud proconsulem allegauerunt, quam totiens gestis municipalibus inserendam, pro suæ causæ necessitate curarunt, quando agebant aduersus eos vt de basilicis pellerentur.

CAPVT LII. Sententia concilij Bagaiensis.

SIC certè incipit ea sentētia, *Cùm omnipotentis Dei & Christi eius voluntate in ecclesia sancta Bagaiensi concilium gereremus, Gamalius, Primianus, Pontius, Secundianus, Ianuarius, Saturninus, Felix, Pegasius, Rufinus, Fortunius, Crispinus, Florentius, Optatus, Donatus, Donatianus, & cæteri numero trecenti & decem: placuit Spiritui sancto qui in nobis est, pacem firmare perpetuam, & schismata resecare sacrilega.* Deinde cùm multa in eos horrenda vomuissent, paulo pòst ait, *Maximianum fidei æmulum, veritatis adulterum, Ecclesiæ matris inimicum, Dathan, Chore, & Abiron ministrum, de pacis gremio sententiæ fulmen excussit.* Vides, vt arbitror, Maximianum sine vlla dubitatione damnatum. Deinde post pauca, sed planè grauissima quæ in eum libuit declamare, adiungens ordinatores eius, & cum eo sine dilatione damnans: *Nec solum hunc*, inquit, *sceleris sui mors iusta condemnat, trahit etiam ad consortium criminis plurimos catena sacrilegij.* Deinde cùm etiā in ipsorum exaggerandum scelus, quæ putauit declamāda, fudisset, nominauit eos ita, conclusitque damnatos. *Famosi ergo*, inquit, *criminis reos, Victorianum Carcabianensem, Martianum Sullectinum, Beianum Baianensem, Saluium Auspheńsem, Theodorum Vsulensem, Donatum Sabratensem, Miggenem Elephantariensem, Prætextatum Assuritanum, Saluium Membresitanum, Valerium Melzitanum, Felicianum Mustitanum, & Martialem Pertusensem: qui funesto opere perditionis vas sordidum collecta fæculentia glutinarunt: sed & clericos aliquando ecclesiæ Carthaginis, qui dum facinori intersunt, illicito incestui lenocinium præbuerunt: Dei præsidentis arbitrio vniuersalis concilij ore veridico damnatos esse cognoscite.*

CAPVT LIII. QVID planius, quid manifestius, quid expressius dici potest? Audi iam quibus dilatio temporis impertita sit, vt videas eos esse qui non interfuerunt quando Maximiano cùm ordinaretur, manus impositæ sunt. *Eos autem*, inquit, *quos sacrilegi furculi non polluere plantaria, id est, qui à Maximiani capite propriàs manus verecundo pudore fidei retraxerūt, ad matrem Ecclesiam redire permisimus.* Hos cernis quēadmodum non dicant esse dānatos, sed tunc eadē damnationis sententia retinendos, si transacto die cōstituto redire noluerint. Quem diem ita constituunt: *Ac ne angustū*, inquit, *redeuntibus tempus spem salutis arctatæ diei pressura subducat, agnoscentibus quibus licet manentibus præcedentibus statutis, vniuersis vsq; in diem octauum Kalēdarum Ianuariarum proximè futurarum agnitionis pandimus ianuam, vt integri honoris ac fidei regressi habeant fundamenta: quam si quisquam ingredi nequiuerit pigra segnitia, sciat sibi ad omnes veniales aditus sua voluntate viam esse subductam. Manebit enim circa eos dicta sententia, & post præstitutum diem redeuntibus fixa pœnitentia.*

CAPVT LIV. CERTE iam perspicis vir disertissime, in illos te potius à quibus mendacium audisti, omnia retorquere debere, quæ in nos, tanquam mentiti de hac re fuerimus, dicenda arbitratus es. Certè perspicis illos duos de quibus agimus, ex eorū esse numero, qui cum Maximiano duodecim sine dilatione damnati sunt, non ex eorum quibus redeundi tempus indultum est. Certè liquet, claret, & cernitur, obscurari, obtegi nullo modo potest, quanta eloquentia is à quo sententia illa dicta est, discreuit, illustrauit, expressit. Cur verba adhuc dantur? cur contra lucidissimā veritatem pro manifesto errore contenditur? cur homines seipsos decipiunt? Si laqueos diaboli quos resoluere atque abrumpere deberent, constrictius implicant & obuoluunt, adhuc accipe vnde vehementius, & vtinam cum aliquo fructu correctionis erubescant.

CAPVT LV. IN memorato concilio Bagaiensi dies, & consul ascriptus est, non solum quo decretum concilij conditum est, verūetiam ipsius dilationis. Ergo à die octauo Kalendarum Maiarum post consulatum Theodosij Augusti III. consulatu Augustorum, Archadij III. & Honorij iterum, qui dies est concilij Bagaiensis; vsque ad octauum Kalendarum Ianuariarum, qui dies est dilationis, octo menses fermè numerantur. Inuenitur autem postulatio apud Herodem procōsulem, vide quāto post dicta aduersus Felicianum & Prætextatum de Mustitanis & Assuritanis locis excludēdos, cuius pauca subiunxi, *Post consulatum dominorum Archadij III. & Honorij iterum Augustorum, sexto nonas Martias, Carthagine in secretario prætorij Ticianus dixit, Peregrinus presbyter & seniores ecclesiæ Mustitanæ regionis tale desideriū prosequuntur: Cùm ecclesiæ Catholicæ sanctitatem vir memoriæ venerabilis ab errore perfidiæ Donatus assereret, in eius nomen & cultum mundi penè totius obseruantia nutrita coaluit: sed cum eius religionis laudandum mirandumq; propositum Maximiani cuiusdam venena polluerēt, multiorum cœtus antistitum in vnum Deo conspirante collectus, hominem vel potius pestem, quæ supernæ displicuit maiestati, etiam puræ mentis propria coercitione damnauit. Eos quoq; quos alienæ præsumptionis error attraxerat, portu primo proposito pœnitendi, si reuerti cuperent intra tempus ad religionis tramitem † destitutum, pari vigoris admonitione compescuit. Sed suis institutis iniquitas delectatur, & semetipsam nō deserit, cùm semel præcipitata corruerit. Idem namque Maximianus cœptam nutrit audaciam, & alios sibimet consociat ad furorem. Inter quos etiam Felicianus quidam, qui primo recta sectatus, deprauationis huius attaminatione fuscatus, in Mustitana positus ciuitate, Deo omnipotenti parietes consecratos, & ecclesiam venerandam quasi quadam obsidione credidit retinendam. Hunc etiam Prætextatus in Assuritanis partibus imitatur. Sed cùm æquitatis tuæ innotescere potestati cōsortium sacerdotum, iussisti vt gesta testantur, explosō omni contradictionis effectu, sacratissimis sacerdotibus à prophanis mentibus Ecclesias vendicatas oportere restitui.* Vides nempe vsque ad huius postulationis diem ab illo præstitutæ dilationis, quod trium ferè mensium tempus effluxerit. Producitur autem iste conflictus, quantum ex gestis proconsularibus, & municipalibus indagare potuimus, vsque ad Theodorum proconsulem, hoc est, vsque ad anni alterius diē vndecimum Kalendas Ianuarij. Quo die clerici & seniores agentes sub Rogato Episcopo, qui in locum damnati Prætextati Assuritani fuerat surrogatus, allegauerunt memorati proconsulis iussionē, cùm à foris erant à communione vestra, & eiusdem communionis vestrę inimici in iudiciis publicis arguebantur, & expellendi de locis Deo summo consecratis tanquam sacrilegi petebantur.

Concilium Bagaiense quando celebratum.

Infra lib. 4. cap. 39. & 40.

† For. præstitutum.

CAPVT LVI. Ex quolibet ergo numero fuerint, (quanquam satis appareat ex quo fuerint) qui intra cōstitutum dilationis diem communioni se vestræ non reddiderunt: quomodo cum iis quos extra communionem vestram baptizauerunt, non expiatis alio baptismate, redierūt? In quo facto non vos reprehēdimus, quod baptismum Christi nequaquam sacrilegum etiam in schismate sacrilego cognouistis: quòd hominum peruersitate correcta illud, quod etiam in peruersis rectum fuerat approbastis: quod humana vitia cum diuinis signaculis non confudistis, quod dona Ecclesiæ quę præter Ecclesiam quoque haberi, & dari ad habentium & accipiēntium supplicium, potuerūt, nec in damnatis damnanda, nec in receptis mutanda censuistis.

NEC

CAPVT LVIII. NEC illud reprehendimus quòd eosdem ipsos famosi criminis reos, & post sententiam damnationis ipsorum, & post dilationis diem aliis constitutum, tamen propter populos infirmos, qui eis adhæserunt, recordãtes credo patrisfamiliãs solicitudinem, ne simul cum zizaniis eradicaretur & triticum, sine aliqua detractione colligendos, & ipsa abundantia charitatis expiandos esse credidistis. Nec illud reprehendimus, quòd eos cùm adhuc famosi schismatis sacrilegio tenerentur, etiam per terrenas potestates persecuti estis. Fiebat enim hoc, quantum res ipsa consecuta indicauit, corrigendi studio non nocendi, vt illis molestiis agitati, suum scelus cogitare cogerentur, & repressis animositatis furiis emendare. Sed quia ista non reprehendimus, ideo vestri schismatis crimen iure culpamus, merito detestamur, omni ratione conuincimus, quo vos à nobis, imò ab orbis terrarum catholica communione separatis, talia nobis obiiciendo qualia vos in causa Maximianensium fecisse negare, vt arbitror, non potestis. Si enim baptismus Christi est, & ideo nullo modo destruendus, qui datus est per Felicianum, & Prætextatum, cùm separati à vobis Maximiano coniungerentur, cum illo à vobis pro nefarii schismatis crimine condemnati, quomodo non est baptismus Christi, vel quomodo destruendus est, qui datur in Ecclesia quæ ramos suos, vt verbis Cypriani vtar, per vniuersam terrã copia vbertatis extẽdit: qui postremò datur in illis Ecclesiis, quas nunquã in literis Apostolicis recitare cessastis, nunquam damnastis? Si damnatos in integrum restituere placuit pro resarcienda parte Donati, quid vos offendit toto orbe diffusa vnitas Christi, quæ vel damnare non potuit inauditos, vel omnino nec damnauit nec absoluit incognitos, vel innocentes credidit quos didicit absolutos? Si discissos à vobis Maximianenses per iussa iudicum persequendo sedibus expulistis, quid vos per Imperatores qui eosdem iudices mittunt, indigna pati querimini, qui vos ab eius Ecclesia de quo scriptum est, quòd adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient illi, & quòd dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ, nefario schismate discidistis.

Lib. de simpl. prælat. seu de unitate eccles.

Psal. 71.

CAPVT LIX. ECCE iam non dico, si persecutionem facere non licet, fecit Optatus, ne adhuc dicas non pertinere ad vestros, quicquid Optatus eis ignorantibus fecit: cùm ipsi dicere non permittant terras ab Aphrica remotissimas, qui traditores in Aphrica fuerint, quid mali Aphri Episcopi fecerint ignoramus: sed planè dico, si persecutionem facere non licet, vestri Maximianensibus, ita vt non possitis negare, fecerunt. Si persecutionem qui patiuntur innocentes sunt; passi sunt Maximianenses: nunquid & nunc dicturus es, basilicam vel speluncam Maximiani populus nullo nostrorum authore destruxit? Quanquam si cuius communionis turba illa fuerit inquiratur, non à vestris credantur immissi, ipsi reperientur forsitan vestri, aut certè vestris adiuuando permixti. Sed quid ad nos? Respõdes enim: *Non fecimus, non immisimus, quinam illi fuerunt ignoramus*: persecutionem tamen à quibuscunque passum eum quem feceris iniustum, quoniam clara res est, ea quæ patimini, vos iustos demonstrare nõ possunt. Sed à quibus etiam Maximianenses persecutionem passi sunt, proconsularia gesta testantur. Instructi sunt aduocati ad ista iudicia, & tanquam in hæreticos excitata. Illi sibi tuitionem possidentibus postulabant. Allegabant vestri Bagaiense concilium & damnatos flagitabant, in Bagaiensi sacris ẽdibus pelli instabatur: dicta causa est. Cùm eo præsente Saluium Membresitanum hæreticum ostendistis, vicistis, expulistis: persecutionem igitur illos passos esse, vos fecisse video: Iustos quæro, vos esse perhibetis: ego concludo, Non ergo qui eam patitur consequenter iustus, nec qui eam facit consequenter iniustus est.

CAPVT LX. TV rursus artes dialecticas accusabis, me tamen verum dicere saltem tacitus approbabis, & eliges tuam sententiam potius corrigere, quã nullam iustam persecutionem esse dixisti, quàm Maximianensium persecutores dicere iniustos, quos vestros esse tandem gestis proconsularibus agnouisti. Non sanè sine fructu schismaticorum vestrorum persecuti estis errorem: nam Felicianum & Prætextatum eodem conflictu & molestiis correxistis, & Optatum quidem Gildonianum grauiora exitia comminantem, Mustitani & Assuritani, sicut ab eis quoque præsens audiui, timuisse dicuntur, & suos Episcopos coegisse, vt ad Primiani communionem reuerterentur. Sed cùm hoc Optatus nullis gestis publicis exegerit, vt quid agam talibus aduersus vos paratos negare quicquid negare potueritis? Acta extant proconsularia & municipalia, quibus recitatis ostendimus, quanta vi memorati à vestris vt locis cederent gerebatur. Non culpamus, non inuidemus, non frustrà laborastis, non incassum terruistis, non inaniter agitastis, displicuit eis afflictis animositas sua: Fracti sunt, emẽdati sunt, correcti ac recepti sunt, post suam damnationem, post aliorum dilationem, post vestram persecutionem. Recepti sunt autem sicut fuerant honorati, nulla pœnitẽtia grauiore, sed humiliatione vel expiati vel degradati, nec ipsi nec illi cum quibus recepti sunt quos secum separauerunt. Contra vos baptizauerant, extra vos, quos rebaptizauerant fortasse post vos.

CAPVT LXI. NIHIL habetis iam vnde caliginosa mendacia hominibus ignaris de rebus longè præteritis ingeratis. Quod vestri apud Constantinum tunc Imperatorem accusauerunt Cæcilianum, publica monimenta proclamant, dictam esse causam, & ad debitum finem esse perductam vsque ad purgationem Felicis Aptugnensis ordinatoris Cæciliani, quem in concilio Carthaginiensi malorum omnium fontem dixerunt, & apud eundem Constantinum, sicut scriptis suis ipse indicat, assiduis interpellationibus accusarunt, proconsularia testantur archiua. Resistitis, reclamatis, repugnatis apertissimæ veritati. Dicitis etiam transmarinos iudices à Cæciliano esse corruptos, ipsum Imperatorem nescio qua gratia deprauatum. Eo quippe est impudentior victus accusator, quo fit etiam iudicis calumniator. Veruntamen inter omnia illa vestra mendacia, quibus transmarinis iudicibus calumniamini saltem hoc obtinemus, quòd primi maiores vestri ad Imperatorem causam istam detulerunt, primi apud Imperatorem Cæcilianum & eius ordinatorem accusauerunt: primi apud imperatorem Cæcilianum, & eius socios persecuti sunt: vnde nobis, sicut vobis videtur, grauissimam concitatis inuidiam, quia victi patimini quod victores vtique faceretis: velut si Danielem criminari vellent, quia illo innocente liberato, ipsos ab eis leonibus eum calumniantes consumi † noluerunt. Obtinemus etiam quodlibet de iudicibus, † præsens iudicio transmarino absolutus est Cæcilianus: quodlibet de ipso, (apud quem maiores vestri Cæcilianum accusauerunt, cuius postremò iudicium episcopali prælatum iudicio delegerunt,) Constantino imperatore tanquam corrupto gratia, siue sentiatis siue fingatis: omnes tamen qui tunc erant vel in propinquis vel in remotis terris tam lõgè latéq; diffusi catholici Christiani, ad quos fama de Cæciliano & collegis eius potuit peruenire, non debuisse accusatoribus victis, sed ecclesiasticis iudicibus credere: vbi enim iudices omnes esse nõ possumus, melius his qui esse potuerunt iudicibus credimus; quàm credendo litigatoribus victis, quorum esse iudices non potuimus, de ipsis iudicare iudicibus audeamus.

Dan. 6.

† Fort. noluerit.

† *apud quem aut simile quid deesse videtur.*

PRO-

CAPVT LXII. PROINDE quoniam illi quib. accusantibus præsens absolutus est, non solùm nos, verumetiam omnes Christianos catholicos in quibuslibet gentibus constitutos, qui vel illam dissensionem Aphrorum penitus nescierunt, vel in ea iudicibus, sicut eis visum est, suo periculo pronunciantibus, quàm victis accusatoribus credere maluerunt, Cæciliani criminibus vel fictis, vel certè nõ probatis, perfundere audacissima improbitate conati sunt, & omnes negare esse Christianos: missa est vobis tandem aliquando Maximianensium causa, in qua ipsi damnarent, ipsi damnatos persequerentur, ipsi persecutos in eodem honore reciperent, ipsi baptismum damnatorum acceptarẽt: vt qui innocentes ausi sunt accusare, innocentes cogerentur absoluere, non quos innocentes esse crediderant, sed *quos*, vt dicunt, *Dei præsidentis arbitrio, veridico plenarij concilij sui ore damnauerant*. Quis cuiquam dixit aliquando, quoniam iudici absoluenti potius quàm mihi accusanti credidisti, reus es cum ipsis quos accusaui. Et hoc tamen orbi Christiano dicitur, quod si vni homini diceretur, non dico iniquissimum, sed insanissimum videretur. O rem mirabiliter indignam! Accusarunt Aphri Aphros crimine traditionis, accusatos transmarini iudices absoluerunt, & traditores facti sunt populi gentium, quia iudicibus absoluentibus potius quàm accusatoribus criminantibus crediderunt.

CAPVT LXIII. *Apostrophe ad Donatistas.* MERITO tibi est pars Donati, Maximianensium causa propinata: Bibe calicem de manu Domini coripientis & admonentis. Si intelligis & acquiescis, misericordia est ista emendantis, ne incidas in iudicium punientis. Tibi dicitur, Superba & dura ceruice, reconciliare Christianis vsquequaque populis à te iniquè accusatis, saltem iam tuis reconciliare damnatis. Quid reseindis baptisma Christi in illis vel ex illis ecclesiis, quas Apostoli fundauerunt? Iam baptisma recepisti, quod tui damnati antequam tibi reconciliarentur, dederunt. Quid de persecutione quam pateris, gloriaris? Si iustitiæ signum est, iustior est pars Maximiani. Nam & à te passa est & patitur, & cum eo audite Psalmum diuinum, Nolite esse sicut equus & mulus non habentes intellectum. Persecutores enim vestros nos dicitis, cùm vos saluos fieri cupientes, vestraque sanari volentes vulnera, medicinaliter persequamur: vnde à clericis & circumcellionibus tanquam dentibus & calcibus vestris grauiter dum vos curamus, affligimur. Nolite esse ingrati tali medicinæ quã estis imitati. Et vos Felicianum & Prætextatum persecutionibus correxistis, atque vtinam totum corrigeretis, & sicut illi ad vos, ita illi & vos ad matrem catholicam rediretis. Contra quam, frater Cresconi, tanta es elatus audacia, vt à me commemorata etiam illa diuina testimonia refellere conareris, & obstrepere Dei vocibus. Hoc enim posui in illa epistola contra quam loqueris, quod in sancto libro est de semine Abrahæ, ad illum patrem nostrum Deo dicente, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quod testamentum appellat Apostolus dicens, Fratres, secundum hominem dico, tamen hominis cõfirmatum testamentum nemo irritum facit aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus tanquam in multis, sed tanquam in vno, & semini tuo quod est Christus. Huius seminis fœcunditas tam copiosa promissa est, vt diceretur ei, Sic erit semen tuum sicut stellæ cæli, & sicut arena maris quæ non potest dinumerari. Huic tu multiplicationi atque libertati ecclesiæ quæ toto orbe dilatatur, quæ prophetata sic creditur, sic omnium etiam infidelium oculis exhibetur, vt claudat etiam ora Paganorum qui aduersus eam paucissimi remãserunt, partem Donati audes præponere, dicens, quòd & præter Aphricam nescio quos habeatis, quibus tamẽ non apparentibus, ex Aphrica vos soli remittere Episcopos non negatis, vnum aut duos, aut vt multum tres, & argumentaris inaniter contra euidentissimam veritatẽ: quòd ideo nobis non totus orbis communicet, quia vel adhuc multi sunt gentium barbararũ, qui in Christum nondum crediderũt, vel sub nomine Christi hæreses multæ à communione nostræ societatis alienæ.

Psal. 32.

Lib. 1. contra Petil. cap. 23

Genes. 22.

Gal. 3.

NEC attendis, nec saltem ab scientibus quæris, quàm multi ipsarum Barbararum gentium quas commemorasti, Christi iam nomini mãcipati sint, & quẽadmodum in cæteras Euangelium crescendo fructificare non cesset, donec in omnibus cùm fuerit prædicatum, veniat finis. Sic enim Dominus ait, Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Nisi fortè etiam intantum vos præcipitat insana superbia, vt hoc quod prædictum est, de parte Donati putetis incipiendum, non ex illis ecclesiis quas Apostoli plantauerunt, quibus non communicat pars Donati. An & ipsas vt mundum impleat rebaptizare conabitur, cùm catholica per cuncta crescente, illa & in ipsa Aphrica quotidie minuatur? O vesana peruersitas hominum, laudari te credis, de Christo credendo quod non vides; & damnari te non credis, de ecclesia negando quod vides, cùm illud caput in cælo sit, hoc corpus in terra? Agnoscis Christum in eo quod scriptum est, Exaltare super cælos Deus: & non agnoscis ecclesiam in eo quod sequitur, Et super omnem terram gloria tua? Agnoscis Christum in eo quod scriptum est, Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea: Ipsi verò considerauerunt & conspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem: & non agnoscis ecclesiam in eo quod paulo pòst sequitur, Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum, vniuersi fines terræ: Et adorabunt in conspectu eius, vniuersæ patriæ gentium? Agnoscis Christum in eo quod scriptũ est, Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis: & non agnoscis ecclesiam in eo quod Psalmus ipse testatur, Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ. Coram illo decident Æthiopes, & inimici eius terram lingẽt. Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent: Et adorabũt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei? Agnoscis Christum vbi dicitur ad Iudæos, Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, nec accipiam sacrificia de manibus vestris; quia vtique Christi aduentus abstulit illa omnia sacrificia Iudæorum: & non agnoscis ecclesiam in eo quod sequitur, Quoniam ab ortu solis vsque ad occasum, glorificatum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omniporẽs? Agnoscis Christum in eo quod dicit Propheta, Sicut ouis ad immolandum ductus est, & cætera quæ ibi de illo tanquam in Euangelio leguntur: & non agnoscis ecclesiam in Euangelio quod paulo pòst dicit, Lętare sterilis quę non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quoniã multi filij desertæ magis, quàm eius quæ habet virum. Dixit Dominus, Dilata locum tabernaculi tui & aulas tuas confige, non est quod parcas, porrige lõgiùs funiculos, palos validos confirma, etiam atque etiam in dexteram atque sinistram extẽdens: Semen enim tuũ hæreditabit gentes, & ciuitates quæ desertæ erant, inhabitabis. Non est quod metuas, præualebis enim nec erubescas quòd detestabilis fueris: Cõfusionem enim in perpetuum obliuiscẽris, ignominię & viduitatis tuę non eris memor: quoniam ego sum Dominus qui facio te, Dominus nomen ei: & qui eruit te, ipse Deus Israel vniuersæ terræ vocabitur.

CAPVT LXIIII.

Matth. 24.

Psal. 107.

Psal. 21.

Eccles. 1.

Psal. 71.

Mal. 1.

Esaiæ 53.

Esaiæ prophetia Euangelio similis.

Esaiæ 54.

CAPVT LXV. IN his certè literis sanctis ecclesiam didicit Cypria-

Lib de simpl. prælat. seu de vnita. eccles.

nus vt diceret sic, *Ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrexit, ramos suos per vniuersam terram copia vbertatis extendit.* Huic Cresconi, tantæ manifestationi diuinorum eloquiorum calumniaris, intuendo residua gentium quæ nondum occupauit ecclesia, quanta occupauerit, vnde ad residua tenenda quotidie diffunditur, non attendis. Quomodo enim prophetiarum istarum futuram perfectionem nõ negas, qui tantum prouectum cui debetur ipsa perfectio, negare non dubitas, non dico aduersus voces diuinas, sed iam & aduersus tuas? Nam & de te vi magna ipsius veritatis expressum est, vt diceres nesciens, vel non attendens quid dixeris, quòd *in Christianum nomen totus quotidie vertitur mundus*. Cur ergo huic ecclesiæ, quæ toto mundo crescendo dilatatur, non communicat pars Donati? Videlicet ne à peccatoribus polluatur. Et vbi est quod non istam vestram, quæ in Aphrica remanens orbi terrarum calumniatur, aut ex Africa in paucis latentibus peregrinatur, sed illam quæ ramos suos per vniuersam terram copia vbertatis extendit, noluit deseri Cyprianus, etiam si in eius communione non tantùm sint, verùm appareant peccatores, dicens, *Nam & si videntur in ecclesia esse Zizania, non tamen impediri debet vel fides, vel charitas nostra, vt quoniam zizania esse in ecclesia cernimus, ipsi de ecclesia recedamus.*

Li. 3. epist. 3.

CAPVT LXVI.

HIC & tu responde, si tibi placet veri aliquid repondere, & quomodo implebitur quod scriptum est, Filius malus ipse se iustum dicit, exitum autem suum non abluit? Da ergo filium malum, Maximianenses damnet & persequatur, damnatis & persecutis reconcilietur, vel si conuincatur, vel si confundatur, vel si corrigatur. *Quomodo*, inquis, *totus orbis communione vestra plenus est, vbi tam multæ sunt hæreses, quarum vobis nulla communicat?* Imò non tantùm hæreticis, verùm etiam cæteris hominibus malis plenus est orbis, quia & sanctis ac fidelibus Dei seruis plenus est orbis, quia & mare plenum est amaris fluctibus, plenum est & dulcibus piscibus. *In paucis*, inquis, *frequenter est veritas: errare multorum est*. Et ne verbis tuis tantæ illius sterilis fœcunditati contradicere videreris cui dictum est, Multi filij desertæ magis, quàm eius quæ habet virum: adhibuisti ex Euangelio testimonium, Quoniam pauci sunt qui saluantur. Solue ergo quæstionem quomodo ipse Dominus dicat, Quàm arcta & angusta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam. Et idem ipse alibi dicit, Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum. Quomodo etiam in Apocalypsi demonstretur eorum multitudo quam numerare nemo poterat ex omni gente & tribu & lingua, habentium stolas albas, palmasque ferentium, qui pressuras propter fidem Christi sustinuerant: quomodo iidem sunt pauci qui multi? Neque enim alterum horum est verum, alterum falsum, cùm sit vtrunque diuina veritate prolatum, nisi quia iidem ipsi boni veriq; Christiani, qui per seipsos multi sunt, in comparatione malorum falsorumq; itidem pauci sunt. Sic multa grana quibus horrea magna cõplẽtur, pauca dicimus in comparatione palearum. Sic etiam vt de ipso Dei testamento dicam, quod factum est ad Abraham de semine eius quod est Christus, multæ sunt stellæ quas numerare non possumus, quibus tam grande cælum vndique circumfulget, & pauca dicimus in comparatione arenæ maris. Fortè stellæ signauerunt spiritales Christianos, maris autem arena carnales, per quos & ex quibus etiam hæreses & schismata fiunt: vtroque tamẽ genere plenus est mundus, quia idem Dominus dicit, Ager est hic mundus: & tu ipse tibi veritate extorquente dixisti, *In nomen Christianum totus quotidie vertitur mundus*. Per totum

Prou. 30. 70.

Iustin. lib. 4. cap. 53.

Esaiæ 54.

Matth. 22.

Matth. 7.

Matth. 8.

Apoc. 7.

Quomodo multi, quomodo pauci saluentur.

Matth. 13.

igitur agrum, hoc est, per totum mundum frumenta, per totum zizania, quia de vtroque dixit, qui falli non potest, Sinite vtraque crescere vsque ad messem.

COHIBEANT itaque se frumentorum per totũ mundum tanta vbertate crescentium impij desertores, & non audeant de quorundam zizaniorum separatorum paucitate gloriari. Quod si gloriantur, etiam in hoc ipso procedunt aduersus eos nidem illi Maximianenses, in iudicio diuino, ad eos in omnibus confundendos, & si sapiant, corrigendos appositi: quos multo pauciores præsidentia multitudinis suæ persecuti sunt, & persequendo ad suam communionem aliquos eorum denuò cõuerterunt, ac sic cęteros iustissimos, quos paucissimos reliquerunt. *Non*, inquis, *communicat Oriens Aphricæ, nec Aphrica Orienti*. Non sanè, sed in paleis hæreticis ab area Dominica separatis: in frumẽtis autem catholicis & interioribus paleis omnino communicat Oriens Aphricæ, & Africa Orienti. Alij quippe hîc, alij verò alibi, atque alibi hæretici, diffusa vbique catholica vnitate cõfligunt. Vbiq; est enim illa de qua exierunt, qui esse vbique minimẽ potuerunt, dicentes secundum id quod de illis prædictum est, Ecce hîc est Christus, ecce illic, alij hoc loco, alij alias variarum præsumptionum, vel potius amputationum proprias particulas ostendentes, atq; impia superbia radicem vnde fracti sunt abnegãtes. Huic ergo ecclesiæ quæ copiosis successibus, cùm dilatatur to to orbe terrarum ex omni gente tribu & lingua, parit multitudinem candidatorum & palmatorum, sicut in Apocalypsi scriptũ est, quam nemo numerare potest. Huic, inquam, ecclesiæ cui partem Donati non cõmunicare manifestum est, maiores vestri probare debuerunt, quæcunque vera documenta de traditoribus habuerunt. Quod si fecissent, ipsi in illa essent, extra illã verò illi quos accusassent: nunc autem cùm accusatos in illa permansisse videamus, quid boni de accusatoribus sentire debemus quos extra illã videmus? Ac per hoc in illa quadripertita distributione, vbi dixi cùm de traditoribus proferuntur ex vtraq; parte documenta, aut vtraque vera esse, aut vtraque falsa, aut nostra vera, & vestra falsa, aut nostra falsa, & vestra vera, cùm videres in superioribus tribus vos facillimè superari, frustra tibi hoc extremum, quasi quà euaderes elegisti. Quamuis enim quàm impudenter dicatur aduertas, tamen ea ipsa vera vestra, si qua essent humana documenta, illi ecclesiæ probari debuerunt, quam probant documenta diuina.

CAPVT LXVII. Iustin. lib. 4. cap. 53. Donatistæ, vt & cæteri omnes hæretici, de paucitate gloriati. Opposita.

Duplicis generis palea.

Eadem vbiq; catholica ecclesia, hæreticis non vbique, nisi alij & alij. Iustin. lib. 4. cap. 60. & 61. & supra lib. 2. contra Petil. cap. 28. Matth. 24.

Apoc. 7.

Contra Petil. lib. 1. cap. 21. & lib. 3. cap. 58. & contra Cresc. lib. 4. cap. 57

DIC ergo obsecro te (sed noli offundere nebulas imperitis, vt quoniam traditores accusatos non vales conuincere, identidẽ velis artes dialecticas accusare.) Dic ergo rogo, causa ista vestra cum veris documentis vestris perducta est ad iudicium transmarinarũ ecclesiarum labore apostolico fundatarum, an non est perducta? Si perducta est, vicistis in eo iudicio, an victi estis? Si vicisse vos dicitis, cur eis ecclesiis in quarum iudicio vicistis, non communicatis? Si autem (quod satis ipsa indicat ab eis alienata vestra cõmunio) victi estis, quid nobiscum vel mala, vel bona causa perdita litigatis, id habentes maximum crimen, quòd crimine traditorum quos in iudicio transmarinarum ecclesiarum etiam vera documenta proferentes conuincere minimè potuistis, orbem Christianũ perfunditis, quia in ea causa in qua interesse non potuit, elegit iudicib. credere, non accusatoribus victis? Non itaque ideo rei estis, quia bonam causam, vt secundum vos loquar, in transmarino iudicio perdidistis: sed quia crimen reorum, atque vt nimium vobis cedatur, & iudicum, tot innocentibus populis Christianis per tot gentes longè latéq; diffusis, obiicere minimè dubitatis. Quorũ communioni tanquam frumentis Dominicis cohærendo, & illos viros, sicut dicitis, traditores, & illos malos, sicut ar-

CAPVT LXVIII.

Supervita.

ut arbitramini, iudices, secundum Euangelicas literas, etiam monente Cypriano vsque ad tempus vẽtilationis, tãquam paleam tolerare debuistis, ne aream deserendo periretis. Si autẽ causa illa vestra cũ veris, quod tibi elegisti, documentis suis ad iudicium trãsmarinarum ecclesiarum nõ est perducta, quomodo ab eis potuerunt tot episcopi in suis plebib. constituti causa incognita, & ad se omnino nõ delata, iure damnari? Aut quomodo debuerunt Afri Christiani, non dico illi qui eos putauerant innocentes, verumetiam illi si qui eos nouerant traditores, propter zizaniam quam in ecclesia esse cernebant, à frumentorum tam longè lateque crescentium, & hos ignorãtium, tam manifesta innocentia separari, vt propter crimen alienum, quo pro vnitate tolerato non macularentur, violatæ ipsius vnitatis crimine damnarentur.

Lib. 3. epist. 3.

CAPVT LXIX.

QVID tibi ergo ad causam prodest, hoc ex illis quatuor propositis elegisse, vt vestra documenta sint vera, contra vestros autem quæ proferimus, falsa esse deputentur. Ecce & hinc vinceris, quoniã veris quæ putas documentis tuis, non potuerunt vbi debuerunt conuinci traditores, siue à vestris eadem documẽta occultata sint, siue ipsi traditores qualibet astutia se iudicibus occultarint, siue ab ipsis prauis iudicibus occultati sint: semen Abrahæ respice quod in testamento Dei per omnes gentes crescit sicut stellæ cæli, & sicut arena maris, & vtrum propter occultata quibuslibet causis nescio qua Africana zizania, tam copiosa messis per agrum mũdum perire potuerit: aude dicere, aude credere, aude, si vllus in te Dei timor est, cogitare. Exaggeras persecutiones quas vos pati diciti s, quib. in tam sacrilega & manifesta obstinatione aduersus pacẽ sanctæ ecclesiæ rebellantibus mirabili mãsuetudine parcitur: & dicis in primis partibus epistolæ tuæ, quòd imperatori Constantino Cæciliani crimen cùm fieret manifestum, ipse quoque cùm vt Brixiæ in exilio degeret, sua sententia condemnauit. In quo te quis dubitet vel falli, vel fallere, quando & Felicem Abtugnensem commemorasti in iudicio proconsulis à Vincentio nescio quo, de traditione conuictum.

Genes. 15.

CAPVT LXX. Cõsule Optatum lib. 1.

ECCE ego insero sententiam Æliani proconsulis, qua purgatus atq; absolutus est Felix. Si tota gesta vis legere, ex archiuo proconsulis accipe: *Aelianus proconsul dixit, Ex professione Cæciliani qui acta falsa esse dicit, atque epistolæ plurima addita, manifestum est qua voluntate hæc gesserit Ingẽtius, & ideo recipietur in carcerem. Est enim arctiori interrogationi necessarius. Felicem autem religiosum Episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum Deificorum manifestum est, cùm nemo in eum aliquid probare potuerit, quòd religiosas Scripturas tradiderit, vel exusserit. Omnium enim interrogatio suprà scripta manifesta est, nullas scripturas Deificas vel inuentas, vel corruptas, vel incensas fuisse: hoc actis cõtinetur, quòd Felix Episcopus religiosus illis temporibus nec præsens fuerit, neque conscientiam cõmodauerit, neque tale aliquid fieri iusserit.* Insero etiam rescriptum imperatoris Cõstantini ad Probianũ idipsum attestantis, & quàm molesti apud eum maiores vestri accusatores innocentiũ fuerint; ostendentis. *Imperatores Cæsares, Flauius Constantinus Maximus, & Valerius Licinianus Licinius ad Probianum proconsulem Africæ. Aelianus prædecessor tuus, meritò, dum vir perfectissimus Verus, vicarius præfectorũ tunc per Africam nostram incõmoda valetudine teneretur, eiusdem partibus functus, inter cætera etiã id negotiũ, vel inuidiã quæ de Cæciliano Episcopo, & ecclesia catholica videtur esse commota, ad examen suum atque iustiõem credidit esse reuocandã. Etenim cùm iam Superiũ Centurionẽ, & Cæcilianum magistratum Abtugnitanorũ, & Saturninum ex curatore, & Calibium, tuniorem eiusdem ciuitatis curatorem, atque Solum seruũ publicum suprascriptæ ciuitatis præsentes esse fecisset, audientiã præbuit competẽtem:*

Rescriptum Constantini imperatoris de purgato Felice Episcopo, & de mittendo ad se Ingetio.

adeò vt cùm Cæciliano fuisset obiectum quòd à Felice eidem episcopatus videretur esse delatus, cui cùm diuinarum scripturarum proditio atque exustio videretur obiecta, innocẽtem de eo Felicem fuisse constiterit. Deniq; cùm Maximus Ingentium decurionẽ Ziquentium ciuitatis epistolam Cæciliani ex duumuiris falsasse cõtenderet, eundem ipsum Ingentium suspensum, actis quæ suberant peruidimus, et ideò minimè tortum, quòd se decurionem Ziquensium ciuitatis esse asseuerauerit: vnde volumus eundem ipsum Ingentium sub idonea prosecutione ad comitatum meum Constantini Augusti mittas, vt illis qui in præsentiarum agunt, atque diuturnis diebus interpellare non desinunt, audientibus, & coram asistentibus apparere & intimari possit, frustrà eos Cæciliano Episcopo inuidiam comparare, atq; aduersus eum violenter insurgere voluisse. Ita enim fiet, vt omnis, sicuti oportet, eiusmodi contentionibus, populus sine dissensione aliqua, religioni propriæ cum debita veneratione deseruiat.

CAPVT LXXI. Semẽtia Constantini Augusti pro Cæciliano.

INSERO adhuc & verba Cõstantini ex literis eius ad Eumalium vicariũ, vbi se inter partes cognouisse, & innocentẽ Cæcilianum competisse testatur. Cùm enim narrasset in his quæ suprà locutus est, quẽ admodum ad iudicium eius post episcopalia iudicia partes perductæ fuerint, *in quo peruidi*, inquit, *Cæcilianum virum omni innocẽtia præditum, ac debita religionis suæ officia seruãtem, eiq; ita vt oportuit seruientem: nec vllũ in eo crimen reperiri potuisse, eidem apparuit, sicut absenti fuerat aduersariorum suorum simulatione compositum.* Tu quare non inseruisti sententiã Constãtini, qua eum dicis esse damnatum, & Brixiæ in exilio constitutũ, vir disertissime? Quanto cõgruentius hanc inseruisses, quàm nescio quid de Sardicensi concilio, quod nec ad vos, nec ad causam quæ inter nos est & vos, omnino pertinere monstratur? Cur enim fuerit Brixiæ Cæcilianus, quod vos calumniosissimè appellatis exiliũ, cùm suam præsentiam maluit ecclesiæ deesse quàm pacẽ, quid à me opus est dici, cùm tu interim damnantis imperatoris sententiam nullam recitas, & damnatũ ab imperatore Cęcilianum tam temerè, nõ dico audiendũ vel dicendum, sed etiam scribendũ putas? Veruntamen secundum verba tua, ecce in exilio video Cæcilianum imperatore damnante, saltem respõde quo accusante: & modò mi interroga quod in epistola tua post multa similiter inaniter posuisti, *Quis prolato testamẽto minus consentit, qui persecutionem patitur, an qui facit?* Hæc certè verba tua sunt. Aspice ergo Cæcilianum persecutionem passum, &, sicut ipse dixisti, *in exilio cõstitutum.* Aspice etiam vestros, sicut suis verbis imperator ipse testatur, aduersus Cæcilianum diuturnis diebus interpellare non desistentes, & eisdem ipsis verbis tuis interroganti mihi respondẽ, *Quis minus testamẽto prolato consentit, qui persecutionem patitur, an qui facit?* Diligenter autẽ perlectis omnibus, inuenies Cæcilianum à vestris etiam apud imperatorem persecutionem passum; sed non inuenies ab imperatore damnatum, imo etiam inuenies absolutum.

CAPVT LXXII.

PORRO si quod tibi pro magno elegisti, vt de criminibus traditorũ quæ vos profertis, documenta vera sint, quæ autẽ nos proferimus falsa sint: etiã in eo vos veritas Dei superat, quæ sicut prædixit, ita reddit ecclesiam in vniuerso mundo fructificantẽ atq; crescentem: quia nihil ei præiudicãt alienorum criminũ licet vera documenta, quæ propinquiorib. Episcopis transmarinis, per quos in longinquiores partes, siue transit tãlium rerũ fama, siue nõ transit, aut non sunt demonstrata sicut debuerunt, aut nõ sunt credita quibus demonstrari potuerunt, aut credita & occultata nequaquam ad aliòs perugnerunt, nec quisquam vel vnus homo, quanto minus tantus Christianorum numerus in tot gentibus constitutus reus potest esse participati sceleris alieni: siue vel nulla eius vera documenta cognouerit, vel eum simulata innocentia falsis docu-

Legitimum videtur, refellerit. mentis quisque refellerit. Si ergo, vt dicere cœperam, in hoc quod tibi pro magno elegisti, vt quę vos de traditoribus testimonia profertis, vera sint, quæ autē proferuntur contra vos, falsa sint, nihil valetis aduersus ecclesiam catholicam toto terrarum orbe diffusam, & aduersus prouidentiam Dei, qua in Christianum nomen, vt tuis verbis vtar, totus quotidie vertitur mundus: quanto magis deficientes in accusationibus vestris; cùm *hanc ipsam traditionem*, cuius nomen velut horrentes qui hoc schisma fecerunt, à Christi corpore separatos, seipsos diabolo tradiderūt: *multo probabilius*, sicut in illis literis dixi, & nūc dico, *nos vobis obijcimus*, quos nomina & crimina traditorum dicere tantummodo audimus, nos autem & gesta ecclesiastica quibus de se ipsi confessi sunt, & gesta municipalia quibus hoc fecisse leguntur, ostendimus.

Lib. 1. contra Petil. cap. 21.

CAPVT LXXIII. De vi comparatiui gradus. Infrà quoque lib. 4. cap. 55. & 56.

TV verò callidus examinator appensorque verborum, doces nos quid valeat comparatiuus gradus, & tanquam victor exultas, quòd non possem dicere, *traditionē probabiliùs nos vobis obijcimus*, nisi vos nobis eā probabiliter obiicere confiterer. *Si enim vos*, inquis, *probabiliùs, nos ergo probabiliter*. Et hoc doces, *quia sic est probabiliter & probabilius, vt si dicas, verè & veriùs: & quia gradus iste quod antè positum est auget, non quod antè dictum est improbat*. Adiungis alia verba quibus hoc euidentiùs intelligamus: ac dicis, *Sic est bene & melius, malè & peius, horribiliter & horribilius*, sic esse ostendens *probabiliter et probabilius*. Vnde colligi putas, quia si ego probabilius quod falsum est obiicio, superest vt vos probabiliter quod verum est obiecisse confirmes. Hic ego nunquid dico, quod in quęstione vel disputatione ecclesiastica nos artificiali grammatica docere conaris, quid valeat comparatiuus gradus, *quia id quod antè positum est auget, non quod antè dictum est improbat?* Video enim quàm hoc ineptè tibi obiiciam, quod tu videre noluisti, quando mihi anticategoriam velut ex arte rhetorica obiiciendam putasti: quod genus quæstionis, vbi dicitur, non ego feci, sed tu fecisti, etiam in authoritate prophetica demonstrari.

Supr. cap. 26.

CAPVT LXXIIII. Comparatiuus gradus non semper auget.

CONSIDERA tamen diligentiùs, ne fortè inuenias in Latinæ locutionis authoribus, quibus grammaticorum artificialia seruiunt, non semper istum gradum quod antè positum est augere; sed aliquando contrariò superferri. Cuius locutionis exēplum interim mihi ex Apostoli epistola occurrit quam scripsit ad Hebræos. Cùm enim loqueretur de benedictione terræ, quæ accepta pluuia fructum reddit, deinde subiecit, Proferens autem spinas & tribulos, reproba & maledictioni proxima est, cuius finis in vstionem. Quod ne illis quibus loquebatur optasse videretur, Confidimus autem, inquit, de vobis fratres charissimi, meliora & hærentia saluti. Attendis certè quomodo hic dixerit, meliora: non quia bona erant quæ suprà dixerat, proferre spinas & tribulos, & vstionem mereri; sed magis quia mala erant, vt illis deuitatis meliora eligerent & optarent, hoc est, bona tantis malis contraria. Sed fortè Apostolum sic audiēdum esse arbitraris, quemadmodum de se ipse dicit, tanquam hominē, & si imperitum sermone, sed non scientia: & ideò nō verborum in eo, sed rerum atq; sententiarum authoritatem putas esse sectandam, bona porrò debuisse contendens, vbi posuit ipse meliora. Quid si & ego iam his literis assuefactus, & illas quas puer didici oblitus, sic dixi, *Obiicitis traditionem, hāc ipsam multò probabiliùs nos vobis obiictmus*: tanquam dicerem probabiliter, comparatiuum pro positiuo ponens, non quia vos probabiliter, sed magis quia improbabiliter: sicut ille meliora, non quia illa erant bona, sed magis quia mala: tu quare tam temere concludis, ex hoc confirmasse me, vos probabiliter, quia dixi nos probabilius?

Hebr. 6.

2 Cor. 11.

CAPVT LXXV.

QVAMQVAM nec secūdum grammaticos in ver-

A bo me errasse reprehēderes, si saltem verborum ipsorum authores vel attendere, vel memoriter recolere voluisses. Pueriles enim habent literæ, sed non à puero imperito dictum,

Dij meliora piis, erroremque hostibus illum: Discissos nudis laniabant dentibus artus.

Virg. lib. 3. Georg.

Quomodo ergo meliora piis, quasi bona essent istis, ac non potius magna mala, qui discissos nudis laniabant dentibus artus? Iam vides certè quia sicut iste piis potuit optare meliora, quamuis illa, in quorum cōparatione optabat, non essent bona: sic & ego potui dicere, traditionem probabiliùs vobis obiicimus, quamuis eam vos nobis non probabiliter obiiceretis.

CAPVT LXXVI.

VT omittam, quia & probabile quādo dicitur, non consequenter est verum; cùm ea dicuntur quæ fieri possunt ac solent, & ideo probantur; hoc est, approbantur & creduntur, etiam si facta non sint: quod autem verum est, cùm ostenditur, necessario probabile est, & illo vtique probabilius. Recole libros, vbi verba

B didicisti, quàm te non fallam, profectò reperies. Vnde etiamsi vestros probabiliter nostris traditionem obiecisse concederem, non ideò verum obiecisse contenderem, & rectè nos dicerem probabilius hanc obiicere: quandoquidem à vobis nominari tantùm traditores solemus audire, nullis autem gestis vel ecclesiasticis, vel publicis recitari demonstrarique confessos: à nobis autem proferri & gesta publica vbi vestri tradiderunt, & ecclesiastica, vbi confessi Deo iudici derelicti sunt.

CAPVT LXXVII. Retorquet in aduersarium.

SED nō omitto tam manifestū adiutorium tuum, quo nobis etiam nesciens plurimum faues, docendo regulas comparatiui gradus: *quia id quod antè positum est auget, non quod antè dictum est improbat*. Secundum enim hanc regulam tuam, secundum quædam verba tua in epistola tua, sine vlla difficultate obtinuimus causam nostram. Tu enim dixisti in primis partibus li-

C terarum tuarum, velut nostram pertinaciam criminando, *tot documenta legalia, quod melius & verius est, nobis persuadere non posse*. Vbi ego concludo secundum artificialia tua, iam nos verum & bonum tenere, si quod verius & melius est, nobis persuaderi non potest. Cùm ergo nos non rescindamus, vt secundum te loquar, verius & melius baptisma vestrum, quare vos rescinditis verum & bonum nostrum? Item cùm dixisses, *hoc & nos volumus vt Christus sit origo, & radix, capútque Christiani*: continuò subiecisti, *Sed quærimus per quem hoc meliùs fiat?* Quod dicendo vtique concessisti & per malum ministrum bene fieri, sed meliùs per bonum. Cùm itaque nos non rescindimus baptismū, quem per vestrum tanquam per bonum ministrū dari dicitis; quare vos rescinditis baptismum, quem per nostrum tanquam per malum ministrum datum esse contenditis? Tu enim dixisti, *quærimus per quem meliùs fiat*. Et tua regula est, *quia gradus iste quod antè positum est auget*. Vnde si per vestrum, sicut putas, meliùs fit,

D ergo & per nostrum bene fit. Ac per hoc quando per nos baptizatum rebaptizatis, id quod ex ista tua regula bene factum esse conceditis, sacrilega præsumptione rescinditis.

CAPVT LXXVIII. Respondet ad ineptas Cresconij calumnias. Lib. 1. contra Petil. lib. 27.

VEREOR ne nimis vrgeam verecundiam tuam, si ostendam quàm leuiter & scurriliter quædam etiam verba mea quæ translatē posui, *frontem* pro pudore, *os* pro sermone, *tridens telum* pro tripartita oratione, *tricipitem bestiam* pro errore tribus calumniis aduersus tot populorum innocentiam sæuiente, quasi vrbanus & dicax exagitanda putaueris. Serua potius puerilia pueris. Neque enim me mouet quòd *Neptunium telum* propter tridentem dicis *Episcopum non decere*, cùm sit & piscatorium, ac per hoc Apostolicum, quos suos Apostolos Dominus piscatores nominum fecit. Nam & Deum nostrum Scriptura dicit, & alas habere & sagittas,

Matth. 4. Psal. 16. & 35. Dan. 32. Psalm. 17.

sagittas, nec tamen Cupidinem colimus. Quinetiam me promissam in exordio lenitatem non seruasse reprehendis, eò quòd Manichæorum facta mentione permotus dixerim, *sicut non potest, quod Dominus ait, satanas satanam excludere, ita non potest error Manichæorum Donatistarum errorem euertere*: quasi Petilianum satanæ comparauerim, ac non errorem, cuius eum cupio laqueis expediri. Bene, quòd Apostolus nos aduersus tales calumnias communiuit eo ipso loco vbi nos mites, patientes, & modestos esse admonet, quando aliquem dissentientem corripimus. Cùm enim dixisset: Seruum autem Domini litigare non oportet, sed esse mitem ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diuersa sentientes: continuò subiunxit: Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad agnoscendam veritatem, & resipiscant de diaboli laqueis, captiuati ab ipso secundum ipsius voluntatem. Ecce Apostolica mansuetudo, cum quibus placidè, patienter, modestéque agi præcepit, eos ipsos dicit à B diabolo captiuatos, nec tamen quam commendabat, amisit lenitatem; quia eam quam docebat, tacere noluit veritatem.

Lib. 1. contra Petil. cap. 26

Matth. 12.

2. Tim. 2.

CAPVT LXXIX.

SED ipse videris cuius partes agas, qui mea verba velut conuitiosa & sæua criminando, eos quos ad disputandum conuenire non vis, ad litigandum niteris excitare. Nolo enim dicere, quia & te litigare delectat. Parcius quippe ac verecundius, sed quasi ex obliquo mihi obiicis, quæ ad me omnino non pertinent. Quid enim iudicem de Manichæorum pestilentissima & Christianis omnibus anathematizāda vanitate, si tantùm dicere solerem, ac non etiam conscriptis libris multis multiplicibusque testarer; nec sic quidem esset aduersus me vllus calumniæ vestræ locus. Neque enim me catholica falsò à vobis argui miraretur, à quibus totus Christianus orbis cum tot ecclesiis etiam illis primis Apostolico labore propagatis, falsis criminibus accusatur. Cùm verò contra Manichæos qui C me adolescentulum aliquando deceperant, mea tanta scripta qui voluerit legere possit, non vsque adeò desipit vt de me credat potius vestris verbis, quàm oculis & sensibus suis.

CAPVT LXXX.

SED *epistolam*, inquis, *principis vestri, qua nescio quid de te scripsit, cùm te ordinari nollet, tenent non pauci nostrorum*. Illam verò minimè curarem, nec si eius, à quo scripta dicitur, non perspicua pro nobis sententia legeretur, illam calumniam falsitatemq; condemnans: quanto minus eam curat catholica ecclesia, cuius causam cōtra vos agimus, cui tot diuinis testimoniis præsidenti, nulla humana de quoquam homine testimonia seu vera seu falsa, qua gaudet auferunt veritatem. Desine talibus, vnus homo sum, ecclesię inter nos agitur causa, non mea. Ecclesiæ, inquam, quæ in nullo homine spem ponere à suo didicit redemptore. Quanquam nec de meipso vobis, etiam si meam conuersationem nosset is, rectè crederetur inimicis mihi. Ad D existimationem hominum magna testium qui me nouerunt, suppetit copia; ad Dei verò conspectum sola conscientia: quam contra vestras criminationes, cùm intrepidam geram, non me tamen sub oculis omnipotentis iustificare audeo, magisq; ab illo effluentem misericordiæ largitatem, quàm iudicij summum examen expecto, cogitās quod scriptum est, Cùm rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mūdū se esse à peccato?

Augustini de sua conscientia fiducia.

Prouerb. 20.

CAPVT LXXXI.

SED quid ad rem cuius inter nos vertitur quæstio, qualis ipse sim, cùm in area Dominica sim stipula, si malus: granum, si bonus: vos tamen si grana essetis, paleam commixtam, sicut admonet etiam ipse Cyprianus, ante tempus ventilationis non refugeretis. Proinde nos si quem reperimus in vobis notum hominem malum, rectè vobis obiicimus: Ibi enim tota defensio

A vestra consistit, quia propterea vos separastis, ne aliorum peccatorum contagione periretis: vnde nouum genus areæ vos fecisse gloriamini, aut quæ solum triticum habeat, aut in qua solum triticum appareat, cui non sit necessarius ventilator, sed perscrutator. Nam & Parmenianus vester præclaram vestram mūditiam velut immunditiæ nostræ à contrario comparans, ausus est interponere sententiam Prophetæ Hieremiæ, vbi ait, Quid paleæ cum tritico? Quod ille dixit, vt ipsa indicat lectio, aduersus eos qui diuinis oraculis sua somnia coæquabant. Arrogantia tamen vestra & horrenda superbia Parmeniani literis declaratur, vbi vos contra scripturas diuinas, & contra monita Cypriani ante vltimam ventilationem quàm mūdus expectat, tanquam purgatum à palea triticū prædicauit.

Lib. 3. contra Parm. cap. 3.

Hier. 23.

CAPVT LXXXII. Epilogus.

QVID ergo dignius aduersus hanc fallacissimam elationem, quam causa Maximianensium vobis potuit procurari? Quæcunque in nos dicere tanquam in B traditores soletis, in Maximianenses, quos receptis damnatos, quando damnati sunt, grauiora dixistis. De Imperatoribus nobis tanquam persecutoribus facitis inuidiam, vos apud iudices, quos ipsi Imperatores miserunt, Maximianensibus persecutionem fecistis. Baptismum ecclesiæ dari extra ecclesiam non posse contenditis, vos baptismum, quem in crimine schismatis Maximianenses dederunt, in receptis eis quibus dederunt, non rescinditis. Si hæc pro pace vnitatis fieri debuerūt, vnde nos accusetis nisi vosipsos damnaueritis? Nolo te per multa distendas: nam & ego possem breuiter ea quæ contra te dicta sunt, in memoriam reuocare, sed hinc solùm cogito Maximianensium causam tibi ante oculos ponere: si de hac nobis respondere potueris, aggredere cætera: si autem non potueris, melius quiescas, quàm calces aduersus stimulū iacias.

LIBRI III. FINIS.

C

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA CRESCONIVM GRAMMATICVM, LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM LIBRI IIII.

Vniuersas Cresconij calumnias ex sola Maximianensium causa refellit.

CAP. 1.

VAMVIS iam tribus nec paruis voluminibus epistolæ tuæ, Cresconi, diligenter satisque responderim, qua Petiliani literas contra mea scripta, quibus refellebantur, defendendas putasti: tamen etiam hoc breuiori opere institui de sola causa Maximianensium tecum agere, & ex hac vna ostendere omnia quæ in illa epistola posuisti, quàm frustrà, quàm inaniter dixeris. Neque enim contemnendum est beneficium Dei quod & ad nostræ dispensationis compendium, & ad vestræ correctionis, si sapiatis, adiutorium præstare dignatus est: qui nescientibus vobis neque id agentibus nobis, ita vestrorum Episcoporum mentibus dominatus est, vt qui orbem Christianum per communionem sacramentorum maculatum peccatis criminabantur alienis, quamuis etiam ipsis falsis & non probatis, in Maximiani causa cogerentur fateri eorum quos damnauerunt, peccatis non fuisse maculatos, in vna sacramentorum communione constitutos, eos quibus tanquam innocentibus ad reuertendum dilationē dederunt, & si non ordinatoribus Maximiani, tamen in eius parte cōstitutis damnatoribus Primiani: & qui baptismū Christi nolebāt agnoscere,

nec in eis ecclesiis datum quas Apostolorũ labor propagauit atque fundauit, contendentes extra vnam ecclesiam baptismum dari non posse, nosque culpantes quòd per eos datum baptismum non rescinderemus, quos esse in vera ecclesia negaremus, susciperẽt in Maximiani sacrilego schismate baptizatos, & in eis baptismum rescindere non auderẽt: & qui de legibus Christianorum imperatorũ, quib. eorum peruersitas corrigenda præcipitur, nos tanquam crimine persecutionis accusant, adirẽt iudices ab ipsis imperatoribus missos, & Maximianũ ac socios eius apud eos grauiter accusarent, & conciliũ quo eos damnauerunt, gestis proconsularibus allegarẽt, ac iussiones quibus illis sedibus pel ferentur, efficacissimas impetrarent. His omnibus à sẽ gestis, adhuc nebulas imperitis conãtur offundere: nõ solùm scripturis sanctis, & priorũ rerum gestarũ quando se ab vnitate separauerunt multis certisque documentis, verùmetiam recentissimis suis factis & exemplis euidentissimè superati.

CAPVT II. Eloquentiæ criminationem refellit. Vide supra lib. 1. cap. 1. & sequentibus.

HINC ergo tantum agam, hinc ad omnes epistolæ tuæ partes, quantũ Dominus me adiuuat, sine vlla difficultate, imò cum magna facilitate respondeam. Ac primo illud quod tibi ipse contrarius eloquenter eloquentiam vituperare voluisti, tanquam esset veritatis inimica, & patrona potius falsitatis, vt eo modo me quasi eloquentem cauendum atque fugiendum ostenderes imperitis: si reuera tanta esset eloquentia mea quantam mihi, quamuis accusatoriè tribuis, nõne recitato decretõ concilij Bagaiensis, quo sicut ibi scriptum est, *Maximianum fidei æmulum, veritatis adulterũ, ecclesiæ matris inimicum, Dathan, Chore, & Abiron ministrum, de pacis gremio sententiæ fulmen excussit*, laudare eloquentiam cogereris? Porrò si mihi materies illa proponeretur, quando possem dicere, *Licet viperei seminis noxios partus venenati veri alueus diu texerit, & concepti sceleris vda coagula in aspidum membra tardo se calore vaporauerint; tamen conceptum virus euanescente vmbraculo occultari non potuit. Nam etsi sero, publicum facinus & parricidiũ suum fœta scelerum vota pepererunt.* Quando me in hæc verba exquirenda coarctarem? quando in exprimenda prouoluerẽ? quando tanto impetu, tanto sonitu in odium noxiorum lectoris vel auditoris animum cõcitarem? Num ideo hæc in quos dicta sunt, minus veraciter dicta sunt? Num hac eloquentia tanti concilij fides minuitur, vel labefactatur authoritas? Nempe illud quò visum est eloquentius, eò potissimũ electum est, quod omnes esse suum vellent, quo vno trecentorum & decem ora tacentia personarent. Ecce eloquentia quam vituperasti, quam velut seditiosam, & Græco etiam nomine malitiosè artificiosam detestandam vitandamq; monuisti, tantum permulsit tot Episcopos tuos, vt in plenario cõcilio suo nollet suam quisque proferre sententiam, sed vnam quæ ab vno dici disertius ornatiúsq; potuit, eam cuncti facerent suã. Liceat igitur nobis sine inuidia non vsquequaque impolitè contra errores hominum disputare, si licuit tot ac tantis Episcopis vestris ipsos homines tam disertè ornatéque damnare.

Cap. 19. & 53. Num. 16.

CAPVT III. De negata collatione lib. 1. contra Petil. cap. 1. Vide supra lib. 1 contra Cresc. cap. 14. & lib. 2. cap. 1. ad lætaretur. In disputationibus à contentione abstinendum.

ILLVD etiã quod studium pro veritate certãdi, quia sæpe voluimus cum vestris conferre, vt errore sublato, fraterna charitas pacis vinculo necteretur, contentionis & animositatis vitioso nomine reprehẽdis: nõnne meliùs obsecro te, causa veritatis & vnitatis pacificis verbis & pacatioribus locis inter Episcopos ageretur, quàm in foro ab Episcopis per aduocatos litigaretur? quod à partib. Primiani Carthaginẽsis Episcopi vestri aduersus Maximianũ, & aduersus eos qui cum illo Bagaiensi cõcilio damnati sunt apud legatũ Carthaginis, & apud quatuor vel amplius procõsules factũ est? Certè in collatione disputationis hoc cauendũ est, ne prorumpatur in litẽ, & caueri à modestis ac mitibus, & potest & solet: cũ verò aduocatis vtrinq; luctãtib. in foro hoc in vestris reprehendo, si ad hoc non amore litigandi, sed consulendi necessitate cõpulsi sunt: veruntamẽ admoneo te bono ingenio præditũ virum, vt aduertas, vt sentias, vt intelligas eos qui forensem strepitũ & iudiciaria iurgia, quibus accusatos conuincerẽt & expellerent quos in concilio iam damnauerãt, non declinauerunt, sed susceperũt & exercuerunt: multo nobiscũ facilius pacificè conferre potuisse, nisi mallent causam malã cooperire excusatione, quã disputatione finire.

CAPVT IIII. Respondet ad Cresc. quæstionem, vtrũ baptizari conueniat, an apud Catholicos, an in parte Donati. Vide supra lib. 1. cap. 21.

IAM verò quòd antequã venias ad sermonem meũ, quo reprehẽdi Petilianum, à me interim quæris à quo te baptizari conueniat, vtrum ab eo potius quem & ego baptismum habere confirmo, an ab eo quem tuus hoc non habere cõtendit. Hæc etiam quæstio per Maximiani causam de vana imperitorũ loquacitate sublata est, quantũ quidem ad vos attinet; nam apud Maximianenses adhuc manet: vestri enim damnato propter sacrilegium schismatis Maximiano, quem diaconum suum Primianus damnauerat, & per quẽ conspirantibus aduersum se plurimis collegis damnatus fuerat, continuò cum eo duodecim ordinatores eiusdem Maximiani eadem sententia damnauerũt. Ex quibus duos Prætextatum Assuritanum, & Felicianum cùm eos in iudicio proconsulari accusassent, cùm Bagaiẽsi concilio damnatos allegata per aduocatos eadem sententia demonstrassent, cùm iubente proconsule locis quos tenebant, pellere conati minimè valuissent; sic postea susceperunt, vt cum eis in honoribus eorũ integris communicarent: & simul in pacem redactis populis eorum ex his quos in schismate baptizauerant, nullum rebaptizarent. Extat decretum Bagaiensis concilij allegatum apud proconsulem, aduocato prosequente Nummasio, cùm ageret vt Primiani communioni Mẽbresitana ecclesia traderetur expulso Saluio, qui eam tenebat antiquitùs, vbi episcopatum meruerat in parte Donati. Sed pellendus propterea petebatur, quia eum damnatum Bagaiensi cõcilio recitabat inter duodecim Maximiani ordinatores, quos idẽ Nummasius in numero errans vndecim dicit. Hanc Nummasij postulationẽ recitauit postea Ticianus expressim ac nominatim agens apud eundem proconsulem aduersus Prætextatum & Felicianũ: cuius aduocati verba ista sunt, *Sed suis*, inquit, *institutis iniquitas delectatur, & semetipsam non deserit, cùm semel præcipitata corruerit. Idem namque Maximianus cæptam nutrit audaciam, & alios sibimet consociat ad furorẽ. Inter quos etiã Felicianus quidam, qui primo recta sectatus, deprauationis huius attaminatione fuscatur in Mustitana positus ciuitate, Deo omnipotenti parietes consecratos, ecclesiam venerandã quasi quadam obsidione credidit retinendam. Hunc Prætextatus etiam in Assuritanis partibus imitatur. Sed cùm æquitatis tuæ innotesceret potestati cõsortium sacerdotũ, iussisti, vt gesta testantur; explosomni cõtradictionis effectu sacratissimis sacerdotibus à profanis mẽtibus ecclesias vindicatas oportere restitui.* Deinde paulo pòst vt idem aduocatus ostendat quid iussum sit, recitat Nũmasij postulationem quam suprà memorauí: in qua Procõsul Nummasio cùm dixisset, Lege episcopale iudiciũ, illud Bagaiẽse recitatũ est, in quo Maximianus damnatur his verbis: *Maximianum fidei æmulum, veritatis adulterum, ecclesiæ matris inimicum, Dathan, Chore, & Abirõ ministrum, de pacis gremio sententiæ fulmen excussit: & quòd adhuc eundem dehiscens terra non sorbuit, ad maius supplicium superis reseruauit. Raptus enim pœnã suam compendio lucrauerat funeris, vsuras nũc grauiores colligit fœnoris, cùm mortuus interest viuis.* Deinde in illos duodecim ordinatores eius ita profertur Bagaitana sententia, *Nec solum hunc*, inquiunt, *sceleris sui mors iusta condemnat, trahit etiam ad consortium criminis plurimos catena sacrilegij, de quibus scriptum est, Venenum aspidum sub labiis eorum, quorũ os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & calamitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum. Nollemus quidem tanquam è proprij corporis iunctura præcidi, sed quoniam tabescentis vulneris putredo pestifera plus habet in abscisione solaminis, quàm in remissione medicaminis, inuenta est causa salubrior, ne per cuncta membra pestilens irrepat virus, vt compendiosò dolore natum decidat vulnus. Famosi ergo criminis reos, Victorianum Carcabianensem, Marcianum Sullectinum, Beianum Baianensem, Saluium Ausaphensem, Theodorum Vsulensem, Donatum Sabratensem, Miggenem Elephantariensem, Prætextatum Assuritanum, Saluium Membresitanum, Valerium Melzitanum, Felicianum Mustitanum, & Martialem Pertusensem, qui funesto opere perditionis vas sordidum collecta fæculentia glutinarunt: sed & clericos aliquando ecclesiæ Carthaginis, qui dum facinori intersunt, illicito incestui lenocinium præbuerunt; Dei præsidentis arbitrio, vniuersalis concilij ore veridico damnatos esse cognoscite.* Post istorum damnationem, in quibus leguntur Prætextatus Assuritanus & Felicianus Mustitanus, cum quibus, vt antè dixi, proconsulares aduersus eos impetratæ iussiones concordauerunt, cæteris in eodẽ Maximiani schismate constitutis, Primiani etiam damnatoribus tantùm quia non interfuerant Maximiani ordinationi, dilationem dederunt in eodem Bagaiensi concilio certo diei termino definitam, quæ continetur his verbis, *Eos autem*, inquiunt, *quos sacrilegi furculi non polluere plantaria, hoc est, qui à Maximiani capite proprias manus verecundo fidei pudore retraxerunt, ad matrem ecclesiam redire permisimus. Quantum enim de reorum morte purgamur, tanto de innocentium reditu gratulamur. Ac ne angustum redeuntibus tempus spem salutis arctatæ diei pressura subducat, agnoscentibus quibus licet longè manentibus præcedentibus statutis, vniuersis vsque ad diem octauum calendarum Ianuarij proximè futurarum agnitionis pandimus ianuam, vt integri honoris ac fidei regressi habeant fundamenta: quam si quisquam ingredi nequiuerit pigra segnitia, sciat sibi ad omnes veniales aditus sua voluntate viam esse subductam. Manebit enim circa eos dicta sententia, & post præstitutum diem redeuntibus fixa pœnitentia.*

suprà lib. 3. cap. 56.

Psal. 13.

CAP. V. Docet exemplo Maximianistarum etiã extra ecclesiã baptismum dari, & habere posse.

EX his igitur omnibus quoniam rediisse aliquos ad communionem vestram nec vos negatis, & in tam recenti memoria adhuc etiam viuẽtibus hominibus, de quib⁹ celeberrima & clara notitia est, cùm & illi quibus dilatio data est (quandoquidem sicut verba concilij eiusdem satis indicãt, eos ad matrem ecclesiam redire inuitant, & eorum tanquam de innocentium reditu gratulantur, & illi quos cum Maximiano nulla interposita dilatione damnauerunt) extra vestram ecclesiam toto illo tempore baptizauerint: siue vsque ad diem dilationis quando cum Maximiano communicabant, & in eius erant schismate cõstituti, siue etiam transacto dilationis die, quando Titianus aduocatus nominatim Prætextatum & Felicianum pelli de Basilicis postulabat, cum quibus in honore integro Primianus postea concordauit: quomodo audetis iam dicere vnum baptisma, nisi in vna ecclesia dari non posse, cùm ab istis datum in sacrilego schismate baptismum sine vlla controuersia cognoueritis, susceperitis, rescindere non ausi fueritis? Nec iam potestis dicere nihil vos præstitisse illis quos in eodem baptismo suscepistis. Si ergo quæram quid præstiteritis; proculdubio respõdebitis, ne ipso sacrilegio schismatis perirent, ne baptismum Christi non ad præmium, sed ad iudiciũ, non ad salutem, sed ad perniciem, sicut est militiæ character in desertoribus, haberent: præstitimus pacem, præstitimus vnitatem, præstitimus ecclesiæ sociatam, vt eum per quem charitas diffunditur in cordibus nostris, Spiritum sanctum accipere mereremur, sine quo nemo peruenit ad regnũ cælorum, etiam si sacramentis omnibus legitimis imbuatur. Hæc responderetis veraciter, si veram ecclesiã teneretis. Veruntamen ad admonitionem vestram sufficit, vt hoc vos accepturos intelligatis in vera ecclesia, quod eos quos in Maximiani sacrilego schismate baptizarunt qui cum eis ad vos inde redierũt, in vestra cõmunione accepisse credidistis: atque ita vos etiam accepto baptismo Christi esse puniendos, si vnitatem catholicæ ecclesiæ non tenueritis, sicut in Maximiani schismate baptizatos proculdubio puniendos non dubitaretis, si vestræ communioni non copularentur, in quibus ad vos inde venientibus non rescindendum baptismum iudicastis. Vides itaque etiam hoc quod te mouebat de baptismi sacramento in causa Maximianensium iam solutum.

CAPVT VI. Docet ob schismaticam separationem Donatistas pœnas, quàm Christianos appellatos, quomodo ab ipsis appellati sunt & Maximianistæ. Lib. 1 contra Petil. cap. 1.

IAM nunc illa videamus quibus epistolam meam te refellere credidisti. Ac primũ quòd interrogas, *quare vestros Donatistas appellem*, adiungens *quòd Donatus non author & institutor ecclesiæ quæ antè non fuerat, sed à Christo deductæ & antiquæ vnus ex Episcopis fuerit:* nõnne attendis hoc de seipso & Maximianum dicere: ex cuius tamen nomine vniuersam eius communionem appellatis? Neque schismã quod fecit, vllo vocabulo à vobis vel ab aliis sectis discernitis, nisi aut Maximianistas, aut Maximianenses, aut quodlibet aliud, quod à Maximiani nomine deriuetur, aut certè simplicius & sine timore grammaticarum ferularum patrem Maximiani nominetis. Nunquid hoc dicturus es, Maximianũ à vestra cõmunione schisma fecisse, hoc aũt à communione catholica non fecisse Donatũ? Sed Maximianus nõ hoc dicit, qui Primianũ potius & vos omnes affirmat à parte Donati, in qua ipse permansit, schisma fecisse, & recitat decreta conciliorum. Primũ quod apud Carthaginem à quadraginta & tribus factum est, quo prædamnatus est Primianus. Alterum quod Cebarsussi centum vel amplius vestri tunc Episcopi condiderunt, quo perfectè pleniusque damnatus est. Cui talia documenta proferenti quid respondebis, nisi maioris esse authoritatis Bagaiense concilium, in quo trecenti & decem eundem Maximianũ & eius socios damnauerunt, quando Primianus non apud eos tanquam purgãdus dicebat causam, sed cum eis tanquam iudex innocentissimus considebat, proferebat sententiam contra Maximianum & duodecim socios eius, quibus præsentibus ordinatus est, & data dilatione tanquam innocentes ad pacem propriã reuocabat tot cæteros à quibus ipse damnatus est.

Vide August. conc. 2. in Psal. 36. Gemino Donatistarum concilio damnatus Primianus, tertio absoluitur.

CAPVT VII. Confert inter se iudicia, quibus Primianus & Cæcilianus damnati sunt & absoluti.

IN hac vestra conflictione quid vultis vt nos medij iudicemus, quãdoquidem nec Maximiani, nec vestra cõmunione detinemur? Quid, inquã, hinc vultis iudicemus; nisi cõtra duo cõcilia quibus damnatus est Primianus, vnum Bagaiense posterius pro illo valere debere quo damnatus est Maximianus, eo videlicet firmius id esse arbitrantes, quo posterius potuit de prioribus iudicare? Ecce in hoc fauemus vobis, Alia nobis est cum Maximianensibus causa, si ausi fuerint succẽsere. Fauemus, inquam, iudicio tertio Bagaiensi quod factum est pro Primiano contra Maximianum eiusq; collegas, quo posteriore merito potuerunt priora deleri: quanquam à duobus prioribus iudiciis ad tertium nullam Primiani vocem prouocationis vel legimus, vel audimus, nisi quòd absens primo prædamnatus, secundoque damnatus est. Sed etiam in Maximianum & socios eius absentes prolata est disertissima illa Bagaitana sententia: & hoc illi quadraginta & tres apud Carthaginem modestius, cautius diligentiúsque se gessisse testati sunt, quòd ad eundem Primianum non semel, sed iterum ac tertio legatos miserunt, vt si ad eos ipse venire nollet, ipsos ad se venire permitteret. Quo vtrumque recusante sicut scribunt, & eos qui

qui missi sunt, iniuriosa repulsione tractante, necessitatem sibi incubuisse asserunt, vt iam ecclesiæ prouiderent: & sic nondum audentes vltimum præcipitare iudiciũ, sed quodam præiudicio cõsulentes ei, vt si causæ suæ fideret, sequenti celebriori concilio responderi, se seq; purgandi relinqueretur locus. Quò cùm venire noluisset, iam necessario putauerunt esse damnãdum sine vlla suspensione sententiæ. At verò in decreto Bagaiensis concilij, non solùm legatos vllos à Maximiano malè tractatos nõ legimus, sed nec missos legimus vt veniret: videmus tamen leuatum altare contra altare, & ordinatum Episcopum contra eum Episcopum, qui in cathedra vbi fuerat ordinatus, ita sedebat, vt conuentu sui populi non desereretur, nec à cæteris pluribus Episcopis communio eius dirimeretur, tantam commouisse indignationem sacrilego schismate perpetrato, vt nec ipsius Maximiani, nec ordinatorum eius iam esset vlterius differenda damnatio.

Antithesis collationis. Hæc cùm ita sint: non vos tamen pro Cæciliano talia permouent, contra quem manentem & populo præsidentem, erecto altari contra altare, ordinatus est Maiorinus. Contra quem non à vobis duo, sicut contra Primianum à Maximianensibus, sed vnum profertur iudicium horrendæ temeritatis festinatione acceleratum. Qui non sicut Primianus noluit ad se venire collegas, sed inuitauit potius vt venirent, quod nec ipsi in sui concilij decreto, quod contra eum condiderunt, tacere potuerunt, pro quo non vnum, sicut pro Primiano, sed quatuor posteriora iudicia recitantur. Eius nõ absentes, sicut Primiani, sed præsentes sunt aduersarij confutati, apud eos iudices, in quos iudicaturos consenserunt apud ipsum etiam Imperatorem Constantinum: apud quem primum Cęcilianum accusauerũt, apud quem postea de iudicibus Episcopis, à quibus ille ipsam causam voluit audiri, tanquam non rectè iudicantibus questi sunt: ad quem rursus †alterum Episcopale iudicium prouocauerunt, vt ipso etiam post vnum & alterum Episcopale iudicium inter partes cognoscente superarentur, quorũ non defuit etiã quarta conuictio Cęciliani. Nam cùm in propriis criminibus calumniatores inuenti fuissent, & ei Aptugnensis ordinatoris eius de traditione quæstionem intulissent, Felix etiam ipse purgatus est proconsulari iudicio, eodem ipso Constantino, vt causa eius discuteretur, iubente, quem illi assiduis interpellationibus fatigabãt. Hæc Maximianenses aduersus Primianum non exercuerunt mala, nec toties victi sunt, nec præsentes victi sunt, nec apud eos, quos ipsi elegerunt, iudices victi sunt: & tamen quod manifestũ est in ipsa vestra cõmunione schisma fecerunt; & hoc vestros à catholica cõmunione fecisse non vultis aduertere, qua impudentia vanissimæ animositatis prorsus ignoro. Si enim omnia quæ dicitis de Cæciliano & Felice ordinatore eius ideo vera esse vultis, quia septuaginta fermè Episcopi de hac re iudicauerunt: cur non vultis vera esse quæ dicuntur de Primiano, cùm & inde primo quadraginta tres, pòst centum Episcopi iudicauerint, & prius præiudicium posteriori iudicio confirmauerint? Si autem propterea illa crimina Primiani falsa esse cẽsetis, quia pro illo posterius contra inimicos eius Bagaiense concilium recitatur: cur non vultis crimina, quæ obiecta sunt Cæciliano, falsissima confiteri, pro quo posteriora tot iudicia recitantur? Si Cæcilianus contra quem semel fuerat ab illis septuaginta iudicatum, non debuit iam locum purgationis ab aliis iudicibus inuenire: nec Primianus debuit, quem iam tanto plures quàm septuaginta prima confirmantes, secunda cognitione damnauerunt. Si autẽ bis damnato, tertium quod iam pro illo factum est iudicium sufficientissimè suffragatur: cur semel damnato non sufficere ad absolutionem secundum, tertium, quartum, quintumque iudicium, nescio qua fronte ferrea contenditis? Quod si vos fortè numerus mouet, vt ideo contra centum, à quibus damnatus est Primianus, valere arbitremini Bagaiense concilium, quia in eo trecenti & decem fuerunt: cur in maiori numero episcoporum orbi terrarum consentire non vultis.

Cęcilianus semel damnatus, quater est postea absolutus.

†post aliquantum quod desideratur.

QVOD autem obiicis Cæciliano peccatum illud inexpiabile in Spiritũ sanctum, de quo Dominus ait: Non remittetur neque hîc, neque in futuro sæculo: & nos possemus dicere, Feliciano Mustitano, quem hodie cum Primiano habetis Episcopum vnum ex ordinatoribus Maximiani, damnatoribusque ipsius Primiani, †quos etiam in sacrilego schismate baptizatos non rebaptizatis, peccatum vos obiecisse quod sit in Spiritum sanctũ, cui sacrilegium schismatis obiicitis, sicut in Bagaiensis concilij sententia declamatum est. Sicut enim vos ideo putatis illo irremissibile reatu peccasse in Spiritum sanctum, quos accusatis diuinas Scripturas exurendas persecutoribus tradidisse, quòd easdem Scripturas Spiritu sancto acti locuti sunt homines Dei: ita etiam nos non solùm vestris potius traditoribus quos gesta conuincunt, hoc crimen possemus obiicere, sed & Feliciano, vt dixi, hoc vos obiecisse in crimine sacrilegi schismatis docemus, quia in Spiritu sancto seruatur vnitas dilectionis & pacis, dicente Apostolo: Sustinentes inuicem in dilectione, studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Quam profectò violat qui schisma committit. Sed hunc reatum insolubilis æternique peccati quod in Spiritum sanctum committitur: nec vobis obiicimus, quos correctos cùm viuitis sanari posse non desperamus: nec vestris, qui sanctos codices cremandos ignibus tradiderunt, nisi quòd vsque in finem vitæ huius ab vnitate disiuncti, cor impœnitens habuerunt. Nec Feliciano & Prætextato hoc vos obiecisse ostenditis, cum quibus postea communicastis, qui in catena sacrilegij cũ Maximiano ad consortium criminis tracti, plenarij cõcilij vestri ore veridico leguntur esse damnati, & post diem dilationis non quidem illis iam damnatis, sed illis tanquam innocentibus †prærogatum, probantur esse suscepti.

Matth. 12.

for. à quo

Ephes. 4

for. prorogatum,

QVOD autem non tibi placet deriuatio nominis, vt à Donato Donatistæ appellentur, & censes Latinæ regula locutionis potius declinandum, non aspernor admonitionem tuam, veruntamen quære grammaticos iudices, apud quos cum Maximianensibus de arte confligas, eosque conuincas. Iam enim nec ipsos volo Maximianistas vocare, ne offendam tam eruditas aures tuas, qui certè, quantum existimo, non vt ego, tibi facilè cessuri sunt, vt Claudianenses, vel quid aliud appellent quos Claudianistas appellauerunt, cùm eos receptos †Primiano in communionem, inter alia, quibus eum & prædamnauerunt & damnauerunt, crimina posuerunt. Et simul recognosce hanc declinationis regulam, non mihi soli sicut reprehendis placuisse: sed fortasse me solum tibi in hac re quæ ad causam non pertinet, tanta facilitate cessisse.

Ostendit vt Maximianistas & Claudianistas, sic & Donatistas non malè dici. Vide & supr. lib. 2. cap. 1. & 2.

Claudianiste, de quibus habes concione 2. in Psal. 36.

for. à Primiano

QVOD verò me putasti vehementius arguendum, quòd cùm dixerim, *Donatistarum hæreticorum sacrilegum errorem*, hæresim appellans, quod tu schisma potius vis putari: eos tamen à sacrilegio non expiatos in communionem recipiamus; tu qui nos in hac causa tam grauiter arguis, responde quomodo expiauerint vestri sacrilegium Feliciani & Prętextati, cum quibus postea communicauerunt Episcopi, eos sibi sicut antè fuerant copulantes atque reddentes, nec quenquam eorum quos illi in sacrilegio schismatis baptizauerãt, denuò baptizantes. An fortè non erant sacrilegio maculati, sicut quidam vestrũm desipiunt, dicentes, non eos in Deum, sed in hominem peccauisse? Sacrilegiũ verò tanto est grauius peccatum, quanto committi non

Docet Donatistas ad catholicam redeuntes colli modo sine baptismi iteratione expiari, quomodo expurgatos censuerunt Prætextatum & Felicianum. Lib. 1. contra Petil. cap. 1. Vide supr. lib. 1. cap. 3. 4. 7

non potest nisi in Deũ: vnde me disputatione tua non ob aliud vrgendum arbitratus es, quòd sic suscipiamus eos qui à vobis ad nos transeunt, nisi quia vestrum dixi sacrilegum errorem. Lege ergo Bagaiense concilium. Nempe ista illic prima verba sunt: *Cum omnipotentis Dei & Christi eius Saluatoris nostri voluntate ex vniuersis prouinciis Aphricæ venientes in ecclesia sancta Bagaiensi concilium gereremus, Gamalius, Primianus, Pontius, Secundianus, Ianuarius, Saturninus, Felix, Pegasius, Rufinus, Fortunius, Crispinus, Florentius, Optatus, Donatus, Donatianus, & cæteri numero trecenti & decem, placuit Spiritui sancto qui in nobis est, pacem firmare perpetuam, & schismata resecare sacrilega.* Audis, aduertis, attendis? *Schismata*, inquiunt, *resecare sacrilega*. Ergo nõ in hominem, sed in Deum scelerata peruersitate in eo schismate solus Maximianus sacrilegij crimine tenebatur, cùm ista sententia diceretur. Lege paulo pòst quid dicant de sociis eius, inter quos istorum nomina, de quibus agitur, scripta sunt. *Nec solùm hunc*, inquiũt, *sceleris sui mors iusta condemnat, trahit etiam ad consortium criminis plurimos catena sacrilegij.*

QVID est vir disertissime? quid habes quòd dicas mihi? Lege sequentia, video inter plurimos quos trahit ad consortium criminis catena illius sacrilegij, Prætextatum & Felicianum ligatos. Sacrilegos video Episcopos; quid agis, si non probaueris expiatos? Nempe vrgeris cedere veritati, qua dicimus expiari vestros cùm ad nos veniunt, ipso vinculo fraternæ pacis & charitatis cooperiri peccata eorum, sicut scriptũ est, Charitas cooperit multitudinem peccatorum. Quid de illis, quos à vestra communione separati, & cum Maximiano in sacrilegæ illius catenæ societate deuincti baptizauerunt, quos cum eis in eodem baptismo in pacem atque concordiam suscepistis? Respondebis ne aliquid nisi eadem sacramenta rectè vos approbasse in eis, quæ nos quoque approbamus in vobis? Magis enim tibi constabis si ista responderis, & verbis epistolæ tuæ non reluctaberis. In qua cùm conareris ostendere, non hæresim inter nos & vos, sed schisma potius cõmissum esse, ipse dixisti *nobis & vestris vnam esse religionem, eadem sacramenta, nihil in Christiana obseruatione diuersum*. Neque enim grauius quàm his verbis repetitionem baptismatis accusare potuisti, quando seducti à nobis rebaptizãtur à vestris, in quibus eadem sacramenta esse & sentis, & dicis, & scribis. Qua igitur sceleris impudentia non seruatur in eis, quos in sancta vnitate baptizat orbis Christianus, quod seruatum est in eis, quos in sacrilego schismate baptizarunt Prętextatus & Felicianus? Causam itaque nostram quam vobiscum habemus, vestro iam iudicio terminastis, cùm eos qui à vobis damnatione percussi sunt, qui populos ne ad vos accederent, instantissimè monuerunt; qui †post etiam baptizandum esse censuerunt, cum eis quos extra vestram communionem in sacrilegio schismatis constituti baptizauerũt, sine vlla degradatione, sine baptismi iteratione in altaris concordiam suscepistis, & nulla re alia ab illo scelere sacrilegij, nisi sancto igne charitatis expiatos esse credidistis. Quod verè fieret, si vos eandem charitatem in vera vnitate teneretis.

1. Pet. 4.

Supr. lib. 2. cap. 3.

for. post vos

Excusit dictũ Petiliani, Cõscientia sanctè dãtis. &c. Lib. 1. contra Petil. cap. 1. Vide suprà lib. 2. cap. 17

SED tamen videamus etiam de verbis epistolæ Petiliani, quam contra me defendere voluisti, quomodo te exuas in hac causa Maximianensiũ, de qua nunc sola statui agere aduersum literas tuas. Posuit certè ille ista verba sua. *Conscientia*, ait, *sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis*. Cui ego, *Quid si, inquam, lateat dantis conscientia, & fortè maculosa sit, quomodo poterit accipientis abluere conscientiam?* Hanc tu ineuitabilem quæstionem, quia in verbis Petiliani omnino non soluitur, tuis soluere aggressus es; & dixisti, non contra me, sed contra illum quem defendere voluisti. Ille quippe ait, *Conscientia dantis attenditur, quæ abluat accipientis*: tu verò †fassus, cuius latentem conscientiam videri non posse dicis, sic eam dixisti attendi, vt non videatur ipsa, sed quod de illa notum sit in publica fama. Vnde colligitur verum iam non esse, quòd conscientia dantis abluat accipientis conscientiam, sed fama eius abluit secundum te: quæ vtique fallit intuentem cùm de pessimo loquitur bona, de adultero casta, de sacrilego religiosa. Tunc enim abluit quando mentitur. Nam si de occulto scelerato fama verum loquatur, tunc non abluit, sed maculat eum qui ab illo acceperit baptismum. Ac per hoc fama ista quam patronam tam malæ causę adhibere voluisti, vide qualis sit, quæ mendax abluit, & verax polluit: vt scilicet mirifica tua disputatione, tunc apud te non sit aqua mendax, quando ipsa sit mendax.

a. l. falsitas.

SED quid hinc opus est diutius loqui, cùm Felicianus hodie sedeat inter Episcopos vestros, qui cùm ab eis disiunctus esset, & Maximiano in catena sacrilegij cohæreret, quoscunque baptizauit, nemo post eum rebaptizauit. Quæro à Petiliano cuiusmodi habuerit tunc ille conscientiam? Ei lego decretum Bagaiensis concilij, vbi scriptum est, *Nec solùm hũc sceleris sui mors iusta condemnat, trahit etiam ad consortium criminis plurimos catena sacrilegij, de quibus scriptum est, Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum est*. Inter hos plurimos etiam Felicianus annumeratur, qui talibus labiis & tali ore baptizauit. Horum aliquem non respuistis, non rescidistis, non destruxistis. Et quia verbis Euangelicis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti per qualemlibet linguam atque conscientiam consecrata est aqua, non mendacem, sed veracem agnouistis atque recepistis. A te autem quæso de isto Feliciano, cuius tam mala cùm in catena sacrilegij baptizaret, fuerat conscientia, quid erat tunc in publica fama? Atque ipsum concilium identidem recito, vbi scriptum est, *Famosi ergo criminis reos Victorianum Carcabianensem, & inter cæteros quos repetere piget, Prætextatum Assuritanum, & Felicianum Mustitanum, qui funesto opere perditionis vas sordidum collecta feculentia glutinarunt*: paulo pòst, *plenarij concilij ore veridico damnatos esse cognoscite.*

Psal. 13.

CAPVT XIII.

QVID ad ista respondes? Si non baptizat à vestra communione separatus, lego baptizasse cum Maximiano ad consortium criminis tractos. Si non baptizat qui peccat in Deum: lego baptizasse catena sacrilegij colligatos. Si conscientia sanctè dantis attẽditur, quæ abluat accipientis: lego baptizasse †morsibus aspidũ venenosos. Si conscientia dantis, vt posset abluere, publica fama eius attenditur: lego baptizasse famosi criminis reos. Manet adhuc in corpore Felicianus, cũ illo sunt omnes ab illo in sacrilegio schismatis baptizati, in communionem autem vestram recepti, nec ab vllo rebaptizati. Contra Petilianum baptizauit sacrilega conscientia maculosus, contra te baptizauit famosi criminis reus. Qua ratione vos quęso defenditis, nisi vt quod & nos dicimus, vestris factis conuicti aliquando dicatis, quòd nec conscientia, nec fama dantis abluat accipientis conscientiam, sed fides accipientis ipsius, dãtis autem Dei gratia, non hominis. Quòd & si conscientiæ bonæ interrogatio in accipiente non fuerit, fideſque ipsa vel tota, vel ex parte aliqua vacillauerit, mores hominum esse corrigendos, non sacramenta destruenda, quæ non alia vel similia, sed tu omnino eadem confiteris: sicut eorum quos Felicianus & Prætextatus in sacrilego schismate baptizarunt, vitam & voluntatem corrigendam existimastis, ne in illo schismate sacrilego permanerent: nec violandum baptismum, licet indignissimis per indignissimos ministratum.

CAPVT XIII.

al. moribus

CAPVT XIV.

FRVSTRA igitur ore maledico conscientiam nostram

Thurificatores, traditores, persequutores baptizare posse. Supra lib. 2. cap. 22.

stram tanquam publicatam atque damnatam crimine thurificationis, traditionis, persecutionis accusare voluisti, vt ex hoc velut probares nos baptismum dare non posse: cùm & falsa iactetis, & quomodocúque se illud habeat, certè Maximianensium sacrilegij crimine damnata conscientia dare potuit baptismum, quem rescindere timuistis, & quem dari etiam à persecutoribus posse per vos quoque ipsos docetur: qui eosdem Maximianenses acerrimè persecutos, non solũ baptizatis, sed vos solos baptizare debere contenditis.

CAPVT XVI. Respondet ad Scripturas à Cresconio allatas. Vide supra lib 2. cap. 23. & 24.

DICIS in lege scriptum, Oleum peccatoris nolo vngat caput meum. Quod neque ita scriptum est, nec sicut putas intelligendum: sed nũquid non est oleum peccatoris oleum sacrilegorum Prætextati & Feliciani? Dicis item scriptum esse: Qui baptizatur à mortuo, quid ei prodest lauatio eius? Quod nec diligenter attendis, nec ex ipsa circunstantia lectionis quid sit intelligis. Veruntamen intende quid sonet dissertissima illa Bagaitana sententia: *Optata quidem*, inquit, *pacis & concordiæ est iuncta germanitas, sicut scriptum est: Iustitia & pax osculatæ sunt inuicem: sed veridica vnda in asperos scopulos nonnullorum naufraga proiecta sunt membra, Aegyptiorum ad modum exemplo pereuntium funerthus plena sunt litora; quibus in ipsa morte maior est pœna, quod post extortam aquis vltricibus animam, nec ipsam inueniunt sepulturam*. Isti ergo non solùm mortui, verumetiam quod est grauius, insepulti, quomodo baptizare potuerunt? Quomodo profuit lauatio eis, qui ab his mortuis baptizati sunt, quos in eodem lauacro susceptos denuò non lauistis, sicut putas illud intelligẽdum esse.

Psal 84.

Lib. 1. contra Petil. cap. 9. Vide supr. lib. 2. cap. 24. 25. 26. 27. 28.

Nam quod in epistola mea, cui respondere tibi videris, putas quòd idoli cultorem tãquam grauissimi peccati reum tantũmodo exceperim: & instas vehementer, vt probes nullum excipi peccatorem in eo quod scriptum esse dicis: Oleum peccatoris nolo vngat caput meum: Felicianum & Prætextatum respice, vtrũ peccatores non fuerint, quando sacrilegij catena cum Maximiano pertrahi tam magno concilio dicebãtur. Aude asserere, aude contendere, aude saltem dicere peccatores quidem fuisse, sed occultos, quos ibi lego famosi criminis reos: quanquam & si leuiter peccauissent, & si latuissent, tu hoc testimonio quod ponis de oleo peccatoris, in ista suggestione extorquere conaris, nullũ excipi peccatorem. Vbi eritis, si ita est? Quò fugietis? In quibus vos latebris cum vestris sacrilegis, cum vestris famosi criminis reis, cum vestris cadaueribus insepultis abscondere poteritis? Dicis cùm obiicitur, qua nobis licentia ius baptismi vendicemus, quod non de meritis actuum, non de vitę innocentia tractemus, sed quod cuicunque licere dicamus; & quasi prę-iudicatis criminibus rei, dum & peccatoribus inesse baptizandi facultatem volumus ostendere, nos apertè peccasse fateamur: quasi propter merita nostra contra Deum nobis loquendum sit, vt quàm iusti sumus, tam iustum baptismum esse faciamus; cùm & nulli hominum de sua iustitia præsumendum sit: & hinc maximè baptismum Christi probemus esse, non hominũ: quia non fit varius humanorum varietate meritorum. Vnde vberiùs disputarem, nisi à vobis dato cõpendio magis vterer. Suscepto enim baptismo, neque destructo quem Maximianenses dederunt, aspides, viperæ, parricidæ, cadauera Ægyptia, & quicquid aliud in eos Bagaiẽsis cõcilij vt nostra causa facillima fieret, ore grandiloquo declamatum est; satis & ipsi iudicastis, nõ eorum meritis à quibus ministratur, nec eorum quibus ministratur, constare baptismum, sed propria sanctitate atque veritate propter eum, à quo institutus est, male vtentibus ad perniciem, bene vtentibus ad salutem.

CAPVT XVII. Respondet ad obiectam Cypriani sententiam. Vide supra lib. 2. cap. 31. usque ad finem libri. item lib 3 54. 1, 2. & 3

MIROR autem quomodo etiam tibi persuaderi potuit, vt in tua disputatione mentionem faceres Cypriani, cuius literis etiam ipsis quas eius esse dicitis de baptismo destruendo, qui apud hereticos vel schismaticos datur, tota causa vestra subuertitur. Sed hoc aduersus Maximianenses, vel alios qui baptismum siue apud nos, siue apud vos datum non suscipiunt, agere debemus: vos autem iam causam istam mira facilitate finistis, iam baptismũ in sacrilego schismate Maximiani datum cum Prætextato & Feliciano in eorũ populis suscepistis, iam contra Cypriani quas dicitis literas, & quibuscunque aliis hoc visum est, sine vlla dubitatione fecistis. Nam quod dicis Orientales ideo vestrorum communione discretos, quia postea nobis cõsentiendo, iudicium suum quod habebant de baptismo, rescindere maluerunt. Si hoc ab aliquibus paucis Orientalibus factum est (quod quidem interest vtrum possit ostendi) profectò suum iudicium correxerunt: & vos suscepto baptismo, qui datus est in schismate Maximiani, antiquam vestram sententiam rescidistis, tamen vobiscum estis, & cum Orientalibus esse non vultis.

Vide supra lib. 3. cap. 3.

SED videlicet inuenisse tibi videris vbi tuam eloquentiã dilatares, cùm ad id quod ego in epistola mea posui, *Siue à fideli, siue à perfido dispensatore sacramentum baptismi quisque percipiat, spes ei omnis in Christo sit*: exclamas & dicis: *O præclarum sacerdotis imperium, ô laudabilia boni patris præcepta iustitiæ. Nihil, inquit, inter fidelem perfidumq; discernas, idem tibi pius atque impius videatur: nihil prodest bonis moribus viuere, quia quicquid iusto licet, potest & iniustus implere. Quid hoc præcepto dici iniquius potest? Purificet alium maculosus, abluat sordidus, emundet immundus, det infidelis fidem, criminosus faciat innocentem?* Hæc certè verba tua sunt, quibus sententiam meam reprehendis, cùm hoc ego omnino nõ senserim, neque scripserim; quoniam & inter fidelem perfidumque plurimum distat, non ad sacramentum, si hoc vterque habet, sed ad meritum, quia hoc alter ad salutem habet, alter ad pœnam. Nec quicquid iusto licet, potest & iniustus implere: quia & si potest iniustus baptizare, non tamen potest in regnum cælorũ iniustus intrare. Nec purificat vel abluit vel emundat, nec innocentem facit quenquam qui ei ministrat baptismum, sed dantis Dei gratia, & percipientis bona conscientia. Sed tu aspice vtrum nihil inter Primianũ Felicianumque distaret, cùm Primianus inter trecentos decem sederet, à quibus illi dicebatur, *quòd venenũ aspidum esset sub labiis eius, & veloces haberet pedes ad effundendum sanguinem, & contritio & infelicitas in viis eius, & viam pacis non cognosceret, nec esset timor Dei ante oculos eius*: vtrum tunc non esset maculosus, immundus, sordidus, qui vas sordidum collecta fęculẽtia glutinauit; non infidelis, venenum aspidum sub labiis habens; non criminosus, famosi criminis reus; & tamen & ipse cum Primiano nunc vester episcopus sedet; quos tunc baptizauit, nusquam postea lotos vobiscũ nunc habet.

Lib. 1. contra Petil. cap. 6. Vide supra lib. 3. cap. 4. & 5.

Psal. 13.

CAPVT XIX. Vide supra lib. 3. cap. 5. Lib. 1. contra Petil. cap 5.

ET adhuc pugnatis aduersus veritatem, nec conceditis vt Christus semper det fidem, Christus sit origo Christiani, in Christo radicem Christianus infigat, Christus Christiani sit caput. Quibus verbis meis in illa epistola contra Petilianum positis, tua verba subiungis, & dicis: *Hoc & nos suademus, hoc volumus; sed quærimus per quem hoc meliùs fiat*. Nec attendis hoc nõ suadere Petilianum, cui tunc respõdi, & cuius epistolam aduersus responsionem meam defendere atque affirmare conaris. Ille quippe dixit apertè: *Conscientia sanctè dantis attenditur, quæ abluat accipientis. Nam qui fidem à perfido sumpserit, non fidem percipit, sed reatum.* Dic mihi quem locum Christo reliquerit ad abluendum conscictiam baptizati, aut à quo fidem percipiat baptizatus, quando conscientiam dantis dicis attendi quæ abluat, & non fidem percipere, sed reatum qui fidem sumit à perfido? Tu quidem succumbere videris tanto

Vide supra lib. 3. cap. 4. & 7.

tanto ponderi veritatis, & dicis hoc te suadere, & hoc velle, vt Christus det fidem, atque ad ineundam vitam nouam Christus abluat Christianum: quæris autẽ per quem melius fiat quod sine ministro fieri nõ oportet. Petilianus tamen non dixit, Conscientia ministrantis attenditur, per quam Christus abluat accipientis, aut per quam Christus det fidem, *sed ipsa conscientia dantis*, inquit, *accipientis abluit conscientiam*. Nec dixit, Quisquis fidem per Christum sumpserit, non fidem percipit, sed reatum, vt à Christo quamuis per alium sumere videretur: sed omnino dixit, *à perfido sumpserit*. Atque ad hoc quasi probaret adiunxit: *Omnis enim res origine & radice consistit: & si caput non habeat aliquid, nihil est*: ipsum scilicet ministrum, cuius conscientiam dixit attẽdi, non per quam Christus abluat, sed quæ abluat accipientis, ipsum prorsus ministrum originem, radicem, caputque faciens baptizati.

CAPVT XX.

PROINDE hoc in loco, nõ Petiliano, cuius verba non defendisti, sed tibi respõdeo, qui pro tua sententia nescio quid aliud, non quod ille, dixisti. Tu enim sicut scribis, hoc vis, hoc suades, vt non sicut dixit, conscientia sanctè dantis abluat accipientem, vel accipienti det fidem, neque vt ipse sit origo & radix caputque credentis; sed per ipsum Christus abluat, per ipsum Christus det fidem, per ipsum Christus sit origo Christiani, per ipsum in Christo radicẽ Christianus infigat, per ipsum Christus Christiani sit caput. Ideo enim quæris, per quem melius fiat quod à Christo fieri concedis, vbi & tu quantũ video, non negas hoc fieri posse per ministrum malum, sed dicis melius posse si per bonũ. Quid est enim aliud quod dicis, *hoc & nos suademus, hoc volumus: sed quærimus per quem meliùs fiat*. Ac per hoc abluit Christus, & per maculosam non sanctè dantis, sed meliùs per mundam sanctè dantis conscientiam: dat fidem Christus, & per ministrum malũ, sed meliùs per bonum: fit Christus origo Christiani & per dispensatorem infidelem, sed meliùs per fidelẽ: Christianus radicem in Christo figit per colonum reprobum, sed meliùs per probum: potest Christus esse caput Christiani, & per Felicianũ, sed meliùs existimas per Primianum. Parua itaque inter nos in hac re, aut fortasse nulla dissensio est. Nam & ego dico, meliùs per bonum ministrum quàm per malum dispensari sacramẽta diuina: verùm hoc propter ipsum ministrum melius est, vt eis rebus quas ministrat, vita & moribus congruat, non propter illum qui etiam si incurrerit in ministrum malum dispensantem veritatem, securitatem accipit à Domino suo monente ac dicente: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt. Addo etiam ad hoc esse melius, vt ille cui ministratur, ministri boni probitatem ac sanctitatem diligendo faciliùs imitetur: sed non ideo veriora & sanctiora sunt quæ ministrantur, quia per meliorem ministrantur. Illa nãque per seipsa vera & sancta sunt propter Deum verum & sanctum cuius sunt, & ideo fieri potest vt accedens ad societatem populi Dei, alium inueniat à quo facilè baptizetur, alium eligat quem salubriter imitetur. Certus est enim sanctũ esse sacramẽtum Christi, etiam si per minus sanctum, vel non sanctum hominem ministratum est, se autem eiusdem ipsius sacramenti sanctitate puniri, si indignè acceperit, si malè vsus fuerit, si ei non conuenienter & congruè vixerit.

Cur vtaretur in vsu sacramentorum bonum habere ministrum.

Matth. 23.

CAPVT XXI.

NAM quæro abs te: Si fortè quem Primiamus in vestra communione baptizauit, pessimè viuat, quem verò Felicianus in Maximiani schismate baptizauit, optimè viuat, cuinam eorum patere existimas regnum Dei: vtrum ei quem baptizauit secundum te bonus malum, an ei qui baptizauit secundum Bagaiense concilium sacrilegus religiosum? Sed fortè dicis, & verum dicis. Non potest esse religiosus in schismate constitutus. Assentio, veruntamen potest esse in vestra communione sacrilegus vel occultus à Primiano, quem religiosum creditis, baptizatus. Porrò si ille quem Felicianus in catena sacrilegij baptizauit, relicto schismatis sacrilegio ecclesiastica communione corrigeretur, nunquid audes dicere quòd melior in illo baptismus fieret, quamuis negare non audeas ipsum hominem fieri potuisse meliorem? Hoc enim & in ipsò facto iudicastis, quandoquidem illos omnes, quos Felicianus & Prætextatus in damnato & detestato à vobis schismatis sacrilegio baptizauerunt, cum illis ad vos redeuntibus sine vlla destructione vel repetitione baptismi suscepistis. Si autem quod dixisti, *sed quærimus per quem meliùs fiat*, comparatiuum gradum pro positiuo posuisti, sic dicens: *Quærimus per quem meliùs fiat*: ac si diceres, quærimus per quem bene fiat, volẽs intelligi per malum ministrum malè fieri: non te verbo vrgeo, sed admoneo potius te dicere debuisse, quærimus per quem fiat; quàm, quærimus per quem bene fiat: quasi posset fieri vt non bene Christus det fidẽ, non bene sit Christus origo caputq; Christiani, non bene radix figatur in Christo: aut enim non fit, aut si fit, proculdubio bene fit. Verũtamen ista tractamus, ne propter malos dispensatores, non tamen suorum, sed Dominicorum sacramentorum, quos necesse est vsque ad tempus vẽtilationis areæ Dominicæ commisceri, deseratur ipsa vnitas frumentorum. Schisma autem facere ab vnitate Christi, aut in schismate esse, profectò malum est, & magnum malum: nec omnino fieri potest vt Christus det schismatico, non fidem, sed sacrilegum errorem, aut in Christo radicem schismaticus fixerit, aut schismatico Christus sit origo & caput: & tamen baptismum Christi si dederit, datum erit; si acceperit, acceptum erit, non ad vitam æternam, sed ad pœnam æternam, si in eo sacrilegio perseuerarit, non in malum conuertendo bonũ quod habet, sed malo suo bonum habendo quamdiu malus habet.

1. Cor. 3.

Vide supra lib. 3. cap. 8.

CAPVT XXII.

QVÆRIS fortè vt hoc probem: Quid aliud tibi dicam, nisi quod hoc opere institui? Bagaiense decretum lege, Felicianum & Prętextatum intuere, schismatici dederunt, vtrique à vobis recepti & collecti sunt: nec illi degradati, nec illi rebaptizati. Iam certè non quæris vtrum fiat meliùs, per iustum ministrum, an per iniustum: quoniam nõ ideo est baptismus melior quem dedit Primianus secũdum vos iustus, quàm ille quem dedit Felicianus iniustus. Certè iam intelligere cogeris quomodo Apostolus dixerit: Neque qui plãtat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementũ dat Deus. Tẽque frustra dixisse recolis, *sicut qui plantat & rigat, non nisi colonus diligens & fidelis quæritur: sic etiam in sacramento baptismatis non nisi iustissimus operarius approbatur*. Ecce nec diligẽs, nec fidelis, nec iustissimus, sed potius salutis suæ negligens, & infidelis, & iniustissimus Felicianus fuit, quando Maximiano sociatus, & sicut trecẽti & decem vestri vnius ore disertissimè personant, in catena sacrilegij constitutus, baptismum quem non ausi estis rescindere, ministrauit. Certè ad hanc causam cernis non pertinere testimonium quod ex Propheta posuisti; Dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos pascẽtes cum disciplina. Felicianus enim nec secũdum cor Dei sacrilegus erat, nec oues eius in sacrilego schismate pascebat cum disciplina, & tamen baptizabat eos, in quibus receptis cognouistis, nõ ipsius, sed Dei fuisse quod dabat. Certè perspicis quomodo à me de Scriptura sancta cõmemoratum est: Bonum esse confidere in Dño, quàm confidere in hominẽ: tẽque inaniter quantũ ad hanc causam pertinet, respõdisse, *quòd in eo magis vt iustus & fidelis sit per quem hoc sacramentum celebretur inquiras, quia spẽ & fiduciã Dei, non hominis habes: Dei esse autem*

Hier. 3.

Psal. 117.

autem fidē atque iustitiam, quam semper in eius ministris attendis. Ecce in Feliciano quando fuit famosi criminis reus, nec iustitia, nec fides erat, & tamē baptismus erat; & quibus ab eo datus est, cùm à vobis collecti sunt, eis accessisse iustitiam dicis, baptismum defuisse non dicis.

CAPVT XXIII. *Vide supr. lib. 3. cap 10.* † & ego à te quæro, *aut simile quid dei esse videtur.*

PROINDE quod deinceps à me quæris: *Si à quocunque & quomodocunque datum baptismum rescindi non debet, cur post Ioannem apostoli baptizauerint?* † Cur post Felicianum quos in sacrilego schismate baptizauerat, vestri non baptizauerint? Et hinc saltem disce quocquid illud est quod de Ioannis baptismo vel legitur, vel disseritur, ab hac causa esse penitus alienū. Quid autem tibi visum sit nescio, vt Iudæos quibus ait Petrus, Act. 2. Baptizetur vnusquisque vestrūm in nomine Domini Iesu Christi, iam fuisse à Moyse diceres baptizatos, qui post tot generationes nati fuerunt, quam ille Dei famulus maiores eorum per rubrum mare trāiecit. Aut si propterea Moysi baptismum habebant, Exodi 14. quia ex illis propagati sunt, quos in Moyse baptizatos dicit Apostolus, aude dicere omnes qui nascuntur ex 1. Cor. 10. fidelibus Christianis, Christianum iam habere baptismum. Quod vides vt arbitror, quanta vanitate dicatur. Sed quomodo se habeat illud, etiam si post Moysen Dei famulū Apostoli non baptizassent, te vrgerem 2. Cor. 1. reddere rationē, cur post Felicianū Maximianensem sacrilegum vestri non baptizassent. Iam illud quod po sui: *Si errabant illi qui volebant esse Pauli, quæ tandem spes* Lib. 1. contra Petil. cap. 4. *eorum est, qui volunt esse Donati?* prioribus partibus epistolæ tuæ non te refellisse puto, quod etiam ipse con Supra lib. 3. cap. 11. sideras in his quæ superiùs satis diximus. Non ergo sicut tibi videris, & quasi certus exultas, illa omnia quæ à Petiliano vel quolibet alio dicta sunt, rectè dicta concludis. Ipso quippe ordine quo à te breuiter velut recolendo decursa sunt, ego potius in hac causa Maximianensium, non ea rectè dicta concludo, quia nec conscientia sanctè dantis erat in Feliciano, quando Maximiano cohærens catena sacrilegij trahebatur; & à tam famosi criminis reo, ac per hoc à manifesto perfido baptizabantur, qui ab illo baptizabantur: nec origo & radix & caput ad salutem illis erat homo sacrilegus: nec arbor bona erat in sacrilegi schismatis societate damnatus: & adhuc in eodem sacrilegio constitutus, Matth. 12. nec bonus erat qui de bono thesauro cordis sui profert bona, quando de illo & de aliis eius sociis Psal. 13. dicebatur, *quorum os maledictione & amaritudine plenum est*: & tamen quando cum illo vestri concordauerunt, baptismum quem talis dederat, non ipsius esse, sed Christi aliquādo vi veritatis territi cognouerūt.

CAPVT XXIIII. *Supra lib. 3. cap. 12. 13.* AGE iam videamus suo loco in epistola, tu de Maximianēsium causa quomodo te exuas. Omnes enim qui has literas legunt, expectant proculdubio vel quid hinc à te dictum sit, vbi dictum sit, vel à me quid responsum. Ideo de Optato Gildoniano quod obiectis meis respondisti, nolo discutere, nolo in hominis causa de cuius à vestris damnatione nil ago, diutius immorari. Facio certè iacturam huius obiecti, & hoc fortasse apud posteros cùm illius fuerit obliterata memoria: nunc verò quamdiu sunt homines qui vitam illius moresque nouerunt, parum me de illo dixisse, quàm falsum potius conquerentur. Neque enim sic legūt literas nostras, vt tu qui ex me quæris, ille quem tanquam rapidum fluctum appellauerim, quid absorbuerit; cùm illic habeas Prætextatum & Felicianum. Lib. 1. contra Petil. cap. 10. Nam verba mea illic sic se habent: *Ita quidem, inquam, isti insultant schismaticis suis, vt eos & mortuos & insepultos vocent: sed certè optare debuerunt vt sepelirentur, ne de multitudine iacentium in litore cadauerum insepultorum, Gildonianus Optatus incedēs cum agmine militari tanquam rapidus fluuius vltra prosiliens, Felicianum & Prætextatum introrsus postea resorberet.* Hæc verba mea cùm ibi legeris, cur non omnia posuisti? Cur me veluti arguis, non dixisse quid rapidus fluctus ille sorbuerit, cùm ibi scriptum videas, *Felicianum & Prætextatum introrsus postea resorberet?*

QVID enim aliud velut ad magnam defensionem CAPVT XXV. suam respondere vestri solent, cùm eis obiicitur Prætextati & Feliciani talis receptio damnatorum, nisi Optatus hoc voluit, Optatus hoc fecit? Quod & ipsæ ciuitates Mustitana & Assuritana testantur, quæ se dicunt ex Optati comminatione Gildonianum militē formidantes coegisse episcopos suos ad communionem redire Primiani. Verùm tu quia hoc ab illo factum, impudenter negari posse vidisti, hoc à me scriptum negasti; magis fortassis existimans literas meas quàm illam rem posse nesciri. Sed licuerit episcopis vestris, nescio quo Donatiano vel Numidico priuilegio de suo ignorare collega quicquid tota Aphrica conclamabat: cùm Aphris ab Aphris obiecta crimina nunquam probata; toties absoluta Oriētalibus & Occidentalibus terræ finibus ignota esse non sinant. Valeat apud vos baptismus ab Optato datus, quem sic damnare noluisti, vt tamē non fueris ausus absoluere: & non valeat datus baptismus in ecclesiis Apostolico labore fundatis, Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Colossensium, Philippensium, Thessalonicensium, cæterarumque in sanctis literis, quas & vos legistis, conscriptarum, vbi Cæciliani, non dico falsum illud crimen, sed fortè nec verum nomen auditum est. Habuerit conscientiam sanctè dantis Optatus in illa vita, quam tu, sicut scripta tua indicant, etiam si propter nos damnare erubuisti, tamen propter Deum absoluere timuisti; in illa etiam publica fama vbi latentem tibi visum est attendi posse conscientiam; & accusetur conscientia tot tantarumque gentium Christianarum, quia remotissimas lites ignorauit Aphrorum. Nunquid etiam crimina istorum, Feliciani scilicet & Prætextati, quos trecenti & decem plenario cōcilio damnauerunt, similiter ignorare potuerunt?

ET adhuc obiicis vnitati catholicæ nescio quæ fa- CAPVT XXVI. *Non communicant peccatis alienis, qui eis non consentiunt.* cta nostrorum, quæ aut falsa sunt, aut peccata non sunt, aut etiam si vera atque peccata sunt, bonorum societatem maculare non possunt. Neque enim boni communicant peccatis alienis, quibus vtique faciendis non cōsentiunt, quamuis cum ipsis qui ea faciunt, donec de area Dominica sicut palea vētilabro vltimo Matth. 3. separentur, non eorum peccata, sed Dei sacramenta communicent: & intra eandem sagenam velut pisces Matth. 13. boni cum malis vsque ad separationem, quæ in littore, hoc est, in fine sæculi tanquam in fine maris futura est, non ab eis corporum segregatione, sed vitæ ac morum diuersitate disiuncti sunt. Sicut nec vndecim Apostoli furtis Iudæ communicabant, & tamen cum il Ioann. 12. & 13. lo eidem Domino visibiliter cohærebant, eundem magistrum audiebant, ab eodem creditum Euangelium percipiebant, eadem sacramenta sumebant, corporali cum illo congregatione permixti spiritali dissimilitudine separati. Sicut Apostolus Paulus non communicabat contumaciæ & inuidiæ, hoc est, diabolicis vitiis eorum qui non castè Christum annunciabāt, & tamen cum eis eundem Christum prædicabat, eiusdem Christi sacramenta participabat: & de his dicebat: Siue occasione, siue veritate Christus annun- Philip. 1. cietur. Nam hos martyr Cyprianus amātissimus vni- Lib. 3. epist. 3. tatis, non aliquo schismate vel hæresi separatos, sed fratribus corporali congregatione fuisse commixtos, & intellexit & scripsit: sicut idem etiam ipse Cyprianus auaritiæ, rapinis, fœnori collegarum non cōmunicabat, quos dicebat *esurientibus in ecclesia fratribus habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere,* quod malum etiam idololatriæ comparauit: quorum tamen corporalem

ralem congregationem non refugiebat, ad eadem altaria consistebat, eundem sacratissimum cibum po- 1. Cor. 11. tumque sumebat. Illi enim non aliis, sed sibi iudicū manducabāt & bibebāt. Ille autem cum talibus non eorum peccata, sed mysteria Christi communicabat, coniūctissimus cœtibus, disiunctissimus moribus. Ad hoc enim & illæ similitudines in Scripturis, & illa exempla præmissa sunt, vt disceremus frumentum esse, nec aream Dominicam propter paleę commixtionē Matth. 3. deserere: pisces boni esse, nec propter commixtionem Matth. 13. malorū diruptis retibus foras ire: vasa esse misericordiæ in honore facta atque mundata, nec propter vasa 2. Tim. 2. perditionis & contumeliæ de domo magna fugere. Nulla enim causa in vtrorumque temporali congregatione atque permixtione laudabiliter tolerantur mali, nisi ne dānabiliter deserantur boni. Quod cùm & vos in vestris tā multis & tam manifestis malis eadem necessitate faciatis: potes facilè, si velis, aduertere, quod non nisi animositate sacrilega vos à Christianis tot ac tantis gentibus separatis.

CAPVT XXVII. ITAQVE non solùm Optatus in illa Gildoniana societate notissimus, sed quilibet obscurus apud vos si te sciente mali aliquid fecerit, cùm eum non potueris à vestra communione separare, quia vel tibi non creditur accusanti, vel accusare non audes, ne non valeas comprobare; aut deserēda tibi est pars Donati; aut talis eris qualis ille, cuius peccatum non ignoras, quamuis dissimiliter viuas. Hoc non secundum veram, sed secundum vestram sententiā vobis rectissimè dicitur. Quis enim nescit te alienum esse ab illius malo, si cōsensione peccato eius non cōmunicas: sed hinc agnoscere cogeris, quanta impietate obiiciatis orbi Christiano, vel falsa, vel certè ignota crimina Afrorum, cùm tibi obiici nolis quod de altero scis, quia hoc eis non potes persuadere, à quorum non vis societate discedere. Ita ne deseras quos putas bonos, ferre cogeris quos nosti malos. Ac per hoc omnes conuincit veritas malos, qui propter aliena crimina seu vera seu falsa, cæteris tamen incognita, sibi autem non offuturā, dirupta vnitate tot gentium deseruerunt bonos. Hoc tam magnum nefas partis Donati ne aliquo modo excusare possetis, causa vobis Maximianensium procurata est, in quo velut speculo vestram prauitatem cōspectā si volueritis corrigatis: si autem nolueritis, nolo quicquam grauius dicere, quando scio te cor habere. Quid enim contra ista dicturus es? Bene, quia ipse scribis, *cùm de Maximianensibus damnatis & receptis legisses totum quod inserui literis meis, valde te fuisse permotum.* Crede, prorsus video causam, quæ valde debuerat permouere. Supra lib. 3. cap. 14. 15.

CAPVT XXVIII. *Supra lib. 3. cap. 15.* VIDEAMVS ergo, tua ista permotio quānam reddita ratione sedata est. Statim te dicis à vestris episcopis diligentiùs inquisisse, atque ipsis docentibus, & decretum concilij, & sententiam in eos qui damnati sunt dictam, & rei totius ordinem cognouisse: deinde etiā me credens adhuc ignorare quid gestum sit, atque admonens, vt quid habeat veritas discerem, narrasti planè non quid veritas habeat, sed quid incautis & negligentibus vestri pro veritate supponant. Dicis enim, cùm quamplurimos episcopos error sibi Maximiani sociare contenderet, contracto à vestris cōcilio in eos omnes qui in eius schismate perstitissent, prolatam esse sententiam, quam me quoque legisse commemoras. Quæ cùm sententia consensu omnium firmaretur, placuisse tamen decreto concilij dilationem temporis dari, intra quod si quis corrigi voluisset, innocēs haberetur. Sic esse factum, vt non solùm illi duo quos memoro, sed etiam multi alij purgati atque innocentes ecclesiæ redderentur. Quorum ideo putas baptisma non debuisse rescindi, quia intra diem præstitutum restituti, peremptoria sententia non tenerentur, nec cùm baptizarent, fuissent ab ecclesia separati, nec dum scilicet transacti temporis meta definita disiuncti. Hic ergo in ea ipsa falsitate narrationis tuæ, quandoquidem non solùm sententias, verùm & ipsa verba tua posui, miror ingenium tuum, miror animum ingenio reluctantem. Nunquā vspiam sic apparuit quātum valeat præiudicium præsumptionis humanæ, vel ad non intuendam manifestissimam veritatem, vel ad affirmandam impudentissimam falsitatem. Itane te tam apertē repugnātia posuisse non sentis, vt vix credibile sit quòd vnus homo dicere vtraque potuerit? Tu nempe dicis in eos omnes qui in Maximiani schismate perstitissent, prolatam esse sententiam, & placuisse dilationem tēporis dari, intra quod si quis corrigi voluisset, innocēs haberetur. Quomodo ergo tu ipse item dicis, *non eos extra ecclesiam baptizasse, antequam se ab illo schismate correxissent*, si quādo cum Maximiano erant, non erant extra ecclesiam? Aduertis sine quid dicas? Inuenis quà exeas, quò confugias, vbi te abscondas? Præiudicium præsumptionis humanæ.

B VIDES certè dum manifestos errores defendere CAPVT XXIX. conaris alienos, nihil te agere, nisi subiūgere manifestiores tuos. Ecce lege verba tua: sic à me prorsus commemorantur vt à te scripta sunt. *Cùm quàm plurimos*, inquis, *episcopos error sibi, Maximiani sociare contenderet, cōtracto à nostris concilio, in eos omnes qui in eius schismate perstitissent, prolata sententia est, quam tu quoque te legisse testaris. Quæ cùm sententia consensu omnium firmaretur, placuit tamen decreto concilij dilationem temporis dari, intra quod si quis corrigi voluisset, innocens haberetur.* Hęc dicens siccine contra te ipsum sensus claudis, vt non aduertas quòd hi omnes qui propterea contra se ferri sententiam concilij meruerūt, quia Maximiano sociabantur, antequam se intra dilationis tempus corrigerent, in eodem schismate consistebant? Ibi ergo etiam baptizabant. Obsecro te quid inanem caliginem perspicuis rebus aspergis, quam rursus tuorum verborum non minore perspicuitate dispergis? Dico enim Prætextatum & Felicianum Maximiani ordinatores in eo quod commiserunt, sacrilego schismate baptizasse, & ab eis baptizatos cum eis esse susceptos, non rescisso baptismate quod in schismate dederant; quod sacrilegè ministrauerant, quod ore maledictione pleno, quod labiis cum veneno aspidum consecrauerant. Talia quippe in eos dicuntur, eamque sententiam in eos omnes prolatam esse non negas.

HIC tu respondes, quòd non solùm duo isti quos CAPVT XXX. memoro, sed etiam multi alij purgati atque innocen- *Supra lib. 3. cap. 14. 16. 17. 18. 19. & sequentibus.* tes intra diem dilationis se ecclesiæ reddiderint. Quo verbo me adiuuas, quo verbo mecum asseris veritatem, caliginemque illam quam conabaris offundere, discutis. Cū enim dicis eos se ecclesiæ reddidisse, proculdubio fateris eos extra ecclesiam fuisse. Vbi ergo antequam se ecclesiæ redderent, fuerunt, ibi baptizauerunt: ergo extra ecclesiam baptisma fuit quod dederunt. Ab hoc inexplicabili implicamento dum te conaris euoluere, rursus inuolueris. Dicis enim ideo eorum baptisma non debuisse rescindi, quia intra diē præstitutum restituti, peremptoria sententia non tenerentur. Quomodo ergo dicis ante diem restitutionis nō fuisse ab ecclesia separatos, quos ante diem dilationis confiteris ecclesiæ restitutos? Si homines sumus, si qualemcunque rationem, si sensum habemus humanum, si non pecora pecoribus, si non ligna & lapides lignis & lapidibus loquimur, non meis tantùm, sed etiam ipsis tuis verbis eminet, apparet, eluceat, in Maximiani schismate baptismum datum vestros ausos non fuisse rescindere, qui homines baptizatos in ecclesiis, quas in gratia Domini proprio labore Apostoli propagauerint, non dubitant Christianos negare, exufflare, rebaptizare. Tu dicis, tu scribis, ecce reipsum

audi,

audi, lege teipsum. Tu, inquam, dicis, tu scribis *in eos omnes qui in Maximiani schismate perstitissent, contracto à vestris concilio prolatam esse sententiam*. Tu dicis, tu scribis, *hac sententia consensu omnium confirmata, placuisse tamen dilationem temporis dari, intra quod si quis corrigi voluisset, innocens haberetur*. Tu dicis, tu scribis, non solùm duos inde quos memoro, *sed multos alios purgatos atque innocentes se vestræ ecclesiæ reddidisse*. Tu dicis, tu scribis, *ideo eorum baptisma non debuisse rescindi, quia intra diem præstitutum restituti, peremptoria sententia non tenerentur*.

CAPVT XXXI. QVID tantum præualet ingenio tam bono causa tam mala homo cordate, homo literate? Isti in quos propterea est illa prolata sententia, quia, sicut ipse dicis, in Maximiani schismate persistebant, antequam, sicut dicis, restituerentur, vbi erant, ibi sacramenta celebrabant, ibi baptizabant, & (vt verbis illius plenarij concilij magis vtar) *ibi viperei seminis noxios partus tardo calore vaporabant, ibi publici facinoris & parricidij sui fœta scelerum vota gignebant. Ibi parturiebant iniustitiã, concipiebant laborem, & pariebant iniquitatem: Ibi tam non confusa criminum sylua nomina eorum designabantur ad pœnam: Ibi eis indulgentiæ funis dum clementiæ dimitteretur linea, iam causa quos puniret inuenerat: illuc eorum tanquam in asperos scopulos veridica vnda naufraga membra proiecerat. Eorum pereuntium ibi erant litora. A Egyptiorum exemplo funeribus plena, nec ipsam inuenientia sepulturam. Ibi non solum Maximianum, fidei æmulum, veritatis adulterum, ecclesiæ matris inimicum, Dathan, Chore, & Abiron ministrũ de pacis gremio sententiæ fulmen excusserat; nec solùm mors iusta sui sceleris cõdemnabat; sed etiam trahebat ad consortiũ criminis plurimos catena sacrilegij. Ibi erat venenum aspidum sub labiis eorum: ibi eorũ os maledictione & amaritudine plenũ, ibi veloces eorũ pedes ad effundẽdum sanguinẽ: ibi cõtritio & infelicitas in viis eorum; & viam pacis non cognoscebant, nec erat timor Dei ante oculos eorum. Ibi iacebãt membra abscisa quæ pestifera putredo ita corruperat, vt plus haberet in abscissione solaminis, quàm in remissione medicaminis. Ibi erant famosi criminis rei Victorianus Carcabianensis* & cæteri cum isto duodecim, inter quos Prætextatus Assuritanus, & Felicianus Mustitanus, de quibus receptis agimus, qui eundem Maximianum præsentes ordinauerant, hoc est, *funesto opere perditionis vas sordidum collecta feculẽtia glutinauerant: ibi tanto facinori tanquã illicito incestui clerici Carthaginis lenocinium præbuerũt*. Tales ministri sacramentorum nondum correcti, nondũ vobis redditi ac restituti in schismate Maximiani baptizauerãt, & post tales ministros sacramentorum correctos, redditos, restitutos, vestri non rebaptizauerunt.

Exod. 14.

Psal. 13.

CAPVT XXXII. *Explicat quibus in Bagaiensi concilio datus fuerit dies dilationis.* QVID sola in vobis præualet animositas? Aliquando attendatur, aliquãdo audiatur & veritas: quid iniiciuntur inanissimæ nebulæ dilationis datæ? Non ipsis data est dilatio, de quibus dictum est, *damnatos esse cognoscite*; de quibus etiam prædictum est quales fuerint, quid fecerint, cur eos oportuerit iam sine dilatione damnari, quòd scilicet Maximianum impositis manibus præsentes ordinauerunt. Hoc est enim quod significarunt dicendo, *quòd funesto opere perditionis vas sordidum collecta feculentia glutinauerint*. Illis autem data est dilatio qui ordinationi Maximiani non interfuerunt, quãuis in eius societate atq; schismate cõstituti; tantum quia manus ei, quòd absentes fuerãt, non imposuerunt, à damnatis ordinatoribus eadem concilij sententia distinguũtur. Nam cũm dixissent illos quorum & nomina conscripserũt, *damnatos esse cognoscite. Eos autem*, inquiunt, *quos sacrilegi surculi non polluere plantaria, hoc est, qui à Maximiani capite proprias manus verecundo fidei pudore retraxerũt, ad matrem ecclesiam redire permisimus*. Quid planius, quid distinctius, quid apertius? Illos dicunt, famosi criminis reos, qui funesto opere perditionis vas sordidum collecta feculẽtia glutinauerunt, damnatos esse cognoscite. Hos autem dicũt quos sacrilegi surculi non polluere plantaria, hoc est, qui à Maximiani capite proprias manus verecundo fidei pudore retraxerũt, ad matrem ecclesiam permisimus redire: & quia ex illis dãnatis duo postea saluo hõore suscepti sunt, nõ inuenitur hoc quẽadmodũ defendatur, nisi vt omnib. dicatur dilatio fuisse cõcessa.

CAPVT XXXIII. SED concessa sit omnibus; nempe quotquot ad vos ab illo schismate redierunt, antequã redirent, illic fuerunt, illic baptizauerunt: inde ad vos sine destructione sui honoris & baptismi redeũtes, si frons adsit, ora vestra clauserunt. Cùm enim quærimus *antequã se*, sicut ipse dixisti, *ecclesiæ reddidissent, & ante diem præstitutum restituti fuissent*, vbi erant? quid aliud vos res ipsa respondere compellit, nisi in schismate Maximiani, propter quod illa in omnes est prolata sententia? Ibi ergo baptizauerũt eos in quibus ad vos simul inde venientibus baptismum Christi nõ ausi estis rescindere; quia coacti estis agnoscere. Vnde ipso facto vestro, opere vestro, iudicio vestro aduersus vos meritò recteq; concluditur, agnoscendum esse baptismũ Christi, etiã si extra ecclesiam datus fuerit; & ideo nos hoc piè cognoscere in vestris, vos impiè rescindere in nostris. Sed fortè pœnitet te talia verba posuisse, quæ hanc veritatem nimis vrgerent, quoniam dixisti, *factum est vt se ecclesiæ reddidissent, & ante diem præstitutum restituti, peremptoria sententia non tenerentur*, vt responderetur tibi; Quomodo se ecclesiæ reddiderunt, quomodo eidem restituti sunt, si ab ea non erant separati: aut si separati erant, quomodo baptizabant?

Agnoscendũ esse baptismũ Christi, etiam extra ecclesiam datum.

CAPVT XXXIIII. SED quid aliud diceres, nisi quod ab eis audieras quos consuluisti, cùm ex hac causa literis meis valde permouereris: & tamen fortassis te arguant, te reprehendãt quòd talia verba incautè posueris. Est quod te aduersus eos maximè muniat, ac tuam tristitiã consoletur. Nam & ipsi in eiusdẽ concilij decreto talia posuerũt; vnde si nobis lecto isto opusculo nostro ita respondere voluerint, quòd eis nõ præiudicẽt verba laici sui, verba ipsorum cõtinuò recitabimus. *Eos autem*, inquiunt, *quos sacrilegi surculi nõ polluere plantaria, hoc est, qui à Maximiani capite proprias manus verecũdo fidei pudore retraxerunt, ad matrem ecclesiam redire permisimus*. Cùm enim eis dicitur, isti quos ad matrem ecclesiã redire permisistis, antequam redirent vbi erãt? similiter vrgentur, vt tu paulò antè verbis à te positis vrgebaris. Vbi enim eos fuisse respondebunt, nisi in schismate Maximiani? Sed vbi velint eos fuisse contendãt, certè qui ad ecclesiam redire permissi sunt, in ecclesia non fuerunt: Ergo extra ecclesiam baptizauerunt, & simul baptizatores & baptizati ad ecclesiam redeuntes, nec illi honores quos extra gesserãt, nec illi baptisma quod extra acceperant, amiserunt: Et tu quidem quantũ potuisti in causa mala cautè locutus es, vt diceres: *Placuit tamen decreto concilij dilationem temporis dari, intra quod si quis corrigi voluisset, innocens haberetur*. Illi autem nec corrigendos eos fuisse dixerunt, quibus data est illa dilatio, sed tanquam omnino impolluti atque innocentes in Maximiani societate fuerint, sic de illis loquuntur cũm ipsam prorogant dilationem.

Laicus.

fortè vbi fuerit.

CAPVT XXXV. QVID est enim aliud quod dicunt: *Eos autem quos sacrilegi surculi non polluere plãtaria, ad matrem ecclesiam redire permisimus?* Ac ne parum sit, vide quid adiungãt: *Quantũ enim de eorum*, inquiunt, *morte purgamur, tanto de innocentium reditu gratulamur*. Cur itaq; tu dicis, placuisse dilationem temporis dari, intra quod si quis corrigi vellet, innocẽs haberetur, cùm eam videas impollutis atq; innocentibus datam? Sed videlicet tu timuisti ne tibi diceretur, quare dabatur dilatio eis quos non polluerat Maximianus, ideo dilatione illa corrigendos esse censuisti: illi timuerunt ne sibi diceretur, quare in suis honoribus pollutos suscipere voluistis, ideo se impollutis dilationem dedisse [illegible] xerunt.

PROIN-

CAPVT XXXVI. PROINDE singula timuistis, sed alterutrũ oppugnatur ex altero. Nam tibi dicitur, Quomodo existimas corrigẽdos quos tui prædicãt impollutos? Illis autẽ dicitur, Quomodo asseritis impollutos, etsi nõ manum imponẽdo capiti Maximiani, tamẽ schismaris eius cõmunione maculatos? Cuius autẽ animus, cuius vires, cuius lingua sufficiat proloqui tam intolerandũ dolorẽ; vt pars Donati discissa resarciatur, nec socios Afros in Africa polluit Maximianus: ne ad ipsam radicem vnitatis rami fracti regredi permittantur, tot remotissimas gentes polluit ex Africa Cæcilianus.

CAPVT XXXVII. Ex die concilij Bagaiensis, hoc est, ab octauo calendarum Maij, vsq; ad diẽ datæ dilationis illius, hoc est, octauum calendarũ Ianuarij, octo menses numerãtur. In hoc tam longi tẽporis interuallo; illi quibus dilatio data est, maculabãtur societate damnati Maximiani, an non maculabãtur? Si maculabantur, quomodo dicitur, *Eos aũt quos sacrilegi surculi non polluere plantaria, ad matrem ecclesiã redire permisimus?* Si non maculabantur, quomodo nos atq; omnes quæ vbique sunt Christianas gentes potuit ignotorũ, non dicam falsorũ maculare certè alienorũ contagio peccatorum? *Sed ideo*, inquis, *dilatio data est, quæ si transisset, illis non redeũtibus tunc macularentur, & in pœnã damnationis incurrerent*. Non ergo eos peccatũ illius societatis, sed diei constitutio maculabat. Si ergo nullus dies cõstitueretur, immaculati vtiq; permanerent. Quid de vobis malè meruit orbis terrarũ? Cur enim maculatũ perhiberis peccatis alienis, cui nullum tempus dilationis cõstituistis, cùm tãta sit vestra potentia, vt homines quãdo volueritis, peccatorib. sociẽtur, & quando volueritis, inquinentur innocentes? Et iam polluti erant quib. in parte Maximiani dabatur dilatio, intra cuius diẽ si remearẽt ad vos, haberẽt integri honoris ac fidei fundamẽta. Si autẽ ille dies eis non redeuntibus præteriret, tunc polluti, tunc scelerati, tunc perditi suppliciũ damnationis incurrerẽt, tunc humiliarentur per pœnitentiã degradatione mira prędicentiũ hominum. Non iam vt vetus prouerbiũ fertur, Quod volumus sanctum est, sed etiam quando volumus, & quãdiu volumus. Cõtingat alicui vestrũm orare in naui nobiscũ, iam pollutus, iã traditor appellatur. Cõmunicant altaria damnatores Primiani cum Maximiano veritatis adultero, ecclesię matris inimico, Dathan, Chore, & Abiron ministro, & pẽr octo menses innocentes impollutiq; persistunt. Proinde si qui ex his quinto calendarũ Ianuarij, se vestrę cõmunioni reddiderunt, de innocentiũ estis reditu gratulati, eorum scilicet, quos sacrilegi surculi non polluere plantaria. Quid vos promeruerũt tot dies octo mensiũ, à die octauo calendarum Maiarum vsque ad diem octauũ calẽdarum Ianuarij, quos ita sanctificastis, vt per eos quicunq; cõmunioni sacrilegi atque damnati Maximiani cohærerẽt, non polluerẽtur, nec efficerentur nocentes? Et quid vos offendit tã sanctus dies natalis ipsius Dñi nostri, vt solus aduẽtu & trãsitu suo polluerẽt innocẽtes, atq; in eis qui in illo schismate baptizauerunt, per oẽs illos dies sanctus maneret baptismus Christi, & immũdus fieret per natalẽ Christi?

Quod volumus sanctum est.

Num. 16.

Octauus calend. Ianuarij natalis est Christi.

CAPVT XXXVIII. *Supra lib. 3. cap. 54.* QVID non audeat humana temeritas, cùm in sentẽtiam nefandi prędicitatur erroris, quã relinquere propter vanitatẽ pudet, & defendere contra veritatẽ non pudet? Sed quid hinc plura, vbi quilibet obstinatissimus qui cõtra omnes voces rationis obduruit, necesse est fateatur de quib. dicitur, *Si se ecclesiæ reddidissẽt, & ante diem præstitutũ restituti essent*, quę verba ipse posuisti: eos deniq; de quibus dicitur, *ad matrem ecclesiã redire permisimus: de innocentiũ reditu gratulamur; ac ne angustum redeuntib. tẽpus, spem salutis arctatæ diei pressura subducat, vsq; in illẽ diem agnitionis pandimus ianuam, vt integri honoris ac fidei regressi habeant fundamenta: quam quisquã si ingredi nequiuerit pigra segnitia, sciat sibi ad omnes veniales aditus viam esse subductã, & post præstitutum diẽ redeun[illegible] ixam pœnitentiã*, quæ verba trecenti & decẽ in sentẽtia sua toties inculcarunt. Necesse est, inquam, quilibet aduersarius fateatur, eos de quib. ista dicuntur, antequã se vobis redderẽt, antequam vobis restituerentur, antequã ad vos redirent, antequam regressi ianuam dilationis ingrederentur, non fuisse vobiscum, extra vestram cõmunionem in eo schismate, quo se à vobis separauerant, baptizasse, inde vobis reditti ac restituti vbi à vobis alienati erant, inde ad vos redeuntes & regredientes quo à vobis foris erant; & tenuerunt non diminutos honores suos, & secum introduxerunt non rebaptizandos baptizatos suos.

Supra lib. 3. cap. 56.

CAPVT XXXIX. QVID adhuc pessimæ causæ patrocinũ pertinacissimũ præbes? Acquiesce tãdem non mihi, sed ipsi qua cõuincimini veritati. Vide quàm verũ dixerim, quòd frustra labefactare conatus es, quanta sint pro pace toleranda. Atq; vt eisdem identidẽ verbis vtar, quib. in illis literis vsus sum: *pro pace Christi redite ad ecclesiã, quæ non damnauit incognita, si pro pace Donati placuit reuocare damnata*. Si enim ex his duodecim quos cum Maximiano sine dilatione damnauerãt, Felicianum & Prætextatum postea receperunt, quomodo falsum est eos reuocasse damnata? Si aũt & ipsis dilatio data est, *quos* dixerunt, *damnatos esse cognoscite*, etiã si nullus eorum postea remearet, placuit tamẽ reuocare dãnata, quando post sentẽtiam qua dictũ est, *damnatos esse cognoscite*, data est dilatio, qua eis liceret euacuata damnatione remeare. Hæc dicta sufficerẽt, etiam si verũ esset quod te dicis cùm hac causa Maximianensiũ valde permotus esses, à tuis episcopis cognouisse. Quid autem agis quia & falsum est? Quære, aut si habes, inspice diẽ gestorum proconsularium, quo postulatio dicta est à Ticiano aduersus Felicianũ & Prætextatum, vt pelleretur locis, & vide quantò post diem dilationis illius hoc factum est. Nam dies est concilij Bagaiensis cõsulatu Augustorũ Archadij III. & Honorij iterum octauo calendarum Maij, dies autem dilationis hinc vsque ad octauũ calendarũ Ianuarij. Postulatio verò ista Ticiani dicta est post illũ consulatũ die sexto nonas Martij.

Lib. 1. contra Petil. cap. 13

CAPVT XL. PROINDE apparet tertiũ fermè agi mensem, cum à procõsule petitur, vt Felicianus & Prætextatus sedib. propulsentur, tanquam collegæ Maximiani, quos sibi cõsociauerat ad furorẽ. Nam cùm memoratus aduocatus de Maximiano quod sufficere videbatur, in eadem postulatione dixisset, *Eos quoque*, inquit, *quos alienæ præsumptionis error attraxerat, portu primo proposito pœnitendi, si reuerti cuperent, intra tẽpus ad religionis tramitem destitutum, pari vigoris admonitione cõpescuit. Sed suis institutis*, inquit, *iniquitas delectatur, & semetipsam non deserit, cùm semel præcipitata corruerit. Idẽ namq; Maximianus cæptã nutrit audaciam, & alios sibimet cõsociat ad furorẽ. Inter quos etiam Felicianus quidã, qui primo recta sectatus deprauationis huius attaminatione fuscatur, in Mustitana positus ciuitate, Deo omnipotenti parietes consecratos, ecclesiam venerandã quasi quadã obsessione credidit retinendam. Hunc etiã Prætextatus in Assuritanis partib. imitatur*. Audisne aduocati verba clarissima & manifestissima, quib. dicit istos de quib. agimus, quia portu proposito pœnitẽdi, dum suis institutis iniquitas delectatur, cùm semel præcipitata corruerit, contẽpserunt, locis ecclesiasticis expellẽdos? Vbi si dies posset latere gestorũ, cuiuis obtusissimo satis eluceret, quòd contra eos non ita procõsularis potestas adiretur, nisi aut illo cõcilio fuissent, sicut illic magis apparet, sine vlla impertita dilatione dãnati, aut intra diẽ dilationis qui omnib. datus est vobis, restitui noluissent. Cũ verò etiã dies gestorũ cuiuslibet obstinati oculos aureśq; sic feriat, vsqueadeo illos etiã post trãsactũ dilationis diẽ in vestra cõmunione nõ fuisse, & Maximiano cohærasse, vt ob hoc aduersus eos tã terribilis iudiciariæ iussionis impetraretur autoritas, quid ad hęc dicitur? Quid adhuc cõtra tã perspicuã veritatẽ mira impudẽtiæ cęcitate cõtenditur? Quid adhuc ab eis qui cũ vnitare partis Donati etiã cõcordiã sacrilegorũ damnatorũ tenere voluerũt, contra vnitatẽ Christi tãta insania rebellatur?

Supra lib. 3. cap. 56.

Præstitutum.

tionem qui patitur, habendus est innocens, passus est Maximianus: sed dico, Si persecutionem qui patitur, habendus est innocens, passus est Saluius. Gesta recito, verba quæ non vis repeto: Fecit Restitutus, passus est Saluius. Quem mihi ex his duobus Christianum, nisi Restitutum; quem sacrilegum, nisi Saluium respondebis? Iaceat igitur oportet, improbatúq; respuatur, & quòd dixisti *nullam esse iustam persecutionem:* & quòd dixisti, *quis non vult Testamento consentire prolato, qui persecutionem patitur, an qui facit?* quia & iusta persecutio est quam pertulit Saluius, & Restitutus fecit: passus est Saluius, & tibi Restitutus est laudabilis, damnabilis Saluius. Neq; enim occultè factum esse dicturus es. Aut posset hoc latere Primianum quod in ea ciuitate factum est, vbi ipse episcopus præsidebat, & in tanta ciuitate apud tantum iudicem, vt ex hoc aliis etiam ciuitatibus occultum esse non posset: Aut si & hoc inter occulta deputandú est: cur nõ vis ignorare orbem terrę si quid mali fecit, (quod quidem absit vt fecerit) persecutionum tempore Cæcilianus: si persecutionem quã passus est Saluius ab illo quẽ ipse contra eum ordinauit, & in ea ciuitate vbi super collegas principatum gerit, potuit nescire Primianus? Fateberis ergo velis nolis, ne Restitutũ, ne Primianum, ne partem Donati damnare cogaris, non solùm iniustos pati, verùm & iustos facere posse persecutionem. Aut si eam quæ iustè fit, non esse appellandam persecutionem putas: nec vos à nobis, nec vestros à nostris persecutionem poteris probare perpessos: magisque nos demonstrabimus eam nos perpeti à Clericis & Circumcellionibus vestris, qui corde duro & insulso, nec intelligentes nec ferentes quod eis cõsulimus ad salutem, tanto in nos furore sæuiunt, vt ea quæ nobis faciunt, nec numerare, nec commemorare, nec dignè verbis explicare sufficiam.

CAP. LI. PROINDE cùm phreneticus medicum vexet, & medicus phreneticum liget, aut ambo inuicem persequuntur, aut si persecutio quæ malò fit, non est, non vtiq; persequitur medicus phreneticũ, sed phreneticus medicum. Sæuitia igitur vestra & violẽtissima audacia per Circũcelliones vestros clericorum vestrorũ satellites omnibus nota, comprimenda fuit legibus, quæ contra vos latæ sunt, & quodammodò colliganda: simul vt in quo essetis errore, in quo sacrilegio cõtra vnitatem pacemq; Christi † videremini, saltẽ ipso terrore commoniti cogitare atq; emendare velletis: sicut terroribus vestris per potestatum secularium iussiones exagitati Felicianus & Prætextatus corde nimium duro & peruersissimo, schisma quod à vobis fecerant, correxerunt, & ad vestram communionem societatemque redierunt. Totum autem corrigeretur, si ad radicem catholicam à vobis omnibus rediretur. Quicquid verò factum est aduersus vos, quod temperamentum Christianæ dilectionis excederet, tam non est imputandum catholicæ ecclesiæ, quàm nec illud quod Saluio fecerunt Abitinenses, Primiano vel Restituto imputauerim.

† sort. versaremini.

CAP. LII. QVOD verò post exaggeratas persecutiones, quas partem Donati perpessam fuisse dixisti, & totum tacens quod præcessit à vestris, & multa dicens quę non probantur in nostris, de Psalmis testimonium dixisti & subiecisti, *Nónne de ijs qui talia faciunt dictum est, Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: & viam pacis non cognouerunt?* Hæc ipsa & alia multò longeque grauiora, illo Bagaiensi concilio episcopi vestri in Felicianum Prætextatumque dixerunt. Et certè illi nullius carnis sanguinem fuderant, nullum in vos violentiæ corporalis impetum fecerant. Sed qui hæc in eos dicebant, multò sceleratius eos sacrilegio schismatis sanguinem spiritalem fundere iudicabant. Vnde si cum illis post tam grauia quæ in eos dicta sunt, pacem sine honoris eorum decoloratione, sine baptismi rescissione fecistis: non desperandum est, quin & nobiscum concordare possitis. Multò enim vos magis delectare debet ad pacem faciendam totus orbis Christianus, quàm Prætextatus & Felicianus. Qui si non vos inquinauerunt quos tanta criminationis atrocitate damnastis: multò minus vos inquinat vnitas tot gentium Christianarum, cui nescio quorum Aphrorum crimina † demonstrastis: & multum vos inquinat scelus quo vestram societatem ab eius ecclesiæ, pro qua tot ac tanta diuina testimonia recitantur, societate separastis: quibus diuinis testimoniis humana temeritate ausus es contradicere, cùm & tuipse nescio quomodo eadem vi veritatis fateri coactus sis, quòd in Christianum nomen totus quotidie vertitur mundus.

† non, aut similis desideratur negatio.

CAP. LIII. AVSVS es, inquam, Testamento Dei reluctari, cùm dicat Apostolus, Hominis testamentum confirmatum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahę dictæ sunt promissiones & semini eius. Hoc testamẽtum irritum facere, huic testamento partem Donati superordinare minimè timuisti, vt cùm Deus in eodẽ Testamento dicat ad Abraham: Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli, & sicut arena maris: Hoc tu irritum faciens, & partem Donati pro qua nullum testimoniũ recitas superordinans, *In paucis*, inquis, *frequenter est veritas, errare multorum est*: non intelligẽs quomodo à Domino dictũ sit, Paucos intrare per angustam portam: cùm & multos dixerit ab Oriente & Occidente recubituros cum Abraham, Isaac, & Iacob. Sed & in Apocalypsi demõstrentur ex omni gente & tribu & lingua milia cãdidatorum, quæ nemo numerare possit. Qui profectò & multi sunt per seipsos, & iidem ipsi pauci sunt in comparatione longè plurium qui cum diabolo puniendi sunt. Quæ tamen frumẽta diuinis in æternum horreis destinata, per totũ mundum dilectionis vnitate sociata: vel ab scãdalis & violentiis hæreticorum, siue ab interiore tanquam palea sua multis non rectè viuentibus, æstus & tritura huius seculi tolerant, vltima ventilatione purganda. Sed tibi ad omnia nihil facilius quàm Maximianensiũ causa respondet. Si enim in paucis frequenter est veritas, & errare multorum est, permitte vt Maximianenses quantò vobis sunt impares paucitate, tanto vos superent veritate. Non facis certè. Noli ergo in comparatione multitudinis gentium catholicarum de vestra paucitate gloriari, sicut non vis vt Maximianenses in comparatione multitudinis vestræ de sua paucitate glorientur.

Galat. 3.

Supra libr. 3. cap. 66.

Matth. 7. Matth. 8. Apocal. 7.

De suorum paucitate gloriati Donatistæ.

CAP. LIIII. QVOD autem de Aphris traditoribus narras, ita nescis, aut qualiscunq; hominis corde, non sentis, in conflictu quo veritas quæritur, cùm probatio non sequitur, quàm sit vana & inepta narratio? in qua refellenda operam non sumerem, nec si non haberem in causa Maximianensium tam facilè sine vlla ambage compẽdium. Sacræ sunt literæ: Deus deorum Dominus locutus est, & vocauit terram à solis ortu vsq; ad occasum: ex Sion species decoris eius. Huic prophetico testimonio concinit euangelium, vbi de seipso idem Dominus dicit: Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes; incipientibus ab Hierusalẽ. Quòd enim illic dictũ est, Vocauit terram, à solis ortu vsq; ad occasum: hoc dictum est hîc, per omnes gentes. Et quòd ibi dictum est, Ex Sion species decoris eius: hoc dictum est hîc, incipiẽtibus ab Hierusalem. Non enim tantummodò ibi passus est Christus, sed etiam ibi resurrexit, inde ascendit in cœlum, ibi centum viginti homines congregatos die Pentecostes misso de cœlo spiritu sancto impleuit: ibi vno die tria, alio quinq; milia

Psalm. 49.

Luc. 24.

milia credentium in suum corpus conuersa suscepit, inde in totam Iudæam & Samariam, & in orbis terrarum cæteras gentes se fructificando diffudit & diffundit ecclesia. Quod discipulis prædicẽs iam ascensurus in cœlum: Eritis, inquit, mihi testes in Hierusalem & totam Iudæam & Samariam, & vsque in fines terræ. Hæc igitur ecclesia incipiens ab Hierusalem, seq; per omnes gentes tam euidenti fœcunditate diffundens, vt seipsum confiteri cogat, quòd in Christianum nomen prouidentia Dei quotidie totus vertitur mundus. Hæc, inquam, ecclesia quæ Domino Deo deorum loquente, à solis ortu vsq; ad occasum vocatur, nullo modo ab Aphris traditoribus pollui potuit, quos omninò nesciuit; si Maximiani sacrilegi surculi non polluere plantaria tot collegas eius, tantùm quia ordinando manus ei non imposuerunt; quamuis eum à Primiano damnatum laudauerint, Primianumque damnauerint; quamuis in eius schismate constituti, dilarionem qua reuerterentur acceperint.

Actor. 1.

CAP. LV. Libr. 1. contra Petil. cap. 21.

QVINETIAM quia dixi, *traditionem multò probabilius nos vobis obijcimus.* respondes me hoc fuisse confessum, quòd eam vos nobis probabiliter obiicitis; docens etiam regulam locutionis, *qua comparatiuus gradus quod antè positum est auget, non quod antè factum est improbat*: & adiungens, *Sicut benè & melius, malè & peius, horribiliter & horribilius, ita esse probabiliter & probabilius.* Vnde tibi colligere videris & dicis; *Si vos probabilius, nos ergo probabiliter.* Hinc ego in illo prolixiore trium librorũ opere suo loco tibi satis aut plusquàm satis fortasse respondi, & ostendi ex illis literis vbi verba didicimus, quomodo comparatiuus gradus non semper augeat quod comparat, aliquãdo improbet cui comparatur. Inde est:

Supra libr. 3. cap. 73. 74. 75. 76. 77.

Virgil libr. 3. Georg. Aeneid. 3.

Dij meliora piis. Inde est:

-- melioribus opto Auspiciis. Lege diligenter, plura ipse reperies. Sed nónne miraris obsecro te in hac causa Maximianensium, ex qua tibi ad omnia nunc statui respondere, nec huius mihi defuisse locutionis exemplum? In illa quippe luculentissima & facundissima sententia Bagaiensis concilij: *Inuenta est*, inquiunt, *causa salubrior, ne per cuncta membra pestilens irrepat virus, vt compendioso dolore natum decidat vulnus.* Certè secundum regulam tuam salubris, non salubrior dicere debuerunt. Neque enim illud salubre, sed perniciosum erat, vt per cuncta membra pestilens virus irreperet. Salubrior ergo erat causa, vt cõpendioso dolore natum decideret vulnus, quamuis non esset salubris, sed contrà exitiabilis, vt per cuncta membra pestilẽs irreperet virus. Sic traditionem probabilius nos vobis obiicimus, quamuis eam vos nobis non probabiliter obiiciatis.

CAP. LVI. Libr. 1 contra Petil. cap. 21. & libr. 3. contra Cresc. cap. 29.

IAM illud, quòd Syluanum Cirtensem episcopum vestrum dixi fuisse traditorem, municipalia gesta testantur, ibidem apud Cirtam à curatore reipublicæ Munacio Felice confecta. Nam sicut ibi scriptum legimus, *posteaquam peruentum est ad bibliothecam, inuenta sunt ibi armaria inania: ibi protulit Syluanus capsulam argenteam & lucernam argenteam, quòd diceret se post arcam inuenisse eas. Cui Victor Aufidius dixit: Mortuus fueras, si non eas inuenisses. Felix autem curator cùm et dixisset: Inquire diligentius ne quid hic remanserit. Syluanus dixit: Nihil hic remansit, totum hoc eiecimus.* Quæ gesta cùm apud acta Zenophili consularis recitarentur, cisq; insererentur, inter alia testium multa documenta, quæsiuit Consularis, *Qui administrabat? Tunc Syluanus in clericatu victor respondit: Sub Paulo episcopo orta persecutio est, Syluanus subdiaconus fuit.* Huic tu publicorum gestorum euidentissimo documẽto, quò minus credatur, magnum aliquid tibi videris opponere, quia commemoras sententiam quã dixit in Cæcilianũ velut p̃niens traditores: ac argumentaris fieri non potuisse, vt traditor fuerit, qui traditionis tam seuerus vltor extiterit: quasi aliquid seuerius videatur illis nequissimis senioribus, quando in occidendã Susannam tanta instantia sæuiebãt, cùm eorũ conscientia ipso flagitio foderetur, quod se in illa punire velle fingebant. Sed omittamus talia, Felicianus nunquid non cum Primiano nunc damnat, quod cum Maximiano ipse commisit, sed planè meliore sentẽtia correctior nõ impudentior. Quod Syluanus si facere voluisset, non in Cæciliano falsam, sed in seipso veram traditionẽ salubri emendatione damnasset, & ad Cæciliani innocentiam, etiãsi non episcopus, tamen correcta prauitate transisset: sicut Felicianus ad Primianum, quem similiter vt ille Cæcilianum damnauerat innocentem, potuit tamen sine macula Primiani vel sua, cum episcopali etiã honore transire. Nec illud quod dixi, *Nescio quos traditores, quos vestri maiores arguebant, si veraciter arguebant, debuisse conuincere.* sic accepis, tanquam hoc apud seipsos facere debuerint. Sic enim respondes, *quod fecerint, & ideò nostros perdidisse baptismum iudicauerint.* Lege prius diligenter contra quod scribis; & aut intellige quæ dicuntur, aut noli quod intelligis vertere in aliud. Ego dixi nõ apud vestros, sed apud ecclesias transmarinas, quibus innocentes illi videbantur qui arguebantur, à vestris eos debuisse conuinci. Nam & Maximianenses conuictũ sibi videntur damnasse Primianum, sed non apud eos qui lõgius positi, & à gratia vel inuidia remotiores, tale de illo possent ferre iudicium quod vniuersæ parti Donati facilè probaretur. Nunc verò damnauerunt eum centũ, & amplius quàm trecẽtis absoluendũ reliquerunt, apud quos ipsi periculũ damnationis incurrerent. Eis quippe & pluribus suam debuerunt persuadere sententiam, vt ipsi cum eis intus essent, Primianus autem foris, si damnatus pœnitentiam respuisset. Si autem hoc crimen maiori numero collegarum, & tot suæ communionis Ecclesiis per totam Africam diffusis persuadere nõ possent, aut sententiam suam consilio saniore rescinderent, in qua falli sicut homines de homine potuerunt: aut si vera eius crimina sine vlla dubitatione didicerant, quæ tamen persuadere tantò pluribus cæteris non valebant, nocentem scientes tolerarent prudentius & patientius, quàm se à tot innocentibus qui ista nescirent, impio schismate separarent. Tenerent enim illam beati Cypriani plenissimam charitatis pietatisq; sententiam, qua dicit, *Nam etsi videntur esse in Ecclesia zizania, non tamen impediri debet fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.* Quod quidem illis tunc prodesset, si in Ecclesiæ catholicæ purgamentis purgamenta tolerarent, quæ ante tempus separare non possent: sed quòd eos dicimus in hac erroris vestri societate, quam veram Ecclesiam esse arbitramini facere debuisse, hoc maiores vestri in illa perspicuè vera, in cuius vnitate fuerunt, ne ab illa separarentur, facere debuerunt. Sicut enim quilibet partis vestræ homo causam Primiani prorsus ignorans, tamen quamuis à centũ Maximianensibus damnatum simpliciter innocentem credit eum qui tantò pluribus se probauit: ita etiam in communione catholica, quem causa Cæciliani latet, non immeritò sibi innocentem fuisse persuadet eum qui non solũ per Africam, verumetiam per tot gentium Christianarum terras, tãtò pluribus Episcopis cæteris vel innotescere innocens potuit, vel occultari nocens: apud quos aut ab agnoscente meruit absolui, aut nõ meruit ab ignorante damnari, aut corrupto iudice contrà quàm meruerat, absolutus, non potuit aliis qui non iudicauerant demonstrari. Vos igitur sacrilega separatione ab vnitate populorum innocentiũ tot tantorumq; separamini, qui cùm in hac causa

Daniel. 13.

Libr. 1. contra Petil. cap. 22.

Libr. 3. epist. 3.

causa iudices esse non possent, aut nullos hinc fuisse iudices, aut vtrum hinc aliquid vel quid iudicatum sit nescierunt, aut electis iudicibus potiùs quàm victis litigatoribus crediderunt.

CAPVT LVII. Lib. 1. contra Petil. cap. 21. Vide & libr. 3. cap. 58. Item libr. 3. contra Cresco. cap. 78.

HINC docetur in eo etiam quod ex illa mea quadripartita distributione vltimum tibi, (neque enim aliud poteras) elegisti, quàm facilè superemini. Dixi enim quòd si documēta criminum traditionis fuerint ex vtraq; parte prolata, aut vtraq; sunt vera; aut vtraq; falsa; aut nostra vera, & vestra falsa; aut nostra falsa, & vestra vera. Et cùm in tribus superioribus facillimam nostram victoriā demonstrassem, in quarto quoq; vos vinci, aut minus intellexisti; aut quod magis credo, ne ab aliis intelligeretur, nescio quib. vmbraculis id conatus obtegere, de argumentationis genere disputandū putasti, Vnde & cū aliis, si opus fuerit, fortasse tractabimus, ne tēpus rebus non necessariis insumamus.

CAP. LVIII.

PROINDE attende, vtrum valeam in illo perspicuo speculo vestro, hoc est, in causa Maximianensium etiam hoc demonstrare. Namq; mortuis omnibus & apud quos hæc gesta sunt, fieri aliquando poterit, vt inter vestros & illorū posteros quæstio communionis agitetur: dicturi sunt illi à maioribus suis fermè centum vel amplius Episcopis damnatum esse Primianum, & illam primò quæ apud Carthaginem, deinde aliam quæ apud Cebarsussi contrà eum scripta est sententiam prolaturi: contra vestri, concilium Bagaiense recitabunt. Flagitabunt illi, vt diluta esse doceantur crimina Primiani, quæ suorum maiorum sententia continentur. Nónne multò iustius dicent vestri: Hæc crimina quæ obiicitis etiam mortuis si vera sint, hoc probate, quod ad maiores nostros ea detuleritis, quòd eis hæc vera ostenderitis esse? Quod si facere conati estis, nec implere potuistis, maiores ipsos nostros inquinare non poterant aliena crimina, quamuis vera, quæ illis non fuerant demonstrata hominibus, si ea nec conati estis ostendere. Vnde igitur ad nos causa illius reatus transire potuit, qui nec ipsos qui cum Primiano tunc viuebant ignoratus & non probatus inuoluit? Vos itaq; schismatis reos perspicua veritate conuincimus, quos à nobis fratribus vestris propter aliena crimina quæ tūc maioribus nostris demonstrata non sunt, quando fuerant demonstranda, separatos videmus. Si hoc iustissimè dicturæ sunt plebes, & clerici eorū locorum ex quibus erant trecenti & decē, qui contra Maximianenses Bagaiēse conciliū condiderunt: Si hoc, inquā, rectè dicturi sunt Aphri Aphris, Numidæ Numidis, Mauris Mauri, quàmplurimi paucis Bizacenis & Prouincialibus: quantò iustius de criminibus etiāsi vera essent nescio quorū in Aphrica traditorum, hæc dicit Aphris orbis terrarum, cùm præsertim & in Aphrica ipsa Ecclesia catholica tantò sit cæteris gentibus vnitatis vinculo sociata? Quę nihilominùs documenta etiam criminū alienorū quæ mihi nunc conaris ostendere, nō faciūt reos populos gentiū: quibus quando debuerunt non demonstrata sunt, vel quia non curastis: †à quibus populis in hac causa innocētibus, si me dissociauero, pro criminibus alienis innocens esse non potero à sacrilego crimine schismatis. Proinde vt plurimùm valeātis, & nunc mihi hæc vera esse doceatis, damnamus mortuos traditores, viuos non deserimus innocentes. Cùm ergo dixerim, *Sed si quæ vera essent vestra documenta, Ecclesiæ*, hoc est, *catholicæ, vos ea probare debuisse, vt vos intus essetis, illi autem quos conuinceretis, pellerentur foràs*: quid est quod respondere voluisti, ideò separationem factam *quòd nos foràs essemus propulsi, vestri autem in Ecclesia plenaria & catholica remanserunt?* hoc si totidem verbis vobis Maximianenses dicant, quid respondebis, nisi nec refelli dignos, sed tantū rideri: qui Ecclesiā plenariam cū Episcopis iam minus quàm centū, contra tātam numerositatem ac multitudinē, cui amplius quàm trecenti prēsident, audeant affirmare: cùm per omnes Aphricæ regiones vbi Maximianēses sunt, non desit etiam cōmunio Primiani, per alias autem multò plures latioresq; Aphricæ partes vnum Maximianēsem nemo reperiat, nisi vix fortè peregrinantem. Quo igitur ore contra Ecclesiam à solis ortu vsque ad occasum promissam voce veritatis & redditam, audes Ecclesiam plenariam dicere partem Donati, cùm ipsa non sit nisi Aphricæ: illa verò cum tot gentibus, sit & Aphricæ? Sed videlicet ista illam misit foràs? Ne quæso tu istam vocem mittas foràs, in facie est frons hominis, non sub humero. Ergò ne ista illam misit foràs. Non vides si illa mittitur foràs, de qua dicit Dns ad Abraham, In semine tuo benedicentur omnes gentes: De quā prædictum legitur, quòd erit in nouissimis diebus manifestus mons Domini, & venient ad eum vniuersæ gētes: De qua prædictū canitur, Cōmemorabuntur & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ patriæ gētium: De qua prædicatur quòd in toto mūdo fructificet & crescat, quā ipse Dns dicit dilatari per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem. Non inquam, vides si hæc mittitur foràs, eam cum lege Dei, cum Prophetis, cum Psalmis, cum Apostolis, cum ipso Euangelio, cum toto denique testamento & cum ipso hærede mitti foràs?

Primianus bis à Maximianistis damnatus.

†vel quia nō potuistis, aut simile quid deesse videtur.

Libr. 1. contra Petil. cap. 22.

CAPVT LIX.

QVOD nefas si attendis, si perhorrescis, si contremiscis, vide vbi sitis, & redite intrò: quoniam non misistis, sed vos potiùs existis foràs. Vide quid faciat animosa cæcitas. Dicitur quòd Maximianus Primianum miserit foràs, & ridetur. Dicitur quòd pars Donati labores Apostolorum per vniuersum mundum fructificantes & crescentes misit foràs, & non exhorretur. Ne quid sanè fallaris aut fallas, quoniam id quod tam crebrò commemoraui, non aduertens vel te aduertisse dissimulans, dixisse me affirmas *non esse frumēta dominica, quam ego ecclesiam catholicam sic asserui quomodo eam non asserit scriptura diuina:* frumenta sola in horrea recondentur, nunc Ecclesia tanquam area cū palea trituratur. Hoc est quod vos vrget ac premit, & nisi corrigāmini extinguit, quia huius areæ paleā, quod vos esse monstrastis, nō vos posse tolerare dixistis, purgatū frumentum impudenter vos esse finxistis: ac sic ex ipsa area vanis calumniis turbulentis, tanquam leuissimus trituræ puluis per inane sublatus, ante nouissimū ventilationis tempus existis. Vox deniq; arrogātissima atq; falsissima vestra est illa, non nostra, Quid paleæ cum fruméto? quod de sōmniis vanorum & reuelationibus Prophetarum Hieremias ait: & tāquam de nobis & vobis dictū sit, Parmenianus hoc scribit. Quære quoque à Maximiano, nihil aliud de se dicit, Non est enim alius impius superbiæ tumor apud omnes qui se à Christi vnitate discindunt, quàm se solos Christianos esse iactare & damnare cæteros, non solùm quibus eorum lis nota est, verumetiam quibus eorum nec nomen auditum est.

Genes. 28. Esa. 2. Psalm. 21. Luc. 24.

Hieremia 23. Contra Pauli. lib 3. cap 3. Hæreticorum & schismaticorum arrogantia.

CAP. LX. Libr. 1 contra Petil. cap. 23.

NAM illud quàm eleganter tibi visus es dicere, quod cùm ego de testamento Dei dixissem, *nunc vndecunq; prolatum est recitetur:* respondendum putasti, quòd iam hoc confessionem criminis habeat, & ideò dixerim, à quocunq; prolatum est recitetur: quia apud me constat, & à nostris exustum, & à vobis seruatum atque prolatum. Ita verò si veritate confisus, à Maximiano velis proferri codicem legis, vnde recites Dathan, Chore, & Abiron, qui viui terra dehiscente submersi sunt; quibus istum Bagaiensis sententia comparauit: non eò firmius contra illum recitabitur, quia in eius codice reperitur. Quòd ergo dixi, testamētum vndecunque prolatum est recitetur: non est confessio criminis, sed fiducia veritatis. Quid enim commodius,

Numi. 16.

†quod, aut simile quid deesse videtur.

diùs, quid præclarius, quàm vt si fieri potest, aduersus te legatur, † à te proferatur: Non quia ego non habeo pro me: sed facilior est certiorque conuictio, vt tu habeas contra te, quod pro te si corrigaris fiat. Contra vniuersitatem verò Ecclesiæ quia te inania repetere libuit, etiam hîc tibi respondeo: Sicut in Aphrica pars Donati vos estis, à quibus apparet partem Maximiani schisma fecisse, quoniam non est per Aphricam quā vos estis: vos autem & in regionibus in quibus illa est non deestis, nam & alia schismata facta sunt ex vobis, sicut Rogatenses in Mauritania Cæsariensi: Vrbanenses in quadam Numidiæ particula, & alia nonnulla: sed vbi præcisa sunt, ibi remanserunt. Et hinc enim apparet eos à vobis exiisse, nō vos ab ipsis, quia vos etiam in his terris estis vbi ipsi sunt: illi autem quaqua versus vos estis, nō nisi fortè peregrinantes inueniuntur. Sic ecclesia catholica, quæ, sicut ait Cyprianus, *ramos suos per vniuersam terram copia vbertatis extendit*, vbique sustinet scandala eorum qui ab illa vitio maximè superbiæ præciduntur, aliorum hîc, aliorum alibi atq; alibi, qui partes suas ostentantes dicunt: Ecce hîc est Christus, ecce illic: quibus ne credatur ipse præmonuit: Non enim ostendunt viam de qua prophetatum est in Psalmis, Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum; sed suæ communionis quisque regiones, ecce hîc, ecce illic. Vbi enim cadunt ibi remanent, & vbi separantur ibi arescunt, vnde ipsa de qua præciduntur, etiam in eas terras extenditur, vbi iacent illa quæque in sua regione fragmenta: in illa verò singula quacunque ipsa distenditur non sunt, quamuis aliquando vix rarissima folia ex eorum ariditate ventus elationis in peregrina dispergat.

Fatio Donatistarum in tres sectas diffecta, in Maximianistas, Rogatistas, & Vibanistas.

De simplic. prælatorum seu ruinate Ecclesiæ.

Matth. 24.

Psalm. 66.

CAP. LXI. Supra libr. 3. cap. 65.

HAEC igitur Ecclesia quæ vt eiusdem identidem verbis vtar, ramos suos per vniuersam terram copia vbertatis extendit, ad multas etiam Barbaras gentes extra orbem Romanum crescendo peruentura est. Quod te inquisisse & comperisse arbitror vt diceres, *Omitto gentium Barbararum proprias regiones, Persarum ritus, sidera Chaldæorum, Aegyptiorum superstitiones, deos Magorum: vt omnia ista non sint, quia prouidentia Dei in Christianum nomen totus quotidie vertitur mundus.* Hæc tu vera dixisti: & sic impletur promissio quæ dicta est Abraham, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Omnes, inquit, gentes: non dixit, omnium gentium, omnes homines. Vnde necesse est non solùm fœcunditate crescentis Ecclesiæ, verumetiam permixta multitudine inimicorum eius, per quos pietas eius exerceri & probari possit, vsque in finem iudiciariæ separationis totus orbis impleatur. Sic commemoratum est hoc testamentum & ad filium eius Isaac, Domino dicente, Et statuam iuramentum meum quod iuraui Abraham patri tuo, & amplificabo semen tuum tanquam stellas cœli, & dabo tibi & semini tuo omnem terram, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Sic & ad nepotem eius Iacob, Et erit semen tuum sicut arena terræ, & dilatabitur supra mare & in Aphricum & in Aquilonem, & ad Orientem, & benedicentur in te omnes tribus terræ. Supra mare autem plerunque scriptura, cùm dicit, Occidentalem partem solere significari, nouit qui legit. Huic tu testamento si prolato consentire voluisses, non in sola Aphrica remansisses. Non ergo nobis communicant sicut dicis, *Nouatiani, Arriani, Patripassiani, Valentiniani, Patriciani, Apellitæ, Marcionitæ, Ophitæ, cæteraq;*, vt verbis tuis vtar, *nephariarum pestium, non sectarum sacrilega nomina.* Verumtamē vbicunq; sunt isti, illic catholica, sicut in Aphrica vbi & vos; non autem vbicunque catholica est, aut vos estis, aut hæresis quælibet illarum. Vnde apparet quæ sit arbor ramos suos per vniuersam terram copia

Genes. 22.

Genes. 26.

Genes. 28.

Supra seu trans mare, in scripturis occidentalem vbie partē frequenter significat.

Nulla hæresis catholica. Supra libr. 3. cap. 67.

A vbertatis extendens: & qui sint rami fracti nō habentes vitam radicis, atq; in suis quiq; iacentes & crescentes locis: sed si non permanserint in infidelitate, sicut de Israēlitis dicit Apostolus, inserentur, Potens est enim Deus iterum inserere illos: non vt iterū accipiant sacramētum baptismatis, quod iam tractum ex arbore non mutarunt, sed vt reuiuiscant ex radice charitatis & vnitatis, à qua separati sterilitate animositatis arescunt: sicut rursus inserendos putastis Prętextatum & Felicianum, quos secum præciderat Maximianus, nec precisorum baptismum reprobastis. Quibus verè aliquid præstaretis, si non eos frumento vestro, sed & vos & illos radici catholicæ redderetis.

Roman. 11.

CAP. LXIII.

IAM verò ad illud quid respondeam, quod tibi visus sum dixisse pro vobis, quoniam dixi non prodesse baptismum eis qui ab vnitate discedunt; inesse illis tamen hinc probari, quòd redeuntibus non restituitur. Firmasti enim & vos hoc dicere, quòd maioribus nostris ad Ecclesiam redeuntibus, baptismus quem ibi acceperant non profuerit. Hoc si diceretis, nihil inter nos aliud quæreretur, nisi quæ sit Ecclesia vbi baptismus prosit. Sed vos non dicitis in nobis baptismum esse, ac non prodesse; sed dicitis omninò nō esse, quod ab eis acceperimus, qui eum discedendo perdiderant, vnde nec potuisti respōdere, nec poteris ad illud quod à me positum est, inesse baptismū discedentibus hinc probari, quia redeuntibus non restituitur. Si enim baptismum Felicianus à vobis recedēdo perdiderat, cur non denuò rediens baptizatus est, vt ei quod perdiderat redderetur? Ipse deniq; Maximianus si ad vos redeat, non baptizatur: quod deberet vtique si perdiderat baptismum. Tua quippe verba sunt, *quòd in eius schismate sententia damnationis retenti, simul & baptisma & Ecclesiam perdiderunt.* Sicut ergo eis redeuntibus redditur Ecclesia, reddatur baptismus. Baptizentur, inquam, redeuntes, si baptismum amiserunt abscedentes. Hoc quia non facitis, etiam vos fatemini ab Ecclesia recedentibus inesse baptismum, nec prodesse; dant ergo sicut habent, id est, vt & ipsis qui ab eis extra Ecclesiam sumunt, insit baptismus, nec tamen prosit. Vnde sicut illis redeuntibus non redditur quod amiserunt: ita & illis non dandum est quod acceperant, sed agendum cum eis, vt per Ecclesiam prosit vtrisque quod extra Ecclesiam inesse potuit, non prodesse. Ac per hoc nec pro vestro errore aliquid dixi, & ei quod dixi non respondisti.

CAP. LXIIII.

ADIVNGIS etiam de orto concluso & fonte signato: quod omninò vnde dictum sit non intelligis. *Si conclusus est*, inquis, *ortus & fons signatus, quomodo qui foris est positus, & ab orto, id est, Ecclesia & fonte eius, id est baptismate separatus, potest dare quod non habet?* Interroga Felicianum, vtrum in orto concluso fuerat, quando illi reditus quasi ad eundem ortum conclusum dilationis ianua pandebatur? An fortè exinde furatus est fontem, vbi laicos suos in Maximiani schismate baptizaret? Quod si ita est, vbi tunc vestri vos abluebāt? An eos pariter illa dilatione distulerunt, donec fures illi ad ortum cum fonte remearent? Tunc non erant isti pseudoprophetæ, quando Primiani criminibus mentiendo deceptos, ad suum sacrilegium traducebant lupi rapaces, quando seductos de grege Primiani, ad suæ concisionis particulas pertrahebant? Negas eas quas dixi tyrannicas vestrorum in fundis alienis dominationes & bacchationes ebrietatum? Nega quantum potes, nō vereor, ne propterea nobiscum vos pigeat concordare. Non in vos tale aliquid dixi, qualia Maximianēses damnati à vobis audire meruerunt. Negas furorem Circumcellionum, & præcipitatorum vltrò cadauerum cultus sacrilegos & prophanos: non tamen negas *cùm Aegyptiorum ad modum exemplo pereuntium funeribus*

Lib. 1. contra Petil. cap 24.

plena essent litora; quibus in ipsa morte maior est pœna, quòd nec ipsam inuenerunt sepulturam. His vos insepultis cadaueribus inhæsistis, ibi enim iacebant Prætextatus & Felicianus. Aut si apud vos reuixerunt, quid de baptismo agitis quem tunc mortui tradiderunt?

CAPVT LXIIII. DICIS me non seruasse pacem ac lenitatem, quam principio literarum mearũ promiseram, quòd satanam Petilianum appellauerim. Ego non Petilianum nec quenquam hominem in parte Donati, sed ipsum errorem partis Donati, satanæ comparaui: ex cuius laqueis homines quos diligo cupio liberari. Nam lege consideratiùs, inuenies. Quanquam & si aliquid durius dixi, lege quæ ipsi non in errorem Maximianensium, sed in ipsos homines dixeritis. Felicianum ergo Petilianus imitetur, & mihi pacem desideranti non irascantur. Tibi certè ipse non succenseo quòd mihi ex obliquo Manichæos obiiciendos putaueris propter errorem adolescentiæ meæ. Vnde non tam doleo, confidens de perpetua gloria liberatoris mei, quàm si placet admoneo, vt quæras & legas quæ & quanta & quomodo aduersus Manichæorum pestilentissimam hæresim scripserim. Ibi videbis qua fide contra eos Christianam defenderim veritatem, eorumque fallacias quanta perspicuitate destruxerim, & noli esse aduersus me incredulus, cùm Felicianum credas Primiano fideliter inhæsisse, qui pro Maximiano tanta crimina in eum sententia damnatoria dixerit: contra eundem verò Maximianum & ab eo dissociatus aliquid forsitan scripserit, in quẽ non sicut ego in illos adolescens, laicus, catechumenus inciderat, sed senex senem ei cui nunc adiunctus est, aduersarium Episcopus Episcopum fecerat. Vnde cùm ego Epistolam primatis nostri, † quia fecisset sub eadem vrbana obliquitate mẽtionem, quã de me ille scripsit iratus, cùm in Episcoporum concilio probare quod intenderat vrgeretur, eius ipsius sententia se corrigentis, & de hac re veniam postulantis, legam esse damnatam: tu quere vtrum possis legere, vbi correctus damnauerit Felicianus, quæ non accusans sed damnans dixit in Primianũ, vel saltẽ ipse Primianus euacuauerit, quę damnãs dixit in Felicianum. Quod si inueneris, nec sic par erit causa, quia ille accusationem instituerat quam falsam esse peruidens, cum veniæ postulatione damnauit, non aspernans emendationis humilitarem dignitate primatus; sed potiùs recolens prudẽter quod scriptũ est, Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Isti aũt non inuicem apud alios accusauerãt, sed aduersus inuicem iudices sederant, proinde inuicem damnauerant, damnati concordauerunt. Non inuidemus in parte Donati pacem damnatorum, si & Christi pacem non respuant in orbe terrarum.

Libr. 1. contra Petil. cap. 26. Vide & libr. 3. contra Cresconium. cap. 78.

Suprà libr. 3. cap. 79.

Suprà libr. 3. cap. 80. † fort. cuius fecisti.

Ecclesiast. 3.

CAPVT LXV. CERNIS iam, vt arbitror, quàm inaniter dixeris, q̃ videaris tibi ad omnia respondisse, quæ in mea Epistola continentur. Si enim propterea respondisti, quia tacere noluisti; non quidem ad omnia, sed tamen respondisti. Si autem ad hoc respondisti, vt ea quæ à me dicta sunt euacuares, video te quidem ad multa respondisse, sed nihil te video refellisse. Consideratis autem omnibus quæ à me dicta sunt, puto quòd facillimè intelligas non deuitandæ cõtentionis causa, quæ nulla est cùm veritas vel quæritur, vel non pro vana gloria litigatur, sed causæ malæ diffidentia vos nobiscum nolle conferre. Vt enim hanc solam Maximianensium causam in medium proferamus, nihil contradicere te isti posse, nunc saltem fortasse iam agnoscis. Vnde non mihi arrogans sicut credis, aut calumniaris, velut inuictam eloquentiam sic eam voluì commendare, sed magis vt intuerentur qui legerent, talem esse causam, pro qua asserenda vel potiùs demonstranda nullius sit facundiæ patrocinium requirendum. Ecce iam non dico tricipitem bestiam, errorem vestrum, quasi suauissimas verborum emendationes, sed dico calumniam tripartitam. Nec dico nos ei tanquam tridenti telo ex hac Maximianensiũ causa debere resistere, sed dico tripertita defensione. Nec dico in eorũ fronte configite, aut in ora coarctate, sed dico eorum impudentiam cohibete, sermonemq; reprimite. Nunquid quoniam verba mutata sunt, & ex translatis facta sunt propria, ideò Maximianensium causa mutata est, cuius compendio sic superamini, vt nihil vobis restet, si aliquando sapiatis, nisi finita peruicaci animositate pacari.

Libr. 1 contra Petil. cap. 27. Vide suprà libr. 3. contra Cresconium. cap. 78.

CAPVT LXVI. Summatim repetit capita omnium accusationis. 1. 2. 3.

SI de communione agitur, non peccatorum alienorum, sed diuinorum sacramentorum; communicatum est cum damnatis, & dictum est de aliis sacrilegis, qui cum damnato Maximianò communicabant, quòd eos sacrilegi furculi non polluere plantaria. Si de persecutione agitur; damnatos persecuti estis, animosos persecutionibus correxistis. Si de baptismo agitur; in sacrilego schismate datum baptismum suscepistis. Quid adhuc inaniter ne veritas cognoscatur, errorque fugiatur, diuina non intellecta testimonia proferuntur? *Scriptum est, Si quis putat se contentiosum esse, nos talem consuetudinem non habemus.* Sed nec Restitutus qui cum Saluio Membresitano propter cellulas & agellos, vt cum locis expelleret, forensi strepitu controuersiaque conflixit, contentiosus habitus est à vobis: quantò minus debet contentiosus putari, qui non pro vsurpanda vel auferenda, sed pro communicanda hæreditate cœlestium cum eis qui aliter sapiunt fideliter disputat. *Scriptum est*, inquis, *In aures imprudentis noli quicquam dicere, ne irrideat sensatos sermones tuos.* Nolite nobis in aures quasi secreta dicere, si non prudentes putatis: sicut nec Christus in aures pharisæorum dicebat, quod tamen ad eos refellendos ipsis audientibus proferebat. Palàm nobis ostendite, vt si non corrigimur, conuincamur. Quomodo vos si ad vnitatem veneritis, maculat orbis Christianus, quos damnatos non maculat Felicianus? *Est scriptum, Noli respondere imprudenti secundum imprudentiam eius, ne similis fias illi.* Nónne ibi sequitur; Sed responde illi contra imprudentiam eius, ne sibi sapiens videatur? Hoc & vos facite, Nolite responsione vestra nostræ quam putatis imprudentiæ consentire, sed vnde possit redargui, respondete. Respondete, inquam, quomodo baptismum quod Maximianenses in sacrilego schismate ministrarunt, sine aliqua destructione susceperitis, & in Ecclesiis, quas Christus per Apostolos propagauit, datum baptismum destruatis? Proinde quod in fine epistolæ tuæ omnia quæ suprà latiùs abs te dicta sunt, breuiter percurrenda arbitratus es, quo lectoris memoriam recreares, eodem ordine accipe; quàm nec te nec alios fallere debeas. Nam & arrogantiæ non est, vel quærere vel asserere veritatem. Et quod nunquam putas potuisse definiri, non solùm à prudentibus & Deum timentibus definitum est, sed etiam vos totum quod sine fine putabatis, Maximianenses suscipiendo finistis: & vos non ad contentionem, sed ad collationem vocamus, qui Maximianenses etiam forensibus litibus perculistis: sed in eis qui in Maximiani schismate baptizati sunt, quamuis nequaquam illic baptizari debuerint, tamen Christi baptismum cognouistis: & Ecclesiæ fontem aliter debere intelligi, ad quem nisi bonus nullus accedit, accepto baptismo quem sacrilegi extrà dederunt, declarastis: & maiores nostros vel sanctam ecclesiam quam tenemus, alienis criminibus thurificationis & traditionis, quamuis à vobis nunquam probata sint, tamen pollui non potuisse

1. Corinth. 11. 4.

Prouerb. 15. 5.

Prouerb. 26. 6.

Pronocat Donatistas ad mutuã collationem.

tuisse cogemini confiteri: qui dixistis quòd sociosMaximiani, quibus ad redeundum dilationem dabatis, eiusdem Maximiani sacrilegi furculi non polluere plantaria. Vnde nos tanto pòst nati, multò minus possumus ad eorundem traditorum & thurificatorum originem pertinere, si tunc pariter viuentium societatem maiorum nostrorum maculare non potuit. Et persecutiones quamuis contra veritatem fæuissimas nobis facere soleatis, tamen ex aliqua parte Maximianenses persecutionibus correxistis: & eos quãuis non ipsis iam damnatis data fuerit, tamen post illius dilationis terminum suscepistis: & baptismum quem foris à vestra communione dederant, quibus dilatione redeundi ianuam pandebatis, etiam post eandem dilationem cognitum & approbatum non rescidistis. Quare cùm videas nihil à te dici potuisse quod non hæc vna Maximianensium causa refellat atque conuincat, da veniam si quo fortasse verbo durius emisso te offendi: & si Apher in Aphrica tam magnam Maximianensium causam in capite Aphricæ exortam, meis admonitus literis tam sero requisisti, nec requisitam falsa narrantibus vestris, sicut iam cernis, inuenire potuisti. Timete Deum: tot Christianas gentes tam lata per mundum Christiana vnitate porrectas, ignotorum Aphrorum ignotisque criminibus nolite perfundere, & pro pace Christi redite ad Ecclesiam, quæ non damnauit incognitos, si pro pace Donati placuit reuocare damnatos.

LIBRI QVARTI FINIS.

Subijciendi hic erant, si reperiri potuissent,
Probationum & testimoniorum contra Donatistas liber, cuius meminit August. lib. 2. Retract. cap. 27.
Contra nescio quem Donatistam liber, de quo libr. 2. Retract. cap. 28.
Admonitio Donatistarum de Maximianistis, cuius fit mentio lib. 2. Retract. cap. 29.
De Maximianistis contra Donatistas liber alius, recensetur ab August. lib. 2. Retract. cap. 35.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
BREVICVLVS COLLATIONVM.

Ex Retract. lib. 2. Cap. 39.

POSTEAQVAM *facta est cum Donatistis nostra Collatio, breuiter commemorauì quæ gesta sint, literisq; comprehendi secundũ tres dies quibus cum eis contulimus. Idq; opus vtile existimaui, quo quisq; commonitus, vel sciat sine labore quid actum sit, vel consultis numeris quos rebus singulis annotaui, legat in eisdem gestis ad locum quodcunq; voluerit: quoniam fatigãt illa sua nimiâ prolixitate lectorem. Huius autem operis titulus est, Breuiculus Collationum. Hoc opus sic incipit:*

Præfatio.

CVM Catholici Episcopi & partis Donati, iussu Imperatoris disputando inter se gestis apud Tribunum, & Notarium Marcellinum cognitorem habitis contulissent, multum prolixa eorundem gestorum est facta cõscriptio, quamuis posset totum multò breuius agi. Sed qui causam bonam non se habere sciebãt, id egerunt primum quantum potuerunt, vt ne ipsa collatio fieret, & vt prorsus causa ipsa non ageretur. Sed quia hoc obtinere minimè potuerunt, id effecerunt multiplicitate gestorum, vt quod actum est, non facilè legeretur. Vnde visum est isto breuiario cuncta complecti, vt ad signa numerorum, quæ & in isto breuiculo, & in ipsis gestis annotãtur, sine difficultate quisq; inueniat quod voluerit.

CAP. I. Rescriptum Imperatoris.

INGRESSIS itaq; vtrisque partibus, primo loco recitatum est rescriptum Imperatoris, quo iussit collationem inter memoratos Episcopos fieri, vt superstitionem manifesta ratio confutaret.

CAP. II. Edictum Marcellini Cognitoris quo Episcopi vtriusque partis conuocantur.

SECVNDO loco recitatum est edictũ ipsius Cognitoris, quod per prouinciam misit vt cõuenirentur vtriusque partis Episcopi, & intra diem calendarum Iuniarum conferendi causa congregarentur Carthagine. In eo edicto basilicas sine iussione Imperatoris reddidit Donatistis, qui se pollicerentur esse vẽturos, vt eo modo eos ad conferendum etiam beneficiis inuitaret. In eodem etiam edicto obtulit eis, vt alium quem vellent cum illo iudicem constituerent, iurauitq; se hoc iudicaturum quod veritas suasisset, & cẽtera quæ ad exhortationem congregationis illorum eodem continentur edicto.

CAP. III. Edictum Cognitoris de loco & modo collationis.

TERTIO loco recitatum est alterum Cognitoris edictum, quod proposuit iam præsentibus apud Carthaginem vtriusque partis Episcopis, qui locus & qui modus collationis futurus esset, supradicto die itidem commemorato & constituto: & admonuit vt ei pars vtraque rescriberet, vtrùm placerent quæ comprehendit edicto.

CAP. IIII. Notatio Donatistarum ad edictum Cognitoris.

QVARTO loco cùm partis Donati Episcopi exigerent *proponi sibi ab aduersarijs qua causa fuissent congregati*, Cognitor distulit, vt ex ordine prius omnia recitarentur, quæ ante diem collationis acta fuerant. Et recitata est notaria Donatistarum, in qua dixerunt, *non sibi placere quod in edicto suo posuit, vt hi soli ex Episcopis conuenirent ad collationis locum, quos ad ipsam causam peragendam cæteri delegissent, qui omnes triginta sex cõplebantur, decem & octo hinc, & decem & octo inde: id est, septem qui inter se disputarent, & alij septem qui concilio si opus esset adhiberentur, & alij quaterni qui gestis custodiendis & conscribendis præessent: sed petiuerunt se omnes potiùs, qui venerant, adesse debere*, vt eorum numerus appareret, dicentes *quòd eos aduersarij paucos esse mentiti sint.* Ibi dixerunt *ita se omnes venisse vsq; ad grauissimos senes, vt hi soli deessent, quos aduersa valetudo corporis impedisset*, & cætera quæ ipsa notaria cõtinentur.

CAP. V. Literæ catholicorum ad edicto respondentium, quarum exemplar habes infra in libro Gestorum cum Emerito. O viros pacificos.

QVINTO loco, recitatæ sunt literæ catholicorũ, quas rescripserunt Cognitori, sicut edicto cõmonuerat; insinuantes consentire se ad omnia, quæ illo edicto fuerant ordinata. In eisdem literis etiã se obstrinxerunt, & polliciti sunt, quòd si in parte Donati veritas eis demonstraretur ecclesiæ, non se illic Episcopalem honorem quæsituros, sed consilium eorum secũturos pro salute Christiana: si autem in sua communione potiùs veritas ostenderetur ecclesiæ: honores Episcopales eis non se negaturos; & hoc à se fieri bono pacis, vt intelligerent hi quibus hoc præstaretur,

quòd in eis catholici non Christianam consecrationem, sed humanum detestarentur errorem. Quod si plebes duos in vna ecclesia Episcopos ferre non possent, vtrisq; de medio recedentibus, singuli constituerentur Episcopi, ab eis Episcopis ordinandi, qui in suis plebibus singuli inuenirentur. In eisdem literis commemorata est etiam causa Maximianistarum, ex quibus à se damnaris propter pacem partis Donati quosdam in honoribus integris susceperunt, & ab eis datũ in sacrilego schismate baptismum nõ resciderunt, & cætera quæ in memoratis literis continentur.

CAP. VI. Edictum Cognitoris insinuans quid pars vtraque rescripserit.

SEXTO loco recitatum est etiam edictum ipsius Cognitoris, quod proposuerat cum supradicta notaria Donatistarum, & supradictis literis catholicorum insinuans populo, quæ illi pars vtraq; rescripserit.

CAP. VII. Literæ catholicorũ quibus notariæ Donatistarum responderunt.

SEPTIMO loco recitatæ sunt literæ catholicorũ ad Cognitorem datæ, quibus Donatistarum notariæ responderunt: concedentes eis quod petierant, vt vniuersi qui venerant præsentes essent in eo loco vbi erat futura collatio: cùm tamen illic ex catholicis Episcopis illi soli adessent quos edicto suo Cognitor definierat: vt si aliquis tumultus existeret, quod catholici valde metuebant, non illis imputaretur, qui paucissimi adessent, sed eis potiùs qui multitudinem suam præsentem esse voluissent. In eisdem literis etiam tota ipsa causa comprehensa est, vt ostenderetur ecclesia catholica non esse pars Donati, sed illa potius quæ per totum mundum fructificaret & crescere, incipiens ab Hierusalem secundum sacram Scripturam: & quia nihil ei præiudicarent quicunque in ea mali fuissent, diuino in fine iudicio separandi: & quia nec in ipsum Cæcilianum maiores eorum aliquid probare potuerunt, qui iudiciis Ecclesiasticis, & maximè Imperatoris apud quem ab eis fuerat accusatus, innocens inuentus & pronunciatus est. Et quia de iussionibus Imperatorum quæ pro catholica constituuntur, solent facere inuidiam, commemoratum est etiam de sancta Scriptura, reges decreuisse in regno suo grauissimas pœnas eis, qui blasphemassent Deum: commemorata est etiam causa Maximianistarum, quos & iudiciis ipsi publicis infectati sunt, & ex quibus damnatis quosdam in honoribus integris susceperunt, nec ab eis in schismate datum baptismum destruxerunt; quòd eos quibus dilationem dederunt Maximiano communicantibus, dixerunt illius contagio non fuisse pollutos: & cætera quæ eisdem literis continentur. Hæc autem omnia ideò ibi commemorata sunt, ne fortè si secum cogitassent Donatistæ, & viderent quàm malam causam haberet pars Donati, ad hoc voluissent omnes, qui venerant, ingredi locum Collationis, vt pax atque vnitas fieret.

Daniel. 3.

CAP. VIII. OCTAVO loco cùm Cognitor inquisisset, vtrum sicut à catholicis videbat, ita etiam à parte Donati electi iam essent, qui susceptam causam peragerẽt, Responsum est à parte Donati, *quòd iam esset acta à catholicis causa, antequam esset consligentium statuta persona*, propter illas catholicorum literas quæ totam causam breuiter continebant. Deinde instare cœperunt, *vt prius ageretur de tempore, de mandato, de persona, de causa, tunc ad negotij merita veniretur*. Et cùm Cognitor interlocutus esset, nihil de causa esse mutilatum, & rursus inquisisset, vtrum de cõstituendo numero disputantium edicto eius paritum fuerit, quia per hos oporteret agi omnia quæ agenda essent: cœperunt Donatistæ agere de tempore, quoniam causa ipsa agi non posset, quia dies præterisset. Quartodecimo enim calendarum Iuniarum die completi fuerãt quatuor menses ex die edicti Cognitoris quod ad prouinciam miserat, sicut interrogatum respondit Officium. Et quoniam inter quatuor menses agi causam

Vergiuersatio Donatistarum de tempore, de mandato, de persona actoris, de causa.

A præceperat Imperator, ideò diem iam transisse dicebant, & petebant vt tanquam in contumaces catholicos sententia proferretur: quasi catholici absentes essent, aut Donatistæ aliquando ad agendam causam illis absentibus intrauissent, aut admoniti catholici vel euocati defuissent. Ista ergo calumniosè & tergiuersatoriè, quæ nec in foro iure agerentur, dicebant, nolentes vt aliquid ageretur. Sed ad hoc eis respondit ipse Cognitor, quòd in calendas Iunias pars vtraq; cõsenserit, quamuis etiamsi quælibet pars adhuc vsq; non occurrisset, duos alios menses superesse potuisse, quos Imperator adiũxit trinis edictis fuisse seruãdos.

CAP. IX. Altera vergiuersatio.

NONO loco, quoniam Cognitor superius dixerat, de tempore præscribere, vt causa non ageretur, non Episcopalis, sed forensis potiùs esse obiectionis: inuenit occasionem pars Donati, qua diceret, *nihil ergo secum agi publico iure debere, sed tantùm diuinis Scripturis*. Vnde cùm quæsisset Cognitor, quid vtrique parti B de hac re placeret; responsum est à catholicis, vt iuberet mandatum catholici concilij recitari, vbi electis disputatoribus agendi modus iniunctus est, ibi posse melius apparere, quòd non forensibus tergiuersationibus, sed magis diuinis testimoniis ageretur. Et aliquandiu conflictio producta est, cùm catholici instarent recitari mandatum, illi autem recusarent. Sed postea remotis omnibus moratoriis contentionibus, recitari mandatum Cognitor iussit.

CAP. X. Mandatum catholici concilij, quo delectis ad disputandum Episcopis, ecclesiæ catholicæ aduersus criminationes Donatistarum inuincta est defensio.

DECIMO loco mandatum catholici concilij recitatum est, quo electis ad disputandum Episcopis, catholicæ Ecclesiæ est iniuncta defensio aduersus criminationes Donatistarum. Hoc mãdato iterum sicut in superioribus literis, breuiter tota causa cõprehensa est: prius vt causa Ecclesiæ quæ toto, sicut promissa est, terrarum orbe diffunditur, à causa Cæciliani qualiscunq; illa fuisset, sic distingueretur, vt ostenderetur malos in Ecclesia, qui vel ignoranter vel pro vnitate C pacis tolerantur à bonis, non eis ad mala consentientibus obesse non posse, similitudinibus Euangelicis & exemplo Prophetarum, & ipsius Domini Christi & Apostolorum, & Episcoporum, & iudicio ipsorum etiam Donatistarum propter Maximianistas. Deinde ipsius Cæciliani causa non mala fuisse certis documentis demonstraretur, quibus & ipse & ordinator eius Felix Aptuginensis, quem in concilio suo criminosiùs accusauerunt, probaretur esse purgatus. Et cætera quæ mandato eodem continentur, siue de baptismo, siue de persecutione quæ solet catholicis obiicere pars Donati. Nam commemorata ibi est iterum, sicut in superioribus literis, causa Maximianistarum, qua demonstrarentur Donatistæ suo iudicio cuncta diluisse, quæ obiicere catholicis, vel de baptismo, vel de persecutione, vel de communionis cõtagione consueuerunt. Adiectum est etiam, vt si qua etiam nunc episcopis catholicis morarũ interponendarum gratia vóluissent crimina obiicere, propter finiendam quæ prius vrgeret causam, audienda & discutienda postea differrentur. Hoc autem, id est, vt tota causa & superioribus literis & isto mandato comprehenderetur, eo consilio à catholicis factum est, ne fortè sicut fama iactabat aliquas moratorias præscriptiones Donatistæ ingerere conarentur; & forsitan non permissi, ab ipsa collatione resilirent, acta licet breuiter, Ecclesiæ catholicæ causa, in conscriptione gestorum legenda remaneret, quam timuisse intelligerentur, & ideò noluisse conferre.

CAP. XI. Impetrant Donatistæ vt ingrediãtur omnes catholici Episcopi, qui mandata subscripserant,

VNDECIMO loco cùm Cognitor interlocutus esset, in mandato catholicorum magis diuina testimonia quàm forensia vincula esse prolata, & iussisset etiam subscriptiones omnium recitari, conflictus exortus est, & aliquandiu productus est, cùm Donatistæ exige-

exigerent eorum præsentiam, qui mandato subscripserant; obijcientes, quod eis suppositis qui episcopi non fuerint, potuisset fallere Cognitorem, quo præsente subscripsisse legebantur, & quòd antiquis cathedris alios Episcopos addiderint, vt numerus augeretur. Catholici autem ne sui præsentarentur resistebant; verẽtes, ne illi tumultum aliquem præpararent, per quem prorsus abrumperetur ipsa collatio, quam fieri Donatistæ nolle omninò videbantur, maximè quando de tempore, quasi iam causa lapsa esset & audiri non posset, præscribere voluerunt. Quem tumultum ideò putabantur nondum fecisse, quia si fieret, videbant non posse imputari catholicis qui paucissimi aderant; sed sibi potiùs, quorum præsens fuerat multitudo. Sed voluntati eorum cedentibus catholicis, vt omnes qui subscripserant ingrederentur, apparuit postea hoc ideo voluisse Donatistas, quia existimabant non conuenisse Carthaginem tot catholicos, quot subscriptiones ostendebantur. Hoc autem propterea credidisse putati sunt, quia B catholici nõ ea pompa qua illi Carthaginem fuerant ingressi, & ob hoc eos paucos venisse suspicabantur.

Donatistarum Episcopi vnita pompa Carthaginem ingressi.

CAP. XII. Recensentur Catholicorum Episcopi nomina.

DVODECIMO loco ingressis Episcopis catholicis, quorum præsentia petebatur, omnes singillatim recitati, & in medium procedentes à Donatistis recogniti sunt, vel vicinis suis, vel cum quibus in vno loco erant: & quicunque recitabantur catholici Episcopi ex his locis, vbi nõ erat pars Donati, satis & ipsis Donatistis notum erat se ibi non habere collegas, vel cõmunionem suam, & esse illic catholicos, vel quos nouerant, vel de quibus audierant in suæ vicinitate regionis. Ita factum est, vt omninò nullius catholici recitaretur subscriptio, de cuius præsentia dubitarent. Sanè cùm ventum esset ad nomen Victoriani Mustitani catholici Episcopi, & in medium procedens respondisset se habere contrarios duos, Felicianum in ciuitate Mustitana, & Donatum in loco Turrensi; exegerunt catholici, vt actis constaret Felicianum in C communione esse Primiani: ipsum enim inter alios cum Maximiano damnauerant, damnatorem Primiani & ordinatorem ipsius Maximiani, quem postea in integro honore receperant, nec destruxerãt baptismum in eis quos in Maximiani schismate baptizauerat: sed ad interrogationem catholicorũ respondere noluerunt, dicentes non debere hoc ab eis exigi. Et cùm iterum pressius exigeretur, dixerunt iam internæ actionis hoc esse: & secundum eos interlocutus est Cognitor, vt hoc quod cœptum fuerat ageretur, & illud si opus esset postea quæreretur. In ipsa autem diœcesi Mustitana apparuit, & ipsos Episcopum alium antiquæ cathedræ addidisse, quod inani inuidia catholicis obiecerant: hoc & in aliis locis eos fecisse postea declaratum est.

CAPVT XIII. Donatistæ obtulerunt se à Cognitore confessum.

TERTIODECIMO loco, recensitis & recognitis præsentibus catholicis, qui subscripserant, Cognitor obtulit petens, vt confidentes potiùs agerẽt quàm D stantes. Donatistæ autem recusauerunt, gratias tamen agentes quòd talibus senibus obtulisset confessum: & in ea recusatione multa dicentes in laudem suam, & in laudem ipsius Cognitoris; quæ legat qui voluerit in conscriptione gestorum: pertinet enim ad rem, quomodo quem sic laudauerunt, vt dicerent, *honorificum, iustum, reuerentem, benignum*, causam tamen propter cuius actionem tam multi conuenerant, apud eum agi nolebant.

CAPVT XIIII. Recensentur & Donatistarum Episcoporum nomina.

QVARTODECIMO loco mandatũ etiam Donatistarum prolatum & recitatum est, breuiter factũ, vt hi quos elegerant agerent velut aduersus traditores & persecutores suos. Recitata sunt etiam eorum nomina, cùm hoc catholici fieri petissent, vt cõstaret vtrum apud Carthaginem præsentes subscripserant.

A Sed Donatistæ multò instantius hoc vt fieret Cognitori extorserunt, vt eorum quoque numerus appareret, quod se magna intentione velle monstrabant. In ea sanè recitatione inuenti sunt quidam pro quibus absentibus alij subscripserunt. Inuentus est etiam vnus, qui cum suo nomine recitato non responderet, dixerunt eum in itinere esse defunctum. Et cùm quærerent catholici, quomodo potuerit apud Carthaginem subscribere, qui fuerat in itinere defunctus; illi diu fluctuauerunt, perturbati, & nescientes quid responderent. Nam primò dixerunt, non de ipso, sed de alio fuisse suggestum. Et cùm catholici putassent de alio, id est de clerico eos dicere, qui pro mortuo subscribere potuit: quæsitum est vtrum clericus suo nomine an illius pro mortuo subscripserit: sed postea responderunt, ipsum quidem subscripsisse præsentem, cùm octauo calendas Iunias mandatum fieret: sed quoniam æger subscripserat, remeantem ad propria B in itinere defecisse. Quo audito, catholici petierunt superiora eorum verba recitari, vt ipsa varietas deprehensa clarescceret. Quod cùm factum fuisset & appareret, quæsiuit Cognitor, vtrum saltem sub Dei testificatione firmarent eum fuisse Carthagini, quando præsens præsentibus mandauerit vt subscriberent. Vbi vehementiùs perturbati responderunt, *Quid si & alius pro eodem apposuit?* Hanc eorum falsitatem deprehensam iudicio Dei relinquens, iussit cætera nomina recitari. Quibus recitatis, quæsiuit de numero Episcoporum partis vtriusq;. Respõdit Officium, nomina Donatistarum Episcoporũ esse ducenta septuaginta nouem, annumeratis etiam illis, pro quibus absentibus alij subscripserant, computato & illo defuncto. Catholicorum autem omnium præsentiũ nomina esse constitit ducenta octogintasex: Viginti enim non subscripserant, qui tamen suam exhibentes præsentiam & in medium procedentes; nisi quos infirmi- C tas corporis illic apud Carthaginem tenuit, præsentibus gestis se mandare & consentire professi sunt. In loco ergo Collationis, hoc est, in thermis Gargilianis, quia ipse postea locus placuerat, ex his catholicis qui mandato subscripserant, & qui præsentes gestis mandauerant, hi soli defuerunt qui illic apud Carthaginem incõmoda valetudine tenebantur. Ex his autem quorum nomina Donatistarũ subscriptio continebat, nõ solùm illi deerant quos apud Carthaginem ægrotare responderant, sed etiam illi pro quibus absentibus, id est, apud Carthaginem non constitutis alij subscripserant. Quoniam itaque se Donatistæ de numerositate iactabant, excepto eo quòd catholicos plures venisse Carthaginem cõstitit; dictum est à catholicis alios Episcopos centum viginti non venisse Carthaginem, quòd quidam eorum senectute, quidam infirmitate, quidam diuersis necessitatibus impediti. Quod cùm audissent Donatistæ re- D sponderunt, *etiam suos multò plures non venisse Carthaginem, & multas esse apud se cathedras viduatas Episcopis:* cùm in sua notaria quam Cognitori dederant, apertissimè dixerint *vsque adeò se omnes venisse Carthaginem, vt nec grauissimos senes ætas & labor potuerit deterrere: eosq; solos non venisse quos aduersa valetudo in suis sedibus vel in itinere tenuisset.* Sanè propter cathedras quas Episcopis vacuas apud se esse dixerunt, responsum est etiam à catholicis, sexaginta esse quibus successores Episcopi nondum fuerant ordinati. Ac per hoc in istis vtriusque partis subscriptionibus, & falsitates in Donatistis constitit fuisse deprehensas, & eorũ numerum Episcoporum minorem, quandoquidem soli ægroti non venerant Carthaginem, pro quibus tamen in itinere ægrotãtibus alij subscripserant, & omnium nomina cum ipsis

False & mendaces Donatistarum subscriptiones.

Vanitas Donatistarum deprehensa.

Numerus Episcoporũ vtriusque partis.

Locus Collationis.

Donatistæ falsarij.

etiam pro quibus alij subscripserant, ducenta septuagintanouem subscriptio continebat. Neque vllo modo credibile sit, multò plures quàm centum viginti, hoc est, tertiam partem omnium eorũ in suis sedibus ægrotasse potuisse, & ideò non venisse Carthaginem.

CAP. XV. QVINTODECIMO loco egressis omnibus qui iam superfluò præsentes erant, & remanentibus eis quos necessarios vtriq; delegerant, in perendinũ diem collatio dilata est vtrorumq; consensu, quoniam dies præsens iam videbatur emensus.

SECVNDI DIEI COLLATIO.

CAP. I. Donatistæ vetusant considere.

PRIMO loco, cùm die intermisso ad memoratum locum sicut placuerat & constitutum fuerat conueniretur, obtulit consessum iterum Cognitor, deprecans vt fieret. Et mox Catholici consederunt, Donatistæ autem recusauerunt. In qua recusatione, inter cætera id quoq; dixerunt, quod scriptum sibi esset cum talibus nõ sedere. Ad hoc catholici, ne moræ fierent, tunc non responderunt, sed opportuniore loco in tertij diei collatione. Tunc ergo etiam ipse Cognitor stando se cognituru esse respondit.

Psalm. 25.

Cap. p.

CAP. II. Notaria Donatistarum quæ petunt sibi ædi mandatum catholicorum.

SECVNDO loco recitata est notaria quam pridiè dederant, petentes, *vt sibi mandatum catholicorum æderetur, quo considerato possent in diem constitutum instructi adesse, eò quòd exceptores cum conscriptione gestorum occurrere non valerent*: & responsio Cognitoris in eadem notaria, qua iussit fieri quod petebant.

CAP. III. De subscribendis suis quisque prosequutionibus.

TERTIO loco cùm quæsisset Cognitor, quid etiam de subscriptionibus responderent: id est, vtrũ eis placeret quod edicto proposuerat, vt prosecutionibus suis quisq; subscriberet: & respõdissent catholici, iam se in hoc consensum suũ literis expressisse: illi *se multum moueri dixerunt, quòd hoc consuetudo non haberet*. Et cùm Cognitor interrogasset, vtrũ eis sufficeret quòd dati fuerant gestorum conscribendorum ex vtraque parte custodes: *dilationem petere cœperunt, vt sibi conscripta gesta ederentur, & tunc responderent*. Hic ortus est diuturnus conflictus cum eis, cùm consensus eorum, quo placuerat vt illo die res ageretur, sæpe recitaretur ex tabulis. Et cùm *se notas ignorare dicerent, petentes vt priùs eis ederentur gesta conscripta*: Cognitor iussit, vt quod eorum notarij exceperant perlatis codicibus qui signati custodiebantur, eis recitaretur, ne contra suum consensum venirent. Cumq; & ipsi sæpè de gestorũ ęditione causarentur, quòd exceptores non occurrissent gesta conscribere: etiam hoc eis responsum est, quòd notaria sua ideò se petisse dixerant ædi sibi catholicorum mandatum, vt ad præsentem diem instructi occurrerent, quia exceptores occurrere cum gestorum ęditione non possent. Vbi non inuenientes quod dicerent, voluerũt iterum præscriptionem diei refricare, de qua fuerat eis satis superq; responsum, & inde iam fuerat primo die transitũ. Sed tunc eis catholici etiam ad hoc responderunt, quòd non solũ in edicto Cognitoris calendarum Iuniarum dies constitutus legeretur, sed etiam ipsi octauo calẽdas Iunias suum mandatum conscripsissent, cùm iam transisset dies, quo dicebãt agi debuisse causam, id est, quartodecimo calendas Iunias. Dictum est etiam, ipsum Primianum ad calendas Ionias se pollicitum occurrere. Quæ omnia ideò à catholicis dicta sunt, quòd audierant eos etiam in periculo suo de hac re inuidiosè locutos, & tamen inter hæc omnia illi in petenda dilatione vehementissimè perstiterunt. Quod cùm vidissent catholici, ad hoc eos diu nugari, vt gesta multis verbis onerarentur, petierunt Cognitorem, vt eis quam petebant dilationem concederet. Et concessa est sex dierum dilatio, respondentibus exceptoribus, quando æditio gestorum posset occurrere, & illis promittẽtibus cùm gesta ædita fuerint, se suis prosecutionibus subscripturos.

Tergiuersatio Donatistarum de temporis lapsu.

COLLATIO TERTII DIEI.

CAP. I.

TERTIO die Collationis, id est, sexto idus Iunias, ingressis partibus: primo loco, vtrum ædita eis gesta fuerint Cognitor inquisiuit. Respondit Officium, se ante diem quam promiserat ædidisse, quod ex vtriusq; partis cautionibus probaretur. Et recitatæ sunt cautiones quibus cõstitit catholicos accepisse gesta octauo idus Iunias hora diei quinta, Donatistas autem eodem die, tertia.

CAP. II. Ingressus ad principale negotium.

SECVNDO loco cùm Cognitor iussisset principale negocium iam proponi; dictum est à catholicis, olim se agere velle principale negocium, & hoc esse vt crimina, quæ solent Donatistæ dicere in Ecclesiam toto orbe diffusam, si possent, probarent. Responsum est à Donatistis *vt priùs quæreretur qui essent qui agerent*, vt moræ fierent de discussione personarum. De qua re cùm diu cõfligeretur, catholicis recusantibus, & vt remotis superfluarum morarum tergiuersationibus ad causam veniretur vehementer instantibus, contrà Donatistæ obnixissimè contendebant, vt personæ discuterentur, & flagitabant, *vt exprimerentur qui petissent ab Imperatore istam fieri collationem*. Volebant enim vt constaret catholicos esse petitores, vt ex forensi iure possent discutere personas petitorum, cùm iam in actione prima recitatum fuisset catholicorum mandatum, vbi se ostendebant non petitores esse, sed defensores aduersus crimina, quæ illi eorum communioni obiicere solẽt: cùm ipsi prius exegerint vt ecclesiæ causa non forensibus formulis, sed magis diuinarum Scripturarum testimoniis ageretur, confessiq́ue fuerint, lecto catholicorum mandato, Scripturis sanctis eos Ecclesiæ causam firmare voluisse, seq́ue ex eadem diuinæ legis authoritate vicissim acturos esse promiserint. Tunc ergo quasi obliti quid exegerint, & quid etiam ipsi polliciti fuerint, cùm de Ecclesiæ criminatione & purgatione catholici proposuissent agi oportere, cœperunt personas quærere petitorum, vt eas possent ex forensi iure discutere. Contrà ergo catholici resistebant, & propter præscindendas moras, quas eos & præparare audierant, & innectere iam videbant, perseueranter instabant, vt Ecclesiæ causa potiùs ageretur in conflictu. Peruentum est, vt Imperatoris præceptum quo collationem iussisset fieri legeretur, vt eo modo petitorum persona constaret. Videbatur enim & Cognitori, ne quid Donatistis etiam de ipso iure forensi, veluti iusta poscentibus negaretur, prius petitorum constituendas esse personas. Præcepto ergo Imperiali recitato, collationem petisse catholicos declaratum est, eamq́ue esse concessam. Tunc Donatistæ etiam *preces quibus ab eis illa collatio petita est, postulare cœperunt*. Hic cum eis ipse Cognitor responderet, in pragmatico rescripto preces inseri non solere: ad id se conuerterunt, vt mãdatum catholicorum, quo mandauerant peti ab Imperatore collationem, eosdemq́ue legatos quos ad hoc impetrandum miserant, sibi æderent atq; proderent: asserentes *discutere se debere quæ mandata sunt, atque ibi inuenire posse mandata catholicorum quæ de illis Imperatori locuti sunt*. Hoc cùm intelligerent catholici, ad hoc inquiri vt inuenirentur occasiones quibus pro-

Donatistarum tergiuersatio de persona actoris.

Ad petitionem Catholicorum Imperator Collationem hanc fieri mandauit.

Tergiuersatio de mandato Catholicorum.

prolixi temporis moræ ac dilationes ingererentur, asserebant omninò quod peterent ad causam non pertinere; quandoquidem Collationem ab eis petitam ipse Imperator apertissimè ostenderet, cui Cognitorem dederat, vt superstitionem manifesta ratio cõfutaret. Et vehementer vrgebãtur, vt remotis omnibus morarum interpositionibus, & aliarum interponendarũ inquisitionibus, id potiùs ageretur quod ea collatione agi ab Imperatore præceptum est, quam & petitam ab illo & concessam esse constabat.

CAP. III. INTER hæc etiam de catholico nomine apud quos potiùs esset, pauca ab vtraque parte inuicem dicta & obiecta sunt, & iussum est principali causæ potiùs reseruari. Et post aliquanta identidem, cum catholici nominis facta mentione, dicerent Donatistæ *apud se potiùs esse catholicam*, interlocutus est Cognitor, se interim sine cuiusquam præiudicio non posse aliter appellare catholicos quàm eos appellauit Imperator, à quo Cognitor datus est: illos autem quantò magis se esse catholicos dicerent, tantò magis iam causam ipsam remotis morarum interpositionibus agere debere, in qua probare possent se potiùs esse catholicos. Hic Donatistæ post tantas moras & tot interlocutiones Cognitoris contra eos prolatas, exigentis, vt causa potiùs ageretur, atque testantis de legatorum personis, vel mandato quod eis iniunctum est, nec ad causam aliquid pertinere, nec sibi aliquid vt hinc requireret fuisse præceptum: dixerunt *vt si in legatis, vel mandato quod eis datum est manifestando, noluissent catholici obtemperare iudicatis, saltem hoc responderent: vtrum loco petitorum consisterent*: multum mirantibus catholicis, cur eos Donatistæ dixerunt *in ædendo legatorum mandato non parere iudicatis*; cùm potiùs contra ipsos tam multis interlocutionibus Cognitor pronunciauerat. Interrogauerunt ergo catholici quibus iudicatis non paruerint. Et Donatistis ad hoc non respondentibus, interlocutus est Cognitor: ad illud quod de loco petitoris Donatistæ quæsierant, catholici responderent. Et responderunt, se hoc proponere, vt crimina quæ solent Donatistæ communioni eorum obiicere vel probentur, vel diluantur; vt possit Donatistarum separatio vel defendi vel corrigi. Tunc Cognitor cùm responsionem à Donatistis exigeret, responderunt, *Aphros qui se catholicos dicerent, alienam causam velle defendere, hoc est, totius orbis Ecclesiam: de qua sibi nihil debere præiudicari, cùm inter Aphros hoc negotium ventiletur: & expectare potiùs Ecclesiam transmarinam, vt qui vicerint, ipsi ad eam pertinere videantur, & ipsi habeant catholicum nomen*: sed in fine prosecutionis suæ rursus de persona petitoris vt sibi responderetur, postulauerunt. Hic catholici ad vtrunque breuiter responderunt. Et quia de personis iam primo & secundo iudicio quæstio fuerit terminata; & quia Ecclesiæ toto orbe diffusæ, cui testimonium perhibet Scriptura diuina, ipsi, non Donatistæ communicant, vnde catholici meritò & sunt & vocantur. Donatistæ autem respõderunt, *non catholicum nomen ex vniuersitate gentium, sed ex plenitudine sacramentorum institutum*: & petiuerunt, vt probarent catholici sibi communicare omnes gentes. Quod catholici cùm gratissimè acciperent, & peterent, vt hoc probare permitterentur; rursus illi de mandato illo, quod legatis iniunctum, ædi sibi petiuerant, quæstionem refricare cœperunt, & à causa Ecclesiæ, quæ iam in medio discutienda peruenerat, iterum resilire, modò mandatum supradictum petendo, modò de petitoris persona vt constaret instando, modò vt de his ipsis quæ petierant iudicaret Cognitor, exigendo, de quibus iam totiens fuerat interlocutus, & eos illa frustrà petere pronunciauerat.

Donatistæ catholicorum nomen sibi vetusticam.

Alia tergiuersatio de persona petitoris.

Catholicum vnde dictum velint Donatistæ.

SED Cognitor, quanquam viderentur non rectè petere, ædi sibi mandatum quod legatis iniunctum est: (quia id quod sufficiebat ad causam, collationem petitam concessamq́ue constabat) non ei tamen videbatur iniustè illos petere vt peritoris persona constaret. Catholici autem videntes, quod iam sibi fuerat antea nunciatum, & hoc eorum intentione satis intelligebant, non ob aliud Donatistas personas quærere petitorum, nisi vt liceret eis personarum discussione longissimas temporum & dilationum moras inserere: quoniam vehementer nolebant, vt peruenirẽtur ad causam, in qua se nihil habere quod dicerent, sicut res ipsa vel serò postea patefecit, plenissimè sciebant. Hoc ergo videntes catholici noluerunt personam suscipere petitorum, asserentes non se obiicere crimina, sed obiecta defendere; quæ cùm defendissent, & falsa esse demonstrassent, consequenter eos apparere qui sint, & quanta iniquitate se ab vnitate diuiserint. Hic Donatistæ asserebant, *quocunque modo etiam de ipsis criminibus quæ vellent diluere; vltrò catholici cogerent sibi aduersarios respondere, petitorum eos habere personam*. Sed catholici respondebant ad hoc se petisse collationem, non vbi obiicerent diluenda, sed vbi obiecta diluerent: quoniam & mandatum Donatistarum aduersus traditores & persecutores factum erat: & verba Primiani, quando prius à catholicis de collatione conuentus est, crimen eis eum obiicere testabantur, vbi dixerat: *indignum est vt in vnum conueniant filij martyrum & progenies traditorum*: & quamuis tunc conferre noluisset, postea tamen in iudicio præfectorum *se audiri & discuti velle* dixerat. Quem eorum de collatione consensum tenentes catholici, hoc vt fieret ab Imperatore petiuerant. Tunc iussit eos Cognitor obiecta à se crimina iam probare, nec de perita collatione personam petitoris ostendi, si etiam vtrique petisse probarentur. Hic Donatistæ identidem petere cœperunt, *vt de persona pronunciaret*. Et pronunciauit Cognitor, dicens: Si collationem pars vtraque petiuisset, eum esse petitorem, qui crimina obiiceret. Et exegerunt Donatistæ, *vt probaretur à catholicis, vtrum Collationem vtrique petiuerint*. Vbi Cognitor cùm dixisset, hoc catholici probare debebunt: ortus est iterum moratorius conflictus de catholico nomine & Donatistarum & Cæcilianistarum. Deinde obtulerunt catholici gesta habita in iudicio præfecturæ, quibus probarent etiam Donatistas collationem petisse. Quæ cùm iussisset Cognitor recitari; rursus illi ad præterita redierunt, & de his vt pronunciaret Cognitor flagitare cœperunt, de quibus totiens pronunciauerat: id est, de persona & de mandato legatorum, quod sibi vt æderetur totiens superfluò postulauerant. Hoc autem agebant, quantum intelligebatur, timentes ne gesta præfectoria legerentur, vbi suam causam quibusdam inconsideratis & temerariis responsionibus vulnerauerant. Diu itaque conflictatum est ab eis, & maximè cum ipso Cognitore: cùm ipsi peterent ædi sibi mandatũ legatis iniunctum, aut pronunciaret eos hoc superfluò petiuisse: ille autem & pronunciasse se diceret, & pronũciaret hoc omninò ad præsens non pertinere iudicium, vbi declararetur imperialibus literis quid petitum esset quidue concessum. Et tandem aliquando ad iussum eius cœperant gesta præfectoria recitari. Quorum gestorum cùm dies & consules fuissent recitati, continuò rursus Donatistæ interruperunt, & eadem illa præterita poscere cœperunt. Sed cùm Cognitor interloqueretur, debere gesta recitari, vt de petitoris persona constaret, illi contrà ab initio cœperunt dicere, esse gesta priora, quæ deberent potiùs recitari. Contrà à catholicis dictum est, ideò illos nolle vt gesta

CAP. III. Petitorum personam agnoscere Catholici nolũt.

Occasio petendi ab Imperatore Collationis.

Tergiuersationes Donatistarum.

Tergiuersationes.

gesta præfectoria legerentur, quòd in eis prosecutiones proprias formidarent.

CAP. V. OBTVLERVNT ergo Donatistæ gesta proconsularia, & vicariæ præfecturæ, vbi catholici petierant eos actis municipalibus conueniri, vt collationem vtrorumque facta error de medio tolleretur, longè antequam ipsam collationem ab Imperatore petiuissent: & his gestis catholicos volebant ostendere, loco assistere petitorum, quia illic eos dixerant hæreticos, multa contra diuinas leges humanasque committere. Contra hoc Catholici dicebant, ideò se etiam tunc flagitasse collationem, vt contra eorum crimina pro Ecclesia responderent. Itaque petiuerunt sæpiùs vt si ea gesta recitanda essent, quæ priora esse constaret; illa potiùs legerentur, vbi Donatistæ primitus causam Cæciliani ad Imperatorem Constantinum per Anullinum proconsulem accusando miserunt: recitatisq; gestis quæ ipsi proferebant, non sunt recitata illa quæ apud præfectos habita iam cœperant recitari. Et cœpit esse conflictus, vt si propterea gesta quæ Donatistæ protulerant prælata sunt gestis quæ à catholicis prolata fuerant, quia priora reperta sunt, vt ipsa potiùs recitarentur: saltem post ipsorum recitationem recitarentur etiam illa longè priora, vbi eos appareret in hac tota causa quæ agebatur, primitùs accusatores extitisse per proconsulem apud Imperatorem. Ista ergo ne recitarentur, vehementer Donatistæ obluctabantur, multis & multiplicibus prosecutionibus resistentes, sicut obluctati fuerant & extorserant ne illa præfectoria legerentur. In hac autem obluctatione sæpè repetebant illud iam detritum, & tot interlocutionibus Cognitoris repulsum, *de mandato legatorum sibi ædendo.* Repetebant etiam quæstionem quæ fuerat iam antè transacta, *Vtrum testimonijs legis, an publicis gestis catholici agere mallent.* Et dicebant, *vt si testimonia diuinæ legis eligerent, facerent omnium legum publicarum gestorumq; iacturam: si autem publicis legibus & gestis agere potiùs vellent, omitterent diuina documenta.* Et tamen si hoc eligerent catholici, vt publicorum gestorum documentis potiùs agerent, dicebant se Donatistæ nec hoc permissuros, vt ea quæ à catholicis offerebantur gesta legerentur: eo quòd haberent validam temporis præscriptionem, illam scilicet, de qua eis fuerat sufficienter & à catholicis, & ab ipso Cognitore responsum, quia ipsam causam lapsam & agi iam non posse dicebant, quia dies transierat quo menses quatuor complerentur. Vehementer enim eos timere apparebat, ne gesta legerentur, quibus doceretur à maioribus eorum Cæcilianum apud Imperatorem primitùs accusatum, & deinde iudiciis & Ecclesiasticis & imperialibus absolutum atque purgatum: Hoc est, ne ipsa causa omninò propter quam ventum fuerat, ageretur, vbi se euidentissimè superari posse sentiebant. Sic autem nolebant & timebant, vt hoc etiam confiteri cogerentur, dicentes *quòd sensim*, id est, paulatim *inducerentur in causam, & ad causæ interna deducerentur:* quod vtiq; optare debebant, si non de inanibus & moratoriis præscriptionibus, sed de ipsius causæ veritate confiderent.

Tergiuersationes.

Hoc vnũ agunt Donatistæ, ne causa agatur.

CAP. VI. CONTRA ergo catholici cùm vehementer conarentur vt ad causam peruenireturq; quò eos prorsus nolle peruenire cernebant, respondebant tamen iterum atque iterum eisdem ipsis quæ illi totiens iam transacta repetebant. Et quoniam duo erant quæ in medium venerant, vnum de æditione mandati quod legatis iniunctum est; alterum vtrum diuinis testimoniis, an gestis publicis catholici agere mallent, De mandati illius æditione & catholici responderunt non ad eos, neque ad præsentem causam omninò pertinere. Ipse Cognitor, quod sæpiùs pronunciauerat, iterum pronunciauit, legatorum personam & mandatum quod susceperunt omninò se non posse discutere, & ab eo quod sibi iniunctum est non debere discedere: quando quidem satis apparebat imperialibus literis, quibus iudex huic causæ fuerat constitutus, collationem ab Imperatore concessam. De illo autem altero, vbi quærebant quid eligerent catholici vtrum diuina documenta, an gesta publica: sæpiùs catholici responderunt, si Donatistæ hominum crimina non obiicerent, quæ velut traditoribus obiicere consueuerunt, sed tantummodò id quærereturq; quæ, vel vbi esset Ecclesia, nihil se acturos publicis gestis, sed Scripturarum diuinarum tantummodò testimoniis: si autem in illa hominum accusatione & criminatione persisterent, quia & ipsi ista nisi talibus gestis demonstrare non possent, sine dubio & catholicos huiusmodi crimina gestis publicis defensuros, aliter enim ista nec accusari poterant, nec defendi. Hæc eis sæpius & à catholicis & ab ipso Cognitore repetita & inculcata sunt, multis & variis modis multarum prosecutionum illis ad eadem redeũtibus, & eadem repetentibus, ne ageretur causa, & ne gesta legerentur quæ iam in manibus esse cernebant. Sed aliquando vicit Cognitor tam longas obstinationes, & iussit recitari quæ à catholicis data sunt, & cœpit tandem agi causa propter quam tot Episcopi partis vtriusq; conuenerant. Quod mirabiliter factum est, vt cùm Donatistæ propterea quærerent petitoris personam ne peruenireturq; ad causam, ipsa inquisitio petitoris subitò in medium mitteret causam.

Donatistæ dum causam agi volunt, eam in medio mittunt.

CAP. VII. TERTIO ergo loco hæc acta sunt. Lecta est relatio Anullini proconsulis ad Imperatorem Constantinum: quam quærentibus Donatistis *vnde prolata sit:* catholici responderunt, in archiuo proconsulis si dubitarent, esse quærendum. In qua relatione euidentissimè continetur, ipsos primitùs ad Imperatorem Constantinum per memoratum proconsulem ea quæ Cæciliano crimina obiiciebant, accusando misisse. Qua perlecta, Donatistæ quærere cœperunt *quem sibi catholici dicerent patrem.* Quibus cùm ab eis esset responsum secundum Euangelium, vbi scriptum est, Ne vobis dicatis patrem in terra, vnus est enim pater vester Deus: etiam hoc audito nihilominùs quærere cœperunt, *vtrum eis Cæcilianus pater esset, an mater.* Cùm iam dictum fuisset à Catholicis, nec patrem sibi eum esse nec matrem; sed fratrem, siue bonum, si bonus esset, siue malum, si malus esset, quia & malus propter sacramenta communia frater esset: hinc aliquanto diutiùs conflixerunt, Donatistis eadem repetentibus, & catholicis eadem respondentibus. Nam & hoc obiecerunt Donatistæ, *quomodo diceret Apostolus, Et si multos pædagogos habetis in Christo, sed non multos patres: In Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui.* Et respõsum est à catholicis, hoc honorificentiæ causa dictum propter Euangelicum ministerium quod dispensabat Apostolus. Nam patrem ad fidem salutemque æternam non esse nisi Deum. Neque enim posset contrarium Christo Apostolus loqui, vt cùm ille diceret, Ne vobis dicatis patrem in terra, vnus enim pater vester Deus: contrà Apostolus tanquam resistens verbis Christi patrem se diceret eorum quibus annunciauerat Euangelium: nisi esset vtique distinguendum, quid diuinæ gratiæ, quid humanæ honorificentiæ causa diceretur. Quæsierunt etiam *quis ordinauerit Augustinum,* nescio quas sicut iactabatur, calumnias præparantes. Vbi cùm eis intrepidè responderet, à Megalio se ordinatum, qui tunc fuerit primas Episcoporum in Numidia Ecclesiæ catholicæ: & vrgeret instanter, vt iam proferrent quæ præparauerunt, vt ibi etiam calumniosi demonstrarentur: illi intentionem in aliud detorserunt, redeuntes ad Cæciliani personam,

Relatio Anullini ad Constantinum Imperatorem.

Matth. 23.

1. Corinth. 4.

Calumnia Donatistarum in Augustinum. Megalius primas Numidiæ Augustini ordinator.

nam, quam dicebant catholicæ ecclesiæ non obesse, etiamsi vera eius crimina monstrarentur: & tamen etiam ipsa non posse vera monstrari.

CAP. VIII. Literæ Donatistarum quibus vetuitato Catholicorum gesta prima actionis inserto, respondere conantur.

TVNC itaque Donatistæ protulerunt literas, quas ab vniuerso concilio suo se accepisse dicebãt, quibus responderetur mandato catholicorũ, quod primo die actionis fuerat allegatum: & die sequenti antequã ad secundam actionem die tertio veniretur, data notoria Donatistę ædi sibi popoſcerant, vt instructi possent ad cognitionem venire. Et fortasse propter has literas diligenter scribendas etiam ipsa secunda actione dilationem petiuerunt, quæ illis sex dierum concessa est. Quarto itaque loco hæc acta sunt, lectæ sunt supradictæ literæ Donatistarum, quibus conati sunt respondere mandato catholicorum, quod gestis primæ actionis insertum est. Cui mandato non eos potuisse respondere inueni, & qui vtraque legere & considerare voluerit, comperiet: quia testimonia ex lege & Prophetis & Psalmis & apostolicis atque Euangelicis literis deprompta (quibus ostenditur Ecclesia catholica per totum mundum diffundi, incipiens ab Hierusalem, vnde in propinqua & longinqua crescendo etiam in Aphricam venit, & in alia loca & ciuitates per quas primitùs dilatata est: in quibus multæ Ecclesiæ ad ipsam vnicam pertinentes, apostolico labore fundatæ sunt, quibus Donatistas non communicare manifestum est:) non solùm non pertractare, sed omninò nec attingere voluerunt: nec aliquod testimonium in tam prolixa Epistola sua proferre ausi sunt de Scripturis sanctis, quo assereret Ecclesiam partis Donati esse prædictam & prænunciatam: sicut tam multa catholici protulerunt pro Ecclesia cui communicant, quæ incipiens ab Hierusalem toto orbe diffunditur. Has ergo partes testimoniorum tantorum cùm omninò non attigissent, sed tanquam in illo mandato catholicorum, cui respondere videbantur; dicta non fuerint, præteriissent: illud ostendere tentauerunt prolatis multis testimoniis diuinarum Scripturarum, *quòd Ecclesia Dei nõ cum malorum hominum commixtione futura prædicta sit:* & tamen postea cùm ad Euangelicam similitudinem venissent, quam catholici in mandato suo posuerant de retibus in mare missis, quibus congregari dixit Dominus omnia genera piscium, & bonos à malis in litore, hoc est, in fine seculi separari: etiam ipsi fassi sunt *in Ecclesia esse permixtos saltem occultos malos.* Zizania verò inter triticum non in Ecclesia, sed in ipso mundo permixta dixerunt, quoniam Dominus ait, Ager est hic mundus. De area sanè cui paleam catholici dixerant vsque ad tempus ventilationis admixtam, tanquam omninò in Euangelio nihil tale scriptum sit, exponere similitudinem istam nec conati quidem sunt, sed quasi hoc à seipsis catholici dixerint, eam tantummodò reprehenderunt, velut ex testimonio Hieremiæ prophetæ qui ait, *Quid paleis ad triticum?* non attendentes vnde hoc ille dixisset. Non enim aiebat de Ecclesia, sed de diuinis Prophetarum visionibus & humanis somniis, ne vllo modo compararentur. Illam quoque similitudinem de ouibus & hædis qui simul pascuntur, & in seculi fine segregabuntur, quam inter alias catholici ex Euangelio posuerant, omninò attingere noluerunt. Neque enim poterant illic dicere etiam hædos à pastoribus in communibus pascuis ignorari, sicut dixerant inter retia pisces malos in mari à piscatoribus non videri. Item cùm catholici in mandato suo volentes ostendere tolerãtos à bonis in Ecclesia malos, nec bonos malorum contagione pollutos, commemorassent exempla Prophetarum & ipsius Domini Christi & Apostolorum, & post hæc etiam bonorum Episcoporum, & iudicio ipsorum quoque Donatistarum qui quosdam suorum in Maximiani schisimate positos negauerunt Maximiani contagione pollutos: Illi in suis literis ad hæc respondere conati, de Prophetis & de Domino Christo, & Apostolis quodcunque dixerunt: de Episcopis autem, & Maximianistis siluerunt. In episcopis enim premebantur authoritate Cypriani, cuius verba ex Epistola eius prolata catholici in suo mandato posuerunt: quibus manifestissimè ostendebatur & præcepisse, vt pro vnitate in Ecclesia mali tolerarentur, nec propter ipsos Ecclesia relinqueretur: & quosdam collegas suos etiam ipsum à quorum malis moribus longè abhorrebat, & de quorum factis pessimis non tacebat, in Ecclesia tolerasse. Huius ergo authoritate oppressi Donatistæ, cùm de Prophetis & Domino Christo & Apostolis aliquid dixissent: ad hoc tamen, non tolerandos in Ecclesia permixtos malos, de Episcopis omninò nihil dicere voluerunt. Et tamen etiam de Iuda traditore, & de his quos Paulus tolerauit per inuidiam Christum annunciantes, ipse Cyprianus sic intellexit, sic scripsit, quemadmodum ea catholici in suo mandato posuerunt: quòd & Dominus Iudam ad exemplum malorum in Ecclesia tolerandorum pertulerit; & Paulus eos de quibus talia dixit, non extra sed intra Ecclesiam sustinuerit: de Maximianistis autem quid responderent cùm adhuc homines viuerent, de quibus possent apertissimè facillimeque conuinci? Proinde ad illud quod in mandato suo catholici dixerant, eosdem Maximianistas à Donatistis per iudicia publica basilicis pulsos, vtcunque respondere conati sunt, *non se criminaliter accusasse, aut ad communionem suam inuitum aliquem coegisse, sed res suas vel suorum ciuiliter repetisse:* obliti quod Primianus aliquando dicendum apud acta mandauit, *Illi auferunt aliena, nos intermittimus ablata.* Ad illa verò quæ de Maximianistis in catholicorum mandato dicta sunt, quòd à se damnatos in integro honore susceperint, quòd Maximiani socios ab illo pollutos esse negauerint, quod baptismum ab eis in schisimate datum approbare potiùs quàm rescindere atque iterare maluerint, nec leuiter respondere tentauerunt: sed illa omnia miro quodam silentio tanquam dicta non fuerint, transierunt. De ipso etiam baptismo quòd in illo mandato à catholicis dictum est Apostolum de quibusdam dixisse, Veritatem in iniquitate detinent, vt ostenderetur fieri posse, vt non destruenda veritas in destruenda iniquitate teneatur: aut non intellexerunt, aut id quod ipsi intellexerant, ne ab aliis intelligeretur, verbis suis obscurare voluerunt, dicentes, hoc Apostolum, de gentilium errore dixisse: quasi ad rem pertineat, de quorum errore dixerit, cùm tamen ostenderit posse veritatem in iniquitate detineri: vt hæc duo cùm in vno homine inuenta fuerint, & approbetur veritas, & iniquitas corrigatur: sicut catholica facit, cùm agnoscit in Donatistis & amplectitur sacramenti veritatem, detestatur autem in eis & corrigit hæreticam iniquitatem. Et illud quod à catholicis in mandato dictum est, non ideò destruendum baptismum Christi, quia eum etiam hæretici tradunt; sicut non ideò negandus est Christus, quia eum etiam dæmones confitentur: similiter aut non intellexerunt; aut obscurare voluerunt, dicentes catholicos contra martyres locutos, non tamen exprimentes quos martyres dicerent. Dicentes etiam eos dæmoniis velle communicare: quasi hæreticis communicetur, quando eorum anathematizatur iniquitas, quamuis in eorum consecratione inuentus baptismus non destruatur: sicut anathematizatur iniquitas dæmonum, quamuis in eorum confessione auditum nomen Domini non negetur. De persecutionibus etiã quas perpeti se queruntur, multa in suis literis posuerunt:

Zac. 24.

De ecclesia catholica.

De primitiuitate Donatistarum & Maximianistarum in Ecclesia.

Matth. 13.

Hierem. 23.

Matth. 25.

Bonos inter malorum contagione non pollui.

De causa Maximianistarum.

De exemplo Cypriani.

Libr. 3. epist. 3.

Ser. seu epist. de lapsis.

Ioan. 6.

Philip. 1.

Iudam Christus ad exemplum malorum in Ecclesia tolerandorum tolerauit.

De baptismo.

Roman. 1.

De persecutionibus.

fuerunt: nec tamen respõdere ausi sunt ad illud quod
A mandato catholicorum dictum est, quòd ipsi primi-
tus apud Constantinum Imperatorem accusauerunt
Cæcilianum: qui de Imperatorum legibus conque-
runtur inuidiam catholicorum exaggerantes, siue
mortes, quas eorum Circumcelliones sibimetipsis
†fort. damna. inferunt, siue † omnia quæ non pro communione
Donati, sed pro sceleribus quibus violenter sæuiunt,
nefarieque viuunt per leges publicas disciplinasque
patiuntur: sicut etiam de oppido Vagaitano commem-
orasse ausi sunt; vbi manifestatum est, quanta mala
commiserint, & quàm minora perpessi sunt. Ad il-
lud quoque in catholicorum mandato, quod dictum
De Cæciliano & ordinatore eius Felice. est de purgatione & absolutione Cæciliani & Felicis
Abtuginensis, de quorum criminibus apud imperitos
solebant catholicis magnam inuidiam cõcitare: cùm
illic tota causa propter quam venerant, versaretur, ni-
hil omnino respondere in tam prolixis literis volue-
runt: quia & in eo quod dicebant, & diuinis testimo-
niis velut astruebant, non esse malos in Ecclesia tole-
randos, sed ab eis recedendum propter contagiũ pec-
catorum: ita se dicere demonstrabant, vt tamen igno-
ratis peccatis alienis neminem maculari posse fate-
rentur. Hoc enim & de malis piscibus dixerant, quòd
sicut illos latentes in fluctibus quamuis iam intra re-
tia non vident piscatores: sic latẽtes malos in Ecclesia
nesciunt sacerdotes, & ab eis ideò minimè polluun-
tur. Nec tamẽ vel leuiter vel tenuiter in tam prolixis
& tanta dilatione accepta conscriptis literis probare
conati sunt, quod maximè in mandato catholicorum
cõmemoratum est: vt probarent non solùm vera esse
crimina Cæciliani, (nam hoc parum est) sed etiã Ec-
clesiæ, quæ per omnes gentes vsq; ad terræ terminos
dilatatur, ea probari & innotescere potuisse, vt conse-
quenter saltem secundum ipsos posset cognitorum
peccatorum contagione maculari.

CAP. IX. Respondent Catholici ad scripturas à Donatistis contra bonorum & malorum in Ecclesia permixtionem productas. Intertumpebant Donatistæ.

C VM itaq; literæ Donatistarum recitatæ fuissent,
C voluit Cognitor, vt etiam quæ catholici recitãda de-
derant legerentur. Sed Donatistę ad ea quæ scripserãt
vt responderetur flagitare cœperunt. Quod & catho-
lici magis volebant, ne illæ literæ sic manerent, quasi
eis non potuerit responderi. Incipiẽtibus ergo catho-
licis respondere, Donatistæ interrumpere & obstre-
pere cœperunt, ne perpetuus respondentis sermo de-
curreret, sicut eorũ literæ nullo interpellante fuerant
recitatæ. Volentibus ergo catholicis diuina testimo-
nia quæ ipsi posuerant, & ea quæ illic commemora-
uerant ostendere, quemadmodum essent accipienda,
ne inter se deprehenderentur esse contraria, cùm es-
sent vtraq; diuina, & vtique consona, non dissona esse
deberent, primitus de areæ similitudine cœperunt di-
cere. Tunc Donatistæ interrũpentes dixerunt, quòd
Id dixisse Emeritum refert August. cõtra Gaudentium lib. 2. cap. 4. *de area non legeretur in Euangelio scriptum.* Cumque
expressiùs à catholicis locus Euangelij commemora-
retur, rursus interrumpendo dixerunt *occultos malos*
D *dictos esse paleam postea ventilandam.* Inde inter strepi-
tus & interruptiones eorum de zizaniis & tritico,
dissensio nata est propter mundi nomen, quod Do-
natistæ *nolebant intelligi Ecclesiam*, quia scriptum est,
Ager est hic mundus. Et multa testimonia protule-
Matth. 13. runt, quibus sancta Scriptura mundum, non nisi ma-
2. Ioan. 2. los commemorasset, sicuti est, Qui dilexerit mun-
dum, non est charitas patris in illo, & cætera talia:
vt quasi ex hoc ostenderent mundi nomine Eccle-
siam significari minimè potuisse. Contrà catholici a-
lia testimonia proferebant, quibus in bono mundi
2. Corinth. 5. nomen esse positum ostendeetur, sicuti est, Deus
Mundi nomen aliquando in bono scriptura vsurpat. erat in Christo mundum reconcilians sibi: & cætera
huiusmodi, vbi ostenderetur Ecclesia, quoniam ipsa
vtique per Christum reconciliatur Deo. Et hæc age-
bantur, catholicis sermonem suum prosequẽdo per-

A petuare conãtibus: illis autem ne id fieret perstrepen-
tibus, cùm suam responsionem non reseruarent, sicut
catholici fecerant, cùm eorum epistola legeretur, sed
crebras contradictiones interponendo, ne catholi-
corum prosecutio imperturbata procurreret, impe-
dirent. Flagitantibus itaque patientiam eorum ca-
tholicis, & per multas Cognitoris interlocutiones vix
impetrantibus; responderunt literis eorum, ostenden-
tes multis sanctarũ Scripturarum testimoniis & exẽ-
plis, malos in Ecclesia sic nunc esse permixtos, vt quã-
uis debeat vigilare ecclesiastica disciplina, ad eos non
solùm verbis, sed etiam excommunicationibus & de-
gradationibus corripiendos; tamen non solùm in ea
latentes nesciantur, sed plerunque propter pacem v-
nitatis etiam cogniti tollerentur: sic ostendentes di-
uina Testimonia consonare, vt & illa quibus cõmen-
daretur Ecclesia cum malorum commixtione, hoc
tempus eius significarent, qualis est in præsenti secu-
B lo: & illa testimonia quibus commendatur non ha-
bere commixtos malos, illud eius tempus significa-
rent, qualis venturo seculo in æternum futura est;
sicut nunc mortalis est, id est, ex mortalibus homi-
nibus constat: tunc autem immortalis erit, quando
in ea nemo morietur: sicut ipse Christus isto tempo-
re fuit pro illa mortalis, post resurrectionem autem
iam non moritur, & mors illi vltrà non dominabi- Rom. 6.
tur, quod etiam Ecclesiæ suæ in fine seculi præstitu-
rus est. Hæc duo tempora Ecclesiæ, quæ nunc est, &
qualis tunc erit, significata esse etiam duabus pisca-
tionibus: Vna ante resurrectionem Christi, quando Luc. 5.
mitti iussit retia, nec sinistram nec dexteram nomi-
nans partem, vt nec solos malos, nec solos bonos, sed
commixtos bonis malos intra retia suorum sacra-
mentorum futuros doceret: post resurrectionem au- Ioan. 21.
tem quando iussit retia mitti in dexteram partem,
vt post resurrectionem nostram bonos solos in Ec-
C clesia futuros intelligeremus, vbi vlterius hæreses &
schismata non erunt, quibus modò retia dirumpun-
tur. Nam & Euangelium non tacuit in prima pisca-
tione commemorare retia esse dirupta: & in nouissi-
ma dictum, Et cùm tam magni essent pisces, retia nõ Ioan. 21.
sunt dirupta: De tali Ecclesia dictum esse, quòd per
illam non erat transiturus incircumcisus & immun- Esa. 52.
dus. Ad immundos enim pertinere schismaticas se-
parationes, quia tunc non erunt, quia retia non sunt
dirupta. Hoc etiam significasse, quòd coruus auis im- Genes. 9.
munda exierit de arca, & non redierit. Quæ tamen
arca exeunte coruo non vtique omnibus immun-
dis animalibus caruit, sed in ea fuerunt & munda &
immunda vsq; ad diluuium, sicut in Ecclesia boni &
mali vsque ad seculi finem. Sed sicut non de immun-
dis sed de mundis animalibus Noë obtulit sacrifi- De contagione malorum.
cium, ita non ij qui mali sunt in Ecclesia, sed ij qui
boni sunt perueniunt ad eum. De Prophetis etiam,
quia dixerant Donatistæ in literis suis, *non eos commu-*
nicare illis in quos mala tanta dixerunt: Responderunt Consule scholia.
catholici, quòd vnum templum fuerit quo vniuersi
vtebantur, nec quemquam Prophetarum, qui tanta
dixerunt in malos, constituisse sibi aliud templum, sa-
crificia, sacerdotes. Et quòd Donatistæ in literis suis
posuerant testimonia scripturarum, quibus ostende-
rent *ad peccata parentum etiam filios pertinere*: (cùm hoc Parentum peccata quomodo ad filios pertineant.
vtique nunquam rectè intellectum sit, nisi de iis filiis
qui parentum iniquitates imitarentur) Responderũt
catholici, Cùm tanta in illum populum & acerba di-
cta sint diuinis eloquiis, quæ etiam ipsi in suis literis
commemorauerunt, vt quasi nullus illic remansisse
videretur bonus, non solùm ibi fuerunt iidem ipsi
Prophetæ sancti, verùmetiam ex ipso populo exorti
erant, quòs ipse Dominus in suæ carnis aduentu lau-
dabiles reperit, sicut fuerunt Zacharias & Heliza- Luc. 1. 2.
bet,

bet, & sicut Ioannes filius eorum, sicut Simeon senex
& Anna vidua. Vnde apparet quàm impiè, quàm ca-
lumniosè obiicerentur catholicis toto orbe diffusis
crimina Cæciliani, cùm Simeoni & Annæ & cæteris
talibus obiici non possent crimina illius populi in
quo nati fuerant sacramentis eiusdem populi conse-
crati, quæ crimina eidem populo non humana opi-
nio, sed sermo diuinus obiiceerat. Commemoratum
Zach. 9. est etiam testimonium propheticum, vbi signati sunt,
ne cum malis perirent, qui gemebant facinora, quæ
fiebant in medio eorum; nec tamen corporaliter se-
parati sunt. Deinde vbi commemoratum est qualis
separatio bonis hoc tempore ab impiis & malis fieri
debeat, ne communicetur peccatis alienis, corde vi-
delicet & vitæ morumque dissimilitudine, nec aliter
Esa. 52. intelligi debere quod scriptum est, Exite de medio
eorum, recedite inde, & immundum ne tetigeritis:
id est, discernamini aliter viuendo & immundiciæ nõ
consenseritis: ibi etiam opportunissimo loco respon-
Supra collat. diei 2. cap. 1. sum est Donatistis ad illud quod dixerant, cùm eos
peteret Cognitor vt sederent, scriptum sibi esse, vt cũ
talibus non sederent. Dictũ est enim à catholicis cùm
eorum literis responderent, nõ sic intelligendam esse
separationem à malis hoc tempore, quemadmodum
illi intellexerant, qui secum tanquam cum impiis nõ
Psalm. 25. sederunt, quia scriptum est: Non sedi in concilio im-
piorum: cùm vtiq; si impios putarent, nec illud quod
in eodem Psalmo consequenter prohibetur, facere
debuerunt. Nã ibi sequitur, Et cùm iniqua gerẽtibus
non introibo. Cùm ergo illi intrassent cũ eis quos im-
pios putarent, quare non etiã sederunt, vt in vtroq; nõ
corporalẽ, sed spiritalem cõsessum & ingressum deui-
tasse viderentur. Ibi cõmemorata est etiam causa Ma-
*ximianistarum totiens iam illis obiecta, vbi & se & il-
los quibus dilationem dederunt in Maximiani schis-
mate positos, eiusdem in damnatione Primiani so-
cios: tamen illius contagio dixerunt non esse pollu-
tos, qui Cæciliani criminibus orbem Christianum vs-
que ad terminos terræ perisse contenderent.

CAP. X. Donatistæ aliũ agunt.

A D hæc Donatistę cum validissimis scripturarum
documentis & exemplo suo de Maximianistis respõ-
dere non possent, ad illud quod iam peractum fuerat
redierunt, dicentes *mundum nõ bene intelligi Ecclesiam,*
in qua simul & triticum & zizania iussa sunt crescere:
cùm catholici & tot testimonia diuina iam commem-
orassent, quibus ostenderetur mundus etiam in bo-
na significatione positus, & in ea non nisi ecclesia pos-
set intelligi: & quomodolibet acciperetur mundus
quando vtrunque semen per mundum crescere, non
debere propter zizania totius mundi triticum deseri.
Cùm ergo hæc iam dicta fuissent, & quæstio ipsa iam
terminata videretur; ad eam rursus summa inopia
redierunt eadem per eadem replicantes, quærentes
quomodo potuerit diabolus in Ecclesia seminare zizania.
Deinde calumniantes, quòd duas Ecclesias catholi- Calumnia Donatistarum de duabus Ecclesiis.
D ci dixerint, vnam quæ nunc habet permixtos malos,
aliam quæ post resurrectionem eos non esset habitu-
ra, veluti non iidem futuri essent sancti cum Christo
regnaturi, qui nunc pro eius nomine cùm iustè vi-
uunt tolerant malos. Ad hæc catholici responde-
runt, etiam ipsos iam fuisse confessos, esse in Ecclesia
vel occultos malos: & vicissim quæsierunt, quomodo
eos in Ecclesia diabolus seminauerit, quod illi quasi
fieri non posset de zizaniis requirebant. Repetierunt
etiam catholici testimonium Cypriani, qui eandem
Euangelicam similitudinem non aliter intellexit,
quàm vt in Ecclesia diceret esse zizania, nec latere sed
cerni. Contra quod testimonium illi omninò nihil
ausi fuerant respondere; cùm authoritatem Cypria-
ni tanti habeant, vt per illam conentur defendere,

A quod malè de iterando baptismo sentiunt & faciunt.
De duabus etiam Ecclesiis calumniam eorum catho- Ad eandem catholicorum responsio.
licі refutarunt, identidem expressius ostendentes
quid dixerint: id est, non eam Ecclesiam quæ nunc
habet permixtos malos alienam se dixisse à regno
Dei, vbi non erunt mali commixti: sed eãdem ipsam
vnam & sanctam Ecclesiam nunc esse aliter, tunc au-
tem aliter futuram: nunc habere malos mixtos, tunc
non habituram: sicut nunc mortalem quòd ex mor-
talibus constaret hominibus, tunc autem immorta-
lem, quòd in ea nullus esset vel corpore moriturus:
sicut non ideò duo Christi, quia prior mortuus postea
non moriturus. Dictum est etiam de homine exte-
riore & interiore: quæ cùm sint diuersa, non tamen
dici duos homines, quantò minus dici duas Ecclesias,
cùm iidem ipsi qui nunc boni tolerant permixtos
malos & resurrecturi moriuntur, tunc nec mixtos
malos habituri sint, nec omninò morituri. De ipso
B quoque numero, quoniam Donatistæ scripturarum
testimonio vnam Ecclesiam commendauerunt, velut
contra duas quas catholicos affirmasse iactabant: re-
sponsum est à catholicis, etiã multas Ecclesias in scri-
pturis inueniri dictas, & septem ad quas Ioannes scri- Apocal. 1.
bit, quæ tamen multæ illius vnicæ membra esse intel-
ligerentur: vt hinc appareret multò minus sibi debe-
re obiici duas, cùm eandem ipsam vnam dixerint, nõ
talem nunc esse qualis in resurrectione futura esset,
quandoquidem Apostolicis literis non obiiciantur
multæ, ex quibus ipsa vna constaret. Ad hæc Dona-
tistæ rursus eadem replicare non destiterunt, insuper
adiicientes & inuidiosè iactantes, *quòd Ecclesiam mor-*
talem catholici dixerint, & ideò negantes eam mortalem
esse, quia trinitas immortalis est, cuius gratia consecratur
Ecclesia. Et quia Christus ideò pro ea mortuus sit, vt eam
faceret immortalem: quasi catholici dixerint, non eam
fieri immortalem gratia Dei, & effuso pro ea sangui-
C ne Saluatoris: sed tempora esse discernenda dixerunt,
præsens videlicet quo moriũtur omnes sancti, & sicut
mortuus est ipse Christus: & futurũ, quo resurgent &
nullo morituro viuent cum illo, qui iam resurrexit.

CAP. XI.

H AEC inter eos cùm agerentur, & quamuis ma-
nifesta atque dilucida Donatistis certantibus super-
flua replicarentur, promisit Cognitor de his se quæ
satis audisset extrema sententia iudicaturum; & iu-
sit illud agi potiùs vnde extiterit prima causa dissi-
dij. Tunc Donatistæ vrgere cœperunt, vt de his quæ
audisset primitùs iudicaret. Quod cùm etiam catho-
licі exigerent, & ille in eo quod dixerat permane-
ret, iuberetque illud agi potiùs, vt causa primi dissi-
dij monstraretur; petierunt catholici, vt quæ offere-
bant recitarentur. Quod cùm fieri præcepisset, ob-
nixius Donatistæ resistere cœperunt, & cogere vt
iam de cognitis iudicaret, eadem quæ transacta fue-
rant repetentes: & addentes, quòd omninò iudicare
D de illa causa non deberet, quam volebat agi recita-
tione eorum, quæ à catholicis oblata fuerant recita-
da: dicentes *huius causæ Christum iudicem esse debere:* Donatistæ Christum suæ causæ iudicem statuentes, inuidiam catholicis faciunt, quòd hominem iudicem petissent.
& inuidiam facientes catholicis, *quòd hominem peti-*
uerant iudicem, dicentes etiam solita de persecutioni-
bus quas perpeti viderentur. Ad hoc catholici re-
sponderunt, Nec de homine iudice postulato eos de-
bere facere inuidiam, qui & de causa Maximianista-
rum iudicauerunt, nec eam Christo iudici seruauer-
unt; & ipsam Cæciliani causam primitus ad homi-
nem, hoc est, ad Imperatorem Constantinum accu-
santes miserũt. Nec de persecutionibus, quòd aliquid
ab Imperatoribus pro Ecclesia catholici peterẽt, cùm
eorum Circumcelliones ducibus clericis tam horrẽ- Crudelitas Circumcellionum in catholicos.
da mala committerent: Vbi frustrà responderunt, *ni-*
hil hoc ad sacerdotes pertinere, cùm clericis ducibus
illi

illi talia fecisse asserebant. Ibi etiam cùm dictum esset, quòd calce & aceto humanos oculos persecuti
Iob 2. sint, in quo scelere diabolum crudelitate peruicerũt, qui hoc in sancti viri carne non fecit, quam in potestatem acceperat affligendam: hîc Donatistæ quæsierunt, *vtrum qui faciunt, filij essent diaboli, an qui patiuntur*: quasi catholici aliud quàm passiones suas dixerint immanissimas à clericis & Circũcellionibus eorum. Veruntamen etiam hîc non prætermiserunt catholici, occasione oblata, eis Maximianistas obiicere, & dixerunt secundum eorum sententiam meliores esse Maximianistas quos apud tres vel eò amplius proconsules persecuti sunt. Illi enim si passi sunt, victi fecerunt. Et vrgebant catholici vt responderent vtrum ex ipsis quos damnauerunt & persecuti sunt, non susceperint Felicianum, & vtrum non eum habeant in
Adeausam Maximianistarum obmutescunt Donatistæ. collegio suo. Ad quod illi obiectum sicut semper omninò obmutescentes in aliud ierunt, obiiciendo catholicis, *quòd diabolum defendissent*, quia dixerant eum sancti Iob oculis pepercisse, vnde illum isti crudelitate vicissent. Et susceperunt accusare diabolum velut defensum à catholicis, dicentes *eum magis crudeliter in carne Iob oculis pepercisse, vt manerent ad spectaculum vulneris, quod vniuerso corpori inflixerat.* Quod multum mirum est quare hoc pro magno dicere voluerint, nisi fortè vt intelligerentur piè fecisse, qui oculos in hominibus persecuti sunt, ne cruciarentur videndo vulnera sua, quæ ab eis per totum corpus acceperant. Sed cùm iterum Donatistæ persecutiones quas patiuntur exaggerantes, suorum quasdam mortes commemorarent in oppido Bagaiensi, Responsum est à catholicis eos hoc passos esse, dum eorum violentię resisteretur, quam & iudici inferre conati sunt. In illo oppido commemorauerunt catholici ab eis
Basilica Bagaiensis à Donatistis incensa, & codices sancti in ignem conicti. horrenda esse commissa, ita vt etiam basilica esset incensa, & in ignem missi codices sancti. Mortes autem illorum magis esse ex consuetudine quam habent, vt se ipsi præcipitent. Cumque his Donatistæ respondentes exaggerarent identidem velut persecutiones, quas paterentur, tanquam ex his fructibus suos aduersarios malam esse arborem iactitantes, & petentes identidem vt de agro & zizaniis & de vna & immortali Ecclesia iudicaretur: contrà autem catholici fructus eorum commemorarent schismata & rebaptizationes, & quòd ipsi primitùs maiores suos apud Imperatorem accusassent, atque in huiusmodi mutuis obiectis diu conflictio versaretur: maluit Cognitor hæc omnia cohibere, promittens de his iudicium posteriore sententia. Et recitari iussit quod à catholicis oblatum iam legi cœperat & fuerat interruptum. Sic peracta est causa Ecclesiæ, quam magnoperè catholici curauerant à Cæciliani causa distinguere, quoniam ei non posset cuiuslibet præiudicari criminibus quæ contra omnes humanas criminationes tot testimonia diuina meruisset. Ex hoc iam cœpit agi etiam causa Cæciliani.

CAP. XII. De causa Cæciliani. Cap. 7. Harum exempla inuenies apud Aug. epist. 68. Vide & Optatum libr. 1. QVINTO ergo loco hæc acta sunt. Recitatæ sunt duæ relationes Anullini proconsulis ad Constantinum Imperatorem. Vna quæ iam superius erat recitata, quæ ostendit maiores Donatistarum, id est, de parte Maiorini, dedisse sibi chartas criminum Cæciliani, & postulasse Constantino mittendas, seque illas memorato Imperatori misisse. Altera aũt qua ostendit ex eiusdem Imperatoris iussione denos ex vtraque parte, ad agendam causam, vt mitterent eos se
Harũ exemplar ad Melchiadem missarum habes apud Eusebium in histor. lib. 10. Vide Optatum libr. 1. conuenisse, atque illos promisisse facturos. Tum deinde lectæ sunt etiam literæ supradicti Imperatoris ad Episcopos datæ, vbi eis causam Cæciliani iunxit audiendam. Atque inde ex ordine legi cœpit etiam episcopale iudicium Melchiadis Romani Episcopi & aliorum cum illo Gallorum & Italorum Episcoporum, in eadem vrbe Romæ factum, cuius iudicij prima parte, id est, gestis primi diei recitatis, vbi accusatores Cæciliani qui missi fuerant, negauerunt se habere quod in eum dicerent, vbi etiam Donatus à Casis nigris in præsenti conuictus est, adhuc diacono Cæciliano schisma fecisse Carthagine: de Carthaginis enim schismate exorta est aduersus Ecclesiam catholicam pars Donati: vbi etiam promiserunt iidem aduersarij Cæciliani alio die se præsentaturos, quos causæ necessarios subtraxisse arguebantur: & hoc mentiti, vlterius ad iudicium accedere noluerunt. Hac ergo iudicij parte recitata, cùm cœpisset recitari, quod alio die gestum sit; interruperunt Donatistæ, & petere instantissimè cœperunt, vt prius ea quæ offerebant, recitarentur, asserentes non esse ordinis, vt prius absolutio Cæciliani, quem nondum accusauerant legeretur: & de hoc aliquantò diutiùs conflixerunt, cùm catholici dicerent non debere interrumpi quod legi iam cœperat, donec eiusdem iudicij omnia gesta terminarentur: illi autem è diuerso assererent, ea quæ interrumpebantur, nec incipi debuisse vt legerentur, quoniam non competeret prius defendi hominem quàm accusari. Ad hoc catholici respondebant, Cùm causa schismatis à Cognitore quæreretur, petisse vt illa legerentur, quæ oblata fuerant ad legendum, cùm ageretur de persona petitoris. Duas itaque ob res illa voluisse recitari; vt appareret eos primitus in hac causa hominem iudicem postulasse, qui faciebant catholicis inuidiam, quòd in hac collatione homo Cognitor residebat; & vt petitoris persona constaret: quoniam legi cœpta fuerant, non debere interrumpi, sed vsque ad finem recitando perduci. Inter hæc Cognitor cùm hoc primò voluisset, quod à catholicis petebatur, vt ea quæ recitari cœperant finirentur: postea tamen ei Donatistæ extorserunt, vt ea quæ ipsi offerebant dilatis illis legi permitterentur.

Interrumpunt Donatistæ.

CAP. XIII. De Mensurio Carthaginensi Episcopo. TVNC Donatistæ aliquantũ prælocuti sunt, quòd Mensurius qui fuerat ante Cæcilianum Ecclesiæ Carthaginẽsis Episcopus, tempore persecutionis tradiderit persecutoribus sanctas Scripturas. Et hoc vt probarent, legerunt eius epistolam ad Secundum Tigisitanum datam, qui tunc habebat primatum Episcoporum Numidiæ. In qua epistola videbatur Mensurius velut de suo crimine confiteri, qui tamen non scripserat se sanctos codices tradidisse, sed potiùs ne à persecutoribus inuenirentur abstulisse atque seruasse: dimisisse autem in basilica nouorum quæcunq; reproba scripta hæreticorum, quę cùm inuenissent persecutores & abstulissent, nihil ab illo amplius postulasse. Veruntamen quosdam Carthaginensis ordinis viros postea suggessisse proconsuli, quòd illusi fuerãt qui missi erant ad Christianorum scripturas auferẽdas & incendendas, quia non inuenerant nisi nescio quæ ad eos non pertinentia; ipsas autem in domo Episcopi custodiri vnde deberent proferri & incendi: proconsulem verò ad hoc eis consentire noluisse. In eisdem etiam literis lectum est, eos qui se offerrent persecutionibus non comprehensi, & vltrò dicerent se habere scripturas, quas non traderent, à quibus hoc nemo quæsierat, displicuisse Mensurio, & ab eis honorandis eum prohibuisse Christianos. Quidam etiam in eadem epistola facinorosi arguebantur & fisci debitores, qui occasione persecutionis vel carere vellent onerosa multis debitis vita; vel purgare se putarent, & quasi abluere facinora sua; vel certè acquirere pecuniam, & in custodia deliciis perfrui de obsequio Christianorum. Crimen tamen Donatistæ non ingerebant Mensurio, nisi de codicibus traditis: mentitum eum quippe dicebant, quòd illi non fuerint codices sancti, & peccatum suum

Exempla Mensurij ad Secundũ Tigisitanum.

tegere voluisse, quamuis & ipsam fictionem criminarentur. Recitarunt etiam rescripta Secundi Tigisitani ad eundem Mensuriũ pacificè data, vbi & ipse narrauit, in Numidia persecutores quæ egerint. Et qui cõprehensi & scripturas sanctas tradere nolentes, & multa mala passi & grauissimis suppliciis excruciati & occisi sunt: eosque honorandos pro martyrij sui merito commendauit, laudans eos non tradidisse scripturas sanctas, illius mulieris exemplo, quæ duos exploratores in Hiericho, in quibus figurarentur duo testamenta vetus & nouum, tradere persecutoribus noluit.
Rescriptum Secundi Tigisitani.
Iosue 2.
Quod quidem exemplum si sub hac figura est intelligendum, Mensurium potius adiuuabat. In suis enim literis Mensurius reprehendebat eos, qui scripturas sanctas, quamuis eas non traderent, se tamen habere faterentur, quod mulier illa non fecit. Neque enim eos exploratores, qui quærebantur, apud se esse cõfessa est, sed negauit. Scripsit etiam Secundus, & ad seipsum missos à Curatore & Ordine Cẽturionem & Beneficiarium, qui peterent diuinos codices exurendos, eisque respondisse: *Christianus sum & Episcopus, non traditor*. Et cùm ab eo vellent aliqua ecbola, aut quodcunque accipere, neq; hoc eis dedisse exemplo Eleazari Macchabæi, qui nec fingere voluit suillam carnem se manducare, ne aliis præberet præuaricationis exemplum. Hæ literæ Mensurij & Secundi donec legendo terminarentur, catholici patienter audierunt, quamuis testati fuerint eas esse familiares, nec ad causam Ecclesiæ pertinere.
2. Mach. 6.

CAPVT XIIII. Proferunt Donatistæ Carthaginense concilij 70. episc. suorum contra Cæcilianũ & Felicem eius ordinatorem. COGNITOR ergo commonens Donatistas, vt patientiæ vicem redderent, iussit perlegi, quæ oblata à catholicis iam ex parte fuerant recitata. Hic Donatistæ popposcerunt vt prius etiam legeretur, quod de causa Cæciliani offerebant. Hoc quoque sine vlla difficultate catholicis permittentibus, & commendantibus quàm patienter hoc permitterent, vt hoc eis & illi rependerent, iussit quod offerebatur Cognitor recitari. Et recitatum est à Donatistis concilium fermè septuaginta Episcoporum cõtra Cæcilianum apud Carthaginem factum, vbi eum absentem damnauerunt, quòd ad eos venire noluerit tanquam à traditoribus ordinatus, & quia cùm esset diaconus, victum afferri martyribus in custodia constitutis, prohibuisse dicebatur. Nominati sunt etiam quidam collegę Cæciliani, qui traditores asserebantur publicis gestis, quæ tamen gesta non legebantur. Inter hos autem maximè Felix Abtugnensis acerbius accusatus est, ita vt *fons malorum omnium diceretur*. Deinde sententiæ à singulis dictæ sunt. Primitus à Secundo Tigisitano qui eorum princeps fuit: deinde à cæteris, quibus expresserunt se Cæciliano & collegis eius non communicare. Hoc itaque concilio recitato catholici responderunt, illas literas Mensurij & Secundi adinuicem datas, satis demonstrasse pacatos, nihil postea criminis de facto Mensurij vel accusatum vel iudicatum: cõcilium verò quod contra Cæcilianum factum legerant, non quidem habere consulem & diem, sed hinc se nullum crimen obijcere, quod magis negligentiæ quàm fraudis esse potuerit.

CAPVT XV. Proferunt catholici concilium Cirtense sub Secundo Tigisitano. Vide Optatũ lib. 1. & li. 2. contra Cresco. cap. 27. SED obtulerunt ijdem catholici aliud concilium sub eodem Tigisitano habitum in ciuitate Cirtensi, cuius consul & dies cùm legeretur, Donatistæ dixerunt, *nec consulem, nec diem talia solere habere decreta*. Hic catholici responderũt, illorum esse istum forsitan morem, qui concilia sua nollent in aliqua falsitate conuinci, catholicorum autem concilia consules & dies semper habuisse. Deinde cœpit idẽtidem concilium, quod catholici attulerant recitari, vbi Secundus quosdam de quorum traditione audierat, & singillatim interrogabat, & eos confessos à concessu remouebat. Quod eo modo recitabatur, vt cùm ex Cirtensi concilio lecta esset confessio traditorum, legeretur etiam de concilio Carthaginensi nomen eius velut traditoris in Cæciliani causa damnati. Deinde ventum est ad ipsius Secundi Tigisitani à Purpurio Limatensi crimen obiectum; cui Purpurio idem Secundus occisos ab eo in carcere Milei filios sororis eius obiecerat: vbi ille vicissim ei crimen traditionis obiecit, dicens detentum eum fuisse à Curatore & Ordine vt scripturas daret, nec eum potuisse dimitti nisi aliquid tradidisset. Hoc autem quod ei obiecit Purpurius, detentum eum fuisse à Curatore & Ordine, vt scripturas daret, idem Secundus in literis quas Mensurio rescripserat, penè confessus est: vbi ait missum ad se fuisse à Curatore & ordine Centurionem & Beneficiarium, & à se scripturas petitas, vel quælibet ecbola: quæ quidem se non tradidisse dixit. Sed cũ ipse illic commemorauerit tot martyres qui cùm tradere noluissent, excruciati & occisi sunt; quomodo ipse detentus & conuictus, & nolens aliquid tradere, nihil pati & dimitti potuerit, nec Mensurio scripsit, nec Purpurio respondit. Non enim Cẽturioni & Beneficiario dixit se scripturas non habere, sed respondit se omnino non tradere. Quod illi auditum quomodo illo dimisso renunciare potuerint sine suo exitio, non apparet; præsertim quia idem Secundus non quoslibet infimos, sed etiam patresfamiliâs, cùm hoc idem persecutoribus respondissent, crudelissimis mortibus dixit occisos. Sed de hac re catholici nullum Secundo crimen obiecerunt, sed tantummodo quod ei Purpurius obiecit, & propter quod pacem ne schisma fieret, omnia illa Deo dimittens, cũ traditoribus fecit, recitari voluerunt, vt quales homines in absentem Cæcilianum sententias dixerint, appareret.

CAP. XVI. Respondent catholici ad Carthaginense concilium à Donatistis suppraeditti. Locus depauatus. HOC autem recitato, petierunt catholici vt etiam illa quæ dilata fuerant, legerentur de concilio Carthaginensi, in quo lectum fuerat absentem Cæcilianum à multis Episcopis fuisse damnatum. Hoc illud concilium quia catholici recitauerant relationes Anullini proconsulis, quibus appareret chartas criminum Cæciliani Constantino Imperatori esse trãsmissas. Quod vtique agentes, confirmauerunt à maioribus suis Cæcilianum apud Imperatorem accusatum. Respõsum est autem à catholicis, illud Carthaginẽse concilium sic non præiudicare absenti Cæciliano, quemadmodum non præiudicauit absenti Primiano cõcilium eorũ, à quibus in Maximiani causa damnatus est: quoniam magis tenuit pars Donati, quod actũ est postea pro Primiano, quàm illius concilij authoritatem quo fuerat antè damnatus: sic ergo & in Cæciliani causa debere attẽdi quod postea gestum est. Hic Donatistæ & Maximiani causa coarctari dixerunt, *nec causam causæ, nec personã præiudicare person.æ*. Quam sentẽtiam in ore habere solent omnes catholici, cùm Donatistæ aliorum crimina aliis obijcientes suam separationem defenderent, & orbem Christianum nescio quibus Aphrorum criminibus accusarent. Nam & ista Collatione totum quod egerant catholici, vt Ecclesiæ causam à causa Cæciliani distinguerent, asserentes in Ecclesia permixtos malos non obesse bonis, nec eos suis maculare peccatis, hoc vtique egerãt, vt nec causa causę præiudicaret, nec persona personæ. Quod ab aduersariis dum aliud ageretur, voce apertissima confirmatum est. Sed Cognitor cùm quæsisset quid de Carthaginiensi concilio catholici responderent, iterum responderunt, non esse contemnendam similitudinẽ causæ Primiani, quia & Dominus Christus Iudæos de factis eorum conuincens perducebat ad verum. Deinde Donatistę longa prosecutione agebant, vt ex illius authoritate Carthaginiensis concilij confirmaretur Cæciliani damnatio, quod ad tot sacerdotes venire noluerit: quasi non & Primianus ad eos

Donatistæ suo se gladio iugulant.

à quibus damnatus est, cùm eorum factionem cognosceret, simili voluntate non venerit: & quòd non expectauerit Cæcilianus vt princeps à principe ordinaretur; cùm aliud habeat Ecclesiæ catholicæ consuetudo, vt non Numidiæ, sed propinquiores Episcopi Episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent: sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis Episcopus Metropolitanus, sed de proximo Ostiensis Episcopus. Hoc autem dicentes de sua consuetudine, quam nescio quando instituerunt, Ecclesiæ catholicæ præiudicare conabantur, quæ consuetudo si antiqua esset, hoc ipsum obiecissent Cæciliano quando eum absentem damnauerunt. Dixerunt etiam scripsisse Optatum, quòd Cæcilianus dixerit, *Si traditores sunt qui me ordinauerunt, ipsi veniant & ordinent me.* Quod quidem si dictum est, ideo dici potuit ad illos irridendos, quibus hoc mandasse perhibetur, quoniam certus erat ordinatores suos non esse traditores. Non enim ait, quia traditores sunt: sed, si traditores sunt: vt innocētia eorum probanda restaret, vbi probari rectè potuisset. Ad hæc, & si qua alia prolixa prosecutione dixerunt, breuiter responderunt catholici, non sufficere ad causam Cæciliani Carthaginiense concilium, ipsos etiam iudicasse, qui eam ad Imperatorem accusando miserūt: & sic demonstrarunt hoc potius esse expectandum, quo res peruenerit vsque ad Imperatoris sententiam, cui eandem causam mittendam duxerunt. Hoc enim catholici instabant, vt omnibus morarum vmbraculis amputatis illa potius legerentur, quibus lectis olim causa finita, & Cæciliani innocentia manifestata luce clarius appareret. Quæ Donatistæ vt legerentur, omnino nolentes, quidlibet aliud interponendo impediebant. Nam cùm Cognitor quæsisset, vtrum prius esset factum Carthaginiense concilium, & postea missa fuerit ad Imperatorem causa Cæciliani dixerunt catholici, quoniam consulem & diem illud concilium non haberet, ad vtrunque se respondere, quia si prius causa ad Imperatorem missa est, quo exitu terminata sit expectari oportere. Si autem postea, nihilominus non istorum, sed illius iudicium esse quærendum, quò eam post iudicium suum mittendam putarunt. Sed cùm multa Donatistæ insererent de consule & die, cur in suorum maiorum concilio non legeretur, ne hinc falsitatis arguerentur, & assererent hanc esse ecclesiasticam consuetudinem, ne dies & consules decretis Episcoporum conscriberentur, legi volentes etiam concilium Cypriani, vt hoc probarent, quia nihil aliud nisi moræ quærebantur: (neque enim catholici in eo causam suam constituerant quando ad vtrumque responderant, siue prius, siue posterius esset illud concilium, quod contra Cæcilianum apud Carthaginem fecerant) iussit cognitor catholicis instantibus, vt ista potius quæ dilata fuerant, legerentur.

Romanus Episcopus ab Ostiensi ordinatur.

Opta. lib. 1.

CAPVT XVII. *Donatistæ Cirtense concilium à Catholicis suprà productum, falsum esse conantur ostendere.*

TVNC Donatistæ aliam quæstionem interposuerunt morarum plenissimam, sed re vera in qua pro se laborare voluerunt, si possent ostendere quod volebant, illud scilicet Cirtense concilium falsum esse, vbi lectæ fuerant confessiones traditorum inuicem sibi ignoscentium ne schisma fieret, quia ipsi legebantur inter cæteros contra Cæcilianum absentem sententias protulisse. Hoc ergo falsum demonstrare conantes multa dixerunt; sed alia leuia esse ipsi iudicantes, duo quædam in ea quæstione multum commendauerunt, & in eis multum immorati sunt. *Vnum, quia contra ecclesiasticam consuetudinem ipsum Cirtense concilium diem & consulem haberet. Alterum autem quòd persecutionis tempore non posset concilium congregari.* Exigebant ergo Donatistæ à catholicis, vt vel alia concilia proferrent antiqua Episcoporum, vbi ostenderent consules & dies etiam conscriptos, vel de ipsis sanctis scripturis tale aliquid recitarent. Vbi catholici cùm viderent de re inanissima moras mirabiles & inexplicabiles interponi (quis enim eos hinc falsitatem crederet obiecturos, vbi ad maiorem diligentiam temporum attestatio prænotata legeretur, ne fortè per hanc esset aliquando necessaria indagatio veritatis? quis ergo eos crederet hoc obiecturos, vt præpararet antiqua concilia, quibus hanc consuetudinem demonstraret? aut quis tunc iret & vetusta ecclesiastica archiua reuolueret?) Cùm hoc videret catholici, & in Melchiadis concilio diem & consulem demonstrabant, & de ipsis sanctis scripturis commemorauerunt prophetas indicia antiquissimorum temporum suis literis prænotasse, quoto anno, cuiusque mense anni, quoto die mensis factum esset super eos verbum Domini. Cognitor autem illud de die & consule obiectum contemnendum & remouendum existimans; iussit gesta apud Melchiadem habita cætera recitari, & recitata sunt. Quibus apparuit omnium qui tunc cōsederant Episcoporum sententiis & ipsius Melchiadis, Cæcilianum absolutum atque purgatum; Donatum verò damnatum, qui præsens in prima fuerat actione conuictus; ille scilicet Donatus à Casis nigris, quem præsentem fuisse tunc constitit. Sed hoc recitato, cū quæreretur à Donatistis quid responderent ad illud Cirtense concilium, eò redierunt conantes falsum esse mōstrare. Tum dixerunt tempore persecutionis congregari non potuisse concilium. Quod Cognitor non cōtempsit, & validum existimans, à catholicis responsionem poposcit; atque inter hæc quæsiuit, vnde probaretur tempus fuisse persecutionis. Tunc Donatistæ protulerunt martyrum gesta, vbi auditi & pro confessione passi sunt. Iussit etiam Cognitor computare Officium, & renunciare consideratis vtriusque consulibus & diebus, & qui de concilio Cirtensi, & qui de gestis martyrum legebantur: quia dictum fuerat à catholicis, post illorum martyrum passionem, vnde persecutionis tempus probabatur, prope annum consecutum fuisse vsque ad consulem & diem concilij Cirtensis. Responsio autem computantis officij mensem interfuisse suggesserat. Voluerunt ergo catholici de tabulis tolli quod dixerant, vt hoc solum gesta retinerent quod Officium responderat, hoc enim verius esse crediderant: Sed Donatistæ quòd à catholicis dictum erat noluerunt de tabulis tolli: vnde catholici non contenderunt, vt eorum in hoc calumniosus animus appareret. Porrò autem illud erat verius quod catholici dixerant, Officium autem in computando errans falsum renunciauerat, quod postea conscripta & diligentius considerata gesta docuerunt, sicut potest probare, quem libuerit legere, & non piguerit computare. Nam gesta martyrum quibus ostendebatur tempus persecutionis, consulibus facta sunt Diocletiano nonies, & Maximiano octies, pridie idus Februarias: gesta autem Episcopalia decreti Cirtensis post eorundem consulatum, tertio nonas Martias, ac per hoc tredecim menses interesse inueniuntur, plures vtique quàm vndecim, quos prius catholici minus diligenter computando responderant: sed Officium vt falleretur & mensem interesse responderet, eūdem consulatum putauit, post consulatum autem non aduertit, vbi annus iam alius agebatur. Proinde catholici tanquam ex vera Officij responsione cogebantur ostendere tempore persecutionis illos vndecim vel duodecim Episcopos in domum priuatam conuenire potuisse, Donatistis instantibus, vt hoc ex aliis conciliis ostenderent si aliquo tempore persecutionis facta Episcoporum concilia reperire potuissent. Quod catholici quoniam tunc inquirere & ad horam veteres chartas in archiuis Ecclesiasticis discutere non poterant, respondebant multo facilius duodecim homines in domum conuenire potuisse eo tempore, quo etiam

Melchiadis & Romani consilio pro Cæciliano sentētia.

Tempus Cirtensis concilij.

Error officiales catholicos in superfluas conijcit disputationes.

etiam congregationes plebium fieri solebant, quamuis persecutione feruente, sicut ipsis gestis martyrum monstrabatur, qui confitebantur in passionibus suis se collectam & Dominicum egisse. Hoc autem catholici dixerant, & antequam supputaret & responderet Officium, dictum est etiam à catholicis, Episcopalia gesta illa Cirtensia quæ diligentia maiorum vsq; ad hæc tempora seruari & inueniri potuerint, sic habenda quemadmodum illæ Epistolæ Mensurij & Secundi, quas Donatistæ recitauerūt. Concilium quippe Carthaginiense, vbi absentem Cæcilianum septuaginta damnauerunt, commemoratum est etiam à Melchiade, habitum, vbi Cæcilianus est absolutus. Literæ verò illæ Mensurij, & Secundi nusquam alibi commemoratæ dicebantur, vnde nullo alio testimonio veritas earum asserebatur, nec tamen ideo dicebant catholici falsas esse. Dictū est etiā hoc à catholicis, vt probarent Donatistæ si possent, tempore persecutionis sic ad se inuicem scripsisse Episcopos, quemadmodum Mensurium & Secundum scripsisse proferebant. Quod non ideo dicebant catholici, vt hinc illas Mensurij & Secundi literas falsas esse monstrarēt, quæ seu veræ seu falsæ essent causæ nihil officerent: sed vt hinc intelligerent Donatistæ, quàm vana tergiuersatione catholicos cogerent alia proferre concilia persecutionis tempore congregata: quia si eis simili obstinatione diceretur, proferte & vos alias epistolas persecutionis tempore sic scriptas & missas, quæ si aliquo modo deprehenderentur, & codices occultati exigi possent, & Ordo & Curator & Centurio & Beneficiarius ad discrimen capitis peruenire, qui Secundum tradere nolentem impunitum dimisisse probebantur, nullo modo ad horam reperirent alias Epistolas tempore persecutionis ab Episcopis ad Episcopos in tam longinqua terrarum similiter datas. Cùm ergo hinc diuturna conflictatio fieret, sæpe repetentibus Donatistis *non potuisse tempore persecutionis concilium congregari ad Episcopum ordinandum, quia in apostasia erat mundus, nec erant quibus ordinaretur*, & cætera talia: catholicis autem respondentibus, quòd & Episcopi facilè congregarentur tam pauci, vt nec concilium dici debeat; quando plebes congregabantur, sicut gesta martyrum testarentur: & erant sine dubio quibus ordinarentur Episcopi, ipsæ vtique plebes quas tunc solitas congregari gesta martyrum loquebantur. Hæc cùm assiduè multis & variis modis dicerentur, & responderentur: nam & domum priuatam Christianis congregandis præstitam constitit tempore persecutionis, sicut in quibusdam gestis martyrum legebatur, quia Donatistæ dixerunt fieri non potuisse, vt illo tempore domum suam quisquàm præberet: & commemoratum est vsqueadeo non esse incredibile, quòd in priuatam domum pauci illi Episcopi persecutionis tempore conuenerunt, vt feruēte persecutione etiam in carcere doceātur baptyzati martyres, & illic à Christianis celebrata sacramenta, vbi Christiani propter eadem sacramenta tenebantur inclusi.

CAPVT XVIII. *Donatistæ Melchiadis Romani pontificis iudicium à catholicis productum oppugnant.*

INTER hæc ergo tandem aliquando, sæpè etiam Cognitor interlocutus, fieri potuisse illum conuentum ab Episcopis, quando & plebes congregatæ probabantur; compulit Donatistas, vt contra concilium iudiciumque Melchiadis, quo Cæcilianus purgatus atque absolutus legebatur, si haberent aliquid dicerent, quoniam illic potius quàm in illo Cirtensi concilio causa consisteret. Tunc Donatistæ *ipsum Melchiadem cœperunt crimine traditionis arguere, & dicere, maiores suos propterea illius iudicium refugisse, quòd traditor fuisset:* quasi † non iam iudicio eius assisterent, & responderent se in Cæcilianum non habere quod dicerent. Sed tamen facto iudice intento, vtrum de traditionis crimine Melchiadis aliquod iudiciū vel publicum, vel ecclesiasticum proferretur, ipsisque catholicis id vt probaretur expectantibus & exigentibus legerunt Donatistæ gesta quædam prolixissima apud præfectum, vbi nec præfectus ipse cuiusmodi esset apparebat, nec locus legebatur, vbi hæc agebantur. Sed gesta ipsa multos multa Ecclesiastica tradentes longissima recitatione sonuerunt, vbi nomen Melchiadis omnino non sonuit. Quibus peractis cùm cognitor miraretur aliud promissum & aliud recitatum, illi adhuc eius patientiam deposcentes, gesta alia recitarunt: in quibus legebatur Melchiades misisse diaconos cum literis Maxentij Imperatoris & literis præfecti prætorij ad præfectum vrbis, vt ea reciperent quæ tempore persecutionis ablata memoratus Imperator Christianis iusserat reddi. Et cum his quoque gestis nullum Melchiadis crimen & Cognitori & catholicis defensoribus appareret, dixerūt Donatistæ, *Stratonem diaconum, quem cum aliis Melchiades ad recipienda loca Ecclesiastica miserat, superioribus gestis recitatum esse traditorem*, & ideo volebant etiam Melchiadem crimine traditionis aspergere, quòd diacono illo non degradato vteretur. In prosecutione autem sua dixerunt Melchiadem tertium Episcopum fuisse ab illo, qui tunc erat cùm traditio illa facta esset. Hic Cognitor requisiuit, vtrum saltem in illis traditionis gestis esset expressum, quòd Straton diaconus fuerit. Et recitatum est eum hortatorem vanissimæ superstitionis appellatum, quod non solùm ipse, sed etiam ceteri qui tradebant, appellabantur. Sed Donatistæ responderunt, *à gentilibus persecutoribus in contumeliam religionis & diaconos & presbyteros ita vocitatos.* Ergo catholici responderunt, Cùm mirum non esset, esset què in rebus humanis vsitatissimum, vt non duo tantùm, verumetiam plures homines vno nomine vocarentur: fieri quidem potuisse vt ille traditor Straton presbyter fuerit, iste autem alius Straton diaconus, quoniam Donatistæ dixerant & diaconos & presbyteros hortatores vanissimæ superstitionis à gentilibus appellari: (quanquam omnes clericos isto contumelioso nomine gentiles appellare potuerint, & multò esset incertius cuius gradus clericus ille traditor fuerit) veruntamen etiam si eum diaconum fuisse posset ostendi, neque hoc esse incredibile aut mirum, cùm ante paruū tempus in ipsa vrbe Roma duo Petri diaconi fuerint. Illud quoque additum est à catholicis, quia etsi demonstraretur, quod omnino non demonstrabatur, eundem Stratonem diaconum tradidisse, quem postea Melchiades ad recipienda loca ecclesiastica cum aliis diaconis misit, non continuò Melchiadem isto crimine aspergi; quem potuit persecutio longè facere absentem, vt hoc omnino nesciret, eumque innocentem putaret, quem nemo reum accusando monstrarat. Contra hic frustra Donatistæ eadem per eadem diutissimè clamauerunt. Post collationem sanè ἀυτὸ δὴ etiam de Cassiano Melchiadi calumniati sunt, quia ἀυτῶν etiā hoc nomen & in diaconis inuenitur, quos ad præfectum misit Melchiades, & in illis gestis vbi facta traditio recitata est. Quod si in collatione dicerent, facilè potuit à catholicis responderi, in tanta turba Romanorum clericorum nihil mirum fuisse si duo vel plures non solùm Stratones, sed etiam Cassiani reperirentur, cùm in duodecim Apostolis non solùm duo Iudæ, sed etiam duo Iacobi legerentur; nisi fortè ipsis licuisset Casensem à Donato Carthaginensi distinguere, cùm timerent, ne maior author ipsorum Donatus Carthaginiensis damnatus in Melchiadis iudicio putaretur: & catholicis non liceret in tanta multitudine clericorum Romanorum habere plures similibus nominibus appellatos. Falsum enim erat quod

† *fort. nunc vel modo.*

Duo Donati alter Casensis, alter Carthaginensis.

Donatistæ dixerant, *conuenire personas, conuenire loca, conuenire regiones:* quando nec loca, nec regiones, nec ipsæ expressæ personarum dignitates de vtrisque gestis, sed sola nominum conuenientia legebatur, quam in diuersis personis generis humani consuetudo frequentare non cessat.

CAPVT XIX.

SPERNENS itaque Cognitor incertissimas suspiciones, iussit aliquid manifestum cõtra illa gesta proferri, aut certè Constantini iudicium, cuius mentio iam facta fuerat, recitari. Et recitatum est iudicium Constantini, quemadmodum se inter partes causam Cæciliani cognouisse, ad Eumalium vicarium Aphricæ scripsisset, quòd remotis omnibus arbitris Cæcilianum innocentem, illos calumniosissimos cognouisse testatus est; commemorans etiam in Arelatensi oppido pro Cæciliano factum episcopale iudicium, cui iudicio iam plurimi ex dissensione consenserant, reliquis adhuc resilientibus & discordantibus: vnde ipse de re tota inter partes coactus est iudicare. Post harum imperialium literarum recitationem, quæsiuit Cognitor à Donatistis quid contradicerent. Ibi Donatistæ rursus ad Melchiadis calumniosam criminationem redire conati sunt: vnde cùm essent Cognitoris interlocutione depulsi, & ab eis esset flagitatum, vt contra iudicium Melchiadis, vel imperialem sententiam si haberent aliquid recitarent: responderunt *etiam imperatorias aures prauis suggestionibus inflatas.* Ibi eis cognitor respondit, quod attentissimè aduerterat, inter partes fuisse iudicatum. At illi exigere cœperũt, vt hoc legeretur, vtrum inter partes iudicauerit Imperator. Quod cùm fuisset Cognitore iubente recitatum, nihil inuenientes quod dicerent, cœperunt de consule memoratis imperialibus literis calumniari, *quòd sine consule fuerant recitatæ.* Hinc exorto conflictu, cùm Donatistæ inuidiosè dicerẽt episcopale concilium cum consule fuisse recitatum, & imperatoris literas consulem non habere: & catholici respondẽrent, non ibi causam consistere, Cognitor etiam interlocutus est euidentissimis legibus definitum: imperialia constituta, etiamsi consules non legerentur, in dubium non vocari. Deinde catholici vrgebant, vt apertè dicerent falsum esse quod lectum est, posse enim archiua conqueri.

Iudicium Cõstantini Imperatoris pro Cæciliano.

Arelatense cõcilium pro Cæciliano.

Calumnia Donatistarũ in Constantinum Imperatorem.

CAPVT XX. Optatũ Donatistæ pro se adferunt, qui contra eos scripsisse deprehenditur.

SED hinc repulsi, velut aliquid validissimum prolaturi, *petierunt Optatum legi,* quod & antè petiuerant: *vnde se probaturos dicebant Cæcilianum ab Imperatore damnatum:* & promissum eis fuerat, sed dilatum. Prius ergo volebat Cognitor vt exprimerent, vtrum literas imperatorias arguere falsitatis auderent. Quod quidem illi minimè audebant, tamen nihilominus consulẽ deesse inuidiosissimè causabantur. Optatum verò legi multò instantiùs flagitabant. Hæc cùm diutius agerentur, in alia charta illarum imperialium literarum inuentus est consul. Quod cùm esset suggestum, Donatistæ dixerunt. *Certè consulem habere non debuit:* quasi hoc aliquando dictum esset quòd habere nõ debuerit; ac non etiam si consul defuisset, non impediri imperialis constituti veritatem. Quod cùm eis Cognitor identidem respondisset, recitatus est & Optatus. Recitantibus Donatistis vbi ait: *Eodem tẽpore idem Donatus petijt vt ei reuerti licuisset & ad Carthaginem accederet · tunc à Philomeno suffragatore eius Imperatori suggestum est, vt bono pacis Cæcilianus Brixiæ teneretur: & factum est.* In quibus verbis Optati, cùm omnino nulla Cæciliani damnatio, sicut illi demonstraturos se esse promiserant, reperiri potuisset, iussit Cognitor totam paginam recitari, vt de superioribus & inferioribus verbis voluntas eius qui scripserat, nosceretur. Et ex Officio recitatum est: *Cæcilianus omnium suprà memoratorum sententiis innocens est pronunciatus.* Quod cùm recitaretur, Donatistæ dixerunt, *hoc se non petisse recitari,* stomachantes aduersus eos, qui risum tenere non potuerant cùm audissent quàm apertam contra semetipsos paginam protulissent. Deinde cũ illis verbis quæ ipsi recitauerant, *extenuasse dicerent Optatum damnationem Cæciliani, & exprimere noluisse:* flagitatum est ab eis vt aliunde manifestum legerent, quod ab illo dicerent extenuatum. Quod cùm minimè potuissent, etiam inde post aliquantas morarum inanium perplexitates, cùm & de Donati nomine contendissent *quòd non Carthaginiensis, sed Casensis Donatus in iudicio Melchiadis aduersus Cæcilianum astitisset,* quod & catholici concedebant; aliquando transitum est.

Optatus, lib. 1.

CAPVT XXI. Donatistæ libellum quendam proferunt Constantino ab ipsorũ maioribus post damnationem suam oblatum.

DEINDE quia Constantini literis quibus eum inter partes cognouisse, & pro Cęciliano contra illos iudicasse constabat, Cognitor eos si quid haberent respondere cogebat: petiuerunt suum libellum esse recitandum, quem dicebant datum Constantino à maioribus suis. In quo libello satis aperteque monstrauerunt, quàm falsum dixerint de damnatione Cæciliani apud Brixiam. Idem quippe libellus ostendit quemadmodum contra eos senserit Constantinus. Nam ibi dicunt *nullo modo se communicaturos antistiti ipsius nebuloni, paratosq; esse perpeti quicquid eis facere voluisset.* Quem Constantini antistitem nebulonem vtiq; Cæcilianum intelligi volebant. Quomodo ergo eũ Constantini antistitem dicebant, cui se contra Constantinum loquentes non communicare confirmabant, si eum apud Constantinum superauerant, ita vt ab illo Brixiæ scirent esse damnatum.

CAPVT XXII. Proferunt Donatistæ Constantini literas ad Verinum, quibus olim relaxauit illorum exilium.

CVM ergo catholici dixissent, hoc eos contra seipsos recitasse, hoc idem ipse etiam Cognitor esset interlocutus, addiderunt etiam illi suæ falsitati conuincendæ magnum aliud firmamentum, recitantes ipsius Constantini literas scribentis ad Verinum vicarium, vt libero eos dimittat arbitrio, se iussisse insinuans vt de exilio remearent. In quibus literis Constantinus sic eos detestatur, vt nihil illa indulgentia possit deformius inueniri. Quos utique non ita culpasset, sed magis laudasset, si ab eis Cæcilianus apud illum victus ab eoque damnatus Brixiæ relegaretur. Ac per hoc ita contra seipsos proferentes atque recitantes, & à Cæciliano se superatos memorati Imperatoris iudicio manifestissimè monstrauerunt: & suam falsitatem, qua eum dicebant esse damnatum, apertissimè conuicerunt. Et quia catholicos persecutionem facere, se autem pati gloriabantur, Cæcilianum tamen per suas accusationes ab Imperatore damnatum etiam falsò gloriari voluerunt. His itaque recitatis cùm catholici dicerent & Cognitorem breuiter admonerent, quod etiam ipse cernebat, pro se illa, hoc est, pro innocentia Cæciliani contra illos fuisse recitata, & hoc idem etiam ipse fuisset interlocutus; Donatistæ respondẽrunt dicentes, *de libero arbitrio nihil dicit potestas tua,* hoc enim putantes secundum Constantini literas sibi posse à præsente Cognitore concedi, eas etiam contra se pro Cæciliani causa recitandas existimauerunt. Hic cùm eis Cognitor respondisset, aliud sibi esse à præsentis temporis Imperatore præceptum; ierunt in aliud quod contra se identidem multò mirabilius protulerunt.

CAPVT XXIII. Recitant Donatistæ literas Constantini ad Probianum quibus Ingentium ad se mitti iubet. Exemplar eiusdem habes, epistola 68. & lib 3. contra Cresco. cap. 70.

RECITAVERVNT etiam alias literas eiusdem Constantini Imperatoris ad Probianum proconsulem datas, quæ quidem consules non habebant: sed nihil quasi de obiectione mutua catholici agere voluerunt: quamuis & hinc seipsos Donatistæ conuincerẽt quàm calumniosè catholicis id obiecerint: cùm prior chartula ex qua recitatum est iudicium Constantini, quo absolutus est Cæcilianus, consules non habe-

haberet, qui tamen mox in alia chartula inuenti sunt. Istæ itaque literæ ad Probianum proconsulem datæ, continent Imperatoris iussionem, qua præcepit vt ad se Ingentius mitteretur, cuius confessione in proconsulis Heliani iudicio Felix Abtugnensis ordinator Cęciliani à crimine traditionis fuerat absolutus. Hoc autem imperiale præceptum ideo Donatistæ se recitare dicebant, *vt quasi ostenderent Cæciliani causam adhuc fuisse suspensam, etiam post illud iudicium quo se Constantinus inter partes omnia terminasse iam scripserat·* cùm & in ipsis literis quas ad Probianum proconsulem datas recitauerunt, quibus quasi ostenderent adhuc pendere iudicium, quoniam ad se mitti iusserat Imperator Ingentium, tanta contra se legerint, vt omnino mirum sit quibus illa oculis aspicere, vel quo ore pronunciare potuerint. Ibi enim Constantinus dixit, ab Heliano proconsule audientiam præstitam competentem, Felicemque innocentem ab exustione codicum diuinorum constitisse; illos autem esse in præsentia confutandos qui diuturnis diebus eum interpellare nõ quiescerẽt: vt eis liquidò appareret frustra eos Cæciliano inuidiam comparare, & aduersus eum violenter insurgere voluisse. Hic ergo per illas literas non solum Cæcilianum, sed etiam Felicem purgatum, seque innocentium persecutores apud Imperatorem extitisse docuerunt.

CAPVT XXIIII. Proferunt catholici relationem Aelianí proconsulis ad Constantinum imperatorem de causa Felicis.

HAC autem accepta opportunitate catholici recitandam protulerunt & ipsius Heliani tunc proconsulis relationem, de hac re ad Constantinum datam, vbi se causam Felicis audisse & finisse commemorat; & ipsa gesta proconsularia, quibus absolutus est Felix, & omnium necessariarum personarum testimonio à traditionis crimine innocens comprobatus. Quibus recitatis quid contradici posset Cognitor inquisiuit. Tunc Donatistæ quod & antè dicere cœperant, identidem repetierunt, *quærentes vtrum ex præcepto Imperatoris directus ad comitatum fuisset Ingentius: & quid postea gestum esset,* vt ostenderetur, à catholicis exigentes; & gesta proconsularia, quibus possent verbis refellere conantes, quibus absolutus est Felix: obijcientes *gratiam iudicis, vel suppositas fuisse personas,* & cætera quæ solent homines contra gesta quibus vincuntur suspiciosa querimonia iactitare. Dicebant etiam *non rectè Felicem absentem fuisse absolutum.* Ad ista responsum est à catholicis, omnia quæ lecta sunt, ad absolutionem Cæciliani & Felicis apertissimè pertinere; si quid autem Donatistæ arbitrarentur missio ad comitatum Ingentio pro se fuisse iudicatum, & mutatum esse iudicium, quo Constantinus inter partes cognoscens purgato Cæciliano illos calumniosissimos iudicauerat, ipsos debere proferre. Quando autem hoc catholici dicebant in illa temporis breuitate non poterant considerari consules; quorum ordinem in ipsis gestis qui voluerit considerans, inueniet posterius ab Imperatore Constantino absolutum esse Cæcilianum, quàm Felicis causam ab Heliano proconsule discussam atq; purgatam. Post aliquot etiam annos Constantinum scripsisse ad Verinum vicarium, quas literas ipsi recitauerunt, vbi sibi asserebant liberum arbitrium ab illo Imperatore concessum, in quibus literis eos tanquam pessimos & Christianæ pacis inimicos ostendit. Quod vtique non fecisset, si aliquid pro illis contra Cæcilianum iudicasset cùm ad comitatum missus esset Ingentius. Cognitor ergo interlocutus est, non posse gesta, quæ tanta roborauit antiquitas remoueri, nisi aliis posterioribus gestis econtrario recitatis. Dictum est etiam à catholicis magis ad declarandam Felicis Innocentiam profuisse quòd absens fuerat absolutus, quia gratiæ suspicio si præsens esset, potius oriretur.

Lib post. cellat cap. 33.

CAPVT XXV. Finis & exitus collationis vbi Donatistæ victi & superati pronunciantur.

VRGERE deinde Cognitor cœpit, vt si qua posteriora gesta Donatistæ haberent contra absolutionem Cæciliani vel Felicis, iam iamque proferrent. Hic illi ad ea quę iam totiens dixerant & catholicis totiens ad omnia respondentibus transacta iam fuerant, rursus quasi à capite redire & ea replicare conati sunt. Vbi cùm interlocutus esset Cognitor, admonẽs vt eos iam pigeret eadem repetere quæ peracta & transacta iam fuerant, & identidem proferre compelleret si quid recitandum haberent aduersus Cæciliani & Felicis sic euidentissimas absolutiones: & illi nihil omnino aduersus illa proferentes, eadem repetere non cessarent, vt de illis quæ dixerant iudicaretur: & contra Cognitor illud potiùs flagitaret, vt legerent si haberẽt quod legi posset aduersus imperiale & proconsulare iudicium, vt posset de omnibus pronunciari, quoniam legibus prohibetur semiplenam proferre sententiam: Instarent etiam catholici vt rebus omnibus Cognitori manifestatis, & Donatistis quid respondeant non inuenientibus, eadem repetentibus tandem aliquando causa finiretur: in vltimo Cognitor dixit: Si contra nihil est quod legatis, exire dignemini vt possit plena de omnibus scribi sententia. Et vtrisque exeuntibus, sententiam scripsit quam rursus intromissis partibus recitauit, qua complexus est omnia quę de prolixa trium dierum actione potuit recordari. In quibus quædam non eo ordine quo gesta sunt commemorauit, omnia tamen veraciter posuit, *confutatos à catholicis Donatistas omnium documentorum manifestatione pronuncians.*

Sententia definitiua pro catholicis contra Donatistas.

Breuiculi Collationis Carthaginiensis inter vtriusque partis Episcopos finis.

DIVI AVRELII AVGVSTINI

EPISTOLA NOMINE CIRTENSIS CONCILII AD DONATISTAS POST COLLATIONEM.

Ex retract. lib.2.cap.40.

LIBRVM *etiam scripsi grandem, satis quantum existimo, diligenter ad ipsos Donatistas post Collationem, quam cum episcopis eorum habuimus, ne ab eis seducerentur vlterius. Vbi respondi etiã quibusdã vanitatibus eorũ, quæ ad nos peruenire potuerũt, quas victi vbi potuerant & quomodo potuerant, iactabant, præter illa quæ dixi de gestis Collationis, vnde quid actum sit, breuiter nosceretur. Multò autem breuiùs id egi in quadam ad eosdem rursus epistola. Sed quia in concilio Numidiæ, omnibus qui ibi eramus hoc fieri placuit, non est in epistolis meis. Sic quippe incipit, Sylvanus senex, Valentinus, Aurelius, Innocentius, Maximinus, Optatus, Augustinus, Donatus, & cæteri episcopi de concilio Cirtensi ad Donatistas. Hic liber sic incipit, Quid adhuc Donatistæ seducimini.*

At nunc etiam illic extat, numero 152.

SYLVANVS senex, Valentinus, Aurelius, Innocẽtius, maximinus, Optatus, Augustinus, Donatus & cæteri episcopi de cõcilio Cirtensi ad Donatistas. Cùm in auribus nostris fama crebresceret hoc vobis vestros episcopos dicere, *Cognitorem præmio fuisse corruptum*, vt contra eos sententia proferretur, vos autem ista facilè credere, ac propterea multos vestrum nolle acquiescere veritati; placuit nobis cogente Dñi charitate ex cõcilio nostro hæc ad vos scripta dirigere, quibus primitus admoneremini illos vobis victos atque conuictos, hæc mendacia iactare: qui etiam in suo mandato quod pro illa Collatione fecerunt; & suis nominibus atque subscriptionibus firmauerunt, nos illic traditores atque persecutores suos esse dicentes, in falsitate atque mendacio manifestissimo detecti atque conuicti sunt, ita vt volentes gloriari de multitudine coepiscoporũ suorum, inter aliquorum absentium nomina etiam mortui nomen insererent. Et cùm quæreretur vbi esset, subita perturbatione cæcati, ipsi eum confiterentur in itinere defecisse. Et cùm interrogarẽtur, quomodo potuerit apud Carthaginem subscribere qui in itinere iam defecerat, vehemẽtius perturbati, alio mẽdacio se obligauerunt, respondentes eum à Carthagine redeuntem fuisse defunctum. De quo mendacio exire omnino minimè potuerunt. Ecce quibus creditis vel de antiqua traditione vel de Cognitoris corruptione, qui mandatum suum vbi obiecerunt nobis crimen traditionis, non potuerunt conscribere sine crimine falsitatis. Proinde quæ maximè necessaria credidimus, his literis tanquam breuiario collecta inseruimus, ne fortè ad magna gestorum volumina, vel peruenire nõ facilè possitis, vel ea legere laboriosum putetis. Carthaginẽ venimus, & nos & episcopi vestri, & quod prius nolebant; & indignum esse dicebant, in vnum conuenimus. Electi sunt ex nobis & ex ipsis, septem hinc & septem inde, qui pro causã omnium loquerentur. Electi sunt alij septem hinc, & septem inde, cum quibus vbi opus erat consilium pertractarent. Electi sunt quatuor hinc, & quatuor inde, qui gestis conscribendis custodes essent, ne infalsatum aliquid ab aliquo diceretur. Dati sunt etiã à nobis & ab ipsis notarij quatuor hinc, & quatuor inde, vt bini cum exceptoribus iudicis alternarent: ne aliquis nostrum se dixisse aliquid causaretur quod nõ fuisset exceptum. Huic tantæ diligẽtiæ illud est additum, vt & nos & ipsi quemadmodum ipse iudex verbis nostris subscriberemus, ne quisquam diceret in illis gestis aliquid vel postea fuisse corruptum. Cùm enim adhuc viuentibus iis qui subscripserunt, innotuerint eadem gesta omnibus locis in quibus oportet vt innotescant, sic etiam ad posteros confirmata veritas perdurabit. Nolite ergo esse ingrati tantæ misericordiæ Dei quæ per istam diligentiam vobis ministrata est. Nulla excusatio iam remansit; nimium dura, nimium diabolica sunt hominum corda, quæ adhuc tantæ manifestationi veritatis obstiunt. Ecce episcopi partis vestræ, quos omnes elegerunt vt pro omnibus loquerentur, conati sunt quantum potuerunt, vt omnino ipsa causa non ageretur, propter quam tantus numerus episcoporum vtriusq; partis de vniuersa Africa, & de tã lõginquis locis Carthaginẽ venerat. Et cũ omnis anima suspensa expectaret in tanta † collectione quid ageretur, illi vehementer instabant vt nihil ageretur. Quare hoc? nisi quia causam suam malam sciebant, & facillimè se posse conuinci si ageretur, dubitare non poterant? Ipse ergo animus eorum quo timebant ne causa ageretur, iam victos esse eos monstrabat. Si enim extorquerent quod volebant, vt iam Collatio ipsa non fieret, nec disputationibus nostris veritas appareret, redeuntes à Carthagine quid vobis erant responsuri, quid demonstraturi? Credo prolaturi erant gesta & dicturi vobis, nos instabamus vt causa non ageretur. Vos expectatis videre quid egerimus, Ecce legite vbi eos vicimus, vt nihil ageremus. Fortè & vos respõderetis, si cor haberetis. Nihil ergo acturi, vt quid estis? vel potius qui nil egistis vt quid redistis? Deniq; posteaquã nõ potuerũt efficere quod conati sunt, id est, vt causa nõ ageretur, ipsa actio demõstrauit, quid timuerint, quando in omnibus victi sunt. Confessi sunt enim contra ecclesiã catholicã, quæ toto orbe terrarum diffunditur, nihil se habere quod dicerent, quia diuinis sanctarũ scripturarũ testimoniis oppressi sunt, quib° ecclesia designatur, incipiens à Ierusalẽ creuisse per loca, in quibus Apostoli prædicauerunt, & nomina eorundẽ locorũ in suis epistolis & actis cõscripserunt, & inde diffundi per cæteras gentes: contra istã ecclesiã se non habere causam manifesta voce professi sunt, vbi est euidentissima in nomine Dei nostri victoria. Cũ enim confirmãt ecclesiam, cui nos cõmunicare, ipsos autẽ non cõmunicare manifestum est, olim se victos esse testãtur, & vobis si sapitis, apertissimè iudicant, quid dimittere & quid tenere debeatis, nõ in ea falsitate, qua vobis non cessant adhuc vsq; mentiri, sed in illa veritate quã victi coacti sunt cõfiteri. Quisquis ergo ab hac catholica ecclesia fuerit seperatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere quod à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitã, sed ira Dei manet super eũ. Quisquis autẽ in hac ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia vnusquisq; in ea propriũ onus suum portabit, sicut Apostolus dicit: Et quicunq; in ea corpus Christi manducauerit indignè, iudiciũ sibi manducat & bibit. Nã etiã hoc ipse Apostolus scripsit. Cùm autẽ dicit, iudiciũ sibi mãducat, satis ostẽdit, quia non alteri iudiciũ mãducat, sed sibi. Hoc nos egimus & ostendimus & obtinuimus, quia cõmunio ma-

Collat.2.cap.3.

At nunc gesta hæc interciderunt.

Collat.3.cap.5.

for. collatione

Collat.3.cap.16.

Collat.3.cap.3.

Collat.3.cap.3.

Extra ecclesiã nulli quãtuminus iustè viuere videntur, potest esse spes salutis.

Galat. 6.

1.Cor.11.

Collat.3.cap.14.

Collat.3.cap.4.

Collat.1.cap.4.

nio malorum nõ maculat aliquẽm participatione sacramentorum, sed consensione factorũ. Nam si in factis malis non eis quisq; consentiat, portat malus causam suã & personã suam, nec præiudicat alteri quẽ in consensione mali operis nõ habet sociũ criminis. Hoc enim ipsi voce apertissima coacti sunt confiteri, non tunc quando ista dicebamus, sed postea cũ aliud ageretur. Nam cũ ventum esset ad causam etiam Cæciliani, quã nos ab Ecclesiæ causa distinguebamus, vt si fortè malus esset inuẽtus, ipsum anathematizaremus, non tamen propter ipsam ecclesiã Christi relinqueremus, cui per malã causam suã præiudicare non posset. Cũ ergo etiã ad ipsam Cęciliani causam ventũ fuisset, & legissent illi conciliũ Carthaginense, vbi recitabant septuaginta plus minus episcoporum sententias cõtra Cæcilianũ absentẽ prolatas, Respondimus eis sic non obesse illud episcoporum concilium absenti Cæciliano, quemadmodum nõ obfuit pluriũ episcoporũ partis Donati absenti Primiano, quãdo eum in Maximiani causa plus minus centum episcopi damnauerunt. Tunc illi nominata causa Maximiani, vnde sciunt se etiã quos damnauerant, in honore integro suscepisse, & baptismũ in sacrilego Maximiani schismate cõfirmasse & non destruxisse, & in sua Vagaitana sententia qua eos damnauerunt, quibusdã qui in ipso schismate fuerunt, dilationem dedisse & dixisse, quod eos nõ pollueriint sacrilegi surculi, Maximiani plãtaria. Ista ergo causa posteaquam eorum aures percussit, expaueścentes & perturbati & obliti vnde superius contra nos cõtendebant, continuò dixerunt, *nec causa causæ, nec persona personæ præiudicat*: & confirmauerunt verbis suis quod nos antea de ecclesia dicebamus: quia nõ solùm catholicæ transmarinæ, contra quam se confessi sunt non habere quod dicerent, verumetiã catholicæ Africanæ, quæ illi vnitatis communione coniungitur, causã & personã Cæciliani, qualiscunq; fuisset, præiudicare non posset: si Maximianus, qui cũ cæteris sociis suis Primianum damnauit, si etiam Felicianus qui simul Primianum damnauit, & postea in causa Primiani à Donati parte damnatus est, non præiudicat parti Donati, cui modo Episcopus sicut antea fuerat receptus, adiungitur: sic etiam ipsis sociis suis Maximianus non præiudicat, quibus isti dilationem dederunt, dicentes eos ab illo cum quo fuerunt non fuisse pollutos, *quia nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ*. Quid ergo quæritis amplius? Multis quidem verbis superfluis gesta onerauerunt, & quia non potuerũt efficere vt causã non ageretur, hoc fecerunt multum loquendo, vt quod actum est difficilè legeretur. Sed debent vobis etiam ista eorum pauca verba sufficere, ne propter nescio quæ, nescio quorum hominum crimina, oderitis vnitatem catholicę ecclesiæ: quia sicut ipsi dixerũt, relegerunt, subscripserunt, *nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ*. Nam & in ipsa causa Cæciliani, quam licet ad ecclesiæ causam non pertinentem, tamen defendendam suscẽpimus, vt etiam ibi calumniæ manifestarentur ipsorum, apertissimè victi sunt, nihilq; eorum quæ in Cæcilianum intendebant, probare potuerunt. Insuper etiam de criminibus traditionis nos episcopalia gesta protulimus, vnde recitauimus aliquos eorum episcoporum qui sententias in absentem dixerant Cæcilianũ, manifestissimos fuisse traditores. Cõtra ipsa gesta illi quia non habebant quod dicerẽt, falsã esse dixerunt, sed nullo modo probare potuerũt. Insuper etiam confessi sunt vel potius pro magna gloria professi sunt, Cæcilianũ apud Constantinum imperatorem à suis præcessoribus accusatum. Et addiderunt mendaciũ, quod illis accusantibus fuerit ab imperatore damnatus. Ecce & hinc victi sunt vnde solent vobis nebulas erroris offundere, cõcitantes nobis inuidiam, & in odiũ vestrum nos adducentes, quia ecclesiæ causam apud Imperatores agimus. Ecce maiores eorum de quorum nominibus gloriantur, Ecclesiæ causam egerunt apud Imperatorem, persequuti sunt accusando Cæcilianum, apud Imperatorem damnatum dixerunt. Iam non vos inducant vanissimis & mendacissimis verbis, redite ad cor vestrum, timete Dominũ, cogitate veritatẽ, relinquite falsitatem. Quicquid enim iam passi fueritis imperialibus legibus, quod nõ pro iustitia, sed pro iniquitate patimini, non poteritis dicere ideo nos esse iniustos, quia sic vobiscũ agi non debuit, vt Imperator vos ab ista iniquitate cõpesceret. Episcopi enim vestri cõfessi sunt maiores suos sic egisse cum Cæciliano quomodo vobiscũ agi non vultis; & tamen quod Cæcilianũ apud Imperatorẽ persecuti fuerint, ipsis confitentibus & profitẽtibus satis cõstitit. Quod autẽ Cæcilianus fuerit ab Imperatore damnatus omnino nõ constitit: imò etiam constitit eũ accusantibus & persequẽtibus maioribus eorũ, & bis numero prius ab episcopis & ab ipso postea Imperatore fuisse purgatũ. Hoc etiã ipsi confirmauerunt talia postea quasi pro causa sua proferendo, vt magis contra ipsos esse inuenirentur, & pro causa Cæciliani etiã illa quæ protulerunt, recitarentur. Quoscunq; ergo accusare voluerũt nullis certis documentis probare potuerũt. Quicquid autẽ nos & pro ecclesiæ causa & pro Cæciliani causa diximus, & verbis suis & lectionibus à se prolatis etiã ipsi confirmauerunt. Nam protulerunt primo codicem Optati, vnde quasi probarẽt Cæcilianum ab Imperatore damnatũ. Qui codex cũ cõtra istos legeretur, & magis ostenderet Cæcilianum fuisse purgatum, ab omnibus risi sunt. Sed quia ipse risus non potuit ab exceptoribus excipi, verbis suis apud acta risos se esse testati sunt. Iterũ protulerunt & recitauerunt libellum Imperatori Constantino à suis maioribus datum, vbi quæsti sunt quod eos memoratus Imperator grauiter persequeretur, ac sic eodem libello manifestarunt se apud Imperatorem à Cæciliano fuisse superatos, falsumq; esse quod dixerãt eum ab Imperatore damnatum. Tertio protulerunt literas eiusdem Constantini ad Verinum vicarium datas, vbi eos grauiter detestatur, ac propterea dicit de exilio relaxandos & furori suo dimittendos, quia iam Deus cœperat in illos vindicare. Ac sic etiam istis Imperatoris literis confirmauerunt se falsum dixisse, quod Cæcilianus ab Imperatore damnatus sit, cùm potius Imperator ipsos à Cęciliano victos esse monstrauerit, quando eos vehementer execratus, ideo iussit vt de exilio dimitterentur, vt Deo iudice sicut etiam cœperant, punirentur. Postea Felicis Abtungensis ordinatoris Cæciliani in medium causam miserunt, dicentes eũdem Felicem fuisse traditorem, à quo Cæcilianus fuerat ordinatus. Et eiusdem Constantini Imperatoris pro Cæciliano contra seipsos literas protulerunt, vbi ad proconsulem scripsit, vt ad comitatum suum mitteret Ingentium. Iste autem Ingentius confessus fuerat in cognitione Heliani proconsulis, falsum se fecisse aduersus Felicem Cæciliani ordinatorem. Dicebant ergo isti non sine causa voluisse Imperatorem, vt ad se mitteretur Ingentius, nisi quia Cæciliani adhuc causa pendebat: & conabãtur immittere suspicionem vanissimam; quod posteaquam Ingentius ad comitatum directus est, tunc Imperator contra Cæcilianum potuerit iudicare, & illud iudicium suum quod nos recitaueramus, vbi inter partes cognouerat, Cæcilianumque purgauerat, sententia posteriore rescindere. Sed dicebatur eis vt hoc potius legerent, & nihil omnino proferebant. Illæ autem literæ Imperatoris quibus ad se mitti iussit Ingentium, quas contra seipsos pro Cæciliano recitauerunt, hoc continent quod Helianus proconsul in causa Felicis audientiam præbuerit competentem, eundemque Felicem à crimine traditionis im-

Collat.3.cap.14.

Ibid.cap.16.

Nimirum in Romano & Arelatensi concilio.

Collat.3.cap.20.

Optatus lib.1.contra Parmenianum.

Collat.3.cap.21.

Ibid.cap.22.

Ibid.cap.23.

Probianus Apiarii proconsul.

Ibid.cap.24.

Ibid.cap.29.

Collat.3.cap.15.

Collat.3.cap.17.

Ibid.cap.16.

Ibid.cap.20.

munem esse cõstiterit. Sed Ingentium ad comitatum propterea debere transmitti, vt illis qui ibi erant, & diuturnis diebus eum interpellare non desinebant, apparere & intimari posset, frustra eos Cæciliano inuidiam comparare & aduersus eum violenter insurgere voluisse. Quis eos crederet ista contra se recitasse pro nobis, nisi Dei omnipotentis nutu factum esset, vt non solùm verba eorum gestis tenerentur, sed etiam manus subscribentium legerentur? Nam & ordinem consulum & dierum qui expressus est, si quis nunc diligenter aduertat, inueniet primo Cæcilianum episcopali iudicio fuisse purgatum. Deinde non multo post Felicis Abtungensis causa ab Heliano proconsule examinata est, vbi eum constitit innocentem. In qua causa ad comitatum mitti iussus est Ingentius; & longè postea ipse imperator causam inter partes cognouit atque finiuit. In qua cognitione Cæcilianum innocentem, illos autem calumniosissimos iudicauit. In quo ordine consulum & dierum satis ostenditur fallaciter eos & calumniosè dixisse, quod imperator misso ad comitatum Ingentio, iudicium suum mutauit, & Cæcilianum quem prius purgauerat, postea condemnauit. Non solùm autem nihil de hac re legere potuerunt, & contra seipsos tanta legerunt, sed etiam per ordinem consulum euidentius conuincuntur, post causam Felicis proconsulari iudicio terminatam, in qua iussum est vt ad comitatum Ingentius mitteretur, nec paruo interuallo, sed longè postea memorati imperatoris iudicio inter partes habito Cæcilianum fuisse purgatum. Non ergo vobis dicant quia præmio corrupimus iudicem. Quid enim aliud solent victi homines dicere? Aut si aliquid dedimus iudici, vt contra illos pro nobis pronunciaret; ipsis quid dedimus, vt contra se pro nobis tanta non solùm dicerent, verumetiam recitarent? An fortè volunt vt eis apud vos gratias agamus, quia cùm dicant iudicem præmio à nobis esse corruptum; ipsi tamen multa quæ pro nobis contra seipsos dixerunt & recitauerunt, gratis nobis omnia præstiterunt. Aut certè si propterea dicunt, quod nos vicerint, quia melius egerunt causam Cæciliani quàm nos, hoc planè credatis illis. Nos enim duas lectiones pro illo sufficere putaueramus: illi autem quatuor protulerunt. Sed quid vos pluribus literis oneremus? si vultis nobis credere, credite, & teneamus pariter vnitatem quam iubet & diligit Deus. Si autem nobis non vultis credere, gesta ipsa legite, aut vobis vt legantur admittite, & an vera sint quæ scripsimus vobis, ipsi probate. Si autem nihil horum facere vultis, & manifestissima veritate conuictam partis Donati falsitatem adhuc sequi desideratis, mundi erimus à pœna vestra quando vos serò postea pœnitebit. Si verò id quod vobis præstitit Deus nõ contempseritis, & post causam tam diligenter actam, & tam diligenter manifestatam, peruersam consuetudinem relinquentes, paci Christi & vnitati consenseritis, de vestra correctione gaudebimus: & sacramenta Christi quæ in sacrilegio schismatis ad iudicium habetis, vtilia & salubria vobis erunt, cùm in catholica pace habueritis caput Christum, vbi charitas cooperit multitudinem peccatorum. Hæc ad vos scripsimus octauodecimo Kalend. Iulias, piissimo Honorio Augusto† imperante, vt quando possunt, ad quosque vestrum istæ literæ peruenirent.

Vide infra lib. post Collat. cap. 33.

† Cõsultus est tom. 2. & habet VIII. Cons.

Finis epistolæ nomine Cirtensis concilij scriptæ.

D. AVRELII AVGVSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, LIBER AD DONATISTAS POST COLLATIONEM.

CAPVT I.

QVID adhuc Donatistæ seducimini ab episcopis vestris, quorum fallaces tenebræ clara luce discussę sunt, quorum apparuit error, quorum pertinacia superata est? Quid adhuc vobis iactant vana mẽdacia? Quid adhuc creditis hominibus victis? Cùm vobis dicunt *iudicem præmio fuisse corruptum*, quid nouum faciunt? Quid aliud omnes victi facere cõsueuerunt, qui veritati consentire nolunt, nisi vt de iudicis iniquitate mentiantur? Quærite ab eis, & ad hoc primum vobis respõdeant, si possunt, quare ausi sunt venire Carthaginem, & in vnum locum nobiscum collationis gratia cõuenire? Iam ante aliquot annos conueneramus eos publicè, vt nobis conferentibus veritas appareret, & dissensio quę nos diuidit de medio tolleretur. Sed ipsam veritatem refugientes, actis responderunt. *Indignum est vt in vnum conueniant filij martyrum, & progenies traditorum.* Quare ergo modo nobiscum conuenire voluerunt? Puto quod non facerent quod eis videbatur indignum, nisi cognoscerent non esse nos progeniẽ traditorum. Aut certè ipsi vobis respondeant, quare dixerũt, *indignum est vt in vnum conueniant filij martyrum & progenies traditorum*, & in vnũ postea nobiscum conuenerunt. Quę res eos coegit facere quod indignum est? Nõ enim ligati adducti sunt, sed omnino liberi conuenerunt. Si dixerint, quia iusserat Imperator: ergo tunc faciũt quod indignum est quando iusserit Imperator? Quid ergo irascuntur nescio quibus traditoribus ad causam nostram non pertinentibus? Codices enim Dominicos persecutoribus dare, vtique indignum est. Quod cùm fecit traditor, non habet crimen, quia iusserat Imperator. Hoc dicimus non secundum veritatem, sed secundum ipsorum peruersitatem: ipsi enim dixerunt: publica gesta proclamãt, apud acta dixerunt. Non quilibet ignotus, sed Carthaginensis Episcopus eorum Primianus hoc dixit. Primianus hoc scriptũ magistratui Carthaginis dedit, & à diacono suo dicendum apud acta mandauit. *Indignum est, vt in vnum cõueniant filij martyrum & progenies traditorum.* Ecce cõuenimus in vnũ, quid ad ista respondent? Si dicunt non est indignum; quare mẽtiti sunt, quando indignum esse dixerunt? Si dicũt, indignum est: quod indignum est quare fecerunt? Vno modo se poterunt asserere quod indignum est non fecisse, & in illis Primiani verbis non fuisse mentitos, si dicant, indignũ est quidem vt in vnum conueniant filij martyrum & progenies traditorum: sed nos ideo vobiscum in vnum cõuenimus, quia cognouimus vos non esse progeniẽ traditorũ. Quod si ita est, quare nobis iam conuenientes in vnum, ipsas calumnias obiecerũt, nisi fortè vt etiam nos eos cognosceremus non esse filios martyrũ? Martyres enim testes dicuntur, testes autem Christi, veri testes sunt. Isti autẽ falsi testes inuenti sunt, qui traditionis crimina & aliena aliis obiecerunt, & nec ipsa probare potuerunt. Quid adhuc attenditis humana mendacia, & diuina testimonia nõ attenditis? Quid adhuc victis hominibus creditis, & veritati quæ nunquam est victa non creditis?

CAPVT II.

VERITAS enim Dei, sicut in ipsa etiam collatione probauimus, perhibuit testimonium ecclesiæ suæ per multa documenta scripturarum sanctarũ, per prophetica & euangelica literas; & locus designatus est, vnde Christi ecclesia fuerat inceptura; & fines terræ quousq; fuerat peruentura. Per omnes gẽtes futuram ecclesiam suam Dominus dicit, incipientẽ ab Hierusalẽ. Diuina lectio recitatur, quemadmodũ cœperit ab Hierusalẽ, vbi primũ congregatis fidelibus missus est de cælo spiritus sanctus. Diuinæ lectiones recitantur, quemadmodũ se ab Hierusalem per vicina & longinqua diffuderit. Expressa sunt nomina locorum, manifestata sunt nomina ciuitatũ, in quibus ecclesia Christi Apostolico labore fundata est. Quæ loca & ciuitates etiam epistolas ab Apostolis accipere meruerunt. Quas epistolas & ipsi in vestris cõgregationibus legũt, & tamẽ non cõmunicant eorũ locorum & ciuitatum ecclesiis, quę ipsas epistolas accipere meruerunt, obijcientes eis nescio quæ crimina Aphrorũ, quod eorum contagione perierint, cùm ipsi dixerint in hac ipsa collatione, quam modo Carthagini habuimus, *quòd nec causæ causa, nec personæ persona præiudicet.*

Luca 24.

Act. 1.

Collat. 3. cap. 10.

CAPVT III.

TVNC autem hoc dixerunt, quando eis diximus: Conciliũ quod contra Cæcilianũ profertis, sic nõ obest absenti Cęciliano, quẽadmodum conciliũ, quod in causa Maximiani factũ est, vbi damnatus est Primianus, non obest absenti Primiano. Protulerũt enim ibi septuaginta & quod excurrit Episcopos qui absentem damnauerũt Cæcilianum, cùm proferantur nõ minus centũ Episcopi partis ipsorũ qui damnauerant absentem Primianum. Quia ergo diximus eis, sic illud non obesse Cæciliano, quẽadmodum hoc non obest Primiano, quoniã contra absentes facta sunt ambo concilia: continuò nõ inuenientes quod responderent, & horribiles angustias passi, dixerunt, *Nec causam causæ, nec personam præiudicare personæ:* quod aduersus omnes humanas calumnias in ore habet catholica ecclesia, nunc autem multo fortius multoq̃ liberius, quando id quod semper veritas tenuit, etiam inimicorum confessio confirmauit. Quis ergo hæc sine tristitia perferat graui? Quis gemitũ cohibeat? Quis non in lachrymas & in vocem doloris erumpat, qui hoc dignè consideraueritⁿ? Ecce vt ab episcopis partis Donati damnatus Primianus non amittat episcopatum, aut vt Primianus damnatus non inquietet partem Donati, nec causæ causa, nec personæ persona præiudicat: vt autem Cęcilianus, quem absentem inimici similiter damnauerunt, non deputetur Episcopus, & contaminet omnes Christianas gentes vsque ad terminos terræ, & causæ causa, & personæ persona præiudicat.

CAPVT IIII. 1. Petri 1. *Prosopopœia Ecclesiæ contra Donatistas.*

SED voce ipsius vnitatis clament Ecclesiæ Põti, Bithynię, Asiæ, Cappadociæ, cæterarumq; orientaliũ regionũ, ad quas beatus Petrus apostolus scribit. O pars Donati, nõ nouimus quid dicatis, quare nobis non cõmunicatis? Si Cæcilianus mali aliquid fecit, quod nobis non probatum est nec demonstratũ, tamen si mali aliquid fecit, quare nobis præiudicat? Si nos audire nõ vultis, vosipsos audite dicentes: *Nec causæ causa, nec personæ persona præiudicat.* An vsqueadeo potest vestra peruersitas, vt hæc verba valeant, ne vobis præiudicet Primianus; & hæc verba nõ valeant, vt nobis præiudicet Cæcilianus? Clament etiã similiter Ecclesiæ septem Oriẽtales ad quas scribit Apost. Ioannes, Ephesi, Smyrnæ, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, Laodiciæ, Pergami, & dicãt: Quid vobis fecimus fratres, qui potius Donati quàm nostræ cõmunionis esse voluistis? Si Cæcilianus peccauit, quãuis & ipsius crimẽ nõ potuistis ostendere; quia sicut Primianus vester, sic etiam absens iste damnatus est: veruntamen qualiscunq; ille fuerit, nos vobis quid fecimus? Quare Christiani cum Christianis pacem habere non vultis? Quare in nobis cõmunia sacramenta rescinditis? Quid vobis fecimus? Quare Primiani causa nõ prejudicat parti Donati, nisi quia verum est quod dixistis, *nec causæ causa, nec personæ persona præiudicat?* Quare ergo causa Cæciliani præiudicat hæreditati Christi, in qua sumus Apostolorum labore plantati? Ad vnam nostrum scribit apostolus Ioannes, quod habeat pauca nomina in Sardis, eorum qui non inquinauerunt vestimẽta sua: nec tamẽ ab eis qui in ipsa ecclesia immũdi fuerunt, illorũ paucorum vestimenta polluta sunt: quoniã verũ est quod dixistis, nec causam causę, nec personam prejudicare personæ. Quomodo ergo potest causa & persona Cęciliani prejudicare nobis? Aut si non prejudicat, quare separamini à nobis? Dicant etiam Ecclesię ad quas Paulus Apost. scribit, Romanorũ, Corinthiorũ, Philippensium, Colossensium, Thessalonicensiũ, nam de Galatia & Epheso iam suprà dictum est. Dicant ergo & istæ, literas ad nos datas fratres quotidie legitis, qui vultis adhuc esse de parte Donati. In ipsis epistolis per nomen pacis nos Apostolus salutauit, dicens, Gratia vobis & pax à Deo patre & Dño nostro Iesu Christo. Quare pacem in nostris epistolis legendo didicistis, & eã nobiscum tenere noluistis? in tam longinquis terris transmare positis Aphrum nobis obijcitis Cæcilianũ. Certè verum est quod dixistis, *nec causæ causa præiudicat, nec personæ persona.* Quæ est ista priuata & peculiaris sanctificatio, qua vobis licet vt Aphræ parti Donati causa non præiudicet Aphri Primiani, nec personæ Primiani Carthaginensis præiudicet persona Mustitani Feliciani; & ad nos Aphricana præiudicia tam longè mittantur, vt nobis prejudicet causa Cæciliani? Dicat etiã catholica ecclesia in ipsa Aphrica constituta & per pacẽ atq; vnitatem Christi illis omnibus cõmunione copulata. Dicat etiam ipsa: Nec mihi Cæciliani causa præiudicat, contra quẽ absentem septuaginta episcoporũ est prolata sententia, quia non præiudicat ecclesiæ quæ toto orbe diffunditur iis cuius communione permaneo: aut certè præiudicet parti Donati causa Primiani, quem sui collegæ similiter absentem numerosiore cõcilio damnauerunt. Si autẽ ideo nõ prejudicat, quia nec causa causæ, nec persona personæ prejudicat, multo magis seruanda est ista iustitia erga vnitatẽ catholicã Christi, si eã seruari erga se postulat pars Donati. Hoc ecclesia catholica in Aphrica cõstituta proclamat: O pars Donati, tũ ista verba dixisti. tu ista verba tua recognouisti, tu istis verbis etiam subscripsisti, *nec causa causæ, nec personę personę præiudicat.* Ego inter spiritus olim requiescentium recito Cæcilianum; tu adhuc vides & tecum habes in corpore Felicianum, à quo damnatus est primianus. In ipsa Primiani causa Felicianum damnasti, & eum postea sicut erat, episcopũ Primiano tibiq; sociasti. Si tãtum valet quòd nec causa causę prejudicat, nec persona personę, vt tibi non præiudicet hodie tecũ viuentis communio Feliciani; mihi quomodo præiudicat olim defuncti memoria Cæciliani? Quid ad ista respondent, qui vobis adhuc iactant inania, & suæ saluti si non se correxerint, nocitura mendacia? Quid adhuc dicunt nos iudicem corrupisse, vt pro nobis sententia proferretur? Nunquid & tanti apud vos meriti Episcopum præclarissimum defensorem corrupimus, vt pro nobis talia loqueretur? Hoc enim agebamus omnibus viribus, hoc instabamus, vt Cæciliani causa atque persona qualiscunq; ille fuerit, ad causam & personam ecclesiæ, quam Deus suis sanctis testimoniis roborauit, non pertinere monstraretur. Hoc agebamus etiam similitudinibus euangelicis, vt causa & persona zizaniorum non præiudicaret causæ & personæ tritici, quamuis in eodem agro eadem pluuia simul crescerẽt vsque ad messem, quando separari oporteret: Vt causa & persona paleę non præiudicaret personæ frumenti quamuis in eadẽ area simul triturarentur donec nouissima ventilatione separarentur: vt causa & persona hædorum non præiudicaret causæ & personæ ouium, quamuis communibus pascuis vtraque pecora permixta seruentur, donec à pastore summo, in iudicio nouissimo, alij ad sinistram, alij ad dextram segregentur:

Apoc. 1.

Apoc. 3.

Matth. 25.

tur: Vt causa & persona piscium malorum non præiudicaret causæ & personæ piscium bonorum, quãuis intra eadem retia tenerentur in extremo litore separandi, hoc est, in fine maris, quod significat finem seculi. Matth. 13.
Quibus parabolis & figuris ecclesia prænunciata est vsq; ad finem seculi bonos & malos simul habitura, ita vt nec mali bonis obesse possint, cũ vel ignorantur, vel pro pace & trãquillitate ecclesię tolerantur, si eos prodi aut accusari non oportuerit, aut aliis bonis non potuerit demonstrari: ita sanè vt nec emendationis vigilantia quiescat, corripiendo, degradando, excommunicando, cæterisq; coercitionibus licitis atq; cõcessis, quæ salua vnitatis pace in ecclesia quotidie fiunt secũdum præceptum Apostolicum charitate seruata, qui dixit: Si quis autem non obaudit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & nolite commisceri cum eo vt erubescat, & non vt inimicum existimetis, sed corripite vt fratrem. Sic enim & disciplina seruat patiẽtiam, & patientia temperat disciplinam, & vtrunque refertur ad charitatem, ne fortè aut indisciplinata patientia foueat iniquitatem, aut impatiens disciplina dissipet vnitatem. 1. Thess. 3.

CAPVT V.

ISTA cùm fiunt à bonis non inquinantur à malis, quia nec eorum peccatis consentiendo communicãt, & ab eis, & si non corporali segregatione, tamen spiritali vitæ dissimilitudine & morum diuersitate discedunt, eo modo obedientes præcepto Dominico quo ait: Discedite inde, & immundum ne tetigeritis. Esaia 52. Nam qui hoc non spiritualiter obseruandum putant, arrogantia vanitatis in illud incidunt quod per eundẽ prophetam Dominus detestatur dicens: Qui dicunt, noli me tangere, quoniã mundus sum, hi fumus indignationis meæ. Esaia 65. Hoc episcopi vestri faciendum putauerũt, quando vtrisq; nostrum à iudice oblato confessu, nobiscum sedere noluerunt, dicentes sibi scriptum esse, ne cum talibus sedeant; illud vtiq; non spiritaliter, sed carnaliter intelligentes quod in Psalmo positũ est: Et cum impiis non sedebo: & tamen fecerũt quod in eodem ipso loco psalmi pariter prohibetur. Collat. 3. cap. 9. Psal. 25. Nam ibi dicit Propheta: Et cum iniqua agentibus non introibo. Si ergo quia nos iniquos vel nouerant vel putabant, ideo nobiscum sedere noluerunt, quare quod similiter prohibetur nobiscum introierunt, ex parte sancti, ex parte polluti: nisi quia scripturas sanctas intelligendo & carnaliter sapiendo ipsam vnitatem dissipauerunt? Non itaque polluũt mali bonos in eodem agro, in eadem area, in eisdem pascuis, in eisdem retibus constituti, quia non eis communicant boni, sed altari & sacramentis Dei. Communicant autem malis, qui consentiunt malorum factis. Scriptũ est enim: Non solùm qui faciunt ea, verùmetiã qui consentiunt faciẽtibus. Rom. 1.

CAPVT VI.

CVM verò mali pacis conseruandæ necessitate tolerantur, non iniquitatis communicãdæ societate appetuntur, vt cum zizaniis triticum suauẽ pluuiam pariter bibat, seruet tamen vbertatem suam, nec cõuertatur in zizaniorum sterilitatem, sed vtrunque simul vsque ad messem crescat, ne fortè cùm colliguntur zizania, eradicetur simul & triticum, nullam cum bonis habent mali participationem salutis vel perditionis. Matth. 13. 2. Cor. 6.
Quæ enim participatio iustitiæ ad iniquitatem? Nullam habent cum bonis mali societatem regni, aut ignis æterni. Quæ enim societas luci ad tenebras? Non habent mali cum bonis consonantiam vitæ ac voluntatis. Quæ enim consonantia Christi ad Belial? Non habent boni cum malis partem, nec in pœna criminis nec in præmio pietatis. Quæ enim pars fideli cum infideli? Et cùm intra eadem retia donec ad litus perueniant, pariter diuina sacramẽta p̃ cipiunt, isti sociantur, illi dissociantur: isti consonant, illi dissonant: isti habent partẽ cum misericordia, illi cum iudicio: quoniam misericordiam & iudicium cantat Ecclesia Domino: & qui manducat indignè, iudicium sibi manducat non alteri. Psal. 100. 1. Cor. 11. De ipso quippe pane, & de ipsa Dominica manu & Iudas partem, & Petrus accepit: & tamẽ quæ societas, quæ consonantia, quæ pars Petro cũ Iuda? quoniam nec causã causæ præiudicat, nec persona personæ. Siue ergo exeant, de quibus scriptum est: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: 1. Ioan. 2. siue intus videantur esse, de quibus beatus Cyprianus apertissimè loquitur, dicens: *Nam etsi videntur in ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in ecclesia cernimus, ipsi de ecclesia recedamus.* Lib. 3. epist. 3. Quibus verbis episcopi vestri nihil omnino ausi sunt respondere, quãuis diu frustra contenderint, quòd non in Ecclesia prædicta sint futura zizania, quia dixit Dominus: Ager est hic mundus: nec dixit, ager est ecclesia. Matth. 13. Nos autem mundum pro ecclesiæ significatione positum dicebamus, sicut etiã Cyprianus intellexit, quia per totum mundum futura pronunciabatur ecclesia. Vnde illi dicebant, mundum semper in malam significationẽ positum, & testimonia de Scripturis dabant, quia scriptum est: Si quis dilexerit mũdum, non est charitas patris in illo: & cætera talia. 1. Ioan. 2. Nos verò non solùm in malam, sed etiam in bonam significationem mundũ in Scripturis positũ respõdebamus, & commemorabamus inter alia etiam illud quod scriptum est: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi: qui vtique non sibi reconciliat nisi ecclesiam. 2. Cor. 5.

CAPVT VII.

SIVE ergo exeant mali, siue intus vel ignorentur, vel videantur, hoc agit misericordia & iustitia Dei vt sibi ad mala non consentientibus bonis, mali non obsint, sed vtriq; propriam sarcinam portent: vt nec filius accipiat peccata patris, nisi eum fuerit in malis imitatus, sed anima quæ peccauerit, ipsa moriatur. Ezech. 18. Cùm ergo quisq; malis cõsentit ad malum, iam vnam causam habet cum eis, & totius societatis malorũ fit vna persona: ac per hoc cùm simul pereunt simulq; damnantur, causã sua & persona sua cuiq; præiudicat, nõ aliena. Cùm verò boni & mali idem verbum Dei simul audiunt, & simul Dei sacramenta percipiunt, & tamẽ dissimiles habent actuum suorum causas, & dissimiles gerunt voluntatis diuersitate personas, eũdem cibum sanctum, aliis manducantibus dignè, aliis indignè, nec causã causæ præiudicat, nec persona personæ. Collat. 3. cap. 9. Ac per hoc quæcunque testimonia diuinarum scripturarum Episcopi vestri commemorare potuerunt, quibus ab omni malorum hominum permixtione pura prænunciabatur Ecclesia, non qualis nunc est illis testimoniis prænunciabatur, sed qualis post istam mortalitatem in vita æterna futura est. Et quæcunque testimonia scripturarum posuerunt de filiis, quos meritò parentum imitando malitiam, vnam cum eis causam habere voluerunt: quod non intelligentes diuina testimonia secum pugnare cogebant, nec vtrasque voces Dei pro diuersitate temporum, causarum, personarumq; distinguentes in concordiam redigebant; sed sicut contra nos, ita etiam volebant inter se ipsa diuina documenta pugnare. Ibidem. Nec mirum si pacem Scripturæ Dei non intelligebant, qui pacem cum eius ecclesia non habebant. *Scripturarum inter se pacem non intelligit qui cum ecclesia pacem non habent.*

CAPVT VIII.

NOS autem vtraque accipientes testimonia, demonstrabamus vtrorumque concordiam. Nam & illud accipiebamus, quod in suis literis commemorauerunt Ecclesiæ dictum esse: Nec adijciet vltra per te transire incircumcisus & immundus: & illud quod scriptum est: Esaiæ 52. Sinite vtraque crescere vsque ad messem: sed hoc esse in agro, illud futurum in horreo. Matth. 13. Denique & ipsi qui diu contenderunt, dicentes zizania quæ cum tritico simul crescere vsque ad messem permissa sunt, non in ecclesia, sed in mundo esse, contra intellectum martyris Cypriani qui dixit: *Et si videntur in ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides* Lib. 3. epist. 5

aut fides, aut charitas nostra, vt quoniam zizania in ecclesia esse cernimus, ipsi de ecclesia recedamus. Et nolẽtes consentire mũdi nomine ecclesiam posse significari, contra verba Apostoli qui dixit: Deus erat in Christo mũdum reconcilians sibi: & contra ipsius verba Domini qui dixit: Nõ venit filius hominis vt iudicet mũdum, sed vt saluetur mundus per ipsum. 2. Cor. 5. Ioan. 3. & 12 Neq; enim reconciliari Deo & saluari per ipsum mũdus potest, nisi mũdi nomine intelligatur ecclesia, quę sola per eum Deo reconciliata saluatur: tamen in illa similitudine quam ex Euangelio cõmemorauimus, quòd & boni & mali pisces quousq; in litore, hoc est, in fine seculi separentur, intra eadẽ retia permixti continentur, victi euidẽtia veritatis malos in ecclesia vsq; in finẽ seculi permixtos esse confessi sunt, sed occultos eos esse dixerunt, quoniam sic à sacerdotibus ignorantur, quemadmodũ pisces intra retia cũ adhuc in mari sunt à piscatoribus intra retia non videntur. Matth. 13. Quomodo ergo testimonium propheticum quod in sua responsione posuerũt quod ecclesię dictũ est: Non adijciet vltra per te trãsire incircumcisus & immundus, ad hoc tempus pertinere intelligitur, quando ecclesia retibus cõparata est, quibus in mari adhuc positis pisces malos bonis permixtos vel occultos esse confessi sunt? Esaia 52. Vnde manifestum est non nisi in futuro seculo post iudicium nullum incircumcisum & immundum per ecclesiam transiturum. O violentia veritatis, quæ suos nõ in carne, sed in corde torquet inimicos, vt eam confiteantur inuiti!

CAPVT IX.

ECCE manifestum est quod dicebatur à nobis, distinguẽda esse tẽpora ecclesiæ; non eã nũc esse talem, qualis post resurrectionẽ futura est: nunc malos habere permixtos, tũc omnino non habiturã: ad illam eius puritatem non ad huius temporis permixtionem illa diuina testimonia pertinere, quibus eã Dominus prædixit ab omni malorũ permixtione penitus alienam. Collat. 3. cap. 10. Ecce etiam ipsi veritate euangelica non aliud coacti sunt confiteri, qui malos occultos nunc ei permixtos esse dixerunt: Ecce nunc transit per illam licet occultus immundus, non est ergo tempus quod prædictum est dicẽte Propheta; Non adijciet vltra per te transire immundus & incircumcisus: nunc ergo transeunt vel occulti. Esaia 52. Nam & hoc ipsum quod ait nõ adijciet vltra; ostẽdit eos prius solere transire, sed vltra non transituros. Et à nobis inuidiosè requirebãt, quomodo potuerit in Ecclesia Christi diabolus seminare zizania; cùm ipsi faterentur in Ecclesia malos saltem occultos esse permixtos, nec vellent attendere à diabolo vtique seminatos. Hoc etiam ipsum quod sibi acutum inuenisse videbantur, contra se potius proferebant.

CAPVT X.

SI enim Dominus propterea retibus bonos & malos cõgregantibus Ecclesiam comparauit, quia malos in Ecclesia nõ manifestos, sed latentes intelligi voluit, quos ita nesciunt sacerdotes, quemadmodum sub fluctibus quid ceperint retia nesciũt piscatores. Propterea ergo & areæ comparata est, vt etiam manifesti mali bonis permixti in ea prænunciarentur futuri. Neque enim palea quæ in area est permixta frumentis, etiam ipsa sub fluctibus latet, quæ sic omnium oculis est cõspicua, vt potius occulta sint in ea frumenta cũ sit ipsa manifesta. Collat. 3. cap. 8. De hac autem areæ similitudine, quia & ipsam inter cæteras ex Euangelio posueramus, nihil in literis suis contra nos scribere potuerunt, nisi Hieremiam prophetam dixisse: quid paleis ad triticũ? Mier. 23. Quod ideo dixit quia similia non sunt, nõ quia permixta esse non possunt: quia in horreo non simul erunt, nõ quia in area pariter nõ triturantur. Quanquam Hieremias cùm hoc diceret, nõ agebat de populo Dei, sed de somniis hominum & visionibus Prophetarum: quia hęc duo nulla similitudine comparanda sunt, sicut plenitudini tritici, inanitas paleæ non potest cõparari. Collat. 3. cap. 9. Tentauerũt sanè Episcopi vestri negare in Euangelio scriptum, quòd areæ sit Ecclesia cõparata: sed mox Euangelicorum verborum commemoratione conuicti ad id se conuerterunt, vt etiam ibi dicerent occultos malos significatos, nõ manifestos, de quibus scriptum est: Veniet ferens ventilabrum in manu sua, & mundabit aream suam, frumenta recondet in horreo, paleas autem comburet igni inextinguibili. Matth. 3. Vos autem iudicate, aperite oculos, aures intendite veritati, si propterea sicut ipsi dixerunt, Dominus Ecclesiam retibus comparauit, quia non manifestos, sed latentes in ea malos voluit intelligi, quos ita non vident sacerdotes, quemadmodum pisces intra retia sub fluctibus non vident piscatores. nũquid & area sub aqua vel sub terra trituratur? aut certè nocturnis horis, non in sole cõteritur, aut in ea rusticus cæcus operatur? Quãto ergo melius seipsos corrigunt quàm Euangelia sancta peruertunt, & ad vanum suę mentis errorẽ eloquia Dominica detorquere conantur. Aut enim illa piscium similitudo non propter occultos, sed tantũ propter mixtos in Ecclesia malos à Domino proposita est: aut certè singulis rebus proprię similitudines datæ sunt; de piscibus, propter occultos; de area, propter manifestos malos: quòd sicut illi ante litus, sic isti ante ventilabrũ bonis in Ecclesia misceantur. Ipsi enim nos admonent, vt in area palea manifestos in Ecclesia malos intelligamus, qui pisces reprobos intra natantia retia propter occultos malos intelligi volunt; quia sicut illos nesciunt piscatores, sic istos nesciunt sacerdotes. Cur enim non dicamus, sic ergo & palea manifesti sunt mali, quia in aperto eam vident trituratores? Sed sicut illi non possunt ante litoris exitum separari, sic nec illa potest ante finem debitum ventilari. Custodit autẽ Deus innocentiam sanctorũ & fidelium suorum, sicut piscũ bonorum, sicut pinguiũ frumentorũ, vt intra ista retia non eis noceant permixta genera reprobãda, & in ista area non eis noceat permixta palea ventilanda: quia sicut ipsi dixerunt, relegerunt, subscripserũt, nec causã causæ, nec personæ poterit præiudicare persona.

CAP. XI.

HÆC verba negarent se fortè dixisse, nisi sua possent subscriptione cõuinci. Ecce quàm diligenter actũ est pro salute vestra, vt verbis nostris subscriberemus: quod fieri omnino nolebant, & vt facerent tandem aliquando pudore compulsi sunt. nam extant verba eorum vbi hoc facere recusarunt: & rursus alia verba vbi hoc facere consenserunt, quod primò negauerant. Omnia scripta sunt, omnibus subscriptũ est. Ideo enim videbantur nolle subscribere, vt negare se possent dixisse quid dixerant, & de gestis corruptis iudici calumniari. Collat 2. cap. 3. Quod modo quia non possunt, dicunt ipsum esse corruptũ: qui ut contrà illos iudicaret, nõ nisi ipsi fecerunt, qui contra seipsos pro nobis tanta dixerunt. Ibid. in fine. Quæ vt negare non possent, etiãsi coacti & inuiti, suis tamen prosecutionibus subscripserunt: ideo ergo nolebãt subscribere, vt liceret eis per calumniam corruptorum gestorum negare quod dixerant: & ideo postea instante iudice consenserunt, quia sentiebãt omnibus apparere, nihil se aliud vindicare nolendo subscribere, nisi se verba sua ne sibi legerentur timere. Maluerunt enim prosecutiones suas quibuscunq; nebulis postea defendere, quàm eas tam citò damnare. Sed videte, rogamus vos, quẽadmodum ipsa sua defensione se peius implicent, & agant causam nostram, & omnino permant suam. Nam post Collationẽ posteaquam victi appellare voluerũt, obiecta sunt eis hæc verba, & ea conantur peiore sua implicatione defendere, quando ab eis quid egerint quæritis. *Donatiste in Collatione victi appellare conati sunt.* Ita enim vos putant non habere cor, vt non intelligatis eos omnimodo esse superatos, quãdo vobis ea dicunt quæ omnino non dicerent si aliquid vtile quod dicerent, inuenirent.

CAPVT XII.

QVIS enim ferat victos homines conqueri quòd nocte contra eos est prolata sententia: quasi non sæpe iudi-

iudices audiendi necessitas teneat, vt vsq; ad multam
A parte noctis sedere cogantur? Aut ideo non est verum
quod dicitur, quia per noctẽ dicitur? Nec audiunt scri-
Psal. 41. pturam clamantem: Per diẽ mandauit Dominus mi-
Psal. 92. sericordiam suam, & nocte declarauit. Et iterum, Ad
annunciandam mane misericordiam tuam, & verita-
tem tuam per noctẽ: At quod dixerunt, nocte venisse
ad Dominum tenendũ persecutores, non attendentes
quoniam ipsis nocturnis horis etiam Dominus verita-
tẽ suis discipulis prędicauit: nec aduertere voluerunt,
Act. 16. quod scriptum est, apostolũ Paulum vsq; ad medium
noctis produxisse sermonem. Si haberẽt verum quod
dicerent, nox eos impedire non posset: sed sanè tene-
brosissimam noctẽ in suis mẽtibus patiebantur, quan-
do contra seipsos tanta proferebant, nec ad veritatis lu
cem peruersum animum corrigebant. Et adhuc vtiq;
dies erat, quãdo nobis forensi more de tẽpore præscri-
Collat. 1. cap. 2. & collat. 2. cap. 3. bebant, dicentes causam lapsam esse, & agi iam omni-
no non posse: nec intelligentes nihil se hominibus o-
stẽdisse, nisi quantũ timuerint ne ageretur, vbi eorum
peruersitas, & catholica veritas monstraretur. Adhuc
Collat. 3. cap. 18. dies erat, quando volentes destruere iudiciũ Romani
episcopi Melchiadis, quo purgatus & absolut° est Cæ-
cilian°, etiã ipsum Melchiadẽ traditorẽ fuisse dixerũt.

CAPVT XIIII. Cvivs criminationis cùm ab eis esset exacta pro-
batio, gesta prolixissima recitarunt, vbi Melchiadis
nomen quod aliquid tradiderit non fuit. Et recitaue-
runt etiam alia gesta, vbi Melchiadem legebatur mi-
sisse diaconos cũ literis Maxentij Imperatoris & præ-
fecti prætorij ad præfectũ vrbis, vt reciperent loca quę
fuerant à Christianis tempore persecutionis ablata.
Vbi cum Melchiadis crimen nullum penitus appare-
ret, dixerunt superioribus traditionis gestis traditorem
Stratonem fuisse recitatum, quòd vocabatur vnus e-
tiam ex diaconis quos ad recipienda loca miserat Mel
chiades, eũdem ipsum esse contendentes & nõ osten-
dentes. Neque enim Stratonem qui tradiderat, saltem C
diaconum fuisse monstrabant. Quod etiam si esset, re-
spondimus eis, ante paruum tempus in eodem clero
Ecclesiæ Romanæ duos Petros diaconos fuisse. Ita
mẽte cæci, tenebrosas calumnias innectebant, adden-
tes etiam manifestissimam falsitatem, quòd nõ solum
nomen, sed etiam loca & regiones & personæ conue-
nirent, quibus non alius, sed ipse esse Straton ostende-
retur: cùm in illis gestis omnino nihil conueniẽs, præ-
ter similitudinem nominis legeretur, qua plena est
consuetudo generis humani, vt non solùm duo, sed e-
tiam plures homines vno nomine vocitentur. Nam
ipsi quoq; Donatum suum Carthaginensem, ne in iu-
dicio Melchiadis ipse damnatus putaretur esse quem
multi pro magno habẽt, à Donato Casensi distinguẽ-
dum esse clamauerunt, quia Donatus Carthaginensis
contra Cæcilianũ missus fuerat ad Melchiadis episco-
pale iudiciũ: tam crassam noctem in corde gestãtes, vt D
Donatum infamari nollent similitudine nominis sui,
& Melchiadem maculari vellent similitudine nomi-
nis alieni. Nunc autem Stratoni etiam Cassiani nomẽ
addere dicuntur, quod in collatione tacuerunt, quasi
Stratõ solus cognominalem habere potuisset, & Cas-
sianus non potuerit. Nec attendere potuerunt interna
sua nocte impediti, non solũ duos Ioannes, vnum Ba-
ptistam, alterũ Euãgelistam; sed etiam duos Simones,
vnum Petrum, alterum Magum: in ipso denique tam
paruo numero Apostolorum, non solũ duos Iacobos,
vnum Alphæi, alterum Zebedæi, sed etiam duos Iu-
das, vnum sanctum, alterum diabolum: cui tamen Iu-
dæ apostolo sancto quisquis similiter mente cæcus de
crimine Iudæ traditoris calumniaretur, non nisi istos
imitaretur. Non enim mirũ est si tales istos calumnia-
tores post tam longum tẽpus patitur existimatio Mel-
chiadis de duobus Cassianis, vel de duobus Stratoni-
bus, quales euangelica veritas patitur de duobus He-
rodibus. Nam quia non est expressum quis Herodes
pro Christo occisis infantibus continuò mortuus fue-
rit, & quis Herodes cum Pilato Dominum persecu-
tus sit, putantes vnum fuisse, obijciunt Euangelio cri-
men falsitatis: sicut isti putantes vnum fuisse Strato-
nẽ vel Cassianũ, obijciũt Melchiadi maculã traditio-
nis: & tamẽ illi tolerabilius errant, quia nõ solũ nomẽ,
verumetiam dignitas cõsonat, vterq; enim legitur rex
Herodes: isti autẽ dignitatẽ cõsonare mẽtiti sunt, quia
vtrosq; diaconos fuisse nullo modo legere potuerunt.

ADHVC dies erat, quando Cirtense concilium, si CAPVT XIIII.
tamen concilium dicẽdum est, in quo vix vndecim vel
duodecim episcopi fuerũt, vnde recitauimus traditó-
res fuisse quosdã, qui cum Secundo Tigisitano contra Collat. 3. cap. 15.
Cæcilianũ sententias protulerunt, falsum volentes o- Ibid. cap. 17.
stendere, dixerũt persecutionis tẽpore non potuisse in
aliquam domũ illos vndecim vel duodecim episcopos
B congregari: & vt probarent tempus fuisse persecutio-
nis, protulerunt martyrum gesta, vt diebus & consuli-
bus consideratis, quod tempus fuerit, appareret. Quæ
martyrum gesta, contra seipsos protulisse cõuicti sunt.
In eis quippe gestis, manifestum est illo tẽpore perse-
cutionis Christianas plebes solitas congregari. Vnde
constitit non esse incredibile, quòd etiam illi episcopi
in priuatã domum similiter conuenisse legebantur, vt
plebi quæ poterat, sicut gestis martyrum cõtinebatur,
etiã persecutionis tẽpore cõgregari, occultè ordinare-
tur episcopus, qui posset sibi etiã ipsi occultè clericos
ordinare in tanta necessitate, vbi anterior episcopus
cum clero lapsus, per epistolam ipsius Secundi, quæ ab
istis allegata est, monstrabatur. Ex his martyrum gestis
quæ ipsi proferebant, admoniti sumus & in alia gesta
martyrũ intendere; & inuenimus, & diximus, feruente
tẽpore persecutionis, & priuatam domũ, quòd illi fieri
potuisse negauerant, cõgregationi Christianorũ fuisse
concessam; & in carcere fuisse martyres baptizatos: vt
viderẽt quàm nõ esset incredibile tẽpore persecutio-
nis in priuatã domũ paucos episcopos cõgregari, quã-
do & in ipso carcere celebrabantur sacramenta Chri-
sti, in quo inclusi homines tenebãtur pro fide Christi.
Quantum nos ergo adiuuerint gesta martyrum pro-
ferendo, quis nõ videat qui non similẽ noctẽ habet in
corde, qualem illi habebant qui hoc non videbant?

QVI etiam hinc gestis ipsis Cirtensibus calumnia- CAP. XV.
bantur, quia ibi dies & consules legebantur, & exige-
bant à nobis, vt aliqua ecclesiastica concilia proferre-
mus, vbi dies recitarentur, & consules. Ipsi enim Car-
thaginense concilium factum sine die & consule pro-
ferebant. Dicebant enim etiam concilium Cypriani
consules non habere, vbi tamen legitur dies, in illo au
tem ipsorum Carthaginensi nec dies. Nos autẽ, quod
in manibus erat, Romanum cõcilium Melchiadis sic-
ut illud Cirtense & diem habere demonstrabamus &
consules: neque enim tunc ad horam antiqua archiua
ecclesiastica discutienda nobis fuerunt, vnde ista con-
suetudo etiam veterum fuisse doceretur. Nec tamen
inanes eis etiã nos calumnias mouere voluimus, qua-
re in Cypriani concilio dies inueniretur, in ipsorũ au-
tem non inueniretur: quia illi vanas moras volebant
innectere, quas nos conabamur auertere. Nam etiam
hoc exigebant, vt de scripturis sanctis ostenderemus
alicubi dies & consules esse conscriptos: quasi epi-
scoporum concilia scripturis canonicis aliquãdo fue-
rint cõparata; aut possent etiam ipsi de scripturis san-
ctis proferre concilium, vbi Apostoli iudices sederint,
& accusatum aliquem vel damnauerint, vel absolue-
rint. Et tamen respondimus eis, etiam prophetas li-
bros suos prænotatis & definitis commendasse tem-
poribus, quo anno, cuius regis, quoto mense anni,
quoto die mẽsis factum fuerit super eos verbum Do-
mini:

mini: vt ostenderemus quàm iniuriose & calumniose A
de diebus & consulibus episcopalium conciliorũ quę-
stiones vanissimas excitarent. Fieri enim potest vt in
codicibus sit ista varietas, dum alij etiam dies & con-
sules diligentia maiore describunt; alij tanquam su-
perfluum prætermittunt. Sicut etiam codex de quo
primũ legimus iudicium Constantini, quo inter par-
tes Cæcilianum innocentẽ, illos autem calumniosissi-
mos pronunciauit; diem & consulem non habebat,
alius autem quem contra corũ calumnias postea pro-
tulimus, habebat. Quia etiam illic inuidiosissimè pro-
clamauerunt, quòd Imperatoris literas sine die & con
sule recitauimus: & tamen etiam ipsi alias eiusdẽ Im-
peratoris literas in causa Felicis ordinatoris Cæciliani,
quas mirabili cęcitate contra seipsos protulerunt, sine
die & consule recitarunt: nec eis inde aliquid obiecis-
mus, ne similiter vt ipsi tempora necessaria superfluis
verbis occuparemus. Hæc autẽ modo dicimus, vt vo- B
bis saltẽ oculos aperiamus, & tenebrosa nocte carcea-
tis, quã vestri episcopi corde gestabãt, qui nocturnam
sententiam cognitioni iudicis obiecerunt, & ipsi per
diem interioribus tenebris inuoluti, mirabili cæcitate
contra seipsos tanta dixerunt.

CAPVT XVI. LEGVNTVR actis apud Carthaginis magistratum
expressa verba Primiani, vbi dicit, quòd *parẽtes eorum,
nostri maiores variis exiliis vexauerunt:* & in collatione
probare conãtur accusantibus maioribus suis, ab Im-
peratore Cæcilianum exilio esse damnatũ. Dicunt in
literis suis *cõmunionem suã esse ecclesiã veritatis, quæ per-
secutionẽ patitur, non quæ facit:* & conantur ostendere
Cæcilianũ damnatũ iudicio Imperatoris persequenti-
bus maioribus suis. Et hoc dicunt factũ non per Dona-
tũ Casensem, sed per eum quẽ præ cæteris prædicant
Donatũ Carthaginensem. Hoc enim scriptis suis per
suos modò iactare dicuntur, vbi victi iudicẽ accusant,
quia noctẽ cordis ipsorũ nocturna veritas confutauit. C
Donatũ illum, illũ inquam Donatum, quem dixerunt
ecclesiæ Carthaginẽsis ornamentũ & martyrialis gloriæ vi-
Donatus Carthaginensis quanti apud suos habitus.
rum, sic cõmendare voluerunt vt dicerent, *quòd apud
Imperatoris Constantini cognitionẽ, ipse reũ & asseruerit
& conuicerit Cæcilianũ.* Ille ergo vir gloriæ martyrialis
apud Imperatoris cognitionẽ reũ constituit & asseruit
Cæcilianũ, ipsamq; cognitionẽ Cæciliani damnatio
consecuta est. Illo viro gloriæ martyrialis accusante &
instante, Cæcilianus ab Imperatore damnatus est.
Quod quidẽ nos falsum esse cõuicimus, qui eiusdem
Imperatoris literas quibus se inter partes audisse & iu-
dicasse testatur, vbi Cæciliano absoluto atq; purgato
illorũ calumnias derestatus est, prolatas de archiuo pu
blico recitauimus. Contra quas omnino quid respon-
derent nihil inuenire potuerunt, & ad eas confirman-
das contra seipsos alia protulerunt. Proinde à maiori-
bus eorũ apud Imperatorẽ accusatum constitit Cæci-
lianũ, damnatum autẽ non constitit, imo etiã constitit
absolutũ. Sed tamen vel vos videte quantũ adiuuerint D
causam nostram episcopi vestri, qui de illa voluerunt
etiam falsitate gloriari. Si enim Donatus ille vir glorię
martyrialis apud Imperatoris cognitionẽ reũ asseruit
Cæcilianum, & illo viro gloriæ martyrialis accusante
& instante, Cæcilianus ab Imperatore damnatus est,
respondeant nobis quando hæc agebantur, quis erat
martyr, vtrum Donatus qui hominẽ apud Imperato-
rem persequebatur, an Cæcilianus, qui illo persequẽ-
te ab Imperatore damnabatur? Vbi est nũc illa defini-
tiua regula ipsorũ, *cõmunionem Donati, esse ecclesiam ve-
ritatis quæ persecutionẽ patitur, non quæ facit?* Ecce pati-
tur Cęcilianus, Donatus facit. Quis eorum est vir glo-
riæ martyrialis? Attẽdite, aduertite, nolite in errorem
perniciosum adhuc vsque seduci. Veritatem quæ vo-
bis occultabatur, Deus aperire dignatus est: falsitatem
quę vobis offundebatur, Deus confutare dignatus est:

Tanto eius beneficio, quare adhuc estis ingrati? Hoc
est, nempe quod vobis sæpe dicebant, vnde cordis ve-
stri oculos astuta fallacia caligabant.

ET adhuc etiã conuicti inde se iactãt, inde nos lace- CAPVT XVII.
rant, quia nos facimus persecutionem, ipsi patiuntur.
Hoc eis remansit omni ex parte superatis, vnde adhuc
nebulas faciant imperitis, hinc se quasi ostendẽtes ec-
clesiam veritatis, quæ persecutionẽ patitur, nõ quæ fa-
cit. Non vos ergo adhuc fallant: hoc eis facimus, quod
maiores suos, & ipsum quẽ prædicant velut martyria-
lis gloriæ virum Cæciliano fecisse gloriantur. Hoc ille
egit apud Imperatorẽ, vt cõuictus Cęcilianus illius iu-
dicio damnaretur. Hoc & nos egimus, vt isti conuicti
similia paterentur. Si malè fecit, quare hoc ille Dona-
tus faciebat? Si autem rectè fecit, quare hoc catholica
parti Donati non faciat? Imò rectè fieri nec illi dubi-
tant, qui hoc maiores suos quos multũ laudãt fecisse
gloriantur: nec nos dubitamus, qui hoc eis esse facien- B
dum negare nõ possumus, vt, sine effusione sanguinis,
qui verbis nõ emẽdantur, aliqua mitissima pœna legũ
corripiantur inquieti. Et si fortè Imperator pertinacis
mentis sacrilegæ pertinaciã grauiore supplicio statuit
esse plectendã, mitius agant iudices quibus semper li-
cuit lenire atq; emollire sententiã. Interim ergo quã-
uis non possit ostendi Cæcilianũ ab Imperatore Con-
stantino esse damnatum; à vobis tamẽ error ille sub-
latus est, quo putabatis eam esse veram ecclesiam quæ
persecutionẽ patitur, non quæ facit: fecit enim Dona-
tus, passus est Cæcilianus. Et si persecutionem patitur
pars Donati, patitur cũ illa etiã pars Maximiani, quam
& ipsi Christi ecclesiã non esse cõfirmant. Ac per hoc
& facere persecutionẽ non est iniquitatis indiciũ; quia
& boni faciũt malis, & mali bonis: & pari persecutio-
nẽ non est iustitię documentũ, quia eam non soli boni
proprietate, sed mali pro iniquitate patiuntur. Restat
ergo vobis errore depulso ecclesiam Christi videre &
tenere catholicam, nõ vt in ea eligatis quia persequu- Matth. 5.
tionẽ patitur. Cùm enim dixisset Dñs, Beati qui per-
secutionẽ patiuntur: ne inde se iactẽt hęretici, addidit,
propter iustitiã. Nam quanta mala nostris fecerint fu- Circumcelliones in catholicos immanitas.
riosissimi clerici & Circũcelliones partis Donati, nõ-
stis & vos. Incensæ sunt ecclesiæ, missi in flãmas codi-
ces sanctũ, incẽsæ etiam priuatæ domus, rapti homines
de sedibus suis, & omnibus quæ inerãt ablatis aut per-
ditis, ipsi cæsi, laniati, excæcati. Nec ab homicidio po-
tuit tẽperari; quãuis sit mitius huic luci morientem,
quàm istã lucem auferre viuenti. Ventũ est ad homi-
nes, non vt retenti aliquo ducerentur, sed tantũ vt ista
paterentur. Nec tamẽ nostros ideo iustificamus, quia
ista perpessi sunt, sed quia pro Christiana veritate, pro
Christi pace, pro ecclesiæ vnitate perpessi sunt. Illi au-
tem sub tam multis, sub tã seueris legibus, & sub tãta
ecclesiæ catholicæ quã Dñs ei tribuit, potestate, quid
tale patiuntur? Si quando enim morte mulctantur, aut
ipsi se occidũt aut eorũ cruentę violentiæ dũ resistitur
occiduntur, nõ pro cõmunione partis Donati, nec pro
errore sacrilegi schismatis, sed pro apertissimis facino-
ribus suis & sceleribus suis, quæ more latronũ immani
furore & crudelitate cõmittunt. Pro parte autẽ Do-
nati vix aliquid tale patiuntur, quale Cæcilianũ Do-
nato instante passum esse dixerunt. Aut ergo persecu-
tio nõ omnis iniusta est, aut nõ est persecutio dicenda
cũ iusta est. Quapropter aut persecutionẽ pars Dona-
ti patitur iustã; aut persecutionẽ non patitur, quia pati-
tur iustè. Non autem iustè passus est Cæcilianus, quia
innocens probatus & absolutus est. Quod quidem il-
li negauerunt, & potius ab Imperatore damnatum
esse dixerunt, & ideo maiores suos maximeque
Donatum, à se tanta prædicatione laudatum, Cæciliano
persecutionem fecisse confessi sunt. Illũ autem cõui-
ctũ atq; damnatum probare minimè potuerunt; imò
etiam,

etiam, quòd nos dicebamus eum esse absolutum atq; purgatum, ipsi quoque multa contra seipsos legendo firmarunt, & tamē liberum arbitrium sibi ab Imperatore concessum esse iactant. Victi & confusi, id sibi etiam nunc flagitabant debere concedi, quod maiores eorum Cæciliano non concedebant: quem sic apud Imperatorem accusarunt, quē illis accusationibus ab Imperatore damnatum isti etiam mentiri voluerunt. Si voluntas libera vnicuique tribuenda est, Cæciliano prius tribueretur. Si hæc non homini iudici permittēda, sed Deo potius dimittenda sunt, Cæcilianus prius apud Imperatorem non accusaretur.

CAPVT XVIII. EXPERGISCIMINI aliquando, non vos tartareus obliget somnus, non in profundum sacrilegi erroris adhuc impia consuetudo demergat, iam cōsonate paci, cohærete vnitati, acquiescite charitati, cedite veritati, ecclesiam catholicam incipiētem ab Hierusalem cognoscite vsquequaq; diffundi; cui non communicat pars Donati, cui causa præiudicat Cæciliani. Totiens enim purgatus, totiēs absolutus, etiam si non esset innocens, nec causa causæ præiudicat nec persona personæ. Hæc verba per orbem terræ vniuersa personat ecclesia, clamat etiam membrum illius in Aphrica. Testimonium Dei noui, negocium Cæciliani non noui. Credo innocentem à vestris maioribus insectatum, quē lego totiens absolutum: sed qualiscunq; sit causa eius, causæ meæ nihil præiudicat: qualiscunq; sit persona eius, personæ meæ nihil præiudicat. Vos hoc dixistis, vos ad hoc subscripsistis, *nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ*. Ecce Dominus dicit per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem: diuinam veritatem in vna ecclesia teneamus, & humanas lites aliquando finiamus. Luca 24.

CAPVT XIX. NVNQVID enim verba ista vbi dixerunt, *nec causam causæ, nec personam præiudicare personæ*, vllo modo post istam Collationē defendere potuerunt, ac nō potius se multò perplexius implicarunt? Sic namque in quibusdā scriptis suis locuti sunt, *Causam causæ & personā non præiudicare personæ, à nobis*, inquiunt, *dictū esse, memoriter recensitū est: sed alloquimur, nobis nō præiudicari ab iis qui à nobis vel reiecti sunt, vel damnati: ij autem qui ex Cæciliani ordinatione descendunt, quos de prædecessore origo numerat ad reatū, quēadmodum non possint ordinatoris sui criminibus obligari, cùm per seriem protensis peccatorū funis quoscunq; communionis vinxerit vinculo, necesse est vt consortes faciat esse peccati*. O mira defensio. Tam densum & arctū est vbi eis adhæserunt pedes, vt eos euellere conātes, frustra & manus & caput figāt, & in eodē luto hæsitantes arctius inuoluantur. Ex eis enim quos vel rejecisse se, vel damnasse cōmemorant, hoc est, ex Maximianistis, secum habent Feliciarum, & damnatorē Primiani, & à se damnatū in causa Primiani. Quid est quòd funē ram longū à Cæciliano vsque ad hæc tēpora catholicæ ecclesiæ implicare contendunt, & catenam suam tam in proximo non attendunt? Præclara quippe illa Bagaitana sententia de Maximiano & sociis eius: *Trahit*, inquit, *ad consortiū criminis plurimos catena sacrilegij*. Feliciarius ergo ista catena trahebatur. Sed illis non præiudicat Felicianus, quare nobis Cæcilianus? An fortè vbi volunt præiudicat, vbi autem nolunt, causæ non prejudicat causa, & pro libidine ipsorū fortior est funis antiquus, quàm noua catena? Non præiudicat Maximianus Feliciano à quo damnatus est; non præiudicant Maximianus & Felicianus Primiano à quibus damnatus est; non præiudicat Maximianus eis qui dilationē acceperūt, quibus in vno schismate sociatus est, non præiudicat Felicianus parti Donati, à qua in eodē honore susceptus est, nec baptismus quē in sacrilego schismate dedit, ibi destructus est: & præiudicat Cæcilianus tot Christianis gētibus qui semel damnatus est absens, quomodo Primianus; & ter absolutus est præsens, quomodo nō Primianus? Præiudicat nobis olim defunctus ignotus; & istis non præiudicat viuus, à quibus legitur paulò ante damnatus, & quibus cernitur modo sociatus? Nobis inuoluitur funis Cæciliani à quibus ignoratur, & illis nō inuoluitur catena Feliciani quorū in eum sentētia recitatur, vbi ipsa catena damnatur? Illis licet dicere, suscepimus quos damnauimus pro pace Donati, quia nec causa causæ prejudicat, nec persona personē: & nobis nō licet dicere propter eos quos damnastis, non deserimus pacē Christi, quia nec causa causæ prejudicat, nec persona personæ? O ferreā frontem, ò furoris tenebras, nocturnam sententiam iudici obijciētes, & in sui cordis nocte palpantes, offendētes, cadentes, contra nos rabidè litigantes, & pro nobis tanta dicentes.

INSVPER adhuc etiā modo cōmemorare audent prophetica & apostolica testimonia, quibus nos vniuersaliter in illa Collatione respondimus, ostēdentes ipsos prophetas sanctos cū iniquis in vno tēplo, sub eisdē sacerdotibus, inter eadē sacramēta versatos, nec tamen à malis fuisse pollutos: quia nouerant inter sanctū & immundū, non sicut isti sentiunt corporaliter populum diuidendo, sed bene iudicādo & bene viuēdo discernere. Et hoc sine intermissione faciebant, vt in illa domo magna, vbi erant sicut dicit Apost. alia vasa in honorē, alia in contumeliā, seipsos à talibus morū diuersitate mundarent, & essent vasa in honorem vtilia Domino ad omne opus bonū semper parata. Sed bene, quod ipsi ex multis testimoniis, quæ literis suis non intelligentes inseruerunt, quas in collatione protulerunt & legerunt, tanquā prēcipuū de Aggēo prophetā testimoniū modo post Collationē victi commemorarunt. In isto ergo propheta multò euidētius quod volumus demonstramus, quia nō corporalis sed spiritalis cōtactus, qui fit per consensionē, ipse polluit homines, quorū causam vnam facit ipsa consensio. Nam quādo impios Dñs etiā visibili pœna perdere voluit, ipse ab eis iustos admonitione separauit. Sicut Noe cū domo sua ab eis quos diluuio fuerat perditurus. Sicut Loth ab eis quos igne fuerat consumptuus. Sicut populum suum à synagoga Abirō, quā mox fuerat extincturus. Ideo & illum qui non habebat vestem nuptialē, non illi qui inuitauerant, sed ipse Dñs cuius erat conuiuiū, ligari iussit & proijci. Neq; enim & ipse sicut piscis sub fluctibus erat, & sic ab inuitatoribus, quomodo à piscatoribus videri non poterat. Proinde ne putaretur, sicut isti putant, quòd velut vnus in turba latēter subrepsisset ignaris, continuò Dñs in eodem ipso vno, quem ligatis manibus & pedib. in tenebras exteriores ex illo conuiuio proijci iussit, multam societatē malorū esse intelligendam, inter quos pauciores boni in conuiuio Dominico viuunt, significare non distulit. Nam posteaquā dixit: Ligate illi manus & pedes, & proijcite eū in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dētium: cōtinuò subiūxit: Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Quomodo hoc verū est, cū potius vnus è multis fuisset proiectus in tenebras exteriores, nisi quia in illo vno grande corpus figurabatur omniū malorū ante Dñi iudicium conuiuio Dominico permixtorum. A quibus se boni corde interim ac moribus separant, simul manducantes & bibētes corpus & sanguinē Domini, sed cum magna distinctione: quia isti in honore sponsi induti sunt veste nuptiali, nō sua quærentes, sed quæ Iesu Christi: illi autē nō habēt vestē nuptialē, hoc est, fidissimam sponsi charitatē, suā quærentes, nō quæ Iesu Christi. Ac per hoc etiā etsi in vno eodemq; conuiuio, isti misericordiā manducant, illi iudicium; quia ipsius conuiuij canticū est, quod & suprà commemorauī: Misericordiā & iudicium cantabo tibi Domine: nec ideo tamen dormit ecclesiastica disciplina, vt corripiat inquietos. Neque enim à populo Dei separamus,

Matth. 22.

Genes. 8.

Genes. 19.

Num. 26.

Psal. 100.

Mali cum bonis simul manducant & libant corpus & sanguinem Domini

Charitas vestis nuptialis.

Consule scholia.

mus, quos vel degradando vel excōmunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus. Et vbi hoc facere pacis & tranquillitatis ecclesiæ gratia no permittimur, non tamen ideo ecclesiam negligimus, sed toleramus quæ nolumus, vt peruenianus quò volumus; vtentes cautela præcepti Dominici, ne cum volumus ante tēpus colligere zizania, simul eradicemus & triticum. Vtentes etiam exemplo & præcepto beati Cypriani, qui collegas suos fœneratores, fraudatores, raptores, pacis contemplatione pertulit tales, nec eorum contagione factus est talis. Vnde & nos si triticum sumus, eiusdem beati martyris verbis fidentissimè dicimus: *quia etsi videntur in ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra, vt quoniam zizania in ecclesia cernimus, ipsi de ecclesia recedamus*. Hęc verba iustissimè ac piissimè dicerent maiores nostri, etiam si Cæcilianum & aliquos coepiscopos eius malos viderent, quos tamen ab ecclesia separare nō possent, propter illos quibus mali demonstrari non poterant, & eos bonos & innocentes putabant: hæc verba omnino dicerent, hoc omnino sentirent, ne cùm vellent temerè zizania separare, simul & triticum eradicarent. Quòd ergo iussus est quidam propheta nec panem manducare, nec aquam bibere in Samaria, quò missus fuerat vt corriperet eos, qui vaccas constituerant adorandas more idolorum Ægyptiorum, hoc omnino facere debuit quod præceperat Dominus, cui tunc eo modo illos corripere placuit, vt nihil ibi alimentorum tangeret Propheta quem miserat. Neq; enim in ecclesia non fit quotidie, quando eos quos acrius corripimus, etiam si in eorum possessione sumus, nihil ibi apud eos contingimus, vt sentiant quantum eorum peccata doleamus. Nunquid tamen ideo etiam plebis discessio facienda est, vt sicut mollis herba indiscretè eradicentur infirmi, qui de pectoribus hominum & ignotis factis, etiam si nobis sint cognita, iudicare non possunt? Nam in ipsa Samaria & Helias & Heliseus erant, & si ipsi in solitudine, non tamen deuitandorum sacramentorum causa, sed quia persecutionem ab impiis regibus patiebantur. Nam illic erant, non vtique in solitudine, separata, quæ ipse ignorabat Helias, septem milia virorum, qui non curuauerunt genū ante Baal. Denique inter præcipuos sanctos habitus Samuel & grauiter Saulem corripuit, & cum eo tamen ad offerendum Deo sacrificium sine excusatione perrexit: nec peccatorum eius contagione pollutus est, sed omnino mundus meritorum suorum conseruatione permansit. Sed istā nobis quæstionem quamuis euidenter & in Collatione & modo soluta sit, euidentius tamen soluat Aggæus, cuius testimonium præ cæteris elegerunt, vt solùm adhuc pro omnibus iactent. Arguit Dominus per Aggæum prophetam, populum ex Babylonia residuum vbi captiuus tenebatur, quòd domum Dei negligerent, & suas domos extollerent, & dicit propterea se plaga sterilitatis eorum percussisse regionem. Tunc Zorobabel filius Salathiel, & Iesus filius Iosedech sacerdos magnus, & omnis ille populus diuinitus inspiratus operari cœpit in domo Domini Dei sui. Sic enim eadem scriptura dicit: Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel ex tribu Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, & spiritum residuorum omnis populi, & introierunt & faciebant opera in domo Domini omnipotentis Dei sui, quarta & vicesima mensis sexti; secundo anno sub Dario rege. Ecce & dies & mensis & annus definitus est, quando intrauerunt ad operandum in domo Domini. Credo quòd illi viri, & ille populus operans in domo Domini non erat immundus, præsertim quia dixerat ei Dominus: Ego vobiscum; & suscitauerat spiritum eorum ad bene operandum in domo sua. Denique videte quid sequitur; contexit enim eadem scriptura & dicit: Septimo mense, vna & vicesima mensis, locutus est Dominus in manu Aggæi prophetæ dicens ad Zorobabel filium Salathiel ex tribu Iuda, & ad Iesum filium Iosedech sacerdotem magnum, & ad omnem populum residuum, dicens: Quis ex vobis vidit domum hanc in claritate sua pristina? Et quomodo videtis eam modò, tanquam non sit in conspectu vestro? Et nunc præuale Zorobabel dicit Dominus, & prēuale Iesu fili Iosedech sacerdos magne, & præualescе omnis populus terræ, dicit Dominus omnipotens, & spiritus meus præest in medio vestrū. Bono animo estote, quoniam hæc dicit Dominus omnipotens: Adhuc semel, & cōmouebo cælum & terram, mare & aridam, & concutiam omnes gentes, & venient omnia electa gentium, & implebo domum hanc, dicit Dominus omnipotēs: Et cætera quæ addidit, etiam futura prophetans, quæ de Domini nostri Iesu Christi temporibus rectius intelligi solent, cuius populus verissimum & sanctissimū est templū Dei, non etiam in eis qui permixti tolerantur, sed in eis solis qui nunc interim à talibus bene viuendo spiritaliter separantur, post verò etiam corporaliter separandi sunt. Veruntamē illum populum cui prophetia ista prænunciata est, & qui tunc operabatur in domo Dei, vbi erant & illi duo, Zorobabel filius Salathiel, & Iesus filius Iosedech, quomodo sit exhortatus & commendatus à Domino, satis in promptu est videre in his verbis Prophetæ quæ sicut dicta sunt, inseruimus. Nunquidnam ergo istum populum immundum possumus dicere, ad quem si quis accesserit inquinabitur, cui populo dicitur: Et nunc præuale Zorobabel, dicit Dominus, & præuale Iesu fili Iosedech sacerdos magne, & præualescе omnis populus terræ, dicit Dominus omnipotēs, & spiritus meus præest in medio vestrū? Quis dementissimus dixerit istum esse populum ad quem si quis accesserit, inquinabitur? Nunc ergo attendite quid post illam prophetiam, quę huic populo de Christi temporibus annunciata est, consequenter scriptura contexat, Quarta & vicesima noni mensis anno secundo sub Dario rege, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicēs: Hæc dicit Dominus omnipotens: Interroga sacerdotes legem, dicens: Si sumpserit homo carnem sanctificatam in summo vestimenti sui, & attigerit summum vestimenti eius, panem aut pulmentum aut vinum, aut omnem escam, si sanctificabitur? Et responderunt sacerdotes & dixerunt, non. Et dixit Aggæus: Si tetigerit inquinatus in anima aliquid horū, si inquinabitur? Et responderunt sacerdotes & dixerunt, inquinabitur. Et respondit Aggæus & dixit: Sic populus hic & gens hæc in conspectu meo dicit Dominus, & sicut opera manuum ipsorum, & quicunque accesserit illò, inquinabitur, propter præsumptiones eorum matutinas à facie laborum suorum, & odio habebatis in portis arguentes. Quis est iste populus tam immūdus, vt quisquis illò accesserit, inquinetur? Nunquid ille cui dictum est, Præualescе, & spiritus meus in medio vestrum? Absit vt ille sit. Duo igitur erāt: Vnus immundus, & alter qui ad immundum prohibetur accedere; qui exhortabatur præualescere, quia spiritus Dei erat in medio eorum. Si ergo duo erant, ostendantur & duo templa; vnum quo iste, alterum quo ille ingrediebatur. Ostendantur & duo altaria; vnum in quo iste, alterum in quo ille victimas offerebat. Ostendantur & sacerdotes, huius alij, & illius alij, qui pro suo quisque populo separatim sacrificabant. Si autē quisquis hoc affirmare conatur, insanit, sic erant isti duo populi in vno populo, sub vno sacerdote magno, vnum templum intrantes, sicut erant etiam sub vno Moyse quidam Deum offendentes, quidam Deo placentes, de quibus Apostolus dicit: Non in omnibus illis

Cypri. lib. 3. epist. 3.

3 Reg. 13.

Ibidem.

Aggæi 1.

Aggæi 2.

Matth. 13.

Serm. de lapsis.

3. Reg. 19.

1. Reg. 15.

Ibidem.

1. Cor. 10.

illis beneplacitum est Deo. Neque enim ait, in omnibus illis beneplacitum non est Deo, tanquam omnes displicuerint Deo: sed ait, non in omnibus illis beneplacitum est Deo: ergo in quibusdam, nõ in omnibus. Et omnes sub eisdem sacerdotibus erant in vno eodemque tabernaculo, in vno eodemque altari hostias offerebant: & tamen distinguebantur factis, nõ locis; animo, non templo; moribus, non altaribus. Sic alij ad alios non accedebant, ne ab eis inquinarentur: hoc est, eorum malis factis non consentiebant, ne pariter damnarentur. Non enim & illos malos Moyses tantus propheta nesciebat, quorum impia murmura & horrẽdas amaritudines quotidie sufferebat. Sed istum nesciſse faciamus. Nũquid & Samuel Saulem nesciebat, quem per os eius æterna sentẽtia damnarat Deus? Veruntamen & ipsum & sanctum Dauid vnum Dei tabernaculum intrantes, inter eadem sacrificia videbat; sed distinctè vtique videbat, quia distinctos videbat, & vnũ eorum in æternũ amabat, alium pro tempore tolerabat. Sic & Aggæus nouerat in vno populo duos populos, vnum templum intrantes, sub vno magno sacerdote viuentes, & alterum ostendebat immundum, alterum ad immundum accedere prohibebat: & tamen nec illos nec seipsum ab eodem templo & ab eisdem altaribus separabat. Ergo spiritalem prohibebat accessum consensionemque factorum: quod & ipsa verba clamant, si aures adsint quas animositas furiosa non claudat, aut strepitus variæ contentionis non impediat. Ait enim Propheta, Omnis qui accesserit illò, inquinabitur. Vitiũ notauit quò accedi prohibuit, non homines ab hominibus corporali disiunctione seclusit. Acceditur autem ad vitium corruptionis, vitio consensionis. Ac ne quisquam diceret illum populum, cui primo dictum est, Præualesce, quoniam spiritus meus præest in medio vestrum: paucis interpositis diebus in deterius commutatũ, vt audire mereretur: Sic populus iste & gens ista, omnis qui accesserit illò, inquinabitur: dies enim fermè nonaginta cõputantur inter verba illa quæ bona in populum dicta sunt, & ista quibus eius immundicia vitanda præcipitur: ne quis ergo hoc putaret, bonum illũ populum, quamuis hoc paruo tẽporis interuallo tam pessimum effectum, videte quod sequitur; attendite quid dicatur eo ipso die, hoc est vicesima & quarta noni mẽsis, quo die dictum est: Sic populus iste & gens ista, omnis qui accesserit illò, inquinabitur, cùm enim hoc dixisset & mala eorum commemorasset, quorum merito demõstrarentur immũdi, addẽs etiam & dicens: Odio habebatis in portis arguentes: continuò subiunxit: Et nunc ponite in cordibus vestris à die hoc, & suprà, priusquã poneretur lapis super lapidem in templo Domini: qui eratis cùm mittebatis in capsella viginti sata hordei, & fiebant decẽ sata, & intrabatis in torcular exhaurire quinquaginta amphoras, & fiebant viginti. Percussi vos in fœcunditate, & venti corruptione & grandine omnia opera vestra, & non estis conuersi ad me, dicit Dominus. Constituite igitur corda vestra à die hoc & deinceps à quarta & vicesima noni mẽsis, & à die qua fundatum est templum Domini, ponite in cordibus vestris, si adhuc cognosceretur in area, aut si vitis, aut malũ, aut ficus, aut malogranatum, & ligna oleæ quæ non fecerunt fructum à die hoc benedicam. Ecce ipso die etiam benedici meruerunt. Benedictio ergo hæc puto quod non pertineat ad illos ad quorũ immunditiam prohibet accedi, sed ad illos bonos qui prohibẽtur accedere. In vno ergo fuerunt & permixti & separati: permixti quidem corporali tactu, separati autem voluntatis abscessu. Sed more suo scriptura loquitur, quę sic arguit malos, tanquã omnes in eo populo mali sint, & sic consolatur bonos, tanquam omnes ibi tales sint. Pro nobis ergo episcopi vestri, etiam in eo quod

Aggæi 2.

Ibidem.

Regula scripturæ intelligenda.

A post collationem victi subscripsisse dicuntur, Aggæi prophetiam posuerunt, vnde commemorant euidentius probari quod dicimus, quia in vno populo, in vno templo, sub eisdem sacerdotibus, inter eadem sacramenta, hominibus dissimili voluntate viuentibus & diuersis moribus separantibus, nec causa causæ, nec personæ potest præiudicare persona.

ID etiam quod ex Apostoli epistola, scriptis suis etiam modo commemorant, vbi ait: Nolite iugũ ducere cum infidelibus: quæ enim participatio luci ad tenebras? &c. quæ suprà commemorauimus, & quomodo rectè intelligerentur, ostendimus; quid aliud agunt, nisi vt nos commemorent quibus hoc Apostolus scripserit? In eodẽ quippe ipso populo Corinthiorum quod dicimus demonstramus, ne fortè arbitrẽtur prophetarum tantummodo moris fuisse, & nõ ad noui Testamenti, sed ad veteris consuetudinem pertinere, sic arguere reprehensibiles, quasi omnes in eo populo arguantur; & sic alloqui laudabiles, quasi omnes ibi laudentur. Ecce & ad Corinth. sic Apost. loquitur: Paulus vocatus apostolus Iesu Christi per volũtatem Dei, & Sosthenes frater, Ecclesiæ quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu vocatis sanctis, cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi in omni loco ipsorum & nostro: Gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino Iesu Christo. Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia, sicut testimoniũ Christi confirmatum est in vobis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia. Quis hæc audiẽs credat in ecclesia Corinthiorum, esse aliquos reprobos, quãdoquidem verba ista sic sonant, velut ad omnes directa sit ista laudatio? Et tamen paulo pòst dicit: Obsecro autem fratres vt idipsum dicatis omnes, & nõ sint in vobis schismata. Rursus tanquam in hoc horrendo vitio velut omnes arguens atque increpans, dicit: Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? Puto autem eos qui in eo populo dicebant, Ego sum Christi: non duxisse iugum cum eis qui dicebant: Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ: & tamen omnes ad vnum altare accedebant, & eadẽ sacramenta communicabant, qui eadem vitia non communicabant. His enim Corinthiis, etiam illud dictũ est, Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Quid enim aliud Apostolus nisi istos vaniloquos cogitabat, vt ei non sufficeret dicere, iudiciũ manducat & bibit: nisi adderet, sibi: ne hoc etiam ad illos pertineret, qui pariter quidem, sed non iudicium manducabant? In ipsis etiam Corinthiis ibi erant qui nõ credebant resurrectionem mortuorum, quæ singularis fides est Christianorum: quod eis ita dicit Apostolus. Si autem Christus prędicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quia resurrectio mortuorum non est? Non dixit in hac terra vel in hoc mundo; sed, in vobis, inquit. Neque enim posset de Christi resurrectione præscribere: nisi iam vtiq; Christianis, quibus de ipsa resurrectione Christi dicit, Sic prædicamus, & sic credidistis. Nunc attendamus verba illa quibus Corinthiorum Ecclesiam in epistolæ principio sic laudat, vt dicat, Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia, sicut testimonium Christi cõfirmatum est in vobis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia. Ecce sic erant ditati in Christo in omni verbo & in omni scientia, ita vt eis nihil deesset in vlla gratia, vt in illis essent qui resurrectionẽ mortuorum ad hucusque non crederẽt. Puto autem quòd isti quibus nihil deerat in vlla gratia, non ducebant iugum

CAP. XXI.

2. Cor. 6.

Aliter omnis quisquam, aliter multitudo cauenda.

1. Cor. 15.

B

1. Cor. 1.

Resurrectionis fides, Christianorum est singularis.

1. Cor. 15.

1. Cor. 1.

1. Cor. 11.

C

D

iugum cum eis qui resurrecturos mortuos non credebant. Ecce quomodo non ducunt iugum cum infidelibus, quamuis eidem populo misceantur, & sub eisdẽ sacerdotibus, eisdem sacramentis imbuantur. Deniq; ipse Apostolus ne huic infidelitati consentirent, quorum iam fides tenebat resurrectionem mortuorum, non eis præcepit corporalem separationẽ: multi quippe erant, non sicut ille vnus, qui vxorem patris sui habuit, quem liberiore correptione & excommunicatione iudicat dignum: longè aliter iste, aliter vitiosa curanda & sananda est multitudo, ne fortè si plebs à plebe separetur, per schismatis nefas etiam triticum eradicetur. Eos ergo qui iam credebant resurrectionem mortuorum, ab his qui eam in eodem populo nõ credebant, non corporaliter Apostolus separat, sed tamẽ spiritaliter separare non cessat, dicens: Nolite seduci, Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Non eorum congressum, sed consensum timet, ne malis colloquiis accommodent fidem, quę corrumpunt bonos mores. Moribus ergo eos, non altaribus admonet separari. Postremò antequam eis hæc Apostolus scriberet, in eadem ecclesia erant qui resurrectionem mortuorum non credebant, in qua erant quibus nihil deerat in vlla gratia: & illi istos infidelitate sua non inquinabant, quia isti illis ad eandem infidelitatem non consentiebant. Ecce quomodo illò non acceditur, ne quisquis accesserit, inquinetur: ecce quomodo nulla participatio est lumini ad tenebras: ecce quomodo quamuis intra eadem retia natent pisces vtrique, nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ. Quod cùm ita sit, quæ tam cruda stultitia, quis tam ferreus cordis somnus non excutiatur, possitq; aliquando sentire, Cæciliani causam catholico orbi terrarum, cui non communicat pars Donati, præiudicare non posse, si non præiudicat parti Donati causa Maximiani, vel potius causa Feliciani & Primiani modò coniunctorum, paulo antè inuicem damnatorũ? Sufficit certè vt secundum ipsos loquamur, quòd pisces mali sub fluctibus latitantes ignaros non polluunt piscatores: quãuis non sit de piscatoribus quęstio, quos fortasse in illa similitudine Dominus angelos intelligi voluit. Magis enim attendendum est intra ipsa retia pisces bonos à malis non posse maculari. Neque enim & ipsi nõ vident inuicem simul natãtes, sicut à piscatoribus intra aquam positi non videntur. Sed, vt dixi, sufficit causæ nostræ, quòd mali non polluunt, quorum malefacta nesciuntur.

CAPVT XXII.

FVERINT quidam tempore Cæciliani beati pacifici, qui eum etiam si innocens non esset, sciẽtes pro catholica vnitate tolerarent, cùm eum viderent tot ignotis gentibus, per quas ipsa vnitas dilatatur sacramentorum participandorum, communione cohærere: eisque talem non posse monstrari, qualem ipsi eum esse cognoscerent: ipsi se contra istas calumnias defenderent verbis beati & pacifici Cypriani, clamarentq; fidenter & dicerẽt: Ideo propter Cæcilianum non deserimus vnitatem, quia etsi videntur in ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in ecclesia cernimus, ipsi de ecclesia recedamus. Istorum pacificæ patientiæ conueniret præclarissima laus illa, qua laudatur angelus ecclesiæ quæ est Ephesi: (quem nemo rectè intelligens dubitat ipsius ecclesiæ gestare personã) cui dicit in Apocalypsi Spiritus, Scio opera tua & laborem & patientiam, & quia non potes sustinere malos, & tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces, & patientiam habes, & sustinuisti eos propter nomen meum, & non defecisti. Sic illi laudantur qui in ista vita Cæciliani tempore fuerunt, qui propter nomen Domini, quod sicut vnguentũ effusum per innumerabiles gentes toto iam orbe fragrabat, non deficerent patientissimè sustinendo etiam quem malum nossent: si malus ille esset, qui eorum iudicio aliis demonstrari, & ab eis auelli separariq́ue non posset. Nostra alia causa est, arrogare nobis laudem huius patientiæ non debemus. Non enim possumus dicere nos pro pace tolerasse quod ad nostrã cognitionem prorsus nõ potuit peruenire. Nobis Cęciliani causa sub fluctibus fuit, vox nostra talis est qualis Christianarum gentium cæterarum, cõtra quas isti non inuenerunt omnino quod dicerent. Veruntamen ignotam Cæciliani causam rectè credimus bonam, quem semel inimicorum factione damnatũ, ipsis autem accusantibus tertio legimus absolutum. Aut credant isti centum fermè episcopis partis Donati de criminibus Primiani, & tunc cogant nos credere septuaginta maioribus suis de criminibus Cæciliani. Quòd autem dicunt Cæcilianum obiecta sibi in illo concilio crimina cùm absens fuerit, tacendo firmasse, firmauit ergo & Primianus crimina, quæ à centum episcopis sibi obiecta nec postea saltem ostenditur diluisse. Sed videlicet *nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ*, ne pars Donati minuatur: præiudicat autem, vt Christi hæreditas diuidatur. An verò Cæciliani causa non præiudicat vnitati catholicæ quam tenemus, & cuius societate gaudemus, cùm fuerit Cæcilianus Carthaginensis episcopus, & prejudicat ei causa Nouelli Tyzicensis, Faustini Tuburbitani, quos nec accusandos postea sicut Cęcilianum Felicemque putauerunt; quorum nomina, imò verò ipsarum in quibus fuerunt ciuitatum nomina, nec vniuersæ Aphricę nota sunt, aut fortasse nec vniuersæ proconsulari prouinciæ? Ecce quorum piscículorum, etiam si mali fuerunt tam in profundo latentium causam volunt præiudicare causæ tantæ piscationis, cuius plena retia toto orbe diffusa sunt, qui piscibus iuxta natantibus vix noti esse potuerunt. Cur autem non credamus etiam istos innocentes fuisse; quando nec accusari ab eis, sicut dixi, postea meruerunt, & ille purgari potuit, quem maiores eorum malorum omnium fontem in concilij illius inimica conspiratione dixerunt?

CAPVT XXIII.

SED qualescunq; isti fuerint, quid pertinet ad nos? Neque enim verè non nobis concedunt, vt istorum nescio quorum causa atque persona non præiudicet causæ atque personæ ecclesiæ catholicæ, si nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ: & tamen obiiciunt nobis vt adhuc vos seducant, quòd aurum iudici dederimus, vt pro nobis contra illos sentẽtiam diceret: vos dicite si potestis, quantum dare debuerimus electis defensoribus episcopis vestris, vt tãta contra se pro nobis vel dicerent vel proferrent, vt sic agerẽt causam nostram, sic perimerent suam? Quanti emere debuimus, vt post verba Primiani, quibus dixerat, *Indignum est vt in vnum conueniant filij martyrum & progenies traditorum:* venirent tamẽ, & in vnum nobiscum, quod indignum esse dixerant, conuenirent? Quanti emere debuimus, vt more forensium aduocatorum de temporibus & diebus, de personis etiam nobis prescribere conarentur, & sic omnibus hominibus etiam illis qui nostras disputationes intelligere non possent, satis apertè monstrarent quàm malam causam haberent, quam proferre & agere sic timebant apud eum iudicem, cuius erga se benignitatem atque iustitiam tanto præconio laudauerant, & cuius motum aduersum se nullum adhuc senserãt? Quanti emere debuimus, vt ipsi deinde exigerent non secum agi debere forensibus formulis, sed diuinis potius testimoniis, & de scripturis sanctis similiter se responsuros esse promitterent: & cùm mandatum cõcilij catholici, quod obtuleramus, recitatum esset, atque in eo ipsis etiam confitentibus claruisset, nos ecclesiæ catholicæ testimoniis sanctarum scripturarum agere voluisse, rursus tanquam

Apoc. 2.

Collat. 1. cap. 13.

Collat. 1. cap. 9. & Collat. 3. cap. 2. & 5.

quam obliti quid sibi placere dixissent, ad easdem forenses præscriptiones perplexis & odiosis contentionibus remearent? Quanti emere debuimus, vt subscriptionum nostrarum quæ in eodem mandato demonstrabantur, numerositate commoti, exigerent totius concilij nostri præsentiam; ex quo concilio non nisi decem & octo secundum edictum Cognitoris aderamus, & quæstionem falsitatis inferrent, quod alij pro aliis subscribere potuerunt? Sic enim peruetum est, vt eorum quoque numerus recenseretur, & ipsi in ea falsitate deprehenderentur, cuius in nos suspicionem intendere voluerunt: ita vt non solùm quidam, in eorũ mandato legerentur subscripsisse pro absentibus, qui nec Carthaginem venerant: verumetiam quendam recitatum & non respondentem cùm in itinere defecisse dixissent; quæsitumque ab eis esset, quomodo apud Carthaginem subscribere potuerit qui in itinere iam defecerat: post magnas angustias perturbationis atque inconstantis & variæ responsionis suæ, non venientem, sed posteaquam subscripsit, ad propria remeantem in itinere defecisse asseuerarent: deinde sub diuina testificatione interrogati, vtrum eum cõstaret fuisse Carthagini, vehementius perturbati dicerent, *Quid si & alius se pro eodem apposuit?* atque ita verbis suis falsitatem quam nobis obiecerant, in suo mandato apparuisse, & conuictam claruisse firmarent.

Collatione 1. cap. 4. 11. 12. 14.

CAPVT XXIIII.

QVANTI emere debuimus, vt cùm vellent de numerositate gloriari, etiam in hoc mendacia sua proderent? Nam cùm aliquanto amplior nostrorum numerus affuisset, dictumque à nobis esset, alios cẽtum fermè episcopos catholicos, partim senectute, partim valetudine, partim diuersis necessitatibus impeditos non venisse Carthaginẽ, illi hoc audito, multo plures suos non venisse dixerunt. Sicut etiam nunc plusquã quadringentos per totam Aphricam se esse iactantes, obliti sunt quod in sua notaria posuerunt, vsqueadeo se omnes venisse Carthaginem, vt eis solis exceptis quos vel in propriis sedibus, vel in itinere tenuit corporis ægritudo, nec grauissimos senes annositas & labor prolixi itineris potuerit impedire. Et lectæ sunt in mandato eorum subscriptiones, sicut facta supputatione respondit Officium, ducentæ septuagintanouem, annumeratis etiam iis in quibus falsitas deprehensa est, & qui pro absentibus subscripserant, quòd ægritudine detenti non potuerũt venire Carthaginem. Quomodo ergo verum est plures quadringentis eos esse, quando illos solos Carthaginem non venisse dixerũt, quos valetudo corporis impediuit: cùm & pro ipsis quibusdam alij subscripserint; vt nõ dicamus hoc pro omnibus ægrotantibus esse factum? An fortè sic eos inuaserat pestilentia, vt eorum tertiam partem repente prosterneret? Sic autem à Primate suo per tractoriam fuerunt euocati, *quò prætermissis omnibus properarent conuenire Carthaginem, vt scirent se decepisse quod haberent optimum in causa, quicunque venire noluissent*. Hoc erat videlicet optimum in causa, vt ingens eorum numerus appareret: quasi tãto plus prosit ad aliquid facilius inueniendum, quanto maior fuerit quærentium multitudo cęcorum? Quanti emere debuimus, vt in diem perendinum vtrisque nostrũm cõsentientibus cognitione dilata, pridie per notariam peterent, vt sibi nostrum mãdatum ab officio ederetur, quo instructi adesse possent; causantes quòd conscribendis gestis tam angusto tempore occurrere non posset Officium? Sic enim factum est, vt sequenti die cognitionis, quamuis iniustè petentes, acciperent dilationem. Qui considerata causa, quæ mandato nostro tota continebatur, magnas patiebantur angustias, cùm conuincerentur tamen contra suos venire consensus. Quid enim iustius quàm petere dilationem tanta veritatis firmitate conturbatos? Quod his vtinam profuisset, vt considerato mandato nostro, cui respondere minimè potuerunt, corrigere potius prauitatem, quàm in deterius augere maluissent. Iustè itaque dilationem petebant. Sed pridie non debuerant in notaria sua dicere, ideo sibi nostrum edi debere mandatum, vt parati ad diem constitutum venirent, quia exceptores occurrere cum gestorum conscriptione non possent: & ipso actionis die rursus de ipsis exceptoribus, quia non occurrerãt, velle causari. Quid eos ad hoc compulit, nisi vehemens perturbatio, cùm viderent sic à nobis esse actam causam in conscriptione mandati, vt responsionem inuenire non possent? Nam istud quanti emendum fuit vt ipsam peterent dilationem, & acciperent sex dierum; vt nemo posset eos dicere angustia temporis impeditos, non potuisse nostro respondere mandato? Ipso verò tertio nostræ collationis die quanti emendum fuit, vt inanissimis & superuacuis morarum interpositionibus se omnimodo peruenire ad causam nolle monstrarent? Et quàm malam causam haberent, ipso suo timore clamabant, quanquam eorum timor etiam in testimonium manifestissimæ vocis erupit, quando dixerunt, *Sensim inducimur in causam*. Et alio loco: *Peruidet*, inquiunt, *potestas tua sensim nos in causæ interna deduci*. O violentia veritatis, quolibet eculeo, quibuslibet vngulis fortior ad exprimendam confessionem!

Collatione 1. cap. 14.

Tractoria.

Collatione 1. cap. 15.

Collatione 2. cap. 3.

Collatione 3. cap. 5.

Veritatis violentia.

CAPVT XXV.

CONGREGANTVR ex vniuersa Aphrica tot episcopi, ingrediuntur Carthaginem, cum tãta specio-si agminis pompa, vt tam magnæ ciuitatis oculos in se intentionemque conuertant. Qui loquantur pro omnibus, eliguntur ab omnibus. Locus etiam re tanta dignus in vrbe media procuratur. Vtrique conueniũt, iudex præsto est, tabulę patent, suspensa omnium corda exitum tantæ Collationis expectant. Tunc à lectissimis & disertissimis viris, quantis virib. agi debuit aliquid, tantis agitur vt agatur nihil. Quærunt personas forensi more discutere, in qua quæstione annosa etiã tempora litigatores conterere consueuerũt. Ista quippe actione catholicos mandatum suum diuinis potius testimoniis quàm forẽsibus formulis cõscripsisse confessi sunt, & similiter se de Scripturis responsuros esse promiserunt. Et quoniam mirifica opitulatione Deus voluit, vt cùm quærunt personam petitoris, ne veniretur ad causam; ipsa inquisitio petitoris in mediũ subitò mitteret causam, clamant præclari viri qui ad agendum videbantur electi, ac se potius ad non agendum electos esse testantur, & inuidiosè iudici conqueruntur, *sensim se in causæ interna deduci*: quasi aliquid aliud prætermissis omnibus agi debuerit, quàm illud quod tanto pòst, vel sero agi nolebant, quia nunquam prorsus agi volebãt vbi vinci metuebant. Huius timoris apertissimam vocem, quis de illorum clauso pectore excuteret, & non dico si eos donis largissimis ditaret, sed si eos pœnis crudelissimis torqueret? Cùm enim personam petitoris forensi tritura conquirerent, & volentes ostendere nos esse petitores, vt personas nostras permitterentur iure discutere, & moras annosissimas inuenire, legerunt libellum nostrum aliquando Proconsuli datum, quo eos petiuimus conueniri, vt ipsa inter nos tunc collatio fieret, quam modò ab Imperatore vt fieret impetrauimus, vt eo libello nos quasi petitores esse monstrarent; responsum est à nobis, ideo nos semper voluisse fieri collationem, nõ vbi eis crimina obiiceremus, sed vbi ea quæ solẽt obiicere purgaremus: propter hoc quippe hæretici & ab ecclesiæ vnitate separati, quia crimina obiiciunt quæ probare non possunt. Deinde quia videbatur Cognitor secutus ordinem temporum, vt gestis quæ protuleramus, vbi & ipsi apud præfectos collationem petiuerant, ideo præferret libellum nostrum ab ipsis prolatum, quia gesta illa præfectoria tempore præcedebat: facillimè nos atque iustissimè hac occasione oblata à Cognitore impetrauimus, vt si ea præferret quæ tempore priora esse constaret, illud iuberet potius recitari, vbi ipsi apud imperatorem Constantinum per Anullinum proconsulem accusarunt Cæcilianum, cuius crimina nostræ communioni obiiciunt, quæ volebamus illa collatione purgare. Proinde posteaquam legi cœpit, quoniam illic apertissimè in omnibus vincebantur, clamare cœperunt, *Sensim inducimur in causam*. Et iterum, *Peruidet potestas tua sensim nos in causæ interiora deduci*. O magna, sed non miranda confusio: quando enim dæmon sic exorcistam timeret, quomodo timuerunt ne illa legerentur, vbi apparebat Cæcilianus & ab eorum prædecessoribus apud imperatorẽ accusatus, & tot iudiciis non solùm episcopalibus, sed etiam imperialibus absolutus? Quando vel quanto precio emere possemus, quòd ipso timore turbati, redire ausi sunt etiam ad illius temporis præscriptionẽ, vbi dixerant, lapsam iam esse causam, & quatuor mensibus euolutis agi iam omnino non posse? Quid est hoc? Quis tam idoneus index inueniri potest animi eorum, quàm timor iste sic expressus, sic apertus, vt cùm timor soleat adimere libertatem, isti tam liberè timuerint, vt iudicium suum de mala sua causa nec silentio tegerent, sed verbis apertissimis proderẽt? O vehementem trepidationem ad extorquendam confessionem. Tam fortis ex ore prosiluit timor, vt eius impetu de fronte fugerit pudor. Sed cùm legerentur ea, quibus ostendebatur Cæcilianus accusatus atque purgatus, petitores propter agendam causam inquirebantur, personæ discutiebantur. Et quamuis morarum tẽdiculæ, ne ad ipsam causam peruenireturr, tergiuersatoriè necterentur, tamen propter agendam causam etiam ista postulari veluti iure videbantur. Postquã causa optima Cæciliani recitanda prolata est, reuocatur explosa & conuicta præscriptio, diem causæ agendæ iam transisse clamatur.

Collatione 3. cap. 5.

CAPVT XXV I.

QVID adhuc expectatis, quid pro nobis pronunciauerit Cognitor, cùm videatis quid contra seipsos episcoporum vestrorum pronũciauerit timor? Dederat certè ipse Cognitor potestatem, vt alium cum ipso quem vellent iudicem constituerent. Quod illi recusarent; quoniam si aliquem delegissent, mentiri vobis non possent etiam à nobis ipsum fuisse corruptũ. Sed fecerunt quod recusauerunt: constituerunt prorsus cum illo alium iudicem, non quemlibet extraneum, sed intimum suum. Ecce ipse timor eorum alius iudex fuit; certè ipse à nobis nihil accepit, & pro nobis liberè iudicauit: non gratificatus est eorum personæ quibus internus hęrebat, de quorum secreto cubiculo procedebat. Et antequam causa diceretur, prior iudicauit, quia eam prior in ipsorum corde cognouit. Denique processit ille vt causam nosset, processit iste qui nouerat. Ille iudicauit stando, audiendo, loquendo, iste tantummodo in medium procedendo, puto quod melius dicerent, vt causa iam non ageretur. Quanto enim citius eam finiuit litigatorum timor, quàm cognitoris labor? Ille quærebat quid ex eorum chartulis legeretur, iste indicauit quid in eorum cordibus ageretur.

Collatione 1. cap. 2.

CAPVT XXVII.

QVOMODO autẽ ad hoc venerant territi eis quæ prolata fuerant recitanda, vt dicerent iam lapsam causam esse temporibus, & agi non posse? Proposuerunt nobis quod iam fuerat antè transactum, vt si de Scripturis sanctis ageremus, illa minimè legerentur. Si autem illa recitanda legeremus, habere se validam præscriptionem, vt lapsam temporibus causam omnino agi non sinerent, cùm ipsi non seruauerint, quod antè promiserant se mandato nostro, vbi nos ecclesiæ causam Scripturarum testimoniis egisse confessi sunt, similiter se Scripturarum testimoniis responsuros: qui petitorum discutiendas esse personas, non more disputantium, sed more litigantium contendebant. Respõdimus ergo eis, vt si nihil aliud agi mallent, nisi vt quæreretur quæ vel vbi sit catholica ecclesia, causam eius nos non nisi diuinis quibus prænunciata est, testimoniis ageremus. Si autem hominibus aliqua crimina obiicerent, quoniam nec ipsi possent ea testimoniis diuinis, sed aliquibus aliis talibus documentis ostendere, etiam nos ea documentis talibus purgaturos. Sic illis assiduè sua inania repetentibus, hæc à nobis perseuerantissimè repetita sunt: sic eos veritas vicit, & ad illa quæ protuleramus audienda, confutatos, superatosque constrinxit. Videbant enim, si nulla crimina Cæciliani obiicerent communioni nostræ, nihil sibi remanere vnde suam ab vnitate separationẽ quoquo modo excusarent: si autem obiicerent crimina Cæciliani, nec à se nihil talibus documentis posse asseri, nec à nobis posse aliter defendi.

Collatione 1. cap. 9. & Collatione 3. cap. 2. & 5.

CAPVT XXVIII.

IAM verò illud inter hos eorum contentiosissimos strepitus, quanti emendum fuit, quòd cùm diceremus hoc nos proponere, vt crimina quæ solẽt obiicere nostræ cõmunioni, quæ per omnes gentes dilatatur, probarent si possent, vt hinc eorum separatio, vtrum iusta fuerit noscereturr: respõderunt *alienam causam nos agere velle, hoc est, transmarinarum ecclesiarum, quibus hæc nõ obiicerent, quoniam inter Aphros esset ista contentio: illas verò ecclesias potius expectare debere, vt eos sibi copulẽt qui in hac Collatione vicerint, & ipsi cum eis habeant catholicum nomen*. Quid ergo adhuc quæritis, quidue dubitatis, quam ecclesiam tenere debeatis? Ecce habetis eã, contra quã vestri episcopi causam se non habere confessi sunt, cui communio nostra coniuncta est, vnde ipsorum communio separata est. Si enim modò eam expectare debere dixerunt, vt qui nostrum vicerint, ipsi ei copulentur, & cum illa teneant catholicum nomen: iam vtique maiores nostri, maiores eorum antè vicerunt, ideo illi ecclesiæ copulati catholicum nomen in eius vnitate tenuerũt: isti autem si à maioribus nostris iam in suis maioribus victi sunt, quare nobiscũ adhuc vsque cõtendunt? Si autem victi non sunt, quare non communicãt illi ecclesiæ quam negare catholicam non valentes, nullam causam contra eam se habere confessi sunt? Ecce ecclesia catholica transmarina in tot gentibus dilatata, quam debere expectare dixerunt, vt eos sibi qui vicerint copulet: quomodo expectare debet eos sibi copulare qui vicerint, nisi ab eis criminibus de quibus inter nos agitur, aliena sit? Nam si ab eis aliena non est, etiam ipsa rea victa cum victis quomodo sibi est copulatura victores? Porrò si ab his criminibus, sicut fatentur, aliena est; alieni & nos sumus qui eidem cõmunione cohæremus. Nam si propter istam communionem nos contaminat crimen alienum, & ipsam cui communicamus, crimen contaminat nostrum. Sed ipsam confessi sunt non pollutam crimine Aphrorum, quamuis ei sacramentorum communione socientur. Ibi ergo cõuicti sunt nec nos pollui potuisse crimine eorũ, quibus sacramẽtorum communione sociamur, quia nullo nexu consentionis inuoluimur: quanquam & ipsius Cæciliani victrix causa eisdem verbis istorum facillimè demõstratur. Si enim confligentibus nobis expectare debet ecclesia transmarina ab istis criminibus aliena, vt eos qui vicerint, sibi & catholico nomini adiungat: tunc expectabat quando maiores istorum cum Cæciliano acriter confligebant. Ille ergo tunc vicit, quem sibi post conflictũ illa quæ hoc expectauerat copulauit. Aut si potuit & pollutum sibi in sacramentorum communione copulare, & sicut iam confessi sunt ab his criminibus impolluta persistere; multo magis vincimus: hinc ostendentes proprium onus quemque portare, & nec causam causæ, nec personam præiudicare personæ.

Collatione 3. cap. 3.

CAPVT XXIX.

IAM verò vt mandato nostro, vbi vniuersam causam complexi fueramus, nec repentinis verbis, sed cõscriptis

scriptis literis respondendum putarent, quanti emendum fuit? Sic enim constitit eos respondere non potuisse his omnibus quæ in nostro mandato posita, nec attingere omnino literis suis voluerunt. Neque enim potest aliquis dicere, prosecutionem nostram memoriter eos non potuisse retinere, & propterea rebus necessariis, non omnibus respōdere voluisse. Æditum est eis mandatum nostrum per notariam postulantibus, & hoc ipsum allegantibus, vt instructi possent ad omnia respondere. Et cùm iam septem essent delecti à cæteris, qui omnia pro omnibus agerent, literas tamen ipsas quibus nostro mandato respondere conati sunt, totius concilij sui nomine protulerunt, tanquam epistolam ab omnibus illis ad Cognitorem datam. Quā si nollemus admittere, iure optimo faceremus: neque enim ordinis erat vt post iniunctam septem hominib. causam, iam quicquam nisi per illos qui delecti fuerāt, ageretur. Sed ne literis nostris, literas eorum timuisse
Collatione 3. cap. 8. videremur, sine vlla hæsitatione vt legerentur admisimus. Optandum enim, & vt dixi, emēdum fuit, vt post tot dierum dilationem, quam eis petentibus concesseramus, afferrent elucubratum laborē, in quo eos mandato nostro non respondisse, satis vtrasque literas legentibus appareret, & nos eisdem literis eorum sine vlla dilatione mox respondisse constaret. Si enim hōmines tam tardo ingenio sunt, vt eos arbitrentur aliquid dixisse in quibus locis mandati nostri tacere noluerunt; ne minem puto esse tam stolidum, qui etiam in his locis aliquid eos respondisse existimet, in quibus omnino tacuerunt. Non enim parua vel quasi cōtemnenda sunt, cùm in his potius omnis causa consistat. Nam testimonia scripturarum quibus asseruimus ecclesiam cui communicamus, ab Hierusalem cœptam, in toto terrarum orbe diffundi, tanquam omnino dicta non fuerint, præterierunt magna mole diuinæ authoritatis oppressi. Item quod in nostro mandato positum est de beato Cypriano, qui tolerandos potius in ecclesia malos, quàm propter eos ecclesiam deserendam, & præcepto admonuit, & suo confirmauit exemplo, attingere omnino ausi non sunt. Cæterùm intelligentes quòd Cypriani authoritatem si in aliquo scripto eius labefactare tentarent, faterētur etiam rectè nos authoritati eius non cedere, in eo quod de iterando baptismo solent eius placita vel decreta proferre: quam nec ipsam de baptismo Cypriani sententiam apertè commemorare voluerunt, scientes etiam illic si facerent se offensuros esse naufragium; quoniā Cyprianus non reliquit vnitatem, & cum eis in illa permansit, qui de hac re diuersa senserunt: vnde aut tunc ecclesia perisse dicenda est, & non iam erat ex qua nasceretur Donatus illorum, aut si, quod verum est, permansit ecclesia, non in ea cōtaminant mali bonos, sicut etiam Cyprianus iudicauit, qui cum diuersa sentiētibus in eadem diuersitate permāsit: ac per hoc isti se detestando sacrilegio schismatis induerūt, qui propter nescio quorum crimina nō probata, etiam si vera essent, nullo modo se ab vnitate toto orbe diffusa separare debuerunt. Hoc illi quantum intelligitur præuidentes, illud testimonium Cypriani quod in nostro mandato commemoratum est, toto silentio transierunt. Illud etiam quod in causa Maximianistarum ipsi quoque suo iudicio declararunt, non propter malos vnitatem deserendam, qui Maximiani socios à Maximiano dixerunt non fuisse pollutos, & eos inde quos damnauerunt, in honore integro susceperunt, & baptismum Christi, licet foris ab ecclesia datum, agnoscendum potius quàm destruendum esse monstrarūt, cùm à Feliciano in schismate baptizatos, & cum illo postea receptos iterum baptizare non ausi sunt: etiam hoc ergo cùm in nostro mandato legerent, tacendum potius & prætereundum, quàm vlla contradictione re-

A fricandum esse censuerūt. Causam etiam Cæciliani à causa ecclesiæ distinctā, & tamē etiam ipsam ex omni parte defensam, respondendo prorsus non attigerunt. Quis ergo eos illi mandato nostro respōdisse arbitretur, quando contra hæc omnia nullum verbum facere, nec saltem qualiscunque respōsionis obumbratione conati sunt? Quod autem nisi sunt respondere, legat qui voluerit & iudicet, eidem ipsi mandato nostro conferens literas eorum, præter responsionem, quam continuò reddidimus, qua omnia vanitatis eorum machinamenta subuersa sunt.

CAPVT XXX. Collatione 3. cap. 16.

IAM illud si mōtes aureos daremus, quando emere possemus, quod (obiecta sibi Maximiani causa, vt intelligerent eo modo non obfuisse Cæciliano concilium, quo in eum absentē septuaginta episcopi quod voluerunt pronunciauerūt; quomodo non obfuit Primiano cùm similiter absentem pro Maximiano centum fermè episcopi damnauerunt) vehementissimè
B perturbati, & in horrendas contrusi angustias responderunt, *nec causam causæ, nec personam præiudicare personæ?* his paucissimis verbis totam nostram causam, de qua cum eis superius confligebamus, omnino inuictam esse firmantes. Quid enim aliud agebamus tot testimoniis sanctorum eloquiorum, tanta authoritate prophetarum, apostolorum, episcoporum, ipsorumque aduersariorum, demonstrantes bonos à malis sacramentorum cōmunione non pollui, si corde, voluntate, moribus, operibus diuersas habeāt causas, gerantque personas? Quid enim aliud laborabamus, nisi vt appareret, nec causam causæ, nec personā præiudicare personę? Hoc ipsi breuiter compulsi summa necessitate dixerunt, quia cùm à nobis diu diceretur, veritati cedere noluerunt.

CAPVT XXXI.

ILLVD etiam quibus thesauris, quib. opibus, quibus preciosorum lapidum aggeribus emendum fuit, quòd maiores suos apud imperatorem Constantinum
C persecutos Cęcilianum non confiteri tantùm, verumetiā profiteri atque gloriari minimè dubitarūt, eumq; ab imperatore damnatum etiam mentiēdo asseuerare conati sunt? Vbi est illa vox, qua vos decipere consueuerunt, nobis inuidiam concitantes, quòd apud imperatorem causam agamus ecclesiæ? Vbi sunt verba Primiani apud acta magistratus Carthaginensis expressa: *illi portant multorum imperatorum sacras, nos sola portamus Euangelia.* Vbi est illa præclara laudatio, qua extollūt separationē suam, *dicentes eā esse ecclesiam veritatis, quæ persecutionē patitur, non quæ facit?* Nempe elisa est, nempe prostrata. Leguntur persecutiones eorum, negare non possunt, quia leguntur etiam subscriptiones eorum. Tenemus eos confitentes, profitētes, gloriantes maiores suos Cæcilianum apud imperatorem grauiter persecutos: tenemus etiam Cæcilianum eis persequētibus ab imperatore damnatum. Non ergo iam clament segregationem suam ideo esse ecclesiam veritatis, quia persecutionem non facit, sed patitur: aut
D fateantur non eam fuisse ecclesiam veritatis, quando à maioribus eorū Cæcilianus patiebatur. Si enim continuò boni sunt qui persecutionem patiuntur, bonus erat Cæcilianus quando patiebatur. Si autem potest quidem fieri vt & mali persecutionem patiantur, sed boni non possunt esse qui faciunt: non erant boni maiores eorum quando Cæcilianū persequebantur. Porrò si fieri potest vt & boni faciant, & mali patiantur, non ideo nos culpandi sumus, nec ideo isti laudandi, quia tale aliquid patiuntur, quale Cæcilianum maioribus suis facientibus passum esse gloriantur: & tamen Cæcilianum ab imperatore damnatum omnino non cōstitit: sed in eius absolutione atque purgatione quæ iudicij episcopalis & imperialis recitatione constiterat, nihil postea probari potuit immutatum. Ita factū est vt remota Cæciliani damnatione, de qua ipsi mentiti

titi sunt, remāserit persecutio, quam maiores suos fecisse confessi sunt. Parum fuit vt Cæcilianum ab imperatore damnatum, & mentiendo gloriari auderent, & asserendo probare non possent: insuper etiam probauerunt, & nostra in eam rem documēta fortius adiuuerunt, Cæciliani absolutionem mansisse firmissimam, non sicut mentiti fuerant imperatoris posterio-
Collatione 3. cap. 20. re iudicio in cōtrarium commutato. Nam primo Mileuitanæ ecclesiæ catholicum episcopum Optatum recitandum putauerunt, pollicentes inde se probaturos Cæcilianum ab imperatore damnatum. Quæ lectio cùm magis contra eos recitaretur, nemo risum potuit continere. Qui tamen risus non vtique conscriptioni gestorum potuisset adiungi, & omnino latuisset, nisi & ipsum latere non sinerent dicentes, *audiant qui riserunt*, hoc sanè scriptum est, & subscriptum. Quod enim pro se legi voluerunt, ambiguū fuit. Vnde cùm rectissimè Cognitor iussisset paulò superius recitari, vt inde si possent verba illa clarescerent, hoc
B recitatum est quod nolebant: id est, Cæcilianum fuisse purgatum, quem prius legendum dederāt, non sicut iactabant damnatum, sed Brixiæ bono pacis retentum. Hic cùm dixissent, *illis verbis Optatum damnationem Cæciliani extenuare voluisse*, dictum est eis, vt euidentem Cæciliani damnationem aliunde recitarent, vt ab Optato eam extenuatam posset ostendi, qui apertissimè scripserat Cæcilianum fuisse purgatū. Hoc cùm facere omnino non possent interiectis atque consummatis omnium morarum superfluis ambagibus, apertissimè nos adiuuare cœperunt. Tanquam enim à nobis essent instructi, vel tanquam nobiscum ad innocentiam Cęciliani defendendam declarandamque delecti, cùm quæreretur ab eis vt si possent ostenderēt quod dicebant, posteriore iudicio Cæcilianum ab imperatore damnatum, cuius imperatoris literas legeramus, quæ illum ostenderant absolutum: protulerunt li
bellum maiorum suorum ad eundem Constantinum
Collatione 3. cap. 21. imperatorem datum, quo apertissimè demonstrarent illius iudicio se potius fuisse damnatos. Contigit enim
C eis apud imperatoriam potestatem, quod inimicis san
Dan. 6. cti Danielis, qui hoc ab eisdē leonibus passi sunt, quod pati voluerant innocentem. Hic cùm breuiter admonuissemus illum libellum pro nobis contra se potius recitasse, alias addiderunt eiusdem imperatoris literas
Collatione 3. cap. 22. ad Verinum vicarium datas, vbi eos grauiter detestatur, & Domini iudicio qui iam in eos cœperat vindicare dimittens ignominiosissima indulgentia de exilio relaxauit. Ita manifestissimè constitit, non solùm nullam Cæciliani damnationem fuisse postea cōsecutam, verumetiam eius absolutionē atque purgationē, & pœnam illorū detestabili indulgentia fuisse firmatam. Hæc tam excellentia documenta, quod fatendū est, nō habebamus in manibus, sed forsitā si alicubi esse audiremus, vnde nobis gratis dari non possent, quolibet præmio peruenirемus vt nobis scribēda permitterentur. Quantū autem daremus, si venale proponeretur, vt pro nobis etiā ab ipsis aduersariis legerentur.

CAPVT XXXII. Collatione 3. cap. 23.

QVID videtur addi iam posse vt nos cumulatiùs adiuuarent? Et tamen addiderunt, Commemorauerunt enim causam Felicis Aptugnensis à quo Cæcilianus fuerat ordinatus, cui Felici traditionis crimen intenderant. Absoluto autem Cæciliano cùm perficien
dæ instaretur vnitati, quæstionem de isto Felice commouerāt, eo modo arbitrantes posse Cęcilianum iam purgatum alienis criminibus irretiri. Etiam hæc ergo causa Felicis discussa est proconsulari iudicio: vbi liquidissimè innocentia Felicis apparuit. Sed quoniam quidam Ingentius, qui eidem iudicio contra Felicem falsum se fecisse confessus est, nec puniri facilè debuit vbi causa episcopi vertebatur, nec facilè à Proconsule dimitti potuit tanti criminis reus, nisi imperatore con

A sulto, quo instante illa omnia gerebantur. Retulit inde proconsul, & rescripsit imperator, vt ad eius comitatum idem Ingentius mitteretur, volens maiores istorum, à quibus quotidie interpellabatur in præsentia cōfutari: nihil tamen dubitans de purgatione, imò eam verborum quoque suorum manifestatione confirmans, sicut rescriptum eius ostēdit. Hæc nos omnia documenta causæ Felicis in manibus habebamus, & disposueramus tradere recitanda. In quo ipsi nos præuenerunt, & easdem imperatoris literas de Ingentio ad se mittendo priores protulerunt, & recitauerunt, iam fortasse nobis ea non recitaturis quia sufficere putabamus etiam causam Cæciliani ita peractam esse, vt nihil amplius exigi videretur. Sed aduersariis nostris id agentibus, vt persecutio quæ per maiores eorū apud imperatores maioribus nostris acta est, & eorum calumniæ superatæ cumulatiùs apparerent: quid faceremus, nisi oblata libenter accipere, & gratias Domino in omnibus agere? Cōstantini ergo literas ipsi protulerunt, ipsi recitauerunt. Incredibile videtur esse quod dico, sed gesta testantur. Conscriptę sunt eorum prosecutiones, tenentur subscriptiones. Ipsi, inquam, recitauerunt *Constantinum scripsisse quòd Aelianus proconsul in causa Felicis audientiam præbuerit competentem, & quòd à criminibus traditionis innocētem Felicem fuisse constiterit. Sed Ingentiū ad comitatum suum propterea mitti voluisse, vt his*, inquit, *qui in præsentiarum agunt, & diuturnis diebus interpellare non desinunt, præsentibus & coram assistentibus apparere & intimari possit frustra eos Cæciliano inuidiam comparasse, & aduersus eum violenter insurgere voluisse.* Ipsi recitauerūt, quis nostrūm hoc auderet optare, vt quos iniquitas fecerat nostros impugnatores, equitas nostros faceret defensores? Sicut & illum Balaam, quem temporibus antiquis ad ma Numb. 13.
ledicendum Dei populum conduxit iniquitas, benedicere compulit veritas.

CAPVT XXXIII. Collatione 3. cap. 24.

SICVT autem ordo consulum ostendit, quem tūc considerare angustia temporis non sinebat: (neque e-
C nim præsto erant libelli qui consulares vocantur, aut quisquam eos rem tam inanem crederet obiecturos, vt respondere nos vellent, quid misso Ingētio gestum fuerit, vel vtrum omnino sit missus Ingentius, cùm & innocentiam Felicis proconsularis sententia declarauerit, & eandem sententiam responsio imperatoris ab ipsis prolata & recitata firmauerit. Et magis vtique ipsi protulissent, si quid misso Ingentio pro se gestum fuisse considerent.) Sicut ergo consulum ordo declarat, primo Cæcilianus episcopali iudicio Melchiadis est absolutus, deinde non post longum tempus Felicem proconsulari iudicio constitit innocentem, ac sic postea Cæcilianus etiā ab imperatore inter partes cognoscente purgatus est. Deinde post quartum annum aduersarij eius ignominiosa illa indulgētia re-
D laxati sunt. Nam Melchiades iudicauit Constantino tertium & Licinio iterum consulibus sexto nonas Octobris. Helianus proconsul causam Felicis audiuit, Volusiano & Anniano consulibus quintodecimo calendas Martias, id est, post menses fermè quatuor. Cōstantinus ad Eumalium vicarium de purgatione Cæciliani scripsit, Sabino & Ruffino consulibus, quarto idus Nouembris, id est, post biennium & menses propè octo. Et idem imperator ad Valerium vicarium de illorum exilio soluto, & eorum furore Deo vindici dimittendo, literas dedit Crispo & Constantino iterum cōsulibus tertio nonas Maias: id est, post quartum annum, & mensem fermè sextum. Vnde sine vllis ambagibus liquidissimè constat siue misso ad comitatum Ingentio, siue non misso, nihil postea contra Cæcilianum fuisse iudicatum, imò eum iudiciis quoque imperialibus victorem aduersariorum & persecutorum suorum postea declaratum.

CAPVT XXXIIII. EAT nunc pars Donati totiens improbata, totiens calumniosa, totiens mendax, totiens confutata, totiés modis omnibus superata atque confusa, adhuc iactet iudicem à nobis fuisse corruptum, quasi vox alia victis esse consueuerit. Prorsus iudex corrumpendus fuit, vt quod illi bene egerant, illius infirmaret autoritas. Sed nec malè illos egisse dixerim. Imò verò optimè egerunt, qui contra suos errores pro veritate tanta dixerunt. Nam si causa eorum consideretur, re vera contra ipsos: si autem prosecutiones eorum legantur, magis secundum ipsos iudicauit. An verò in ea causa, ille qui medius erat aduersaretur nobis, in qua illi qui ex aduerso stabant, dixerunt, protulerunt, recitauerunt tanta pro nobis. Quid emere à iudice deberemus, quando ab aduersariis illa non emimus quæ iudicem cogerent, etiam si ab ipsis accepisset pecuniam, pro nobis ferre sententiam? Quanquam si non eum nossemus Deum timentem & iustitiæ dilectorem, & ab omnibus huiusmodi sordibus alienum, nos in illum talem suspicionē dirigere deberemus: qui nimia patientia cùm eos videret premi veritate, nec eis videri vellet aduersus, nimium patienter pertulit homines per inania vagantes, & tam multa superflua dicētes, & ad eadem totiens conuicta redeuntes: vt gesta tantis voluminibus onerata penè omnes pigeret euolucre, & quemadmodum acta sit causa legendo cognoscere: quod illi vtrū magis inopia veritatis, an industria calliditatis egerint, nescio. Hinc tamē solùm causam tam pessimam vtcunque adiuuare potuerunt, quàm potius deserere debuerunt. Denique si in illos, qui egerunt, intendant cæteri accusationem, eosque potius asserāt à nobis fuisse corruptos, vt tot prosecutionibus, vel à se prolatis lectionibus sic adiuuarēt causam nostram, sic perimerent suam; nescio quemadmodū se possent defendere, & ab ista suspicione purgare, nisi fortè dicant, Si corrupti essemus, causam tam malam & per nos, & per illos conuictam, citò etiam finiremus: nunc verò vel inde credite nos ex animo adfuisse, & aliquid prodesse voluisse, quod multum loquendo egimus, ne quod actum est facilè legeretur, & nos esse victos citò cognosceretur. Si hoc ab eis non fieret, nec ipsis, nec nobis iurantibus forsitan crederetur illa quæ pro nobis contra se, & tam multa dixerunt, & tam multa legerunt, gratis eos nobis omnia præstitisse. Nec tamen ipsis, sed Deo potius hinc agimus gratias. Vt enim illa omnia vel loquendo vel legendo pro causa nostra promerent atque propalarent, veritas eos torsit, non charitas inuitauit.

CAPVT XXXV. *Conclusio per exhortationē.* QVAPROPTER fratres, (si tamen non irascimini quia fratres vocamus: illi enim cùm hoc à nobis audirent, iniuriam sibi fieri apud acta dixerunt: nec mandato nostro admoniti, vbi hoc ex propheta testimonium positum est, recolere potuerunt Deum præcepisse, Dicite fratres nostri estis, his qui vos oderunt & qui vos detestantur, vt nomen Dñi honorificetur, & appareat illis in iocunditate, ipsi autem erubescant.) Ergo iam fratres appareat vobis nomen Domini in iocunditate, quod super nos inuocatum est, & cuius vtrique sacramenta portantes, non immeritò dicimur fratres, iam pacem amate, consuetudinem calumniosam, & litigiosam iam saltem conuictam confusamque relinquite: nec eos oderitis quando ad nos correcti transeunt, sed quando in errore nefario permanentes vos adhuc vsque seducunt: nec ipsi sibi magni videātur, quod eis honorem in vnitate deferimus quem possideant liberandi: hunc enim habētes extra vnitatem magis sunt inde damnādi. Signa quippe militaria perniciosius ab vsurpatoribus habentur, quàm si omnino non haberentur: nec tamen eis correctis & in castra imperatoris redactis illa franguntur aut abolentur, sed eos quos antè prodebant atque punicbant, iam ornare incipiunt & munire. Quid adhuc attenditis ad eorum insanas querelas & vana mendacia? Nocte causa finita est, sed vt nox finiretur erroris. Nocte dicta sententia est, sed fulgens lumine veritatis. Inclusos & tanquam in carcere se fuisse conquesti sunt; ibi & nos eramus. Aut vtrisq; facta est iniuria, aut vtrisq; adhibita diligentia. Sed quomodo dicemus iniuriam, quando in tam spacioso & lucido & refrigeranti loco nos fuisse recolimus? Aut quomodo erat carcer, vbi erat & iudex? Postremò clausos fuisse nos nesciebamus qui simul intus eramus. Ipsi vnde sciūt, nisi quia fugere fortasse voluerunt. Sed quis non videat, quod ista inania & ridenda potius quàm refellenda de tali Cognitore non dicerent, si pro sua causa possent validum aliquid inuenire quod dicerent? Scimus quàm multi vestrūm, & fortè omnes aut penè omnes, dicere soleatis, *O si in vnum locum conuenirent, ô si aliquando conferrent, atque illis disputantibus veritas appareret.* Ecce factum est, ecce conuicta est falsitas, ecce apparuit veritas. Quid adhuc cōtemnitur charitas? Quid nobis est per hominum nomina diuidi? Qui nos creauit vnus est Deus, qui nos redemit vnus est Christus, qui nos sociare debet vnus est Spiritus. Iam nomen Domini honoretur, & appareat vobis in iocunditate, vt cognoscatis fratres vestros in ipsius vnitate. Iam in prosecutionibus episcoporum vestrorum, error qui nos separabat est victus, aliquando in cordibus vestris vincatur & diabolus, & gregi suo collecto atque pacato sit propitius qui hoc præcipit Christus.

Calumnia altera Donatistarum aduersus Collationem Carthaginensem.

Votum Collationis.

LIBRI AD DONATISTAS POST COLLATIONEM, FINIS.

Subiungendus hic erat si extaret, D. Augustini ad Emeritum liber, cuius meminit lib. 2. Retract. cap. 46.

D. AV.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, AD CÆSARIENSIS ECCLESIÆ PLEBEM DE EMERITO SERMO, CVIVS IN SVPERIORIBVS GESTIS FACTA EST MENTIO.

ALACRITATEM vestræ charitatis quanto gaudio suscipiamus, agnoscitis. Exultamus enim in Domino Deo nostro, de quo Apostolus ait, Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Agimus ergo eidem Domino, & Saluatori nostro Iesu Christo gratias. Hic præstitit nobis, vt antequam habeamus fratris nostri Emeriti voluntatem, iam cognouerimus quantum diligit vnitatem. Quæ tamen principia Deus voluerit, vt de ore ipsius audiremus, accipite. Mox vt ingressus est istam ecclesiam, illo loco stans vbi primum cœpimus cum eo colloquium, inspirante Domino qui & cor instruit, & linguam regit, ait nobis: *Non possum nolle quod vultis, sed possum velle quod volo.* Videte quid promiserit, qui se dixit non posse nolle quod volumus. Si enim non potest nolle quod volumus, scit quid velimus. Hoc enim volumus quod & vos vultis: hoc omnes volumus, quod vult Dominus. Quid autem velit Dominus, occultū non est. Legitur enim Testamentum eius, qui nos sibi fecit cohæredes, in eo recitatur, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Siue ergo citò, siue serò, non potest nolle quod volumus. Moras autem aliquas nobis facit secunda sententia, *Possum velle quod volo*, sic enim dixit, *Non possum nolle quod vultis, sed possum velle quod volo.* Potest velle quod vult, sed non potest nolle quod volumus. Illud enim quod se dicit posse, videmus. Nam vult modò quod vult, ipsum autem quod nō vult, non vult Deus. Quid enim modò vult, esse in dissensione à catholica ecclesia, esse adhuc in communione partis Donati, esse adhuc in schismate, esse adhuc inter illos qui dicunt, Ego sum Pauli, ego verò Apollo, ego verò Cephæ? Sed hoc nō vult Deus, dum increpat Apostolus, Diuisus est Christus? Potest ergo velle quod vult, sed ad tempus, sed ad horam, sed ad verecundiæ, non ad rationem sapientiæ potest velle quod vult. Nam modò hoc est quod vult, & potest velle quod vult. Sed quia non potest nolle quod volumus, nolit Deus quod vult, & faciat quod volumus. Non vos ergo permoueat fratres aliqua morula, dum quod vult vult, sed orate vt faciat quod promisit, vt non possit nolle quod volumus. Et ab omnibus acclamatum est, *Aut hic, aut nusquam.* Qui corda vestra declarastis vocibus, adiuuate nos & orationibus. Potens est Dñs qui præcipit vnitatem, mutare in melius voluntatem. Quòd autem acclamauit charitas vestra, *Aut hic, aut nusquam:* vocem in illum vestræ charitatis agnouimus & amamus. Hoc etiam nos non nunc primum, sed semper cogitamus, semper optamus. Idē est & animus, quod præcipuè necessarium est, fratris & coepiscopi nostri, episcopi vestri Deuterij. Olim nobis notus est animus eius. Nobiscum preces de hac re Domino fudit, cum cōsilio vbi hoc illis qui foris sunt promisimus & obtulimus. Iam de hac re subscriptiones nostræ retinentur. Nunquam enim nos ita honorem nostrum fouemus, vt vnitati inuideāmus. Minores sumus honore, cùm simus maiores dilectione. Nouimus quemadmodum inuitāda sit infirmitas, vt perficiatur vnitas. Nec ideo dicimus hæc fratres, quasi illi qui sub schismate remanserint, aliquam spem habeant ad Dominum. Multi enim disputant parum intelligentes quid loquantur, & dicūt: *Si schismatici sunt, si hæretici sunt, quare sic illos suscipiunt?* Audite fratres mei, Si eos susciperemus, iam istum susciperemus fratrem nostrum Emeritum, siue bonum, siue malum, tamen fratrem. Quod ideo dico, quia & ipse nouit per Prophetam nobis dictum esse, quod illis etiam in Collatione diximus, Dicite, fratres nostri estis, his qui vos oderunt. Oderunt nos, credimus finiendum esse quod odiunt. Tamen & quamdiu odit, frater audit, donec finiatur odium, erit nomen in testimonium. Non ergo sic illos suscipimus vt sunt: absit à nobis; nam hæretici sunt. Suscipimus autem catholicos. Mutantur, suscipiuntur. Sed propter malum quod habent, non in eis possumus persequi bona quæ agnoscimus. Malum enim dissensionis, schismatis, hæresis, malum suum habent. Bona verò quæ in illis agnoscimus, non sunt sua, Domini nostri habent bona, ecclesiæ habēt bona. Baptismus non est ipsorum, sed Christi. Inuocatio nominis Dei super caput ipsorum quando ordinantur episcopi, inuocatio illa Dei est, non Donati. Non eum suscipio episcopum, si quando est ordinatus, super caput eius Donatus est inuocatus. In errante, & deserēte milite, crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris. Sed frater noster non deseruit, vbi adhuc nunquam fuit. Siquidem in illo desertoris error est natus, quando est à desertore signatus. Qui primò schisma fecit, qui se ab ecclesia catholica separauit, cum his quos secum traxit, desertor fuit. Cæteri à desertoribus signati sunt, non tamen signo desertoris, sed signo imperatoris. Non enim desertor characterem suum fixit. Quid est quod dico, desertor characterem suum non fixit? Donatus non baptizauit in nomine Donati. Nam si Donatus quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret. Ego quādo vocarem ad vnitatem, si inuenirem desertoris characterē, exterminarem, delerē, abolerem, abiicerem, non approbarem, respuerē, anathematizarem, damnarē: nunc verò ipse desertor characterem fixit imperatoris sui. Deus & Dominus noster Iesus Christus quærit desertorem, delet erroris crimen, sed non exterminat suum characterē. Ego quando venio ad fratrem meum, & colligo errantem fratrem meum, attendo fidem in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Iste est character imperatoris mei. De isto charactere militibus suis, vel potius comitib. suis, vt hunc imprimerent eis quos congregabant castris eius, præcepit dicens: Ite baptizate gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Istum characterem à Domino dictum omnibus credentibus imprimēdum quia nouerat Paulus, expauescit ad eos qui volebant esse Pauli, & dicit eis, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Quid vultis esse mei, & non magis Domini mei? Quid vultis esse mei, & non potius cuius ego sum? Agnoscite, aduertite characterem vestrum. Nūquid in nomine Pauli baptizati estis? Sic ergo eos colligimus, vt non sibi blandiantur illi quos non colligimus. Et ipsi colligantur, non inflentur: veniant, suscipiantur. Non in eis odimus quod Dei est: non odimus & ipsos, quia Dei sunt. Et quod habent Dei est: Dei sunt, quia homines sunt, & omnis homo creatura Dei est: Dei est quod habent nomen Patris & Filij & Spiritus sancti. Baptismus trinitatis, Dei est: Dei est Euangelium

Ephes. 2.

Psal. 68.

Iohan. 14.

1. Cor. 1.

1. Cor. 1.

gelium quod habent, Dei est fides quam habent. Et A quid non habent, ait mihi aliquis, qui hæc habent? Tu dicis, Habent baptismum Christi. Dico. Tu dicis, habent fidem Christi. Dico. Si ergo hæc habent, quid non habent? Quid est baptismum? Sacramentum. Audi Apostolum, Si sciero omnia sacramenta. Multum est, scire omnia Dei sacramenta. Quantacunque sciamus sacramenta, quis nouit Dei omnia sacramenta? Quid ait Apostolus? Si sciero omnia sacramenta, si habeam omnem prophetiam. Adde adhuc, Et omnem scientiam. Sed de fide dixeras. Audi adhuc, Si habeam omnem fidem. Difficile est habere omnem fidẽ, quomodo difficile est nosse omnia sacramenta. Et quid est quod dicit, omnem? Ita vt montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil sum. Intendite fratres, intendite obsecro vos Apostoli voccm, & videte quare cum tantis laboribus & periculis fratres nostros quæramus. Charitas eos quærit de cordibus nostris. Propter fratres meos, & propinquos meos, dicit Psalmus, loquebar pacem de te, ad sanctam Hierusalem loquens. Videte ergo fratres mei quid dixit Apostolus, Si habuero omnia sacramenta, omnem sciẽtiam, prophetiam, fidem. Qualem fidem? Ita vt montes transferam; charitatem autem non habeã, nihil sum. Non dixit, illa omnia nihil sunt: sed, si charitatem non habeam, nihil sum. Quis enim demens diceret, nihil sunt Dei sacramenta? Quis demens diceret, nihil est prophetia, nihil scientia, nihil fides? Non illa nihil sunt, sed cùm illa magna sint, ego magna habens si charitatem non habeam, nihil sum. Magna illa sunt, & magna habeo, & nihil sum si charitatem non habeo, per quam mihi prosunt quæ magna sunt. Si enim non habeo charitatem, illa inesse possunt, prodesse non possunt. Attende ergo frater, attende obsecro te. Dicis mihi, *Quid me quæris?* Respondeo, Quia frater meus es. Respondes mihi & dicis, *Si perij, quid me quæris?* Et ego respondeo, Si non perisses, non C quærerem. Quid me quæris, dicis mihi, si perij, quid me quæris? Cum ego respondeam, quæro quia peristi. Et quare quæro? Quo fructu quæro? Vt aliquando dicatur mihi, Frater tuus mortuus erat, & reuixit; perierat & inuentus est. Respondes & dicis mihi, *Sed habeo sacramẽtum.* Habes, agnosco. Propter hoc te quæro. Magnam causam addidisti, quare te diligentiùs quęram. Ouis es enim de grege Domini mei, cum signo errasti. Ideo quęro magis, quia ipsum signum habes. Quare vnam ecclesiam non possidemus? Vnum signum habemus, quare in vno ouili non sumus? Ideo te quæro vt hoc sacramentum sit tibi in salutis adiutorium, nõ in damnationis testimonium. Nescis quia desertor de charactere damnatur, de quo militans honoratur? Ideo te quæro vt non pereas cum signo. Salutis enim signum est, si habeas salutem, si habeas charitatem. hoc enim signũ salutis extra tibi inesse potest, prodesse non potest. Veni vt prosit tibi quod habebas, D nõ vt accipias quod habebas: sed vt prodesse tibi incipiat quod habebas, & accipias quod non habebas. Habebas enim signum pacis, ipsam pacẽ non habebas. In domo illa, id est, in te discordia habitabat, & in limine titulos pacis figebat. Agnosco titulos, sed quæro habitantem. Lego titulum pacis, baptismum in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Titulus pacis est, lego. Quis habitat quæro, fratrem meum attendo, titulum pacis agnosco. Ipsum & ego habeo, intrare volo. Quid est intrare volo? Fratrem me accipe, vt simul oremus patrem. Non tecum oro. Tituli pacis sunt, & mihi discordia contradicit? Planè laborabo, adiuuante Domino, eiicere discordiam malè possidentem, & introducere pacem tanquam legitimum possessorem. Cùm ergo discordiam excludo, pacem introduco, titulos pacis quare depono? Dico planè Domino meo: O Christe, qui es pax nostra, qui fecisti vtraque vnum, fac nos vnum vt rectè cantemus, Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum. Introduc concordiam, pelle discordiam, introduc teipsum in titulos tuos. Tu mane. Non alter possideat, & de tuis titulis fallat. Tu mutà istum contradictorem, qui vna hora in cruce mutasti latronem. Et certè videamus quid habes. Habeo, inquit, sacramentum, habeo baptismum. Si dicam tibi, proba: ostendis mihi quid acceperis, dicis quid confessus fueris, dicis quid teneas. Agnosco, non muto, non exufflo. Absit vt cùm quæro salutem desertoris, faciam iniuriam imperatori. Ergo probasti mihi quòd habeas sacramentum, exponendo sacramentum. Probasti mihi te habere fidem, proba mihi quòd habeas charitatem. Tene vnitatem, nolo mihi dicas, habeo charitatem. Proba, vnum patrem habemus, simul oremus. Quid tu dicis, quando oras, rogo te? Pater noster qui es in cælis. Deo gratias. Secundum B magisterium Domini nostri addidisti, qui es in cælis. Singulos enim patres habebamus in terris, vnum inuenimus simul in cælis. Pater noster qui es in cælis, ipsum inuocas patrem. Pater noster vnam coniugem voluit habere. Qui ergo adoramus vnam patrẽ, quare non agnoscimus vnam matrem? Si natum te dicis de alia, & de sinu alieno ipsa te peperit. Quod dixi, non omnes intelligere potuistis. Nouimus per legitimas coniuges factum esse, vt etiam qui non de legitimis coiugibus nascerentur, in eadem hæreditate sociarentur: hoc voluntas coniugis fecit. Nam Hismael exhæredatus est. Ipsum Sara pepererat, etsi de vtero alieno. Sara pepererat vtero alieno, voto suo. Ipsa enim dixit, Volo enim de ista mihi filios facias. Et ideo fecit Abraham. Vxor enim non habet potestatem corporis sui, sed vir. Similiter vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Nam filius esset, si non superbisset. Superbus est exhæredatus Hismael. Erexit enim ancilla ceruicem vt diceret, Eiice ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Nam vis nosse quid valeat pax, quid valeat concordia, quid valeat humilitas, & quid impediat superbia? Hismaelem exhæredauit: filios autem ancillarum de Iacob, quia & illi vt nascerentur coniugia iusta voluerunt, filios ergo ancillarum de Iacob nouimus in vnam hæreditatem aduocatos. Simul numerati sunt omnes patriarchæ duodecim, nullum ab altero vteri diuersitas separauit, quia omnes charitas sociauit. Quid interest ergo vbi baptismum acceperis? Baptismus meus est, dicit tibi Sara: Baptismus meus est, dicit tibi Rachel. Noli superbire, veni ad hæreditatem, maximè quia ipsa hæreditas non est illa terra quæ data est filiis Iacob. Filiis Israel data est terra. Quanto à pluribus possidebatur, tanto plus angustabatur. Hæreditas nostra pax vocatur. Testamentum lego, Pacem meam do vobis, pacẽ meam relinquo vobis. Simul teneamus, quod diuidi non potest. Non eã angustat numerosus possessor, quanticunq; venerint, sicut promissum est: Sic erit semen tuum tanquam stellæ cæli, & sicut arena quæ est ad labium maris: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et vidi, inquit in Apocalypsi, multos in stolis albis, & habentes palmas, quos numerare nemo potest. Venientes ex omnibus gẽtibus veniant, pacem teneant. Angusta non sit nostra possessio. Angustias non facit, nisi sola dissensio. Ecce fratres mei, vt angustias adhuc patiamur, dissensio facit fratris nostri. Consentiat in pace, & facta est latitudo. Sed quid faciamus, nisi fraternam infirmitatem feramus, & non deficiamus? Sudor iste meus credimus quòd erit fructuosus. Dominus Deus noster qui voluit vt veniremus ad vos, qui iussit vt eum quæreremus, qui fecit vt eum interim facietenus inuenire mus, adiutos orationibus vestris faciet nos inuenire

1. Cor. 13.

Ephes. 2.
Psal. 132.
Luc. 23.
Matth. 6.
Lib. 1. contra Donatist. cap. 15. & 16.
Gen. 16.
1. Cor. 7.
Gen. 22.
Apoc. 7.
Luc. 15.
Fides sine charitate messe potest, licet non prodesse.

cor eius, lætari de concordia eius, gratias agere Deo de A salute eius, quam non potest habere nisi in ecclesia catholica. Extra ecclesiam catholicam totũ potest præter salutem. Potest habere honorem, potest habere sacramentum, potest cantare hallelúia, potest respõdere amen, potest Euangelium tenere, potest in nomine patris & filij & Spiritus sancti fidem & habere & prædicare, sed nusquam nisi in ecclesia catholica salutem poterit inuenire. Transeunt enim omnia ista fratres mei. Modò putat quia magnus erit apud suos, si non consenserit, & dictus fuerit martyr partis Donati. Absit, tollatur in nomine Domini de corde eius iste typhus. Nouit & ipse, legit & ipse, Si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Ego non dico, si aliquas iniurias quasi iactet se passum esse pro parte Donati, aut aliqua damna terrena, nihil ei prodest. Ego plus dico, si patiatur foris inimicum Christi, non catholicum fratrem suum quærentem salutem eius, sed inimicum Christi si foris patiatur, & dicat ei foras ab ecclesia Christi, inimicus Christi, Pone thus idolis, adora deos meos, & non adorãs occidatur ab inimico Christi, sanguinem fundere potest, coronam accipere non potest. Ipsi nouerunt quando in Collatione nostra fuerunt, quam Carthagine habuimus, quomodo confessi sunt, quia parentes eorum fecerunt persecutionem Cæciliano episcopo. Tunc à catholica discordantes, schisma fecerunt, persecuti sunt illum parentes ipsorum, id est, primi qui fecerunt partem Donati, persecuti sunt Cæcilianum, perduxerunt illum persequendo vsque ad iudicium imperatoris. Miserunt crimina ipsius imperatori, quæ vera non existebant. Iussit audiri causam imperator. Audita est apud episcopos, falsa illa crimina inuenta sunt, absolutus est Cæcilianus. Nec illi à persequendo destiterũt, sed imperatorem sæpe interpellarunt, vbi postea iudicem causæ constituerunt. Et ipse inter partes audiuit & cognouit. Cognouit imperator, innocentem Cęcilianum iudicauit. Et cùm hoc obiiceremus, contenderunt nobiscum & dixerunt, quia Cæcilianũ damnarit imperator in exiliũ. Quod falsum est. Sed tamen videte quid dixerunt. Quia persequentibus maioribus suis adductus est ad imperatorem Cæcilianus, & missus in exilium. Gesta legimus, persecutiones ipsius sunt, manus ipsius tenentur subscribentis verbis suis, intendite obsecro vos, diiudicate modò causam nostram. Certè persecuti sunt maiores sui Cæcilianum, certè ad imperatorem perduxerunt, certè vt damnaretur fecerunt. Nolo dicere, quia non est damnatus, nolo dicere, quia innocens est pronunciatus. Sed hoc sit quod dicunt. Quãdo eum persequebantur, quando damnari fecerũt, tunc quid erat Cæcilianus? Quando persecutionem patiebatur à maioribus istorũ, quid erat? Dicatur mihi quid erat? Christianus erat? catholicus? aut quid erat? Non, dicunt, nõ erat catholicus, sed criminosus. Possunt ergo pati persecutionem à sanctis homines criminosi? Prorsus hoc D accipiamus. Criminosus erat Cæcilianus, qui persecutionem patiebatur. Sic enim non dico mentiebantur, sed fallebantur, vt & nos illis consentiamus, crimino-

Martyres Donatistarum.
1. Cor. 13.
Martyrium extra ecclesiã etiã pro Christo susceptum pœnam habet, non coronam.
Collat. 3. cap. 20. & 22.

sus erat. Qui faciebant, quid erant? Quod vis eligo: Si iniqui erant, desere iniquos, veni ad nos. Si autem sancti erant, potest ergo fieri, vt sancti persequantur iniustum? Noli nobis irasci, si persequimur: noli dicere, iniusti estis qui persequimini. Iam enim ostendistis, quia fieri potest, vt & iusti persequantur iniustum. Fieri potest, aut non potest? Vnum de duobus dicatur mihi. Si fieri non potest, quare vestri persecuti sunt Cæciliánum? Si autem fieri potest, quid miraris? Quid laudas pœnam, & non ostendis causam? Beati, ait Dominus, qui persecutionem patiũtur. Adde, propter iustitiam, & separasti latrones, separasti maleficos, separasti adulteros, separasti impios, separasti sacrilegos, separasti hæreticos. Tales persecutionẽ patiuntur, sed non propter iustitiam. Et tamen qualem persecutionem patitur frater noster qui adductus est ad nos? Ipsa est persecutio gloriosior. De illa prorsus profiteor. Reprehendat qui vult, talem persecutionem profiteor. Psalmũ lego, Detrahentem proximo suo occultè, hunc perse- B quebar. Si rectè persequor occultè proximo detrahentem, non rectiùs persequor Dei ecclesiam publicè blasphemantem, quando dicit, non est ipsa: quando dicit, nostra est: quæ in parte est: quando dicit, illa meretrix est? Ergo blasphemantem ecclesiam non persequar? Persequar planè, quia membrum sum ecclesiæ: persequar planè, quia filius sum ecclesiæ. Ipsius voce ecclesiæ vtor, ipsa ecclesia per me dicit in Psalmo, Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant. Deficiant in malo, proficiant in bonum. Fratres, ne putetis aliquid nouum factum esse fratri nostro. Pars Donati quando præualebat Cõstantinæ, laicum nostrum catechumenum natum de parentibus catholicis, Petilianus tenuit, vim fecit nolenti, seruatus est fugientem, inuenit latentẽ, extraxit pauentem, baptizauit trementem, ordinauit nolentem. Ecce qualem violẽtiam fecit in nostro. Rapuit ille ad mortem, nos non trahimus ad salutẽ? Hæc C locutus sum charitati vestræ, propter illud quod dixistis, *aut hic, aut nusquam.* Hoc enim & nos volumus, vt hic hic, sed in vnitate, in pace: hic hic, sed in charitatis societate. Tũc bene hic. Nam melius nusquam quàm hic. Sed præstet Dominus, vt hic potius quàm nusquã. Si non hic, absit vt non alibi: absit hic, aut alibi. Audistis, audiuit. Quid in eius animo Deus egerit, ipse nouit. Nos enim autem forinsecus percutimus, ille nouit intus loqui, ille intus prædicat pacem, nec cessat prædicare si audiatur. Aderit misericordia eius, adiuuãtibus orationibus vestris, vt sit fructuosus labor noster. Tamen si hodie communicare noluerit, quamuis fatigari non debeamus, sed instare quãtum possumus, debeamus, nec sic tamen fatigari debemus. Differri possumus, auferre instantiam nostram nec possumus, nec debemus. Aderit ille qui huc illum ad nos perduxit, vt nos faciat cum illo in vnitate vobiscum & in sua pace gaudere.

Matth. 5.
Psal. 100.
Catholicam ecclesiã Donatistæ meretricem appellabant.
Psal. 17.
Vox hominis docentis auditur corporis fruit, Deus autem animam.

Concionis Augustini ad plebem Cæsariensem de Emerito Donatistarum episcopo, finis.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
DE GESTIS CVM EMERITO DONATISTARVM
EPISCOPO, LIBER VNVS.

Ex Retract. lib. 2. cap. 51.

ALIQVANTO *post Collationem quam cum hæreticis Donatistis habuimus, orta est nobis necessitas pergendi in Mauritaniam Cæsariensem. Ibi apud ipsam Cæsariam Emeritum Donatistarum episcopum vidimus, vnum scilicet eorũ septem quos pro suæ causæ defensione delegerant, & qui in eadem causa maximè laborauerat. Quæ cum illo egerimus præsentibus episcopis eiusdem prouinciæ, & plebe Cæsariensis ecclesiæ, in qua ciuitate & ciuis, & memoratorum hæreticorum episcopus fuit, ecclesiastica gesta testantur quæ in meis habentur opusculis. Vbi non inueniens quid responderet, totũ sermonem meum, quem de solis Maximianistis in auribus eius & omnium qui aderant, explicaui, tanquam mutus audiuit. Hic liber, vel hæc gesta sic incipiunt, Gloriosissimis imperatoribus Honorio* XII. *& Theodosio* VIII. *consulibus:*

A GLORIOSISSIMIS imperatoribus, Honorio duodecimum, & Theodosio octauũ consulib. duodecimo Calend. Octob. Cæsarię in ecclesia maiori, cùm Deuterius episcopus metropolitanus Cæsariẽsis vnà cum Alipio Tagastẽsi, Augustino Hipponensi, Possidio Calamensi, Rustico Cartenitano, Palladio Tigabitano, & cæteris episcopis in exedram processissent præsentibus presbyteris & diaconis, & vniuerso clero, ac frequentissima plebe, adesset etiam Emeritus partis Donati episcopus, Augustinus episcopus ecclesiæ catholicæ dixit: Fratres charissimi, qui ab initio catholici fuistis, & quicunque ad catholicam ex Donatistarum errore venistis, & pacem huius sanctæ ecclesiæ catholicæ cognouistis, & veraci corde tenuistis, & qui adhuc fortè de catholicæ vnitatis veritate dubitatis, audite nos solicitos pura dilectione pro vobis. Quãdo venit ad hanc ciuitatem die nuduustertiana frater noster Emeritus, Donatistarum adhuc episcopus, perlatum est ad nos subito eum esse præsentem. Et quoniã charitate, quam Deus videt, desiderabamus eius præsentiam, ad eum vidẽdum continuò conuolauimus, inuenimus eum stantem in platea. Facta inuicem salutatione, admonuimus, quòd durum esset ac turpe eum in platea remanere, vt ad ecclesiam nobiscum veniret. At ille nobis sine vlla recusatione consensit, vbi nos putauimus eum ita communionem catholicam non recusaturum, quemadmodum vel spontaneum obtulit aduentum, vel ad ecclesiam venire minimè dubitauit. Illo autem in peruersitate hæretica quamuis intra ecclesiam catholicã diutius remorante, allocutus sum dilectionem vestram, sicut meminisse dignamini. Multa dixi quæ audistis, & quæ sine dubio quantum potestis, etiam meministis. Multa de pace, multa de charitate, multa de sanctæ ecclesiæ catholicæ, quam Deus promisit & præstitit vnitate. In quo meo sermone & vos alloquebar, & illum exhortabar, & quantum in me poterant viscera charitatis, omnes in periculo animæ suæ cõstitutos in illo meo sermone parturiebam & parere Domino cupiebam. Hoc enim & beatus Paulus Apostolus dixit quibusdam, Filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis. Sed etiam post sermonem nostrum cùm adhuc in illa sua perduraret pertinacia, nec sic desperãdum putauimus, sed nec de quoquam, quamdiu viuit in hoc corpore, homine desperandum putamus. Neque enim sic dixi nudiustertius me non desperasse, vt hodie audeam desperare. Sed ad hunc articulum causã perducta est, vt quoniam venit, & quantũ cognouimus, sponte venit, non sit huic ecclesiæ infructuosus eius aduentus. Aut enim quod magis optamus & cupimus etiam de illius salute vobiscum in catholica pace gaudebimus: aut si quod abominamur & detestamur, ipse in illa pertinacia perdurauerit, debetis vos eius præsentia meliùs nosse quid interfit inter catholicam pacem & hæreticam dissensionem. Partis enim Donati episcopus est, sed à Donatistis huius ciuitatis ordinatus. Quos Donatistas in nomine Christi in gremium catholicum iam magna ex parte suscepimus, ita vt penè omnes communioni cathol icæ sociatos esse gaudeamus. Sed quoniam & qui iam communicauerunt non quidem vniuersi, sed quidam videntur de ipsa, vt paulo antè dixi, catholica veritate dubitare; quidam verò non saltem dubitant, sed adhuc corde positi in parte Donati, præsentiam nobis exhibent corporalem, siui viri, siue feminæ, carne intus, spiritu foris: bonum esse æstimamus episcopum ipsorum interrogare, vt si habet aliquid quod pro ipsa parte adhuc dicat post factam apud Carthaginem omnibus notam Collationẽ, si habet aliquid quod adhuc dicat, dicat sine præiudicio partis Donati, quod tamen prodesse existimet vobis, in quorum ciuitate pro vestra in Christo salute se existimat ordinatum: & nos respondebimus sine preiudicio catholicæ, quoniam modò nullus partes defensionis imposuit: quod tamen, sicut existimamus & volumus, prodesse nobis possit presentibus contra præsentem: vt si seductus est, non seducat: si autem nos seducebamus, ipso præsente qui foris fortasse multa iactitat, arguamur, refellamur, conuincamur, doceamur. Hoc propterea dixi, ne ideo loqui nolit, quia potest dicere, nullas mihi modò pars mea partes defensionis imposuit. Non enim post ipsam Collationem non loquebatur, aut post illam Collationem non ad istam ciuitatem venit, aut de ista prouincia aliquando discessit, aut credimus eũ omnino post illam Collationem nulli homini verbũ pro parte Donati fecisse. Noui quæ vobis dicebantur, eos alloquor, qui ex ipsa parte venistis; noui quid dicebatur vobis, *nos Cognitoris emisse sententiam*. Noui dictum esse vobis, *quòd ille fuerit communionis nostræ, & propterea istos loqui omnia quæ vellent, minimè permisit; & eos potestate potius oppressit quàm veritate; quod loquebantur non accepit*. Ista omnia iactata sunt post Collationem, siue ab ipso, siue ab hominibus communionis illius. Quid interest à quo vos perturbemini, quos volumus in catholica pace esse tranquillos? Si absens esset, dicerem de illo vobis. Qui autem conturbat vos, portabit iudicium quicunque est ille. Hæc enim quæ dixi, beati Pauli verba sunt aduersus absentes, à quibus simplices turbabantur. Nunc autem præsens est, modò nobis dignetur dicere quare aduenerit. Frater Emerite, presens es, Collationibus interfuisti, si victus es, quare venisti? Si autem te victum esse non putas, loquere vnde tibi victor esse videaris? Tunc enim victus es, si veritate victus es. Si autem videris victus potestate, & vicisti veritate, non est hîc potestas, qua victus videris.

De nemine quamdiu viuit desperandum.

Donatistæ post Collationem Carthaginensem penè omnes conuersi.

Acta Collationis per omnes passim ecclesias diebus Quadragesimæ in ecclesia recitari solent.

Sermo ipse ad eadem horam Gestorũ adeptus est.

Galat. 5.

Sermonẽ conuenerit ad Emeritum.

Galat. 4.

deris. Audiant ciues tui, vnde te victorẽ præsumis esse. At si nosti aduersus te victricem fuisse veritatem, quid adhuc respuis vnitatẽ? Emeritus episcopus partis Donati dixit, *Gesta indicant, si victus sum, aut vici. Si veritate victus sum, aut potestate oppressus sum.* Augustinus episcopus ecclesiæ catholicæ dixit, Quare ergo venisti? Emeritus episcopus partis Donati dixit, *Vt hoc dicerem quod requiris.* Augustinus episcopus ecclesiæ catholicæ dixit, Requiro quare veneris; hoc non quærerem, si non venisses. Emeritus episcopus partis Donati dixit notario qui excipiebat, *Fac.* Cúmque reticeret, Augustinus episcopus ecclesiæ catholicæ dixit, Si ergo sub veritate tacuisti, nõ sine causa venisti, nisi quia istos decipere voluisti. Cumq; diu reticeret, Augustinus episcopus ecclesiæ catholicæ dixit, Videtis fratres diu tacentem, moneo vt optetis resipiscentem, obsecro ne sequamini pereuntem. Veruntamen quoniam gesta Collationis nostræ commemorauerit, vbi apparere posse dixit, vtrum veritate sit victus, an potestate oppressus: multa sunt quidem, vbi superfluis & morãtorus prosecutionibus gesta cumularũt, nihil aliud magis viribus agẽtes, nisi vt nihil ageretur. Sed Domino præsidente, & causam suam agente, ventum est quò noluerunt. Dicta causa atque definita est. Sed si omnia gesta vobis legere velimus, (quanquam præsentibus vobis fratrem & coepiscopum meum Deuterium obstringo, vt quemadmodum fit apud Carthaginẽ, apud Tagastem, apud Cõstantinam, apud Hipponem, apud omnes diligentes ecclesias, sic etiam deinceps facere non pigrescat. Vt annis omnibus per ieiuniorum dies, id est, quadragesima ante pascha, quando vobis maximè ieiunantibus plus vacat audire, eadem gesta Collationis per annos singulos, vniuersa à capite in finem ex ordine recitẽtur.) Tamen vt dicere cœperam, quia non omnia vobis modò legere possumus, dignamini prius audire ante Collationem quas literas dederimus ad Cognitorem, vbi promisimus, vel quemadmodum suscipi vellemus si victi fuissemus, vel quemadmodũ eos susciperemus si vinceremus, vt videretur non in contentione, sed in humilitate esse victoria. Alipius episcopus ecclesiæ catholicæ epistolam recitauit: *Honorabili ac dilectissimo filio, viro clarissimo & spectabili, tribuno & notario Marcellino, Aurelius, Syluanus, & vniuersi episcopi catholici. Dicto spectabilitatis tuæ, quo nostræ Collationis tranquillitati quietiq; seruãde, & veritati manifestandæ ac muniendæ consultum est, in omnibus nos cõsentire, sicut admonere dignatus es, per has intimamus: illa etiam veritate confisi, nos vinculo cõditionis obstringimus, vt si nobis hoc cum quibus agimus demonstrare potuerint, cùm secundum Dei promissa populi Christiani vsquequaque crescendo iam magnam partem orbis impleuissent, & in cæterũ dilatarentur implendam, subito ecclesiã Christi nescio quorum, quos isti accusant peccatorum perisse contagione, & in sola remansisse parte Donati. Si hoc vt dictũ est demõstrare potuerint, nullos apud eos honores episcopatus requiremus, sed eorũ sequemur pro sola salute cõsilium, quibus tanti gratiam beneficij pro cognita veritate debebimus. Si autẽ nos potius valuerimus ostendere ecclesiã Christi omnium, non solùm Africanarum, verumetiam transmarinarum prouinciarum, multarum gentiũ spacia, feracissima populorum copia iam tenentem, & sicut scriptũ est, toto mundo fructificantem atque crescentem, nullorum hominum sibi commixtorum peccatis perire potuisse. Si denig. ipsorum, qui tunc accusare voluerunt, potius quàm conuincere valuerunt, quæstionem definitã, quamuis non in eis ecclesia consistat, & Cæcilianum innocentem, illos autem violentos & calũniosos esse iudicatos ab eo imperatore, ad cuius examen criminationes suas vltro accusando miserunt: postremò si quid de peccatis quorumlibet hominũ dixerint, vel humanis documentis, vel diuinis probauerimus: aut eorum innocentiã falsis criminibus appetitam, aut Christi ecclesiã, cuius cõmunioni coheremus, nullis eorũ delictis esse destructam: sic eius nobiscum teneãt vnitatẽ, vt non solùm viam salutis inueniant, sed nec honorẽ episcopatus amittãt. Neq; enim in eis diuinæ sacramẽta veritatis, sed cõmenta humani detestamur erroris. Quibus sublatis, fraternum pectus complectemur Christiana nobis charitate coniunctũ, quod nunc dolemus dissensione diabolica separatũ. Poterit quippe vnusquisq; nostrũ honoris sibi socio copulato vicissim sedere eminẽtiùs, sicut peregrino episcopo iuxta considentẽ collegam hoc cum alternis basilicis vtrunque cõceditur, vtroq; alterum cum honore mutuo præueniente: quia vbi præceptio charitatis dilatauerit corda, possessio pacis nõ sit angusta, vt vno eorum defuncto, deinceps iam singulis singuli pristino more succedant. Nec nouum aliquid fiet. Nam hoc ex ipsius separationis exordio in eis, qui damnato nefariæ discissionis errore vnitatis dulcedinẽ vel serò sapuerunt, catholica dilectio custodiuit. Aut si fortè populi Christiani singulis delectantur episcopis, & duorũ consortium inusitata rerum facie tolerare non possunt, vtrique de medio discedamus, & ecclesiis singulis damnata schismatis causa in vnitate pacifica constitutis, ab his singulis in ecclesiis singulis annuentibus vnitati factæ, per loca necessaria singuli constituantur episcopi.* Et cùm legeret, Augustinus episcopus dixit: Dicã charitati vestræ & cõmemorem rem dulcissimam & suauissimã, quam Dño adiuuãte sumus experti: Cùm ante ipsam Collationẽ inter nos aliqui fratres de hac re colloqueremur, quia pro pace Christi episcopi debent esse, aut debent non esse: quod vobis fatendũ est; circũspicientes omnes fratres & coepiscopos nostros, non facilè nobis occurrebant, qui hoc vellent suscipere, & de hac humilitate Dño sacrificare: dicebamus vt fieri solet, ille potest, ille non potest; ille cõsentit hoc, ille non tolerat; loquẽtes magis pro suspicionib. nostris, qui corda illorum videre minimè poteramus. Quãdo autem ventum est vt hoc palam fieret, in cõcilio vniuersorum tam frequenti penè trecentorũ episcoporũ, sic placuit omnibus, sic exarserũt omnes, vt parati essent episcopatum pro Christi vnitate deponere, & nõ perdere, sed Deo tutius cõmendare. Duo ibi vix inuẽti sunt, quib. displiceret. Vnus annosus senex, qui hoc etiam dicere liberius ausus est, alter voluntatem suam tacito vultu significauit. Sed posteaquam illum senẽ liberiùs hoc dicẽtem obtruit omnium fraterna correptio, illo mutante sententiam, vultum etiam ille mutauit. Audite ergo quib. modis etiam ipsa exhortatio facta est, propter illum qui ait: Qui se humiliat exaltabitur. Itẽ legit: *Quid enim dubitemus redemptori nostro sacrificiũ istius humilitatis offerre? An verò ille de cælis in humana membra descẽdit, vt membra eius essemus, & nos ne ipsa eius mẽbra crudeli diuisione lanientur, de cathedris descendere formidamus? Propter nos nihil sufficientius, quàm Christiani fideles & obedientes simus. Hoc ergo semper sumus. Episcopi autem propter Christianos populos ordinamur. Quod ergo Christianis populis ad Christianã pacem prodest, hoc de nostro episcopatu faciamus.* Augustinus episcopus dixit: Propter vos hoc debemus esse quod vos. Quid debes esse tu, cuicunque loquor vestrũm? Christianus, fidelis, obediẽs: hoc tu propter te, hoc & ego propter me: Ergo quod tu propter te, & ego propter me, semper esse debemus. Quod autem sum propter te, sim, si tibi prodest: non sim, si tibi obest. Ecce quod dictũ est, attendite. Itẽ legit: *Si serui vtiles sumus, cur Domini æternis lucris pro nostris temporalib. sublimitatibus inuidemus? Episcopalis dignitas fructuosior nobis erit, si gregem Christi deposita magis collegerit, quàm retenta disperserit.* Cumque recitaret, Aug. episcopus dixit: Fratres mei, si Dominum cogitamus, locus iste altior specula vinitoris est, non fastigiũ superbientis. Si cùm volo retinere episcopatum meum, dispergo gregem Christi, quomodo est damnum gregis, honor pastoris? Item legit: *Nam qua fronte in futuro sæculo promissum à Chri-*

Exemplar litterarum qui bus Catholici mãdato Marcellini respondeunt, quarũ fit mentio Collat. 1. cat. 5

Calunniæ Donatistarũ de Marcellini Collationis cognitore.

Colloss. 2.

Luca 18.

Luca 17.

Christo sperabimus honorem, si Christianam in hoc sæculo nostER honor impedit vnitatem? Hæc propterea præstantia tuæ scribenda curauimus, & vt per te innotescant omnibus postulamus, vt in adiutorio Domini Dei nostri, quo admonente ista promittimus, & quo adiuuante nos implere posse confidimus; etiam ante Collationem si fieri potest, corda hominum vel infirma, vel dura, pia charitas, aut sanet, aut edomet: ac sic iam pacificis mentibus non resistamus manifestissimæ veritati, & disputationem nostram, vel præcedamus concordia, vel sequamur. Neque enim desperare debemus, si recolunt esse pacificos beatos, quoniam ipsi filij Dei vocabuntur, multo dignius & facilius eos velle: vt pars Donati vniuerso orbi Christiano reconcilietur, quàm vniuersus orbis Christianus à parte Donati rebaptizetur: cùm præsertim de Maximiani sacrilego & damnato schismate venientes, quos etiam terrenarum potestatum iussionibus inscitando emendare curarũt, tanta diligentia quæsierunt, vt nec baptismum ab eis datum rescindere auderent, & quosdam eorum damnatos sine vlla honoris diminutione susciperent, quosdam verò in illius discissionis societate impollutos esse censerent. Quorum inter se concordiæ non inuidemus: sed eos oportet aduertere quàm piè ramum à se fractum tanto studio radix catholica inquirit, si ramus ipse similiter à se paruum fragmen incisum sic colligere laborauit. Et alia manu. Optamus te fili in Domino bene valere.

Quo recitato August. episcopus dixit: Audite qui nescitis, audite obsecro vos. Deo gratias, quia ipso præsente loquor. Causam istam Maximianistarum, quam volo modò vobis exponere, vbi omnium calumniarum suarum tanquam malarum mercium nauem fregerunt: causam ergo istam Maximianistarum cùm totiens obiecissemus in nostra Collatione, nihil aduersus eam dicere potuerũt: id est, aduersus obiectionem nostram totiens insertam, totiens repetitam, totiens eorum frontibus illisam, nihil omnino respondere potuerunt, quia quod responderent non inuenerunt. Audite ergo illam diligenter. Ecce hîc est, audit me, si mentior redarguat, probare me compellat. Gesta quidem ipsa hîc non sunt, sed ibi sit causa. Feramus quasliber dilationes, vt ad documẽta necessaria veniamus, si probauero quod dico. Si tamen inde dubitat, aut quod absit dubitare se fingit, quod pace eius dixerim, non communicet, si nô probauero. Si autem scit iam me verum dicere, & nouit propterea respondere noluisse, quia quod responderet non potuit inuenire; rogo vos vt ipsi iudicetis, quid sit tolerabilius, in honore suo suscipere à se damnatum, an fratrem agnoscere non aliquando à se conuictum. Intendite obsecro, audite narrationem. Maximianus quidam diaconus fuit Carthaginensis, in parte Donati, siue merito superbię suæ, siue vt ipsi putant, merito iustitiæ suæ, offendit episcopum suum, id est, Primianum Carthaginensem; siue iniquè, si superbus meliorem; siue iustè, si probus improbiorem. Excommunicatus est à Primiano, perrexit ad episcopos vicinos, concitauit inuidiam Primiano, accusauit eum apud illos. Ventum est ad Carthaginem. Voluerunt qui venerunt multi episcopi Donatistæ, ad se venire Primianum; sicut voluerunt maiores istorum ad se venire Cæcilianum. Factione cognita, noluit ad istos venire Primianus, sicut ad illos noluit venire Cæcilianus. Damnatus est ab istis absens Primianus; sicut ab illis damnatus est absens Cæcilianus. Qualem imaginem rerum voluit Deus ante oculos nostros recenti tempore ponere, quoniam nimis antiqua iam delebat obliuio. Damnatus est absens. Ab aliis episcopis partis Donati, Primianus communioni est restitutus, imò quia eum nõ deposuerunt, in sua sede firmatus est. Damnati sunt Maximianistæ, sicut à peregrinis episcopis & transmarinis absoluto Cæciliano meruit damnari Donatus. Damnatus est Maximianus cum duodecim ordinatoribus suis. Factio quidem ipsa plurimos continebat, centum erant fortassis episcopi. Sed ne maior præcisio fieret, isti voluerunt paucis deiectis, multis imponere disciplinam. Damnarunt solos qui adfuerunt ordinationi Maximiani, quando contra episcopum suum illicitè est eleuatus episcopus. Cæteri in ipsa factione constituti, si redire ad ecclesiam vellent, in suis permitterentur honoribus. Verbis quidem suis ostendebant, eos foris esse ab ecclesia. Quem enim hortaris vt intret, foris est. Constituto ergo die, intra quem diem si redirent, eis nihil obessent quæ aduersus Primianum dicebantur, decreto Bagaiensi firmarunt. Damnatus est Maximianus cum duodecim. Cœpit agi, vt damnati de basilicis pellerentur. Interpellantur iudices, interpellantur proconsules, in iudicium allegatur episcopale Bagaiense concilium. Dicuntur hæretici, demonstrantur damnati, impetrantur iussiones, auxilia congregantur, venitur ad eiiciendos de basilicis homines damnatos, & in sua pertinacia constitutos. Illis condemnatis, populi qui fauebant restiterunt. Vbi non potuerunt, victi sunt. In locum eorum qui victi sunt & expulsi, alij ordinati sunt. Ex quibus duos nouimus, vt de cæteris taceamus, vnum Felicianum, alterum Prætextatum Assuritanum. Quos post annos duos aut tres, per Optatum Gildonianum post multas illis illatas persecutiones iudiciariis prosecutionibus & tota acrimonia potestatum, in suis honoribus susceperunt. Post damnationem suam, post eiectionem, post persecutiones susceperunt illos in honoribus suis, adiunxerunt sibi socios atque collegas. Nam in loco vnius ipsorum Prætextati Assuritani, alium iam ordinauerunt nomine Rogatum, qui modò catholicus est, cui exercitus istorum, id est, agmen Circumcellionum, linguam & manum præcidit. Illi autem qui per ipsum tempus quo illi damnati foris erant, fermè per triennium baptizati sunt à damnatis, baptizati sunt foris ab ecclesia istorum, sic sunt suscepti. Nemo dixit, non habes baptismum, quia foris es baptizatus. Et rebaptizatur qui venit de Ephesо, de Smyrna, de Thessalonica, de cæteris ecclesiis quas suo labore apostoli plantauerunt, & ad quas legimus missas apostolorum epistolas, quas audimus in ecclesia recitari. Sententia tenetur. Et quantum audiuimus, ab ipso fratre nostro, quem Deus faciat pacatum fratrem nostrum, ab isto Emerito est dictata sententia vbi illi damnati sunt. Legatur ipsa sententia vbi illi damnati sunt, & legatur sententia vbi Cęcilianum damnauerunt maiores istorum, & videamus qui rei peiores facti sunt, qui grauiore sententia puniti, qui strepitu maiore damnati. Ibi dixit: *Licet enim viperei seminis noxios partus venenati vteri alueus diu texerit, & concepti sceleris vda coagula in aspidum membra tardo se calore vaporauerint, tamen conceptum virus euanescente vmbraculo occultari nõ potuit. Nam & si sero, publicum tamen facinus & parricidium suum, fœta scelerum vota pepererunt. Quod antè prædictum est: Parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Sed quoniam serenum iam fulget è nubilo, nec est confusa criminum sylua cùm ad pœnam designata sunt nomina: indulgentiæ enim ante hac fuerat, dum clementiæ dimittimus lineam, inuenit causa quos puniat.* Et inter cætera: *Loquamur charissimi fratres, schismatis causas, quia iam non possumus tacere personas. Maximianum fidei æmulum, veritatis adulterum, ecclesiæ matris inimicum, Dathan, Chore, & Abiron ministrum.* Hæc verba sunt partis Donati in Maximianistas, isto vt audiuimus dictante prolata. Scitis autem qui sint Dathan, Chore, & Abiron. Ipsi primo schisma fecerunt, quibus pœna vsitata non sufficit, viuos aperta terra deuorauit. *Dathan, Chore, & Abiron ministrum* (verba ipsius sunt) *de pacis*

Collatione 3. cap. 8. 9. 10. 11. 16.

Maximianistarum schisma quamdiu durauerit.

Circumcellionum in Rogatum crudelitas.

Bagaiensis concilij sententia ab Emerito dictata.

Maximianistæ causæ narratio.

Psal. 7.

Numa. 16.

eis gremio sententiæ fulmen excussit. Audite adhuc: *Et quod adhuc eũ*, inquit, *dehiscens terra non absorbuit, ad maius iudicium superis reseruauit. Raptus enim pœnam sui compendio lucrauerat funeris, vsuras nunc grauioris colligit fœnoris, cùm mortuus interest viuis.* Verba sunt ipsius Maximianum damnantis, vel potius vt ipse dicit, ore veridico fulminantis. Et tamen collecti sunt aspides, viperæ, parricidæ; nec exufflatur baptismus quem dedit aspis, vipera, parricida. Audistis quantus ignis exarserit eloquentiæ, quando inuenit fœnum quod posset incendere. Frater Emerite amplexus es fratrem tuum Felicianũ, tui oris fulmine condemnatum, agnosce fratrem tuum Deuterium, tibi etiam genere sociatum. Quotiescunque fratres mei causam istam Maximianistarum, quam sicut potui vobis exposui, eis cùm in Collatione ageremus, obiecimus, plus inde tacuit, quàm modò in omnibus tacet. Non se occultent tergiuersatoria, non defensione, sed fuga. Dicunt enim quòd dilationem illis dederint, & intra dilationem illos suos susceperint. Hoc falsum est. Duodecim enim cum Maximiano damnati sunt, cęteri autem non aderant ordinationi eius, quando ei manus imposita est. Illis dilationem dederunt. Nam verba ipsius ista sunt: *Nec solum hunc*, inquit, *sceleris sui mors iusta condemat; trahit etiam ad consortium criminis plurimos catena sacrilegij, de quibus scriptum est, Venenum aspidum sub labiis eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: Contritio & infelicitas in viis eorum, & viã pacis non cognouerunt. Non est timor Dei ante oculos eorum. Nollemus quidem tanquam proprij corporis secare iuncturam; sed quoniam tabescentis vulneris putredo pestifera plus habet in abscisione solaminis, quàm in remissione medicaminis, inuenta est causa salubrior, ne per cuncta membra pestilens irreperet virus, vt compendioso dolore natum decidat vulnus. Famosi ergo criminis reos esse* nominat duodecim, inter quos & Felicianũ & Prætextatũ: sed nomina omnium mihi non occurrunt. Et infert sic: *Qui funesto opere perditionis vas sordidum collecta feculentia glutinarunt. Sed & clericos aliquando ecclesiæ Carthaginis, qui dum facinori interfunt, illicito incestui præbuerunt lenocinium, Dei præsidentis arbitrio, vniuersalis cõcilij ore veridico damnatos esse cognoscite. Eos autem quos sacrilegi furculi non polluere plantaria, hoc est, qui à Maximiani capite proprias manus verecundo fidei pudore retraxerunt, ad matrem ecclesiam redire permisimus.* Volebant pumicare faciem suam quia sacrilegis ignoscebant, & apertè schismaticis viam redeundi cõcedebant. Quid est hoc? Rogo modò mihi dignentur exponere, quomodo eos sacrilegi furculi non polluere plantaria? Quare illis dilationem das, si nullam partem in Maximiani schismate habere potuerunt? Si autem socij sunt factionis, quamuis non fuerint præsentes ordinationi, quomodo illos non inquinat Maximianus, & totum orbem terrarum semel absens damnatus, tertiò præsens absolutus inquinat Cæcilianus? Non inquinat Apher Aphros, viuus viuos, notus notos, particeps socios, & Cæcilianus inquinat transmarinos, inquinat longè positos, inquinat non damnatos? Tecum sedit à te damnatus, & non te inquinat Felicianus. Ego illum non vidi, tu istum nosti: ego illum innocentem credo, tu istum nocentem damnasti. Aut si fateris innocentis te fuisse receptorem, fateris te innocentis fuisse damnatorem. Et tamen fratres mei non inuidemus concordiæ ipsorum, inter se suscitata odia diabolica finierunt; quomodo putant, in pacem redierunt. Sed hoc dico: Si ramus fractus quæsiuit virgultum à se fractum; qua diligentia debet arbor ipsa quærere ramum ex se fractum? Ideo sudamus, ideo laboramus, ideo inter eorum arma & cruentas furias Circumcellionum periclitati sumus, & adhuc reliquias eorum qualicunque donata à Deo patientia toleramus, dum arbor quærit ramum, dum grex ex ouili Christi ouem perditam quærit. Si pastoralibus visceribus præditi sumus, per sepes & spinas nos coarctare debemus. Membris laceratis ouem quæramus, & pastori principiq, omniũ cum lætitia reportemus. Multa diximus etiam fatigati, & tamen frater noster, propter quem ista dicimus vobis, & cui pariter dicimus, & pro quo tanta agimus, adhuc pertinax cõsistit. Constantem se putat fortitudo crudelis. Nõ adhuc de vana & falsa fortitudine glorietur. Audiat Apostolum dicentem: Virtus in infirmitate perficitur: Oremus pro illo, Vnde scimus quid velit Deus? Multæ cogitationes, sicut scriptum est, in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum.

Collatione 3. cap. 8. 9. 10. 11. 16.

Contra Cresconium lib. 3. cap. 15. & lib. 4. cap. 28. & sequẽtibus.

Psal. 90.

Luce 15.

2. Cor. 12.

Proueb. 19.

FINIS.

AD LECTOREM.

Huic loco congruebat liber ad Bonifacium comitem de correctione Donatistarum. Cuius Augustinus meminit Retractationum lib. 2. cap. 48. sed is excussus est inter epistolas, numero quinquagesima: inde repetere licebit.

D. AV-

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
CONTRA DVAS EPISTOLAS GAVDENTII DONATISTARVM THAMVGADENSIS EPISCOPI LIBRI DVO.

Ex Retract. lib. 2. cap. 59.

PER *idem tempus Dulcitius tribunus & notarius hic erat in Africa executor imperialium in ſtonum cõtra Donatiſtas datarum. Qui cùm dediſſet literas ad Gaudentium Thamugadenſem Donatiſtarum epiſcopum, vnum illorum ſeptem, quos in noſtra Collatione authores ſuæ defenſionis elegerant, exhortans eum ad vnitatem catholicam, & diſſuadens incendium quo ſe ac ſuos cum ipſa in qua erat eccleſia conſumere minabatur: addens etiam, vt ſi ſe iuſtos putarent, fugerent potius ſecundum præceptum Domini Chriſti, quàm neſandis ſe ignibus cremarent. Ille reſcripſit epiſtolas duas, vnam breuem, feſtinante, vt aſſeruit, perlatore; aliam prolixam, quaſi plenius diligentiúſque reſpondens. Has mihi ſuprà memoratus tribunus exiſtimauit mittendas, vt eas potiùs ipſe refellerem; quas ambas vno libro redargui. Qui cùm in eiuſdem Gaudẽtij perueniſſet manus, reſcripſit quod ei viſum eſt ad meipſum, nulla ratione reſpondens, ſed magis ſe nec reſpondere, nec tacere potuiſſe declarans. Quod cùm ſatis poſſet intelligenter legentibus, & noſtra atque ipſius dicta conferentibus apparere, nolui tamen ſine reſcripto relinquere quicquid illud fuit. Hinc factum eſt, vt hi noſtri ad illum duo libri eſſent. Hoc opus ſic incipit, Gaudentius Donatiſtarum Thamugadenſis epiſcopus.*

Math 10.

Nunc vnum typographi in duos ſecuerãt.

CAP. I. AVDENTIVS Donatiſtarũ Thamugadenſis epiſcopus, cũ ſeipſum in eccleſia quibuſdam ſibi adiunctis perditis, incendere minaretur: viro ſpectabili tribuno & notario Dulcitio, cui piiſſimus imperator leges ſuas exequendas cura perficiendæ vnitatis iniunxit, agenti, vt oportebat, cum furentibus manſuetè, & prius ad eundem Gaudentium literas pacificas danti, duas reſcripſit epiſtolas, vnam breuiorem, & perlatoribus, ſicut indicat, feſtinantibus feſtinatam: alteram prolixiorem, in qua ſecundum Scripturas ſe reſpondiſſe diligentiùs arbitratur. Ita ergo ſcripta eius opitulante Domino inſtitui refutare, vt etiam qui ſunt ingenio tardiores, ad omnia me reſpondiſſe non dubitẽt. Nam prius verba eius ponam, deinde noſtra ſubiungam: non ſic quemadmodum feci, cùm Petiliani literis reſponderem. Ibi enim per loca ſingula quando verba ipſius inſeruntur, poſitum eſt, Petilianus dixit. Quando mea redduntur, Auguſtinus reſpondit. Mihi, tanquam mentitus fuerim, calumniatus eſt, dicens, *quòd nunquam mecum cominus diſputauerit*: quaſi propterea non dixerit quod ſcripſit, quia hoc non in verbis eius audiui, ſed in literis legi: aut ego ideo non reſponderim, quia non eo præſente locutus ſum, ſed ſcriptis eius viciſſim ſcribendo reſpondi. Quid faciamus hominibus qui tale cor habent, aut eos quibus ſcripta ſua innoteſcere cupiunt, tale cor habere opinantur. Sed etiam talibus ſic ſatisfaciamus: & quando ponimus verba Gaudentij, non dicamus, Gaudentius dixit: ſed, Verba epiſtolæ: & quando reſpõdemus, non dicamus, Auguſtinus reſpondit: ſed, Ad hæc reſponſio. Sic ergo incipiamus refellere Gaudentij epiſtolam priorem ac breuiorem.

VERBA epiſtolæ, *Honorabili ac nimium nobis, ſi ſic volueris, deſiderando Dulcitio tribuno & notario, Gaudentius epiſcopus.* A DHAEC reſpon. Non debemus etiam iſta diſcutere, ne propemodum in ſuperfluis immoremur, cùm ſint loca neceſſaria, quæ nos aliquanto diutius loqui cogant.

CAPVT II.

VERBA epiſtolæ, *Religionis tuæ ſcripta percepi per eos quos & moribus & inſtituto ſuo, cunctis charos eſſe manifeſtum eſt.* AD HAEC reſp. Neque hoc diſcutiam quomodo dixeris, religionis tuæ, homini, quem potius irreligioſum putas. Reddidiſti quippe honorificentiam, ſicut reddendam exiſtimaſti; quia ille te honorificentiùs tractauit in literis quas ad te dedit, quàm catholicus hæreticum debuit, putans tuam mentem tali fieri ſermocinatione ſanabilem.

CAPVT III.

VERBA epiſtolæ, *In quibus tam multa*, inquit, *à tua dignatione dicta ſunt, quæ nunc interim cõticeſco, ſed quoniam ingenij tui acumen minus aduertit, quòd nos in eodẽ ſcripto nec innocentes plenè, nec reos aſſerere potuiſti.* AD HAEC reſpon. Quomodo non aſſeruit reos, quos dixit malè congregatos? Quomodo non aſſeruit reum cùm dixerit, quòd te duce miſerorum animæ nefando exitu perituræ ſint; adiiciens te in te intelligere debere, quanta te & in hoc mundo inuidia, & in illo vltimo iudicio †deſperatio poterit manere? Quomodo non aſſeruit reum, quẽ ſicut potuit exhortatus eſt, vt imitãdum aliorum ſecutus exemplũ, dimiſſo errore prioris hæreſeos, te ad vnam & veram Dei cõferas fidem? Veruntamen non tribuni verba defendere, ſed hæretici refutare ſuſcepimus. Si quid ergo iſte noſter tanquam laicus militaris dixit incautiùs, quis ei nõ ignoſcat? Quis eccleſiæ catholicæ de verbis eius præiudicandum eſſe contendat? Tu perpenſius cõſidera quid loquaris, quem pars Donati in noſtra collatione quæ apud Carthaginem facta eſt, ſex aliis adiũctum, etiam defenſorem ſuæ diuiſionis †edidit.

†deſperando poterit pœna manere?

Gaudentius vnus fuit ex ſeptem, qui à Donatiſtis ad eorũ cauſam in Carthaginenſi Collatione defendendam, delecti fuerunt. for elegit.

VERBA epiſtolæ, *Quod ſi criminoſos*, inquit, *exiſtimas, fugienda eſt vobis damnanda ſocietas.* AD HAEC reſpon. Planè fugienda eſt ſocietas criminoſorum, ſed non eſt reſpuenda correctorum. Illud ergo ſalubriter ita deuitamus, vt hoc miſericorditer velimus, optemus, inſtemus.

CAPVT IIII.

VERBA epiſtolæ, *Si verò innocentes nos putas*, inquit, *quod etiam ipſe dixiſti, perſecutores in fide Chriſti conſtituti ſuſtinere gaudemus.* AD HAEC reſpon. Conſideraui literas tribuni ad te datas, & nuſquam in eis legi quòd te dixerit innocentem; ſed ab aliis audiſſe, vel cognouiſſe prudentem. Sic autem in ſcripturis ſanctis, non ſolùm boni, verumetiam mali vocari ſolẽt. Nam hoc ibi nomen etiam ſerpens hominis deceptor accepit. Quod enim quidam interpretati ſunt, ſapientiſſimum omnium beſtiarum, prudentiſſimũ potius Græci codices habent: vnde in Latinam linguam ſcriptura illa tranſlata eſt. Sed ſi eos putandum eſt innocentes à tribuno eſſe dictos, quos à te ad exitium teneri dixit inuitos, quid mirum ſi & illic fieri credidit, quod in aliis locis factum eſſe cognouit? Non eſt ergo vnde gaudeas te pati perſecutionẽ, cùm inuenire non poſſis quomodo te aſſeras innocentem. Abſit autem vt iſta perſecutio dicenda ſit hominũ, cùm ſit potius pro hominib. liberandis perſecutio vitiorũ, qualẽ facit ægris etiam diligẽtia medicorũ. Quamuis etſi eſſetis innocẽtes, hinc efficeremini nocentes, quia occidere cupitis innocẽtes. Qui enim ſe innocentes conãtur aſſerere, & re, & tamen vitæ ſuæ nolunt parcere, quid aliud quàm innocentes conuincuntur occidere?

CAPVT V.

Etiam mali prudentes dicuntur. Genes. 3.

φρονιμώτατος.

CAPVT VI.

VERBA epiſtolæ, *In hac autem eccleſia*, inquit, *in qua nomen Dei & Chriſti eius, vt etiam ipſe dixiſti, in veritate ſemper eſt frequentatum, nos aut viui quamdiu Deo placuerit permanemus, aut vt dignum eſt Dei familia, intra dominica caſtra vitæ exitum terminabimus; ſub ea ſcilicet conditione, quia ſi vis fuerit operata, tunc id poterit euenire. Nemo enim tam demens eſt, vt nullo impellente feſtinet ad mortem.* AD HAEC reſpond. Neque hoc in tribuni literis legitur, à te inuocatum in veritate nomen Dei, quamuis dixerit inuocatum: quãquam etiam ſi dixiſſet, poſſet hoc intelligi, non ad veſtram gloriam, ſed ad pœnam. Nam & de gentibus impiis Apoſtolus dixit, Qui veritatem in iniquitate detinent, vt & vos facitis, qui veritatem baptiſmi diuini in iniquitate detinetis erroris humani. Vnde nos cùm veſtram corrigimus iniquitatem, non vtique debemus illius ſacramẽti reſcindere veritatem. Profiteris ſanè innocens homo aliis quidem verbis, cum eccleſia te ac tuos interituros. Cùm enim dicis in eccleſia, quid aliud vis intelligi, niſi cum eccleſia, quandoquidem id agere ignibus præparas? Hæc eſt innocentia partis Donati, vt hoc facitis adiunctis mortibus veſtris, quod etiam apud Carthaginem in inuidiam noſtram de Baſilicis quæ veſtrę fuerunt, ſicut potuiſtis, & cum quib. potuiſtis, feciſſe aſſeueramini ſine mortibus veſtris. Quis enim vos nõ credat zelando feciſſe, quod facere etiam moriendo diſponitis? Si autem illud vos non feciſtis, hoc certè furioſius eſt quod vos facere præparatis. Sed dixiſti, *ſi vis fuerit operata*: Et adiunxiſti: *Nemo eſt enim tam demens, qui nullo impellente feſtinet ad mortẽ.* Quãto eſt ergo dementior, qui cũ impellatur ad vitã, feſtinet ad mortẽ?

Roman. I.

CAPVT VII.

VERBA epiſtolæ, *Eos autem qui nobiſcum ſunt*, inquit, *teſtem Deum facio, eiuſq; omnia ſacramẽta, quòd exhortatus ſum, & impenſiſſimè perſuaſi, vt qui haberet volũtatem egredi, ſecurus publicè fateretur: nec nos enim inuitos retinere poſſumus, qui didicimus ad Dei fidem nullũ eſſe cogendum.* AD HAEC reſpon. Cur autem non te etiam, ſi non inuitorum retentorem, tamen ad bonũ opus exhortatorem apertiſſimè profiteris, ſi quod facturus es bonum eſt? An fortè quàm malum ſit & ipſe intelligis, atque id facturum te magis vt terreas, quàm vt impleas comminaris, aut mentiendo infidelis, aut verum dicendo crudelis?

CAPVT VIII.

VERBA epiſtolę, Et alia manu: *Opto te incolumem in reipubl. actibus florentem, & à Chriſtianorum inquietudine recedentem.* AD HAEC reſpon. Poſſumus eum & nos optare incolumem, & in reipublicę actibus florentem, ſed non ab hæreticorũ correctione quieſcẽtem.

CAPVT IX.

VERBA epiſtolæ ſecundæ, *Honorabili & omni affectu deſiderãdo Dulcitio Gaudẽtius epiſcopus.* AD HAEC reſpon. Si omni affectu deſideras hominem, quare cum illo tenere Chriſti reſpuis vnitatem? An reddendo malum quaſi pro malo, quem tuum perſecutorem putas, rebaptizare deſideras?

CAP. X.

VERBA epiſtolæ, *Solent ſibi*, inquit, *ſola fama noti, cupere, aut incerto inuicem aſpectu verba miſcere, aut incogniti ſaltem non horrere præſentiam: tua verò cenſura quòd abſentem me inueneris gratulatum te; quòd autem redierim, contriſtatum, literis inſinuaſti.* AD HAEC reſpon. Non omnes qui ſibi ſola fama noti ſunt, videre inuicem volunt, ſed quos bene ipſa fama commẽdat. Mirum eſt autem reuera quod tibi accidit, vt tu cum deſiderandum dicas, à quo te perſecutionem perpeti quereris. Ille autem qui te perſequitur, abſentẽ te malit eſſe, & nolit eum quem perſequitur, inuenire. Sed hoc vnde? niſi quia te potius eorum perſecutorem voluit intelligi, quorum in Chriſto ſalutem, tua præſentia credidit impediti.

CAPVT XI.

VERBA epiſtolæ, *Sed quoniam præterita die*, inquit, *ne in epiſtolari reſponſo ſiluiſſem propter moram portantiũ, certa quæq; ſtrictim atque breuiter inſinuaui: nunc mihi dignationis tuæ ſcriptis ſacroſanctæ legis diuinæ verbis eſt reſpondendum. Dominus dixit: Innocentem & iuſtum non occides: purgatione non purgabis reum. Certum eſt igitur in Dei iudicio pari crimine, pariq; reatu eſſe deuinctos, qui reum abſoluerit, & qui occiderit innocentem. Si ante communionem rei erant à te nominatus Gabinus, vel cæteri fidefragi, in malo illi lapſui conſortes ſecundum Dei voces abſolui minimè debuerunt. Si autem tanquam innocentes vel ſanẽti recepti ſunt, quare in ea fide permanẽtes, vnde velut ſanctos accipitis, occiditis innocentes?* AD HAEC reſpon. Inuidioſè & mendaciter loqueris. Ille quippe ad quem loqueris, non tale præceptum accepit vt occidamini, ſed vt corrigamini. Quod ſi noluerit, ne correctionẽ impediatis aliorum, in exilium mittemini. Quod ſi à iuſtis fieri non debet iniuſtis, cur etiã falſò voluiſtis de Cæciliani exilio in veſtra Collatione gloriari, quò eum miſſum veſtris maioribus inſtantibus à Conſtantino imperatore diximus? Iſte autem Tribunus ad quem ſcribis, cui legum promulgatarum cura mandata eſt, vſque adeò vult vt viuas, vt timeat ne ipſe te occidas. Ecce conſtitui tibi ante oculos ipſum, & teipſum. Ipſe te in Chriſti pace vult viuere, tu in parte Donati te quæris occidere: quis veſtrũm ſit tuus perſecutor, agnoſce.

Exodi 23.

al. ante

Collatione 3. cap. 20. 21. 22.

al. conſtitue

CAPVT XII.

Gabinus Donatiſta ad eccleſiam reuerſus.

GABINVS autem iam noſter, qui fuit aliquando veſter, & alij quamplurimi, qui ex vobis ad nos conſiderata catholica veritate tranſierunt, non ideo tibi videantur à veſtra contagione non fuiſſe purgati, quia non ſunt à nobis rebaptizati. Hi enim qui nondum baptizati ſunt, à peccatis omnibus in catholica eccleſia lauacro regenerationis abluũtur: in eis autem qui hoc ſacramentum, non ad auxilium, ſed ad iudicium foris accipiũt, quia nec in deſertore violamus characterem regium, fit illud quod ſcriptum eſt, Charitas cooperit multitudinem peccatorum. Ecce quẽad modum poſſunt quos non oportet baptizari, ipſa catholicæ vnitatis charitate mundari, vt non incipiat eis intus ineſſe quod & foris inerat, ſed incipiat eis prodeſſe intus quod foris oberat. Non itaque à vobis accipimus velut ſanctos, ad nos enim tranſeundo ſanctificantur, qui manendo apud vos ſancti eſſe omnino non poſſunt. Nec vos innocentes occidimus, quos etiam reos viuere volumus.

1. Petri 4.

CAPVT XIII.

Exodi 23.

SED tu qui teſtimonium diuinæ vocis bene recolis, & nobis obiicis Deum dixiſſe, Innocẽtem & iuſtũ non occides: ſi innocens es & iuſtus, quare te occidis? Nos te innocentem & iuſtum non dicimus, & tameti nolumus vt occidaris: tu te innocentem & iuſtum arbitraris, & innocenti & iuſto non parcis. *Certè*, ipſe dixiſti, *in Dei iudicio pari crimine, pariq; reatu eſſe deuinctos, qui reũ abſoluerit, & qui innocentem occiderit.* Quare ergo abſoluiſti Felicianum Maximianiſtam reum? Quare innocentem occidis & teipſum? Nos autem nec reum abſoluimus, ſed vt mereatur abſolui, prius corrigi cupimus: nec te innocentem, ſiue tibi parcas, ſiue te occidas, ſi in parte Donati remanſeris, iudicamus. Nam de quantalibet innocẽtia glorieris, teipſum innocentem occidẽdo, innocens eſſe non poteris: niſi fortè mihi reſpondeas & dicas: Cùm me occido, non innocentem vtique occido, quia ipſa voluntate qua me occidere ſtatuo, reus efficior animo, prius quàm corpus occidero. Hoc ſi dicis, verum dicis, & miris modis te accuſando defendis. Cùm enim te oſtendis in te occidendo prius ipſo propoſito fieri nocentem, proculdubio facinore perpetrato, nemo te conuincet quòd occideris innocentem. Hac itaque ratione colligitur, quòd cùm multi innocentes ab aliis occidantur, à ſeipſo nullus innocens occidatur. Eã quippe cogitatione qua occidere ſe ipſe molitur, innocen-

A ſeipſo innocens nullus occidi poteſt.

nocentia prius exspoliatur, vt cùm se occidit, non innocens moriatur. Hoc tibi contingeret, si antequã te occidere præparares, innocens esses. Nunc verò quia & antea iam hæreticus innocens non eras, non erit si te occideris tuæ iniquitatis initium, sed augmentum.

CAPVT XIIII. for. audi Rom 3.

VERBA epistolæ, *Nam de sancto Emerito*, inquit, *Cæsariensi falsa ad vos pro certo fama peruenit. Quod si esset* †*apud Apostolum dicentem: Si exciderunt à fide quidam illorum, nunquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit.* AD HAEC respond. Dicendum est de Emerito Cæsariensi, quod dicere tu timuisti. Falsa quidem de illo fama iactata est, quòd catholicus factus sit; sed quemadmodum hoc audisti, ita totum quod factum est, nosse potuisti. Cur ergo laudes coepiscopi tui, cuius tibi pro exemplo nomen obiectum est, tacere voluisti? Profectò si fecit aliquid laude dignum, in tanto articulo non abs te fuit vtique reticendum. Sed quia eius laudibus non vis, vt te inuidere potuisse credamus, quare ergo tacuisti, nisi quia de illo erubescere timuisti? Venit ergo Emeritus Cæsaream, illic positis & præsentibus nobis. Venit autem non apprehensus cuiusquam sagacitate, non adductus alterius potestate, sed excitatus propria voluntate videre nos voluit. Vidimus eum, ad ecclesiam catholicam pariter venimus, affuit maxima multitudo, nihil pro sua, seu vestra defensione dicere potuit, communicare noluit, dilatus perseuerauit, conuictus obmutuit, illæsus abscessit. Quid fieri potuit pro nostra mansuetudine lenius, quid pro veritate catholica inuictius, quid pro vestra, si sapitis, correctione salubriùs? Cùm enim sponte ad nos nisi pro vobis contra nos dicturus aliquid conuenisset, profectò dixisset, si quod diceret, inuenisset. Quæcunque enim vt veniret præparauerat dicere, adiuuante misericordia Domini, antè sunt nostra præuentione refutata, quàm illius circumuentione prolata. Et certè si putas eum potuisse, sed noluisse respondere, lege quod cum illo actum est, & ipse respondè. Si in pacem catholicam transisset Emeritus, diceretis eum non diuina miseratione consensisse lumini veritatis, sed ponderi persecutionis humana infirmitate cessisse. Si denique captus adduceretur inuitus, non inopia respondendi, sed euadendi consilio tacuisse pro vestro arbitrio iactaretis. Nunc verò quandoquidem vltro venit, profectò quòd tacuit, non lingua, sed causa defecit. quòd autem transire in vnitatem catholicam noluit, animam superbam confusio pertinacissimam fecit: sed hoc quantum ad ipsius exitium atque supplicium tãtùm, ad aliorum confirmationem salutemque profecit. Si enim viderent Emeritum nobis communicantem, suspicarẽtur hominem formidantem. Cùm autem viderũt & in parte Donati permanentem, & tamen aduersus catholicam reticentem, magis illis apparuit contra suos silendo damnare. An verò cùm voce atque ore sano & libero staret, non erat pro vestra causa contra nos testis idoneus Emeritus ille, ille Emeritus, inquam, & inimicus & mutus?

Vide suprà lib. De gestis cum Emerito.

CAPVT XV.

SED bene tibi visus es vestros authoritate videlicet apostolica consolari: non propter Emeritum qui non potuit plus facere pro vobis, quàm quòd non inueniens quid loqueretur pro vobis, non tamen abscessit à vobis, sed propter alios qui vestro errore derelicto in societatem catholicam mutati, in melius aggregantur, commemorasti propterea dixisse Apostolum, *Si quidam illorum exciderunt à fide, nunquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit?* Absit. Reuera hoc restat, vt excidisse dicantur à fide qui Deo crediderũt; & fidem tenere, qui hominibus credunt. In semine tuo benedicentur omnes gentes, dixit Deus. Ecce cui credunt qui ex vobis ad nos transeũt. Cæciliani peccato periisse transmarinas gentes homines dixerunt. Ecce quibus credunt qui in vestra societate persistunt; & dicis

Rom 3.

Genes. 22.

A eos excidisse à fide, qui fidem Dei secuti sunt; & eos fidem habere Dei, qui in verbis hominum remanserũt. Vbi est ergo quòd huic sententiæ abs te commemoratæ continuò subiungit Apostolus: Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax: si à fide exciderũt qui credunt quod dixit Deus verax, & in fide persistũt qui credunt quod dixit homo mendax?

Rom. 3.

VERBA epistolæ, *Fugam mihi*, inquit, *quasi ex lege persuades, sed factor legis tantùm debet audiri, quia Paulus apostolus dicit, Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Nam audi & Dominum dicentem: Quia bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis: mercenarius autem cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & fugit: & lupus rapit eas & dispergit.* AD HAEC respond. Ecce quomodò intelligit Euangelium pars Donati: Itáne Apostolus non pastor, sed mercenarius erat, quando per murum in sporta summissus, fugit manus eius qui eum comprehendere cupiebat: & tu es pastor, qui eas quas †Dominicas oues, vt errore in animo pereant, furore corpus interimant, etiam tecum vis perdere, tecum quæris occidere, nec audis pastorem pastorumque principem, dicentem: Fur non venit nisi vt occidat & perdat? Ad hoc venisti qui abscesseras? ad hoc redisti qui fugeras? Hoc opus furis est & latronis, non pastoris atque custodis. Veruntamen etiam nobis non te cogentibus, vide, quia omnes collegas tuos qui fugerunt, non pastores sed mercenarios intelligi voluisti. Sed si essent apud te Dominicæ oues, aut tecum venirent, vt etiam te correctum possent habere pastorem, aut te dimisso fugerent ad pastorem. Mercenarius autem quem significat Dominus, viso lupo non corpore, sed animo fugit, quando deserit timore iustitiam. Sicut fugit Secundus vester Tigisitanus, quando Purpurium Limatensem de homicidio confessum, magisque terribilẽ, ne primatum perderet vel episcopatum, timuit. Corpore autem etiam boni illi pastores apostoli in persecutione fugerũt, nec ideo tamen oues Christi cura & animo reliquerũt. Si ergo & tu pastor esses, prior in lupi parte non esses, deinde imperiũ Domini tui, qui seruos suos fugere in persecutionib. iussit, per os cuiuslibet etiam peccatoris obedienter audisses, nec contra Dominum tuum argumentareris & diceres: *Factor legis tantùm debet audiri, quia Paulus apostolus dicit: Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.*

CAPVT XVI. Rom. 2.

Ioannis 10.

Act. 9.

†apud te esse dicis, aut simile quod desiderãtur. Ioan. 10.

Mercenarũ fuga.

Rom. 2.

QVID in aliam sententiam verba manifesta conuertitis? Auditores legis & non factores apud Deum iustos negauit, ab hominibus quando verum dicunt, audiri non prohibuit, ne sicut tu, loqueretur contra Dominum suum dicentem de quibusdam: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Vides quemadmodum Christus & per homines auditores, & prædicatores legis & non factores, alios eam tamen audire præcepit, & eius esse factores: & tu dicis, factor legis tantùm debet audiri: & volens redarguere quasi persecutorẽ tuum, loqueris aduersus creatorem tuum. Peccatori quidẽ dicit Deus: Vt quid tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Sed ideo, quia illi nihil prodest qui dicit, & quod dicit non facit. Prodest autem illi qui etiam per malum bonũ audit, & quod audit facit. Nõ est quidem speciosa laus in ore peccatoris, sed speciosa est in vita moribusque factoris, etiãsi hanc audierit ex ore peccatoris. Quantumlibet ergo existima Tribunum esse peccatorem, & legis non esse factorem; obebedienter tamen audi, non istum, sed illum etiam per istum qui dicit: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Quid statis? audite & fugite, Christus hoc imperat, non Tribunus. Nisi fortè respondes & dicis, Ait quidem Christus, Si vos per-

CAPVT XVII.

Matth. 23.

Psal. 49.

Eccles. 15.

Matth. 10.

persecuti fuerint in ista ciuitate, fugite in aliam: sed quare de ista ciuitate discedam, quando nec iste meus est persecutor, nec ego Christi sum auditor. Ac per hoc si manseris, lupus es sæuiens: si fugeris, lupus es timens. Et quoniam sponsus dicit, Nisi cognoueris temetipsam, ô pulchra in mulieribus, exi tu in vestigiis gregum tuorum, & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum: etiam si te pastorem esse gloriaris, tamen quia de ouili Dominico existi, hædos tuos pascis, non oues Christi.

Cant.

CAPVT XVIII.

VERBA Epistolæ, *Deinde*, inquit, *Quæ loca erunt quæ in hac persecutionis procella vndique perturbata tranquillitate seruandos tanquam in portum recipiant sacerdotes, quando Dominus dixerit: Cùm vos persequi cœperint in hac ciuitate, fugite in aliam? Tutè tunc fugiebant Apostoli, quia neminem pro eis proscribi iusserat Imperator. Nunc verò Christianorum receptores proscriptionibus territi, pericula formidantes, non solùm non recipiunt, verum etiam videre timent quos tacitè venerantur.* AD HAEC Respon. Hoc planè laudo quòd agnoscitis vos, sed quod non vos corrigitis doleo. Quid enim hac tua professione manifestiùs, qua declaras satis non vos ad eorum pertinere consortiũ quibus Dominus ait: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam? Nempe hoc est quod paulo antè dixi, posse te mihi verissimè respondere si dicas, Nec iste meus est persecutor, nec ego auditor sum Christi. Ecce hoc apertissimè dicis, Quomodo enim es auditor Christi, cùm ille suis auditoribus, hoc est, sectatoribus promittat; vsque in finem seculi nõ defuturas ad quas confugiant ciuitates, quandocunque persecutionem passi fuerint, dicens: Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel donec veniat filius hominis? Tu autem in hac persecutione quam vos querimini perpeti, iam deesse vobis dicis loca, quò fugere, & vbi tanquam in portu possitis ab hac tempestate requiescere; loquens contra promissionem Christi, qui dicit, non defuturas ciuitates quò fugiant sui qui persecutionem patiuntur, donec veniat, id est, vsq; ad cõsummationem seculi. Quia ergo ille hoc promisit suis quod vos non inuenitis, profectò ille mentitur, si vos eius estis: sed quia ille non mentitur, vos eius non estis. Ac per hoc nec Tribunus cui rescribis, persecutor est vester, sed persecutor persecutoris vestri, hoc est erroris vestri, quo compulsi talia facitis, vt de illorum genere sitis, de quibus scriptum est, quòd persecutionem passi sunt ab ipsis factis suis. Proinde si intelligatis quid in vobis qui vos diligunt, persequãtur; ipsa sine dubio, à quibus persecutionem patimini, facta mala vestra fugietis, & coniungemini cis qui vt vos liberent, persequuntur vestros persecutores: non enim nisi vestros persequuntur errores.

Matth. 10.

Sap. 11.

CAPVT XIX.

VERBA Epistolæ, *Per opificem*, inquit, *rerum omniũ Dominum Christum omnipotens Deus fabricatum hominem vt Deo similem, libero dimisit arbitrio. Scriptum est enim, Fecit Deus hominem, & dimisit eum in manu arbitrij sui. Quid mihi nunc humano imperio eripitur, quod largitus est Deus? Aduerte vir summe, quanta in Deum sacrilegia perpetrentur, vt quod ille tribuit, auferat humana præsumptio, & pro Deo se id facere inaniter iactet; magna Dei iniuria, si ab hominibus defendatur. Quid de Deo æstimat qui eum violentia vult defendere, nisi quia non valet suas ipse iniurias vindicare?* AD hæc Respon. Secundum istas vestras fallacissimas vanissimasque rationes, habenis laxatis atque dimissis, humanæ licentiæ impunita peccata omnia relinquentur, nullis oppositis repagulis legum, nocendi audacia, & lasciuiendi libido bacchetur, non rex suum regnum, non dux militem, non prouincialem iudex, non dominus seruum, non maritus vxorem, nec pater filium à liberta-

Eccl. 15.

Non pugnat cum libertate arbitrij negata peccandi licentia & impunitas. Vide & lib. 2. cont. Petil. cap 84.

te & suauitate peccandi minis vllis pœnisve compescat. Auferte quod sana doctrina pro sanitate orbis terrarum sapienter per Apostolum dicit, & vt confirmetis in arbitrio tanto peiore, quanto liberiore filios perditionis, delete quod ait vas electionis: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: nõ est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt. Quapropter qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi iudicium acquirunt. Principes enim non sunt timori † boni operis, sed mali. Vis autem nõ timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malè agit. Delete ista si potestis, aut ista sicut facitis, si non potestis delere, contemnite. Habete de his omnibus pessimum arbitrium, ne perdatis liberum arbitrium. Aut certè quia sicut homines hominibus erubescitis, clamate si audetis, puniantur homicidia, puniantur adulteria, puniantur cætera quantalibet sceleris siue libidinis facinora seu flagitia, sola sacrilegia volumus à regnantium legibus impunita. An verò aliud dicitis, cùm dicitis, *magna Dei iniuria si ab hominibus defendatur. Quid de Deo æstimat, qui eum violentia vult defendere, nisi quia non valet suas ipse iniurias vindicare?* Hæc dicentes, quid aliud dicitis, nisi nulla hominis potestas cõtradicat atque obstrepat nostro libero arbitrio, quando iniuriam facimus Deo? O dolor, fraudata sunt tali magisterio tẽpora antiqua, quoniam nondum eras natus, quando sanctus Moyses iniurias suas † leuissimè pertulit, Dei verò seuerissimè vindicauit. Tu autem *doctor hæretica præsumptione inuidiosissimè clamas, *Fecit Deus hominem, & dimisit eum in manu arbitrij sui. Quid mihi nunc humano imperio eripitur quod largitus est Deus?* Hoc videlicet flagitans, vt ad faciẽdas iniurias Deo, qui cum libero arbitrio fecit hominem, liberum arbitrium tibi relinquatur ab homine. Sed illi etiam qui decreto Nabuchodonosor regis, proposita pœna interitus sui, & dispersionis domorum suarum à blasphemãdo Deo Sidrach, Misac, & Abdenago terribiliter prohibebãtur, & acriter si contemnerent, plecterentur, dicere potuerunt quod ipsi dixisti, *Magna Dei iniuria, si ab hominibus defendatur. Quid de Deo æstimat, qui eum violentia vult defendere, nisi quia non valet suas ipse iniurias vindicare?* Hæc verba tua prorsus etiam illi dicere potuerunt, & fortasse dixerunt, etsi non eadem libertate, nõ † dissimili vanitate. Datum est ergo homini quando creatus est, liberum arbitrium; sed vt si esset malefaciens, fieret patiens. Denique illi primi homines cùm peccassent, morte damnati sunt, & prius quàm mors eis extrema etiam corporis suppleretur, in exilium de paradiso missi sunt. Mitiora in vos constituit Imperator, propter mansuetudinẽ Christianam. Exilium vobis uoluit inferre, non mortem: sed vos homines docti considerantes quid debeatur merito, & quid minus sit in supplicio, non de iudicio illius, sed de vestro additis mortem. Nolite perire in æternũ, dum vobis hoc tempore ad offendendum Deum concedi ab hominibus vultis liberum arbitrium. Audi Apostolum, & habebis magnum compendium, quo tibi regia potestas nocere non possit: Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Ex illa & ante nos iusti habuerunt laudem, non solùm qui regibus religiosis fideliter paruerunt, verumetiam qui reges impios pro Dei veritate aduersarios pertulerunt: illi laudem obauditionis, vtrique tamen ex illa, sed bonum faciendo, nõ potestatibus resistẽdo. Quod autem vos facitis, non solum bonum non est, sed grande malum est, vnitatem Christi pacemque conscindere, contra promissa Euangelica rebellare, & aduersus eum de quo dictum est: Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terræ: hoc est, aduersus verum & summum regem Christianorũ, tanquam

Rom. 13.

† al. bono operi, sed malo.

Par causa est hæreseos & schismatis, quæ homicidiorum & adulteriorum.

Moyses suas iniurias leuissimè pertulit, Dei seuerissimè vindicauit.

† al. lenissimè.

* doctior.

Dan. 3.

† simili vanitate.

Exilij pœna Donatistis constituta. Hæreses & schismata omnis supplicium merentur.

Rom. 13.

Psal. 71.

tanquam ciuili bello Christiana signa portare. Suffi-
ciat ergo vobis ad occasionem correctionis, quòd pro
tam magnis malis vestris longè mitiora & minora re-
cepistis, si non vobis vltro quod non Imperator consti
tuit ingeratis: & nolite ad impunitatem licẽtiosam li-
berum arbitrium vobis ab hominibus velle cõcedi, ne
in ipsius Dei manus infeliciùs incidatis. Nam & maio-
res vestri iudicauerunt in huiusmodi iniuriis Dei libe-
rum hominis arbitrium non relinquendum à regibus
impunitum, quia licet haberent causam malam, Cæ-
cilianum tamen episcopum persequendo vsq; ad Im-
peratoris Constantini iudicium perduxerunt.

CAPVT XX. Matth. 5. VERBA Epistolæ, *Nostram verò fidem*, inquit, *quam Dominus Christus Apostolis dereliquit, solæ nobis istæ persecutiones grauissimam reddunt. Felices*, inquit, *eritis, cùm vos persecuti fuerint homines, & maledixerint, & dixerint aduersùs vos omne nequam propter filiũ hominis: gaudete & exultate, quia merces vestra multa est in cælis. Sic enim persecuti sunt & prophetas qui ante vos fuerunt patres eorum. Si tantum solis Apostolis dictum est, & vsque ad ipsos fides habuit præmia, quid proderat postea credituris? Vnde constat omnibus dictum. Deinde dicit apostolus Paulus, Qui volunt in Christo sanctè viuere, persecutionem patiantur necesse est. Hoc autem in Euangelio Dominus dixit: Veniet hora vt omnis qui interficit vos, putet se victimam dare Deo: sed hæc facient, quia non cognouerunt patrem neque me.* 2.Tim.3. Ioan.16. AD HAEC Resp. Rectè ista dicerentur à vobis quærẽtibus martyrum gloriam, si haberetis martyrum causam. Non enim felices ait Dominus qui mala ista patiuntur, sed qui propter filiũ hominis patiuntur, qui est Christus Iesus. Vos autem nõ propter ipsum patimini, sed contra ipsum. Patimini quippe ideo, quia non ei creditis: & toleratis ideo, ne credatis. Quomodo ergo vos eam fidem tenere iactatis, quam Dominus Christus Apostolis dereliquit? An vsqueadeo cæcos & surdos vultis esse homines, vt non legant, non audiant Euangelium, vbi nouerint quam fidem de sua ecclesia Dominus Christus Apostolis dereliquit: ex qua diuisi atque separati, nihil aliud facitis quàm contra verba capitis & corporis rebellatis, & tamen propter filium hominis ac fidem quam reliquit Apostolis, vos persecutionem sustinere iactatis? Omittamus alia, & nouissima verba eius in terris audiamus, vbi videamus quam fidem de ecclesia reliquit Apostolis, quale testamentum quodammodo fecerit, non vitam finiturus, sed sine fine victurus; non mittendus in sepulchrum, sed ascensurus in cælum. Surgens enim à mortuis posteaquam apparuit discipulis suis intuẽdus oculis, manibusq; tractandus: Oportebat, inquit, impleri quæ scripta sunt in lege & prophetis & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas, & dixit eis: Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat pati Christum, & resurgere tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiã & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Itemq; in mõte Oliueti, postquam nihil vlterius in terris positus dixit, sed quod maximè fuerat necessarium, hoc commendauit extremum. Multi quippe erant futuri per vniuersas partes terræ, vendicaturi sibi nomen ecclesiæ, & cõtra vniuersam domum quæ per vniuersam terram cantat canticum nouũ, de quo scriptum est: Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra: de suarum quisq; ruinarũ angulis latraturi. Aliud namq; Apostoli audire cupiebãt, & quod illis maximè fuerat necessariũ, non quærebãt. Dic nobis, inquiunt, si in tempore hoc præsentaberis, & quando regnũ Israel? At ille: Non est, inquit, vestrũ nosse tẽpora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalẽ, & in totam Iudæam & Samariam, & vsq; ad terminos terræ. Luc. 24. Psal. 95. Act. 1.

His dictis nubes suscepit eũ. Nihil vlterius verbis addidit: hoc tanto tenacius, quanto posterius audientium mentibus fixit. Hanc spõsam suis amicis sponsus abiẽs commẽdauit. Hanc ergo de sancta ecclesia † discipulis dereliquit: huic fidei Donatistæ resistitis, & pro fide quã Dominus Christus reliquit Apostolis, vos persecutionẽ ferre contenditis: huic hominis filio qui ecclesiã suam incipientẽ ab Hierusalem, & per omnes gentes fructificantẽ atq; crescentẽ, tanta diligẽtia commẽdauit, mira cæcitatis impudentia cõtradicitis, & propter filiũ hominis vos mala sustinere clamatis. An hoc fortassis ideo dicitis, quia vobis aliũ filium hominis inuenistis, cuius nomine vocitemini, de cuius parte dicamini? Erratis, non est ipse, quãdo propter filiũ hominis pati persecutionẽ felicitatis esse dicebat, seipsum ille sponsus, non adulterũ prædicabat. Et nos confitemur, vt dicitis, nõ solis Apostolis esse dictũ, Beati eritis cùm vos persecuti fuerint homines. Ad omnes enim hoc pertinet, non qui post illos quãlibet persecutionẽ passi sunt, siue patiũtur, siue qui passuri sunt, sed qui propter iustitiã, sicut & ipsi. Nam hoc paulò superius dixerat, Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiã, quia ipsorum est regnum cælorum. Deinde ista subiunxit, quę commemorare & frustra vobis vsurpare voluistis. Frustra enim beatitudinem istam pertinere ad vos putatis, quando in vobis iustitiã cui † primi debeatis, non demonstratis: quinimo è contrario etiã pro iniquitate patimini, minus ab aliis, plus à vobis, vt ante Dei iudicium quod futurum est, etiã ipsi vobis quod meremini, ex aliqua parte reddatis. Vnde quia tu ipse dixisti, non hoc solis Apostolis, sed omnibus dictum, ne vsq; ad illos fides præmia habuisse videretur. Sicut hoc ergo nõ solis Apostolis, sed omnibus dictum est, qui etiã post illos propter iustitiam fuerant mala quæcunque passuri, sic etiam omnibus illud dictum est: Si vos persecuti fuerint in ista ciuitate, fugite in aliam. Quare hoc non facitis, si ad eorum societatem quibus hęc dicta sunt pertinetis? Quod quidem & si feceritis, non ideo pertinebitis, quia & latrones hoc facere possunt, quos inquiri leges publicæ iusserunt. Verũtamen quia hoc facere non vultis, de compendio vos ad istos quibus hæc dicta sunt, non pertinere monstratis. Et vt vos multò manifestiùs ipsa excusatio vestra ab illo numero virorum Christianorum ostendat alienos, loca quò confugiatis, quæ ille vsque in finem seculi non defutura promisit, vobis deesse iam dicitis, nullo modo illum quòd falsa promiserit conuincentes, sed vos ad eorum consortium quibus hoc promisit non pertinere monstrantes, & ideo non veraces martyres, sed hæreticos vos esse fallaces. Quid vobis vlterius dicamus quando lingua vestra vos vincit?

† fidem, aut quid aliud deesse videtur. Matth. 5. † For. præmium debeatur. Matth. 10.

NAM & illud quod addidisti dixisse Apostolum: CAPVT XXI. 2.Tim.3. *Omnes qui in Christo piè viuere volunt, persecutiones patiantur necesse est*: non quidem ille dixit, necesse est: sed, omnes ait qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patientur. Sed vos ad istos non pertinere quis dubitat? Si enim & vos estis, de quibus hoc dixit Apostolus, quare non facitis quod ipse fecit Apostolus? Nam si portæ aduersùs vos clauderentur, per murum submitti debuistis, vt manus persequentium fugeretis. Patent portæ, & exire non vultis. Quam persecutionem patimini, nisi à vobis? Diligit vos persecutor vester, & persequitur vos furor vester. Ille vt fugiatis cupit, iste vt pereatis impellit. Sic autem intelligitis quod ait Apostolus, Omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patientur, vt maiores vestros sub apostata imperatore Iuliano non piè vixisse vobis necesse sit confiteri. Nam quisquis illo tempore Donatista factus est, donec aduersùs vestrum rursus errorem pia Christianorũ imperatorum cura consurgeret, si antè defunctus est, non piè vixit, quia non est passus

Ieb 7. Persecutionem quando pij omnes patiantur.

passus persecutionem: Si autem hoc propterea dixit Apostolus, quia sicut alibi scriptum est: Tentatio est vita hominis super terram: nec cessat pios verosque Christianos non solùm aduersitatis infestatione, verumetiam prosperitatis seductione tentare, vt animus humanus aut afflictione succumbat, aut elatione vanescat: profectò quãdiu hic viuitur, omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patientur, vt aut victi comprehendantur à diabolo; aut probati diabolum vincant: quos autem comprehensos captiuosque iam possidet, nõ vt obtineat persequitur, sed quia obtinet vtitur. Porrò si persequi tantum modo ille dicendus est, qui dolore aliquo excruciat, qui se vult tenere vt excruciet, non tibi videatur excruciator cordis leuior esse quàm corporis. Et considera qualem persecutionem patiebatur, qui dicebat in Psalmo: Vidi insensatos, & tabescebam. Hãc persecutionem Loth iustus patiebatur in Sodomis, etiã prius quàm in domo eius angeli hospites eius, cùm homines putarentur, à Sodomitis appeterentur ad stuprum. Iustus enim eos tam publicè turpes, & ante suæ domus iniuriam sine magno cordis cruciatu videre non poterat. Psal. 118. Gen. 19. 2.Pet. 2.

CAPVT XXII. 2.Cor. 11. VNDE inter suas persecutiones etiam talia cõmemorat Apostolus Paulus, dicens: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scãdalizatur, & ego non vror? Proinde quanto maior est in nobis charitas Christi, tanto maiore cũ dolore animi vos videmus habere sacramẽta Christi, & separari à mẽbris Christi, & rebellare cõtra pacẽ Christi. Sed quãdiu in hoc corpore viuitis, spes nobis aliqua de vobis datur: cùm verò iam in illa disséfione morimini, multò amariùs vos dolemus. Iã porrò quãdo vosipsos necatis, vel irruẽdo armis alienis, vel præcipitiis & submersionib. & ignibus vestris, satis dici non potest, quãto nos mœrore crucietis. Plus quippe impius Absalon patrem sanctum Dauid extinctus, quàm rebellis afflixit. Viuum namque eum comprehendi cupiebat, vt qui malitia grassabatur, pœnitẽtia sanaretur. Erat ergo ille persecutor patris, non solum populum Dei diuidendo, nec solùm contra Dei legem, & contra legitimum patris regnum arma portando atque bellando: sed multò amplius persecutus est cor paternum, in illa impietate moriendo. Deniq; illum pater optimus pessimum filium, quem non desperando non defleuerat viuum, spe finita fleuit occisum. Discite ergo quid sit quod Apostolus ait: Omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionẽ patientur. Si catholicorum domus Donatistæ non diripuissent, si catholicas ecclesias non incendissent, si catholicorum codices sanctos in ipsa incendia nõ misissent, si catholicorum corpora non immanissimis cædibus afflixissent, si catholicorum membra nõ præcidissent, si oculos non extinxissent, si denique catholicos non crudeliter occidissent: hanc solam nos à vobis grauissimam persecutionẽ perpeti verissimè diceremus, quia videmus vos insensatos, & tabescimus: quia infirmatos, & infirmamur: quia scandalizatos, & vrimur: quia perditos, & lugemus. Hæc mala vestra quæ vos in æternum interitum mittunt, amariùs nos persequuntur, quàm illa quę à vobis nostris corporibus, vel rebus, vel domibus aut basilicis inferuntur. Minus persequimini, cùm in nos sæuitis, quàm cùm vos peritis. Denique in illa persecutione qua in nos sæuitis, cum laude gaudemus: in hac autem qua vos peritis, si gauisi fuerimus, vobiscum perimus. Sed quamdiu in hac carne viuitis, de vobis desperare non possumus: cùm verò in hac impietate morimini, maximè cùm vosipsos horrẽda cæcitate furoris occiditis, amarissimam tristitiam nostram illud tantumodo consolatur, quod consolatum est sanctum Dauid, in vnitate scilicet Dei populus congregatus, qui fuit scelerati filij tyrannide diuisus. Tolerabilius enim longè pauciores pertinacissimi vestri suis præcipitiis vel submersionibus vel ignibus pereunt, quàm innumerabiles populi illis eorum salutem impedientibus, incẽdio cum illis æterni ignis ardebunt. Nunquam igitur ecclesię Christi defuit aut deerit, vnde secundũ Apostolum, Qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patiẽtur, aut impiorum malitiam sustinendo, cùm innoxiè viuunt; aut eos dolendo, cùm pereunt. 2.Tim. 3. 2.Tim.3. Scilicet Donatistarum sum mum comprehensa.

CAPVT XXIII. Ioan. 16. NOLITE itaque falli, quòd vobis dictum sit, Veniet hora quando qui vos occiderint, putent se officiũ facere Deo: Aut sicut tu hic testimonium posuisti, putent se victimam dare Deo. Non quidem hoc esse dictum de persecutionibus quas gentes ecclesiæ fecerunt, manifestum est. Diis enim suis plurimis, qui vtiq; non sunt, deputauerunt se gentiles officiũ facere, cùm hoc facerent vni Deo. Vnde hoc idem quod Dominus prædixit suis, aut per Iudæos impletum est, qui sanctum Stephanum & multos alios occiderunt, dum putabant se officium Deo facere, quoniam vnum verum Deum colere videbantur: aut etiam nobis, id est, catholicis dictum est de diuersis hæreticis vsquequaq; furentibus, qui vbi possunt, & quãdo possunt, & quomodo possunt occidendo catholicos, putant se officiũ Deo facere, maximeque de vobis, qui præcipuum vobis nomẽ fecistis in Aphrica de talibus victimis. Nam si vobis dictum esset, non vtique vosipsi occideretis, sed expectaretis à nobis potius occidi qui putamus nos, vt dicitis, cùm id facimus, officium Deo facere. Nunc verò cùm festinatis ad mortem, ne à nostris teneamini, viuere metuitis, non occidi, quia erubescitis corrigi, aut de vitio cõuinci. An fortè vos estis ad quos vtrumque pertineat, quia cùm occidimur & nos à vobis, putatis vos officium Deo facere, & has ei victimas de nobis dare? Ad vos ergo pertinet quod sequitur, atque abs te commemoratum est. Mox enim Dominus adiunxit & ait: Sed hæc facient vobis, quia non cognouerunt patrem neque me. Cùm itaque vosipsos occiditis, putãtes vos officium Deo facere, nec patrem cognouistis, quem non audistis dicentem, Fugite. Ioan. 16.

CAPVT XXIIII. Ioan. 14. VERBA Epistolæ, *Sed belliferæ*, inquit, *pacis cruentęq; vnitatis se incolas iactant. Audiant Dominum dicentem, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: Non sicut seculum dat, ego do vobis. Seculi enim pax inter animos gentium dissidentes armis & belli exitu fœderatur: Domini Christi pax salubri lenitate tranquilla, volentes inuitat, non cogit inuitos.* AD HAEC Respond. Vos quidem belliferam pacem, & cruentam vnitatem facere cupitis, aut violentis mortibus nostris, aut voluntariis mortibus vestris; non imputantes vobis quod facitis nobis, & imputãtes nobis quod facitis vobis. Sed nos & quod facitis nobis cogimur sustinere, & quod vobis facitis, nihil possumus quàm dolere, dum tamen fiat pax & vnitas Christi propter salutem multorum, sicut fit in plurimis, etiamsi propter furorem paucorum non fit in omnibus. Nam si non inuido, sed fideli oculo velletis attendere, videretis quàm vera pace atque vnitate Christi gaudeant, qui ex vobis ad nos venerunt, tot tantorumque populorum agmina, in quibus etiamsi adhuc sunt nonnulli ipsa nouitate turbati, & ipsi paulatim ab hac infirmitate sanantur. Et si ficti aliqui perseuerant, non vtique propter ipsos non fuerant colligendi quos videmus veraces, quorum quidam in regionibus nostris, etiam quibusdam vestris nostri maiores apparuerunt, quando vobis illa perditionis libertate concessa, ad vos redire noluerunt. Debebamus ergo ne perderemus istos, colligere & fictos, quia in Euangelio legitur, seruos ad nuptias Domini sui congregasse conuiuas bonos & malos: maximè quia vos de area Dominica superbiæ spiritus tanquam improbus ventus, ante tempus ventilationis excussit, vnde vos ad illam quantum opitulantes Ioan. 14. Factum id est in illa apostatæ temporibus. Matth. 22.

lante Deo possumus, reuocare conamur. Et vtique A nostis quemadmodum scopis diligentiæ frumentum simul etiam cum terra trahitur, quando in aream reuocatur.

CAPVT XXV. *Ad veritatem recipiendam cogendi sunt etiam inuiti. Ioan 3.*

QVOD autem vobis videtur, inuitos ad veritatem non esse cogendos, erratis nescientes Scripturas, neq; virtutem Dei, qui eos volentes facit dum coguntur inuiti. Nunquid enim pœnitentiam Niniuitæ inuiti egerunt, quia hoc rege suo compellente fecerũt? Iam enim propheta iram Dei vniuersę ciuitati eam triduo perambulans prænunciauerat. Quid igitur opus erat regis imperio, vt humiliter supplicaretur Deo, qui nõ intuetur ora, sed corda; nisi quia erant in eis quidam qui nec curarent, nec crederent prædicta diuina, nisi terrici potestate terrena? Ista igitur iussione regiæ potestatis, contra quam voluntarius fit vester occasus, multis ad salutem quæ in Christo †, præstatur occasio, qui etsi violenter adducuntur ad cœnam tanti patrisfamiliâs, & compelluntur intrare, intus tamen inueniunt vnde se lætentur intrasse. Vtrumque enim futurum Dominus ipse prædixit, & vtrumque compleuit. Nam reprobatis quibusdam, qui vtique intelliguntur Iudæi, quia ipsi per prophetas antea fuerant imitati, & ad horam excusare maluerunt: ait dominus seruo suo: Exi in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cęcos & claudos introduc huc. Et ait seruus domino, Factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo, Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea, Intelligimus vias, hæreses: schismata, sepes. Viæ quippe hoc loco significant diuersas opiniones, sepes autem peruersas opiniones. Quid ergo miramini, si non corporalis cibi, sed spiritalis fame moritur, quisquis ad istam cœnam nec libenter introductus, nec violenter impulsus ingreditur?

† est, *aut simile quid deest.*

Luc. 14.

Viæ & sepes quid in euangelica parabola significent.

CAPVT XXVI. Mat. 15.

VERBA Epistolæ, *Odio*, inquit, *seculi gaudemus, in C eius pressuris non succumbimus, sed lætamur. Mundus hic non potest seruos Christi diligere, qui Christum cognoscitur non amasse, Domino ipso dicente: Si seculum vos odit, scitote quia me primum odio habuit quàm vos. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* AD HÆC Resp. Quo gaudentes odio seculi, pressuris eius non succumbitis, sed lætamini, cùm vosipsos velitis occidere, ne molestias quale scunque patiamini: & mori eligitis, non ab aliis occisi pro veritate Christi, sed à vobisipsis pro parte Donati? Ista Circumcellionum est insania, non martyrum gloria. Cùm itaque appareant facta vestra, quid vobis verba vsurpatis aliena? *Mundus iste*, inquit, *non potest seruos Christi diligere, qui Christum cognoscitur non amasse.* Non ergo ad mundum istum pertinemus nos, quia diligimus vos. Sed serui Christi vos non estis qui malum pro bono retribuentes, & malitiam vestrã quando in nos exercere non potestis, in vos retorquentes, nec nos diligitis, & vos occiditis. Dominus autem D quãdo dixit, si seculum vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit: si me persecuti sunt, & vos persequentur: non vobis, sed illis dixit quibus præcepit, vt si eos persequerentur in ista ciuitate, fugerent in aliam: quod vos non facitis. Illis dixit, ad quas ciuitates confugerent vsque in finem seculi non defuturas, quas vos querimini vobis iam deesse, nec vultis fateri eos quibus hæc dicta sunt vos non esse.

Ioan. 15.

Matth. 10.

CAPVT XXVII. Apoc. 6.

VERBA Epistolæ, *Sed & si persecutio conquiescat*, inquit, *vnde martyrum numerus adimpletur, Ioanne dicente: Vidi*, inquit, *animas occisorum sub ara Dei exclamantium & dicentium, Quamdiu Domine non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant super terram? Et acceperunt singuli stolas albas, & dictum est eis, vt requiescerent adhuc paucum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum, qui incipiẽt interfici sicut & ipsi.* AD HÆC Resp. Si sub ara Christi martyres esse velletis, non vosipsos incendendo sacrificium diabolo faceretis. Quis enim gaudet de isto furore vestro, nisi diabolus, qui eum vobis inspirat, & qui sunt ex parte illius? Ipse est qui illum puerum de quo in Euangelio legimus, mittebat aliquando in aquam, aliquando in ignem: & ipse & illum gregem porcorum prœcipitem fluctibus mersit. Ipse vt se de pinna templi præcipitaret, etiam ipsi Domino audacissima tẽtatione suggessit. Ad diabolum sine dubio pertinetis, cum tria genera mortis, aquam, ignẽ, præcipitium in vestris mortibus frequentatis. Si enim mentes non dementia perderetis, ista ipsa verba quæ de sancto libro posuisti, ab isto interitu quem vobis ingeritis, vos reuocare deberent. Quid enim animæ martyrum sub ara Dei dicunt? Quamdiu Domine non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant super terram? Vindicari poscunt sanguinem suum, in eis vtique à B quibus fusus est. Nunquid in aliis? Ac per hoc vindicabitur vester in vobis. Quid est autem stultius, quàm quòd putatis prophetiam istam de martyribus, qui futuri prædicti sunt, non nisi in Donatistis esse completam: quasi posteaquam hoc scripsit beatus Ioannes, nulli martyres sint occisi, quousq; exurgeret pars Donati, qui si quando alios non possunt, seipsos occidunt, qui faciunt opera latronum & dæmonum, & gloriam sibi vendicant martyrum? Quod si tanto temporis interuallo, id est, à Ioanne vsque ad istos nulli occisi essent martyres veri, vt nihil aliud vel temporibus Antichristi diceremus futuros, in quibus ille martyrum numerus compleretur, nec tamen istos vel alieni, vel sui sanguinis reos accrescere numero verorũ martyrum crederemus, quibus dictum est vt requiescerent paruum tempus, donec impleretur numerus fratrũ ipsorum, qui inciperet interfici, sicut & ipsi, ab aliis vtique non à seipsis sicut isti, & ideo isti non sicut ipsi: Possumus etiam verissimè dicere ipsos quoque Donatistarum temporibus catholicos quos occidunt, ad supplementum illius numeri pertinere. Sed cùm post apostolum Ioannem, qui futura illa conscripsit, tanta strages martyrum interficientibus impiis vsquequaque in tam multis gentibus facta sit, quid sibi volunt isti suarum animarum extortores, & alienarum tortores, vt quod de martyribus sanctis legunt esse prædictum, de se iactent esse completum? Præparate vos potius, vt vester sanguis non in eis, qui vos vel comprehendere vel fugere cupiunt vt viuatis, sed vt in vobis potius vindicetur. An fortè ne hoc fiat, ideo non eum funditis, sed aut præcipitio colliditis, aut vnda suffocatis, aut in cinerem conuertitis? Sed erratis, vindicabitur in vobis, quocunque modo perimatur à vobis. In vobis enim vindicaretur, si non in ecclesia Christi, sed in parte Donati ab aliis funderetur. Itáne vos clamabitis ad Deum, vt vindicet sanguinem vestrum, & exaudiet vos, nisi damnauerit vos? Quomodo enim vindicetur, nisi qui eum ausus est trucidare damnetur? In hac ergo voce non estis nisi accusatores vestri, quia vos estis rei sanguinis vestri. Nec Deus nisi vos damnabit, quando à vobis vel collisum, vel suffocatum, vel exustum, vel quocunque pacto trucidatum, vel si hoc elegeritis, effusum sanguinẽ vestrum vindicabit.

Mat. 17.

Tribus potissimum mortis generibus perimebant se Donatistæ, aqua, igne, præcipitio.

Apoc. 6.

Antichristi temporibus complebitur martyrum numerus.

CAPVT XXVIII. Mat. 26.

VERBA EPISTOLAE, *An non ista*, inquit, *persecutio est, quæ tot milia innocentum martyrum arctauit ad mortem? Christiani enim secundum Euangelium spiritu prompti, sed carne infirmi, à sacrilega contaminatione caminorum reperto compendio suas animas rapuerunt, imitati presbyteri Raziæ in Macchabæorum libris exemplum, nec frustrà timentes: Quisquis enim eorum manus inciderit, non euasit. Sed quantum velint faciant, quod certum est, Dei esse non possunt qui faciunt contra Deum.* AD HAEC Resp. Apertissimè omnino quam persecutionem patiamini & verissimè cõfiteris.

2. Mach. 4.

Ipsa

Sapien. 11. Ipsa est enim de qua iam dixi, quę in sanctis Scripturis A de quibusdam impiis satis euidenter expressa est, de quibus dictum est, quia persecutionem patiuntur ab ipsis factis suis: quod quidem dici de vobis conuenientissimè potest, etiam si vos aliorum manus propter vestra sacrilegia trucidarent. Nam & latrones & quilibet homines rei criminum capitalium, cum iustis legibus puniuntur, non dicendi sunt persecutionem pati, nisi ab ipsis factis suis. Sed nunc planè cum parcente vobis mansuetudine Christiana, ita in vos sæuit vestra dementia, vt quemadmodum dicis, caminorum reperto compendio, vestras animas rapiatis, omnimodo vos à vobisipsis pati persecutionem, nimia est impudentia si negatis; quando vos vtrumque completis, & vnde iustè pereatis, & quòd peritis. Sic autem dicis tot hominum milia esse qui hoc faciunt, quasi non etiam ista sit non parua causa, cur ab huiusmodi magisterio vestro Aphrica liberetur. Eorum est enim hominum genus cui hoc malum persuadere potuistis, qui solent hæc & antea facere maximè cum idololatriæ licentia vsquequaque ferueret, quando isti Paganorum armis festa sua frequentantibus irruebant. Vouebant autem Pagani iuuenes idolis suis quis quot occideret: At isti gregatim hinc atque inde confluentes, tanquam in amphitheatro à venatoribus more immanium bestiarum venabulis se oppositis ingerebant, furentes moriebantur, putrescentes sepeliebantur, decipientes colebantur. Præter hæc sunt saxa immania, & montium horrida prærupta, voluntariorum creberrimis mortibus nobilitata vestrorum: aquis & ignibus rarius id agebant, præcipitiis greges consumebantur ingentes. Ætatis nostræ hominibus res notissimas loquor. Quis enim nescit hoc genus hominũ in horrendis facinoribus inquietũ, ab vtilibus operibus ociosum, crudelissimum in mortibus alienis, vilissimum in suis, maximè in agris territans, ab agris vacans, & victus sui causa cellas circumiens rusticanas, vnde & Circumcellionum nomen accepit, vniuersò mundo penè famosissimum Aphricani erroris opprobrium?

Donatistæ vel nos se Paganis occidendos ingerebant.

Circumcelliones vnde dicti.

CAPVT XXIX. Ex hoc igitur genere, quis ignorat quàm multi antea per diuersas mortes ibant & peribant, & nunc in illorum cõparatione quàm pauci suis ignibus ardeãt? Sed si putas moueri nos oportere, quia isto modo tot milia moriuntur, quantum existimas nos habere consolationis, quòd à tanta dementia partis Donati, vbi non solùm nephariæ diuisionis error, verumetiam furor iste lex facta est, longè atque incomparabiliter plura milia liberantur? Neque enim isti qui pereunt, illorum saluti numero æquantur; qui ex ipso genere nunc iam tenentur ordine disciplinæ, colendisque agris amisso Circumcellionum & opere & nomine inseruiunt, seruant castitatem, tenent vnitatem: quanto minus coæquantur isti perditi numero vtriusque sexus, non solùm puerorum & puellarum, iuuenum & virginum, verumetiam coniugatorum & senum, quorum innumerabiles ex Donatistarum nepharia dissensione, in pacem Christi veram & catholicam transeunt. Isti quippe qui se incendunt, nec tot homines D sunt quot loca sunt populis plena, quę ab exitiali peste erroris illius & furoris, per hanc instantiam perficiendæ vnitatis eruuntur: Nunquid nam obsecro sanum misericordiæ potest esse consilium, vt simul cum illis isti omnes æternis gehennarum suppliciis † eruantur, ne illi in istorum comparatione perpauci suorum caminorum ignibus exurantur? Vt enim omnes cum Christo viuant, magnis conatibus & votis agendum est: sed si hoc per quorundam furorem fieri non potest, saltem vt non omnes cum diabolo pereant, laborandum est.

Innumeri Donatistæ post Collationem Carthaginiensem ad pacem catholicam sunt reuersi.

† For. vrantur.

CAPVT XXX. SANE de Scripturis sanctis sagacissimè inquirens, si quid proferre posses pro ista spontaneæ mortis sen-

August. tom. 7.

tentia insana, inuenisse te aliquid putas, quia scriptum est in Euangelio, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: tanquam ideo se quisque occidere debeat, quia infirmus est. Ad passiones inter manus persequẽtium sustinendas non potuisti citius dicere falsos martyres vestros ex illorum esse numero, de quibus scriptum est, Væ iis qui perdiderunt sustinentiam: Et ad illos prorsus non pertinere quibus Dominus dicit, In vestra patientia possidebitis animas vestras. De quibus autem legitur, Spiritus promptus est, caro autem infirma: somno non voluntario premebantur, non interitu voluntario necabantur. Diligenter lege, & quid loquaris attende. Vbi est quod Apost. ait, Fidelis Deus qui non permittet vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere? Itáne credendum non est huic apostolicæ veritati, & inimicos debemus nosipsos habere, quia inimicos non possumus alios sustinere? Absit hoc à cordibus Christianis, Planè fideli Apostolo, imo ipsi fideli B Deo, qui non sinit suos tentari suprà quàm ferre possunt, sed facit cum tentatione etiam exitum, vt possint sustinere, credant catholici, non credant Donatistæ, & ne semper ista non credant, non sint Donatistę. Quando enim desperatur in quibusque passionibus, à Domino impetranda sapientia? Et ideo quæritur cõpendium caminorum, vbi se isti non quidem feris, vt ait beatissimus Cyprianus, sed tamen flammis obiiciunt quos nemo damnauit. Non est hoc consilium, sed furor: non est sapientia, sed amentia. Habeant isti incendia sua, qui non dicunt de adiutorio Domini, quoniam ab ipso patientia mea. Certè sanctus Iob quando à capite vsque ad pedes intolerabili vulnere putrescebat, & doloribus excruciabatur immanibus, hoc vestrum compendium habebat in promptu, quo se ab huiusmodi vita horrendis calamitatibus plena, in qua proculdubiò manebat, nolebat eripere. Potestas vtique aderat, sed iustitia non sinebat. Secundum hoc enim dicit, Atque vtinam possem me occidere, C aut rogare alium vt faceret mihi hoc. Negauit se posse iustus, quod per iustitiam fieri non poterat. Eo loquẽdi modo & Apostolus ad Galatas dicit, Testimonium vobis perhibeo, quia si fieri posset, oculos eruissetis & dedissetis mihi. Cur enim & hoc fieri non posset, nisi quia iustè fieri nullo modo posset? Sic & Dominus eũ per angelos suos iustum Loth de Sodomis exeuntem vrgeret vt properaret in Segor, Non enim, inquit, potero facere rem, donec tu illò intro eas. Non posse se dixit, quod sine dubio poterat per potentiam, sed non poterat per iustitiam. Posset enim patientissimus Iob, vt nihil aliud, vel cibum vel potum non sumere, atque ita illam vitam ærumnosam horrendamq; consumere: sed hoc iustè facere non posset, quoniam nulli fas est, seipsum occidere, maximè cùm vt possit viuere, possit fugere. An hoc aliquis dubitauerit, quod ille vir sanctus qui tam multa in suis doloribus loquebatur, rogare vt hoc sibi fieret aliquem posset? Neque enim non, dolenti & putrescenti manus defuit ad perimendum, & lingua defuit ad rogandum. Certè vel ipsam D coniugem suam poterat hoc rogare, quæ tamẽ vt hoc fieret nec ipsa suggessit, quæ illum mori per eius blasphemiam Deo irascente cupiebat, ideoq; aliquid in Deum consilio nefando, tamen vt ipse se occideret ei dicere non audebat. Plus iuris in vos diabolus habet, qui vobis tam facilè persuadet, quod insipienti mulieri persuadere non potuerat, quam sibi ministram ad decipiendum virum, suis illi ablatis omnibus, reseruauit. Dixit itaque se iustus ille non posse aliquem rogare vt eum interficeret, etiam id ostendens vtique non licere. Quod enim non potest iustè, non potest iustus: quoniam hoc decernẽdo prius amittit iustitiam, vtquod non potest iustus, possit iniustus. Sic ergo dixit, Atq;

Mat. 26.

Lib. de laude martyrij ad Moysen & Maximum.

Psal. 61.

Iob 30. secundum 70.

Gal. 4.

Gen. 19.

Non posse, intelligendum dicimur, non per potentiam, sed iustitiam.

Iob 2.

xit, Atque vtinam possem meipsum interficere: tanquam diceret, atque vtinam iustum esset; tunc enim à iusto fieri posset. Neque enim vt hoc posset, quod non potest nisi iniustus, iniustitiam sibi optaret. Sed si fieri posset, hanc vellet esse iustitiam: quod fieri quia non potuit, vt hæc esset iustitia, non potuit iustus quod sola faceret iniustitia. Ac per hoc non est iniustum homini iusto optare mortem, quando amarissima est vita. Sed si Deus optatam non dederit, non erit iustum nisi tolerare eam amarissimam vitam. Sicut à iusto nec illud alienum est vt optet vitam, quando amara mors imminet, sed cùm se videt eam impetrare non posse, dicit quod nos in se transfigurans, Dominus ait, Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis pater. Hæc autem illis dicenda sunt, quos ad mala gerenda quærunt qui persequuntur, non quos ad bona participanda qui diligunt. Eis, inquam, dicenda sunt ista, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, non qui eam sibi faciunt propter iniustitiam.

Matth. 26.

CAPVT XXXI. Nemini fas esse sui ipsum occidere.

PROINDE etiam senior ille Razias, quem sibi isti exemplis sui sceleris destituti, de Machabæorum libris tanquam imitandum se inuenisse gloriantur, hoc facere debuit quod in eisdem literis leguntur septem illi fratres etiam exhortante matre fecisse, vt comprehensus, & à lege Domini sui non auersus omne quod ei applicitum esset acciperet, & in dolore sustineret, & in humilitate sua patientiam haberet: quocirca humilitatem inter manus inimicorum non valens ferre, non planè sapientiæ, sed insipientiæ dedit exemplum, non Christi martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum. Veruntamen si diligentius consideremus, & ab isto apparetis alieni. Iste quippe cùm iam comprehenderetur ab hostibus, non habuit liberam fugam, ideo se gladio percussit, & cùm perimere non potuisset, de muro se præcipitauit. Deinde abruptam petram, cùm iam viuere non posset, adhuc tamen spirans, & corpus impetu mouens, currendo, licet exanguis, obtinuit: vbi vtraque manu producta sua intestina discerpsit, dispersit, occubuit: turba ita circundatus vt euadere non posset, & si viuere posset. Vos igitur qui nec Deum auditis dicentem, fugite; nec imitamini Raziam, qui voluit, nec potuit fugere: profectò quia non habetis illum in præcepto, nec habetis istum in exemplo. Quid, quòd iste Razias secundum vestram rationem sine dubitatione culpandus est? Dixisti enim propter Euangelicam sententiam, vbi Dominus ait, Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: vos ad caminorum fugisse compendium, quia videlicet infirmi estis perferre manus inimicorum, si ab eis comprehensi fueritis. Ergo illius qui se gladio grauiter vulnerauit, qui vulneratus murum petiit, qui se inde in ceruicem præcipitem dedit, qui & postea potuit ad petram currere, in petra stare, intestina educere, carpere, spargere, nunquid dici potest spiritus promptus, caro autem infirma, cuius non solùm spiritus tam promptus apparuit, sed etiam caro tam firma, vt vix credibile sit eum facere voluisse ac valuisse quæ fecit? Itaque vobis oportet iste displiceat, qui rationem vestræ infirmitatis sua firmitate perturbat. Porrò si fugere valens, nec volens, in domum suam ligna congessisset, atque irruentibus inimicis vt eum comprehenderent ignem supposuisset, seque cum suis ædibus concremasset, vobis quidem præbuisset exemplum, sed sibi acquisisset grande tormentum. Nunc enim quoniam fugere non valuit, aliquanto minus est fortasse sui sanguinis reus, quòd sibi intulit mortem; quam comprehenso inimicus iam fuerat illaturus. At enim sanctarum Scripturarum authoritate laudatus est Razias. Quomodo laudatus? Quia fuit amator ciuitatis. Hoc potuit & carnaliter, ciuitatis videlicet illius terrenæ Hierusalem, quæ seruit cum filiis suis, non autem illius quæ sursum, liberæ matris nostræ. Laudatus est, quia continentiam seruauit in Iudaismo: & hæc sibi in comparatione iustitiæ Christianæ damna & stercora fuisse dicit Apostolus. Laudatus est, quia pater Iudæorum appellabatur: hoc magis est, vnde & illi tanquam homini subrepsit humilitatis impatientia, vt prius mori vellet quàm hostibus subiici. Dictum est quòd elegerit nobiliter mori: melius vellet humiliter, sic enim vtiliter. Illis autem verbis historia gentium laudare consueuit, sed viros fortes huius seculi, non martyres Christi. Dictum est quòd se viriliter de muro præcipitauit in turbas, nec nos dicimus eum hoc fecisse muliebriter: quanquam vos qui multum exemplo isto profecistis, etiam feminas vestras hoc facere docuistis. Sed fatemur hoc etiam ipsas non facere muliebriter, sed viriliter; non tamen salubriter, quia non fideliter. Ad extremum quòd inuocasse dictus est dominatorem vitæ ac spiritus, vt hæc illi iterum redderet, id est, vitam & spiritum, nec tunc aliquid poposcit, quo boni discernuntur à malis. Reddet enim hæc Deus & his qui malè egerunt, non in resurrectione vitæ æternæ, sed in resurrectione iudicij æterni. Laudatus est itaque iste Razias amator ciuitatis, vt valde bene audiens, id est, bonæ famæ, quia pater Iudæorum appellatus est, & quòd continentiam tenuerit in Iudaismo. Istam verò eius mortem mirabiliorem quàm prudentiorem narrauit quemadmodum facta esset, nõ tanquam facienda esset Scriptura laudauit: Nostrum est autem sicut Apostolus admonet, omnia probare, quæ bona sunt tenere, ab omni specie mala nos abstinere. Et hanc quidẽ Scripturam quæ appellatur Machabæorum, non habent Iudæi sicut legem & Prophetas & Psalmos, quibus Dominus testimoniũ perhibet tanquam testibus suis, dicens, Oportebat impleri omnia quę scripta sunt in lege & prophetis & in psalmis de me: sed recepta est ab ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur, maximè propter illos Machabæos qui pro Dei lege sicut veri martyres à persecutoribus tam indigna atque horrenda perpessi sunt, vt etiam hinc populus Christianus aduerteret, quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, pro quibus passus est Christus: si tanta patientissimè pertulerunt pro lege quam dedit Deus per famulum hominibus illis pro quibus nondum tradiderat filium. Quanquam & iste Razias habeat quod legentibus prosit, non solùm vt mens exerceatur rectè iudicando quod legit, verumetiam vt animus humanus, immo animus Christianus aduerteret, quanta ferenda sint ab inimicis ardore charitatis, cùm à seipso iste timore humilitatis tanta pertulerit. Sed ardor charitatis de sublimitate descendit gratiæ diuinæ, timor autem humilitatis ex amore accidit laudis humanæ: & ideo ille certat per patientiam, hic autem peccat per impatientiam. Non itaque debemus quicquid in Scripturis etiam Dei testimonio laudatos homines fecisse legerimus, consentiendo approbare, sed considerando discernere, adhibentes iudicium non sanè nostræ authoritatis, sed Scripturarum diuinarum atque sanctarum: quæ nos nec illorum hominum quibus illic bonum atque præclarum testimonium perhibetur, omnia vel imitari vel laudare facta permittit, si quæ non rectè ab eis facta sunt, vel huic iam tempori non conueniunt. Sed de iis quæ tunc fuerant recta, nunc non sunt, quid opus est aliquid in hac quæstione discutere, cùm hoc vnde agitur vt sibi quis inferat mortem, maximè cui conceditur, vel potius qui compellitur viuere, in eis sit factis, quæ nec poterant vnquam recta esse, nec potuerunt, sicut satis iam demon-

Matth. 26.

Quo sensu Razias in scripturis laudatus.

Nõ quæcunq; narrant sacræ Scripturæ imitanda propenuntur 1 Thess. 5. De authoritate lib. Machabæorum.

Luc. 24.

Razias exemplum quid vos admoneat.

denonstrauimus? Proinde quomodolibet accipiatur, à vobis huius Raziæ vita laudata, non habet mors eius laudatricem sapientiam, quia non habet dignam Dei fauulis patientiam: potiusque huic vox illa sapientiæ, quæ non laudis, sed detestationis est, competit, Væ iis qui perdiderunt sustinentiam. Nam si laudatorum facti omnia creditis imitanda, nunquid melior est iste Razias quàm Dauid? Cur ergo eius factum de aliena vxore appetenda, eiusq; occidendo marito, nullus bonus sibi proponit, sed potius cauendum atque vitandum? Nunquid melior est Razias quàm Salomon? Plaet ne ergo vobis, vt eius erga mulieres lasciuiæ, quanum seductionibus vsque ad templa idolis fabricanda perductus est, imitandum proponamus exemplum? Nunquid melior Razias quàm Petrus apostolus, qui vbi dixit, Tu es Christus filius Dei viui, tam beatus à Domino appellatus est, vt claues regni cælorum accipere mereretur: nec tamen † ideo creditur imitandus, vbi mox eodem momento reprehensus, audiuit, Vade post me satanas, non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum? Atq; vt hæc taceam quæ voce apertissima sancta ecclesiæ scriptura culpauit, & ea dicam quæ tãtũmodo ibi narrata atq; conscripta sunt, nec de his est in alteram partem laudis aut reprehẽsionis lata sentẽtia, sed quę nobis iudicãda permissa sunt, nunquid melior Razias quàm Noe? Quis autẽ illum virum quòd iacuit ebrius, laudauerit sobrius? Nunquid melior est Razias quàm Iudas patriarcha? Quis tamen eum approbet, cui placeat, quem nõ rectissimè offendat in illa fornicatione, quandoquidem nõ ad suam nurum quia hoc ignorauit, verũtamen ad eam quam meretricem putauit, ingressus est? Nũquid melior est Razias, quàm Sampson? Audete itaque dicere, si potestis, illud quod in crimibus habuit virtutis magnum diuinumque secretum, blandienti mulierculæ fuisse prodendũ. Nam illud quòd cum inimicis occidit & seipsum, quãdo super se atque illos deiecit domum, mortem quam mox ab eis fuerat perpessurus, communem voluit cum illis habere, quia non posset euadere. Quod quidem non sua sponte fecit, sed hoc spiritui Dei tribuendum est, qui vsus est eo vt faceret, quando illi affuit, quod facere non poterat quando idẽ spiritus defuit. Sicut Abrahæ factum quãdo filium voluit immolare, quod Deo iubente fuit obedientia, Deo non iubente, quid fuit nisi demẽtia? His sacris literis eruditus beatus Cyprianus, in Confessione sua dixit, *Disciplinam prohibere ne quis se offerat*. Videte quantum mali faciatis cùm vos vultis occidere, qui estis indisciplinati, etiã si vos aliis hoc vobis facere cupientibus velletis offerre, Fugam præcipit quem vocatis Saluatorem, fugam permittit persecutor. Quid ergo sequimini vt vestris ignibus pereatis, nisi vestrum furorem? Et tamen dicis, *An non est ista persecutio, quæ tot milia innocentium arctauit ad mortem?* Ostẽdite quomodo sitis innocẽtes, qui Christum diuiditis & vos occiditis. Ostẽdite quomodo arctemini ad mortem, quibus fuga, & diuinitùs iubetur, & humanitùs relaxatur. Ostẽdite quemadmodum caminorum cõpendio animas vestras à contaminatione rapiatis, quos potius caminorũ sacrilegio tãquam diabolico sacrificio contaminatissimas facitis. Interrogate Christum, iubet vos fugere, interrogate Tribunũ, permittit vos fugere. Si & ipsum Razian interrogare possetis, responderet vobis, ego non potui fugere. Vos ergo nec Christum saluatorem, nec Tribunum persecutorem, nec Razian authorem habetis. Quod autem dixisti, vt seipsos vestri occiderent, non eos frustra timuisse, quoniam quisquis nostras vel nostrorum manus incidit, non euasit. Quid euaserit, quæro? Si mortem, cur eam vobis infertis manibus vestris, si hanc timetis à nostris? Sed manifestum est non de morte vos dicere. Nam quantum cupiamus vos viuere, etiam ipsi scitis; ideo nos de vestra morte terretis.

Eccl. 2.

2. Reg. 11.

3. Reg. 11.

Matth. 16.

† For. in co.

Gen. 9.

Gen. 38.

Iudic. 16.

Sampson diuinus sceleratus insertetiu se cum hostibus occidit.

In notis Cypriani, cuius initium, impetratione Valeriano.

CAPVT XXXII.

PROINDE si communionem nostram dicis, neminem vestrum qui manus nostras incidit euasisse, vtinã verum diceres. Valde quippe feliciter non euaderent communionem quæ offertur à catholicis, vt euaderẽt damnationem quæ paratur hæreticis. Sed falsum esse quod dicis, vel ex vestro Emerito cogitare potuisti, qui cùm venisset ad nos, facilius est veritate conuictus, quàm cõmunicare compulsus. Sunt & alij fama quidem minores, sed stultitia pares. Quisquis enim fuit similis vanitatis, vt contra manifestissimam veritatem peruersissima verecundia fieret pertinax, cùm putari erubescit inconstans, expers à nobis catholicæ cõmunionis abscessit. Sed ideo dixisti, *quisquis eorum manus incidit, non euasit*, quoniam paucissimos apertissimæ veritati perseueranter resistentes & discedentes latere arbitratus es. Sed Emerito fecisti secũdum vos grauissimam iniuriam, qui perdidit apud te duritiæ suæ laudem, tanquam frustra esse voluerit inter paucos veritati non consentientes, quia deputari meruit inter latentes. Quis nostrum non te credat inuidere collegæ? aut si non inuides, imitare. Veni ad nos & tu, sicut ipse; audi quod dicimus, sicut ipse; responde si potes, quod non potuit ipse. Si autẽ nec respondere, nec cõmunicare volueris, discede, sicut ipse. Ecce ille de nostris manibus illæsus abscessit. Tu quare dicis, *quisquis eorum manus incidit, non euasit?* Ecce ille non sibi credidit loca defutura vbi posset latere: tu quare disponis ardere? Ita ne nondum vides vos esse potius qui non pertinetis ad Deum, & qui facitis contra Deum, non solùm peste communi qua Christi vnitati resistitis, sed etiam vos præcipuè qui huic tanto sceleri vestro, etiam vestras mortes addere festinatis?

CAPVT XXXII.

VERBA Epistolæ, *Sed quoniam prudentiam tuam*, inquit, *Executoris officium non decebat, quæso paucis aduerte. Alia est, vt reor, solida veritas, alia effigies veritatis: quoniam veritas robore suo firmata constat, idolum suæ simulachrum est, quod in iniuriam veri simile fecerit humana præsumptio; nunquam tamen potest præiudicare veritati fallacia. Simulachrorum cultores dico, qui non tenent veritatem: sub alieno vocabulo gentilem existimo qui facit sibi quod colat. Vnde publicum apertumq; est quod minis, sine terrore & persecutionibus crebris Gabinum similesq; de naturæ libertate sublatos, ipsi sibi quos venerarentur, per fidos fabricasse noscuntur, ad quorum cultum cogunturinuiti.*

Catholicam ecclesiam confitentes humanum dicit esse figmentum.

ADHÆC Respond. Adhuc addis furori vestro verba blasphemiæ, & audes dicere ecclesiam catholicam humanum esse figmẽtum, cui dicit Deus, Ego enim sum Dominus qui facio te, Dominus nomen ei. Et vt scimus ipsam eam catholicam vniuerso terrarum orbe diffusam, sequitur & adiungit, Et qui erui te, ipse Deus Israel, vniuersæ terræ vocabitur, Hoc euidentissimum Dei opus, humanum dicitis esse figmentum, nec vos respicitis quod ab ista ecclesia quam se promisit Deus in vniuersa terra esse facturum, nullo modo separaremini, nisi hominem sequeremini. Nos eum sequimur qui dixit Abrahę, In semine tuo benedicentur omnes gẽtes. Eum sequimur qui dixit ipsi ecclesiæ suæ, quod modò commemoraui, Ego sum Dominus qui facio te, Dominus nomẽ ei: & qui eruit te, ipse Deus Israel vniuersæ terrę vocabitur. Propterea tenẽtes ecclesiam quæ dilatatur & crescit per omnes gentes, & per vniuersam terram, non vtique figmentum sequimur humanum, sed promissum factumq; diuinum. Vos quid sequimini, vt ab huius diuinæ promissionis & diuini operis communione diuisi, velitis esse de parte Donati? Peccato Cęciliani perisse de orbe terrarum promissiones Dei, & remansisse in parte Donati, homo vobis dixit an Deus? Si Deus, legite hoc nobis ex lege, prophetis, Psalmis, apostolicis & Euangelicis literis. Legite si potestis, quod in Collatione nostra minimè potuistis

Gen. 22.

Coll. die 3. cap. 4.

tuistis. Si autem homines ista dixerunt, de quibus di-
Psal. 63. ctum est, Firmauerunt sibi sermonem malignum. Ecce humanum figmentum, ecce quod colitis, ecce cui seruitis, ecce propter quod rebellatis, insanitis, ardetis. Gabinus verò & cæteri, qui hanc ecclesiam cognouerunt, elegerunt, tenuerunt, non humanum figmentũ, sed diuinum promissum prędictum & impletum, cum fidelibus habere cupiẽtes, vlterius pro humano figmẽto ipsas humanas molestias perpeti noluerunt. Qui enim pro veritate & vnitate Christi non dico res suas, sed istam etiam vitam suam aliis duntaxat auferentibus atque interficientibus amiserit, verè fidem habet, verè spem habet, verè charitatem habet, verè Deum habet. Quisquis autem pro parte Donati vel fimbriã
Vtilitas legis pœnalium aduersus haereses. vestimenti perdiderit, cor non habet. Quid ergo mirum si homines sapientes cùm viderunt contra obduratæ consuetudinis pertinacissimam vetustatem, proposita sibi esse damna & exilia, cõsiderauerunt vtrum pro parte Donati contra ecclesiam catholicam, hoc est pro figmento humano contra opus diuinum perpeti ista deberent: & se vtique non debere viderunt, atque istam quam vocatis persecutionẽ, cognouerunt sibi esse correctionis occasionẽ, & fecerunt quod scri-
Prouerb. 9. ptum est, Da sapienti occasionem, & sapientior erit? Vides itaq; quàm inaniter dixeris homini, qui ex præcepto piissimi Imperatoris sui vestram correctionem requirit, quod huius prudentiam Executoris officium non decebat. Quid enim magis religiosum militantem decet, quàm vt in ea causa in qua perpendit, quibusnam vos vultis esse deceptio, multis ipse fiat corrigendis saluatio?

CAPVT XXXIIII. VERBA Epistolæ, *Ad docendum*, inquit, *populum Israel omnipotens Deus prophetis præconium dedit, non regibus imperauit. Saluator animarum Dominus Christus ad insinuandam fidem, piscatores, non milites misit.* AD HAEC respond. Audite ergo prophetas sanctos, & sanctos piscatores, & molestos non patiemini religiosissimos reges. Iam enim & superius ostẽdi ad curam pertinuisse regis, vt Niniuitę Deum placarent, cuius iram propheta annunciauerat. Quamdiu ergo vos non tenetis ecclesiam quam prænunciauerunt piscatores, Apostoli plantauerunt: tamdiu reges qui eam tenent, rectissimè ad suam curam iudicant pertinere, ne vos adAd Christianorum regum curam pertinet, ne quis aduersus Ecclesiam rebellet impunè. uersus eam rebelletis impunè. Nam Deus & reges habuit inter prophetas, Dauid quippe sanctus, quod non potestis ignorare, rex fuit. Audite itaque prophetantem regem, & nullum religiosum regem formidabitis irascentem: audite, inquam, prophetam regem dicentem de Christo, Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ: & non timebitis Christianum regem succẽsentem vobis hanc ecclesiam blasphemantibus, quæ sicut à rege prophetata est, exhibetur vsq; ad terminos orbis terræ. Quia & rex Nabuchodonosor, quamuis propheta non fuerit, eos tamen qui blasphemarent Deum Sidrach, Misac & Abdenago, religiosa seueritate coercuit.
Psal. 71. Dan. 3.

CAPVT XXXV. VERBA Epistolæ. *Mundanæ*, inquit, *militiæ, nunquam Deus expectauit auxilium, qui solus potest de viuis & mortuis iudicare.* AD HAEC respond. Non mundanæ militię Deus expectat auxilium, quando regibus largitur potius beneficium, qui eis inspirat, vt in regno suo curent fieri Domini sui præceptum. Quibus enim dictum est, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicetis terrã, Seruite Domino in timore: sentiunt suã
Psal. 2. potestatem ita Domino seruire debere, vt ea potestate plectantur, qui nolunt eius voluntati seruire. Quod
Potestas principum ita seruire Deo debet, vt per eã plectantur qui nolunt eius voluntati seruire. autem de militibus facis inuidiam, si vtique ista cura, sicut iam docuimus in Scripturis sanctis † pertinere
† Ad reges aut simile quid deest. demonstratur, per quos id acturi sunt reges aduersus rebelles Circumcelliones, & insanos eorum siue participes siue principes, nisi per subditos milites?

A VERBA Epistolæ, *Sed hoc non sciunt*, inquit, *alienarum rerum incubatores, qui nec Deum audiunt dicentem, Non concupiscas rem proximi tui: Nec per Salomonem Spiritum sanctum dicentem, Tunc stabunt iusti magna constantia, aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum, Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes inter se pœnitentiam habentes, & per angustiam spiritus gementes. Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij: Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: Quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non illuxit nobis: Lassati sumus in iniquitatis & perditionis via, & ambulauimus solitudines difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia tanquam vmbra. Hæc igitur fides nos* CAPVT XXXVI. Exod. 20. Sap. 5.
B *hortatur, vt libenter pro Deo in ista persecutione moriamur.* AD HAEC respond. Agnoscite scelus vestrum, & nolite vobis vsurpare nomen alienum, Scriptura dixit, Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Non dixit, stabunt omnes qui mala passi sunt: sed, stabunt iusti. Sicut & Dominus cùm dixisset, Beati qui persecutionem patiuntur, nisi addidisset, propter iustitiam, non solos significaret qui pro
Math. 5. sua in Domino patientia coronantur, sed etiam illos qui iustis legibus puniuntur. Quapropter si ad vos putatis hæc iustorum verba quæ scriptũ sunt pertinere, prius an iusti sitis ostendite. Habetis enim res magnas quas inter vestras iustitias ventiletis, diuisionem Christi, rescissionem sacramentorum Christi, desertionem pacis Christi, bellum contra membra Christi, criminationes in coniugem Christi, negationem promissorum
C Christi. Hæ sunt iustitiæ vestræ, propter quas videlicet stabitis in magna constantia aduersus eos qui vos angustiauerunt, & abstulerunt labores vestros. Iam verò cùm inter iustitias vestras iactare cœperitis, quòd vosipsos necatis, quis vobis iustus æquabitur? Tunc enim maximè apparebitis vindicandi. Sed videte de quibus? de his vtique qui vos occiderunt. Ergo vt vindicemini, puniemini, & stabitis aduersus vosipsos? Maximè stabitis, qui caminis clausis vos in crudeles angustias coarctatis, vt & qui voluerit subuenire, non possit intrare, & qui voluerit euadere, non possit exire. Absit absit vt stent cum magna constantia, cùm stabunt cum tam mala conscientia. Nisi fortè arbitramini propterea vobis Deum tunc posse parcere pro sceleribus vestris, quia ipsi vobis modo non parcitis: vnde etiam quædam sanctimoniales vestræ grauidæ per saxa se miserunt, & diffilientibus vteris homicidiorum scelere & stuprorum scelera prodiderũt;
D existimãtes si hoc modo in se vindicassent, nullo iam modo Deum vindicaturum: sicut & uos putatis, qui sacrilegio schismatis & hæresis, vel deprædando, detruncando, excæcando, occidendo, postremò etiam rebaptizando catholicos, & quælibet alia potuerunt à vobis nephanda committi, isto modo posse quia vos occiditis expiari. Sed erratis: hoc putauit & Iudas. An hoc etiam vultis addere documentum, quo certius noueritis maiores vestros potius fuisse traditores, quia mortem imitamini traditoris?

CAPVT XXXVII. Ostendit ex actis concilij Cirtensis sub Secundo Tigisitano, & ex huius ad Mensurium literis maiores eorum traditores fuisse. Collat. diei 3. c. 15. & 17.

ERGO quod in Collatione contentiosè negare voluistis, etiam hinc vera esse gesta firmatis. In quibus, confessis traditoribus qui tunc primæ sedis episcopus in Numidia fuit, Secundus Tigisitanus ignouit; & quibus crimina traditionis manifesta atque confessa apud Cirtam præsentibus relaxauit, cum his apud Carthaginem tanquam traditores non conuictos absentesque puniuit, à quo crimine etiam Secundus

ipse

ipse obiiciente Purpurio Limatensi se purgare non po-
A tuit, quãdo ei dixit idem Purpurius, *Tu quid egisti quãdo textus es à Curatore & Ordine, vt Scripturas dares? Quomodo te liberasti ab ipsis, nisi quia dedisti, aut iussisti dari quodcunque? Nam non te dimittebant passim.* Hoc
Collat. 3. diei cap. 13. autem Secundus etiam in literis suis ad Mensurium datis, quas vosipsi protulistis atque recitastis, sine ambiguitate confessus est, quòd non tradiderit, sed quod ad eum peruenerint à Curatore & Ordine missi persecutores, quos ei Purpurius Limatensis obiecit, vt Scripturas traderet: quas cùm ab illo peterent, se respondisse, *Christianus sum & episcopus, non traditor*, eique nihil omnino tradere voluisse. Quod ei vultis vt credamus cùm & vosipsi quàm sit incredibile videatis, feruente illa persecutione detentum episcopum siue conuentum vt Scripturas Dominicas trade-
In Collat. diei 3. cap. 17. ret, nullis traditis fuisse dimissum. Nempe contendebatis non potuisse episcopos ad ordinandum episco-
B pum ad ciuitatem Cirtensem persecutionis tempore conuenire. Quomodo ergo persecutio illa feruebat, si potuit episcopus propter Scripturas tradendas teneri, nullisque traditis impunè dimitti? Et tamen clamabatis immanitatem persecutionis illius temporis describentes, nec duodecim episcopos ad ordinandum episcopum potuisse in concilium congregari, qui gesta illa conficerent; vbi crimina traditionis inuicem donauerunt, proque pace ecclesiæ iudicanda Domino reliquerunt: cùm vos hoc tempore talem persecutionem vos perpeti dixistis, qualis nunquam fuit: id est vt loca vobis desint, quo confugere, atque vbi latere possitis: tamen concilia faciatis, episcopos ordinetis, etiam in eorum locum, qui suis ignibus perierunt, ite-
Donatistarum post Carthaginensem Collationem, 30 episcoporum concilium. rum tales, qui suis ignibus perire parati sunt. In concilium autem tantæ vt putatis atque iactatis persecutionis tempore, amplius etiam quàm triginta conueni-
C re potuistis, vbi & Petilianus fuit, qui persecutionis tempore nec duodecim conuenire potuisse clamabat. Porrò in ipso concilio statuistis, vt *qui nobis inuiti communicauerunt, episcoporum vel presbyterorum, tantum si sacrificium non obtulerint, aut in populo non tractauerint, ad veniam pertineant, & in suis honoribus recipiantur*: ac sic totas calumniarum vestrarum vires, etiam ipsi hoc decreto vestro penitùs amputastis. Vbi est enim quod vestro vaniloquio etiam eos, qui non fuerunt, dicitis per communionem nostram fieri traditores; quia scilicet sicut calumniamini, illi nos inquinauerunt, qui vrgentibus tunc impiis potestatibus libros ecclesiasticos tradiderunt? Cur ergo nunc à crimine absoluitis, quos nobis communicasse cognoueritis inuitos, si sacrificium non obtulerint, neque sermonem in populo fecerint: quasi illi tunc primi traditores sub terrore & horrore immanium suppliciorum, qualia modo vobis omnino nullus ingessit, codices sanctos non inuiti tradiderint, aut sacrificium illic obtulerint, D aut in populo sermonem fecerint? Videtis ergo quòd sicut vos istis (quos vanissimè criminamini communione nostra fieri traditores) si quid inuiti fecerint, potuistis ignoscere: ita etiam maiores vestri in necessitate multo arctiore tradentibus *traditoribus veris*, in eadem regula ignoscere potuerunt. Sed vt damnarent alios absentes & inauditos inimicorum Cæciliani factione compulsi sunt, facientes quòd de talibus Apo-
Rom. 2. stolus dicit, In quo enim alium iudicas, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Quapropter quoniã Donatistæ semetipsos occidere semper amauerunt, & ipsi ab initio traditores fuerũt: quid mirum si traditoris mortem etiam suos posteros amare do-
Donatistæ cum non ad laqueum eum conjungerent. Matth. 27. cuerunt? Sed vitandæ huius similitudinis causa, vel nunquam, vel difficillimè se laqueo necauerunt. Frustrà omnino, nam ille Iudã traditorem id facere compulit, qui & illum puerum, quem sanauit Dominus,

in aquam & ignem sæpe deiecit, & gregem porcorum 17.
in mare præcipitauit, & ipsi Domino præcipitium de 8.
pinna templi audaci præsumptione suggessit. Quam- 4.
uis itaque diuersis modis voluntariam vos præcipitetis in mortem, tamen eiusdem diaboli instinctu vosipsos necando imitamini traditorem. Quod etsi vos non estis, eorum tamen qui fuerunt, & schisma fecerunt, in quo libenter estis, etiam hoc in vobis facere, quod in se traditor fecit, nephando magisterio didicistis. Ecce cum qua iustitia stabitis aduersus eos, qui vos angustiauerunt: vt si vestræ mortes vindicabuntur, non nisi in vobis ipsis iustissimè vindicentur. Qui sunt autem labores vestri, quos à vobis iactatis auferri? An ne iniustum est, vt ecclesiæ quæ fuerunt vestræ, cùm in pacem catholicam transeunt, cum suis rebus transeant? Illis enim ad nos transeuntibus, si res earum vultis tenere, vos proculdubio res alienas vultis auferre.
B Mater autem catholica vobis dicit, quod quibusdam beatus Apostolus dixit, Non enim quæro quæ vestra 2. Cor. 12.
sunt, sed vos. Veruntamen quomodo vobis non estis ipsi contrarij, quãdo vtrunque nobis obiicitis, & quòd res vestras possidere cupiamus, & quòd violenter vos nobiscum esse cogamus? Hæc duo quàm sunt inter se contraria, non videtis: si enim ad communionem nostram vos inuitos quærimus & tenemus, quomodo res vestras desideramus, quas vtique vobis communicantibus habere non possumus? Si autem illas cupimus obtinere, quomodo vos quærimus, vt eas vobis communicantibus amittamus? Sed confitemur vobis, cupiditas nostra charitas vocatur: hæc vos quærit in nobis: hæc vos inuenire, corrigere, atq; in vnitatem Christi sociare desiderat, ne vestris caminis vos ardere timeamus. Huius igne feruemus, hæc nos accendit, vt non solùm non concupiscamus res vestras, sed nobiscum optemus possideatis & nostras. Agnoscite & ve-
C nite, & perire nolite, aut si vltrò venire erubescitis, seruimus infirmitati ne quid pereat charitati. Ecce volumus vos tenere, quid festinatis ardere? Ad vitam tenemus, ad salutem tenemus, ad Christi vnitatem, veritatem, suauitatem tenemus. Et ad cœnam tanti patrisfamiliàs, si sponte non vultis, intrare compellimus.

CAPVT XXXVIII. Sap. 5. DE iustitia certamen est, non de pecunia, Cauete ergo ne fortè dum putatis ad vos pertinere quod scriptum est, Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & abstulerunt labores eorum: non hoc vobis contingat de laboribus vestris, sed potius illud quod alibi scriptum est: Labores Sapien. 16. impiorum iusti edent. Neq; enim stabunt contra vos Maximianistę, quorum quando potuistis Basilicas abstulistis: Aut stabunt contra vos Pagani, quorum certè vbi potuistis templa euertistis & Basilicas cõstruxistis, quod & nos fecimus: Aut stabunt aduersus vos symphoniaci dæmoniorum, quorum tibias & scabella fregistis, quod & nos fecimus: Sic nec vos stabitis aduersus nos. In talibus quippe omnibus factis, non rapina concupiscitur, sed error euertitur. Sicut ergo non stabunt Chananæi aduersus Israelitas, quamuis Israelitæ abstulerunt labores eorum, sed stabit Naboth aduer- 3. Reg. 21.
sus Achab, quia delictum factum est, non præceptum, vt labores iusti auferret iniustus: sic hæretici nõ stabũt aduersus catholicos, cùm in rebus hæreticorum Christiani imperij iussa complẽtur; nec res eorum à catholicis auferuntur, sed potius inquiruntur, eisque multã quantum fieri potest, correctis reddenda seruãtur: sed stabunt catholici non solùm aduersus Gentiles, à quibus martyres veri expoliati sunt, verumetiam aduersus Circumcelliones Donatistarum, quia & ipsi abstulerunt labores eorum. Verùm de his pecuniariis laboribus facilior causa est. Ecce quotidie si quis ad nos transitum facit, cùm etiam illi quorum erãt, ad pacem catholicam transeunt, reddimus pecuniam, vestem,

fructus, vasa, rura, tecta vestrorum: Vos quomodo nobis reddituri estis membra nostrorum? Nempe aliquando expergiscimini & cernite nec vos esse de quibus dicatur, nec nos à quibus dicatur, Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum; cùm potius vos habeamus in fletum: Nec vos computamini inter filios Dei, nisi recedentes à parte Donati, hanc tenueritis Ecclesiam, quam sicut prædixit, exhibet filius Dei: nec inter sanctos est sors vestra, sed inter hæreticos. Nam quod alios de vobis dicturos putatis, Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam; miror quòd tam insensati estis, vt ipsi vobis modò talia non dicatis. Sanctis quidem veris ac fidelibus, immundi & infideles tunc ista dicturi sunt, eis vtique quos nunc existimant insanire, quia luxuriis quas vident frui nolunt, dum quod non vident credunt. Sed vos si non vitam vestram, certè istam quam vobis vultis facere mortem vestram, si non existimatis insaniam, desperatius insanitis. Verba verò illa: Ergo errauimus à via veritatis, &c. non erunt quidem tantùm vestra, sed maximè & vestra. Erratis enim quod manifestum est, à via veritatis & iustitiæ lumen non lucet vobis, lassamini in iniquitatis via & perditionis, & ambulatis solitudines difficiles, viam verò Domini ignoratis. Quæ autem sequuntur: Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra: nescio utrum quisquam inter cæteros diceret aptius & conuenientius, quàm tuus decessor Optatus. Nolite ergo putare vos esse quales non estis, & perire quales estis: quoniam non vos hæc fides, sed vester malus error hortatur, non vt libenter pro Deo, sicut dicis, in ista persecutione moriamini, sed vt nequiter pro Donato factis vestris persecutionem patiamini.

Sapien. 5.

CAPVT XXXIX. VERBA EPISTOLAE: Et alia manu: *Opto te*, inquit, *incolumem veritate perspecta animum lenire, & ab innocentum exitibus temperare.* AD HAEC Respond. Vos potius veritate perspecta lenite animum vestrum, ne sæuiat vt nec vobis parcat. Nam quid isto cui quidem scripsisti, facile potest lenius inueniri, qui vos & inuitauit ad vitam, & si eam nobiscum agere nolletis, relaxauit ad fugam? Vos in vos estis asperi, vos immites; vos sine vlla humanitatis consideratione crudeles, qui hoc in vobis facitis, quod in suis inimicis facere consueuerunt, errorum dilectores, & hominum persecutores; vt sit quod auarissimè doleant errorum persecutores & hominum dilectores. Quid autem optas vt ab innocentum exitibus temperetur? Vos quidem innocentes non estis, tamen ille vobis dedit exitum, sed ipsi vobis dare vultis exitiũ. Puto enim, quòd verbi ignorantia te fefellit, vt volens intelligi exitia, exitus diceres. Cùm ergo hortaris optando, vt se ab innocentum exitiis imperialium legum temperaret executor, id agis vt deceptoribus parcat, & innocentes decipi impunè permittat. Quid ergo aliud, nisi vt ille cui te bene arbitraris optare, nec Deo, nec Imperatori suo seruet fidem: quia scilicet per iustitiam non veram sed vestram, ad Imperatorum curam pertinere causæ huiusmodi non deberent, vt calumniosa diuisio sanaretur: deberent autem, vt quando facta est firmaretur? Si doctrina ista quam non de Scripturis sanctis, sed nescio vnde didicistis, iusta vobis videtur, vt hæc ad imperialẽ non pertineat potestatem: tunc maioribus vestris venisset in mentem, quando Cæciliani causam ad Imperatoris iudicium Constãtini accusando miserunt. Nunc verò quia leones Danielem propter innocentiam nõ læserunt, vultis vt illis parcat qui eum calumniando leonibus obiecerunt? Sed non vt homo, iudicat Deus, in cuius manu cor regis est, & quò voluerit inclinat illud. Cor autem regis cùm est infidele aut exercentur, aut probantur boni: cùm verò est fidele, aut corriguntur, aut plectuntur mali. Horum duorũ quid in vestra causa sit, satis iam diximus, satisque literis tuis nullius loci prætermissione respondimus: quod vtinam & tibi, tamen aliquibus ex vobis profuturum esse Deo miserante confidimus. Ad hæc autem si respondere aliquid præparas, lege etiam illa quæ cum Emerito acta sunt, quibus ille respondere nõ potuit, ne fortè tu possis, sicut iam superius vt experireris admonui. De causa etiã Maximianistarum cum illo egimus, de qua à nobis in Collatione toties vobis obiecta nihil respondistis; quoniam de re manifestissima & recentissima nihil quod responderetis inuenire potuistis, quomodo Maximianus quẽ multo grauiore quàm Cæcilianum sententia percussistis, ita vt diceretis cum *Dathan, Chore, & Abiron ministrum*, quos pro scelere schismatis viuos terra deglutiuit, non polluerit consortes schismatis sui, quibus vt ad vestram communionem redirent, dilationem dedistis, non polluerit Afer Afros, viuus viuos, notus notos, particeps socios: & Cæcilianus polluerit transmarinos, polluerit longè positos, polluerit ignotos, polluerit nondum natos. Inueni, si potes, quid dicas, quomodo susceperitis honorẽ Feliciani Mustitani, & Prætextati Assuritanũ, quos cum Maximiano & aliis decem sine vlla dilatione dãnastis, contra quos vt eos de basilicis pelleretis, apud duos, vel nisi fallor, apud tres proconsules litigastis: & cùm iam in locum Prætextati alium ordinassetis, post tam longum tempus eos in suis honoribus recepistis. Qua iustitia, qua ratione, qua fronte in honore suo suscipitur Maximianista damnatus, & damnatur orbis terrarum catholicus inauditus? Qua iustitia, qua ratione, qua fronte cauendum esse dicitis, ne vos inquiner Cæcilianus olim defunctus, vobisque prorsus incognitus, vestris maioribus iudicantibus semel damnatus, vestris maioribus accusantibus ter absolutus, & cauendum non putastis, ne vos inquinaret Felicianus, vniuersalis concilij vestri ore damnatus, & ab vniuersis vobis, præcipuè tui prædecessoris fauore susceptus? Qua iustitia, qua ratione, qua fronte rescinditis baptismum quem dant Ecclesiæ, quas laboribus suis Apostoli plantauerunt; cùm susceperitis baptismum quem Felicianus & Prætextatus per tam longum tempus, quando contra eos damnatos litigabatis, foris à vestra Ecclesia tradiderunt? Si enim vt soletis malè intelligere, & nobis obiicere, sic est intelligendum quod scriptum est: Qui baptizatur à mortuo quid proficit lauacro suo: Inter illos isti iacebant quando baptizabãt, de quibus vestra Bagaiensis sentẽtia tanto strepitu insonuit: *A Egyptiorum admodum exemplõ pereuntium funeribus plena sunt litora, quibus in ipsa morte maior est pœna, quod post extortam aquis vltricibus animam, nec ipsam inueniunt sepulturam.* Quid adhæc dicturi estis? Ecce mortui baptizant eos quos suscipitis, nec morimini, & nobis tanquam mortuis calumniamini, vt catholicæ vnitati communicare nolẽtes vestris ignibus verè moriamini. Responde ad ista: vacat tibi cogitare quid dicas: Saltem in hoc aliquod tibi beneficium conferamus, vt dum cogitas quomodo respondeas, minimè cogites quomodo ardeas. Sed nolumus vt inopia respondendi lassum illud & quassum, quod dicere consueuistis, adhuc tibi existimes esse dicendum, *Si tales sumus, quare nos quæritis?* Respondemus enim: Magis vos catholica Ecclesia debet quærere, quia peristis; si vos Maximianistas perditi perditos inquisistis. De corde enim vestro nobis dicitis: Quare queritis tot tantorumque reos criminum? sed de libro Dei vobis respondemus, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum.

Dan. 6.

Proverb. 21.

Supra lib. de Gestis cum Emerito.

Collat. 3. ct. 8. 9. 10. 11. 16.

In sententia Concilij Bagaiensis. Num. 16.

Fuit is Optatus Gildonianus.

Eccl. 34.

1. Pet. 4.

LIBRI I. FINIS.

D. AV-

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA GAVDENTIVM THAMVGADENSEM EPISCOPVM, LIBER II.

CAP. I. ACCEPI Gaudenti responsionem tuam: si tamen responsio ista dicenda est, quam mihi propterea referre voluisti, ne si tacuisses, diceremus te esse conuictum. Sed non hoc est respondere; quod est non tacere. Nam si hoc est, respõdisti planè. Sed id eò, vt etiã hi, qui de te aliquid possent sperare, nouerint te non inuenisse quid respondere deberes; & tamen respondisse ne taceres. Itaq; cùm caueres ne victus diceres, fecisti vt ostendereris. Ad quod ostendendum tua ipsa scripta sufficiunt, si ab intelligentibus legãtur, & meis diligenti examine comparẽtur. Vt autem scriptis aliis hoc doceam, quo etiam ingeniis tardioribus satisfiat, aliquãto prolixior disputatio necessaria est: quam quidem ingrediar, si opus fuerit, Dominusque voluerit.

CAPVT II. Ostendit Donatistas non esse catholicos. Cyprianus de simpl. prælat. seu de vnitate ecclesiæ.

NVNC interim, quoniam vos potius esse catholicos testimonio beati Cypriani affirmare conatus es: attende paululum quam Ecclesiam dixerit ille catholicam, cùm eius defenderet vnitatem: *Ecclesia*, inquit, *Domini luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit: vnum tamen lumen est, quod vbique diffunditur; nec vnitas corporis separatur. Ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit, profluentes largiter riuos largius expandit: vnum tamen caput est, & origo vna, & vna mater, fœcunditatis successibus copiosa.* Quid igitur & vosipsos fallitis, & alios fallere mendaciis impudentibus vultis? Si huius martyris testimonio vestra est Ecclesia catholica, ostendite illam per orbem totum radios suos porrigere, ostendite illam per vniuersam terrã ramos suos copia vbertatis extendere. Hinc enim & Græco vocabulo Catholica nominatur. Quod enim Græcè ὅλον dicitur, Latinè totũ vel vniuersum interpretatur. Per totum ergo siue secundum totum est καθ' ὅλον, vnde catholica nuncupatur. Si hoc nosti, quare te nosse dissimulas? Si autem ignoras, quare non prius quàm loqueris, quod nescis, eos qui norunt, interrogas? Quod si displicet tibi, non Græcam, sed aliquam linguam inueni, qua doceas catholon, non per totum siue secundum totum, vel secundum vniuersum significare: & recede à testimonio Cypriani. Ille nanq; contra te loquitur: qui vides quid dicat. Per orbem totum dicit, & per vniuersam terram porrigi, extendiq; catholicam; Græco eius nomini, ac diffinitioni consentiens. Tu aliud tenere, sentire, dicere reperiris, & dum Cypriano teste inniteris, Cypriano teste mentiris.

Catholicum vnde dicatur.

CAPVT III. Non esse ab Ecclesia recedendum, quòd mali in ea multi esse cernantur.

AB hac ergo vera germanaque catholica, quæ Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, ramos suos per vniuersam terram copia vbertatis extendit, quæ causa vobis fuerit excundi, cùm interrogamini, nihil iustum inuenitis: prorsus ab hac ecclesia exitum vestrum nulla purgatione probabilis excusationis abluitis. Quid enim dicitis nisi necessitas compulit, vt iusti relinqueremus iniustos? Respondet vobis Scriptura diuina: Filius malus ipse se iustum dicit: exitum verò suum non abluit. Exitum, inquit, suum, vtiq; illum, de quo dicit Apostolus Ioannes: Ex nobis exierunt, omnino non abluit, non defendit, non excusat, non purgat. Ad iustos enim nõ pertinet in Ecclesia catholica, nisi malos, quos corrigere vel dãnare non possunt, patiẽtissimè tolerare: nec propter zizania, de Dominico agro; nec propter paleam, de Dominica area; nec propter vasa inhonorata, de Dominica domo; nec propter pisces malos, de Dominicis retibus, ante tempus exire: ne frustrà exitum suum conentur abluere. Has Euangelicas sentẽtias, si volueris in alium sensum qualiber argumentatione cõuertere, eidem beato Cypriano, cuius testimonium adhibes, contradicis: sicut in nostra Collatione fecistis. Nam hæc de ista quæstione suprà dicti martyris verba sunt, in epistola quam scripsit ad Maximum & socios confessionis eius: *Etsi videntur*, inquit, *in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est, vt frumentum esse possimus: vt cùm cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit: In domo autem magna, non solùm vasa sunt aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem honorata, quædam verò inhonorata. Nos operam demus, & quantum possumus laboremus, vt vas aureum vel argẽteum simus. Cæterùm fictilia vasa confringere soli Domino concessum est: cui & virga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo seruus. Nec quisquam sibi, quod soli filio pater tribuit, vendicarit: vt se putet, aut ad aream ventilandam & purgandam, paleam tam ferre posse, aut à frumento vniuersa zizania humano iudicio separare. Superba est ista obstinatio & sacrilega præsumptio, quam sibi furor prauus adsumit: & dum sibi semper aliquid ampliùs, quàm mitis iustitia deposcit, adsumunt, de Ecclesia pereunt. Et dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore cæcati, veritatis lumen amittunt.*

Collat. 3. ct. 9. & 10.

Cyprian. lib. 3. epist. 3.

2. Tim. 2.

Psal. 2.

Matth. 3.

CAPVT IIII. Parabolas euangelicas de bonorum & malorum in ecclesia permixtione, quomodo eludere Donatistæ conati sint.

NEMPE nunc saltem vides aduersus sanctum Cyprianum vos in nostra Collatione clamasse, eiq; contentionibus restitisse, quibus asserebatis agrum Christi, de quo ait: Ager est hic mũdus, non esse Ecclesiam, sed mundum præter Ecclesiam, vt ea quæ cernerẽtur, posset habere zizania? Nam in Ecclesia dicebatis manifesta zizania esse non posse. Quotiens hic testimoniũ Cypriani posuimus, & nec apertè illi resistere ausi estis, nec tamen consentire voluistis: nempe nunc saltem expergisceris, audis, aduertis: *quia etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet, aut fides, aut charitas nostra: vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.* Quare ergo vos ab vnitate huius Ecclesiæ nefario schismate disceditis, & hæretica præsumptione, in eadem discessione persistitis? Ecce tibi est Cyprianus, consenti illi, aut responde illi. Vides quemadmodum his verbis quibus dicit, esse in Ecclesia cernique zizania, nec tamen ab illa propterea debere discedere, delet omnes tuorum scriptorum calumnias? Quibus etiam in tanta abrupta progressus es, & tumore vestro præcipitasti, vt diceres, etiam nescientes qui peccauerunt de vniuersõ mundo, peccatis alienis potuisse perire Christianos: quia scilicet legitur in sanctis Scripturis, vnum de anathemate fuisse furatum, & pro isto peccato alienum populum nescientem fuisse punitum: Ignorans illas mortalium corporum pœnas, hoc est, moriturorum mortes, ad vtilem terrorem populo valuisse: non tamen eisdem mortuis ad aliquod detrimentum futuræ vitæ, aliena peccata, præsertim quæ nescierunt, aliquid obfuisse. Itáne vt hoc diceres, itáne vt peccatis alienis etiam incognitis, perire Deo quenquam, credere & dicere auderes, nec saltem ipsos timuisti collegas tuos, qui te in nostra Collatione reticente, & fortasse cùm hoc iam sentires non audente, tantis disceptationum lateribus pugnauerunt: pisces malos in Dominicis retibus à piscatoribus ignorari, ne videlicet perirent eorum contagione, si scirent? Nónne tibi venit in mentem, de palea Dominicæ areæ, id est, Ecclesiæ, vsque ad tempus ventilationis in vna permixtione tolerandа, disputantibus, cùm Emeritus vrgeretur, negasse illum atque dixisse, *Non legis aream.* Qui cùm & à suis secretius admoneretur, & à nobis apertius commemoran-

Collat. 3. c. 9. & 10.

Matth. 13.

Ibid. cap. 8.

Iosue 7.

Quo Dei iudicio peccato Achan cæsi sint ab hostibus, 36. de filiis Israel.

Collat. 3. c. 16.

Matth.3. morantibus ex Euangelio, Dominum esse venturum ferentem ventilabrum in manu sua, qui mundabit aream suam, & frumentum recõdet in horreo, paleam verò comburet igni inextinguibili; continuò correxisse obliuionis errorem, quo negauerat scriptum: nec tamen hæreticam vel schismaticam conuertisse peruersitatem, qua negabat malos à bonis debere pro vnitate Ecclesiæ sustineri: continuoque dixisse, quòd nomine paleæ, mali significarentur occulti, vt hic causæ vestræ præcipua diligentia seruaretis, quod ignorati mali cõmaculare bonorum neminem possent. Ecce partis vestræ patronus egregius perdidit te aduersante labores suos. Ille quippe vt custodiat bonorum salutem, prorsus in Ecclesia malos permanentes, à bonis perhibet ignorari, ne perdant eos, si fuerint cogniti & tolerati: tu autem etiam ignoratorum malorum contagio bonos perire dixisti. Neq; timuisti tam multos ab initio vestros latentes flagitiosos, facinorosos atque impios, qui profecto secundum tuam sententiam, te atque omnes tuos, vobis nescientibus perdiderunt. Sed nunc quoque nullo pauore tremuisti, ne fortè quispiam vestrûm te nesciente peccaret, & te dum ista loqueris perderet. An fortè dum cognitis tuis factis, perisse te intelligis, propter hoc alienis incognitis perire non metuis.

CAP. V. QVID tibi optem, nisi vt te nobis liceat inuenire, ne libeat te perire? Quid enim spei remanebit, non solùm nobis qui Domino Christo, Prophetis, Apostolis, sanctoque Cypriano consentimus, etiam cognitos malos, si eos nec corrigere possumus, nec punire, pro vnitatis vinculo sustinendos: verumetiam vobis, quibus ante tempus messis, ventilationis, & litoris, placet à malis separatio corporalis: si opinio tua vera est, qua putas & suis peccatis quenque perire qui facit; & alienis, qui vtrum facta sint nescit? Si enim hoc ita est, profectò & maiores vestri, qui se sicut putatis à cognitis malis separauerunt, de incognitis perierunt. Non solùm autem tibi, qui cùm dicis alienis criminibus perire hominem, siue illa scientem, siue nescientem, nullum proculdubiò remanere pateris innocentem: sed etiam ipsi Emerito, qui longè tolerabilius sentiens, in communione sacramentorum, alienis peccatis tantũmodo cognitis homines innectit, ab incognitis soluit: multo veriore venerabilis Cyprianus voce respondit: Simul crescentia non perire frumẽta, zizaniis non extra Ecclesiam, sed in Ecclesia constitutis: nec occultis atque incognitis, sed planè notis ac perspicuis. Puto enim quod non in carne, sed in ipsa mente cæcatur, qui contendit latere quod cernitur. Cùm autem monet beatissimus ille, ne propter zizania quæ in ea sunt, ab Ecclesia recedatur: non monet propter illa quę occultantur, sed propter illa potius quæ cernũtur. Ipsa enim sunt, quæ possunt perturbare cernentes, nisi eos faciat sapientia patientes. Nam quomodo propter occulta nos non debere recedere disceremus, quæ omnino esse nescimus? *Et si videntur*, inquit, *in Ecclesia esse Zizania.* Videntur ait, non suspicatione creduntur. Et ne quisquam putaret ita dictum, videntur esse, tanquam non essent, sed esse viderentur: verbis consequẽtibus, quid dixerit, aperit: *Non tamen impediri*, inquit, *debet, aut fides, aut charitas nostra: vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.* Non ait suspicamur, putamus, credimus, opinamur: sed cernimus. Ea quippe etiam illi non operta credebant, sed aperta cernebant, qui dixerunt patrifamiliâs: Vis imus, & colligimus ea? de quibus dictum erat: Cùm creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Quibus respondit: Nõ: ne fortè, dum vultis colligere zizania, simul eradicetis & triticum. Et sinite vtraque crescere vsque ad messem. Et tamen tu dicis (vbi quid aliud quàm Domino contradicis?) sola per

Cypr. lib. 3. epist. 3.

Matth. 13.

A mundum creuisse zizania, & toto penè mundo diminuta perisse frumenta; cùm ad aliquas gentes nondum Ecclesia crescendo peruenerit. Necesse est autem vt peruenias & prædicetur Euangelium in vniuerso mũdo, & tunc veniat finis. Quod futurum esse, Dominus sine vlla ambiguitate prædixit.

CAPVT VI. Repetit prædicta. VIDES Ecclesiam testimonio Cypriani, & à toto catholicam dictam; & non esse sine manifestis malis; propter quos tamen admonet non relinquendam? In ea sunt boni, per seipsos multi: in comparatione autẽ zizaniorum vel palcæ, profectò pauci. Non enim præter illam, sed in ea agitur, quod ipse Dominus dicit: Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Sed ibi est & populus vbique diffusus: cui dicitur: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Qui autem habeant fidem tanquam granum sinapis, qua montes etiã transferãtur, rarissimi omnino sunt. De tali enim fide Dominus dicebat: Putas veniet filius hominis, & inueniet fidem in terra: non de apostasia totius orbis, sicut tu peruersissimè intelligis.

Matth. 24. Matth. 10. Matth. 17. Luc. 18.

CAPVT VII. De non rebaptizandis ex hæresi venientibus. PORRO de baptismo quem non putas esse nisi in Ecclesia, & ideo nos arguis, quòd ex hæresibus venientes, si iam baptizati sunt, iterum non esse baptizãdos censemus: sufficit, quod respõdere minimè potuisti quomodo damnatus baptizare potuerit Felicianus, foris à vestra Ecclesia constitutus: quem frustrà ponere voluisti, inter eos quibus dilationem dedistis. Lege Bagaitanam vestri concilij sententiam, in qua scilicet post multa acerbissima quæ illis dicta sunt, & longè grauiora quàm in Cæcilianum, quando eum maiores vestri absentem innocentemque damnarunt: ita subiecta est eorum manifesta & indubitata damnatio. *Famosi ergo criminis reos Victorianum Carcabianensem, Martianum Sullectinum, Beianum Baianensem, Salnium Ausaphensem, Theodorum Vsilensem, Donatum Sabratensem, Miggenem Elephantariensem, Prætextatum Assuritanum, Saluum Membresitanum, Valerum Melzitanum, Felicianum Musitanum, & Martialem Pertusensem: qui funesto opere perditionis vas sordidum, collecta fæculentia glutinauerunt: sed & clericos aliquando Ecclesiæ Carthaginis, qui dum facinori interfuit, illicito incestui lenocinium præbuerunt: Dei præsidentis arbitrio, vniuersalis concilij ore veridico damnatos esse cognoscite.* Et deinde incipit cæteris dilatio prorogari his verbis: *Eos autem quos sacrilegi surculi non pollu ere plantaria, hoc est qui à Maximiani capite, propriis manus verecundo fidei pudore retraxerunt; ad matrem Ecclesiam redire permisimus.* Iam de his quod dicendum fuit, & in prioribus ad te datis literis meis satis dictum est. Cui loco te prorsus respondere non potuisse, quisquis legerit, & parum per aduerterit, dubitare non poterit.

CAPVT VIII. Responsio ad Agrippini & Cypriani obiecta. FRVSTRA itaque tibi videtur, *Agrippini & Cypriani concilia in hac quæstione esse sectanda:* cùm vos ea neglexeritis, quando extra vestram communionem baptizatos à damnatis, contra quos de basilicis excludendos litigabatis, sine vlla repetitione baptismatis suscepistis. De sententia verò Cypriani, vel collegarum eius, quibus tunc placuit, venientes ab hęreticis baptizare oportere, longum est vt pro merito disputem. Sed istam tu mihi si potes, breuè solue quæstionem. Quãdo rebaptizabat Cyprianus ab hęreticis venientes, Ecclesiæ Carthaginensis Episcopus, tunc Ecclesiæ Romanæ Stephanus Episcopus in eodem baptismo, quẽ foris acceperant, suscipiebat hæreticos: & ambo hæc diuersa facientes, in vnitate catholica permanebant. Dic mihi, vtrum illo tempore Ecclesia quando secundum vos, omnium criminum reos sine baptismo recipiebat per Stephanum & eius innumerabiles toto orbe collegas, qui eiusdem sententię participes erãt: malorum contagione perierat, an non perierat? Neque enim istos malos poteris dicere occultos: quamuis tu asseras

asseras nocere ac mortificare & occultos. Quisquis igitur homicida, vel etiam parricida, adulter, incestator, idololatra, codicum denique sanctorum non timidus traditor, sed vt traderentur crudelis tortor, & violentus extortor, & iussu vel manu extremus incensor, apud hæreticos baptizatus, ad Stephanum & eius socios venit: secundum vos sine baptismo exceptus est. Cernis igitur omnia hominum crimina, si verum est quod de baptismo sentitis, tunc in Ecclesia sine baptismo congregata? Responde vtrum his criminibus, in eadem vnitate maculatus fuerit Cyprianus; responde vtrum Ecclesia perierit, an non perierit? Elige quod putaueris. Si iam tunc perierat, Donatum quæ peperit? Si autem tot in eam sine baptismo aggregatis, perire non potuit; responde quæso, vt ab ea se, tanquam malorum communionem deuitans, pars Donati separaret, quæ dementia persuasit? Absit autem, vt quoniam beatissimus Cyprianus de baptismo aliter sensit, quàm veritas & antea consuetudine & postea perfecta diligentius ratione monstrauit: propterea quisquam nostrum, qui hoc quod ille non sapimus, ei se audeat anteponere. Cætera enim multa & magna eius merita, & animus præcipua charitate plenissimus, per quem cum collegis diuersa sentientibus pacatissimus mansit, & in vnitate Ecclesię passio gloriosa, satis ostẽderunt eum fuisse sarmentum in Christi radice fructuosum: quod pater etiam ab ista reprehensione purgaret, vt fructum posset adferre maiorem. Sic enim ait ipse Iesus: Sarmentum quod in me dat fructum, purgat illud pater meus, vt maiorem fructum adferat. Ostendens etiam in ipsis fructuosis, agricolam qui est in cælis, aliquid inuenire quod purget. Quis enim nostrum Petro apostolo comparari potest, quamuis nunquam gentes Iudaizare coegerimus: quod ille faciebat, quando non rectè ingrediebatur ad veritatem Euangelij? Vnde à suo posteriore apostolo Paulo, salubri admonitione correctus, vtilius posteris humilitatis præbuit exemplum, quam si nihil in illo existeret corrigendum.

† For. patefacta.

Ioan. 15.

Gal. 2.

CAPVT IX. Mali quos corrigere, vel damnare non possumus, tolerandi. IN hac ergo Ecclesia constituti, quæ malorum siue occultorum, siue etiam manifestorum, nec potuit, nec poterit perire contagio, nullas de quibuslibet hominibus calumnias formidamus. Si enim mali sunt, proculdubiò eos aut ignorant boni, aut suis iudiciis manifestatos ecclesiasticis legibus damnãt: aut etiam si nouerunt eos, & non apud se accusatos, neque conuictos, damnare non possunt, pro Ecclesiæ pace non solùm irreprehensibiliter, verumetiam laudabiliter tolerant: nec se propter pisces malos ruptis Dominicis retibus, ante tempus litoris damnabiliter separant. Si enim hoc facere velint, exceptis diuinarum scripturarum innumerabilibus testimoniis, quibus ne faciant prohibentur: retinet eos certè quem testem adhibuisti, beatissimus Cyprianus, clamans atque contestans: *Quia & si videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet, aut fides aut charitas nostra: vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.* Non solùm verbo, verumetiam exemplo suo nos admonens: qui collegas suos, fundos insidiosis fraudibus rapientes, vsuris multiplicantibus fœnus augentes, quorum auaritiam, non leue aliquod vitium, sed esse idololatriam, secundum Apostolum intellexit, pro vnitatis vinculo pertulit. Talis nec eorum contagio factus est, talis discessit ab eis dissimilitudine morum, non diuisione sacramentorum. Et immundum non tetigit: sed à factis eorũ abhorrendo, non seorsum populos colligẽdo. Vos autem dum carnaliter sapitis, quod dictum est per Esaiam prophetam: Discedite & exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: & talia quæ in Scripturis similiter dicta sunt: dum hęc, inquam, non spiritaliter,

Lib. 3. epi. 3.

Serm. de lapsis.

Lib. 4. epi. 2. ad Anton.

Esaiæ 52.

A sed carnaliter sapitis, tales omnino apparetis, quales eorum, ipso propheta prædicante dominantur dicentes: Nolite me tangere, quoniam mũdus sum. Deniq; quando aliena peccata vos peruersè deuitãda esse censuistis, alia vestra fecistis, sacrilegum schisma, populos diuidendo; & sacrilegã hęresim, contra Dei manifestata promissa, & impleta, de ecclesia toto orbe diffusa, nefario spiritu sentiendo. Nã si vt putas, & nos in verbo reprehendis, vna eademq; societas perditorum simul & schisma & hæresis esset, non dixisset B. Cyprianus in hac ipsa epistola, vnde hoc de zizaniis in Ecclesia cõstitutis posuit testimoniũ, eis confessoribus quos gratulabatur à Nouatianorũ diuisione fuisse liberatos; *Dolebam vehementer & graniter angebar, quòd eis cõmunicare non possem, quos semel diligere cœpissem, posteaquam vos de carcere prodeuntes schismaticus error excepit.* Noli ergo contra apertissimam veritatem, aut vtrumq; fallaciter declinare: aut vnum horum tibi, quod tibi mitius videtur eligere: cùm & schismaticus sis sacrilega discessione, & hæreticus sacrilego dogmate.

Esa. 65.

Lib. 3. epi. 3.

B

CAPVT X. Schisma in discessione, hæresis in sacrilego dogmate cernitur. NEC vobis blandiamini, quòd baptismum non rescindimus vestrum. Non est hoc vestrum, sed catholicæ ecclesiæ quam tenemus: vnde illum quãdo discessistis, nõ quidem ad salutem, sed ad pernitiem vestram vobiscum tulistis. Nam vasa Dominica, etiam apud alienigenas, sancta permanserant. Vnde rex qui eis contumeliosè vti ausus est, Deo irascente punitus est. Et arca testamenti ab hostibus capta nequaquam virtutẽ suæ sanctificatiõis amisit. Si ergo illa sancta, quę sic tũc apud alienos fuerunt, vt apud suos esse desisterẽt, vim tamen sanctitatis nullo modo perdere potuerũt, quanto magis eam Christiana sacramenta nõ perdunt, quãdo ita vt apud nos etiam maneant, ad hæreticos transeunt? Hoc est quod dixi ad te scribens, quod etiam in Collatione vobis diximus, idq; potius eludendum putastis, quia dissoluere nequiuistis, Quoniam sicut Apostolus ait de quibusdam: Veritatem in iniquitate detinent, ita & vos veritatem baptismi diuini in iniquitate detinetis erroris humani. Quam veritatem non vestram, propter iniquitatẽ vestram rescindere vtiq; non debemus. Et quia ipse Apostolus de idololatris gentibus dixisse intelligitur: Qui veritatẽ in iniquitate detinent: tu mihi quasi respõdens flagitasti vt probarem, *quid de gentilium sacrilegio Apostolus non rescindat; quid de eorum prophano ritu non damnet.* Quasi posset quod sacrilegum est & prophanũ non rescindere, atq; dãnare: sicut nos schisma vestrum, & hęresim vestrã. Sentẽtias tamẽ quasdã veritatis, quas de incognito Deo quidam gentilium philosophi tenent, non solùm non destruxit Apostolus, sed etiã inde testimoniũ cùm opus esset, adhibuit: Loquens quippe Athenienſibus ait de Deo: In illo enim viuimus, & mouemur & sumus: sicut & quidam secundum vos dixerunt. Hanc illi veritatem sapientiæ, quam B. Paulus non solùm non destruebat, verumetiam ad illos instruendos adhibebat, in iniquitate detinebant suæ idololatriæ, quã doctrina Apostolica machinamẽtis apostolicis euertebat. Ita & nos, quę in ecclesia catholica vera maiores vestri acceperũt, vobisq; tradiderũt, nõ rescindimus, sed agnoscimus. Vestrũ verò sacrilegiũ, aut in vestra conuersatione rescindimus, aut in vestra pertinacia detestamur.

Supra lib. 1. cap. 6. Collat. 3. c. 8.

Rom. 1.

Act. 17. Aratus.

D

Quod sanctũ & verum est semper agnoscendum esse.

Dan. 5. 1. Reg. 4.

CAPVT XI. Supr. lib. 1. cap. 6. QVANQVAM totam quęstionem, & totum quod inter nos agitur, vno verbo Tribuni satis diligẽter exposito, omnino soluisti. Cùm enim ego dixissem, *neq; hoc in tribuni literis legitur, à te in veritate inuocatum nomen Dei,* quia ipsum prorsus verbum ibi non legeram, tu respondisti, *Falleris, vel potius fallis. Nam verba Tribuni sunt: Nẽue tãtum opus domus Domini, vbi à te sæpius Dei & Christi eius inuocatũ nomen est, per religionẽ tuam ibidem constitutã, concrematum esse dicatur. Intellige quia in veritate religio dicitur; in fallacia superstitio nominatur.*

Quando

Quando ego id aduerterem? Quando ita ratiocinarer? Quando aliud ex alio sic probarem? Fateor, fugit hoc aciem quantulicunque ingenij mei: & ideo crede mihi, falli me ibi potuisse, non vt dixisti, fallere voluisse in verbo. Itaque Tribunus tanquam homo militaris errauit, vt ei quem scit vel credit hæreticum, diceret, per religionem tuam: cum hæresis non religio, sed superstitio; religio autem non in falsitate sed in veritate, propria locutione dicatur. Proinde secũdum hanc expositionem tuam, verus Dei cultus religio, falsus autem superstitio nũcupatur. Audi ergo teipsum, obaudi tibiipsi: & nos sequi minimè recusabis. Scribens nanq; ad eundem Tribunum in primæ epistolæ tuæ ipso exordio posuisti atque dixisti: *Honorabili ac nimium nobis si sic volueris, desiderando Dulcitio Tribuno & notario, Gaudentius Episcopus.* Et continuò subiecisti: *Religionis tuæ scripta percepi.* Quid igitur ad nos venire adhuc dubitas? Ecce Tribunus Dulcitius cùm sit homo cõmunionis nostræ, tamen secundum testimonium tuum, non superstitiosus, sed religiosus est: ac per hoc secundum expositionem tuam, non falsum, sed verum Dei cultum tenet. Ipse ergo est in catholica potius quàm tu: quoniam tu in hoc verbo vsque adeo non errasti, vt etiam exponeres, tantũ religionem à superstitione distare, quantum à falsitate veritas distat. Ille autem homo, vt iam dixi, militaris, & in istis verborum proprietatibus minus eruditus, quid esset religiõ nesciebat. Absit enim vt dicam, te adulãdo fallebat. Tu verò qui eos cõtra quos disputas, arguis ex Propheta & clamas: Væ his qui dicũt amarum dulce, & dulce amarum: qui dicunt lucẽ tenebras, & tenebras lucẽ; si superstitio est quam nobiscum tenet Dulcitius, cur eam religionem esse dixisti? si autem verum dixisti, cur hæreticam tenendo superstitionem, respuis catholicam religionẽ? Sequere igitur testimonium tuum: maximè, quia & ipsi vestri cùm cognouerint, non tibi fortasse communicabunt: quoniam Tribuno Dulcitio per hoc verbum communicasti. Eia frater Gaudenti, noli perdere occasionem, quam tibi etiam per tuam linguam Dominus dedit. An fortè ad hoc irasceris, quod fratrem voco? Hoc enim nomen à nobis etiam in nostra Collatione respuistis: vbi ostendistis nos esse, quibus Dominus præcepit per prophetam: Dicite, fratres nostri estis, eis qui vos oderunt, & qui vos detestãtur: vos verò in numero eorum esse, qui istos quibus hoc Dominus dicit, oderunt & detestantur. Negare certè non potes te religionem dixisse, in qua est tribunus Dulcitius. Propterea illam tibi epistolam misit, vtique vt te non occideres, & illi ecclesiæ, in qua est ipse, communicares. Si ergo ipsius religio est, tua superstitio est. Quamuis enim ambo vobis hoc inuicem dixeritis: eligis tamen ipsum potius falsum dixisse, quàm te.

Religio prope non nisi in veritate locum habet.

Donatistæ fratres se à catholicis in collatione Carthaginiensi noluerunt appellari. Esa. 66.

Esa. 5.

QVAMOBREM secũdum verissimum hoc tuum testimonium, & tuam verissimam expositionem, quoniam religio est quã Dulcitius Tribunus tenet: profectò religio est, qua te ad nostram communionem præceptum imperatoris impellit. Vnde fit consequens, vt religio sit etiam, qua Christianus imperator ad curam suam iudicat pertinere, ne in res diuinas impunè peccetur: à quo tu nõ vis curari, nisi ea quæ terrena repub. continentur. Vnde & regem Niniuitarũ, oblitus quid legeris, populo de agenda pœnitẽtia non mandasse dixisti. Hęc enim verba tua sunt ad me: *Quid*, inquis, *miseros decipis? Ionæ Deus præcepit, prophetam Dominus ad populum misit: nihil tale regi mãdauit.* Aduerte ergo quid scriptũ sit, & noli irasci tibi ipsi, qui vel diuina scripta non recolis: vel tu potius miseros decipis. Surrexit Ionas & abiit in Niniuẽ, sicut locutus est Dominus. Niniue autem ciuitas magna erat, quasi viẹ tridui. Et cœpit Ionas ingredi ciuitatem, quasi vnius diei iter; & prædicauit & ait: Adhuc triduũ, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ Domino, & indixerunt ieiunium, & saccos induerunt, à maiore vsque ad minorem. Cumq; peruenisset sermo ad regem ciuitatis Ninive, surrexit de sede sua, & detraxit sibi vestimenta, & se circumdedit sacco, & consedit in cinere. Prædicaturq; à rege & à potentibus dicẽs: Homines & iumenta, & oues & boues, non gustent quicquam, neq; pascantur, & aquam non bibant. Et induti sunt saccos homines, & iumẽta proclamauerũt ad Dominum impẽsè: & auersus est vnusquisq, à via nequitiẹ suæ & iniquitatis quam in manibus habebat. Audis ne tandem regẽm curasse, quod ad regum curam tibi displiceat pertinere? Certè vt impensè ageretur, quod minus quã oportuerat, agebatur. Ideo ergo Niniuitæ nõ sunt expoliationibus proscriptionibusque, vel terrore militũ, ad pœnitentiam imperio regis artati; quia obedienter iussa fecerunt. Non itaque ostẽdimus populũ ista perpessum; quia nec tu ostendis regẽ fuisse contemptum. Proinde cum regibus ea quæ secundũ Deum sunt, religioso timore iubẽtibus quisquis obtemperat; timore incipiẽs & ad dilectionem proficiẽs, à Domino accipit pacem: non sicut pacem dat seculum, quoniam seculum dat pacem propter temporalem vtilitatem: Dominus autem propter æternam salutem. Ergo quia ista religio est, in qua est Tribunus Dulcitius (neque enim verba tua negaturus es) superstitio est pars Donati, vnde te vult erui huius religio: superstitio est, quòd te quẽris occidere, quod valde prohibet huius religio, superstitio est quod erga ista curam imperatoris reprehendis; quam suscepit exequendam huius religio.

Ionæ 3.

CAPVT XII. *Ad imperatorum curam nõ terrena tãtum pertinere, sed & ne quis in res diuinas impunè peccet.*

ITAQVE quia verbo tuo causa finita est, obsecro per Deum religionis, Deũ veritatis) vt etiam tuus error aliquando finiatur. Ipsa est frater ecclesia Christi, quæ hoc tempore, toto terrarũ orbe crescendo dilatatur, continens & malos & bonos, ventilatione vltima separãdos. Atque vt te ad extremum illius potius verbis alloquar, quem testem catholici nominis adhibere voluisti: *Ipsa est quæ Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit: ipsa est quæ ramos suos per vniuersam terram copia vbertatis extendit.* Proinde *& si videntur in illa esse zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut charitas nostra; vt quoniam zizania esse in ecclesia cernimus, ipsi de ecclesia recedamus. Nobis tantummodo laborandum est, vt frumentum esse possimus; vt cùm frumẽtum cæperit Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro & labore capiamus. Apostolus in epistola sua dicit, In domo autem magna, non solùm vasa sunt aurea & argentea: sed & lignea & fictilia. Et quædam quidem honorata: quædam verò inhonorata. Nos operam demus, & quantum possumus laboremus, vt vas aureum vel argenteum simus. Cæterum fictilia vasa confringere, Domino soli concessum est: cui & virga ferrea data est. Esse non potest maior Domino suo seruus. Nec quisquam sibi, quod soli filio pater tribuit, vendicarit; vt se putet, aut ad aream ventilandam & purgandam, palam iam ferre posse; aut à frumento vniuersa zizania humano iudicio separare. Superba est ista obstinatio & sacrilega præsumptio, quam sibi furor praeuus adsumit. Et dum sibi semper aliquid amplius quam mitis iustitia deposcit adsumunt, de ecclesia pereunt. Et dum se insolenter extollunt, ipso suo tumore cæcati veritatis lumen amittunt.* Beatissimi Cypriani sunt verba ista, non mea: eius videlicet verba sunt, quem tu nobis lectissimum testem catholici nominis, in tuorum scriptorum exordio posuisti, & per multa copiosissimè commendasti: imò per ipsum (quoniã vera atque diuina sunt verba) sunt Dei. Ecce quod audi, ecce quod caue; vt adiuuante misericordia Saluatoris, simul charitatem catholicam teneamus, simul pacem catholicam diligamus, simul cum eius frumẽtis vsquequaque crescamus, simul vsque ad finem zizania toleremus, simul in horreo sine fine viuamus. Vides nempe sine vlla defensione Cæciliani, vel quorumlibet hominum quos accusandos putatis, catholicam suo robore ac firmitate cõsistere. Quamuis & Cæciliani causam Collatio nostra purgauerit: & aliorum, de quibus calumniamini, aut dubia sit criminatio, aut iniusta damnatio. Sed valde stultũ est, vt ecclesiæ causam, diuinis testimoniis fultã atq; munitã in hominum causis rationẽ exorbitãte ponamus: cùm etiã si illos malos manifestissimè videremus, nec iã separare à sacramẽtis ecclesiæ valeremus, non tamẽ impediri deberet aut fides aut charitas nostra: vt quoniã & istos inter zizania esse in ecclesia cerneremus, ipsi de ecclesia recedere deberemus. Si respondere cogitas, noli causam relinquere, & in superuacaneis euagari. Ea quę dicta sunt, intuere: ad ea quæ dicta sunt, non fallaciter eludẽdo, sed rationabiliter disputãdo respondẽ. Nam illa prolixa respõsione quid egeris, vel potius quàm nihil egeris; si necessariũ visum fuerit, Dominusq; donauerit, opere alio diligentiùs demonstrabo.

Cyprian. de simpl. prælat.

Lib. 3. epi. 3.

2. Tim. 2.

Psal. 2.

FINIS.

CONTRA FVLGENTIVM DONATISTAM, INCERTI AVTHORIS LIBER.

CAP. I.

IBELLVM, quẽ mihi religio tua, frater Fulgenti, direxit, non aspernatus accepi: quem vtrum ipse dictaueris, an aliunde quæsieris, non satis admiror. Est enim & hoc nostræ religionis officium, non personas intendere, sed veritatem in omnibus quærere, inuentam agnoscere, & agnitam custodire. Sic enim apostolus Paulus dicit: Omnia probate, quod bonũ est tenete. Ab omni specie mala vos abstinete. Breuiter igitur dicam quod ingeniosius literis dilatasti, Dixisti vnum esse baptisma, quod Samaritanus, id est hæreticus habere non meruit. Vnum ortum conclusum, qui est ecclesia, fontem habere signatum, de quo nullus alienus attingit. Vnum oleũ quod est chrisma sanctissimum, quod moriturę muscæ corrumpunt, & peccatores omnino non dabunt. Contra hæc mihi in adiutorio Domini paranda responsio est, nec aliunde sumenda, nisi ex lectione diuina. Verbi ergo principium iam sumamus, imò ipsum verbum principium Iesum Dominum, ducem ac principem cælestis militiæ teneamus, bella geramus, & eius manu sacrata tuba petamus muros validissimos ciuitatis nefariæ Hiericho: id est altitudinem mundanę sapiẽtiæ testamentis Dominicis circumdemus, veritatis & libertatis vocibus cõcrepemus, aduersarios in domo Raab, id est, ecclesiæ quę nuncios eius suscipit, propter mũdi excidium confugere compellamus: pertinaces anathemate condemnamus, vt hactenus victores esse possimus. Hæc ergo ex lege aduersus legem, ex Dei testamento aduersus Dei testamentum, ex veritatis fonte aduersus veritatis fontem tam obice forti prima fronte sumpsisti, quasi possit veritas à semetipsa deuinci, aut gloria luminis sua luce fuscari.

1. Thess. 5.

Capita refutationis.

Ioan. 8.

Iosue 6.

CAPVT II.

DONATISTA dixit: *Dominus & saluator noster Iesus Christus vnici baptismi doctor & custos ne sitientes animas per aridos lacus mentis error abduceret, perennes haustus sibi esse proclamans, in Euangelio suo ita testatus est, dicens: Qui sitit, veniat & bibat, qui credit in me, sicut Esaias dicit.* Cath. resp. Non habet, sicut dicit Esaias: sed sicut dicit Scriptura. Sed ista velut impedimenta despiciam, ne longo sermone vtilitatem legentis excludam. Don. dixit: *Qui credit in me, sicut dicit Esaias, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: & ne passim & vbique bibi posse diceretur, merita aquarum ipse discreuit, dum Samariæ apostasiæ originem in proprio fonte damnauit. Qui biberit*, inquit, *ex hac aqua, sitiet iterum: qui biberit ex aqua quam ego dedero, non sitiet in æternum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Cath. respon. Hæc vtique ideo posuisti, vt nos catholicos quasi Samaritanos & sine baptismo demonstrares. Iam ergo Donatistas in Samaritanis incipe speculari. Samaritanorum dogma Regnorũ libro docẽte tale fuit: Deum timebant, & simul figmenta colebant: diuinam legem seruabant, & patrum errores minimè deserebant: circuncisionis signum habebant, & Israelitarum collegium non tenebant. Hoc & vos facitis: Deum metuitis, & figmentum luteum Donatum pariter colitis. Et hic enim ex terræ puluere figuratus est. Diuinam legem seruatis, & parentum errorem non relinquitis. Baptismi habetis sacramentum, & catholicorum non vultis habere consortium. Ecce vos eis per omnia similatis. Sicut ergo tunc Samaritanorum circuncisio secundo dari non poterat, ita nunc Donatistarum baptisma iterari non debet, Domino Christo dicente: Qui semel lotus est, non habet necessitatem iterum lauandi. Circuncisio enim Samaritanorum baptisma significat Donatistarum, dicente Apostolo: Circuncisi estis circũcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, cõsepulti ei in baptismo. Quòd autem ait Dominus: Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum: non de baptismate, sed de terreno locutus est elemento. Nam si baptisma hic vellet ostendere, nullo modo à Samaritana muliere postulasset. Denique puteus ille non Samariæ dictus est, sed Iacob, & vtique Iacob non fuit hæreticus, sed Deo dilectus, semper charus, & ipse ex eo bibit, & filij eius & pecora eius.

3. Reg. 13.

Ioan. 13.

Colos. 2.

Ioan. 7.

Ioan. 4.

CAPVT III.

DON. dixit: *Nunquã ergo ecclesiæ spiritus patitur iungi quod ore diuino meruit diffamari, legis præconio præmonẽte: Duo contra duo, vnũ contra vnũ. Et Dominus in Euangelio: Tunc*, inquit, *duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur: duæ molentes in molendino, vna assumetur & vna relinquetur. Vides ergo duo genera esse baptismatum & duo præmia meritorum, dum vnum letalis ingenij ardor exurit, & bibulæ sitis perẽnes haustus excoquit: alterum quod semel potandarũ meatibus sitium vitæ perennitatem sanciuit, vtique in effossis gurgitibus perpetuas arditates ostendit, & dum eius piè meritũ clausit, mortis aditum patefecit, dicente Hieremia: Duo mala fecit populus iste: Me dereliquerunt, & effoderunt sibi lacus detritos, qui copiam non possunt portare. Et iterum: Omnes qui dereliquunt te, confundentur: recedentes à te, scribentur in libro mortis, quoniam dereliquerunt te fontem vitæ.* Cath. resp. Tu vnum contra vnũ, ego multa baptismata assero cõtra vnum: Etenim Paganus baptizat, & Iudæus baptizat, & Sadducæus baptizat, & multi extra regulã datæ legis baptizare non cessant: sed illud est vnũ quod verum, illud verũ quod Christi, illud Christi quod patris & filij & Spiritus sancti: hoc est verũ, hoc salubre, huic nullum est comparandum. Hoc qui nõ accipit, ipse sibi & vitæ meritum clausit, & mortis aditum patefecit.

Eccl. 12.

Matth. 24.

Hier. 2.

Hier. 17.

CAPVT IIII.

DONATISTA dixit: *Quòd sicut asseris vna fides in vtroque consistit, cur inter fidelem aquam & perfidam iusta separatione discreuit, testante Domino per Esaiam: Quis nunciauit vobis quia ignis ardet? Quis nunciauit vo-*

Esa. 33.

uit vobis locum illum æternum? Ambulans in iustitia, prædicans viam rectam, odio habens facinus & iniustitiam, & manus abstinens à muneribus, & grauans aurem vt non audiat iudicium sanguinis, & comprimens oculos suos ne videant iniquitatem, hic inhabitabit in alta spe fortis panis illi dabitur, & aqua eius fidelis. A cuius
Hiere.15. *fide perfidiam separans, Hieremia testante, sic posuit, Vt quid iniuriantes me præualent? plaga mea solida facta est, vnde sanabo? facta est mihi sicut aqua mendax non habens fidem.* Cath.respond.Hæretici omnes licet in sua sibi disputatione discordent,in baptismi tamen traditione solenni verbo concordant. Sicut circuncisio vna, sed fide varia in Iudæis & Samaritanis veteribus consistebat. Necesse est ergo sicut tunc,ita & nunc fieri oportere conuersis,vt quod disputatione sola petatur, sola
Ioan.15. iterum disputatione soluatur, vt audire de Domino possint: Iam mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis: Manete in me: & ego in vobis. O-
1.Cor.10. mnia enim in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis seculorum obuenit.

CAP. V. DONATISTA dixit: *Ezechiel quoque sic dixit: Et videbunt, quia plures sunt qui auerterunt aquam antiquæ piscinæ, & non aspexerunt ad eum qui fecit eam ab initio, & eum qui illam condidit non viderunt. Inaudita dementia perfidorum, nec diuinis velle vocibus credere, nec Apostoli simplicem doctrinam erroris sui faucibus velle seruare.* Cath.respondit: Absit,absit vt aquam antiquæ piscinæ, sicut vos in partẽ ducamus, aut diuinis eloquiis non credamus, quod legimus credimus: & quod credimus, prædicamus. Audi quæ sit origo nostra,& vbi
Zach.4. eius aqua diffusa. In Zacharia sic habes:Exibunt aquæ viuæ de Hierusalem, medium earum ad mare orientale,& medium earum ad mare nouissimum: hoc est, ab Hierusalem vsque ad fines terræ: æstate & hyeme erunt: id est, omni tempore erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram:hoc est,omni terrę Christus dominabitur,non Donatus.Hæc est possessio,hæc hæreditas Christi, quæ à sanctis colitur, & perenni fonte C
Psal.2. rigatur,de qua ei dictum est:Dabo tibi gentes hæreditatem tuam,& possessionẽ tuam terminos terræ. Qui in ipsa est, hæres ascriptus est: qui in ipsa non est,iam damnatus & morti destinatus est, Scriptura dicente,
Exod.12. Qui egressus fuerit fores domus tuę,ipse sibi reus erit.

CAPVT VI. DONATISTA dixit: *Hinc sibi Deus vnicum baptisma esse proclamat: hinc Apostolus vnum cunctis dixisse*
Cant.4. *confirmat, Deo per Salomonem probante: Ortus conclusus, soror mea, sponsa mea, fons signatus, puteus aquæ viuæ, paradisus cum fructu pomorum.* Cath. respondit: Recordare, lege omnia, aduerte diligenter, & vide quòd ex hoc paradiso, ex hoc orto concluso, ex hoc fonte signato, etiam foris salutis vnda decurrat,quæ vadit cõtra Assyrios,contra vos videlicet Donatistas. Ex Assyriis enim Samaritani illi nascuntur qui vobis sunt com
Gen.2. parati: Ipse est,inquit Scriptura,fluuius qui vadit contra Assyrios, contra inimicam Dei populo gentem:nõ pro illis vadit, sed contra. Quibusdam enim est odor
2 Cor.2. mortis in mortem, quibusdam verò odor vitæ in vi-
1.Cor.11. tam:Sicut enim qui mãducat & bibit sanguinem Domini, indignè iudicium sibi manducat & bibit: sic & qui accipit indignè baptisma,iudicium accipit non salutem. Nam & Iudas proditor bonum corpus, & Simon magus bonum baptisma Christi percepit, sed quia bono bene non vsi sunt, mali malè vtendo deleti sunt. Bonum est baptisma, bonum est Christi sanguis & corpus,bona est & lex,sed si quis ea legitimè vtatur.
1.Tim 1. Neque enim & quia foris est, diuina non est, aut quia ab alienis habetur, aliena putabitur, aut quia à malis iniustè tractatur,à nobis iustè damnabitur. Aqua paradisi,aqua trinitatis est, hanc vbi agnoscimus, paradisi non negamus, hanc vbi non perspicimus, paradisi omnino non dicimus,quæcunque foris nata est, paradisi nullo modo dicenda est. Vt puta Manichæus,quia nunquam fuit in paradiso,nec sicut vos de ecclesia foras egressus est, aqua paradisi potandus est, quia foris exortus est. Hic opus habet vt viuat, ne in æternum moriatur, sed vt legitimè viuat, in ipsa viuat, ne iudicium manducet & bibat.

CAPVT VII. DONATISTA dixit: *Econtrà Apostolus dixisse testatur: Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma: Nulla in* Eph.4.
doctrina diuina varietas, per omnia dominum sequitur seruus, in nullo differt à magistro discipulus: quem sequeris, quem imitaris, quem huius flagitij arbitraris authorem? Cath.respondit,Da mihi aliquem sanctorum post trinitatem rebaptizare, quod facis, Lege mihi non illas Scripturas quarum authoritate non teneor, sed noui & veteris Testamenti quibus vtrique subiicimur:Si vnum est baptisma,cur duplicas vnum? Nõ enim aliud iteras quàm quod inuenis verum. Quoniam ergo quæ destruxistis,ea iterum reædificatis,præuaricatores vos B esse monstratis.

CAPVT VIII. DONATISTA dixit: *Aut si vnum putas cum reis aliqua permixtione coniunctum sacramentum baptismi, audi prophetas quibus sit rectè dispensum, dicente Salomone: Fons vitæ in manibus iusti.* Cath. respondit: Bene Luc.16.
de vobis Dominus dixit, qui errorem vestrum autè præuidit: Vos estis qui iustificatis vos corã hominibus, Dominus autem nouit corda vestra: quia quod altum est hominibus,abominabile est apud Deum. Si iustus es,& fons vitæ in manu tua est,nõ homo, sed Deus es. Ad te confugiatur,tibi credatur, in te spes omnis vitæ ponatur, ipsum baptisma in nomine tuo detur, & de Domino taceatur. Vis scire vbi hunc fontem vitæ requiras?in Psalmo habes: Apud te est fons vitæ,& in lumine tuo videbimus lumen. Non legisti: Filius malus Psal.35.
superbos oculos habet: filius malus ipse se iustum di- Pro.30.iuxta 70.
cit,exitus autem suos nõ abluet? Nisi te vt hominem reum esse cognoueris, nisi te peccatorem veraci corde clamaueris,iustificari omnino nõ poteris,dicente Propheta,Dic prior iniquitates tuas vt iustificeris. Et Ioan Esa.43. 1.Ioan.1.
nes apostolus: Si dixerimus quia peccatum non habemus,nosipsos decipimus,& veritas in nobis non est.

CAPVT IX. DONATISTA dixit: *Et Dauid dicit, Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Cath.respond. Dic Psal.140.
ergo mihi aliquem tuorum quem probes nõ esse peccatorem,vt oleum vestrum non possit esse peccatoris, cùm scriptum sit: Nullus est hominum qui non pec- Eccl.7.
cet. Interpretes malo desuper. Lege, vt sensum possis accipere, sic ait: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me,oleum autem peccatoris non vngat caput meum:hoc est,Melior est misericors increpatio quàm lenis adulatio, sicut & illud: Meliora sunt vul- Proueb.27.
nera amici quàm voluntaria oscula inimici. Oleum peccatoris blandimentum est adulatoris, de quo alibi dicit: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi Psal.54.
sunt iacula. Oleum iusti spiritus est Dei, dicente Petro: Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu san- Actor.10.
cto. Desine itaque Spiritum sanctum oleum dicere D peccatoris,ne Deum incipias asserere peccatorem.

CAP.X. DONATISTA dixit: *Aperta confessio perfidorum isto loco monstratur, quæ inimica præsumptione à facinoroso sacerdote coniunctà polluitur, cuius sacrificium velut oleum voce diuina respuitur. Facinorosus,* inquit,*qui sacri-* Esa.66.
ficat mihi, velut qui canem occidat: & qui offert similagi-nem,quasi sanguinem porcinũ: & qui offert thus in memoria,quasi blasphemus. Cath.respond.Certũ est,quòd sacerdotis & plebis execretur Deus ac despiciat holocausta,si bona non affuerit conscientia:aut si de sacerdotibus solum dictum cupis intelligi, quomodo apud vos facinorosorũ nõ polluitur cõfectio sacerdotũ? Dicis,quãdiu mali latent, inquinare nõ possunt. Propter quod scriptũ est: Quæ occulta sunt,mihi: quæ manifestata

festata sunt, vobis. Si ergo quamdiu mali latent,in- A
quinare non possunt,cur longè positas nationes, quibus nomen Donati & Cæciliani habetur incognitum, rebaptizare non times? Quis vestrum aliquorum mala in eorum pertulit aliquando notitiam? Et si pertulisset & non probasset, in nullo prorsus obesset,iuxta illud: Quæ occulta sunt, mihi:quæ manifestata sunt,vobis.

CAP. XI. DONAT. dixit: *Adhuc eius aquas turbidas prophe-*
Abac.3. *ta spiritu manifestat: Imposuisti, inquit, in mari equos*
Osee 6. *tuos turbantes aquas multas: Me contempsit Galaad ciuitas,quæ operatur stulta,turbas aquas,& fortitudo tua sicut hominis piratæ.* Cath.respondit: Agnosce in te tua tela
Psalm.36. conuerti, sicut scriptum est, Gladius eorum intret in corda ipsorum,& arcus eorum confringatur. Fortitudo tua Donatista,sicut hominis piratæ,qui viribus rebaptizas, viribus in aqua pugnas, viribus in aqua necas:ista gerens, pirata captus occideris, nisi conuersus pœnitueris, & regi Christo in catholica militaueris.

CAP. XII. DONATISTA dixit, *Si ergo vnico fonte Ecclesia gloriatur,vtique traditorum spelunca est,quæ in aquarum multitudine extollitur, & baptismi sui ebrietate confusa,*
Apocal. 17. *cum regibus fornicatur,dicente Ioanne, Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ sedentis super aquas multas, & inebriati sunt omnes inhabitantes terram à vino fornicationis eius. Rogo quæ sunt aquæ multæ,nisi plura baptismata? quæ mulier fornicaria,nisi traditorum spelunca,quæ regum voluptatibus seruit obnoxia, à quibus persecutionibus poculum bibens,ebria cæcitate populis miscet, &*
in amentia quos rigauerit ducit? Cuius accessum sapientis-
Proueb. 5. *simus Salomon interdixit, Ab aqua, inquit, alienâ abstine te, & de fonte alieno ne biberis,vt longo viuas tempore, & adijcientur tibi anni vitæ tuæ: Fons aquæ tuæ priuatus sit tibi,ne quisquam extraneus communicet tibi. Solus ergo priuatum non habet fontem, qui meretricis aquarum possidet multitudinem. Ioannes quoque Apostolus aquarum*
Apocal. 17. *multitudinem improbat, dicens, Et dixit mihi angelus,* C
Aquas quas vidisti, super quas sedet fornicaria illa, populi,turbæ & nationes sunt. Cath.respondit,Vt video, vbicunque aqua nominata est malè, bene baptisma credidisti. Sed in bono tibi, in malo mihi illam tribuere voluisti, vt de vobis impleretur quod Paulus
1.Timoth. 1. Apost. dixit, Nescientes neque quæ loquuntur,neq;
1.Timoth. 3. de quibus affirmant. Quemadmodum enim Iannes & Mambres restiterunt Moysi,ita hi resistunt veritati. Angelus dicit,Aquas quas vidisti, populi,turbæ & nationes sunt. Et tu angelo exponenti resistis & dicis, Rogo quæ sunt aquæ multæ, nisi plura baptisinata? quæ mulier fornicaria, nisi traditorum spelunca? Si & traditorum vocabula cupis addiscere, habes vestros,Syluanum Cirtensem,Felici curatori sacramenta tradentem. Habes Marinum ab aquis Tibilitanis, Romano curatori tres codices offerentem. Habes Victorem Ruficcadiensem quatuor Euangelia veluti deletitia comburentem, qui Cæcilianum absentem D
damnare ausi sunt innocentem. Hæc est spelunca latronum, hæc progenies traditorum, hæc mulier fornicaria,quæ relicto Christo, Donato prostituit lupanaria: cuius domus iuxta Salomonẽ secessus est mor-
Proueb. 7. tis,cuius viæ sunt inferorum, quæ se mundam vocat, cùm sit sordibus plena: quæ se innocentem clamat, cùm sit sceleribus irretita: quæ pudenda committit, & facta sua in alteram dicit,ne prior audiat quæ commisit. De factis enim vestris catholicos infamatis,vt populos à Domino separetis. Proinde quòd quasi tuos vt ab aqua nostra se abstineant, hortaris & dicis, Ab aqua aliena abstine te,& de fonte alieno ne biberis: fons aquæ tuæ priuatus sit tibi: ne quisquã extraneus communicet tibi: quis non videat Prophetam coniugibus pudicitiam commendasse, & te à veritate procul errasse? Aut si fonti tuo communicare nullus debeat extraneus, cur extraneos quæris, cur catholicos rebaptizas?

CAP. XIII. DONATISTA dixit, *Clarèt ergo apud traditores esse multitudinem aquarum, vbi diuersa schismatum semina, vbi hæreticorum multimodas pestes; vbi Manichæorum detestanda sordium fæculẽta, vel in abruptum cœnosi gurgitis lacum in æterna morte abrepto, charybdis vidit; & exterminij oleum flammis edacibus animauit.* Cath. respondit,O probare,ô errare, ô delirare. *Clarèt ergo apud traditores esse multitudinem aquarum, vbi diuersa schismatum semina, vbi hæreticorum multimodas pestes; vbi Manichæorum detestanda sordium fæculenta:* quomodo probas nobiscum esse schismaticorum multimodas pestes? Si nobiscum essent, non hæretici, sed catholici essent.

DONATISTA dixit: *Audi dicente Salomone, Muscæ morituræ exterminant confectionem suauitatis:* Eccleiastic.10.
B *Olei est ergo genuina suauitas, quæ si tactu improbo fuerit violata, fit ingrata confectione polluta. Et rectè spiritum sanctum immundis alitibus traditores æquatis, quòd in aliena mensa improbi corruant, & olei suauitatem immundis tactibus fœdent.* Cath.respondit: Quis tactu improbo violãt,qui quod inuenit seruat, an qui confectum impudenter exterminat? Quando oleum vestrum retigimus, quando spiritum sanctum iniuriando fugauimus? Docere aliquem nostrum in diuinitatis oleũ improbè cecidisse, aut trinitatis baptisma, sicut vos, illicitè violasse. Muscæ morituræ Donatistæ circumuolant per totius corporis membra, sicubi reperiant vulnerata, sana pungunt,ægra lambunt, & eorum vlceribus peccatorum vermes fundunt, quæ conscientiam mordeant, quæ animam finiant, quæ putredinem nutriant,quæ nec ipsis mortuis cadaueribus parcant. Muscæ morituræ cùm oleum exterminant, oleo perimuntur: neque enim viuitis, qui spiritum sanctum efflatis.

DONATISTA dixit: *Hoc propriè Dauid sanctissimus,nostræ fidei regulam subministrans edocet, idem pec-*
catoris oleum, nec salutem afferre,nec cuiusquam caput de-
Psalm.140. *bere contingere. Oleum, inquit, peccatoris non vngat caput meum. Ergo diligenti examine peccatoris requirenda persona est, si non de sacerdote sacrilego, vt proùhant asserunt, Dominus dixit.* Cath.respondit: Cùm sis peccati conscius, audes dicere, peccatoris requirenda persona est. Audi quæ sit peccatoris ista persona, Apostolus dixit: Omnes enim peccauerunt,& egent gloria Romani. 3.
Dei, Et Salomon: Nullus est hominum qui non pec- Eccleiastic.7.
cet. Et Iob: In angelis suis reperit prauitatem: quantò Iob 4.
magis in filiis hominum,qui terrenum habent domicilium? Hæc est persona peccatoris: id est, omnis homo peccator. Si sacerdos es, homo es: & si homo es, peccator es. Quem teipsum facis? Dixisti te solum esse sanctum,solum iustum, solum sine peccato, solum
D sine macula. Dixisti tuum esse baptisma,tuum oleum sanctum,tuam mensam Dominicam, tua illa omnia quæ fidelibus diuinitùs tribuuntur. Quid restat, nisi vt scelerate & impiè Deum te esse pronuncies? Sed audi quid caput superbiæ audire meruit: Quomodo Esa. 14.
cecidisti de cœlo lucifer qui manè oriebaris, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: Super cœlũ ascendam, & super astra Dei exaltabo sedem meã, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, & ero similis altissimo? Veruntamen in infernum descendes,& in profundum laci. Nisi ergo pœnitueris,nisi conuersus fueris, nisi deposita superbia peccatorum veniam postulaueris, audies quod & ille, quia cùm sis homo,facis teipsum Deum.

DONATISTA dixit: *Similiter Dominus per Aggæum prophetam, immundos tactus, inquinamenta confer-*

re, nec pollutum quenquam posse sancire, si illicita præsumptione conetur attingere quod sanctum videat contineri, salubri expositione monstrauit, dum pro nobis prophetam cantum exhibuit. Interroga, inquit Dominus, sacerdotes
Aggæi 2. *dicens: Si alligauerit homo carnem sanctam in summo vestimento, & tetigerit summitas vestimenti aliquam creaturam panis, aut vini, aut olei, si sanctificatur? Et responderunt sacerdotes & dixerunt, Non. Et dixit Dominus: Si tetigerit inquinatus in anima horum aliquid, si inquinabitur? Et dixerunt sacerdotes, inquinabitur. Et dixit Dominus: Sic & populus hic, & sic gens ista: Omnis qui illuc accesserit, inquinabitur.*

CATH. respondit: Hoc aduersum te vsus es testimonio, qui donum Dei in tuo ponis arbitrio. Si enim tactus sancti, immundi inquinamenta non tollit, vanum est quod geritur, quod conficitis, quod lauatis. Si tetigerit, inquit, quod sanctum est, creaturam panis, aut vini, vel olei, sanctificabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt, Non. Vbi est quòd vos extollitis, quòd sanctitatem vestram munditiam conferre iactatis? Aut si illud mouet quod ait: Sic populus hic, & sic gens ista, Omnis qui illuc accesserit inquinabitur: docete Aggæum qui ista dicebat de medio eiusdem plebis exisse ne inter eos etiam & ipse pollutus viueret. Tactus ille opera significat. Si sanctus, inquit, tetigerit immundum, non sanctificabitur. Si immundus tetigerit sanctum, inquinabitur: id est, facilius sanctus qui iunctus fuerit genti huic pessimæ pessimatur, quàm gens ista in melius commutetur: quia procliuius ad imitationem malorum curritur, quàm ad virtutes bonorum animus excitatur: sicut melli plurimo parum absinthij iniectum, velocem amaritudinem trahit; mellis verò etiamsi duplum iniiciatur, non poterit eius obtineri dulcedo. Exeundum ergo nobis est è medio malorum mente, non carne: o-
Ephes. 5. peribus, non corporibus. Nolite, inquit Apostolus, communicare operibus infructuosis tenebrarum, o-
Esaia 65. peribus ait, non altaribus. Scriptum est enim in Esaia: Qui dicunt, recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in ira mea, ignis ardens tota die. Si te hominum dicta non terrent, saltem Dei minantis ira conuertat.

CAP. XVII. DONAT. dixit: *Nunquã latro in lucem protulit prædam, semper aperarij noctis gratam bonis omnibus lucem sæpiùs horruerunt; solus traditor non Dei minis frangitur, & in aliena veste improbus gloriatur. Contra quem*
Sophon. 1. *per Sophoniam Dominus proclamat, nec auditur. Erit, inquit, in die sacrificij Domini, & vindicabo in principibus, & in omnes vestitos veste aliena.*

CATH. respondit: Tua non timeo crimina, quia mea munita est conscientia. Quem dicis tradidisse, nomen locumque traditoris ostende: nunquam id valebis ostendere, sicut nec antea valuisti: Sed etsi aliquem protuleris, mihi obesse non poterit, dicente
Ezech. 18. Domino: Anima patris mea est, anima filij mea est, a-
D nima quæ peccauerit, sola morietur. Ego tamen non in aliena veste congaudeo, qui in catholica fide semper exulto. Illa est quam habeo, qua me in die redemptionis misericors & benignus pater in decore vestiuit. Afferte, inquit, stolam illam primam, & induite il-
Luc. 15. lum, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Illam nimirum de qua Paulus apostolus dixit: Quotquot in Christo baptizati e-
Galat. 3. stis, Christum induistis. Hanc habeo, in hac gaudeo, in hac semper gloriosior apparebo. Hæc est quam vos aut vt latrones abstulistis, aut miseri sordidatis.

CAP. VI. DONATISTA dixit: *Inquantum enim improbitas deuios errores alienis bonis cupit astruere, & falsa catholica mendacij nebulas conatur obtegere, per colles tortuosos incedit, cui per Hieremiam Dominus contradicto obuia-*
A *uit: Nolite, inquit, fidere in vobis in verbis falsis, quia per omnia non prouderunt vobis, dicentes: templum Domini,* Hierem. 7.
templum Domini est. Et Dominus in Deuteronomio: Attende tibi ne offeras holocaustomata in omni loco quemcunque videris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus in tribu tua, in hac offeres holocaustomata, & ibi facies omnia quæcunque præcipio tibi hodie. Deuter. 12. Cath. respondit: Optimè, & saluti tuæ multum conueniens testimonium posuisti: Attende tibi ne offeras holocaustomata in omni loco quemcunq; videris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus in tribu tua, in hac offeras holocaustomata, & ibi facies omnia quæcunque præcipiet tibi. Audi ergo qui sit locus electus, & quæ tribus Domini prædicata, in Psalmo CXXXI. habes: Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi, hîc habitabo, quoniam præelegi eam. Item in Psalmo CXXI. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hieru-
B salem. Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas: Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini testimonium Israël. Hic est locus electus, hic mons sanctificatus, hæc ciuitas super montem posita, ita vt abscondi non possit, hæc radix catholica, hæc vitis fructifera longè lateque diffusa, quæ in Ecclesiastico clamat & dicit: In Sion fundata sum, & in Hierusalem potestas mea. Ecclesiast. 24. Etenim oportuit pati Christum & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. Rectè me argueres si in hac hæreditate maneres. At cùm in hac Dei patris hereditate non maneas, in hac Christi regis tribu non milites, cur desertor corripis militem, cur reus increpas innocentem? Et ego tibi dico: Attende tibi ne offeras in omni loco, hoc est, in omni hæresi, & dicas, & hîc Deus, & ibi Deus est: sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus in tribu tua, hoc est, in tribu
C eius, ibi offeres holocaustomata tua, & ibi facies omnia quæcunq; præcepta sunt tibi: hoc fac & viues.

DONATISTA dixit: *Baptisma vtique dici non potest quod aquarum turba dispersit, quod ab Ecclesiæ fonte malitia separauit, quod sterilis vnda siccauit, quod nec angelum vidit, nec prophetam qui se mederi posset inuenit, sicut in libr. Reg. quarto letales aquas Heliseus sanctissi-* CAP. XIX. 4. Reg. 2.
mus discussa morte sanauit, & maritante sermone in fœtus vberes meare permisit. Et dixerunt viri ciuitatis ad Heliseum: Ecce commoratio ciuitatis bona, sicut & tu Domine vides, sed aquæ multæ & steriles sunt hîc. Et dixit Heliseus: Accipite mihi vnum vas fictile, & immittite in illud sal. Et acceperunt illud, & venit ad exitus aquarum, & proiecit sal & dixit: Hæc dicit Dominus, sanaui aquas istas, & non erit mors in eis neque sterilitas: & sanatæ sunt aquæ vsque in hunc diem. Cath. respon. Gratias Deo patri, qui quod futurum ostendit, in nobis fideli impleuit. Gratias, inquam, Deo patri, qui nobis nõ
D angelos solùm, non prophetas, sicut prius in Hierichо nostram, id est, in hunc mundum, sed proprium filium destinauit, Dominum videlicet angelorum, & principem prophetarum, qui aquarum sterilitatem, hoc est, gentium infœcunditatem discussa morte sanaret. Accepit vas fictile: hoc est, corpus fragilitatis humanæ: sal misit, id est, sapientia diuina repleuit. In aquam proiecit, hoc est, in Iordanem descendit: aquas suo descensu sanauit, id est, gentes suo aduentu redemit, & maritante sermone ecclesiam ex gentibus cõgregauit, & in fœtus vberes longè lateque diffudit. Hoc in nobis impletum qui non videt, cæcus: qui non credit, insanus est. Attende vberes fœtus, dic vbi hæc non sit ecclesia, dic vbi tua, præterquam in angulo Aphricæ inueniatur malè collecta: tanquam sarmentum inutile, ex hac vbi præcisa est, ibi remansit, vltrà

Allegoria sanatarum aquarum per Heliseum.

vltrà extendi non potuit, quia de radice præcisa statim exaruit.

CAP. XX. DONAT. dixit: *Accepit vna ciuitas salutaris a-*
quæ substantiam, accepit & olei dona vna cum liberis vi-
dua, nec beneficium diuinum passim propheta commisit, ni-
si ei quam vnum vas olei habere cognouit, Regnorum veri-
tate probante: Et mulier vna ex mulieribus prophetarum
4. Reg. 4. *clamabat post Heliseum dicens: Seruus tuus vir meus mor-*
tuus est: Et tu scis quomodo seruus tuus erat timens Do-
minum: Et ecce quibus debeo, venerunt accipere duos filios
meos in seruos. Et dixit Heliseus: Quid faciam? Indica
mihi, quid est tibi in domo tua? At illa dixit: Non est mi-
hi ancillæ tuæ aliquid in domo nisi vas vnum olei. Et dixit
Heliseus: Vade, pete tibi vasa de foris ab omnibus commo-
rantibus tecum vasa copiosa, & introibis, & claudes ostiũ
ad te & ad filios tuos, & implebis vasa oleo, & reddes de-
bitum. Heliseus enim per veri baptismi liniamenta opera-
tus est: Nam quia tuum non comprobo, ideò tuos fideles
exuflo. Cath. respon. Omnes enim hoc faciunt, quod & tu, omnes fideles exufflant, dum vnicum baptismi sibi vendicant sacramentum. Talem cùm inueneris, non capies, non tenebis, non isto vinculo colligabis, sed agnito signo piratico, vt tecum artem peragat, securum abire permittis.

CAP. XXI. FVLGENT. dixit: *Absit vt abire permittam, quo-*
Luc. 14. *niam Deus dixit: Compelle omnes introire, vt impleatur*
domus mea. Qui omnes dixit, nullum excepit. Augustin. respondit: Quid ergo facies? Fulgent. dixit, *Doceo illum ecclesiam meam esse certissimam.* Aug. respond. In
Psalm. 2. quo? Nunquid Christum qui à patre omnes gentes accepit, ad Aphricanam particulam tantùm remansisse monstrabis? Fulgent. dixit: *Dicam quòd in paucis constet.* August. respondit: Quid si & eius paucos habebit? Omnes enim in comparatione catholicæ paucos habent. Fulgent. dixit: *Ostendam quoniam hæc est vera quæ persecutionem patitur, non quæ facit.* August. respondit: Quid si & eius persecutionem omninò
C non fecit? Fulgent. dixit: *Insinuabo secundum Apostolum, quòd ecclesia mea rugas & maculas sola non habeat.*
Ephes. 5. Augustin. respond. Cõtinuò probabitur habere. Scri-
Iob 14. ptum est enim: Nemo mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius super terram. Sed quid pluribus? quolibet ingenio capies & tenebis, quomodo suscipis qui fideles tuos fortè retinxit, qui Spiritum sanctum in corde credentis extinxit.

CAP. XXII. FVLGENT. dixit: *Distringo illum, exufflo, & in*
remissione peccatorum vera aqua baptizo. Augustin. respondit: Quomodo eius peccata dimittis, cùm scri-
Matth. 12. ptum sit, blasphemiam Spiritus sancti in seculum dimitti non posse? Sed hunc omittamus, alterum videamus. Dic & Maximianistæ, æmulo tuo, quod & mihi dixisti, quomodo alter habere potest, si mihi soli concessum est? Aut si iuri tuo asseris traditum, quare comprobas alienum? Respondebit & iste Maximianista: Quomodo alter habere non potest, cùm & mihi sicut tibi tu probaueris esse concessum? Christianos enim meos & clericos extra ecclesiam tuam baptizatos vel ordinatos absque vlla demutatione ba-
Collatio 3. cap. 8. 9. 10. 11. 16. ptismi vel honoris in integro recepisti, quod vbi Marcellini gestis obiectum est, refellere nullatenus valuisti. Item August. respondit: Si iustus es, cur sententia tua diuersa est? Cur Maximianistas suscipis, & meos fideles exufflas? Fulgent. dixit: *Quia ille meus erat.* Aug. respond. Et tu meus eras, cur in schismatico tuo pius, in catholico impius & implacabilis perseueras?

CAP. XXIII. FVLGENT. dixit: *Plus peccasti, & ideò in te aliter*
vindicatur. Augustin. respondit: Quid ergo? baptisma pro vindicta ponis, & quod ad salutem promittitur, à te pro pœna tribuitur? Si in baptismo non delicta donas, sed peccata castigas; si in aqua non liberas, sed fla-
A gellas, piratam te esse apertè demonstras: & tamen quid plus peccaui, quid feci? Fulgent. dixit: *Codices tradidisti, & idolis immolasti.* August. respond. Doce, non feci, facta tua mihi supponis. Fulgent. dixit: *Pater tuus fecit.* Aug. respon. Ego patrem nescio nisi Deum. Scriptum est enim: Nolite vobis patrem vocare super Matth. 23.
terram, vnus est enim pater vester cœlestis. Fulgent. dixit: *Patrem tuum dico Cæcilianum, ipse tradidit, ipse thurificauit, ipse omnia mala commisit.* Augustin. respon. Lege quis illum accusauit, quis conuicit, quis coràm positum condemnauit? Esto, fecit quod non fecit, nunquid filius pro patre damnabitur, cùm scriptum
sit: Anima patris mea est, & anima filij mea est: Ani- Ezech. 18.
ma quæ peccauerit, sola morietur? Fulgen. dixit: *Tu filius eius non quidem tradidisti, sed nobis persecutorem fecisti.* Aug. respon. Equidem non feci, credo tamen quòd mei facere potuerint. Quære causam quare, quid si merebamini? Non enim malos persequi pec-
B catum est, nam & sanctos & sanctum sanctorum Dominum malos legimus persecutos: dæmones namq; persecutionem Domini non ferentes, clamabant: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? venisti perdere nos? Marc. 1.
Et Paulus Elimam magum vltus est cæcitate, & bla- Actor. 13. 1. Timoth. 1.
sphemum hominem tradidit satanæ. Et Petrus Ana- Actor. 5.
niam & Saphyram eius vxorem mendaces occidit: Et Simonem magum tamdiu persecutus est donec mor- Petrus Apostolus Simonem magum extinxit.
te perimeret. Sed & Dauid in persona Christi clamat & dicit: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant: Affligam illos, nec poterunt stare: Non igitur omnis qui persecutionem passus est, iustus continuò putandus est: sed qui propter iustitiam passus est, ille profectò beatus est, dicente Petro: Quæ enim gloria est, si peccantes 1. Petr. 2.
colaphizati suffertis, sed si bene facientes patimini, & patienter sustinetis, hæc est gratia apud Deum.

FVLGENT. dixit: *Sancti quos memoras, edicta indi-* CAP. XXIIII.
C *cum secularium non meruerunt, quod vestri fecerunt.* Augustin. respondit: Licet? an non licet? Si licet, de licito murmurare non decet: Si non licet, tuum crimen emenda, dum licet. Maximianistas enim schismaticos tuos, sicut gesta declarant, & authoritatibus iudicum secularium, & adminiculis ordinum † virorũ, & exe- † fol. variorũ.
cutione militum diuersorum, institutis defensoribus ecclesię persecutus es, vt eos à suis basilicis depulisses. Qui me increpas, cur non teipsum primũ emendas?

FVLGENT. dixit: *Ideò schismaticis nostris basilicas* CAP. XXV.
tulimus, vt veræ ecclesiæ redderemus. Aug. respondit: Hoc & nostri fecerunt vobis, suis schismaticis tulerunt, & matri catholicæ reddiderunt. Quod vestri fecerunt pro pace Donati, hoc nostri fecerunt pro pace corporis Christi.

FVLGENT. dixit: *Vos estis schismatici, qui & thu-* CAP. XXVI.
D *rificastis & codices tradidistis.* Aug. respondit: Efficiamur infirmis infirmi, vt infirmos lucrifaciamus. Video quòd fieri non potest, pars Donati, totum Christi corpus deuicit: angulus Aphricanus, orbem terrarum exclusit: gens vna, vniuersas gentes adduxit: sarmentum de vite precidit, & ramusculos arborum ampurauit. Saltem priorum tuorum circa nos constitutas seruares leges; non rebaptizares, sed per pœnitentiam errantium vt æstimas, animas liberares. Relege decisa patrum tuorum, & vide quid de traditoribus, thurificatis & schismaticis quum aduersus Cæcilianum Carthaginem conspirati venissent, fieri oportere decreuerunt. Marcianus vester inter cæteros talem Marciani illi Carthag. rescripti contra Cæcilianum sententia.
sententiam protulit dicens, quam vtique septuaginta qui aderant non improbabant. *In Euangelio suo,* in-
quit, *Dominus ait: Ego sum vitis vera, & pater meus a-* Ioan. 15.
gricola: omnem palmitem in me non afferentem fructum, excidet & proijciet; & omnem manentem in me, & fru-

ctum ferentem purgat illum. Sicut ergo palmites infructuosi amputati proijciuntur; ita thurificati, traditores, & qui in schismate à traditoribus ordinantur, manere in ecclesia Dei non possunt, nisi cognito vlulatu suo per pœnitentiam reconcilientur. Vnde Cæciliano in schismate à traditoribus ordinato non communicare oportet. Hæc est patrum tuorum fixa sententia. Ecce, quod absit, nos tradidimus, nos thurificauimus, nos schismata commisimus; cur transgredimini mandatum seniorum, vt vestras traditiones statuatis? *Sicut palmites*, inquit, *infructuosi amputati proijciuntur; ita thurificati, traditores, & qui in schismate à traditoribus ordinantur, manere in ecclesia Dei non possunt, nisi cognito vlulatu suo per pœnitentiam reconcilientur:* Per pœnitentiam, non per tinctionem. Si dignaris, vel tui te principes vincant, aut illorum confirma decreta, & tua depone figmenta: aut si tua vis valere statuta, illos errasse pronuncia. Apud nos veritas regnat, cur traditio vestra discordat? Saluator in Euangelio sic ait: Omne regnum in seipsum diuisum non stabit, sed desolabitur. Matth. 12.

LIBRI CONTRA FVLGENTIVM DONATISTAM, FINIS.

TOMI

TOMI SEPTIMI

PARS ALTERA, QVAE AGIT CONTRA PELAGIANOS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

DE PECCATORVM MERITIS ET REMISSIONE, DEQVE BAPTISMO PARVVLORVM, AD MARCELLINVM LIBRI III.

Ex Libr. II. Retract. Cap. XXXIII.

VENIT *etiam necessitas, quæ me cogeret aduersus nouam Pelagianam hæresim scribere, contra quam priùs cùm opus erat, nõ scripturis sed sermonibus & collocutionibus agebamus, vt quisq; nostrũm poterat aut debebat. Mißis ergo mihi à Carthagine quæstionibus eorũ, quas rescribendo dissoluerem; scripsi primùm libros tres, quorum titulus est, De Peccatorum meritis & remissione, vbi maximè de baptismate disputatur paruulorum propter originale peccatum, & de gratia Dei qua iustificamur, hoc est, iusti efficimur; quamuis in hac vita nemo ita seruet mandata iustitiæ, vt non sit ei necessarium pro peccatis dicere; Dimitte nobis debita nostra. Contra quæ omnia sentientes illi, nouam hæresim condiderunt. In his autem libris tacenda adhuc arbitratus sum nomina eorum, sic eos faciliùs posse corrigi sperans, imò etiam in tertio libro quæ est epistola, sed in libris habita propter duos quibus eam connectẽdam putaui; Pelagij ipsius nomen non sine laude aliqua posui, quia vita eius à multis prædicabatur; & eius illa redargui quæ in suis scriptis non ex persona sua posuit, sed quid ab alijs diceretur exposuit; quæ tamen postea iam hæreticus pertinacißima animositate defendit. Celestius verò discipulus eius iam propter tales assertiones apud Carthaginem in Episcopali iudicio vbi ego non interfui, excommunicationem meruerat. In secundo libro quodam loco, Hoc quibusdam, inquam, in fine largietur, vt mortem repentina commutatione non sentiant: seruans locum diligentiori de hac re inquisitioni. Aut enim non morientur, aut de vita ista in mortem, & de morte in æternam vitam celerrima commutatione tanquam in ictu oculi trãseundo, mortem non sentient. Hoc opus sic incipit:*

Matth. 6.

Cap. 1. 3. & 10.

Lib. 3. cap. 3.

Cap. 31.

Lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 20. & quæst. 3. ad Dulcitium.

LIBRI PRIMI

CAPVT I.

QVAMVIS in mediis & magnis curarum æstibus atque tædiorum, quæ nos detinent à peccatoribus derelinquentibus legem Dei, licet ea quoq; ipsa nostrorum etiam peccatorum meritis imputemus: studio tamen tuo Marcelline charissime, quo nobis es gratior atque iocundior, diutius esse debitor nolui, atque vt verum dicam, non potui. Sic enim me compulit vel ipsa charitas, qua in vno incommutabili vnum sumus in melius commutandi, vel timor, ne in te offenderem Deum, qui tibi desiderium tale donauit, cui seruiendo illi seruiam, qui donauit. Sic, inquam, me compulit, sic duxit & traxit ad dissoluendas pro tantillis viribus quæstiones, quas mihi scribendo indixisti, vt ea causa in animo meo paulisper vinceret alias, donec aliquid efficerem quo me bonæ tuæ voluntati & eorum quibus hæc curæ sunt, & si non sufficienter, tamen obediẽter deseruisse constaret.

CAP. II. *An Adæ si non peccasset, fuisset moriendum.*

QVI dicunt Adam sic creatum, vt etiam sine peccati merito moreretur, non pœna culpæ, sed necessitate naturæ; profectò illud quod in lege dictum est: Qua die ederitis, morte moriemini; non ad mortem corporis, sed ad mortem animæ quæ in peccato fit, referre conantur. Qua morte mortuos significauit Dominus infideles, de quibus ait: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Quid ergo respondebunt, cùm legitur hoc Deum primo homini etiam post peccatum increpando & damnando dixisse: Terra es, & in terram ibis? Neque enim secundum animam, sed quod manifestum est secundũ corpus terra erat, & morte eiusdem corporis erat iturus in terram. Quamuis enim, secundum corpus terra esset, & corpus in quo creatus est animale gestaret, tamen si nõ peccasset, in corpus fuerat spiritale mutandus, & in illam incorruptionem quæ fidelibus & sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus. Cuius rei desiderium nos habere nõ solùm ipsi sentimus in nobis, verumetiam admonente Apostolo cognoscimus, vbi ait: Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum, quod de cœlo est, superindui cupientes, si tamen induti nõ nudi inueniamur. Etenim qui sumus in hac habitatione ingemiscimus grauati, in quo nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur mortale à vita. Proinde si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore, sed superuestiendus immortalitate, & incorruptione, vt absorberetur mortale à vita: id est, ab animali in spiritale transiret.

Genes. 2. Matth. 8. Luc. 8. Genes. 3. † aliàs supplicio. 2. Corinth. 5.

CAP. III.

NEQVE enim metuendum fuit, ne fortè diutius hic viuẽdo in corpore animali, senecture grauaretur, & paulatim veterascendo peruenire ad mortem? Si enim Deus Israëlitarum vestimentis & calciamentis præstitit quòd per tot annos nõ sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur, vt animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum quo sine defectu esset annosum, tempo- Deuter. 18.

tempore quo Deus vellet à mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturus? Sicut enim hæc ipsa caro quam nunc habemus, non ideò non est vulnerabilis, quia non est necesse vt vulneretur: sic illa non ideò non fuit mortalis, quia non erat necesse vt moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali, atque mortali, etiam illis qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam. Neq; enim Enoch & Helias per tam longã ætatem senectute marcuerunt, nec tamen credo eos iam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino prima præcessit: nisi quia isti fortasse nec his cibis egent qui sui consumptione reficiunt; sed ex quo translati sunt, ita viuunt vt similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Helias ex calice aquæ & ex collyride panis sine cibo vixit: aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in paradiso pascuntur, sicut Adã priusquàm propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim quantum existimo & de lignorum fructibus refectionem, contra defectionem; & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.

Aliud est esse mortalem, aliud mortis necessitati subiectum.

Genes. 5. Enoch & Helias adhuc viuunt.

4. Reg. 2.

3. Reg. 19.

Sentit Paradisum adhuc superesse.

Quid olim Adamo præstiterit ligorum in Paradiso vsus.

CAP. IIII. *Genes. 3. Mors etiam corporis ex peccato.*

PRAETER hoc autem quod puniens Deus dixit: Terra es, & in terram ibis: quod nisi de morte corporis, quomodo intelligi possit, ignoro: sunt & alia testimonia quibus euidentissimè appareat, non tantùm spiritus, sed & corporis mortem propter peccatũ meruisse genus humanum. Ad Romanos Apostolus dicit: Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter iustitiam. Si ergo spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in vobis, qui suscitauit Christũ Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem spiritum eius in vobis. Puto quòd non expositore, sed tantùm lectore opus habet tam clara & aperta sententia. Corpus, inquit, mortuum est, nõ propter fragilitatem terrenam, quia de terræ puluere factum est, sed propter peccatum: quid amplius quærimus? Et vigilantissimè non ait, mortale; sed mortuum.

Roman. 8.

CAP. V. *Mortale, mortuum, ac moriturum.*

NAMQVE antequam mutaretur in illam incorruptionem quæ in sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamuis non moriturum; sicut hoc nostrum potest, vt ita dicam, esse ægrotabile, quãuis non ægrotaturum. Cuius enim caro est quæ non ægrotare possit, etiamsi aliquo casu priusquàm ægrotet occumbat? Sic & illud corpus iam erat mortale, quam mortalitatem fuerat absumptura mutatio in æternam incorruptionem, si in homine iustitia, id est, obedientia, permaneret, sed ipsum mortale nõ est factum mortuum nisi propter peccatum. Quia verò illa in resurrectione futura mutatio, non solùm nullam mortem, quæ facta est propter peccatum, sed nec mortalitatem habitura est, quam corpus animale habuit ante peccatum, non ait: Qui suscitauit Christum Iesum à mortuis, viuificabit & mortua corpora vestra; cùm suprà dixisset, corpus mortuum: sed, viuificabit, inquit, & mortalia corpora vestra: vt scilicet iam non solùm non sint mortua, sed nec mortalia cum animale resurget in spiritale, & mortale hoc induet immortalitatem, & absorbebitur mortale à vita.

Iustitia hominis, obedientia.

1. Corinth. 15.

CAP. VI. *Quomodo corpus mortuum ob peccatum. Colos. 3.*

MIRVM si aliquid quæritur hac manifestatione liquidius; nisi fortè audiendum est, quod huic perspicuitati contradicitur, vt mortuum corpus secundum illum modum hîc intelligamus quo dictum est: Mortificate membra vestra quæ sunt super terrã. Sed hoc modo corpus propter iustitiam mortificatur, nõ propter peccatũ. Vt enim operemur iustitiam, mortificamus mẽbra nostra quæ sunt super terram. Aut si putãt ideò additum, propter peccatum, vt non intelligamus quia peccatũ factum est, sed vt peccatum nõ fiat, tanquam diceret, corpus quidem mortuũ est, propter nõ faciendum peccatum. Quid sibi ergo vult quod cùm adiunxisset, Spiritus autem vita est: addidit, propter iustitiam? sufficerat enim sic adiungere vitam spiritus, vt etiam hîc subaudiretur propter non faciẽdum peccatum: vt sic vtrunq; propter vnam rem intelligeremus, & mortuum esse corpus, & vitam esse spiritũ propter non faciendum peccatum. Ita quippe etiamsi tantummodò vellet dicere, propter iustitiam, hoc est, propter faciendam iustitiam, vtrunq; ad hoc posset referri, & mortuum esse corpus, & vitam esse spiritum propter faciendã iustitiam. Nunc verò & mortuum dixit esse corpus propter peccatum, & spiritum vitam esse propter iustitiam: diuersa merita diuersis attribuens rebus; morti quidem corporis, meritũ peccati; vitæ autem spiritus, meritum iustitiæ. Quocircà si, vt dubitari non potest, spiritus vita est propter iustitiam, hoc est, merito iustitiæ: profectò corpus mortuum propter peccatum, quid aliud quàm merito peccati intelligere debemus aut possumus, si apertissimum Scripturæ sensum non pro arbitrio peruertere ac detorquere conamur? Huc etiam verborum consequentium lumen accedit. Cùm enim præsentis temporis gratiam determinãs diceret, mortuum quidem esse corpus propter peccatum, quia in eo nõdum per resurrectionem renouato, peccati meritum manet, hoc est, necessitas mortis, spiritum autem vitam esse propter iustitiam, quia licet adhuc corpore mortis huius oneremur, iam secundum interiorem hominem cœpta renouatione in fidei iustitiam respiramus: tamen ne humana ignorantia de resurrectione corporis nihil speraret, etiã ipsum quod propter meritum peccati in præsenti seculo dixerat mortuum, in futuro propter meritum iustitiæ dicit viuificandum, nec sic vt tantùm ex mortuo viuum fiat, verumetiam ex mortali immortale.

Roman. 8.

CAP. VII. *Initium vitæ per fidem. Roman. 8.*

QVANQVAM itaq; verear ne res manifesta exponendo potiùs obscuretur, apostolicæ tamen sentẽtiæ lumen attende. Si autem Christus, inquit, in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatũ, spiritus autem vita est propter iustitiam. Hoc dictum est, ne ideò putarent homines vel nullum, vel paruum se habere beneficium de gratia Christi, quia necessariò morituri sunt corpore. Attendere quippe debent corpus quidem adhuc peccati meritum gerere, quod conditioni mortis obstrictum est, sed iam spiritum cœpisse viuere propter iustitiam fidei, qui & ipse in homine fuerat quadam morte infidelitatis extinctus. Non igitur, inquit, vobis parum muneris putetis esse collatum, per id quòd Christus in vobis est, quòd in corpore propter peccatum mortuo, iam propter iustitiam vester spiritus viuit, nec ideò de vita quoque ipsius corporis desperetis. Si enim spiritus eius qui suscitauit Christũ à mortuis habitat in vobis, qui suscitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum eius in vobis. Quid adhuc tantæ luci fumus cõtentionis offunditur? Clamat Apostolus: Corpus quidem mortuum est in vobis propter peccatum, sed viuificabuntur etiam mortalia corpora vestra propter iustitiã, propter quam nunc spiritus vita est, quod totum perficietur per gratiam Christi, hoc est, per inhabitantem spiritum eius in vobis; & adhuc reclamatur? Dicit etiam quemadmodum fiat, vt vitam in se mortem mortificando cõuertat. Ergo fratres, inquit, debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quid est aliud, quàm hoc: si secundum mortem vixeritis, totum morietur: si autem secundum vitam viuendo mortem † mortificaueritis, totum viuet?

Morte infidelitatis Adæ spiritus extinctus fuit.

1. Corinth. 10.

1. Corinth. 3.

Paruulis in baptismo latenter gratia infunditur.

Contagium originalis peccati. Roman. 5.

† *alias* viuificaueritis.

ITEM

CAP. VIII. ITEM quod ait, Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorũ: quid aliud quàm de morte corporis intelligi potest, quando vt hoc diceret de resurrectione corporis loquebatur, eamque instantissima & acerrima intentione suadebat? Quid est ergo quod hîc ait ad Corinth. Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum? Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur: nisi quod ait etiam ad Romanos: Per vnũ hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors? Hanc illi mortem non corporis, sed animæ intelligi volunt, quasi aliud dictum sit ad Corinthios, Per hominem mors, vbi omninò animæ mortẽ accipere non sinuntur, quia de resurrectione corporis agebatur, quæ morti corporis est cõtraria. Ideò etiam sola mors ibi per hominem facta commemorata est, non etiam peccatum; quia non agebatur de iustitia quæ contrariatur peccato, sed de corporis resurrectione, quæ contraria est corporis morti.

1. Corinth. 15.

Roman. 5.

CAP. IX. *Peccatum propagatione non imitatione tantùm transisse in omnes.*

HOC autem Apostolicum testimonium in quo ait, Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors: conati eos quidem in aliam nouam detorquere opinionem, tuis literis intimasti, sed quĩdnam illud sit, quod in his verbis opinẽtur tacuisti. Quãtum autem ex aliis comperi, hoc ibi sentiunt, quòd & mors ista quæ illic commemorata est, non sit corporis, quam nolunt Adam peccando meruisse, sed animæ quæ in ipso peccato sit: & ipsum peccatum non propagatione in alios homines ex primo homine, sed imitatione transisse. Hinc enim etiã in paruulis nolunt credere per baptismum solui originale peccatum, quòd in nascentibus nullum esse omninò contendunt. Sed si Apostolus peccatum illud commemorare voluisset, quòd in hunc mundum nõ propagatione sed imitatione intrauerit, eius principem non Adam, sed diabolum diceret, de quo scriptũ est: Ab initio diabolus peccat. De quo etiam legitur in libro Sapientiæ: Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Nam quoniam ista mors sic à diabolo venit in homines, non quòd ab illo fuerint propagati, sed quòd eum fuerint imitati, continuò subiunxit, Imitantur autem eum qui sunt ex parte eius. Proinde Apostolus cùm illud peccatum ac mortem commemoraret, quæ ab vno in omnes propagatione transisset, eum principem posuit, à quo propagatio generis humani sumpsit exordium. Imitantur quidem Adam quotquot per inobedientiam transgrediuntur mãdatum Dei. Sed aliud est quod exemplum est voluntate peccantibus, aliud quod origo est cum peccato nascentibus. Nam & Christum imitantur sancti eius ad sequendam iustitiam. Vnde & idem Apostolus dicit: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Sed præter hanc imitationem, gratia eius illuminationem iustificationemque nostram etiam intrinsecus operatur, illo opere de quo idem prædicator eius dicit: Neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Hac enim gratia baptizatos quoque paruulos suo inserit corpori, qui certè imitari aliquem nondum valent. Sicut ergo ille in quo omnes viuificabuntur, præterquàm quòd se ad iustitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis: Sic & ille in quo omnes moriuntur, præterquàm quòd eis qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificauit in se omnes de sua stirpe venientes. Hinc omninò nec aliunde Apostolus dixit: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiuit, in quo omnes peccauerunt. Hoc si ego dicerem, resisterent isti, meque non rectè dicere, non rectè sentire clamarent. Nullam quippe in his verbis intelligerent sententiam cuiuslibet hominis qui diceret hæc, nisi istam quam in Apostolo intelligere nolunt. Sed quia eius verba sunt, cuius authoritati doctrinæq; succumbunt, nobis obiiciunt intelligendi tarditatem, cùm ea quæ tam perspicuè dicta sunt, in nescio quid aliud detorquere conantur. Per vnum, inquit, hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: hoc propagationis est, non imitationis; nam si imitationis, per diabolum diceret. Quod autem nemo ambigit, istum primum hominem dicit, qui est appellatus Adam: & ita, inquit, in omnes homines transiit.

Intelligendi tarditatem Pelagiani Catholicis obiiciunt.

CAP. X. DEINDE quod sequitur, In quo omnes peccauerunt, quàm circumspectè, quàm propriè, quàm sine ambiguitate dictum est. Si enim peccatum intellexeris quod per vnum hominem intrauit in mundum, in quo omnes peccauerunt: certè manifestum est, alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantùm peccant, quorum peccata sunt: aliud hoc vnum, in quo omnes peccauerunt, quando omnes ille vnus homo fuerunt. Si autem non peccatum, sed ille vnus homo intelligitur, in quo vno homine omnes peccauerunt, quid etiam ista est manifestatione manifestius? Nempe legimus iustificari in Christo qui credunt in eum, propter occultam communicationem & inspirationem gratiæ spiritalis, qua quisquis hæret Domino vnus spiritus est, quamuis eum & imitentur sancti eius. Legatur mihi tale aliquid de iis, qui sanctos eius imitati sunt, vtrum quisquã dictus sit iustificatus in Paulo aut in Petro, aut in quolibet horum, quorum in populo Dei magna excellit authoritas, nisi quòd in Abraham dicimur benedici, sicut ei dictum est: Benedicentur in te omnes gentes propter Christum qui semen eius est secundum carnem: quod manifestius dicitur, cùm hoc idem ita dicitur, Benedicentur in semine tuo omnes gentes. Dictum autem quenquam diuinis eloquiis peccasse, vel peccare in diabolo, cùm eum iniqui & impij omnes imitentur, nescio vtrum quisquam reperiat: quod tamen cùm Apostolus de primo homine dixerit, in quo omnes peccauerunt, adhuc de peccati propagine disceptatur, & nescio quæ nebula imitationis opponitur. Attende etiam quæ sequũtur. Cùm enim dixisset, In quo omnes peccauerunt, secutus adiunxit: Vsq; ad legem enim peccatum in mundo fuit: hoc est, quia nec lex potuit auferre peccatum, quæ subintrauit vt magis abundaret peccatum, siue naturalis lex in qua quisq; iam ratione vtens, incipit peccato originali addere & propria, siue ipsa quæ scripta per Moysen populo data est. Si enim data lex esset quæ posset viuificare, omninò ex lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Peccatum autem non deputabatur, cùm lex non esset. Quid est non deputabatur, nisi ignorabatur, & peccatum esse non putabatur? Neque enim ab ipso Domino Deo tanquam non esset habebatur, cùm scriptum sit: Quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.

Actualis & originalis peccati distinctio.

Omnes in Adam vnus homo fuimus.

In solo Christo iustificamur.

Galat. 5.

Roman. 5.

Ibid.

Galat. 3.

Roman. 2.

CAP. XI. SED regnauit, inquit, mors ab Adam vsq; ad Moysen, id est, à primo homine vsque ad ipsam etiã legem quæ diuinitùs promulgata est, quia nec ipsa potuit regnum mortis auferre. Regnum enim mortis vult intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, vt eos ad vitam æternã, quæ vera vita est, venire non sinat, sed ad secundam etiam, quę pœnaliter æterna est, mortem trahat. Hoc regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit saluatoris, quæ operata est etiam in antiquis sanctis, quicunq; antequã in carne Christus veniret, ad eius tamen adiuuantem gratiam,

Regnum mortis quid apud Apostolum.

Per Christi gratiam saluati etiã Sancti veteris testamenti.

gratiam, non ad legis literam, quæ iubere tantũ, non adiuuare poterat, pertinebant. Hoc namque occultabatur in veteri Testamento pro temporum dispensatione iustissima, quod nunc reuelatur in nouo. Ergo in omnibus regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen, qui Christi gratia non adiuti sunt, vt in eis regnum mortis destrueretur. Ergo & in eis qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ: id est, qui nondum sua & propria voluntate sicut ille peccauerunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt, qui est forma futuri: quia in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris, qui eius propagine crearentur, vt ex vno omnes in condemnationem nascerentur, ex qua non liberat nisi gratia saluatoris. Scio quidem plerosq; Latinos codices sic habere, Regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen in eos qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, quòd etiam ipsum qui ita legunt, ad eundem referunt intellectum: vt in similitudinem præuaricationis Adæ peccasse accipiant, qui in illo peccauerunt, vt ei similes crearentur, sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, ex morituro morituri, damnatoq̃ue damnati. Græci autem codices, vnde in Latinam linguam interpretatio facta est, aut omnes aut penè omnes, id quod à me primò positũ est, habent. Sed non, inquit, sicut delictum, ita & donatio. Si enim ob vnius delictum multi mortui sunt, multò magis gratia Dei & donũ in gratia vnius hominis Iesu Christi in multos abundauit, non magis multos, id est, multò plures homines, neque enim plures iustificantur quàm condemnantur, sed multò magis abundauit. Adã quippe ex vno delicto suo reos genuit: Christus aũt etiã quæ homines delicta propriæ voluntatis ad originale in quo nati sunt addiderunt, gratia sua soluit atq; donauit, quod euidentiùs in consequentibus dicit.

CAP. XII. *Vnum peccatum etiam infantibus commune.*

VERVM illud diligentiùs intuere, quòd ait, ob vnius delictum multos mortuos. Cur enim ob vnius illius, & non potiùs ob delicta sua propria, si hoc loco intelligenda est imitatio, non propagatio? Sed attende quod sequitur: Et non sicut per vnum peccantem, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Nunc dicant vbi locum habeat in his verbis illa imitatio. Ex vno, inquit, in condemnationem: quo vno, nisi delicto? Hoc enim explanat, cùm adiungit: Gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Cur ergo iudicium ex vno delicto in cõdemnationem, gratia verò ex multis delictis in iustificationem? Nonne si nullum est originale peccatum, non solùm ad iustificationem gratia, sed etiam iudicium ad condemnationem ex multis delictis homines ducit? Neque enim gratia multa delicta donat, & non etiam iudicium multa delicta condemnat. Aut si propterea ex vno delicto in condemnationem ducuntur, quia omnia delicta quæ condemnantur, ex illius vnius imitatione commissa sunt: eadem causa est, cur ex vno delicto etiam ad iustificationem duci intelligantur, quia omnia delicta quę iustificatis remittuntur, ex illius vnius imitatione commissa sunt. Sed hoc videlicet nõ intelligebat Apostolus, cùm dicebat, Iudicium quidem ex vno delicto in cõdemnationem, gratia verò ex multis delictis in iustificationẽ? imò verò nos intelligamus Apostolum, & videamus ideò dictum iudiciũ ex vno delicto in condẽnationem, quia sufficeret ad condemnationem etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatũ. Quãuis enim cõdemnatio grauior sit eorum, qui originali delicto etiam propria coniunxerunt, & tantò singulis grauior, quantò grauius quisque peccauit: tamen etiam illud solum quod originaliter tractum est, non tantùm à regno Dei separat, quò paruulos sine acce-

Roman. 5.

Originale peccati ad damnationem sufficit.

A pta Christi gratia defunctos intrare non posse, ipsi etiam confitentur: verum & à salute ac vita æterna facit alienos, quæ nulla esse alia potest præter regnum Dei, quò sola Christi societas introducit.

CAP. XIII.

AC per hoc ab Adam in quo omnes peccauimus, non omnia nostra peccata, sed tantùm originale traduximus: à Christo verò in quo omnes iustificamur, non illius tantùm originalis, sed etiam cæterorũ quæ ipsi addidimus peccatorum remissionem consequimur. Ideò non sicut per vnum peccantem, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex vno delicto si non remittitur, id est, originali, in condemnationem iam potest ducere: gratia verò ex multis delictis remissis, hoc est, non solùm illo originali, verumetiam omnibus cæteris ad iustificationem perducit. Si enim ob vnius delictum mors regnauit per vnum, multò magis qui abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt, in vita B regnabunt per vnum Iesum Christum. Cur ob vnius delictum mors regnauit per vnum, nisi quia mortis vinculo tenebantur in illo vno in quo omnes peccauerunt, etiamsi propria peccata non adderent? Alioquin non ob vnius delictum mors per vnum regnauit, sed ob delicta multa multorum per vnumquenq; peccantem. Nam si propterea cæteri ob alterius hominis delictum mortui sunt, quia illum in delinquendo præcedentem, subsequentes imitati sunt: ille quoque & multò magis ob alterius delictum mortuus est, quem diabolus delinquendo ita præcesserat, vt ei delictum etiam ipse suaderet: Adam verò nihil suasit imitatoribus suis, & multi qui eius imitatores dicuntur, eum fuisse & tale aliquid commisisse vel non audierunt, vel omninò non credunt. Quantò ergo rectiùs, sicut iam dixi, diabolum principem constituisset Apostolus, à quo vno peccatum & mortem per omnes transisse diceret, si hoc loco non propagationem, sed imitationem dicere voluisset? Multò enim C rationabilius Adam dicitur imitator diaboli quem suasorem habuit peccati, si potest quisque imitari etiam illum qui nihil ei tale suasit, vel omninò quem nescit. Quid est autem quòd abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt, nisi quòd non tantùm ei peccato in quo omnes peccauerunt, sed eis etiam quæ addiderunt, gratia remissionis datur: eisque hominibus tanta iustitia donatur, vt cùm Adam consenserit ad peccatum suadenti, non cedãt isti etiam cogenti? Et quid est, multò magis in vita regnabunt, cùm mortis regnum multò plures in æternam pœnam trahat: nisi intelligamus eos ipsos in vtroque dici qui transeunt ab Adam ad Christum, id est, à morte ad vitam: quia in vita æterna sine fine regnabunt, magis quàm in eis mors temporaliter & cum fine regnauit? Itaque sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ. Hoc vnius delictum, D si imitationem attendamus, non erit nisi diaboli, sed quia manifestum est de Adam, non de diabolo dici, restat intelligenda non imitatio, sed propagatio peccati.

CAPVT XIIII.

NAM & quod ait de Christo, per vnius iustificationem: magis hoc expressit, quàm si per vnius iustitiam diceret. Eam quippe iustificationem dicit, qua Christus iustificat impium, quam non imitandam proposuit, sed solus hoc potest. Nam potuit Apostolus rectè dicere, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi: nunquam autem diceret, Iustificamini à me, sicut & ego sum iustificatus à Christo: quoniam possunt esse, & sunt, & fuerunt multi iusti homines & imitandi, iustus autem & iustificans nemo nisi Christus. Vnde dicitur, Credenti in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam. Quisquis ergo ausus fuerit dicere, iustifico te: consequens est,

1. Corinth. 10.

Nemo nisi Christus iustificat.

Rom. 4.

est, vt dicat etiam, crede in me. Quod nemo sanctorum rectè dicere potuit, nisi Sanctus sanctorum: Creditis in Deum, & in me credite: vt quia ipse iustificat impium, credenti in eum qui iustificat impium, deputetur fides ad iustitiam.

Ioan. 14.

CAP. XV. *Confirmat ex propagatione peccatum esse, quamuis nudum & iustitiã ex regeneratione.*

NAM si sola imitatio facit peccatores per Adam, cur non etiam per Christum sola imitatio iustos facit? Sicut enim, inquit, per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, sic & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ. Proinde isti, vnus & vnus, non Adam & Christus, sed Adam & Abel constitui debuerunt. Quoniam cùm multi nos in huius vitæ tempore præcesserint peccatores, eosq; imitati fuerint qui posteriore tempore peccauerunt: ideò tamen volunt isti non nisi Adam dictum, in quo omnes imitatione peccauerint, quia primus hominum ipse peccauit. Ac per hoc Abel dici debuit, in quo vno similiter omnes imitatione iustificentur, quia ipse primus hominum iustè vixit. Aut si propter quendam articulum temporis ad Noui testamenti exordium pertinẽtem, Christus est positus, propter imitationem caput iustorum, Iudas eius traditor, caput poni debuit peccatorum. Porrò si propterea Christus vnus est in quo omnes iustificentur, quia non sola eius imitatio iustos facit, sed per spiritum regenerans gratia: propterea & Adam vnus est in quo omnes peccauerunt: quia non sola eius imitatio peccatores facit, sed per carnem generans pœna. Ob hoc etiam dictum est, omnes & omnes: neque enim qui generantur per Adam, iidem ipsi omnes per Christum regenerãtur: sed hoc rectè dictum est, quia sicut nullius carnalis generatio nisi per Adam, sic spiritalis nullius nisi per Christum. Nam si aliqui possent carne generari, non per Adam; & aliqui regenerari spiritu non per Christum, non liquidè omnes, siue hîc, siue ibi dicerentur. Eosdem autem omnes postea multos dicit: Possunt quippe in aliqua re omnes esse qui pauci sunt. Sed multos habet generatio carnalis, multos & spiritalis, quamuis nõ tam multos hæc spiritalis quàm illa carnalis. Veruntamen quemadmodum illa omnes habet homines, sic ista omnes iustos homines. Quia sicut nemo præter illam homo, sic nemo præter istam iustus homo, & in vtraq; multi. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam vnius hominis iusti constituentur multi. Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum. Hoc ad originale homines addiderunt voluntate iam propria, non per Adam: sed hoc quoq; soluitur sanaturq; per Christũ, quia vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia: vt quemadmodum regnauit peccatum in mortẽ, etiam quod non ex Adam traxerunt homines, sed sua voluntate addiderunt; sic & gratia regnet per iustitiã in vitam æternam. Non tamen aliqua iustitia præter Christum, sicut aliqua peccata præter Adam. Ideò D cùm dixisset, quemadmodum regnauit peccatum in mortem: hic non addidit, per vnũ, aut per Adam, quia suprà dixerat etiam de peccato illo quod subintrante lege abundauit, & hoc vtiq; non est originis, sed iam propriæ voluntatis. Cùm autẽ dixisset, sic & gratia regnet per iustitiã in vitam æternam: addidit, per Iesum Christum Dominum nostrum. Quia generãte carne illud tantũmodò trahitur, quod est originale peccatũ: regenerante autem spiritu, non solùm originalis, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.

Roman. 5.

Solum originale peccatum generatione contrahitur.

CAP. XVI. *Infantes non baptizari omnino quidem, sed tamen damnãtur.*

POTEST proinde rectè dici, paruulos sine baptismo de corpore exeũtes in damnatione omnium mitissima futuros. Multum aũt fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicẽte Apostolo, Iudiciũ ex vno delicto in cõdemnationem. Et paulò pòst, Per vnius delictum in omnes homines ad cõ-

Pœna peccãti Adæ.

A demnationem. Quando ergo peccauit Adam non obediens Deo, tunc eius corpus quamuis esset animale atque mortale gratiam perdidit, qua eius animæ omni ex parte obediebat. Tũc ille extitit bestialis motus pudendus hominibus, quem in sua erubuit nuditate. Tunc etiam morbo quodam ex repentina & pestifera corruptione concepto factum est in illis, vt illa in qua creati sunt stabilitate ætatis amissa, per mutabilitates ætatum irent in mortem. Quamuis ergo annos multos postea vixerint, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem, qua in senium veterascerent, acceperunt. Non enim stat vel temporis puncto, sed sine intermissione labitur, quicquid continua immutatione sensim currit in finem, non perficientem sed consumentem. Sic itaq; impletum est, quod dixerat Deus, Qua die ederitis, morte moriemini. Ex hac igitur inobedientia carnis, ex hac lege peccati & mortis, quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritali- B ter opus habet, vt non solùm ad regnum Dei perducatur, verumetiam à peccati damnatione liberetur. Simul itaq; peccato & morti primi hominis obnoxij nascuntur in carne, & simul iustitiæ vitæq; æternæ secundi hominis sociati renascuntur in baptismo. Sic & in Ecclesiastico scriptum est, A muliere initiũ factum est peccati, & per illam omnes morimur. Siue autem à muliere, siue ab Adam dicatur, vtrunq; ad primum hominem pertinet: quoniam sicut nouimus, mulier ex viro est, & vtriusq; caro vna est. Vnde & illud quod scriptum est, Et erunt duo in carne vna. Igitur iam non duo, inquit Dominus, sed vna caro.

Genes. 2.

Ecclesiast. 25.

Matth. 19.

CAP. XVII. *Non esse infantibus personale peccatum tribuendum.*

QVAPROPTER quid dicunt paruulos ideò baptizari, vt hoc eis remittatur quod in hac vita propriũ contraxerunt, non quod ex Adam traduxerunt, non magno molimine refellendi sunt. Quando enim secum ipsi paullulum sine certandi studio cogitauerint, quàm sit absurdum nec dignũ disputatione quod di- C cunt, continuò sententiam cõmutabunt. Quòd si noluerint, non vsqueadeò de humanis sensibus desperãdũ est, vt metuamus ne hoc cuipiam persuadeãt. Ipsi quippe vt hoc dicerent, alicuius alterius sentẽtiæ præiudicio, nisi fallor, impulsi sunt: ac propterea cùm remitti baptizato peccata necessariò faterentur, nec fateri vellent ex Adã ductũ esse peccatum, quod remitti fatebantur infantibus, ipsam infantiam coacti sunt accusare: quasi accusator infantiæ hoc securior fieret, quo accusatus ei respondere nõ posset. Sed istos, vt dixi, omittamus, neq; enim sermone vel documentis opus est, quibus innocentia probetur infantũ, quãtum ad eorum pertinet vitam, quam recenti ortu in seipsis agunt, si eam non agnoscit sensus humanus, nullis adminiculis cuiusquam disputationis adiutus.

CAPVT XVIII. *Refellit eos qui baptizari paruulos volunt nõ in peccati remissionem, sed ad obtinendum regnum cœlorum.*

SED illi mouent, & aliquid consideratione ac dis- D cussione dignum videntur afferre, qui dicunt paruulos recenti vita æditos visceribus matrum, non propter remittendum peccatum percipere baptismum; sed vt spiritalem procreationem non habentes creentur in Christo, & ipsius regni cœlorum participes fiant, eo modo filij & hæredes Dei, cohæredes autem Christi. A quibus tamen cùm quæritur, vtrum non baptizati & non effecti cohæredes Christi, regniq̃ue cœlorum participes, habeant saltem beneficium salutis æternæ in resurrectione mortuorum, laborant vehementer, nec exitum inueniunt. Quis enim Christianorum ferat, cùm dicitur ad æternam salutem posse quenquam peruenire, si non renascatur in Christo, quod per baptismum fieri voluit, eo iam tẽpore quo tale sacramentum constituendum fuit regenerandis in spem salutis æternæ? Vnde dicit Apostol. Non ex operibus iustitiæ quæ nos fecimus, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Quam tamen salutem in

Ad Tit. 3.

Rom. 8. spe dicit esse cùm hîc viuimus, vbi ait, Spe enim salui facti sumus: Spes autem quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Sine ista ergo regeneratione saluos in æternum posse paruulos fieri, quis audeat affirmare, tanquam nó pro eis mortuus sit Christus? Etenim Christus pro impiis mortuus est. Isti autem qui, vt manifestũ est, nihil in sua propria vita impiè commiserunt, si nec originaliter vllo impietatis vinculo detinentur, quomodo pro eis mortuus est qui pro impiis mortuus est? Si nulla originalis peccati ægritudine sauciati sunt, quomodo ad medicum Christum, hoc est, ad percipiendum sacramentum salutis æternæ, suorum currentium pio timore portantur, & non eis in Ecclesia dicitur, Au-
Luc. 5. ferte hinc innocentes istos, nó est opus sanis medicus, sed malè habentibus: Non venit Christus vocare iustos, sed peccatores? Nunquam dictum est, nunquam
† alias, dicatur. † dicitur, nunquam omninò dicetur in Ecclesia Christi tale commentum.

CAP. XIX. Ac ne quis existimet ideò paruulos ad baptismũ afferri oportere, quia sicut peccatores nó sunt, ita nec iusti sunt; quomodo ergo quidam meritum huius ætatis à Domino laudatum esse commemorant, vbi
Matth. 19. ait, Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum? Si enim hoc non propter humilitatis similitudinem, quòd humilitas paruulos faciat, sed propter puerorum vitam laudabilem dictum est, profectò & iusti sunt. Non enim rectè aliter dici potuit, Talium est regnum cælorum, cùm esse non possit nisi iustorum. Sed fortè hoc quidem non cõgruenter dicitur, quòd paruulorum vitam laudauerit Dominus dicens, Talium est regnum cælorum: cũ verax sit ille intellectus, quòd humilitatis similitudinem in parua ætate posuerit. Veruntamen forsitan hoc tenendum est q̃ dixi, propterea paruulos baptizari debere, quia sicut peccatores non sunt, ita nec iusti sunt: sed cũ dictũ esset, Non veni vocare iustos; quasi ei responderetur, quos ergo vocare venisti? continuò subiunxit, Sed peccatores in pœnitentiam. Ac per hoc quomodo si iusti sunt, ita etiam si peccatores nõ sunt, non eos venit vocare, qui dixit, Non veni vocare iustos, sed peccatores. Et ideò baptismo eius qui eos non vocat, non tantùm frustra, verumetiam improbè videntur irruere, quod absit vt sentiamus. Vocat eos igitur medicus, qui non est opus sanis, sed ægrotantibus; nec venit vocare iustos, sed peccatores in pœnitentiam. Et ideò quia suæ vitæ propriæ peccatis nullis adhuc tenentur obnoxij, originalis in eis ægritudo sanatur in eius gratia qui saluos facit per lauacrum regenerationis. Dicet aliquis: Quomodo ergo & ipsi vocantur in pœnitentiam? Nunquid tantillus potest aliquid pœnitere? Huic respondetur, Si propterea pœnitentes dicendi non sunt, quia sensum pœnitendi nondum habent, nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credẽdi nondum habent. Si autem propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestãtium quodammodò profitentur; cur non prius etiam pœnitentes habentur, cùm per eorundem verba gestantium diabolo & huic seculo renunciare monstrantur? Totum hoc in spe fit vi sacramenti & diuinæ gratiæ, quam Dominus donauit Ecclesiæ. Cæterùm quis ignorat quòd baptizatus paruulus, si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit quod paruus accepit? Veruntamen si percepto baptismate de hac vita emigrauerit, soluto reatu cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, iustificatos
Peccata sola inter Deum & homines separant. præsentia creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines & Deum, quæ soluuntur Christi gratia, per quem mediatorem reconciliamur, cùm iustificat impium.

Infantes vt fideles, ita & pœnitentes dicitur.

TERRENTVR autem isti sententia Domini di- CAP. XX.
centis, Nisi quis natus fuerit denuò, non videbit re- Ioan 3.
gnum Dei. Quod cùm exponeret, ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum cælorum: & propterea conantur paruulis non baptizatis innocentiæ merito salutem ac vitam æternam tribuere, sed quia baptizati non sunt, eos à regno cælorum facere alienos: noua quadam & mirabili præsumptione, quasi salus ac æterna vita possit esse præter Christi hæreditatem, præter regnum cælorum. Habent enim videlicet quò confugiant, atque vbi delitescant; quia non ait Dominus, Si quis non renatus fuerit ex aqua & spiritu, non habebit vitam: sed ait, non intrabit in regnum cælorum. Nam si illud dixisset, nulla hinc dubitatio posset oboriri. Auferatur ergo iam dubitatio, Dominum audiamus, non suspi-
B ciones coniecturasque mortalium: Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de sacramento sancti lauacri dicentem, sed de sacramento sanctæ mensæ Ad mensam Domini nemo ritè nisi baptizatus accedit.
suæ, quò nemo ritè nisi baptizatus accedit: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem Ioan. 6.
meum, nõ habebitis vitam in vobis. Quid vltrà quærimus? Quid ad hoc responderi potest, nisi pertinacia pugnaces neruos aduersus constantiam perspicuæ veritatis intendat? An verò quisquam etiam hoc dicere Consule scholia.
audebit, quòd ad paruulos hæc sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis huius & sanguinis in se habere vitã: quia non ait, qui non manducauerit; sicut de baptismo, qui non renatus fuerit: sed ait, si non mãducaueritis, velut eos alloquens qui audire & intelligere poterant, quod vtiq; non valent paruuli? Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, vt sine corpore & sangui-
C ne filij hominis vitam habere non possint, frustrà etiã ætas maior id curat. Potest enim, si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur: quia non ait, qui non manducauerit; sed, si non manducaueritis. Et vbi
est quod eodem loco de hac ipsa re ait, Panis quem e- Ioan. 6.
go dedero, caro mea est pro seculi vita? Secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus quando ista dicebat; quia non possumus dicere ad seculũ nos non pertinere, pro cuius vita Christus suam carnem dedit. Quis autem ambigat seculi nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc seculum veniunt? Nam sicut alibi ait, Filij seculi huius generant & ge- Luc. 20.
nerantur. Ac per hoc etiam pro paruulorum vita caro data est, quæ data est pro seculi vita, & si non manducauerint carnem filij hominis, nec ipsi habebunt vitam. Hinc est etiam illud, Pater diligit filium, & o- Ioan. 3.
mnia dedit in manus eius. Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est filio,
D non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. In quo igitur horum genere ponemus infantes: in eorum qui credunt in filium, an in eorum qui sunt increduli filio? In neutro, ait aliquis; quia cùm adhuc credere non possunt, nec increduli deputandi sunt. Non hoc iudicat Ecclesiastica regula, quæ baptizatos infantes fidelium numero adiungit. Porrò si isti qui baptizantur propter virtutem celebrationemq; tanti sacramenti, quamuis suo corde atque ore non agant quod ad credendum confitendumque pertineat, tamen in numero credentium computantur: profectò illi quibus sacramentum defuerit, in eis habendi sunt qui non credunt filio: atque ideò si huius inanes gratiæ de corpore exierint, sequetur eos quod dictum est, non habebunt vitam, sed ira Dei manet super eos. Et vnde hoc, quando eos clarum est pec-

peccata propria non habere, si nec originali pecca- A
to tenentur obnoxij? Bene autem non ait: ira Dei veniet super eum: sed, manet super eum.

CAP. XXI. Ab hac quippe ira, qua omnes sub peccato sunt,
Ephes. 2. Inscrutabile, cur infantes alij discedant frustrati baptismo, alij non. de qua dicit Apostolus, Fuimus enim & nos aliquando naturaliter filij iræ, sicut & cæteri: nulla res liberat, nisi gratia Dei, per Iesum Christum Dominũ nostrum. Hæc gratia cur ad illum veniat, ad illum nõ veniat, occulta esse causa potest, iniusta non potest. Nũquid enim iniquitas apud Deum? absit. Sed prius san-
Roman. 9. ctarum scripturarum authoritatibus colla subdenda
Per fidem ad intellectum peruenitur. Psalm. 35. Roman. 11. sunt, vt ad intellectũ per fidem quisq; peruenìat. Neq; enim frustrà dictũ est: Iudicia tua sicut abyssus multa. Cuius abyssi altitudinem veluti expauescẽs, exclamat Apostolus, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: præmiserat quippe sentẽtiam miræ profunditatis, dicens: Conclusit enim Deus omnes in incredulitate, vt omnium misereatur. Cuius profunditatis veluti horrore percussus, O altitudo, inquit, diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius? Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius illius fuit: aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniã ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum, amen. Valde ergo paruum sensum habemus ad discutiendam iustitiam iudiciorum Dei; ad discutiendam gratiam gratuitam nullis meritis præcedentibus non iniquam, quæ non tam mouet cùm præstatur indignis, quàm cũ æquè indignis aliis denegatur. Nam & hi quibus videtur iniustũ, vt paruuli sine gratia Christi de corpore exeuntes, non solùm regno Dei, quò & ipsi fatentur nisi per baptismũ renatos intrare non posse; verumetiam vita æterna & salute priuentur: quærentes quomodo iustum sit vt alius ab originali impietate soluatur, alius non soluatur, cùm eadem sit vtriusque conditio: ipsi respondeant secundum suam sententiam, quomodo identidem iustum sit, vt huic præstetur baptismus, quo intret in regnum Dei, illi non præstetur, cùm sit vtriusq; par causa. Si enim mouet, cur ex his duobus, cùm ex æquo ambo sint originaliter peccatores, alius ab hoc vinculo soluitur, cui conceditur baptismus; alius non soluitur, cui talis gratia non conceditur: cur non pariter mouet, quòd ex duobus originaliter innocẽtibus, alius accipit baptismum, quo in regnũ Dei possit intrare, alius non accipit, ne ad regnum Dei possit accedere? Nempe in vtraq; causa, ad illã exclamationem
Sapien. 4. reditur, O altitudò diuitiarum. Ex ipsis deinde baptizatis paruulis dicatur mihi, cur alius rapitur, ne malitia mutet intellectum eius, & alius viuit, impius futurus? Nónne si ambo raperentur, ambo in regnum cœlorum ingrederentur? Et tamen non est iniquitas apud Deum. Quid illud? quem non moueat, quem non in tanta altitudine exclamare compellat, quod alij paruuli spiritu immundo vexantur, alij nihil tale
Mattth. 1. patiuntur, alij etiam in vteris matrũ, sicut Hieremias, sanctificantur, cùm omnes, si est originale peccatum, pariter rei sint: si non est, pariter innocentes sint? Vnde ista tanta diuersitas, nisi quia inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?

CAP. XXII. Refellit eos qui vnita Platonem putant animas ob delicta alibi commissa, in corpora meritis suis conuenientia detrudi, in ipsis magis minusue affligi. Roman. 9. An fortè illud iam explosum repudiatumq; sen-
tiendum est, quòd animę prius in cœlesti habitatione peccantes, gradatim atq; paulatim ad suorum meritorum corpora veniant, ac pro antè gesta vita magis minúsue corporeis pestibus affligantur? Cui opinioni quamuis sancta Scriptura apertissimè contradicat, quæ cùm gratiam commendaret, Nondum, inquit, natis, neque aliquid egerant boni aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quòd maior seruiet minori: nec ipsi tamen qui hoc sentiunt, euadũt huius quæstionis angustias, sed in eis coarctati & hæ-
rentes similiter, O altitudo, exclamare coguntur. Vnde enim fit vt homo ab ineunti pueritia modestior, ingeniosior, temperantior, ex magna parte libidinum victor, qui oderit auaritiam, luxuriam detestetur, atque ad virtutes cæteras prouectior, aptiorque consurgat, & tamen eo loco sit vbi ei prædicari gratia Chri-
stiana non possit? Quomodo enim inuocabunt in Roman. 10.
quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Alius autem tardus ingenio, libidinibus deditus, flagitiis & facinoribus coopertus ita gubernetur vt audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut si detentus hic fuerit, laudabiliter viuat? Vbi duo isti tam diuersa merita contraxerunt, non dico vt iste credat, ille non credat quod est propriæ voluntatis; sed vt iste audiat quod credat, ille non audiat? Hoc enim non est in hominis potestate: Vbi, inquam, hæc
B tam diuersa merita contraxerunt? Si in cœlo egerunt aliquam vitam, vt pro suis actibus propellerentur, vel laberentur in terras, congruisque suæ anteactæ vitæ corporeis receptaculis tenerentur: ille vtique melius ante hoc mortale corpus vixisse credendus est, qui eo non multum meruit prægrauari, vt & bonum haberet ingenium, & concupiscentiis eius mitioribus vrgeretur quas posset facile superare: & tamen eam sibi gratiam prædicari non meruit, qua sola posset à secundæ mortis pernicie liberari. Ille autem pro meritis deterioribus sicut putant grauiori corpori implicitus, & ob hoc cordis obtusi, cum carnis illecebris ardentissima cupidine vinceretur, & per nequissimam vitam peccatis pristinis quibus ad hoc venire meruerat adderet peiora terrena: aut in cruce tamen audi-
uit, Hodie mecum eris in paradiso; aut alicui cohæsit Luc. 23.
Apostolo, cuius prædicatione mutatus, & per lauacrum regenerationis saluus effectus est, vt vbi abun-
C dauit peccatum, superabundaret & gratia. Quid hîc respondeant, omninò non video, qui volentes humanis coniecturis iustitiam Dei defendere, & ignorantes altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerunt. Multa enim dici possunt de miris vocationibus hominum, siue quas legimus, siue quas experti sumus, quibus eorum opinio subuertatur, qui credunt ante ista corpora sua, quasdam proprias vitas gessisse animas hominum, quibus ad hæc venirent pro diuersitate meritorum, diuersa hîc experturæ vel bona vel mala: sed terminandi huius operis cura non finit in his diutiùs immorari. Vnum tamen quod inter multa mirabile comperi, non tacebo. Quis non secundum istos, qui ex meritis prioris vitæ ante hoc corpus in cœlestibus gestæ animas terrenis corporibus magis, minúsue grauari opinantur, affirmet eos ante istam vitam sceleratius immaniusque peccasse, qui mentis lumen sic amittere meruerunt, vt sensu vici-
D no pecoribus nascerentur: non dico tardissimi ingenio, nam hoc de aliis dici solet, sed ita excordes, vt etiam cirrati ad mouendum risum, exhibeant cordatis delicias fatuitatis, quorum nomen ex Græco deri- Moriones fatuitatis delicias cordatis exhibentes.
uatum Moriones vulgus appellat? Talium tamen quidam fuit Christianus, vt cùm esset omnium iniuriarum suarum mira fatuitate patientissimus, iniuriam tamen Christi nominis vel in seipso religionis Morio quidam sua patientissimus, Christi iniuria vltor acerrimus.
qua imbutus erat, sic ferre non posset, vt blasphemantes videlicet cordatos, à quibus hæc vt prouocaretur audiebat, insectari lapidibus non desisteret, nec in ea causa vel dominis parceret. Tales ergo prædestinari & creari arbitror, vt qui possunt, intelligant Dei gratiam, & spiritum qui vbi vult spirat, ob hoc omne in- Ioan. 3.
genij genus in filiis misericordiæ nõ præterire; itemq; omne ingenij genus in gehennę filiis præterire, vt qui 1. Corinth. 1.
gloriatur in Domino glorietur. Illi autẽ qui pro vitæ meritis

meritis ſuperioris accipere quaſq; animas diuerſa terrena corpora affirmant, quibus aliæ magis, aliæ minus grauentur, & pro eiſdem meritis humana ingenia variari, vt acutiora ſint quædam, & alia obtuſiora, proq; ipſius vitæ ſuperioris meritis diuinam quoq; gratiam liberandis hominibus diſpenſari, quid de iſto poterũt reſpondere? Quomodo ei tribuent & teterrimam vitam ſuperiorem, vt ex hoc fatuus naſceretur; & tam bene meritam, vt ex hoc in Chriſti gratia multis acutiſſimis præferretur? Cedamus igitur & cõſentiamus authoritati ſanctæ ſcripturæ, quæ neſcit falli nec fallere, & ſicut nondum natos ad diſcernẽda merita eorum aliquid boni vel mali egiſſe non credimus; ita omnes ſub peccato eſſe, quod per vnum hominem intrauit in mundum, & per omnes homines pertranſiit, à quo non liberat niſi gratia Dei per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, minimè dubitemus.

CAPVT XXIII. Cvivs medicinalis aduentus non eſt opus ſanis, ſed ægrotantibus: quia non venit vocare iuſtos, ſed peccatores: in cuius regnum non intrabit niſi qui renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, nec præter regnum eius ſalutem ac vitam poſſidebit æternam. Quoniam qui non manducauerit carnem eius, & qui incredulus fuerit filio, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cuius naturaliter filij ſunt, qui etiamſi per ætatem non habent proprium, trahunt tamen originale peccatum, nõ liberat niſi agnus Dei qui tollit peccata mundi, non niſi medicus qui non venit propter ſanos, ſed propter ægrotos, non niſi ſaluator, de quo dictum eſt generi humano: Natus eſt vobis hodie ſaluator: non niſi redemptor, cuius ſanguine deletur debitum noſtrum. Nam quis audeat dicere, non eſſe Chriſtum infantum ſaluatorem nec redemptorem? Vnde autem ſaluos facit, ſi nulla in eis eſt originalis ægritudo peccati? vnde redimit, ſi non ſunt per originem primi hominis venundati ſub peccato? Nulla igitur ex noſtro arbitrio præter baptiſmum Chriſti, ſalus æterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina, humanis omnibus ingeniis præferenda.

Luc. 2.

Chriſtus etiam infantum ſaluator atque redemptor.

CAPVT XXIIII. Optime Punici Chriſtiani baptiſmum ipſum nihil aliud quàm ſalutem, & ſacramentum corporis Chriſti, nihil aliud quàm vitam vocant. Vnde niſi ex antiqua, vt exiſtimo, & apoſtolica traditione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, prẽter baptiſmũ & participationem Dominicæ menſæ, non ſolùm non ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quenquam hominum peruenire? Hoc enim & Scriptura teſtatur, ſecundum ea quæ ſuprà diximus. Nam quid aliud tenent, qui baptiſmum nomine ſalutis appellant, niſi quod dictum eſt, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis: & quod Petrus ait, Sic & vos ſimili forma baptiſma ſaluos facit. Quid aliud etiam, qui ſacramentum menſæ Dominicæ vitam vocant, niſi quod dictum eſt: Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi, & panis quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita: &, Si non manducaueritis carnem filij hominis & ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis? Si ergo vt tot & tanta diuina teſtimonia concinunt, nec ſalus nec vita æterna ſine baptiſmo & corpore & ſanguine Domini cuiquam ſperanda eſt, fruſtrà ſine his promittitur paruulis. Porrò ſi à ſalute ac vita æterna hominem niſi peccata non ſeparant, per hæc ſacramenta non niſi peccati reatus in paruulis ſoluitur, de quo reatu ſcriptum eſt, neminem eſſe mundum, nec ſi vnius diei fuerit vita eius. Vnde eſt & illud in Pſalmis: Ego enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis mater mea me in vtero aluit. Aut enim ex perſona generali ipſius hominis dicitur, aut ſi propriè de ſe Dauid hoc dicit,

Baptiſmus omnibus neceſſarius.

Antiqua & Apoſtolica traditio.

Ad Tit. 3.

1. Petr. 3.

Ioan. 6.

Iob 25.

Pſalm 50.

A non vtique de fornicatione, ſed de legitimo connubio natus fuit. Non itaque dubitemus etiam pro infantibus baptizãdis ſanguinem fuſum, qui priuſquàm funderetur, ſic in ſacramento datus & commendatus eſt, vt diceretur, Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Negant enim illos liberari, qui ſub peccato eſſe nolunt fateri. Nam vnde liberantur, ſi nulla ſeruitute peccati tenẽtur obſtricti? Ego, inquit, lux in ſeculum veni, vt omnis qui crediderit in me, non maneat in tenebris. Hoc dicto, quid oſtendit, niſi in tenebris eſſe omnem qui non credit in eum, & credẽdo efficere ne maneat in tenebris? Has tenebras, quid niſi peccata intelligimus? Sed quodlibet aliud intelligantur hæ tenebræ, profectò qui non credit in Chriſtum manebit in eis: & vtique pœnales ſunt, non quaſi nocturnæ ad quietem animantium neceſſariæ.

Matth. 26.

Ioan. 12.

CAP. XXV. *Paruuli quomodo illuminentur.*

B Proinde paruuli ſi per ſacramentum quod ad hoc diuinitus inſtitutum eſt, in credẽtium numerum non tranſeant, profectò in his tenebris remanebunt. Quamuis eos nonnulli mox natos illuminari credãt, ſic intelligentes quod ſcriptum eſt, Erat lumen verũ, quod illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum. Quod ſi ita eſt, multum mirandum eſt, quomodo illuminati ab vnico filio, quod erat in principio verbum Deus apud Deum, non admittantur ad regnum Dei, nec ſint hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. Hoc enim eis niſi per baptiſmum non præſtari, etiam qui hoc ſentiunt confitentur. Deinde iam illuminati, ſi ad conſequendum regnum Dei nondum ſunt idonei, ſaltem ipſum baptiſmum, quo ad hoc idonei fiunt, læti ſuſcipere debuerunt: cui tamen eos videmus cum magnis fletibus reluctari, eamque ignorantiam in illa ætate contemnimus, vt ſacramenta quæ illis prodeſſe nouimus, in eis etiam reluctantibus compleamus. Cur enim & Apoſtolus

Ioan. 1.

C dicit: Nolite pueri eſſe mentibus, ſi iam illo lumine vero quod verbum Dei eſt, illuminatæ ſunt eorum mentes? Itaque illud quod in Euangelio poſitum eſt, Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ideò dictum eſt, quia nullus hominũ illuminatur niſi illo lumine veritatis, quod Deus eſt: ne quiſquam putaret ab eo ſe illuminari à quo aliquid audit vt diſcat, non dico ſi quenquam magnum hominem, ſed nec ſi angelum ei contingat habere doctorem. Adhibetur enim ſermo veritatis extrinſecus vocis miniſterio corporalis, veruntamen neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Audit quippe homo dicentem vel hominem vel angelum, ſed vt ſentiat & cognoſcat verum eſſe quod dicitur, illo lumine intus mens eius aſpergitur, quod in æternum manet, quod etiam in tenebris lucet. Sed ſicut ſol iſte à cæcis, quamuis eos ſuis radiis quodammodò veſtiat, ſic ab ſtultitiæ tenebris non comprehenditur. Cur autem cùm diximus, quod illuminat omnem hominem: addiderit, venientem in hunc mundum: vnde hæc opinio nata eſt, quod in exortu corporali ab vtero matris recentiſſimo illuminet mentes naſcentium paruulorum: quãuis in Græco ita ſit poſitum, vt poſſit etiam intelligi lumen ipſum veniens in hunc mũdum; tamen ſi hominem venientem in hunc mundum, neceſſe eſt accipi, aut ſimpliciter dictum arbitror, ſicut multa in ſcripturis reperiuntur, quibus etiam detractis nihil ſententiæ minuatur: aut ſi propter aliquam diſtinctionem additum eſſe credendum eſt, fortaſſe hoc dictum eſt, ad diſcernendam ſpiritalem illuminationem ab iſta corporali, quæ ſiue per cœli luminaria, ſiue quibuſcunq; ignibus illuminat oculos carnis, vt hominẽ interiorem dixerit venientẽ in hunc mundum, quia exterior corporeus eſt, ſicut hic

Deus quomodo omnem hominem illuminet.

Quemodo alius Deus, alius homo docent.

ἐγχόμενον.

hic mundus: Tanquam diceret, illuminat omnem hominem venientem in corpus, ſecũdum illud quod ſcriptum eſt: Sortitus ſum animam bonam, & veni in corpus incoinquinatum. Aut ergo ſic dictum eſt, ſi diſtinctionis alicuius gratia dictum eſt: Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, tãquam dictum eſſet: Illuminat omnem hominem interiorem, quia homo interior cùm veraciter fit ſapiens, non niſi ab illo illuminatur qui eſt lumen verum. Aut ſi rationem ipſam qua humana anima rationalis appellatur, quæ ratio adhuc velut quieta & quaſi ſopita, tamen inſita & quodammodò inſeminata in paruulis latet, illuminationem voluit appellare, tanquam interioris oculi creationem: non reſiſtendũ eſt, tunc eam fieri cum anima creatur, & non abſurdè hoc intelligi, cùm homo venit in mundum: veruntamen etiam ipſe quamuis iam creatus oculus, neceſſe eſt vt in tenebris maneat, ſi non credat in eum, qui dixit: Ego lux in ſeculum veni, vt omnis qui credit in me non maneat in tenebris, quod per ſacramentum baptiſmatis in paruulis fieri non dubitat mater eccleſia, quæ † cor maternum eis præſtat, vt ſacris myſteriis imbuantur, quia nondum poſſunt corde proprio credere ad iuſtitiam, nec ore proprio confiteri ad ſalutẽ. Nec ideò tamen eos quiſquam fidelium fideles appellare cunctatur, quod à credendo vtique nomen eſt, quamuis hoc non ipſi, ſed alij pro eis inter ſacramenta reſponderint.

Sapient. 8.

Rom. 12.

†alias, corde recto maternum eis præſtat affectũ.

CAP. XXVI. *Concluditur peccato originis omnes obnoxios.*

Nimis longum fiet ſi ad ſingula teſtimonia ſimiliter diſputemus. Vnde commodius eſſe arbitror aceruatim cogere, quæ occurrere potuerint, vel quæ ſufficere videbuntur, quibus appareat Dominum Ieſum Chriſtum non aliam ob cauſam in carne veniſſe, ac forma ſerui accepta factum obedientem vſque ad mortem crucis; niſi vt hac diſpenſatione miſericorditſſimæ gratiæ omnes, quibus tanquam membris in ſuo corpore conſtitutis caput eſt, ad capeſſendum

Philip. 2.

C regnum cœlorum viuificaret, ſaluos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret, qui prius fuiſſent in peccatorum morte, languoribus, ſeruitute, captiuitate, tenebris conſtituti, ſub poteſtate diaboli principis peccatorum: ac ſic fieret mediator Dei & hominum, per quem poſt inimicitias impietatis noſtrę, illius gratiæ pace finitas, reconciliaremur Deo in æternam vitam, ab æterna morte quæ talibus impendebat erepti. Hoc enim cùm abundantius apparuerit, conſequens erit vt ad iſtam Chriſti diſpenſationem, quæ per eius humilitatem facta eſt, pertinere non poſſint, qui vita, ſalute, liberatione, redemptione, illuminatione non indigent. Et quoniam ad hanc pertinet baptiſmus quo Chriſto conſepeliuntur, vt incorporentur illi membra eius, hoc eſt fideles eius: profectò nec baptiſmus eſt neceſſarius eis, qui illo remiſſionis & reconciliationis beneficio quæ fit per mediatorem, non opus habent. Porrò quia paruulos baptizandos eſſe concedunt, qui contra authoritatem vniuerſæ eccleſiæ proculdubiò per Dominum & apoſtolos traditam venire non poſſunt: concedant oportet eos egere illis beneficiis mediatoris, vt † oblati per ſacramentum charitatemque fidelium, ac ſic incorporati Chriſti corpori, quod eſt eccleſia, reconciliẽtur Deo, vt in illo viui, vt ſalui, vt liberati, vt redempti, vt illuminati fiant. Vnde niſi à morte, vitiis, reatu, ſubiectione, tenebris peccatorum? quæ quoniam nulla in ea ætate per ſuam vitam propriam commiſerunt, reſtat originale peccatum.

†alias, abluti.

CAPVT XXVII. *Congerit teſtimonia ſcripturarum.*

Haec ratiocinatio tunc erit fortior, cùm ea quæ promiſi teſtimonia multa congeſſero. Iã ſuprà poſuimus: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Itẽ cùm ad Zachæum eſſet ingreſſus: Hodie, inquit, ſalus domui huic facta eſt, quoniã & iſte filius eſt Abrahę: Venit enim filius hominis quærere & ſaluare quod perierat. Hoc & de oue perdita & relictis nonaginta nouẽ quæſita & inuenta, hoc & de drachma quæ perierat ex decem. Vnde oportebat, vt dicit, prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Marcus etiam in fine Euangelij ſui Dominum dixiſſe teſtatur: Euntes in mundũ vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condẽnabitur. Quis autem neſciat credere eſſe infantibus baptizari, non credere aũt, non baptizari? Ex Ioannis autem Euangelio quãuis iam nonnulla poſuerimus, attende etiam iſta. Ioannes Baptiſta, inquit, de illo: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et ipſe de ſeipſo: Qui de ouibus meis ſunt, vocem meã audiunt, & ego noui illas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do illis, & non peribunt in æternum. Quoniam

Luc. 15.

Luc. 24.

Marc. 16.

Ioan. 1.

Ioan. 10.

B ergo de ouibus eius eſſe non incipiunt paruuli niſi per baptiſmum, profecto ſi hoc non accipiunt, peribunt: Vitã enim æternam, quam ſuis dabit ouibus, non habebunt. Itẽ alio loco: Ego ſum via, veritas & vita. Nemo venit ad patrem niſi per me. Hanc doctrinã ſuſcipientes Apoſtoli, vide quanta conteſtatione declarãt. Petrus in prima epiſtola: Benedictus, inquit, Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ, qui regenerauit nos in ſpem vitæ æternæ per reſurrectionem Ieſu Chriſti in hæreditatem immortalem & incõtaminatam, florentem, ſeruatam in cœlis, vobis qui in virtute Dei conſeruamini per fidem in ſalutem paratam palàm fieri in tẽpore nouiſſimo. Et paulò pòſt: Inueniamini, inquit, in laudem & honorem Ieſu Chriſti, quem ignorabatis, in quem modò nõ videntes creditis, quem cùm videritis, exultabitis gaudio inenarrabili, & honorato gaudio percipientes teſtamentum fidei ſalutem a-

Ioan. 14.

1. Petr. 1.

C nimarum veſtrarum. Item alio loco: Vos autem, inquit, genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus in adoptione, vt virtutes enuncietis eius, qui vos de tenebris vocauit in admirabile lumen ſuum. Et iterum: Chriſtus, inquit, pro peccatis noſtris paſſus eſt iuſtus pro iniuſtis, vt nos adducat ad Deum. Item cùm commemoraſſet in arca Noë, octo homines ſaluos factos: ſic & vos, inquit, ſimili forma baptiſma ſaluos facit. Ab hac ergò ſalute & lumine alieni ſunt paruuli & in perditione ac tenebris remanebunt, niſi per adoptionem populo Dei fuerint ſociati, tenentes Chriſtum paſſum, iuſtum pro iniuſtis, vt eos adducat ad Deum. Ex Epiſtola etiam Ioannis hæc mihi occurrerunt, quæ huic quæſtioni neceſſaria viſa ſunt. Quòd ſi in lumine, inquit, ambulauerimus, ſicut & ipſe eſt in lumine, ſocietatem habemus in inuicem, & ſanguis Ieſu Chriſti filij eius purgabit nos ab omni delicto. Item alio loco: Si teſtimonium,

1. Petr. 2.

2. Petr. 3.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 5.

D inquit, hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt, quia hoc eſt teſtimonium Dei quod maius eſt, quia teſtificatus eſt de filio ſuo: Qui crediderit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſemetipſo: Qui non crediderit Deo, mendacem facit Deum, quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt de filio ſuo. Et hoc eſt teſtimonium, quia vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius eſt. Qui habet filium, habet vitam: qui non habet filiũ, non habet vitam. Non ſolùm igitur regnum cœlorum, ſed nec vitam paruuli habebunt, ſi filium non habebunt, quem niſi per baptiſmum eius habere non poſſunt. Item alio loco: In hoc, inquit, manifeſtatus eſt filius Dei, vt ſoluat opera diaboli. Non ergo pertinebunt paruuli ad gratiam manifeſtationis filij Dei, ſi non in eis ſoluat opera diaboli. Iam nunc attende ad hanc rem Pauli Apoſtoli teſtimonia, tanto vtiq;

1. Ioan. 5.

Paulus diligens gratia Dei prædicator.

vtique plura, quantò plures epistolas scripsit, & quantò diligentiùs curauit commendare gratiam Dei aduersus eos qui de operibus gloriabantur, atque ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non erant subiecti. In Epistola ad Romanos: Iustitia, inquit, Dei in omnes qui credunt: Non enim est distinctio: omnes enim peccauerunt & egẽt gloria Dei, Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sangume ipsius, ad ostensionem iustitiæ eius propter remissionem præcedentium peccatorum in Dei patientia, ad ostendendam iustitiam ipsius in hoc tempore, vt sit iustus & iustificans eum qui ex fide est Iesu. Item alio loco: Ei qui operatur, inquit, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò qui non operatur, credit autem in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam: sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunr peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Item paulò pòst: Non est autem scriptum, inquit, propter illum tantùm, quia deputatum est illi ad iustitiam, sed & propter nos quibus deputabitur credentibus in eum, qui excitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Et paulò pòst: Si enim Christus, inquit, cùm infirmi essemus adhuc iuxta tempus, pro impiis mortuus est. Et alibi: Scimus, inquit, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim operor, ignoro, non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Si autem quod nolo hoc facio, consentio legi quoniam bona est. Nunc autem non iam ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum. Scio enim quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum: nam bonum velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo, ego hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem mihi volenti facere bonum, quoniam mihi malum adiacet, condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum. Dicant qui possunt homines non nasci in corpore mortis huius, vt possint etiam dicere, non eis necessariam gratiam Dei per Iesum Christum, qua liberentur de corpore mortis huius. Item paulò pòst: Quod enim impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum misit in similitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne. Dicant qui audent oportuisse nasci Christum in similitudine carnis peccati, nisi nos nati essemus in carne peccati. Item ad Corinthios: Tradidi enim vobis inprimis, inquit, quod & accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas.

Item ad eosdem Corinthios in secunda: Charitas enim Christi compellit nos, iudicantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: Et pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Itaque nos amodò neminem nouimus secundum carnem, etsi noueramus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Si qua igitur in Christo noua creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis. quemadmodum? quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta eorum, & ponens in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: Obsecramus pro Christo reconciliari Deo: Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos simus iustitia Dei in illo. Cooperantes autem & rogamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis. Dicit enim: Tempore acceptabili exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Ad hanc reconciliationem & salutem si non pertinent paruuli, quis eos quærit ad baptismum Christi? Si autem pertinent, inter homines mortuos sunt pro quibus ille mortuus est, nec ab eo reconciliari & saluari possunt, nisi remissa non deputet delicta eorum. Item ad Galatas: Gratia vobis & pax à Deo patre, & Domino Iesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eximeret nos de præsenti seculo maligno. Et alio loco: Lex transgressionis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est, disposita per angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius non est, Deus verò vnus est. Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, omninò ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Ad Ephesios etiam: Et vos cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aëris, spiritus eius qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ facientes voluntatem carnis, & affectionum, & eramus naturaliter filij iræ, sicut & cæteri. Deus autem qui diues est in misericordia, propter multam dilectionem qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia salui facti sumus. Et paulò pòst: Gratia, inquit, salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Non ex operibus, ne forte quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Et paulò pòst: Qui eratis, inquit, in illo tempore sine Christo, alienati à societate Israël, & peregrini testamentorum & promissionis, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo: nunc autem in Christo Iesu, qui aliquando eratis longè, facti autem estis propè in sanguine Christi. Ipse est enim pax nostra qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitias, in carne sua legem mandatorum decretis euacuans, vt duos conderet in se in vnum hominem nouum, faciens pacem, & commutaret vtrosque in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui eratis longè & pacem his qui propè, quia per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad patrem. Item alibi: Sicut veritas est in Iesu, deponere vos secundum priorem conuersationem veterem hominem eum, qui corrumpitur secundum concupiscentias deceptionis. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Et alibi: Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. Ad Colossenses etiam ita loquitur: Gratias agentes patri idoneos facienti nos in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum & trastulit in regnum filij charitatis suæ,

Roman. 5. — Roman. 4. — Psalm. 31. — Roman. 5. — Roman. 7. — Roman. 7. — Roman. 8. — 1. Corinth. 11. — 1. Corinth. 5. — 2. Corinth. 6. — Galat. 1. — Galat. 3. — Ephes. 2. — Ephes. 4. — Coloss. 1.

suæ, in quo habemus redemptionẽ in remissione peccatorum. Et alio loco: Et estis, inquit, in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis: in quo etiam circumcisi estis circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, in circũcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. Et vos cùm essetis mortui delictis & præputio carnis vestræ, cõuiuificauit cum illo donans nobis omnia delicta, delens quòd aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tollens illud de medio, & affigens illud cruci, exuens se carnem, principatus & potestates exẽplauit fiducialiter triumphans eos in semetipso. Et ad Timotheum: Humanus, inquit, sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me ostenderet primò Christus Iesus omnem longanimitatem ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam. Item dicit: Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. In secunda etiam ad eundem: Noli ergo, inquit, erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius, sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei saluos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositũ suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante secula æterna, manifestata autem nunc per aduentum Domini nostri Iesu Christi, euacuantis quidem mortem, illuminantis autem vitam & incorruptionem per Euangelium. Ad Titum etiam: Expectantes, inquit, illam beatam spem & manifestationem gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Domini nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi nos populum abundantem, æmulatorem bonorum operum. Et alio loco: Cùm autem benignitas & humanitas illuxit saluatoris Dei nostri, non ex operibus iustitiæ, quæ nos fecimus, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem ditissimè effudit super nos per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati ipsius gratia hæredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ. Ad Hebræos quoque Epistola, quanquam nonnullis incerta sit, tamen quoniam legi quosdam huic nostræ de baptismo paruulorum sententiæ contraria sentientes, etiam istam quibusdam opinionibus suis testem adhibere voluisse, magisque me mouet authoritas Ecclesiarum Orientalium, quæ hanc etiã in canonicis habent, quanta pro nobis testimonia contineat, aduertendum est. In ipso eius exordio legitur: Multis partibus, & multis modis olim Deus locutus est patribus in Prophetis, postremò in his diebus locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula. Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, gerens quoque omnia verbo virtutis suæ, purgatione peccatorum à se facta, sedet ad dextram maiestatis in excelsis. Et post pauca: Si enim qui per angelos dictus est, sermo factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia iustam accepit mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem? Et alio loco: Propterea ergo quia pueri communicauerunt sanguini & carni, & ipse propemodum eorum participauit, vt per mortem euacuaret eum, qui potestatem habebat mortis, id est, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam rei erant seruitutis. Et paulò pòst: Vnde debuit, inquit, secundum omnia fratribus similis esse, vt misericors esset, & fidelis princeps sacerdotum eorum, quæ sunt ad Deum propiciandum pro delictis populi. Et alibi: Teneamus, inquit, confessionem, non habemus enim pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: etenim expertus est omnia secundum similitudinem sine peccato. Et alio loco: Intransgressibile, inquit, habet sacerdotium, vnde & saluos potest perficere eos, qui adueniunt per ipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro ipsis. Talem enim decebat habere nos principem sacerdotum, iustum, sine malitia, incontaminatum, separatum à peccatoribus, altiorem à cœlis factum, non habentem quotidianam necessitatem, sicut principes sacerdotum primùm pro suis peccatis, sacrificium offerre, dehinc pro populi: hoc enim semel fecit offerens se. Et alio loco: Non enim in manu fabricata sancta introiuit Christus, quæ sunt similia verorum, sed in ipsum cœlum apparere ante faciem Dei pro nobis, non vt sæpius offerat semetipsum, sicut princeps sacerdotum intrat in sancta, in anno semel cum sanguine alieno: cæterùm oportebat eum sæpius pati à mundi constitutione, nunc autem semel in extremitate seculorum ad remissionem peccatorum per sacrificium suum manifestatus est. Et sicut constitutum est hominibus semel tantùm mori, & post hoc iudicium: sic & Christus semel oblatus est vt multorum peccata portaret, secundo sine peccatis apparebit eis, qui eum sustinent ad salutem. Apocalypsis etiam Ioannis has laudes Christo per cánticum nouum testatur offerri: Dignus es accipere librum & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, de omni gente & lingua & populo & natione. Item in actibus Apostolorum, inceptorem vitæ Petrus Apostolus dixit esse Dominum Iesum, increpans Iudæos quòd occidissent eum, ita loquens: Vos autem sanctum & iustum inhonorastis & negastis, & postulastis hominem homicidam viuere & donari vobis: Nam inceptorem vitæ occidistis. Et alio loco: Hic est lapis reprobatus à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli. Non est enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Et alibi: Deus patrum suscitauit Iesum, quem vos interfecistis suspendentes in ligno. Hunc principem & saluatorem exaltauit gloria sua, dare pœnitentiam Israël & remissionem peccatorum in illo. Item alio loco: Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen illius omnem credentem in eum. Item in eodem libro Apostolus Paulus: Notum ergo vobis sit, inquit, viri fratres, quoniam per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi iustificari, in hoc omnis credens iustificatur. Hoc tanto aggere testimoniorum, cuius aduersus veritatem Dei elatio non premitur? Et multa quidem alia reperiri possunt, sed & finiendi huius operis cura non negligenter habenda est. De libris quoque veteris Testamenti multas contestationes diuinorum eloquiorum adhibere in hanc sententiam superuacaneum putaui, quandoquidem illic quod occultatur sub velamento velut terrenarum promissionum, hoc in noui Testamenti prædicatione reuelatur. Et ipse Dominus librorum veterum vtilitatem breuiter demonstrauit & definiuit dicens, oportuisse impleri quæ de illo scripta essent in lege & Propheris & Psalmis, & hæc ipsa esse, quòd oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitẽtiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, inci-

Nota 2. — 1. Timoth. 1. — 1. Timoth. 2. — 2. Timoth. 1. — Ad Titum. 2. — Ad Titum 3. — Epistolam ad Hebræos, authoritatem sequuntur Orientalis Ecclesia, Canonicam agnoscit. — Hebr. 1. — Hebr. 2. — Hebr. 2. — Hebr. 4. — Hebr. 7. — Hebr. 9. — Apocal. 5. — Actor. 2. — Actor. 4. — Actor. 5. — Actor. 10. — Actor. 13. — Luc. 24.

tes, incipiẽtibus ab Hierosolymis. Et Petrus dicit, quod paulò antè cõmemorauí: Huic omnes Prophetas testimoniũ perhibere, remissionem peccatorum accipere per manum eius omnem credẽtem in eum. Verũtamen commodiùs est etiam ex ipso vetere Testamento testimonia pauca depromere, quæ vel ad supplementum, vel potiùs ad cumulum valere debebunt. Ipse Dominus per Prophetam in Psalmo loquens ait: Sanctis qui sunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in illis. Non merita illorum, sed voluntates meas. Nam illorum quid, nisi quod sequitur? Multiplicatæ sunt infirmitates eorum supra id quòd infirmi erant. Ad hoc & lex subintrauit vt abundaret delictum. Sed quid adiungit? Postea accelerauerũt, multiplicatis infirmitatibus, hoc est, abundante delicto, alacriùs medicum quæsierunt, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia. Deniq; non congregabo, inquit, conuenticula eorum de sanguinibus, quoniam multis sacrificiorum sanguinibus, cùm primùm in tabernaculum vel in templum congregarentur, conuincebantur potiùs peccatores, quàm mundabantur. Non ergo iam, inquit, de sanguinibus congregabo conuenticula eorum. Vnus enim sanguis pro multis datus est, quo veraciter mundarentur. Denique sequitur: Nec memor ero nominum illorum per labia mea: tanquam innouatorum. Nam nomina eorum erant priùs filij carnis, filij seculi, filij iræ, filij diaboli, immundi, peccatores, impij: postea verò filij Dei, homini nouo nomen nouum, canticum nouum cantanti nouum, per Testamẽtum nouum. Non sint ingrati homines gratiæ Dei pusilli cum magnis, à minore vsque ad maiorem. Totius Ecclesiæ vox est: Erraui sicut ouis perdita. Omnium membrorum Christi vox est: Omnes vt oues erraui mus, & ipse traditus est pro peccatis nostris. Qui totus prophetiæ locus apud Esaiam est, quo per Philippum sibi exposito, spado ille Candacis reginæ in eum credidit. Vide quotiens hoc ipsum commendet, & tanquam superbis nescio quibus, vel contentiosis identidem inculcet: Homo, inquit, in plaga, & qui sciat ferre infirmitates, propter quod & auertit se facies eius, iniuriata est, nec magni æstimata est. Hic infirmitates nostras portat, & pro nobis in doloribus est, & nos existimauimus illum in doloribus esse & in plaga & in pœna, ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, infirmatus est propter iniquitates nostras. Eruditio pacis nostræ super eum, in liuore eius sanati sumus. Omnes vt oues erraui mus, & Dominus tradidit illum pro peccatis nostris. Et ipse quoniam malè tractatus est non aperuit os, vt ouis ad immolandum ductus est, & vt agnus ante eum qui se tonderet fuit sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate sublatum est iudicium eius, generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita eius, ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. Dabo ergo malos propter sepulturam eius, & diuites propter mortem eius, ob hoc quòd iniquitatem non fecerit, nec dolum ore suo. Dominus vult purgare illum de plaga. Si dederitis vos ob delicta vestra animam vestram, videbitis semen longæ vitæ, & vult Dominus auferre à doloribus animam eius, ostendere illi lucem, & figurare per sensum, iustificare iustum bene seruientem pluribus, & peccata illorum ipse sustinebit. propterea ipse hæreditabit complures, & fortium partietur spolia, propter quod tradita est anima eius ad mortem, & inter iniquos æstimatus est, & ipse peccata multorum sustinuit, & propter iniquitates eorum traditus est. Attende etiam illud eiusdem prophetæ, quod de se completum, lectoris etiam functus officio in synagoga ipse recita-

Actor. 10.
Psalm. 15.
Roman. 5.
Roman. 5.
Psalm 118.
Esa. 53.
Actor. 18.
Esa. 53.

A uit: Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me, vt refrigerem qui in pressura cordis sunt, prædicare captiuis indulgentiam, & cæcis visum. Omnes ergo agnoscamus, nec vllus exceptus sit eorũ, qui volumus corpori eius adhærere, per eum in ouile eius intrare, ad vitam & salutem quam suis promisit perpetuam peruenire. Omnes, inquam, agnoscamus eum, qui peccatũ non fecit, & peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, vt à peccatis separati cum iustitia viuamus, cuius cicatricibus sanati sumus infirmi cùm essemus, tanquam pecora errantia.

Luc. 4.
Esa. 61.
1. Petr. 2.

QVAE cùm ita sint, neminem vnquam eorum qui ad Christum accesserunt per baptismum, sana fides & sana doctrina putauit exceptum à gratia remissionis peccatorum, nec esse posse alicui præter regnũ eius, æternam salutem. Hæc enim parata est reuelari in tempore nouissimo, hoc est, in resurrectione mortuorum pertinentium non ad mortem æternam, quæ secunda mors appellatur, sed ad vitam æternam, quã promisit non mendax Deus sanctis & fidelibus suis, cuius vitæ participes omnes non viuificabuntur nisi in Christo, sicut in Adam omnes moriuntur. Quemadmodum enim omnes omninò pertinentes ad generationem voluntatis carnis non moriuntur, nisi in Adam in quo omnes peccauerunt: sic ex his omnes omninò pertinentes ad regenerationem voluntatis spiritus, non viuificãtur nisi in Christo, in quo omnes iustificantur: Quia sicut per vnum omnes ad condemnationem, sic per vnum omnes ad iustificationẽ. Nec est vllus vlli medius locus vt possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus malè credentium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam paruulis non baptizatis tribuere, vt quasi merito innocentiæ sint in vita æterna; sed quia non sunt baptizati, non sint cùm Christo in regno eius, definitiuam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, vbi ait: Qui mecum non est, aduersum me est. Constitue igitur quemlibet paruulum: Si iam cum Christo est, vt quid baptizatur? Si autem, quod habet veritas, ideò baptizatur vt sit cum Christo, profectò non baptizatus non est cum Christo. Et quia non est cum Christo, aduersus Christum est: neque enim eius tam manifestã debemus aut possumus infirmare, vel immutare sententiam. Vnde igitur aduersus Christum, nisi ex peccato, neque enim ex corpore & anima, quæ vtraque Dei creatura est. Porrò si ex peccato, quod in illa ætate nisi originale & antiquum? Vna est quippe caro peccati, in qua omnes ad damnationem nascuntur, & vna est caro in similitudine carnis peccati, per quam omnes à damnatione liberantur. Nec ita dictũ est omnes, velut quicunque nascuntur in carne peccati, ijdem ipsi omnes mundari intelligantur per carnem simílem carni peccati: Non enim omnium est fides, sed omnes pertinentes ad generationem connubij carnalis, non nascuntur nisi in carne peccati: & omnes pertinentes ad generationem connubij spiritualis, non mundantur nisi per carnem simílem carni peccati. Hoc est, illi per Adam ad condemnationem, isti per Christum ad iustificationem. Tanquam si dicamus, verbi gratia, vna est obstetrix in hac ciuitate, quæ omnes excipit, & vnus est hic literarum magister, qui omnes docet: neque ibi intelligi possunt omnes nisi qui nascuntur; neque hic omnes, nisi qui discunt: non tamen omnes qui nascuntur, literas discunt. Sed cuiuis claret, quod & illic rectè dictum est, omnes excipit, præter cuius manus nemo nascitur; & hîc rectè dictum est, omnes docet, præter cuius magisterium nemo discit. Consideratis autem

CAPVT XXVIII. Colligit omnes egere morte Christi.
1. Corinth. 15.
Roman. 5.
Matth. 12.
2. Thess. 3.

autem omnibus diuinis testimoniis quæ commemoraui, siue singillatim de vnoquoque disputans, siue aceruatim multa congestans, vel quæcunq; similia non commemoraui, nihil inuenitur nisi quod vniuersa ecclesia tenet, quæ aduersus omnes profanas nouitates vigilare debet: omnem hominem separari à Deo, nisi qui per mediatorem Christum recõciliatur Deo, nec separari quẽquam nisi peccatis intercludentibus posse. Non ergo reconciliari nisi peccatorum remissione per vnam gratiam misericordissimi Saluatoris, per vnam victimam verissimi sacerdotis: ac sic omnes filios mulieris, quæ serpenti credidit, vt libidine corrumperetur, non liberari à corpore mortis huius, nisi per filium virginis, quæ angelo credidit vt sine libidine fœtaretur.

Gen. 3.
Luc. 1.

CAPVT XXIX. Bonum coniugij quid.

BONVM ergo coniugij nõ est feruor concupiscẽtiæ, sed quidam licitus & honestus illo feruore vtendi modus, propagandæ proli, non explendæ libidini accommodatus. Voluntas ista non voluptas illa nuptialis est. Quod igitur in membris corporis mortis huius inobedienter mouetur, totumq; animum in se deiectum conatur attrahere, & neque cùm mens voluerit exurgit, neque cùm mens voluerit conquiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo. Cũ autem ab illicitis corruptionibus refrenatur, & ad sola generis humani supplementa ordinatè propaganda permittitur, hoc est bonum coniugij, per quod ordinata societate nascitur homo. Sed nemo renascitur in Christi corpore, nisi priùs nascatur in peccati corpore. Sicut autem bono vti malè, malum est: sic malo bene vti, bonum est. Duo igitur hæc, bonum & malum, & alia duo, vsus bonus & vsus malus sibimet adiuncta quatuor differẽtias faciunt. Bene vtitur bono, continentiam dedicans Deo. Malè vtitur bono, continentiam dedicans idolo. Malè vtitur malo, concupiscentiam relaxans adulterio: Bene vtitur malo, concupiscentiam restringens connubio. Sicut ergo melius est bene vti bono, quàm bene vti malo, cùm sit vtrumque bonum: ita qui dat virginem suam nuptum, bene facit, & qui non dat, melius facit. De qua quæstione multo vberius & multo sufficientius in duobus libris, vno de bono coniugali, altero de sancta virginitate, quantum Dominus dedit pro mearum virium exiguitate disserui. Non itaq; per nuptiarum bonum defendant concupiscentiẽ malum, qui carnem & sanguinẽ redemptoris extollunt: nõ erigantur in superbiam erroris alieni, de quorum paruula ætate nobis dedit Dominus humilitatis exemplum: solus sine peccato natus est, quem sine virili complexu non concupiscẽtia carnis, sed obedientia mentis virgo concepit. Sola nostro vulneri medicinam parere potuit, quæ nõ ex peccati vulnere germen piæ prolis emisit.

Originale peccatum in libidine venera statuere videtur.
Boni & mali vsus quatuor differentiæ.
1. Cor. 7.
Luc. 1.

CAPVT XXX. Isai. 3.

IAM nunc scrutemur diligentius quantum adiuuat Dominus, etiam ipsum Euangelij capitulum vbi ait: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non intrabit in regnum Dei. Qua isti sententia nisi mouerentur, omnino paruulos nec baptizandos esse censerent. *Sed quia non ait*, inquiunt, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, nõ habebit salutem vel vitam æternam: tantummodo autem dixit, non intrabit in regnum Dei: ad hoc paruuli baptizandi sunt, vt sint etiam cum Christo in regno Dei, vbi non erũt si baptizati non fuerint: quamuis & sine baptismo si paruuli moriantur, salutem vitamq; æternam habituri sint, quoniam nullius peccati vinculo obstricti sunt.* Hæc dicentes, primò nunquam explicant isti, qua iustitia nullum peccatum habens, imago Dei separatur à regno Dei. Deinde videamus vtrum Dominus Iesus vnus & solus magister bonus in hac ipsa Euangelica lectione non significauerit & ostenderit, non nisi per remissionem peccatorum fieri, vt ad regnum Dei peruenianr baptizati: quamuis rectè intelligentibus sufficere debuerit, quod dictum est: Nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei: Et nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Cur enim nascatur denuò, nisi renouandus? vnde renouandus, nisi à vetustate? qua vetustate, nisi in qua vetus homo noster simul crucifixus est cũ illo, vt euacuetur corpus peccati? Aut vnde imago Dei non intrat in regnum Dei, nisi impedimento prohibente peccati? Veruntamen vt proposuimus, totam ipsam circumstantiam euangelicæ lectionis ad rem de qua agitur pertinẽtem, intentè quantum possumus diligenterq; videamus. Erat autem homo, inquit, ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum, hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus & dixit ei: Amẽ amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Numquid potest in vterum matris suæ iterum introire & nasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est de carne, caro est, & quod natum est de spiritu, spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi, oportet vos nasci denuò: Spiritus vbi vult spirat, & vocẽ eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis qui natus est ex spiritu. Respõdit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Iesus & dixit ei: Tu es magister in Israël & hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipiris. Si terrena dixi vobis & non credidistis, quomodo si dixero vobis cælestia, credetis? Et nemo ascendit in cælum nisi qui de cælo descendit, filius hominis qui in cælo est. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum nõ pereat, sed habeat vitam æternam. Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum nõ pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc est autem iudiciũ, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ne arguãtur opera eius: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia in Deo sunt facta. Huc vsq; est ad rem de qua quærimus pertinens totus sermo ille contextus, deinceps in aliud narrator abscedit.

Baptismum ad quid infantibus necessarium voluerint Pelagiani.
Roman. 8.
Ioan. 3.
Num. 21.
Ioan. 3.
Ioan. 3.

CAPVT XXXI.

CVM ergo Nicodemus quæ dicebantur non intelligeret, quæsiuit à Domino quomodo possent ista fieri. Videamus quid Dominus ad hoc respondeat. Profectò enim si ad interrogata respondere dignabitur, quomodo possunt ista fieri: hoc dicturus est, quomodo possit fieri regeneratio spiritalis venientis hominis ex generatione carnali. Notata itaque paululum eius imperitia, qui se cæteris de magisterio præferebat, & omnium talium incredulitate reprehensa, quòd testimonium non acciperent veritatis: addidit etiam se illis terrena dixisse nec eos credidisse, quærens vel admirans quomodo essent cælestia credituri. Sequitur tamen & respondet, quod alij credent, si illi non credunt, ad illud quod interrogatus erat, quomodo possunt ista fieri? Nemo, inquit, ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis qui est in cælo.

Sic, inquit, fiet generatio ſpiritualis, vt ſint cæleſtes homines ex terrenis, quod adipiſci non poterunt niſi membra mea efficiantur, vt ipſe aſcendat qui deſcendit; quia nemo aſcendit niſi qui deſcendit. Niſi ergo in vnitatem Chriſti omnes mutandi leuandique concurrant, vt Chriſtus qui deſcendit ipſe aſcendat, non aliud deputans corpus ſuum, id eſt, Eccleſiam ſuam, quàm ſeipſum, quia de Chriſto & Eccleſia verius intelligitur: Erunt duo in carne vna, de qua re ipſe dixit: Itaque iam non duo, ſed vna caro, aſcendere omnino non poterunt: quia nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit filius hominis qui eſt in cælo. Quãuis enim in terra factus ſit filius hominis, diuinitatem tamen ſuam qua in cęlo manens deſcendit in terram, non indignam cenſuit nomine filij hominis, ſicut carnem ſuam dignatus eſt nomine filij Dei, ne quaſi duo Chriſti accipiantur, vnus Deus, & alter homo; ſed vnus atque idem Deus & homo: Deus, quia in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: homo, quia verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Ac per hoc per diſtantiam diuinitatis & infirmitatis filius Dei manebat in cælo, filius hominis ambulabat in terra: per vnitatem verò perſonæ, qua vtraque ſubſtantiâ vnus Chriſtus eſt, & filius Dei ambulabat in terra, & idem ipſe filius hominis manebat in cælo. Fit ergo credibilior fides ex incredibilioribus creditis. Si enim diuina ſubſtantia longè diſtantior atque incomparabili diuerſitate ſublimior, potuit propter nos ita ſuſcipere humanam ſubſtantiã, vt vna perſona fieret, ac ſic filius hominis, qui erat in terra per carnis infirmitatem, idem ipſe eſſet in cælo per participatam carni diuinitatem: quantò credibilius alij homines ſancti & fideles eius fiunt cum homine Chriſto vnus Chriſtus, vt omnibus per eius hãc gratiam ſocietatemque aſcẽdentibus, ipſe vnus Chriſtus aſcendat in cælum, qui de cælo deſcendit? Sic & Apoſtolus ait: Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra corporis cùm ſint multa: vnum eſt corpus: ita & Chriſtus. non dixit, ita & Chriſti: id eſt, corpus Chriſti, vel membra Chriſti: ſed ita & Chriſtus: vnum Chriſtum appellans caput & corpus.

Gen. 1. Matt. 10.

Vt poſtea fecit Neſtorius. Ioan. 1.

Chriſtus ob perſonæ vnitatem & in cælo manebat, & in terra ambulabat.

Vnitã Chriſtus quomodo aſcendat in cælum. 1. Cor. 12.

Caput & corpus vnus Chriſtus.

MAGNA hæc & mira dignatio, quæ quoniam fieri nõ poteſt niſi per remiſſionem peccatorum, ſequitur & dicit: Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpẽtem in deſerto, ita exaltari oportet filiũ hominis, vt omnis qui crediderit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quid tunc in deſerto factum ſit, nouimus, ſerpentum morſibus multi moriebantur, tunc populus peccata ſua cõfitens, per Moyſen deprecatus eſt Deũ, vt hoc ab eis virus auferret: ac ſic Moyſes ex præcepto Domini exaltauit in deſerto æneum ſerpentem: admoniſtque populum, vt illum exaltatum quiſquis à ſerpente morderetur attenderet. hoc facientes ſanabantur cõtinuò. Quid eſt exaltatus ſerpens niſi mors Chriſti, eo ſignificandi modo quo per efficientem id quod efficitur ſignificatur? A ſerpente quippe mors venit, qui peccatũ quo mori mereretur, homini perſuaſit. Dominus autem in carnem ſuam non peccatũ tranſtulit tanquam venenum ſerpentis, ſed tamen tranſtulit mortem: vt eſſet in ſimilitudine carnis peccati pœna ſine culpa, vnde in carne peccati & culpa ſolueretur & pœna. Sicut ergo tunc qui conſpiciebat exaltatum ſerpentẽ & à veneno ſanabatur, & à morte liberabatur: ſic nunc qui conformatur ſimilitudini mortis Chriſti per fidẽ baptiſmũque eius, & à peccato per iuſtificationẽ, & à morte per reſurrectionẽ liberatur. Hoc eſt enim quod ait, Vt omnis qui credit in eũ non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quid igitur opus eſt vt Chriſti morti per baptiſmum cõformetur paruulus, ſi morſu ſerpẽtis nõ eſt omnino venenatus?

Caput & corpus vnus Chriſtus. CAPVT XXXII. Num. 21.

Serpens in deſerto exaltatus Chriſtum in cruce pendentem figurauit. Gen. 3.

Ioan. 3.

Etiam paruuli ſerpentis egent aſpectu.

DEINDE ſic conſequenter dicit, Deus ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam: periturus ergo paruulus eſſet, nec habiturus vitam æternam, ſi per ſacramentum baptiſmi non crederet vnigenitum filium Dei, dum interim ſic venit vt non iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum, præſertim quia ſequitur & dicit, Qui credit in eum, non iudicatur, qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei. Vbi ergo paruulos ponimus baptizatos, niſi inter fideles, ſicut vniuerſæ vbique Eccleſiæ clamat authoritas? ergo inter eos qui crediderunt: hoc enim eis acquiritur per virtutem ſacramenti & offerentium reſponſionem: ac per hoc eos qui baptizati non ſunt, inter eos qui non crediderunt. Porrò ſi illi qui baptizati ſunt non iudicantur, iſti quia carent baptiſmo, iudicãtur. Quod verò adiungit, Hoc eſt autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem. Vnde lux venit in mundum, niſi de ſuo dicit aduentu, ſine cuius aduentus ſacramento quomodo paruuli eſſe dicũtur in luce? Aut quomodo non & hoc in dilectione tenebrarum habent, qui quemadmodum ipſi non credũt, ſic nec baptizandos ſuos paruulos arbitrantur, quando eis mortem corporis timent? In Deo autem dicit facta opera eius, qui venit ad lucem, quia intelligit iuſtificationẽ ſuam nõ ad ſua merita, ſed ad Dei gratiam pertinere. Deus eſt enim, inquit Apoſtolus, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Hoc modo ergo fit omnium ex carnali generatione ad Chriſtum venientium regeneratio ſpiritalis. Ipſe hoc aperuit, ipſe mõſtrauit cùm ab eo quæreretur, quomodo poſſent iſta fieri: nemini humanam argumentationem in hac cauſa liberã fecit, vt non alienentur paruuli à gratia remiſſionis peccatorum. Non aliter tranſitur ad Chriſtum, nemo aliter poteſt Deo reconciliari & ad Deum venire niſi per Chriſtum.

CAPVT XXXIII.

Phil. 2.

QVID de ipſa forma ſacramenti loquar? vellem aliquis iſtorum qui contraria ſapiunt, mihi baptizandum paruulum afferret. Quid in illo agit exorciſmus meus, ſi in familia diaboli non tenetur? Ipſe certè mihi fuerat reſpõſurus pro eodem paruulo quem geſtaret, quia ille pro ſe reſpondere non poſſet. Quomodo ergo dicturus erat eum renũciare diabolo, cuius in eo nihil eſſet? Quomodo conuerti ad Deum, à quo non eſſet auerſus, credere inter cætera remiſſionem peccatorum, quæ illi nulla tribueretur? Ego quidẽ ſi contra eum hæc ſentire exiſtimarem, nec ad ſacramenta cum paruulo intrare permitterem: ipſe autem in hoc qua fronte ad homines, qua mente ad Deum ſe ferret ignoro, nec volo aliquid grauius dicere. Falſam igitur vel fallacem paruulis tradi baptiſmatis formã in qua ſonaret quod vtique agi videretur, & tamen nulla fieret remiſſio peccatorum, viderunt aliqui eorum nihil execrabilius ac deteſtabilius dici poſſe atque ſentiri. Proinde quod attinet ad baptiſmum paruulorum, vt eis ſit neceſſarius, redemptionem etiam ipſis opus eſſe cõcedunt, ſicut cuiuſdam eorum libello breuiſſimo continetur: qui tamen ibi remiſſionem alicuius peccati apertius exprimere noluit. Sicut autem mihi ipſe literis intimaſti, fatẽtur iam, vt dicis, etiam in paruulis per baptiſmum remiſſionem fieri peccatorum. Nec mirum: non enim redẽptio alio modo poſſet intelligi. *Non tamẽ originaliter*, inquiũt, *ſed in vita iam propria poſteaquã nati ſunt, peccatum habere cœperunt.* Quamobrẽ vides iam quantum diſtet inter eos, cõtra quos in hoc opere diu iam multũmq; diſſerui, quorum etiã vnius legi librum ea continẽtem, quæ vt potui refutaui. Inter iſtos ergo, vt dicere cœperã, qui omnino paruulos ab omni peccato & originali & proprio puros & liberos eſſe

CAPVT XXXIV.

Duplex de paruulis error.

A ros eſſe defendunt, & iſtos qui eos iam natos propria putant contraxiſſe peccata, à quibus eos credunt per baptiſmum oportere purgari: quantum interſit vides. Proinde iſti poſteriores intuendo Scripturas & authoritatem totius Eccleſiæ, & formam ipſius ſacramenti, bene viderũt per baptiſmum in paruulis peccatorum fieri remiſſionem: ſed vt originale eſſet quicquid illud in eis eſt, vel nolunt dicere, vel videre non poſſunt. Illi autẽ priores in ipſa natura humana, quæ ab omnibus vt conſideretur in promptu eſt, bene viderunt, quod facile fuit, ætatem illam in ſua iam vita propria nihil peccati potuiſſe contrahere: ſed ne peccatum originale fateantur, nullum eſſe omnino peccatum in paruulis dicunt. In his ergo quæ ſingula vera dicũt, prius inter ſe ipſi conſentiãt, & conſequenter fiet vt à nobis nulla ex parte diſſentiant. Nam paruulis baptizatis remiſſionem fieri peccatorum concedant illi iſtis; paruulos autẽ, vt ipſa natura in tacitis infantibus clamat, ſuæ vitę propriæ nullum adhuc contraxiſſe peccatum concedant iſti illis; concedant vtrique nobis, nullum niſi originale reſtare, quod per baptiſmum ſoluatur in B paruulis.

CAPVT XXXV. In paruulis nõ eſſe peccatum propria vita.

AN verò & hoc quæſituri, & de hoc diſputaturi, & tempus ad hoc impenſuri ſumus, vt probemus atq; doceamus quomodo per propriam voluntatem, ſine qua nullum vitæ propriæ poteſt eſſe peccatum, nihil mali commiſerint infantes, qui propter hoc vocantur ab omnibus innocẽtes? Nónne tanta infirmitas animi & corporis, tanta rerum ignorãtia, tam nulla omnino præcepti capacitas, nullus vel naturalis vel conſcriptæ legis ſenſus aut motus, nullus in alterutram partem rationis vſus, hoc multo teſtatiore ſilentio quàm ſermo noſter proclamat atque indicat? Valeat aliquid ad ſeipſam perſuadendam ipſa euidentia: nam nuſquam ſic nõ inuenio quid dicam, quàm vbi res de qua dicitur, manifeſtior eſt quàm omne quod dicitur. Vellem tamen quiſquis hoc ſapit diceret, quòd peccatum viderit vel putarit infantis recentis ab vtero, cui redimendo fatetur iam baptiſmũ neceſſarium, quid mali in hac propria ſua vita per animum proprium corpúſque commiſerit. † Si fortè quod plorat tædioq; eſt maioribus, mirum ſi hoc iniquitati, non infelicitati potius deputandum eſt? An quod ab ipſo fletu nulla ſua ratione, nulla cuiuſquam prohibitione compeſcitur? At hoc ignorantię eſt, in quà profundiſſima iacet, qua etiam matrem cùm poſt exiguum tempus valuerit, percutit iratus, & ſæpe ipſas etiam mãmas, quas dum eſurit, † exigit. Hæc non modò feruntur, verum etiam diliguntur in paruulis, & hoc quo affectu niſi carnali, quo etiam riſus iocũſque delectat, acutorum quoque hominum ipſa quaſi abſurditate conditus: qui ſi eo modo ſentiretur, vt dicitur, non iam illi tanquam faceti, ſed tanquam fatui riderentur? Ipſos quoque fatuos videmus, quos vulgo moriones vocant, ad cordatorum delicias adhiberi, & in mãcipiorum æſtimatione pretioſiores eſſe cordatis. Tantùm valet carnalis D affectus etiam minimè fatuorum in delectatione alieni mali. Nam cùm homini iucunda ſit aliena fatuitas, nec ipſe tamẽ talis eſſe voluiſſet, & ſi ſuum paruulum filium, à quo garriente talia pater lætus expectat & prouocat, talem præſciret futurum eſſe cùm creuerit, nullo modo dubitaret miſerabilius lugẽdum eſſe quã mortuum. Sed dum ſpes ſubeſt incremẽtorum, & ingenij lumen acceſſurum creditur ætatis acceſſu, fit vt conuicia paruulorum etiam in parẽtes, non ſolùm iniuriosa non ſint, verum etiam grata atq; iucunda ſint. Quod quidem prudentium nemo probauerit, vt à dictis vel factis huiuſmodi non tantùm non prohibeantur, cùm prohiberi iam poſſunt; verùm in hæc etiam concitẽtur ſtudio ridendi & vanitate maiorum. Nam plerumq; illa ætas iam patrem matrẽmq; agnoſcens, neutri eorum audet maledicere, niſi ab altero eorum, aut ab vtroque vel permiſſa vel iuſſa. Verum hæc eorum ſunt paruulorum, qui iam in verba prorumpunt, & animi ſui motus qualibuſcumque linguæ ſignis promptitare iam poſſunt. Illam potius recentium natorum profundiſſimam ignorãtiam videamus, ex qua ad iſtam non permanſuram balbutiẽtem fatuitatem, tamquam ad ſcientiam locutionemque tendentes, proficiendo venerunt.

Fortè, Niſi fortè.

Exigit.

Moriones in delitiis.

Paruulorum vrit ira & contumacia, grata ſunt & iucunda.

CAPVT XXXVI. De inſantium ignorantia, & vnde ſit.

ILLAS, inquam, conſideremus tenebras mentis vtique rationalis; in quibus & Deum prorſus ignorãt, cuius ſacramentis etiam cùm baptizantur obſiſtunt: in has quæro vnde & quando ſubmerſi ſint? Itáne verò eas hic contraxerunt, & in hac vita ſua iam propria per nimiam negligentiam obliti ſunt Deum, prudentes verò & religioſi vixerunt vel in vteris matrum? Dicant iſta qui auſi fuerint, audiant qui voluerint, credant qui potuerint. Ego autẽ puto, quòd omnes quorum mentes non obnubilat defendendæ ſuæ ſcirentię peruicacia, hęc ſentire non poſſunt. An nullum eſt ignorantiæ malum, & ideo nec purgandum? Et quid ait illa vox, Delicta iuuentutis & ignorantiæ meæ ne memineris? Etſi enim damnabiliora peccata ſunt, quæ ab ſcientibus committuntur; tamen ſi ignorantiæ peccata nulla eſſent, hoc non legeremus quod commemoraui, Delicta iuuentutis & ignorantiæ meæ ne memineris. In illas igitur ignorantiæ denſiſſimas tenebras, vbi anima infantis recentis ab vtero, vtique anima hominis, vtique anima rationalis, non ſolùm indocta, verùm etiam indocilis iacet, quare, aut quando, aut vnde contruſa eſt, ſi naturæ eſt hominis ſic incipere, & nõ iam vitioſa eſt iſta natura? Cur non talis creatus eſt Adam? Cur ille capax præcepti, & valẽs vxori & omnibus animalibus nomina imponere. Nam & de illa dixit, Hæc vocabitur mulier: & quodcumque vocauit Adam animam viuam, hoc eſt nomen eius. Iſte autem neſciens vbi ſit, quid ſit, à quo creatus, à quibus genitus ſit, iam reus delicti, nec dum capax præcepti, tam profunda ignorantiæ caligine inuolutus & preſſus, vt neque tanquam de ſomno excitari poſſit, vt hæc ſaltem demonſtrata cognoſcat: ſed expectetur tempus quo hanc neſcio quam veſut ebrietatem, non per vnam noctem, ſicut quælibet grauiſſima ſolet, ſed per aliquot menſes atque annos paulatim digerat: quod donec fiat tam multa quæ in maioribus punimus, toleramus in paruulis, vt numerari omnino non poſſint. Hoc tam magnum ignorantiæ atque infirmitatis malum, ſi in hac vita iam nati paruuli contraxerunt, vbi, quãdo, quomodo magna aliqua impietate commiſſa repentè tantis tenebris inuoluti ſunt?

Gen. 2.

CAPVT XXXVII. Cur Chriſtus expers peccati infans natus eſt & imbecillis.

DICET aliquis: Si hæc naturæ puræ non ſunt, ſed vitioſę primordia, quia talis non eſt creatus Adam; cur Chriſtus longè excellentior, & certè ſine vllo peccato natus ex virgine, in hac tamen infirmitate atque ætate procreatus apparuit? Huic propoſitioni reſpondemus: Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis præcedente peccato, non eſt creatus in carne peccati. Nos ideo tales, quia illius præcedente peccato, nati ſumus in carne peccati. Chriſtus ideo talis, quia vt de peccato condemnaret peccatum, natus eſt in ſimilitudine carnis peccati. Non enim hic agitur de Adam quod pertinet ad corporis quantitatem, quia non paruulus factus eſt, ſed perfecta mole membrorum. Poteſt enim dici etiam pecora ſic creata, nec tamen eorum peccato factum eſſe, vt ex eis pulli paruuli naſcerentur, quod quale ſit nunc non quærimus: ſed agitur de illius mentis quadam valentia vſuq; rationis, quo præceptum Dei legẽmque mandati & docilis Adam caperet, & facilè poſſet cuſtodire, ſi veller. Nunc autem homo ſic naſcitur, vt omnino non poſſit

propter horrendam ignorantiam atque infirmitatem, non carnis sed mentis, cùm omnes fateamur in paruulo non alterius, sed eiusdem substantię cuius in primo homine fuit, hoc est, rationalem animam degere: quamquam etiam ipsa tanta carnis infirmitas, nescio quid, quantum arbitror, pœnale demonstrat. Mouet enim si primi illi homines non peccassent, vtrum tales essent filios habituri, qui nec lingua, nec manibus, nec pedibus vterentur. Nam propter vteri capacitatem fortasse necesse fuerit paruulos nasci: quamuis cũ exigua sit pars corporis costa, non tamen propter hoc Deus paruulam viro coniugem fecit, quam ædificauit in mulierem: vnde & eius filios poterat omnipotentia creatoris mox editos grandes protinus facere.

In infantibus pœnalis est etiam carnis infirmitas.

CAPVT XXXVIII. *Ignorantia nocuisse.*

SED vt hoc omittam, poterat certè quod multis etiam pecoribus præstitit, quorum pulli quamuis sint paruuli, neque accedentibus corporis incrementis etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non habent, tamen etiam minutissimi & currunt & matres agnoscunt, nec fugendis vberibus cura & ope admouentur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate nouerunt. Contrà homini nato nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, & nisi ope nutrientis admotis labris papillæ vberis ingerantur, nec vbi sint sentiunt, & iuxta se iacentibus mammis magis possint esurientes flere, quàm fugere. Proinde infirmitati mẽtis congruit hæc omnino infirmitas corporis, nec fuisset caro Christi in similitudine carnis peccati, nisi caro esset ista peccati, cuius pondere rationalis anima sic grauatur, siue & ipsa ex parentibus tracta sit, siue ibidem creata, siue desuper inspirata, quod nunc quærere differo.

Rom. 8.

Sap. 9.

CAPVT XXXIX. *Quæremus emundetur peccatum per baptismũ in paruulis, similiter & in adultis, & quid inde consequatur vtilitatis.*

IN paruulis certè gratia Dei per baptismum eius qui venit in similitudine carnis peccati, id agitur vt euacuetur caro peccati. Euacuatur autem non vt in ipsa viuente carne concupiscentia conspersa & innata repẽrè absumatur & non sit, sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. Nam si post baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti peruenire potuerit, ibi habet cùm qua pugnet, eamq; adiuuante Deo superet, si non in vacuum gratiam eius susceperit, si reprobatus esse noluerit. Nam nec grandibus hoc præstatur in baptismo, (nisi fortè miraculo ineffabili omnipotentissimi creatoris) vt lex peccati, quæ inest in membris repugnans legi mentis, penitùs extinguatur & nõ sit: sed vt quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, cùm eidem concupiscentiæ subiecta mẽte seruiret, totum aboleatur, ac velut factum non fuerit, habeatur. Ipsa verò soluto reatus vinculo, quo per illam diabolus animam retinebat, & interclusionè destructa, quæ hominem à suo creatore separabat, maneat in certamine, quo corpus nostrum castigamus & seruituti subiicimus, vel ad vsus licitos & necessarios relaxanda, vel continentia cohibenda. Sed quoniam diuino spiritu, qui multo melius quàm nos omnia generis humani nouit vel præterita, vel præsentia, vel futura, talis vita humana præcognita atque prædicta est, vt non iustificetur in conspectu Dei omnis viuens, fit vt per ignorantiam vel infirmitatem non exertis aduersus eam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus, tanto magis & crebrius quanto deteriores, tanto minus & rarius quanto meliores sumus. Sed quoniam de hac quæstione in qua quæritur, vtrum possit vel vtrum sit, fuerit futurúsue sit homo sine peccato in hac vita, excepto illo qui dixit, Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inueniet: aliquanto diligentius differendum est, iste sit huius voluminis modus, vt illud ab alio quæramus exordio.

Nemo nisi ineffabili miraculo, ab omni prorsus mala concupiscentia hic liberatur.

2. Cor. 9.

Psal. 142.

Ioan. 14.

LIBRI PRIMI FINIS.

A

D. AVRELII AVGVSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, DE PECCATORVM MERITIS ET REMISSIONE, ET DE BAPTISMO PARVVLORVM, AD MARCELLINVM, LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

DE baptismo paruulorũ Marcelline charissime, quòd non solũ eis ad regnũ Dei, verùm etiã ad salutem vitámq; æternam adipiscendã detur, quã sine Dei regno, & sine Christi saluatoris societate, in quam nos suo sanguine redemit, habere nullus potest, priore libro satis, vt arbitror, disputauimus. In hoc autem, viuãtne aliquis in hoc seculo, vel vixerit, victurúsue sit sine vllo omnino peccato, excepto vno mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, quanta ipse donat diligentia vel facultate, differendum enodandúmq; suscepi: cui disputationi si se identidem aliqua necessitate vel opportunitate inseruerit quæstio de baptismo vel peccato paruulorum, mirandũ non erit, nec defugiendum vt eis locis ad omnia quæ respõsionem nostram flagitant, sicut valemus respondeamus.

Augustinus huius lib. quæstionem diuisit propositiones. 1. Tim. 2.

B

CAP. II. *Libero arbitrio quidam nimiũ tribuunt.*

HVIVS autem quæstionis solutio de hominis vita sine vlla subreptione vel præoccupatione peccati, propter quotidianas etiam nostras orationes maximè necessaria est. Sunt enim quidam tantùm præsumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, vt ad non peccandũ nec adiuuandos nos diuinitus opinentur, semel ipsi naturę nostræ concesso liberæ voluntatis arbitrio. Vnde fit consequens, vt nec orare debeamus ne intremus in tentationem, hoc est, ne tentatione vincamur, vel cùm fallit & præoccupat nescientes, vel cùm premit atque vrget infirmos. Quàm sit autem noxium, & saluti nostræ, quæ in Christo est, perniciosum atq; contrarium, ipsiq; religioni qua imbuti sumus, & pietati, qua Deum colimus, quã vehementer aduersum, vt pro tali accipiendo beneficio Deum non rogemus, atque in ipsa oratione Dominica, Ne nos inferas in tentationem, frustra positum existimemus, verbis explicare non possumus.

C

Matth. 6.

CAP. III. *Nemo peccat nisi volens. Deus nihil præcepit humanæ voluntati impossibile.*

ACVTE autem sibi videntur dicere, quasi nostrũ hoc vllus ignoret: *Quod si nolumus non peccamus, nec præciperet Deus homini quod esset humanæ impossibile voluntati.* Sed hoc non vident, quòd ad nonnulla superanda, vel quæ malè cupiuntur, vel quę malè metuuntur, magnis aliquãdo & totis viribus opus est voluntatis, quas nos nõ perfectè in omnibus adhibituros præuidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit, Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens. Tales itaque nos Dominus futuros præuidens, quædam salubria remedia contra reatum & vincula peccatorum etiam post baptismum dare ac valere dignatus est, opera scilicet misericordiæ, cùm ait: Dimittite & dimittetur vobis, date & dabitur vobis. Quis enim cum aliqua spe adipiscendę salutis æternæ de hac vita emigraret, manente illa sententia, quòd quicũque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus, nisi post paululum sequeretur, Sic loquimini, & sic facite tanquam per legem libertatis incipientes iudicari? Iudicium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicio.

Psal. 142.

Opera misericordiæ remedia sunt ad abolenda peccata.

Luc. 6.

D

Cõstale sibi. Iacob. 2.

CAPVT IIII. *Peccati semen quatenus in nobis.*

CONCVPISCENTIA igitur tamquam lex peccati, manens in membris corporis mortis huius, cum paruulis nascitur, in paruulis baptizatis à reatu soluitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur. Paruulos non baptizatos

A ros reos innectit, & tanquam iræ filios etiam si paruuli moriantur ad condemnationem trahit. In grandibus autem baptizatis, in quibus iam ratione vtentibus quicquid eidem concupiscentię mens ad peccandum consentit, propriæ voluntatis est, deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu, quo vinctos originaliter detinebat, ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura, donec absorbeatur mors in victoriam, & pace perfecta nihil quod vincatur existat. Consentientes autem sibi ad illicita reos tenet, & nisi per medicinam pœnitentiæ & opera misericordiæ per cælestem sacerdotem pro nobis interpellantem sanentur, ad secundam mortem damnationémque perducit. Propter hoc & Dominus orare nos docens, inter cętera monuit vt dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Manet enim malum in carne nostra, non naturâ in qua diuinitùs creatus est homo, sed B vitio quò voluntate prolapsus est, vbi amissis viribus non ea qua vulneratus est, voluntatis facilitate sanatur. De hoc malo dicit Apostolus, Scio quoniam non habitat in carne mea bonum. Cui malo non obedire præcipit cùm dicit, Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius. Si ergo his desideriis concupiscentię carnis illicita voluntatis inclinatione consenserimus, ad hoc sanãdum dicimus, Dimitte nobis debita nostra: adhibentes remedium ex opere misericordiæ, in eo quod addimus, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vt autem non ei consentiamus, deprecamur adiutorium dicentes, Et ne nos inferas in tentationem: vel sicut nõnulli codices habent, ne nos inducas in tentationem. Non quòd ipse Deus tali tentatione aliquem tentet, nam Deus intentator malorum est. Ipse enim neminem tentat, sed vt si fortè tentari cœperimus à concupiscentia nostra, adiutorio eius non deseramur, vt in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti. Deinpe addimus quod perficietur in fine, cùm absorbebitur mortale à vita. Sed libera nos à malo. Tunc enim nulla erit talis concupiscentia, cum qua certare, & cui non consentire iubeamur. Sic ergo totum hoc in tribus beneficiis positum breuiter peti potest, Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti à concupiscentia, adiuua ne abstrahamur à concupiscentia, aufer à nobis concupiscentiam.

Baptizatis nõ ipsa concupiscentia, sed solus in eam nostri consensus.

Matth. 6.

Rom. 7.

Rom. 6.

Matth. 6.

Iacobi 1.

Oratio brevis perfecta sit.

CAP. V. *Voluntas hominis egget ope Dei. Similitudo de luce & oculo.*

AD peccandum namque non adiuuamur à Deo, iusta autem agere vel iustitiæ præceptũ omni ex parte implere non possumus, nisi adiuuemur à Deo. Sicut enim corporis oculus non adiuuatur à luce, vt ab eadem luce clausus auersúsue discedat, vt autem videat adiuuatur ab ea, neque hoc omnino nisi illa adiuuerit, potest: ita Deus, qui lux est hominis interioris, adiuuat nostræ mentis obtutum, vt non secundum nostram, sed secundum eius iustitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo auertimur, nostrum est, & tũc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus. Conuersos ergo Deus adiuuat, auersos deserit. Sed etiam vt conuertamur, ipse adiuuat, quod certè oculis corporis lux ista non præstat. Cùm ergo nobis iubet dicẽs, Cõuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: nosque illi dicimus, Conuerte nos Deus sanitatum nostrarum, & Deus virtutum conuerte nos: quid aliud dicimus, quàm da quod iubes? Cùm iubet dicendo, Intelligite ergo qui insipientes estis in populo: & nos illi dicimus, Da mihi intellectum vt discam mãdata tua: quid aliud dicimus, quàm da quod iubes? Cùm iubet dicendo, Post concupiscentias tuas non eas, nosque dicimus, Scimus quia nemo potest esse continens, nisi Deus det: quid aliud dicimus, quàm da quod iubes? Cùm iubet dicendo, Faci-

Zachar. 1.

Psal. 76.

Psal. 93.

Psal. 118.

Eccles. 18.

te iustitiam: nosque dicimus, Doce me iustificationes tuas: quid aliud dicimus quàm da quod iubes? Itẽ cùm dicit, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur: à quo debemus petere cibum potumque iustitiæ, nisi ab illo qui esurientibus eam & sitientibus promittit eius saturitatẽ? Repellamus itaque ab auribus & mentibus nostris eos qui dicunt accepto semel liberæ voluntatis arbitrio, nec orare nos debere, vt Deus nos adiuuet, ne peccemus. Talibus enim tenebris nec Pharisæus ille cæcabatur, qui quamuis in hoc erraret, quòd sibi addendum ad iustitiam nihil putabat, seque arbitrabatur eius plenitudine saturatum: Deo tamen gratias agebat, quòd non esset sicut cæteri homines, iniusti, raptores, adulteri, sicut ille publicanus, quòd bis in sabbato ieiunaret, quòd omnium quę possidebat, decimas daret. Nihil sibi addi ad iustitiam iam petebat, sed tamẽ ex iis quæ habebat, gratias Deo agendo, ab illo se accepisse omnia fatebatur: & tamen improbatus est, & quia veluti saturatus nihil de alimentis iustitiæ iam rogabat accipere, & quòd eam publicano esurienti ac sitienti se velut insultans præferre gestiebat. Quid ergo illis fiet, qui etsi fateantur se non habere, vel non plenam habere iustitiam; tamen à semetipsis habendam, non à suo creatore, vbi horreum eius & fons eius est, deprecandam esse præsumunt? Nec ideo tamen de hac re solis votis agendum est, vt vt non subinferatur adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. Adiutor enim noster Deus dicitur. Nec adiuuari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur, quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis. Cur autem illum adiuuet, illum non adiuuet: illum tantũ, illum autem non tantum: istum illo, illum isto modo, penes ipsum est, & æquitatis tam secretæ ratio & excellentia potestatis.

Sap. 8.

Matth. 5.

Luce 18. Pharisæus in quo peccauit cùm gratias Deo ageret.

Dei gratia adiungendus voluntatis nostræ conatus.

C

CAPVT VI. *Quatuor de iustitiæ perfectione quæstiones, quas ordine exequitur. Ad primam responsio, An vnquam in hac vita quispiam sine vllo prorsus peccato possit.*

NAM qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuò incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negauerimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adiuuãdo efficit, derogabimus. Sed alia quæstio est, vtrum esse possit: alia vtrum sit: alia si non est cùm possit esse, cur non sit: alia vtrum qui omnino nunquam vllum peccatum habuerit, non solùm quisquam sit, verumetiam potuerit aliquando esse vel possit. In hac quadripartita propositione quæstionum si à me quæratur, Vtrum homo sine peccato possit esse in hac vita, cõfitebor posse per Dei gratiam & liberum eius arbitrium: ipsum quoq; liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigens, nec tantùm vt sit, verùm etiam vt bonum sit: id est, ad facienda mandata Domini conuertatur: atque ita Dei gratia non solùm ostendat quid faciendum sit, sed adiuuet etiam vt possit fieri quod ostenderit. Quid enim habemus quod non accepimus? Vnde & Hieremias dicit, Scio Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. Hinc & in Psalmis cùm quidam dixisset Deo, Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis: cõtinuò non de se præsumpsit, sed optauit vt faceret: Vtinam, inquit, dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas, tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata tua. Quis autẽ optat quod in potestate sic habet, vt ad faciendum nullo indigeat adiumento? A quo autem id optet, quia non à fortuna, vel à fato, vel à quolibet alio præter Deum, in consequentibus satis ostendens: Itinera mea, inquit, dirige secũdum verbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas. Ab huius execrandæ dominationis seruitute liberantur, quibus Dominus Iesus eum recipientibus dedit potestatem filios Dei fieri. Ab ista horren-

Quatuor de iustitiæ perfectione quæstiones, quas ordine exequitur.

Ad primam responsio, An vnquam in hac vita quispiam sine vllo prorsus peccato possit.

1. Cor. 5.

Hierem. 10.

Psal. 118.

Ioann. 1.

horrenda dominatione liberãdi fuerant, quibus dicit, Iaknnis 8. Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. His atq; huiusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandũ & adiuuandũ, quo fiat quod iubet, impossibile aliquid esse: ac per hoc potest homo si velit, esse sine peccato, adiutus à Deo.

CAPVT VII. *Ad questionẽ secundam responsio, An sit quispiam qui sine vllo omnino peccato viuat.* Psal 142. Psal. 31.

SI autem quod secundo loco posueram, quæratur vtrum sit, esse non credo. Magis enim credo Scripturę dicenti, Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quoniã non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et ideo misericordia Dei opus est, quæ superexaltat iudicio, quæ illi non erit qui non facit misericordiam. Et quod Propheta cùm diceret, Dixi, pronũciabo aduersus me delictum meum Dño, & tũ dimisisti impietatem cordis mei: continuò subiunxit, Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Non ergo omnis peccator, sed omnis sanctus: vox enim sanctorũ est, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Vnde in Apoc. 14. eiusdem Apostoli Apocalypsi, illa centum quadraginta & quatuor milia sanctorum, qui se cum mulieribus non coinquinauerunt, virgines enim permanserunt, & non est inuentum in ore eorum mendacium, quia irreprehensibiles sunt: profectò ideo irreprehensibiles sunt, quia seipsos veraciter reprehenderunt. Et ideo non est inuẽtum in ore eorum mendacium, quia si dicerent se peccatum non habere, seipsos deciperent, & & veritas in eis non esset, & vtique mendaciũ esset vbi veritas nõ esset: quoniam iustus cùm in sermonis exordio accusator sui est, non vtiq; mẽtitur. Ac per hoc 1. Ioan. 3. in eo quod scriptum est, Qui natus est ex Deo, nõ peccat, & non potest peccare, quia semen eius in ipso manet: & si quid aliud eo modo dictum est, multum falluntur minus considerando scripturas. Non enim aduertunt eo quosque fieri filios Dei, quo esse incipiunt in nouitate spiritus, & renouare interiorem hominem secundum imaginem eius qui creauit eos. Non enim ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas eius absumitur, sed renouatio incipit à remissione omnium peccatorum. Et inquantum quisque spiritalia sapit, qui iam sapit, intantum renouatur. Cętera verò in spe facta sunt, donec etiam in re fiant, vsque ad ipsius corporis renouationem in meliorem statum immortalitatis & incorruptionis, qua induemur in resurrectione mortuorum. Nam & ipsam Dominus regenerationem vocat, non vtique talem qualis fit per baptismũ, sed in quam etiã in corpore perficietur quod nunc spiritu inchoatur. In regeneratione, inquit, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim sedes iudicãtes duodecim tribus Israel. Nam in baptismo quãuis tota & plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuò tota & plena etiam hominis in æternam nouitatem mutatio fieret, non dico & in corpore, quod certè manifestum est adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere, in fine postea renouandum quando verè tota nouitas erit: sed excepto corpore, si in ipso animo qui est homo interior, perfecta in baptismo nouitas fieret, nõ diceret Apostolus: Et si exterior homo noster corrũpitur, sed interior renouatur de die in diem. Profectò enim qui de die in diem adhuc renouatur, nõdum totus est renouatus: & inquantum nondum est renouatus, intantum adhuc in vetustate est. Proinde ex hoc quod adhuc in vetustate sunt quamuis iam baptizati, ex hoc etiam adhuc sunt filij sæculi. Ex hoc autẽ quod in nouitate sunt, hoc est, ex plena & perfecta remissione peccatorum, & quantumcunque illud est quod spiritaliter sapiunt, eiq̃ congruos mores agunt, filij Dei sunt. Intrinsecus enim exuimus veterem hominem, & induimus nouũ: quoniam ibi deponimus mẽdacium, & loquimur veritatem, & cætera quibus Apostolus explicat quid sit exui veterem hominem, & indui nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Et hoc vt faciant, iam baptizatos fidelesq̃ue adhortatur, quod adhuc monendi nõ essent si hoc in baptismo iam perfectè factum esset, & tamen factũ est, sicut & salui facti sumus. Saluos enim nos fecit per lauacrum regenerationis. Sed alio loco dicit, quemadmodum hoc sit factum. Non solùm, inquit, sed etiam nosipsi primitias habentes spiritus & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem expectantes, redẽptionem corporis nostri. Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod nõ videmus speramus, per patientiam expectamus.

Renouationis initiũ vnde.

Resurrectio dicitur regeneratio. Matth. 19.

1. Cor. 4.

Ephes. 4.

Rom. 8.

CAPVT VIII. Perfectio quando.

ADOPTIO ergo plena filiorum in redemptione fiet, etiam corporis nostri. Primitias itaq; spiritus nũc habemus, vnde iam filij Dei re ipsa facti sumus: in cæteris verò spe sicut salui, sicut innouati, ita & filij Dei: re autem ipsa quia nondum salui, ideo nondum plenè innouati, nondum etiam filij Dei, sed filij sæculi. Proficimus ergo in renouationem iustamq̃ue vitam per quod filij Dei sumus, & per hoc peccare omnino non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud per quod adhuc filij sæculi sumus: per hoc enim & peccare adhuc possumus. Ita fit vt qui natus est ex Deo, non peccet: & si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducamus, & veritas in nobis non sit. Consumetur ergo quod filij carnis & sęculi sumus, & perficietur quod filij Dei & spiritu renouati sumus. Vnde idem Ioannes, Dilectissimi, inquit, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Quid est hoc, sumus & erimus, nisi quia sumus in spe, erimus in re? Nam sequitur & dicit, Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Nunc ergo & ei similes esse iam cœpimus primitias habentes spiritus: & adhuc dissimiles sumus, per reliquias vetustatis. Proinde in quantum similes, in tantum regenerante spiritu filij Dei: in quãtum autem dissimiles, in tantum filij carnis & sæculi. Illinc ergo peccare non possumus: hinc verò si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus: donec totum transeat in adoptionem, & non sit peccator, & quæras locum eius, & non inuenias.

1. Ioan. 1. 1. Ioan. 3.

CAPVT IX. Obiectio Pelagianorum. Quare iustus non gignat iustum.

FRVSTRA itaque nonnulli etiam illud argumentantur vt dicant, *Si peccator genuit peccatorem, vt paruulo eius, reatus originalis peccati in baptismi acceptione soluatur; etiam iustus iustum gignere debuit*: quasi ex hoc quisque carnaliter gignat quod iustus est, & nõ ex hoc potius quod in membris eius concupiscentialiter mouetur, & ad vsum propagandi lex peccati mẽtis lege conuertitur. Ex hoc ergo gignit quod adhuc vetustum trahit inter filios sæculi, non ex hoc quod in nouitatem promouit inter filios Dei. Filij enim sæculi huius generant & generantur. Inde & quod nascitur tale est, quia & quod nascitur de carne, caro est. Iusti autem non sunt nisi filij Dei. In quantũ autem sunt filij Dei, carne non gignunt; quia ex spiritu & ipsi, non carne nati sunt. Sed ex hoc carne gignunt quicunque eorũ gignunt, ex quo nondum in nouitatem perfectam totas vetustatis reliquias commutarunt. Vnde quisquis filius de hac parte nascitur vetusta & infirma, necesse est vt etiam ipse vetustus sit & infirmus: idcirco oportet etiam vt ipse in aliam generationem per remissionem peccati spiritu renouetur. Quod si in eo non fit, nihil ei proderit pater iustus: spiritu enim iustus est quo eum non genuit: si autem fit, nihil ei oberit etiam pater iniustus. Iste enim gratia spiritali in spem nouitatis æternæ transitum fecit: ille autem mente carnali totus in vetustate permansit.

CAPVT X. Conciliat Scripturas.

NON igitur contrarium testimoniũ est illud quod dictum

dictum est, qui natus est ex Deo, non peccat: ei testimonio quo iam natis ex Deo dicitur; Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Quamdiu enim homo quãuis totus in spe iam, & iam in re ex parte regeneratione spiritali renouatus, adhuc tamen portat corpus quod corrumpitur & aggrauat animam; quid quò pertineat, & quid vnde dicatur, etiam in vno homine distinguendum est. Nam vt ego arbitror, non facilè cuiquam Scriptura Dei tam magnum iustitiæ perhibet testimonium, quàm tribus famulis eius, Noe, Daniel, & Iob, quos Ezechiel propheta dicit ab imminente quadam iracundia Dei solos posse liberari. In tribus vtique illis viris tria quædam hominum liberanda genera præfigurans, in Noe, quantum arbitror, iustos plebium præpositos, propter arcę tanquam ecclesiæ gubernationẽ: in Daniele, iustos cõtinentes: in Iob, iustos coniugatos: & si quis est fortè alius intellectus, de quo nunc non est necesse disquirere: veruntamen quanta isti iustitia præminuerint, & hoc prophetico, & aliis diuinis testimoniis satis apparet. Nec ideo quisquam sobrius dixerit ebrietatẽ non esse peccatum, quæ tamen subrepsit tanto viro: Nam Noe, sicut legimus, fuit aliquando ebrius, quamuis absit vt fuerit ebriosus. Daniel verò post orationem quam fudit Deo, de seipso dicit: Cùm orarem & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo. Propterea nisi fallor, per suprà memoratum Ezechielem, cuidam superbissimo dicitur, Nunquid tu sapientior quàm Daniel? Neq; hîc dici potest quod quidam contra orationem Dominicam argumentantur: *quia etsi orabant eã*, inquiunt, *sancti & perfecti iam Apostoli, nullum omnino habentes peccatum, non tamen pro seipsis, sed pro imperfectis adhuc peccatoribus dicebant, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vt per hoc*, inquiunt, *quòd dicerent nostra, in vno esse corpore demonstrarent, & illos adhuc habentes peccata, & seipsos, qui iam carebant omni ex parte peccato.* In Daniele certè hoc non potest dici, qui, vt credo, tanquam Propheta præuidens hanc aliquando præsumptionem futuram, cùm in oratione sæpe dixisset, peccauimus: non ita nobis exposuit, cur hoc dixerit, vt ab illo audiremus: Cùm orarem & confiterer peccata mea, & populi mei Domino Deo meo: nec adhuc distinctione confusa, vt esset incertum propter vnius corporis societatem si diceret, cùm peccata nostra confiterer Domino Deo meo: sed omnino tam distinctè, tanquã de ipsa distinctione satagens, eamq̃ue maximè vehementerq̃ue commendans, peccata, inquit, mea, & peccata populi mei. Quis huic euidentię contradicit, nisi quẽ plus delectat defensare quod sentit, quàm quid sentiendum sit inuenire? Iob autem post tam magnum de illo iustitiæ testimonium Dei, quid dicat ipse videamus. In veritate, inquit, scio quia ita est, quemadmodum iustus erit homo ante Deum: si autem velit contendere cum eo, non poterit obedire ei. Et paulo pòst inquit, Quis iudicio eius aduersabitur? Quòd si fuero iustus, os meum impiè loquetur. Iterum paulo pòst, Scio, inquit, quia impunitum me non dimittit, quia sum impius, quare non sum mortuus? Quòd si purificatus niue, & mundatus fuero mundis manibus, sufficienter in sordibus me tinxisti. Item in alio suo sermone, Quia conscripsisti, inquit, aduersus me mala, & induisti me iuuentutis meæ peccata, & posuisti pedem meum in prohibitione, seruasti omnia opera mea, & in radices pedum meorum conspexisti, qui veterascunt sicut vter, vel sicut vestimentum à tinea comestum. Homo enim natus ex muliere parui est temporis, & plenus iracundia, & sicut flos cùm floruit & decidit, discessit sicut vmbra, non manet. Nónne & huius curam fecisti venire in iudicium tuum? Quis enim erit mundus à sordibus? Nemo, nec si vnius diei fuerit vita eius. Et paulo pòst, Dinumerasti, inquit, omnes necessitudines meas, & nihil te latuit de peccatis meis. Signasti peccata mea in folliculo, & annotasti si quid inuitus commisi. Ecce & Iob confitetur peccata sua, & in veritate dicit se scire, quia non est iustus quisquam ante Deum. Et ideo iste hoc in veritate scit, quia si nos dixerimus non habere peccatum, ipsa veritas in nobis non est. Proinde secundum modum conuersationis humanæ, perhibet ei Deus tam magnum iustitiæ testimonium. Ipse autem se metiens ex regula illa iustitiæ, quam sicut potest conspicit apud Deum, in veritate scit quia ita est. Et adiungit, Quemadmodum enim iustus erit homo ante Deum? Si enim velit contendere cum eo, non poterit obedire ei, id est, si iudicandus ostendere voluerit, non in se inueniri posse quod damnet, non poterit obedire ei: amittit enim etiam illam obedientiam, qua obedire possit præcipienti confitenda esse peccata. Vnde quosdam increpat dicens, Quid vultis mecum iudicio contendere? Quod ille præcauens, Ne intres, inquit, in iudicium cum seruo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Ideò etiam dixit Iob, Quis enim iudicio eius aduersabitur? Quòd si fuero iustus, os meum impiè loquetur: hoc est enim, si me iustum dixero contra iudicium eius, vbi perfecta illa iustitiæ regula me conuincit iniustum, profectò impiè loquetur os meum, quia contra Dei veritatem loquetur. Fragilitatem quoque ipsam, vel potius damnationem carnalis generationis ostendens ex originalis transgressione peccati, cùm de peccatis suis ageret, velut eorum causas reddens, dixit hominem natum ex muliere parui esse temporis, & plenum iracundia: qua iracundia nisi qua sunt omnes, sicut dicit Apostolus, naturaliter, hoc est, originaliter iræ filij? quoniam filij sunt concupiscentiæ carnis & sæculi. Ad ipsam iram pertinere etiam mortem hominis consequenter ostendens. Cùm enim dixisset, parui est temporis, & plenus iracundia: addidit etiam, Et sicut flos cùm floruit, & decidit, discessit sicut vmbra, non manet. Cùm autem subiungit, Nónne & huius curam fecisti venire in iudicium tuum? Quis enim erit mundus à sordibus? Nemo nec si vnius diei fuerit vita eius: hoc vtique dicit, Curam hominis breuis vitæ fecisti venire in iudicium tuum. Quantumlibet enim breuis fuerit vita eius, etiam si vnius diei esset, mundus à sordibus esse non potest, & ideo instissimè in iudicium tuum veniet. Illud verò quòd ait, Dinumerasti omnes necessitudines meas, & nihil te latuit de peccatis meis, signasti peccata mea in folliculo, & annotasti si quid inuitus commisi: nónne satis apparuit etiam illa peccata iustè imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa deuitandæ molestiæ alicuius, aut doloris, aut mortis? Nam & hæc dicuntur quadam necessitate committi, cùm omnia superanda sint amore, & delectatione iustitiæ. Potest etiam quod dixit, Et annotasti si quid inuitus commisi: ad illam vocem videri pertinere qua dictum est, Non enim quod volo ago, sed quod odi hoc facio. Quid quod ipse Dñs, qui ei perhibuerat testimoniũ, cùm etiam Scriptura, hoc est, Dei spiritus dixerit, In omnibus quæ contigerunt ei, non eum peccasse labiis suis ante Deum, postea tamen cùm ei loqueretur increpans locutus est, sicut ipse Iob testis est dicẽs, Quid adhuc ego iudicor monitus, & increpationes Domini audiens? Nemo autem iustè increpatur, nisi in quo est aliquid quod increpatione sit dignum.

1. Ioan. 1. Ezech. 14. In Noe, Daniel, & Iob iustis hominũ genera figurata. Gen. 9. Dan. 9. Ezech. 28. Eluso Pelagianorum. Matth. 6. Nec Iob cauisse peccatu. Iob 9. Iob 13. Iob 14. 1. Ioannis 8. Hier. 2. Psal. 142. Ephes. 2. Iob 9. Iob 1. Roman. 7.

CAPVT XI. *Solus Christus verè iustus.*

ET ipsa increpatio qualis est, quæ ex Dñi Christi persona intelligitur? Enumeratis illi diuina opera potestatis suę sub hac sentẽtia increpãs, vt eũ dicere appareat:

Nunquid potes hæc tanta quæ possum? Quò autem pertinet, nisi vt intelligat Iob, (etiã hoc ei diuinitus inspiratum, vt præsciret Christum ad passionem esse venturum,) intelligat ergo quàm debeat æquo animo tolerare quæ pertulit, si Christus in quo peccatum, cùm propter nos homo factus esset, omnino nullum fuit, & in quo Deo tanta potẽtia est, nequaquam tamen passionis obedientiam recusauit? Quod puriore cordis intentione Iob intelligens respõsioni suæ addidit, Auris auditu audiebam te prius, & nũc ecce oculus meus videt te, ideo vituperaui meipsum, & distabui, & æstimaui meipsum terram & cinerẽ. Quare sibi ita in hoc tã magno intellectu displicuit? Neq; enim opus Dei quo erat homo, rectè illi poterat displicere; cùm etiam ipsi Deo dicatur, Opera manuum tuarum ne despexeris. Sed profectò secundum illam iustitiam qua se nouerat iniustum, se vituperauit atque distabuit, æstimauitque se terram & cinerem, mente cõspiciens Christi iustitiam, in cuius non tãtùm diuinitate, sed nec in anima nec in carne vllum potuit esse peccatũ: secũdum quã iustitiam quæ ex Deo est, etiã Paulus Apostolus illud suum quod secundũ iustitiam quę ex lege est, fuit sine querela; nũ solũ damna, verũetiã stercora existimauit.

Iob præuidit Christum ad passionẽ venturum.

Iob 42.

Psal. 137. Ratio humilitatis in perfectis.

Philipp. 3.

CAPVT XI I. *Nemo iustus in omnibus,*

NON igitur preclarum illud testimonium Dei quo laudatus est Iob, contrarium est ei testimonio quo dictum est, Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens: quia non id persuadet, prorsus in illo nihil fuisse, quod vel ab ipso veraciter, vel à Dño Deo rectè reprehenderetur, quamuis iam iustus & verax Dei cultor & ab omni opere malo se abstinẽs, non mẽdaciter diceretur. Hæc enim de illo verba sunt Dei: An nõ aduertisti in puerum meum Iob? non enim est illi homo similis super terram, sine querela, iustus, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo. Primis verbis ex hominum, qui sunt in terra, comparatione laudatur. Proinde omnib. qui tunc in terra iusti esse potuerunt, excellebat. Nõ ergo ipse propterea nullum peccatum omnino habebat, quia in profectu iustitię cæteros anteibat. Deinde adiungitur, sine querela: de cuius vita nemo iustè quereretur. Iustus qui tãta morum probitate profecerat, vt nullus ei esset æquandus. Verus Dei cultor, quippe etiam suorum peccatorũ verax humilisq; confessor. Abstinens se ab omni opere malo, mirum si ab omni etiam verbo & cogitatu malo. Quantus quidem Iob fuerit ignoramus, sed nouimus iustũ, nouimus etiam in perferendis horrendis tribulationũ tentationibus magnum: nouimus non propter peccata, sed propter eius demonstrandam iustitiam illa omnia fuisse perpessum. Veruntamen hæc verba quib. à Domino laudatur, possunt etiam de illo dici, qui cõdelectatur legi Dei secundum interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, præsertim quia dicit, Non quod volo facio bonum, sed quod odi malũ, hoc ago. Si autem quod odi malum hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Ecce & iste secundum interiorem hominem alienus est ab omni opere malo, quia illud non operatur ipse, sed quod in carne eius habitat malum: & tamen cùm illud ipsum quo condelectatur legi Dei, non habeat nisi ex gratia Dei, adhuc liberationis indigẽs clamat, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Iob 1.

Roman. 7.

CAPVT XIII. *Perfecta iustitia humana, imperfecta est.*

SVNT ergo in terra iusti, sunt magni, fortes, prudẽtes, continentes, patientes, pij, misericordes, temporalia mala omnia propter iustitiam æquo animo tolerantes. Sed si verum est, imò quia & verum est, si dixerimus quia peccatũ non habemus, nosipsos seducimus, & non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, non sunt sine peccato: nec quisquam eorum tam arroganter insanit, vt non sibi pro suis qualibuscunque peccatis Dominica oratione opus esse arbitretur. Nã de Zacharia & Helizabet, qui nobis sæpe in huius quæstionis disputationibus obiiciũtur, quid dicamus, nisi quod euidenter Scriptura testatur, eminenti iustitia fuisse Zachariam in principibus sacerdotum ad offerenda veteris Testamenti sacrificia pertinentiũ. Legimus autem in epistola quæ ad Hebræos inscribitur, quod testimonium in libro superiore iam posui, solũ Christum esse principem sacerdotum, qui non haberet necessitatem, sicut illi qui sacerdotum principes dicebantur, sacrificium pro suis primum offerre peccatis quotidie, deinde pro populi. Talem enim decebat, inquit, habere nos principem sacerdotum, iustum, sine malitia, incontaminatum, separatum à peccatoribus, altiorem à cælis factum, non habentem quotidianam necessitatem sicut principes sacerdotum, primum pro suis peccatis sacrificium offerre. In hoc sacerdotum numero Zacharias, in hoc Phinees, in hoc ipse Aaron, à quo iste ordo exorsus est, fuit, & quicunque alij in illo sacerdotio laudabiliter iustéque vixerunt, qui tamen habebant necessitatem sacrificiũ primitus pro suis offerre peccatis, solo Christo existente, cuius venturi figuram gerebant, qui hanc necessitatẽ sacerdos incontaminabilis non haberet. Quid autem de Zacharia & Helizabet laudabile dictum est, quod non in eo comprehẽdatur, quod de se Apostolus cùm in Christum nondum credidisset, professus est? Dixit enim se secundum iustitiam quæ in lege est, fuisse sine querela: hoc & de illis ita legitur, Erant autem ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iustificationib. Domini sine querela. Quia ergo quicquid in eis erat iustitiæ, non erat ad homines simulatum, ideo dictum est, ante Deum. Quod autem de Zacharia & eius coniuge scriptum est, In omnibus mandatis & iustificationibus Domini: hoc ille breuiter dixit, in lege. Non enim alia lex illi, alia istis fuit ante Euangelium, sed vna atque eadem quam legimus per Moysen datam patribus eorum, secundum quam etiam sacerdos erat Zacharias & vice sua sacrificabat. Et tamen Apostolus qui simili tunc iustitia prædितus fuit, sequitur & dicit, Quæ mihi lucra fuerunt, hæc propter Christum damna esse duxi. Veruntamen & & arbitror omnia damnum esse propter eminentem scientiam Domini nostri Iesu Christi, propter quem omnia non solùm detrimenta credidi, verumetiam stercora existimaui esse: vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo iustitiam in fide, ad cognoscendum eum & virtutem resurrectionis eius & communicationem passionis eius, conformatus morti ipsius si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum. Tantum ergo longè est, vt propter illa verba Zachariam & Elizabet sine vllo peccato credamus perfectam habuisse iustitiam, vt nec ipsum Apostolum eiusdem regulæ summitate arbitremur fuisse perfectum, non solùm in illa legis iustitia, quam similem istis habuit, quam inter damna & stercora deputat in comparatione eminentissimæ iustitiæ, quæ in fide Christi est: verumetiam in ipso quoque Euangelio, vbi & tanti Apostolatus meruit principatum: quod dicere non auderem, nisi ei non credere nefas ducerem. Vbi etiam sequitur & adiungit, Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autẽ si quo modo comprehendam, in quo & apprehensus sum in Christo Iesu. Fratres, ego meipsum non arbitror apprehendisse: vnum autẽ, quę retro oblitus, in ea quæ antè sunt, extentus secundum intentionem sequor, ad palmam supernæ vocationis Dei, in Christo Iesu. Ipse se confitetur nondum accepisse, nondum esse perfectum ea plenitudine iustitiæ, quam adipisci dilexit in Christo: sed adhuc secundum intention-

Luca 1.

Cap. 27.

Hebr. 7.

Philipp. 3.

intentionem sequi, & præterita obliuiscentem in ea quæ antè sunt, extendi: vt nouerimus etiam ad ipsum pertinere illud quod ait, Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem: quamuis iam esset perfectus viator, etsi nondum erat ipsius itineris perfectione peruentor. Denique tales vult secum in isto cursu comites rapere, quibus continuò subiungit & dicit, Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit: veruntamen, ait Apostolus, in quod peruenimus, in eo ambulemus. Ambulatio ista, non corporis pedibus, sed mentis affectibus & vitæ moribus geritur, vt possint esse perfecti iustitiæ possessores, qui rẽcto itinere fidei de die in diem in sua renouatione proficientes, iam perfecti facti sunt eiusdem iustitiæ viatores.

2. Cor. 4.

Perfectus viator.

CAPVT XIIII. SIC itaque omnes, quicunque in hac vita diuinarum Scripturarum testimoniis in bona voluntate atq; actibus iustitiæ prædicati sunt, & quicunque tales vel post eos fuerũt, quamuis non eisdem testimoniis prædicati atque laudati, vel nunc vsque etiã sunt, vel postea quoque futuri sunt, omnes magni, omnes iusti, omnes veraciter laudabiles sunt, sed sine peccato aliquo non sunt: quoniam Scripturarũ testimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus, non iustificari in conspectu Dei omnem viuentem: & ideo rogari, ne intret in iudicium cum seruis suis: & non tantùm vniuersaliter fidelibus omnibus, verumetiam singulis esse orationem Dominicam necessariam, quam tradidit discipulis suis.

Psal. 124.

CAPVT XV. *Obiectio Pelagianorum. Matth. 5.*

AT enim *Dominus ait, Estote perfecti sicut pater vester cælestis perfectus est: quod non præciperet,* inquiunt, *si sciret fieri non posse quod præcipit.* Non nunc quæritur vtrum fieri possit: si istam perfectionem ad hoc accipiunt, vt sine vllo sit quisque peccato cùm hanc agit vitam: iam enim suprà respondimus posse fieri: sed vtrum aliquis faciat, hoc nunc quærimus. Neminem autem esse qui tantum velit, quantum res exigit, antè præcognitum est, sicut Scripturarum, quæ suprà commemoraui, testimonia tanta declarant. Et tamen cùm dicitur cuiusque perfectio, qua in re dicatur videdum est. Nam ex Apostolo testimonium paulo antè posui, vbi se fatetur in acceptione iustitiæ quam desiderat, nondum esse perfectũ: & tamen cõtinuò dicit, Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus: quod vtrumque non diceret, nisi in alia re perfectus esset, in alia non esset. Velut si iam sit quisquam sapientiæ perfectus auditor, quod nondum erant illi quibus dicebat, Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Eis quippe & illud ait, Sapientiam loquimur inter perfectos: vtiq; perfectos auditores volens intelligi. Potest ergo fieri sicut dixi, vt iam sit aliquis sapientiæ perfectus auditor, cuius nondum sit perfectus & doctor: potest perfectus esse iustitiæ cognitor, nõdum perfectus effector: potest perfectus esse vt diligat inimicos, qui nondum est perfectus vt sufferat. Et qui perfectus est in eo quòd omnes homines diligit, quippe qui etiam ad inimicorum dilectionẽ peruenerit; quæritur vtrum iam sit in ipsa quoque dilectione perfectus, id est, vtrum quos diligit, tantum diligat, quantum illa incommutabilis regula veritatis diligendos esse præscribit. Cùm ergo legitur in Scripturis cuiusque perfectio, qua in re dicatur, non negligenter intuendum est: quoniam non ideo quisque prorsus sine peccato esse intelligitur, quia in aliqua re dicitur esse perfectus: quamquam & in hoc possit ita dici, vt non quia iam non est quò proficiat, sed quia ex maxima parte profecit, hoc nomine dignus habeatur: sicut in doctrina legis dici potest quisquam perfectus, etiam si eum aliquid adhuc latet, sicut perfectos dicebat Apostolus, quibus tamen ait, Et si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus reuelabit, veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus.

Perfectus secũdum quiddam.

1. Cor. 3. 2.

Perfectus auditor. Perfectus doctor. Perfectus cognitor. Perfectus effector.

Philipp. 3.

NEQVE negandum est hoc Deum iubere, ita nos in facienda iustitia esse debere perfectos, vt nullum habeamus omnino peccatum: nam neq; peccatum erit si quid erit, si non diuinitus iubeatur vt non sit. *Cur ergo iubet,* inquiunt, *quod scit nullum hominum esse facturũ?* Hoc modo etiam dici potest, cur primis illis hominibus iusserit, qui duo soli erãt, quod sciebat eos non esse facturos? Neque enim dicẽdum est, ideo iussisse, vt nostrũm aliquis id faceret, si illi non facerẽt: hoc enim ne de illa scilicet arbore cibum sumerent, non nisi illis solis Deus iussit, quia sicut sciebat quid iustitiæ facturi non erant, ita etiam sciebat quid iustitiæ de illis ipse erat facturus. Eo modo ergo iubet omnibus hominib⁹ vt non faciant vllum peccatum, quamuis sit præscius neminem hoc impleturum, vt quicunque impiè ac damnabiliter eius præcepta contempserint, ipse faciat in eorum damnatione quod iustum est: quicunque autem in eius præceptis obedienter & piè proficientes, nec tamen omnia quæ præcepit implentes, sicut sibi dimitti volunt, sic aliis peccata dimiserint, ipse faciat in eorum mũdatione quod bonum est. Quomodo enim dimittẽti dimittitur per Dei misericordiam, si peccatum non est? aut quomodo non vetatur per Dei iustitiam, si peccatum est? *Sed ecce,* inquiunt, *Apostolus dicit, Bonum certamen certaui, fidẽ seruaui; cur sibi conseruaui, superest mihi corona iustitiæ: quòd non diceret si haberet vllum peccatũ.* Imò verò respondeant quomodo potuit hæc dicere, cui adhuc restabat ipsius passionis, quam sibi iam impendere dixerat, tam magna conflictatio, tam molestum & grande certamẽ? An ad eius cõsummandum cursum parum adhuc deerat, quando illud deerat vbi erat futurus acrior & crudelior inimicus? Quòd si ideo talib. verbis certus securusq; gaudebat, quia de victoria futuri tãti certaminis certum eum securumque iam fecerat, qui eandem passionem iam illi reuelauerat imminere: non re plenissima, sed spe firmissima hæc dixit, & quod futurũ esse præsumsit, tanquam factum fuerit indicauit. Si ergo his verbis etiam hoc adderet, vt diceret, nullum habeo iam peccatum: hoc quoque illum intelligeremus nõ de rei factæ, sed de rei futuræ perfectione dixisse. Sic enim ad ipsius cursus consummationem pertinebat nullum habere peccatum, quod isti putãt cùm hæc diceret, iam in illo fuisse completum: quẽadmodum ad ipsius cursus consummationem pertinebat etiam in certamine passionis aduersarium superare, quod etiam ipsi necesse est fateãtur, cùm hæc diceret, adhuc in illo fuisse cõplendum, hoc ergo totum nos dicimus tunc fuisse adhuc perficiendum, quando iam de Dei promissione præsidens totum ita dicebat tanquam fuisset effectum. Ad ipsius quippe cursus consummationẽ pertinebat, etiã quòd ipse peccata dimittebat debitoribus suis, atque ita sibi vt dimitteretur orabat: qua Dñi pollicitatione certissimus erat in illo fine, quem adhuc futurum iam fidendo dicebat impletum, nullum se habiturum esse peccatũ. Nam vt alia omittam; miror si cùm verba illa dicebat, per quæ istis visus est nullum habuisse peccatum; iam fuerat ab illo ablatus ille stimulus carnis, de quo à se auferendo Dñm ter rogauerat, responsumq; acceperat, Sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur. Huic tanto viro perficiendo necessarium fuit vt ab illo angelus satanæ nõ auferretur, à quo propterea colaphizabatur, ne magnitudine reuelationũ extolleretur: & audet quisquã quemquam vel putare vel dicere positum sub onere huius vitæ ab omni omnino mundum esse peccato: sint licet homines tanta excellentes iustitia, vt ad eos de columna nubis loquatur Deus, qualis Moyses & Aarõ in sacerdotibus eius, & Samuel in his qui inuocãt nomẽ eius: cuius ma-

Perfectus in iustitia reũte dicitur qui multum in ea profecit.

CAPVT XVI. *Cur Deus præcipit quod scit non obseruandum.*

2. Tim. 4. Obiectio Pelagianorum.

Stimulo carnis ad mortem vsque non cauet apostolus Paulus.

2. Cor. 12.

Psal. 89.

ius magnæ laudes pietatis & innocentiæ in Scriptura A veridica prædicantur, ab ineunte pueritia ex quo eum mater votum soluens in templo Dei constituit, & seruum Dño dedicauit: etiam de talibus tamen scriptũ est, Tu propitius eras illis, & vindicans in omnes affectiones eorum. In filios quippe damnationis vindicat iratus: in filios autem gratiæ vindicat propitius, dum quem diligit corripit, & flagellat omnem filiũ quem recipit. Nulla autẽ vindicta, nulla correptio, nullũ Dei flagellum debetur nisi peccato, excepto illo qui in flagella paratus est, vt experiretur omnia secũdum similitudinem sine peccato, vt esset sanctus sanctorum sacerdos interpellans etiam pro sanctis, qui non mendaciter etiã, quiq; de se dicant, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vnde & ipsi qui contra hæc disputãt, cùm sint casta vita, moribusq; laudabiles, nec dubitent facere, quod illi diuiti pro consequenda vita æterna consilium requirenti, cùm se respondisset iam omnia legis impleuisse mandata, præcepit Dominus: si vellet esse perfectus, venderet omnia quæ haberet & daret pauperibus, thesaurumque transferret in cælum: nemo tamen eorum audet dicere se esse sine peccato. Quod sicut credimus, non fallaci animo dicunt: si autem mẽtiuntur, eo ipso incipiunt vel augere, vel habere peccatum.

Matth. 6.

Laudat vitam monestis Pelagij.

Matth. 19.

CAPVT XVII. Ad quæstionẽ tertiam respondeo, Cur nemo sit in hac vita sine peccato.

IAM ergo quod tertio loco posui videamus: Cum voluntate humana gratia adiuuante diuina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur nõ sit, possem facillimè ac veracissimè respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur, quare nolint, imus in longum. Veruntamen etiam hoc sine præiudicio diligentioris inquisitionis breuiter dicã. Nolunt homines facere quod iustũ est, siue quia latet an iustũ sit, siue quia non delectat. Tãto enim quidq; vehemẽtiùs volumus, quanto certiùs quàm bonũ sit nouimus, eoq; delectamur ardentiùs. Ignorãtia igitur & infirmitas vitia sunt quæ impediunt voluntatẽ, ne moueatur ad faciendũ opus bonũ, vel ab opere malo abstinendũ. Vt autẽ innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quę hominum adiuuat voluntates: qua vt non adiuuentur, in ipsis itidẽ causa est, non in Deo, siue damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ: siue contra ipsam suam superbiam iudicãdi & erudiẽdi, si filij sint misericordiæ. Vnde Hieremias cùm dixisset, Scio Dñe, quia non est in homine via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos: continuò subiunxit, Corripe me Dñe, veruntamen in iudicio & non in furore tuo. Tanquã diceret, scio ad correptionẽ meam pertinere, quòd minus abs te adiuuor, vt perfectè dirigantur gressus mei: veruntamen hoc ipsum noli mecum sic agere, tanquã in furore quo iniquos damnare statuisti, sed tanquam in iudicio, quo doces tuos non superbire. Vnde alibi dicitur, Et iudicia tua adiuuabũt me. Nullius proinde culpæ humanæ in Deũ referas causam. Vitiorum nãque omnium humanorũ causa, superbia est. Ad hanc conuincendam atque auferendam talis medicina cælitus venit, ad elatum hominem per superbiam Deus humilis descẽdit per misericordiam, gratiam claram manifestamq; commendans in ipso homine, quem tanta præ participibus suis charitate suscepit. Neque enim & ipse ita verbo Dei coniunctus, vt ipsa coniunctione vnus filius Dei, & idem ipse vnus filius hominis fieret, præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit. Vnũ quippe illum esse oportebat. Essent autem & duo, & tres, & plures, si hoc fieri posset, non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitriũ. Hoc ergo præcipuè commendatur, hoc in sapientiæ atque scientiæ thesauris in Christo absconditis, quantum existimare audeo, præcipuè docetur & discitur. Ideo quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implere, nũc scit,

Peccati causæ duæ, ignorantia & infirmitas.

Hier. 10.

Psal. 118.

Adversus superbiam diuina remedia.

Id negauit Nestorius.

nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, vt nouerit non suæ facultatis, sed diuini muneris esse vel quòd scit, vel quòd delectatur: ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat quàm verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit, Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus summum atque incommutabile bonum, & author qualiumcunque bonorum omnium. Vt autem diligatur Deus, charitas eius diffusa est in cordibus nostris, non per nos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Qui fiat vt iustitia modo magis minusve delectet, nunc non delectet.

Psal. 84.

CAPVT XVIII. Voluntas bona à Deo.

SED laborant homines inuenire in nostra volũtate, quid boni sit nostrũ, quod nobis non sit ex Deo, & quomodo inueniri possit ignoro. Excepto enim quod Apostolus ait, cũ de bonis hominũ loqueretur, Quid enim habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? ipsa etiã ratio, quæ B de iis rebus à talibus quales sumus, iniri potest, quemlibet nostrum quærentem vehementer angustat, ne sic defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur: rursus ne liberum sic asseramus arbitriũ, vt superba impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur. Namque illud Apostoli quod commemoraui, sic defendere quidam voluerũt vt dicerent: *ideo quicquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum esse, quiã & hoc in illo esse non posset, si homo ipse non esset: cùm verò vt sit aliquid atque vt homo sit, non habeat nisi à Deo, cur non authori Deo tribuatur etiam quicquid in illo est bonæ voluntatis, quod non esset, nisi esset in quo esset?* Sed hoc modo etiam illud dici potest, malam quoque voluntatem Deo authori esse tribuendam: quia nec ipsa esse posset in homine, nisi homo esset in quo esset, vt autem homo sit, Deus author est: ita & eius malam voluntatem, quæ nisi hominem haberet in quo esset, esse omnino non posset, ad authorem Deum esse re- C ferendum: quod nephas est dicere. Quapropter nisi obtineamus, non solùm voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & malè vti malus potest: sed etiam volũtatem bonam, quæ iam in eis bonis est, quorum esse vsus non potest malus, nisi ex Deo, nobis esse non posse, nescio quemadmodum defendamus quod dictum est: Quid enim habes quod non accepisti? Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona vel mala: bona verò voluntas ex nobis est, melius est id quod à nobis quàm quod ab illo est. Quod si absurdissimè dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem nos diuinitùs adipisci, quanquam voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, vt nec bona nec mala sit. Aut enim iustitiam diligimus, & bona est, & si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est: aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis verò D dubitet dicere voluntatem nullo modo iustitiam diligentem, non modò esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est aut mala, & vtique malam non habemus ex Deo, restat vt bonam voluntatem habeamus ex Deo: alioquin nescio cùm ab eo iustificamur, quo alio munere ipsius gaudere debeamus. Et hinc scriptum arbitror, Paratur voluntas à Domino. Et in Psalmis, A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. Et quod Apostolus ait, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Quocirca quòd à Deo nos auertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala: quòd verò ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante atque adiuuante non possumus, & hæc est voluntas bona. Quid habemus quod non accepimus? Si autem accepimus, quid gloriamur, quasi non acceperimus? Ac per hoc vt qui gloriatur,

Elusio Pelagianorum.

Liberum arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur.

Bona quædã, quorum vsum esse non potest malus.

Voluntas omnis aut bona aut mala.

Psal. 36.

Philip. 6.

1. Cor. 4.

1. Cor. 1.

tur, in Dño glorietur, quibus hoc Dominus donare vo A luerit, eius misericordiæ est, non meriti illorum: quib. autem noluerit, veritatis est. Iusta namque peccatoribus pœna debetur, quoniam misericordiam & veritatem diligit Dñs Deus: & misericordia & veritas occurrerunt sibi: & vniuersæ viæ Dñi misericordia & veritas. Et quis explicet, quàm crebro hæc duo coniuncta diuina Scriptura commemoret? Aliquando etiam mutatis nominibus, vt gratia pro misericordia ponatur. Vnde est, Et vidimus gloriam eius gloriam tanquam vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate. Aliquando pro veritate iudicium, sicut est, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Dñe. Quare autem illos velit conuertere, illos pro auersione punire, quanquam & in beneficio tribuendo nemo iustè reprehendat misericordem, & in vindicta exercenda, nemo iustè reprehendat veracem, sicut in illis Euangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddentem, aliis etiam non placitam largientem, nullus iustè culpauerit, consilium tamen occultioris iustitiæ penes ipsum est.

Psal. 83.

Psal. 84.

Psal. 24.

Ioan. 1.

Psal. 100.

Matth. 20.

CAPVT XIX. Nihil boni ex nobis, nec ex nobis esse.

NOS autem quantum concessum est sapiamus & intelligamus si possumus, Dñm Deum bonum ideo etiam sanctis suis alicuius operis iustitiã aliquãdo non tribuere, vel certam scientiã vel victricem delectationem, vt cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & suauitatem qua det fructum suum terra eorũ. Cùm autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendã perficiendamq; iustitiam, quid aliud deprecamur, quàm vt aperiat quod latebat, & suaue faciat quod non delectabat: quia & hoc ab illo esse deprecãdum, eius gratia didicimus, dum antea lateret: eius gratia dileximus, dũ antea non delectaret, vt qui gloriatur, non in se, sed in Dño glorietur. Extolli quippe in superbiam, propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei: neque enim ad hoc eos compellit aut adiuuat Deus. Præcedit ergo in volũtate hominis appetitus quidam propriæ potestatis, vt fiat inobediens per superbiam. Hic autem appetitus & iam si non esset, nihil molestũ esset: & cùm hoc voluit homo, sine difficultate noluisset. Secutum est autem ex debita iusta pœna tale vitium, vt iam molestum esset obedire iustitiæ. Quod vitium nisi adiuuante gratia superetur, ad iustitiam nemo cõuertitur: nisi operante gratia sanetur, iustitiæ pace nemo perfruitur. Cuius autem gratia vincitur & sanatur, nisi illius cui dicitur, Cõuerte nos Deus sanitatum nostrarum, & auerte iram tuam à nobis? Quod etsi facit, misericordia facit, vt dicatur, Non secũdum peccata nostra fecit nobis, nec secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Et quibus non facit, iudicio non facit. Et quis dicet illi quid fecisti, cui misericordia & iudiciũ pia sanctorum mente cantatur? Idcirco etiam sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardiùs sanat, vt in his eos minus, quàm implendę ex omni parte iustitiæ sufficit, delectet bonum, siue cùm latet, siue cùm etiam D manifestum est: vt quãtum pertinet ad integerrimam regulam veritatis eius, non iustificetur in conspectu eius omnis viuens. Nec in eo ipso vult nos damnabiles esse, sed humiles, commẽdans nobis eandem gratiam suam, ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod eius est. Qui error multum est religioni pietatiq̃ contrarius. Nec ideo tamen in eisdẽ vitiis nobis permanendum esse existimemus, sed auersus ipsam maximè superbiam, propter quam in eis humiliamur, & nos vigilanter conemur, & ipsum deprecemur ardenter, simul intelligentes & quod sic conamur, & quod sic deprecamur, dono illius nos habere: vt in omnibus non ad nos respicientes, sed sursum cor habentes, Domino Deo nostro gratias agamus, & cùm gloriamur, in illo gloriemur.

Id fuit primorum parentum primum peccatum.

Cõtra superbiam in primis vigilandum.

CAPVT XX. Ad quartam quæstionem responsio, Vtrũ fuerit aliquã do aliquis, vel esse possit qui nullũ habuerit peccatum.

QVARTVM iam illud restat, quo explicato quantum adiuuat Dominus, sermo quoque iste tam prolixus tandem terminũ sumat, Vtrum qui omnino nunquam vllum peccatum habuerit, habiturúsue sit, non solùm quisquam natorum hominum sit, verũ etiam potuerit aliquando esse vel possit. Hunc prorsus præter vnũ mediatorem Dei & hominũ hominem Christum Iesum nullũ vel esse, vel fuisse, vel futurum esse, certissimũ est. Vnde iam multa diximus de baptismo paruulorũ, qui si nullum peccatũ habent, non solùm sunt homines innũmerabiles sine peccato, verũetiam fuerunt, & erunt. Porrò si veraciter illud constitit, vnde secundo loco egimus, neminem esse sine peccato, profectò nec paruuli sine peccato sunt. Ex quo cõficitur; & si quisquam in hac vita esse potuisset, qui virtute ita perficeretur, vt ad tantam plenitudinem iustitiæ peruenireret, qua nullũ haberet omnino peccatũ, fuisse tamen eum antea peccatorem vnde in istam nouitatẽ vitæ conuerteretur, non esse dubitandũ. Etenim in secundo illo loco aliud quærebatur, aliud in hoc quarto propositũ est. Nam in illo, vtrũ aliquis in hac vita ad perfectam, quæ prorsus sine vllo peccato est, vitã peruenire per gratiam Dei, studiò voluntatis, requirebatur: in hoc autẽ quarto, vtrũ esset in filiis hominũ, vel esse potuisset, aut posset, qui non ex peccato ad iustitiã perfectissimam peruenire, sed nullo omnino vnquã peccato esset obstrictus, hoc quæritur. Ideo si illa vera sunt quæ tam multa de paruulis diximus, nec est in filiis hominũ quisquam, nec fuit, nec erit, excepto vno mediatore, in quo nobis propiciatio & iustificatio posita est, per quam finitis inimicitiis peccatorum reconciliamur Deo. Non itaque ab re est, quantum præsenti causæ sufficere videtur, ab ipso exordio generis humani pauca repetere, quibus aduersus quædam, quæ mouere possunt, legentis animus informetur.

CAPVT XXI.

POSTEAQVAM illi primi homines, vir vnus A dã, & ex illo Eua vxor eius, accepto Dei præcepto seruare obedientiã noluerunt, iusta eos pœna ac debita consecuta est. Sic enim cõminatus fuerat Dñs, quòd ea die qua vetitũ cibum ederent, morte morerentur. Proinde quia vtendi ad escam omni ligno quod in paradiso erat, acceperant potestatẽ, in quo etiam lignum vitæ plantauerat Deus: ab illo autẽ solo eos prohibuẽrat, quod appellauit sciẽtiæ boni & mali, quo nomine significaretur experiẽtiæ consequentia, & quid boni custodita, & quid mali essent transgressa prohibitione sensuri: rectè profectò intelliguntur ante malignã diaboli persuasionẽ abstinuisse cibo vetito, atq; vsi fuisse cõcessis, ac per hoc & cæteris, & præcipuè ligno vitæ. Quid enim absurdius quàm vt credãtur ex aliis arboribus alimenta sumpsisse, non autẽ etiam ex illo quod & similiter permissum fuerat, & vtilitate præcipua per ætatũ lapsum mutari, quãuis animalia corpora, in mortemq; veterascere nõ sinebat, tribuens hoc corpori humano de suo corpore beneficium, & mystica significatione demonstrans, quid per sapientiam, cuius figuram gestabat, conferretur animæ rationali, vt alimento eius viuificata nequaquam in labem mortemq; nequitiæ verteretur? Meritò enim de illa dicitur, Lignũ vitæ est amplectentibus eam: sicut hæc arbor in corporali, sic illa in spiritali paradiso: ista exterioris, illa interioris hominis sensibus præbens vigorem, sine vlla in deterius temporis commutatione vitalem. Seruiebant igitur Deo vehementer sibi commendata pietate obedientiæ: qua vna colitur Deus. Quæ per sẽ ipsa quanta sit, quamq̃ sola sufficiat ad tuendam rationalem sub creatore creatutam, non potuit excellentiùs intimari, quàm vt à ligno prohiberentur non malo. Absit enim vt bonorum creator qui fecit omnia, & ecce bona valde, mali aliquid in illis etiam corporalis paradisi fertilitate plantaret. Sed vt ostenderetur homini, cui esset sub tali Domino vtilissima

Psal. 84.

Psal. 24.

Psal. 42. 102.

Cap. 7.

Genes. 2.

Lignum scientiæ boni & mali cur sic appellatum.

Adam ante lapsum vsus ligno vitæ.

Lignum vitæ typus sapientiæ.

Prouerb. 3.

Paradisus corporalis & spiritalis.

lissima seruitus, quantum esset solius obedientiæ bonum, quam solam de famulo exegerat, cui obedire non propter ipsius dominatum, sed propter seruientis vtilitatem potius expediret: ab eo ligno sunt prohibiti, quo si vterentur non prohibiti, nihil mali omnino paterentur: vt quòd illo post prohibitionem vtentes passi sunt, satis ostenderetur quòd eis hoc non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, sed tantùm obedientia violata.

Solam ab homine obedientiam Deus exegerat.

CAPVT XXII. *Rebellio carnis vnde.*

HANC ergo priusquam violassent, placebat Deo, & placebat eis Deus, & quamuis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo aduersum se moueri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo iustitiæ, vt quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo; ita illi corpus eius obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine vlla resistentia famulatum. Hinc & nudi erant, & non confundebatur. Animam quippe rationalem naturali verecundia nunc pudet, quòd in carne, in cuius seruitutem ius potestatis accepit, nescio qua infirmitate efficere non potest, vt se nolente non moueantur membra, & se volente moueantur. Quæ propter hoc in quouis casto, meritò appellantur pudenda, quòd aduersus dominam mentem quasi sue sint potestatis sicut libitum est, excitantur: idque solum iuris in his habent frena virtutis, vt ad immundas & illicitas corruptiones ea peruenire non sinant. Hæc igitur carnis inobedientia, quæ in ipso motu est, etiam si habere non permittatur effectum, non erat in illis tunc primis hominibus, quando nudi erant, & non confundebantur. Nondum quippe anima rationalis domina carnis, inobediens extiterat Domino suo, vt pœna reciproca inobedientem experiretur carnem famulam suam cũ sensu quodam confusionis & molestiæ suę, quem sensum certè ipsa per inobedientiam suam non intulit Deo. Neque enim Deo pudendum est aut molestum, si nos ei non obedimus, cuius in nos summam potestatem nullo modo minuere valeamus: sed nobis pudendũ est, quòd imperio nostro caro non seruit: quia hoc fit per infirmitatem quam peccando meruimus, vocatúrque peccatum habitans in membris nostris. Sic est autem hoc peccatum, vt sit pœna peccati. Denique posteaquam est illa facta transgressio, & anima inobediens, à lege sui Domini auersa est, habere cœpit contra eam seruus eius, hoc est, corpus eius, legem inobedientiæ: & puduit illos homines nuditatis suæ, animaduersio in se motu, quem antè non senserãt; quæ animaduersio apertio dicta est oculorum, neque enim oculis clausis inter illas arbores oberrabant. Sic & de Agar scriptum est, Aperti sunt oculi eius, & vidit puteum. Tunc illi homines pudenda texerunt, quę Deus illis membra, ipsi verò pudenda fecerunt.

Corpus animæ famulum.

Nuditas erat iam verecundanda.

Membra genitalia cur pudenda vocentur.

Roman. 7. Peccatum habitãs in membris nostris.

Oculorum apertio in primis parentibus quid. Gen. 16. 3.

CAPVT XXIII.

DE hac lege peccati nascitur caro peccati expianda per illius sacramentum, qui venit in similitudine carnis peccati, vt euacuetur corpus peccati, quod & corpus mortis huius appellat, vnde miserum hominẽ non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Sic enim ab eis transitum fecit in posteros ista lex initium mortis, quemadmodum labor quo cuncti homines laborant in terra, quemadmodũ in feminas parturitio cum doloribus. Hæc enim cùm de peccato arguerentur, Dei sentẽtia meruerunt, quæ non in eis solis, sed etiã in successoribus eorum, in aliis magis, in aliis minus, tamẽ in omnib. videmus impleri. Cùm itaque primorũ illorum hominum fuerit prima iustitia obedire Deo, & hanc in membris aduersus legem mentis suæ, legem concupiscentię non habere; nunc post eorum peccatum nata ex eis nostra carne peccati, pro magno obtinetur ab his qui obediunt Deo, desideriis eiusdem concupiscentię non obedire, & crucifigere in se carnem cum passionibus & concupiscentiis: vt sint Iesu Christi, qui hoc in sua cruce figurauit, quibus per gratiam suam dedit potestatem filios Dei fieri. Non enim omnibus hominibus dedit, sed quotquot receperunt eum, vt Deo renascerentur spiritu, qui sæculo nati erant carne. Sic enim de his dictum est: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.

Iustitia primi status in paradiso.

Iustitia post lapsum.

Ioannis 1.

CAPVT XXIIII. *Aliter Christus, aliter nos nascimur.*

SECVTVS autem addidit: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis: tanquam dicens, Magnum quidem hoc in his factum est, vt Deo nascerentur ex Deo, qui prius nati fuerant ex carne sæculo, quamuis creati ab ipso Deo: sed longè mirabilius factum est, quòd cùm istis naturæ fuerit nasci de carne, beneficij verò nasci ex Deo, propter hoc impertiendum beneficium, ille qui de Deo naturaliter natus est, nasciet iam misericorditer de carne dignatus est: hoc est enim, & verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Per hoc, inquit, factum est vt nati de carne caro, postea nascendo de spiritu spiritus essemus, & habitaremus in Deo: quia & Deus natus de Deo, postea de carne nascendo caro factus est, & habitauit in nobis, verbum enim quod caro factum est, in principio erat, & apud Deum Deus erat. Veruntamen ipsa participatio illius in inferiora nostra, vt nostra esset in superiora illius, tenuit quandam & in carnis natiuitate medietatem: vt nos quidem nati essemus in carne peccati, ille autem in similitudinem carnis peccati: nos nõ solùm ex carne & sanguine, verumetiam ex volũtate viri & ex voluntate carnis: ille autem tãtùm ex carne & sanguine, & non ex voluntate viri, neque ex volũtate carnis, sed ex Deo natus est. Et ideo nos in mortem propter peccatum, ille propter nos in mortem sine peccato. Sicut autem inferiora eius quibus ad nos descendit, non omnimodo coæquata sunt inferioribus nostris: in quibus nos hîc inuenit: sic & superiora nostra quibus ad eum ascendimus, non coæquabuntur superioribus eius, in quibus eum illic inuĕturi sumus. Nos enim ipsius gratia facti erimus filij Dei, ille semper natura erat filius Dei. Nos aliquando conuersi adhærebimus impares Deo: ille nunquam auersus manet æqualis Deo. Nos participes vitæ æternæ, ille vita æterna. Solus ergo ille etiam homo factus manens Deus, peccatum nullum habuit vnquam, nec sumpsit carnem peccati quãuis de †natura carnis peccati. Quod enim carnis inde suscepit, id profectò aut suscipiendũ mundauit, aut suscipiendo mundauit. Ideo virginem matrem non lege carnis peccati, id est, non concupiscentiæ carnalis motu concipientem, sed pia fide sanctum germen in se fieri promerentem, quam eligeret creauit, de qua crearetur elegit. Quanto magis ergo caro peccati baptizanda est propter euadendum iudicium, si baptizata est caro sine peccato propter imitationis exemplum?

dl: materna carne peccati.

CAPVT XXV. *Cap. 9. Fidelium filij etiam baptizandi. Obiectio Pelagianorum. Hebr. 7.*

QVOD autem suprà respõdimus aduersus eos qui dicunt, *si peccator genuit peccatorem; iustus quoque iustum gignere debuit*; hoc etiam his respondemus, qui dicunt de homine baptizato natũ iam velut baptizatũ haberi debuisse. *Cur enim nõ*, inquiũt, *in lumbis patris sui potuit baptizari, si secundũ epistolã quæ ad Hebræos scripta est; in lumbis Abrahæ Leui potuit decimari?* Hoc qui dicunt, attendant non propterea Leui postea nõ fuisse decimatum, quia iam fuerat decimatus in lumbis Abrahę, sed quia sic ordinatus est honore sacerdotij vt acciperet decimas, non pręberet: alioquin nec cęteri fratres eius qui ei prębebant, decimarentur, quia & ipsi in lumbis Abrahę à Melchisedech iã fuerant decimati. Sed ne quis dicat, propterea rectè potuisse Abrahę filios decimari, quãuis iam fuissent in lũbis patris sui decimati, quia decimatio talis res erat, quę in vnoquoq; homine

Occupatio.

sæpe fuerat facienda, sicut Israëlitæ annis omnibus, imò ex fructibus omnibus decimas tota vita sua crebras solent præbere Leuitis; baptismum autem tale sacramentum esse quod semel datur; & si iam hoc acceperat quisque cùm in patre suo esset, non nisi baptizatum fuisse deputandum, cùm de illo qui baptizatus fuerat gigneretur. Qui hoc dicit: ne diu disputem, circumcisionem respiciat, quæ semel fiebat, & tamen in singulis singillatim fiebat. sicut ergo tempore illius sacramenti de circumciso qui nasceretur circumcidendus fuit: sic nunc de baptizato qui natus fuerit, baptizandus est. Ar enim ait Apostolus: *Filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: & ideo*, inquiunt, *fidelium filij iam baptizari minimè debuerunt*. Miror hoc dicere, qui negant peccatum ex Adam originaliter trahi. Si enim hanc Apostoli sententiam sic accipiunt, vt credant de fidelibus sanctificatos filios nasci, cur eos etiam ipsi baptizari oportere non dubitant? Cur denique nolunt fateri de parente peccatore aliquod peccatum originaliter trahi, si de sancto aliqua sanctitas trahitur? Et contra nostram quidem non est assertionem, etiam si ex fidẽlibus sancti propagantur, quòd eos dicimus si non baptizantur, pergere in damnationem, quibus & ipsi regnum cælorum intercludunt, quamuis eos dicant non habere vllum vel proprium, vel originale peccatum. Aut si eis indignũ videtur vt sancti damnentur, quomodo erit dignum vt à regno Dei sancti separentur? Illud potius attendant, quomodo non de peccatoribus parentibus trahatur aliquod peccatum, si de sanctis aliqua sanctitas trahitur, & immunditia de immundis? Vtrumque enim dixit qui dixit, Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Explicent etiam quomodo iustum sit vt sancti ex fidelibus, & immundi ex infidelibus nati, pariter tamẽ si baptizati non fuerint, regnum Dei non permittantur intrare. Quid ergo illis ista sanctitas prodest? Nam si damnari faterentur immundos ex infidelibus natos: sanctos autem filios fidelium in Dei quidem regnum intrare non posse, nisi fuerint baptizati; non tamen damnari, quia sancti sunt, esset qualiscumque distinctio. Nunc verò natos & de sanctis sanctos, & de immundis immundos æqualiter dicunt, & quia peccatum non habent, non damnari; & quia baptismum non habent, à Dei regno separari. Hanc absurditatem talia ingenia non videre quis credat? Nostræ autem, imò ipsius Apostoli sententiæ, qui dixit, Ex vno omnes ad condemnationem, & ex vno omnes ad iustificationem vitæ: quàm non sit contrarium hoc quod ait, cùm de alia re ageret. Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt, paululum attende.

1. Cor. 7.

Rom. 5.

CAPVT XXVI. *Sanctificatio multiplex.*

NON vnius modi est sanctificatio: nam & catechumenos secundùm quẽdam modum suum per signum Christi & orationem manus impositionis puto sanctificari: & quod accipiunt quamuis nõ sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius, quàm cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est: verùm & ipsos cibos quibus ad necessitatem sustentandæ huius vitæ alimur, sanctificari idem Apostolus dixit, per verbum Dei & orationem qua oramus, vtiq; nostra corpuscula refecturi. Sicut ergo ista ciborum sanctificatio non efficit, vt quod in os intrauerit non in ventrem vadat & in secessum emittatur per corruptionem, qua omnia terrena soluuntur, vnde ad aliam escam quæ non corrumpitur, nos Dominus exhortatur: ita sanctificatio catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum cælorum, aut ad peccatorum remissionem. Ac per hoc & illa sanctificatio cuiuscũque modi sit, quam in filiis fidelium esse dixit Apostolus ad istam de baptismo & de peccati origine, vel remissione quæstionem omnino non pertinet. Nam & coniuges infideles in coniugibus fidelibus sanctificari dicit, eo ipso loco ita loquens: Sanctificatur enim vir infidelis in vxore, & sanctificatur mulier infidelis in fratre: Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Non opinor quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligãt, vt ob hoc existimet etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit vxor eius, neq; iam baptizari oportere, & ad peccatorum remissionem iam peruenisse, & in regnum cælorum esse intraturum, quia sanctificatus dictus est in vxore.

Sacramentum catechumenorum.

1. Tim. 4.

1. Cor. 7.

CAPVT XXVII.

QVISQVIS verò adhuc mouetur, quare baptizentur qui iàm de baptizatis nascuntur, hoc breuiter accipiat: Sicut generatio carnis peccati per vnum Adam in condemnationem trahit omnes qui eo modo generantur; sic generatio spiritus gratiæ per vnum Iesum Christum ad iustificationem vitæ æternæ ducit omnes qui eo modo prædestinati regenerantur. Sacramentum autem baptismi profectò sacramẽtum regenerationis est. Quocirca sicut homo qui non vixerit, mori non potest; & qui mortuus non fuerit, resurgere non potest: ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum. Oportet autem vt si natus fuerit, renascatur; quia nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Oportet igitur vt sacramento regenerationis, ne sine illo malè de hac vita exeat, etiam paruulus imbuatur. Quod non fit nisi in remissione peccatorum: quod etiam ipso loco Christus ostẽdit, cùm interrogatus quomodo possent ista fieri, commemorauit quid Moyses fecerit in exaltatione serpentis. Cùm itaque per baptismi sacramentum morti Christi conformentur infantes, eos à serpentis morsu fatendum est liberari, si à Christianæ fidei regula nolumus aberrare. Quem tamẽ morsum non in sua vita propria, sed in illo cui primitùs inflictus est, acceperunt. Neque illud fallat, *Quòd si nec parenti post conuersionem obsunt propria peccata, quanto magis*, inquiunt, *filio eius obesse non possunt?* Sed qui hoc sentiunt, non attendunt: quia sicut parenti per hoc quòd spiritu natus est propria peccata nõn obsunt; ita qui de illo natus est, nisi eo modo nascatur, quæ à parente tracta sunt, oberunt. Quia & renouati parentes non ex primitiis nouitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt: & filij ex parentum reliqua vetustate toti vetusti, & in peccati carne propagati, damnationem veteri homini debitam sacramento spiritualis regenerationis & renouationis euadunt. Illud namque præcipuè propter quæstiones, quæ de hac re motæ sunt, vel moueri adhuc possunt, attendere ac meminisse debemus: tantummodo peccatorum omnium plenam perfectámque remissionem baptismo fieri; hominis verò ipsius qualitatem non totam continuò commutari: sed spiritales primitias in bene proficientibus de die in diem nouitate crescente commutare in se quod carnaliter vetus est, donec totum ita renouetur, vt animalis etiam infirmitas corporis, ad firmitatẽ spiritalem incorruptionémq; perueniat.

Ioan. 3.

Obiectio Pelagianorum.

CAPVT XXVIII. *Lex peccati in nobis quid. Rom. 6.*

HÆC autem lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus, cùm dicit, Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius: non sic manet in membris eorum qui ex aqua & spiritu renati sunt, tanquam non sit eius facta remissio vbi omnino plena & perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitiis interfectis, quibus separabamur à Deo: sed manet in vetustate carnis tamquam superatum & peremptum, si non illicitis consensionibus quodammodo reuiuiscat, & in regnum proprium dominationémque reuocetur. Ab hac autẽ vetustate carnis, in qua est lex ista peccati vel peccatũ iam remissum, vsqueadeò spiritus vita discernitur,

Concupiscẽtia malum in baptismo superatur & peremitur.

nitur, in cuius nouitate baptizati per Dei gratiam re-
nascuntur, vt parum fuerit Apostolo dicere, tales non
esse in peccato, nisi etiam diceret in ipsa illos carne nõ
esse antequam ex hac mortali vita migrarent. Qui e-
Rom. 8. nim in carne, inquit, sunt, Deo placere non possunt:
vos autem non estis in carne, sed in spiritu, si tamẽ spi-
ritus Dei habitat in vobis. Veruntamen sicut ipsa car-
ne quamuis corruptibili bene vtuntur qui membra e-
In carne esse. ius ad opera bona conuertunt, in qua carne non sunt,
quia non secundùm eam sapiunt neque viuunt: sicut
denique etiam morte, quę primi peccati pœna est, bene
vtuntur qui eam pro fratribus, pro fide, pro qua-
cunque vera & sancta iustitia fortiter & patienter im-
pendunt: sic illa etiã lege peccati, quod iam remissum
in vetustate carnis manet, bene vtuntur coniugati fi-
deles, qui ex eo quòd sunt in Christi nouitate, domi-
nari sibi libidinem minimè patiuntur: ex eo autem
quòd adhuc trahunt Adæ vetustatem, regenerandos
immortaliter filios mortaliter generant cum ea pro-
pagine peccati, qua illi qui renati sunt obnoxij nõ te-
nentur, & qua illi qui nascuntur renascendo soluũtur.
Quamdiu ergo manet lex concupiscentialis in mem-
bris, manente ipsa reatus eius soluitur; sed ei soluitur
qui sacramentum regenerationis accipit renouaríque
iam cœpit. Ex illa autem manente concupiscẽtiæ ve-
tustate quod nascitur, renasci indiget vt sanetur. Quia
parentes fideles & nati carnaliter, & renati spiritualiter, filios carnaliter genuerunt, filij verò antequam na-
scerentur, renasci quomodo potuerunt? Nec mireris,
quod dixi, manente concupiscentiali lege peccati rea-
tum eius solui per gratiam sacramenti. Sicut enim fa-
cta & dicta & cogitata iniqua, quãtum ad ipsos motus
animi & corporis pertinet, iam præterierunt & non
sunt: eis tamen præteritis & non iam existentibus rea-
tus eorum manet, nisi peccatorum remissione soluatur: sic contrà in hac non iam preterita, sed adhuc ma-
nente lege, concupiscentię reatus eius soluitur, & non
erit, cùm fit in baptismo plena remissio peccatorum.
Concupiscẽtia baptizatos non remouetur ab ingressu cœli. Deniq; si continuò cõsequatur ab hac vita migratio,
non erit omnino quod obnoxium hominem teneat,
solutis omnibus quæ tenebant. Sicut ergo non est mi-
rum præteritorum dictorum, factorum, atque cogita-
torum reatum manere ante peccatorum remissionẽ:
sic contrà non debet esse mirum manẽtis concupiscẽ-
tiæ reatum præterire post peccatorum remissionem.

CAPVT XXIX. QVÆ cùm ita sint, ex quo per vnum hominẽ pec-
catum intrauit in hunc mũdum, & per peccatũ mors,
& ita in omnes homines pertransiit vsq; in finem car-
nalis huius generationis & corruptibilis seculi, cuius
filij generant & generantur, nullo existente homine
de quo in hac vita cõstituto veraciter dici possit, quòd
nullum habeat omnino peccatum, excepto vno me-
diatore, qui nos creatori nostro reconciliat per remis-
sionem peccatorum: idem ipse Dominus noster hanc
suam medelã nullis generis humani temporibus ante
vltimum futurum adhuc iudiciũ denegauit eis, quos
per certissimam præscientiam & iustissimam bene-
D centiam secum regnaturos in vitam prædestinauit æ-
ternam. Namque ante natiuitatem carnis, infirmita-
temq; passionis & virtutem resurrectionis suæ, earum
rerum futurarum fide eos qui tunc fuerant, informa-
bat ad hæreditatem salutis æternæ, quarũ rerum præ-
sentium fide informauit eos, qui cùm gererentur ad-
erant atque impleri prædicta cernebant, quarum et-
iam præteritarum rerum fide qui postea fuerunt, &
nosipsos, & qui deinde futuri sunt informare non ces-
sat. Vna ergo fides est quæ omnes saluos facit, qui ex
carnali generatione in spiritalem renascendo saluan-
tur, terminata in eo, qui venit pro nobis iudicari &
mori iudex viuorum & mortuorum. Sed huius vnius
fidei pro significationis opportunitate per varia tem-

A pora sacramenta variata sunt. Idem ipse itaque Salua-
tor est paruulorum atque maiorum, de quo dixerunt
angeli, Natus est vobis hodie Saluator: & de quo di- Luc. 2.
ctum est ad virginem Mariam, Vocabis nomen eius Matth. 1.
Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à pec-
catis eorum: vbi apertè demonstratum est eum hoc
nomine, quo appellatus est Iesus, propter salutem quã
nobis tribuit, nominari: Iesus quippe Latinè Saluator
est. Quis est igitur qui audeat dicere Dominũ Chri-
stum tantum maioribus, non etiam paruulis esse Ie-
sum, qui venit in similitudine carnis peccati, vt eua-
cuaret corpus peccati, in quo infirmissimo nulli vsui
congruis vel idoneis infantilibus membris anima ra-
tionalis miserabili ignorantia prægrauatur. Quam Christus etiã infantis ignorãtia carnis & animi infirmitate.
planè ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in
infante illo, in quo verbum caro factum est, vt habi-
taret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in
Christo paruulo fuerim suspicatus, quam videmus in
B paruulis. Per hanc enim etiam cùm motibus irratio-
nabilibus perturbantur nulla ratione, nullo imperio,
sed dolore aliquando vel doloris terrore cohibentur:
vt omnino videas illius inobedientiæ filios, quæ mo-
uetur in membris repugnans legi mentis, nec cùm
vult ratio, conquiescit: verùm & ipsa sæpe vel dolore
corporis, tamquam vapulando compescitur, vel pa-
uescendo, vel tali aliquo animi motu, non tamen vo-
luntate præcipiente, comprimitur. Sed quia in eo erat Christi caro senescendo, ad mortem etiam ventura fuisse videtur.
similitudo carnis peccati, mutationes ætatum perpeti
voluit ab ipsa exortus infantia, vt ad mortem videatur
etiam senescendo illa caro peruenire potuisse, nisi iu-
uenis fuisset occisus. Quæ tamen mors in carne pec-
cati inobedientiæ debita redditur, in similitudine au-
tem carnis peccati obedientiæ voluntate suscepta est.
Ad eam quippe iturus eamque passurus, hoc ait: Ecce Ioan. 14.
venit princeps mundi huius, & in me nihil inueniet:
sed vt sciant omnes quia voluntatem patris mei facio,
surgite eamus hinc. His dictis perrexit ad indebitam
C mortem, factus obediens vsque ad mortem.

CAPVT XXX. QVAPROPTER illi qui dicunt, *Si primi hominis peccato factum est vt moreremur, Christi aduentu fieret, vt credentes in eum non moreremur.* Et addunt quasi ra- Obiectio Pelagianorum.
tionem dicentes: *Neque enim præuaricatoris transgressio plus nobis nocuit, quàm incarnatio vel redemptio profuit Saluatoris.* Cur non potius hoc attendunt, hoc au-
diunt, hoc sine dubitatione credunt, quod Apostolus
sine ambiguitate locutus est? Quia per hominem
mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut 1. Cor. 15.
enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo o-
mnes viuificabuntur; neque enim aliunde quàm de
corporis resurrectione dicebat. Omnium ergo corpo-
ris mortem factam per vnum hominem dixit, & om-
nium corporis resurrectionem in vitam æternam per
vnum Christum futuram esse promisit. Quomodo
ergo *plus nobis nocuit ille peccando, quàm iste profuit redimendo*, cùm per illius peccatum temporaliter mo-
riamur, per istius autem redemptionem non ad tem-
D poralem vitam, sed ad perpetuam resurgamus? No-
strum ergo corpus mortuum est propter peccatum,
Christi autem corpus solum mortuum sine peccato,
vt fuso sanguine sine culpa, omnium culparum chi-
rographa delerẽtur, quibus debitores qui in eum cre-
dunt, à diabolo antea tenebantur. Et ideo, Hic est, ait,
sanguis meus qui pro multis effundetur in remissio- Matth. 26.
nem peccatorum.

CAPVT XXXI. POTERAT autem etiam hoc donare credentibus, Cur non simul per baptismum cum peccatis mors etiã ipsa abolebatur.
vt nec istius experirentur corporis mortem: sed si hoc
fecisset, carni quędam felicitas adderetur, minueretur
autem fidei fortitudo. Sic enim homines mortem istã
timent, vt non ob aliud felices dicerent esse Christia-
nos, nisi quòd mori omnino non possent. Ac per hoc
nemo propter illam vitam, quæ post istam mortem
beata

beata futura est, per virtutem etiam contemnendæ A
ipsius mortis ad Christi gratiam festinaret, sed propter
remouẽdam mortis molestiam delicatius crederetur
in Christum. Plus ergo gratiæ præstitit, plus fidelibus
suis sine dubitatione donauit. Quid enim magnum
erat videlo non mori eos qui crederent; credere se nõ
moriturum? Quanto est maius, quãto fortius, quanto
laudabilius, ita credere, vt se speret moriturus sine fi-
2. Retract. ca. 33. ne victurũ? Denique hoc quibusdam in fine largietur,
vt mortem istam repentina cõmutatione non sentiãt,
sed simul cum resurgentibus rapiãtur in nubibus ob-
uiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino vi-
uant. Et rectè illis, quia non erunt iam posteri qui pro-
pter hoc credant non sperando quod non vident, sed
amãdo quod vident. Quæ fides est eneruis & debilis,
nec fides omnino dicenda, quãdoquidem fides ita de-
Heb. 11. finita est: Fides est sperandorum substantia, conuictio
rerum quę non videntur. Vnde etiam in eadem vbi &
hoc scriptũ est ad Hebræos Epistola cùm consequen-
ter enumerasset quosdam, qui Deo fide placuerũt: se-
B cundùm fidem, inquit, mortui sunt hi omnes, cùm nõ
accepissent promissiones, sed longè eas videntes & sa-
lutantes & confitentes, quia hospites & peregrini sunt
super terram: & paulò pòst eandem fidei laudem ita
conclusit: Et omnes, inquit, testimonium consecuti
per fidem, non tulerunt promissiones Dei: pro nobis
enim meliora prouiderunt, ne sine nobis perfecti per-
ficerentur. Hæc laus fidei non esset, nec omnino, vt iã
dixi, fides esset, si homines in credendo præmia visibi-
lia sequerẽtur: hoc est, si fidelibus merces immortali-
tatis in hoc seculo redderetur. Hinc & ipse Dominus
mori voluit, vt quemadmodũ de illo scriptum est, per
mortem euacuaret eum, qui potestatẽ habebat mor-
tis: id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mor-
tis per totam vitam rei erant seruitutis. Hoc testimo-
nio satis etiam illud mõstratur, & mortem istam cõr-
Mortis potestatem & imperiũ cur diabolus habere dicatur. poris principe atq; authore diabolo, hoc est, ex pecca-
to accidisse, quod ille persuasit; neq; enim ob aliud po- C
testatem habere mortis verissimè diceretur: vnde ille
qui sine vllo peccato vel originali vel proprio motie-
Ioan. 14. batur, dixit, quod paulò antè commemoraui, Ecce ve-
niet princeps mundi, id est, diabolus, qui potestatem
habet mortis, & in me nihil inueniet, id est, peccati,
propter quod homines mori fecit. Et quasi diceretur
ei, Quare ergo moreris? Sed vt sciant omnes, inquit,
quia voluntatem patris mei facio, surgite eamus hinc:
id est, vt moriar non habens mortis causam de pecca-
to sub authore peccati, sed de obedientia & iustitia
factus obediens vsque ad mortem. Et hoc ergo illo te-
stimonio demonstratum est, & quòd timorem mor-
tis fideles vincunt, ad agonem ipsius fidei pertinere,
qui profectò defuisset, si mox esset credentes immor-
talitas consecuta.

CAPVT XXXII. QVAMVIS itaq; multa Dominus visibilia mira-
cula fecerit, vnde ipsa fides velut quibusdam primor-
diis lactescẽtibus germinaret, & in suum robur ex illa D
teneritudine coalesceret, (tanto est enim fortior, quã-
to magis iam ista non quærit:) tamen illud quod pro-
missum speramus inuisibiliter voluit expectari, vt iu-
stus ex fide viueret, intãtum vt nec ipse qui die tertio
Cur Christus post resurrectionem præsentiam suam mundo subduxerit. resurrexit inter homines esse voluerit, sed eis demon-
strato in sua carne resurrectionis exemplo, quos huius
rei testes habere dignatus est, in cælum ascenderit, il-
lorum quoque se oculis auferens; nihilque tale cuius-
quam eorum carni iam tribuens, quale in carne pro-
pria demonstrauerat: vt & ipsi ex fide viuerent, eiusq;
Solus Christus ad immortalitatem resurrexit. iustitiæ, in qua ex fide viuitur, præmium quod postea
erit visibile, nunc interim per patientiam inuisibiliter
expectarent. Ad hunc intellectum credo etiam illud
Ioan. 16. esse referendum, quod ait de Spiritu sancto: Non po-
test ipse venire, nisi ego abiero: hoc enim erat dicere,
non poteritis iustè viuere ex fide, quod de meo dono,
id est, de Spiritu sancto habebitis, nisi à vestris oculis
hoc quod intuemini abstulero, vt spiritaliter cor ve-
strum inuisibilia credendo proficiat. Hanc ex fide iu-
stitiam identidem loquens de Spiritu sancto, ita com-
mendat: Ille, inquit, arguet mundum de peccato, de
iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non
crediderunt in me: de iustitia, quia ad patrem vado, &
iam non videbitis me. Quæ est ista iustitia, qua eum
non videret; nisi vt iustus ex fide viueret, & non respi-
cientes quæ videntur, sed quæ non videntur, spiritu
ex fide spem iustitiæ expectaremus?

CAPVT XXXIII. QVI autem dicunt: *Si peccato mors ista corporis accidisset, non vtique post remissionem peccatorum quam redemptor nobis tribuit moreremur:* non intelligunt quo- Obiectio Pelagianorum.
modo res, quarum reatum ne post hanc vitam ob-
sint, Deus soluit: tamen eas ad certamen fidei sinit
manere, vt per illas erudiantur & exerceantur, profi-
cientes in agone iustitiæ. Posset enim & alius hoc non
intelligens dicere: Si propter peccatum dixit Deus Gen. 3.
homini: In sudore vultus tui edes panem tuum, & spi-
nas & tribulos pariet tibi terra: quare & post remissio-
nem peccatorum labor hic permanet, & hæc dura &
aspera parit etiam terra fidelium? Item si propter pec-
catum dictum est mulieri, In gemitu paries: cur etiam
post peccatorum remissionem feminę fideles eosdem
dolores in parturiendo patiuntur? Et tamen constat
propter peccatum quod admiserant, illos à Deo pri-
mos homines hæc audisse atque meruisse: nec resistit
his verbis diuini libri, quæ posui de labore hominis &
de parturitione mulieris, nisi qui prorsus alienus à fi-
de catholica eiusdem literis aduersatur.

CAPVT XXXIIII. VERVM quia & tales non desint, quemadmo-
dum eis hac quęstione proposita respondemus dicen- Cur remisso peccato pœna adhuc exigatur.
tes, ante remissionem esse illa supplicia peccatorum,
post remissionem autem certamina exercitationesq;
iustorum: ita & illis quos de morte corporis similiter
mouet respondere debemus, vt eam & peccato acci-
disse fateamur, & post peccatorum remissionem, vt
magnus timor eius à proficientibus superetur, ad cer-
tamen nobis relictam esse non dedignemur. Si enim
parua virtus esset fidei, quæ per dilectionem operatur,
mortis metum vincere, non esset tãta martyrum glo-
ria, nec Dominus diceret: Maiorem hac charitatem
nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amici-
1. Ioan. 3. cis suis. Quod in Epistola sua Ioannes ita dicit: Sicut
ille animam suã pro nobis posuit, sic & nos debemus
animas pro fratribus ponere. Nequaquam igitur in
morte pro iustitia subeunda vel contemnenda lauda-
retur præcipua patientia, si mortis non esset magna
multúmque dura molestia. Cuius timorem qui vincit
ex fide, magnã ipsius fidei comparat gloriam iustãm-
que mercedem. Vnde mirandum non est, & mortem
corporis non fuisse euenturam homini, nisi præcessis-
set peccatum, cuius etiam talis pœna consequeretur:
& post remissionem peccatorum eam fidelibus eue-
nire, vt in eius timore vincendo exerceretur fortitu-
do iustitiæ. Caro enim quæ primò facta est, non erat
caro peccati, in qua noluit homo inter delicias para-
disi seruare iustitiam. Vnde statuit Deus, vt post eius
peccatum propagata caro peccati, ad recipiendam iu- Ad recuperandam iustitiam peccato amissam laboribus & molestiis omnibus.
stitiam laboribus & molestiis niteretur. Propter hoc
etiam de paradiso eiectus Adam, contra Eden habi-
tauit, id est, contra sedem deliciarum: vt significaret
quòd in laboribus qui sunt deliciis contrarij, erudien-
da esset caro peccati, quæ in deliciis obedientiam non
seruauit antequam esset caro peccati. Sicut ergo illi
primi homines postea iustè viuendo, vnde meritò cre- Primi parentes saluati.
duntur per Domini sanguinem ab extremo suppli-
cio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad pa-
radisum reuocari: sic & caro peccati etiam si remissis
peccatis

peccatis homo in ea iustè vixerit; non continuò meretur eam mortem non perpeti quam traxit de propagine peccati. Tale aliquid nobis insinuatum est de patriarcha Dauid in libro Regnorum ad quem Propheta cùm missus esset, eiq; propter peccatum quod commiserat euentura mala ex iracundia Dei comminaretur, confessione peccati veniam meruit, respondente Propheta, quòd illud ei flagitium facinúsque remissum sit: & tamen consecuta sunt quæ Deus fuerat comminatus, vt sic humiliaretur à filio. Quare & hic nõ dicitur, si Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimisso peccato quod erat minatus impleuit: nisi quia rectissimè, si dictum fuerit, respondebitur remissionem illam peccati factam, ne homo à percipienda vita impediretur æterna: subsecutum verò illius comminationis effectum, vt pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur? Sic & mortem corporis propter hoc peccatum Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam iustitiam non ademit.

a. Reg. 12.

CAPVT XXXV. TENEAMVS ergo indeclinabilem fidei confessionem. Solus vnus est qui sine peccato natus est, in similitudine carnis peccati, sine peccato vixit inter aliena peccata, sine peccato mortuus est propter nostra peccata: nõ declinemus in dexteram aut in sinistram. In dexteram enim declinare, est seipsum decipere dicendo se esse sine peccato. In sinistram autem per nescio quã peruersam atque prauam securitatem se tanquam impunè dare peccatis. Vias enim quæ à dextris sunt nouit Dominus, qui solus sine peccato est, & nostra potest delere peccata: peruersæ autem sunt quæ à sinistris, amicitiæ cum peccatis. Tales etiam illi viginti annorum adolescẽtuli figuram noui populi præmiserũt, qui in terram promissionis intrarunt, qui nec in dexteram nec in sinistram dicti sunt declinasse. Nõ enim ea viginti annorum ætas cõparanda est innocẽtiæ paruulorum: sed, ni fallor, hic numerus mysticum aliquid adumbrat & resonat. Vetus enim Testamentum in quinque Moysi libris excellit, nouum autem quatuor euãgeliorum authoritate præfulget, qui numeri per se multiplicati ad vicenarium perueniunt: quater enim quini, vel quinquies quaterni, viginti sunt. Talis populus, vt prædixi, eruditus in regno cælorum per duo Testamenta vetus & nouum, non declinans in dexteram superba præsumptione iustitiæ, neque in sinistram secura delectatione peccati, in terrã illius promissionis intrabit: vbi iam peccata vlterius nec nobis donanda optemus, nec in nobis punienda timeamus, ab illo redemptore liberati, qui non venundatus sub peccato, redemit Israël ab omnibus iniquitatibus eius, siue propria cuiusque vita commissis, siue originaliter tractis.

Proverb. 4.

CAPVT XXXVI. NON enim parum diuinarum Scripturarum authoritati veritatiq; cesserunt, qui etsi noluerunt literis suis apertè exprimere, paruulis remissionem necessariam peccatorum, redemptionem tamen eis opus esse confessi sunt. Alio quippe verbo, etiam ipso de Christiana eruditione deprompto, nihil aliud omnino dixerunt. Nec dubitandum est his qui diuinas Scripturas fideliter legunt, fideliter audiunt, fideliter tenent, quod ab illa carne quæ prius voluptate peccati facta est caro peccati, deinceps per successionem transeunte in omnes proscriptione iniquitatis & mortis caro sit propagata peccati, excepta vna similitudine carnis peccati, quæ tamen non esset, nisi esset caro peccati. De anima verò, vtrum & ipsa eodem modo propagata, reatu qui ei dimittatur obstricta sit: (neque enim possumus dicere, solam carnem paruuli, non etiam animam indigere Saluatoris & redemptoris auxilio, alienamq; ab ea esse gratiarum actione quæ in Psalmis est, vbi legimus & dicimus: Benedic anima mea Do-

Psal. 102.

minũ, & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam:) an etiam non propagata, eo ipso quo carni peccati aggrauanda miscetur, iam ipsius peccati remissione & sua redemptione opus habeat, Deo per summã præscientiam iudicante, qui paruulorum ab isto reatu non mereantur absolui, etiam qui nondum nati nihil alicubi propria sua vita egerunt vel boni vel mali: & quomodo Deus etiam si nõ de traduce animas creat, non sit tamen author reatus eiusdem, propter quem redemptio sacramenti necessaria est animæ paruuli: magna quæstio est, aliámq; disputationem desiderat, eo tamen quantum arbitror moderamine temperatã, vt magis inquisitio cauta laudetur, quàm præcipitata reprehendatur assertio. Vbi enim de re obscurissima disputatur, non adiuuantibus diuinarum Scripturarũ certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in partem alteram declinando. Et si enim quodlibet horum, quemadmodum demonstrari & explicari possit, ignorem, illud tamen credo, quòd etiam hinc diuinorum eloquiorum clarissima authoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset. Habes elaboratum, vtinam tam commodum quàm prolixum pro meis viribus opus; cuius prolixitatem fortasse defenderem, nisi illud vererer facere defendendo prolixius.

In rebus obscuris ubi scriptura non adiuuant, cauenda indicandi temeritas.

LIBRI SECVNDI FINIS.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE PECCATORVM MERITIS ET REMISSIONE, ET DE BAPTISMO PARVVLORVM, AD MARCELLINVM EPISTOLA, SEV LIBER TERTIVS.

CAP. I. CHARISSIMO filio Marcellino, Augustinus Episcopus seruus Christi, seruorũque Christi in Domino salutem.

De quęstionib. quas mihi proposueras vt ad te aliquid scriberem aduersus eos qui dicunt Adam etiamsi non peccasset, fuisse moriturum, nec ex eius peccato quicquam ad eius posteros propagãdo transisse, maximè propter baptismum paruulorum quem more piissimo atq; materno vniuersa frequẽtat Ecclesia, & quòd in hac vita sint, fuerint, futuríque sint filij hominum nullum habentes omnino peccatum, iam duos prolixos absolueram libros: quibus mihi visus sum non quidem omnibus omnium occurrisse in hac causa motibus animorum, quod vel à me, vel à quoquam vtrum fieri possit, ignoro, imò fieri non posse non dubito, sed tamen egisse aliquid, quo de his rebus à maioribus traditæ fidei defensores contra nouitates eorum qui aliter sentiunt, non inermes vsquequaque consisterent. Verùm post paucissimos dies legi Pelagij quædam scripta, viri vt audio sancti, & non paruo profectu Christiani, quæ in Pauli apostoli Epistolas expositiones breuissimas continerent: atque ibi comperi cùm ad illum venisset locum vbi dicit Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrasse in mũdum, & per peccatum mortem, atque ita in omnes homines pertransisse, quandam eorum argumentationem qui negant paruulos peccatum originale gestare: quam fateor in illis tam longis voluminibus meis non refelli, quia in mente mihi omnino non venerat quenquam posse talia cogitare, vel dicere. Quapropter quoniam illi operi, quod iam

Laudat vitã Pelagij. Pelagij expositiones in epistolas Pauli. Rom. 5.

certo

certo fine concluseram, nihil addere volui, & ipsam eisdem verbis quibus eam legi, & quid mihi cõtra videatur huic epistolæ inserendam putaui.

CAPVT II. Obiectio Pelagij.

SIC ergo illa argumentatio posita est: *Hi autem*, inquit, *qui contra traducem peccati sunt, ita illam impugnare nituntur: Si Adæ, inquiunt, peccatum etiam non peccantibus nocuit; ergo & Christi iustitia etiam non credentibus prodest; quia similiter, imò & magis dicit per vnũ saluari, quàm per vnum antè perierunt.* Huic ergo, vt dixi, argumento in illis duobus libris quos ad te scripsi, nihil respondi, neque id mihi prorsus redarguendum proposui. Nunc ergo prius illud attende, quemadmodum cùm dicunt: *Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocet, ergo & Christi iustitia etiam non credentibus prodest*, absurdissimum vtique & falsissimum iudicãt, vt Christi iustitia etiam non credentibus prosit, vnde putant confici, nec primi hominis peccatum paruulis non peccantibus nocere potuisse, sicut & Christi iustitia prodesse vllis non credentibus non potest. Dicãt itaque, Christi iustitia quid baptizatis paruulis prosit. Dicant omnino quod volunt. Profectò enim si se Christianos esse memineruṇt, aliquid prodesse non ambigunt. Quodlibet igitur prosit, prodesse, sicut etiã ipsi asserunt, non credentibus non potest. Vnde cogũtur paruulos baptizatos in credentium numero deputare, & authoritati sanctæ vbique ecclesiæ consentire, quæ fidelium nomine eos non cẽset indignos, quibus iustitia Christi etiam secundum istos prodesse non nisi credentibus posset. Sicut ergo eorum per quos renascuntur, iustitiæ spiritus responsione sua traiicit in eos fidem, quam voluntate propria nõdum habere potuerunt: sic eorum per quos nascuntur, caro peccati traiicit in eos noxam quam nondum vita propria cõtraxerunt. Et sicut eos vitæ spiritus in Christo regenerat fideles, sic eos corpus mortis in Adã generauerat peccatores: illa enim carnalis generatio est, hæc spiritualis: illa facit filios carnis, hæc filios spiritus: illa filios mortis, hæc filios resurrectionis: illa filios sæculi, hæc filios Dei: illa filios iræ, hæc filios misericordiæ: ac per hoc illa peccato originali obligatos, ista omnis peccati vinculo liberatos. Postremò ad id quod intellectu perspicacissimo assequi non valemus, authoritate diuina consentire cõgamur. Bene, quod ipsi nos admonent, iustitiam Christi nisi credentibus prodesse non posse, & prodesse aliquid paruulis confitentur: vnde, vt diximus, necesse est eos baptizatos in credentium numero sine vlla tergiuersatione constituant. Cõsequenter igitur si non baptizentur, inter eos qui non credũt, erunt, ac per hoc nec vitam habebunt, sed ira Dei manet super eos: Quoniã qui non credit filio, non habebit vitã, sed ira Dei manet super eum. Et iudicati sunt, quoniam qui non credit iam iudicatus est. Et condemnabuntur, quoniam qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur. Iam nunc videant isti, qua iustitia tentent vel conentur asserere, non ad vitam æternam, sed ad iram Dei pertinere, & diuinitus iudicari atque damnari homines qui sine peccato sunt; si quemadmodum proprium, ita nullum in eis est etiam originale peccatum. Iam cæteris quæ Pelagius insinuat eos dicere, qui contra originale peccatum disputant, in illis duobus prolixi mei operis libris satis, quãtum arbitror, dilucideq; respondi. Quod & si quibusdam vel parum vel obscurum videbitur, dent veniam, & componant cum eis, qui fortasse illud non quia parum est, sed quia nimiũ, reprehendunt: & qui ea, quæ pro natura quæstionum dilucidè dicta existimo, adhuc non intelligunt, nõ mihi calumnientur pro negligentia vel pro meæ facultatis indigentia, sed Deum potius pro accipienda intelligentia deprecentur.

Argumenta contra peccatum originis, quã Pelagius in commentario suo proposuit.

1. Ioann. 5.

Ioanne 3. Marci 16.

CAPVT III. Laudat Pelagium.

VERVNTAMEN nos non negligenter oportet aduertere, istũ, sicut eum qui nouerunt loquuntur, bonum ac prædicandum virum, hanc argumentationem contra peccati propaginem, non ex propria intulisse persona, sed quid illi dicant qui eam non approbant intimasse, nec solùm hoc quod modò proposui eiq; respondi, verùmetiam cætera quibus me in illis libris iam respondisse recolui. Nam cùm dixisset: *Si Adæ, inquiunt, peccatum etiam non peccantibus nocuit, ergo & Christi iustitia etiam non credentibus prodest*: quod in iis quæ respondi cernis, quãm non solùm non expugnet quod dicimus, sed etiam nos admoneat quid dicamus: sectus adiunxit, *Deinde aiunt: Si baptismus mundat antiquum illud delictum, quã de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato: non enim potuerunt ad posteros transmittere, quod ipsi minimè habuerunt. Illud quoque accedit*, inquit, *quia si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantùm habet traducem peccati, & ipsa sola pœnam meretur: iniustum esse dicentes, vt hodie nata anima non ex massa Adæ, tam antiquum peccatum portet alienum. Dicunt etiam*, inquit, *nulla ratione concedi, vt Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena.* Videsne obsecro quemadmodum hoc totum Pelagius, non ex sua, sed ex aliorum persona indiderit scriptis suis, vsqueadeo sciens hanc nescio quam esse nouitatem, quæ contra antiquam ecclesiæ insitam opinionem sonare nunc cœperit, vt eam ipse confiteri aut verecundatus, aut veritus fuerit. Et fortè hoc ipse non sentit quòd sine peccato nascatur homo; cui fatetur necessarium esse baptismum, in quo fit remissio peccatorum: & quod sine peccato damnetur homo; quem necesse est non baptizatum in non credentibus deputari, quia vtique Scriptura euangelica fallere non potest, in qua apertissimè legitur, Qui non crediderit, condẽmnabitur: postremò quòd sine peccato imago Dei non admittatur ad regnum Dei, quoniam nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei: atque ita vel in æternam mortem sine peccato præcipitetur, vel quod est absurdius, extra regnum Dei habeat vitam æternam, cùm Dominus prędicens quid suis in fine dicturus sit: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi: manifestauerit etiam quid sit ipsum regnum quod dicebat, ita concludens: Sic ibunt illi in ambustionem æternam, iusti autem in vitam æternam. Hæc ergo & alia quæ hunc sequuntur errorem, nimium peruersa & Christianæ repugnantia veritati, credo quòd vir ille tam egregiè Christianus omnino non sentiat. Sed fieri potest, vt etiam istorum argumentis, qui contra peccati traducem sentiunt, adhuc fortasse ita moueatur, vt audire vel nosse quid contra eos dicatur, expectet: & ideo quid illi dicant qui contra peccati traducem sentiunt, nec tacere voluit, vt quæstio discutienda insinuaretur, & à persona sua remouit, ne hoc etiam ipse sentire iudicaretur.

Laudat Pelagium.

Marci 16. Ioannis 3. Math. 25.

CAPVT IIII. EGO autem & si refellere istorum argumenta non valeam, video tamen inhærendum esse iis quæ in Scripturis sunt apertissima, vt ex his reuelentur obscura: aut si mens nondum est idonea, quæ possit ea vel demonstrata cernere, vel abstrusa inuestigare, sine vlla hæsitatione credantur. Quid autem apertius tot tãtisque testimoniis diuinorum eloquiorum, quibus dilucidissimè apparet, nec præter Christi societatem ad vitam salutemque æternam posse quenquam hominum peruenire; nec diuino iudicio posse aliquẽ iniustè damnari, hoc est, ab illa vita ac salute separari? Vnde fit consequens, vt quoniam nihil agitur aliud cùm paruuli baptizantur, nisi vt incorporentur ecclesiæ, id est, Christi corpori membrisque socientur: manifestum sit eos ad damnationem nisi hoc eis collatũ fuerit, pertinere: non autẽ damnari possent si peccatũ

vtique

vtique non haberent. Hoc quia illa ætas nullum in vita propria contrahere potuit, restat intelligere, vel si hoc nõdum possumus, saltem credere, trahere paruulos originale peccatum. Ac per hoc si ambigui aliquid habent verba Apostolica, quibus dicit: Per vnũ hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, possuntque in aliam duci trãsferriq; sententiam: nunquid & illud ambiguum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei? Nũquid & illud: Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum? Nũquid etiam illud: Quia non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus: hoc est, quia non est necessarius Iesus eis qui non habent peccatum, sed eis qui saluandi sunt à peccato? Nunquid etiam illud: Quia nisi mãducauerint homines carnẽ eius, hoc est, participes facti fuerint corporis eius, non habebunt vitam? His atque huiusmodi aliis quæ nunc prætereo testimoniis diuina luce clarissimis, diuina authoritate certissimis, nónne veritas sine vlla ambiguitate proclamat, non solùm in regnũ Dei non baptizatos paruulos intrare nõ posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi corpus, cui vt incorporetur, sacramento baptismatis imbuũtur? Nónne veritas sine vlla dubitatione testatur, eos non ob aliud ad Iesum, hoc est, ad saluatorem & ad medicum Christum pius gestãtium manibus ferri, nisi vt per medicinam sacramẽtorum eius possint à peccati peste sanari? Quid ergo cunctamur Apostoli verba, de quibus fortè dubitabamus, etiã ipsa sic intelligere, vt his congruant testimoniis, de quibus dubitare non possumus? Quanquam toto ipso loco, vbi per vnius peccatũ multorum condemnationem, & per vnius iustitiam multorum iustificationem Apostolus loquitur, nihil mihi videatur ambigui, nisi quod ait, Adam formam futuri. Hoc enim reuera non solùm huic sententiæ conuenit, qua intelligitur futuros eius posteros ex eadem forma cum peccato esse generatos, sed etiam in alios & alios intellectus possunt hæc verba diduci. Nã & nos aliud inde aliquãdo diximus, & aliud fortasse dicemus, quod tamen huic intellectui non sit aduersum: & ipse Pelagius non vno modo id exposuit. Cætera verò quæ ibi dicuntur, si diligenter aduertãtur, atque tractẽtur, sicut in primo duorum illorum libro vtcunque conatus sum, etiã si subobscurũ pariunt rerum ipsarũ necessitate sermonẽ, non tamen poterũt aliũ sensũm habere, nisi per quem factũ est, vt antiquitus vniuersa ecclesia retineret, fideles paruulos originalis peccati remissionem per Christi baptismum consecutos.

Romãn. 5.
Ioannis 3.
Luce 1.
Matth. 9.
Ioannis 6.
Testis etiam infantium Iesus est. Sacramentorum medicina liberat à peste peccati.
Romãn. 5.
In commentatione huius loci.
Ostendit veteres nihil dubitasse de originali infantum peccato.

CAP. V. Cyprianus libro 3. epist. 8. ad Fidum.

Vnde non immeritò beatus Cyprianus satis ostendit, quàm hoc ab initio creditum & intellectũ seruet ecclesia: qui cùm paruulos à materno vtero recentissimos iam idoneos ad percipiendum Christi baptismũ assereret, quoniam consultus fuerat, vtrum hoc ante octauum diem fieri deberet: quantum potuit conatus est eos demõstrare perfectos; ne quis quasi pro numero dierum, quia octauo antea circuncidebantur infantes, eos adhuc perficiẽdos existimaret. Et cùm magnũ eis defensionis patrocinium præstitisset, ab originali tamen peccato eos non immunes esse cõfessus est: quia si hoc negaret, ipsius baptismi causam propter quem percipiẽdum eos defendebat, auferret. Potes ipsam epistolã memorati martyris de baptizandis paruulis legere, si volueris: neque enim potest deesse Carthagini. Verùm in hanc etiam nostram, quantum præsenti quæstioni satis visum est, pauca inde transferenda arbitratus sum, quæ prudenter attende. *Quantum verò*, inquit, *ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sunt constitutos, baptizari non oportere, & considerandum esse legem circumcisionis antiquæ, vt intra octauum diem eum qui natus est baptizandum & sanctificandum non putares; longè aliud in concilio nostro visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit; sed vniuersi potius iudicauimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cùm Dominus in Euangelio suo dicat: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare: quantum in nobis est, si fieri potuerit, nulla anima perdenda est.* Aduertisne quid dicat, quemadmodum sentiat, non tantùm carni, sed animæ quoque infantis exitiabile esse atque mortiferum sine illo salutari sacramento exire de hac vita? Vnde si iam nihil aliud diceret, intelligere nostrum fuit, sine peccato animam perire non posse. Sed vide paulo pòst defendens innocentiam paruulorum, quid tamen de illis apertissimè fateatur. *Cæterùm si homines*, inquit, *impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos & proiectos & maiores natu possent impedire peccata grauiora. Porrò autem si etiam grauissimis delictoribus & in Deum multum antè peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit: qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata?* Vides quanta fiducia ex antiqua & indubitata fidei regula vir tantus ista loquatur? qui hæc documenta certissima ideo protulit, vt illud quod erat incertum, vnde consuluerat ille cui rescribit, & vnde concilij decretum constitutum esse commemorat, vt scilicet etiam ante octauum diem ex quo die natus esset infans, eum si afferretur, baptizare nemo dubitaret, per hæc firmamenta probaretur. Neque enim hoc tunc quasi nouum aut quasi aliqua cuiusquam contradictione pulsatum, concilio statuebatur seu firmabatur, quod obstricti originali peccato tenerentur infantes: sed cũ illic alia consultatio versaretur, & disceptaretur propter legem carnalis circuncisionis, vtrum eos & ante octauum diem baptizari oporteret: ideo ei qui hoc negabat, nemo consensit, quia iam non consulendum nec disputandum, sed firmum certumque habebatur, animam saluti æternæ perituram, si hanc vitam sine illius sacramenti consecutione finiret: quãuis ab vtero recentissimi paruuli solo reatu essent peccati originalis obstricti. Quare illis etsi multo facilior, quod alienorum, sed tamen esset necessaria remissio peccatorum. His certis, illa incerta de octauo die quæstio dissoluta est, atque in concilio iudicatum, homini nato ne in æternum pereat, omni die licere succurrere: cùm etiam de ipsa carnali circuncisione ratio redderetur, quòd vmbra esset futuri: non quòd intelligeremus etiam baptismum octauo ex quo natus est homo die dari oportere; sed nos in Christi resurrectione spiritaliter circũcidi, qui tertio quidem post diem passionis, in diebus tamen hebdomadarum, quibus tempora prouoluũtur, octauo, hoc est, post sabbatum primo die à mortuis resurrexit.

Et nunc nescio cuius nouæ disputationis audacia quidam nobis facere conantur incertum, quod maiores nostri ad dissoluenda quædam, quæ nonnullis videbantur incerta, tanquam certissimum proferebant. Quando enim primitus hoc disputari cœperit, nescio. Illud tamen scio, quod sanctus Hieronymus, qui hodieque in literis Ecclesiasticis tam excellentis doctrinæ fama ac labore versatur, ad quasdam soluendas in suis libris quæstiones, etiam hoc certissimum adhibet sine vlla disceptatione documentum. Nam in eo quod in Ionam prophetam scripsit, cùm ad eum venisset locum, vbi commemorantur etiam paruuli ieiunio castigati: *Maior*, inquit, *ætas incipit, & vsque ad minorem peruenit. Nullus enim*

CAPVT VI.

Hieron. super 3. cap. Ion.

enim absque peccato; nec si vnius quidem diei fuerit vita eius, & numerabiles anni vitæ illius. Si enim stellæ mundæ non sunt in conspectu Dei, quanto magis vermis & putredo, & ij qui peccato offendentis Adam tenentur obnoxij? Hunc doctissimum virum si facilè interrogare possemus, quàm multos vtriusque linguæ diuinarum scripturarum tractatores & Christianarum disputationũ scriptores commemoraret, qui non aliud ex quo Christi ecclesia est constituta, senserunt, non aliud à maioribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt? Ego quidem quamuis longè pauciora legerim, non memini me aliud audiuisse à Christianis qui vtrunque accipiunt testamentum, non solùm in catholica ecclesia, verumetiam in qualibet hæresi vel schismate constitutis; non memini me aliud legisse apud eos quos de his rebus aliquid scribentes legere potui, qui scripturas canonicas sequerentur, vel sequi se crederent crediue voluissent. Vnde nobis hoc negocium repentè emerserit nescio. Nam ante paruum tempus à quibusdam transitorie colloquentibus, cursim mihi aures perstrictæ sunt, cùm illic apud Carthaginem essemus, *non ideo paruulos baptizari, vt remissionem accipiant peccatorum, sed vt sanctificentur in Christo.* Qua nouitate permotus, & quia opportunum non fuit, vt contrà aliquid dicerem, & non tales homines erant, de quorum essem autoritate solicitus, facilè hoc in transactis atque abolitis habui. Et ecce contra ecclesiam iam studio flammante defenditur, ecce scribendo etiam memoriæ commendatur, ecce res in hoc discriminis adducitur, vt hinc etiã à fratribus consulamur, ecce contrà disputare atque scribere cogimur.

Iob 14.
Iob 15.
Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum, paulo post initium.
1. Ioan. 2.
Esaie 53.
Ioann. 14.
2. Cor. 5.
Iacobi 3.
Iob 14.
Psal. 50.

CAPVT VII.

Ante paucos annos Romæ quidam extitit Iouinianus nomine, qui sanctimonialib. etiam ætate prouectioribus nuptias persuasisse dicitur, non illiciendo quo earum aliquam ducere vellet vxorem, sed disputando virgines sanctimoniæ dicatas, nihil amplius fidelibus coniugatis apud Deum habere meritorum. Nunquam tamen ei hoc commentum venit in mentem, vt asserere conaretur sine originali peccato nasci hominum filios. Et vtique si hoc astrueret, multo procliuiùs vellent feminæ nubere, fœtus mundissimos parituræ. Huius sanè scripta, nam & scribere ausus est, cùm fratres ad Hieronymum refellenda missent, non solùm in eis nihil tale comperit, verumetiam ad quædam eius vana refutanda hoc tanquam certissimum de hominis originali peccato, vnde vtiq; nec ipsum dubitare credebat, inter multa sua documenta deprompsit. Id agentis hæc verba sunt: *Qui dicit se*, inquit, *in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Eligat aduersarius è duobus quod vult, optionem ei damus. Manet in Christo, an non manet? Si manet, ita ergo ambulet vt Christus: Si autem temerarium est similitudinem virtutum Domini polliceri, non manet in Christo, quia non ingreditur vt Christus. Ille peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius, qui cùm maledicereturnon remaledixit, & tanquam agnus coram tondente, sic non aperuit os suum, ad quem venit princeps mundi istius, & inuenit in eo nihil: qui cùm peccatum non fecisset, pro nobis peccatum eum fecit Deus. Nos autem iuxta epistolam Iacobi, multa peccamus omnes, & nemo mundus à peccatis, nec si vnius quidem diei fuerit vita eius. Quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut quis confidet mũdum se esse à peccatis? Tenemurq; rei in similitudinem præuaricationis Adam. Vnde & Dauid: Ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea.* Hæc non ideo commemorauí, quòd disputatorũ quorumlibet sententiis tanquam canonica autoritate nitamur, sed vt appareat ab initio vsque ad præsens tẽpus quo ista nouitas orta est, hoc de originali peccato apud ecclesiæ fidẽ tanta constantia custoditum, vt ab eis qui Dominica tractarent eloquia, magis certissimũ proferretur ad alia falsa refutanda, quàm id tanquam falsum refutari ab aliquo tentaretur. Cæterum in sanctis canonicis libris viget huius sententiæ clarissima & plenissima autoritas, clamat Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Vnde nec illud liquidè dici potest, quod peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cùm Scriptura dicat, in quo omnes peccauerunt. Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tãquam omnino ad paruulos non pertineãt: siquidem in Adam omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura illa insita in qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille vnus fuerunt: sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quicquid erat in futura propagine, vita vnius hominis continebat.

Romãn. 5.
Peccatum originale quomodo alienum. Omnes in Adam vnus homo fuimus.

CAPVT VIII.

Nvlla, inquiunt, *ratione conceditur, vt Deus qui propria peccata remittit, imputet aliena.* Remittit, sed spiritu regeneratis, non carne generatis. Imputat verò nõ iam aliena, sed propria. Aliena quippe erant, quãdo hi qui ea propagata portarent, nondum erant: nunc verò carnali generatione iam eorum sunt, quibus nondum spiritali regeneratione dimissa sunt. *Sed si baptismus*, inquiunt, *mundat antiquum illud delictum; qui de duobus baptizatis nati fuerint, debent hoc carere peccato. Non enim potuerunt ad posteros trãsmittere, quod ipsi minimè habuerunt.* Ecce vnde plerunque conualescit error, cùm homines idonei sunt his rebus interrogandis, quibus intelligẽdis non sunt idonei. Cui enim auditori, vel quibus explicem verbis, quomodo mortalia vitiosa primordia non obsint eis, qui aliis primordiis immortalibus inchoati sunt: & tamen obsint eis, quos eidẽ ipsi, quibus iam non obsunt, ex eisdem vitiosis primordiis generauerint: quomodo id intelligat homo cuius tardiusculam mentem impedit & suæ sententiæ præiudicium, & peruicaciæ grauissimę vinculum? Veruntamen si aduersus eos mihi esset causa ista suscepta, qui omnino paruulos baptizari prohiberẽt, aut superfluo baptizari contenderent, dicentes eos ex fidelibus natos, parentum meritum necessariò consequi: tunc deberem ad hanc opinionem cõuincendam laboriosiùs fortassis & operosiùs excitari. Tunc si mihi apud obtusos & cõtentiosos propter rerum naturæ obscuritatem difficultas refellendi falsa, & persuadendi vera resisteret, ad hæc fortè quæ in vsu atque in promptu essent exempla confugerem: vicissimque interrogarem, vt quia eos moueret, quomodo peccatum quod mundatur per baptismum, maneat in eis quos genuerint baptizati: ipsi explicarent, quomodo præputium quod per circuncisionem aufertur, maneat in eis quos genuerint circuncisi, quomodo etiam palea quæ opere humano tanta diligentia separatur, maneat in fructu qui de purgato tritico nascitur.

Similitudo à præputio circuncisorum, & palea purgati frumenti petita.

CAPVT IX.

His & talibus forsitan vtcunque conarer exẽplis persuadere hominibus, qui mundationis sacramenta superfluò filiis mundatorum crederẽt adhiberi, quàm recto consilio baptizatorum paruuli baptizentur: quãquam fieri possit vt homini habenti vtrunque semen, & mortis in carne, & immortalitatis in spiritu, non obsit regenerato per spiritum, quod obest eius filio generato per carnem: sitque in isto remissione mundatum, quod sit etiam in illo simili remissione, velut circuncisione, velut trituratione ac ventilatione mundandum. Nunc verò, quandoquidem cum eis agimus, qui confitentur baptizatorum filios baptizandos, quanto meliùs sic agimus, vt dicamus: vos qui asseritis de hominibus à peccati labe mũdatis sine peccato nasci filios debuisse, cur non attenditis eo modo vobis posse dici, de Christianis parentibus Christianos nasci filios debuisse? Cur ergo eos Christianos fieri debere censetis? Nunquid in eorum parentibus corpus

1.Cor.6. corpus Christianum non erat, quibus dictum est: Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? An forte corpus quidem Christianum de Christianis parentibus natum est, sed non Christianam animam accepit? Hoc verò multo est mirabilius: namque vtrumlibet de anima sentiatis, quia profectò cum Apostolo non eam creditis antequam nasceretur aliquid egisse boni aut mali: aut de traduce attracta est, & similiter vt corpus de Christianis Christianum, sic anima etiã Christiana esse debuit: aut à Christo creata, vel in Christiano corpore, vel propter Christianum corpus Christiana debuit seu creari seu mitti. Nisi forte dicetis Christianos homines Christianum corpus gignere potuisse, & ipsum Christum animam Christianam non potuisse procreare. Cedite itaque veritati, & videte quia sicut fieri potuit, quod & vos fatemini, vt de Christianis non Christianus, de membris Christi nõ membrum Christi: atque vt occurramus etiam omnibus, qui licet falsò, tamen quocunque religionis nomine detinentur, de consecratis non consecratus, ita etiam fieri vt de mundatis non mundatus nascatur. Quid respondebitis, quare de Christianis non Christianus nascatur, nisi quia non facit generatio, sed regeneratio Christianos? Hanc igitur vobis reddite rationem, quia similiter à peccatis nemo nascendo, sed omnes renascendo mundantur. Ac per hoc de hominibus ideo mundatis, quoniam renatis, homo qui nascitur renascitur, vt etiam ipse mundetur. Potuerunt enim parentes ad posteros transmittere, quod ipsi minimè habuerunt: non solùm sicut frumenta paleam, & præputium circuncisus: sed etiam quod & vos dicitis fideles infidelitatem in posteros traiiciunt, quod non est iam illorum per spiritum regeneratorum, sed quo in carne generati sunt, mortalis seminis vitium. Nam vtique quos paruulos per sacramentum fidelium fideles faciendos esse iudicatis, infideles natos ex parentibus fidelibus non negatis.

CAP. X. Anima nuus ex traduce. AT enim *si anima non est ex traduce, sed sola caro, ipsa tantùm habet traducem peccati, & ipsa sola pœnam meretur:* hoc enim sentiunt *iniustum esse dicentes, vt hodie nata anima non ex massa Adæ tam antiquum peccatum portet alienum:* attende obsecro te quemadmodum circumspectus vir Pelagius, nam ex eius libro hæc quæ modò posui verba transcripsi, sensit quàm in difficili de anima quæstione versetur. Non enim ait, quia anima non est ex traduce: sed, *si anima non est ex traduce:* rectissimè faciens de re tam obscura, de qua nulla in scripturis sanctis certa & aperta testimonia possumus inuenire, aut difficillimè possumus, cunctanter loqui potius quàm fidenter. Quapropter ego quoque huic propositioni non præcipiti assertione respondeo. Si anima non est ex traduce, ergo quæ ista iustitia est, vt recens creata & ab omni delicto prorsus immunis, ab omni peccati contagione penitus libera, passiones carnis diuersosque cruciatus, & quod est horribilius, etiã dæmonũ incursus in paruulis sustinere cogatur? Neq; enim aliquid horum caro sic patitur, vt non ibi anima potius quæ viuit ac sentit, pœnas luat. Hoc enim si iustum ostẽditur, sic etiam ostendi potest qua iustitia in carne quoque peccati subeat originale peccatũ, baptismatis sacramẽto & gratiæ miseratione mundandũ. Si autẽ illud ostendi non potest, neq; hoc posse arbitror. Aut ergo vtrunq; occultũ feramus, & nos homines esse meminerimus, aut aliàs aliud de anima opus si necesse videbitur, cautela sobria disputando moliamur.

Pelagium laudat.

CAPVT XI. Romans.5. NVNC tamen illud quod ait Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt: sic accipiamus, ne tot tantisque apertissimis diuinarum scripturarum testimoniis, quibus docemur præter Christi societatem quæ in illo & cum illo fit, cùm sacramentis eius imbuimur, & eius membris incorporamur, vitam salutemque æternam adipisci neminem posse, nimis insipienter atque infeliciter repugnare iudicemur. Neque enim alio sensu dictum est ad Romanos: Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, atq; ita in omnes homines pertransiit: quàm illo quo dictũ est ad Corinthios: Per hominem mors, & per hominẽ resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabũtur. Nemo quippe ambigit hoc ibi de corporis morte dictũ, quoniam de resurrectione corporis magna Apostoli intentione quæstio versabatur, & ideo videtur ibi de peccato tacuisse, quia non erat quæstio de iustitia. Hic autem ad Romanos vtrunque posuit, & vtrunq; diutissimè commendauit, peccatum in Adam, iustitiam in Christo, & mortem in Adam, vitam in Christo: quę omnia verba sermonis Apostolici quantum potui satisq; visum est, in primo, vt iam dixi, duorum illorum libro perscrutatus aperui. Quãquam ibi etiam ad Corinthios locum ipsum de resurrectione diu tractatum sic in fine cõclusserit, vt nos dubitare non sineret, mortem quoque corporis merito accidisse peccati: cùm enim dixisset: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cùm autem corruptibile hoc indutum fuerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatẽ, tunc fiet, inquit, sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriam. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors aculeus tuus? Deinde subiecit: Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati lex. Quia ergo sicut Apostoli apertissima verba declarant, eo absorbebitur mors in victoriam, quo corruptibile & mortale hoc induet incorruptionem & immortalitatem, id est, quo viuificabit Deus & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum eius in nobis: manifestum est & huius mortis corporis, quæ resurrectioni carnis contraria est, aculeũ fuisse peccatum: aculeum autẽ quo mors facta est, non quẽ mors fecit: peccato enim morimur, non morte peccamus. Sic itaque dictum est, aculeus mortis, quomodo lignum vitæ, non quod hominis vita faceret; sed quo vita hominis fieret: & quomodo lignum scientiæ, per quod scientia fieret hominis, non quod per suam scientiam fecerit homo. Sic ergo & aculeus mortis, quo mors facta est, non quem mors fecerit. Sic enim dicimus & poculũ mortis, quo aliquis mortuus sit, vel mori possit, non quod moriens mortuusue confecerit. Aculeus itaque mortis peccatum est, peccati punctu mortificatum est genus humanum. Quid adhuc quærimus cuius mortis, vtrum animæ an corporis? Vtrũ primæ qua nunc omnes morimur, an secũdæ qua tunc impij moriẽtur? Nulla causa est exagitãdi quæstionẽ, nullus tergiuersandi locus, Apostoli verba quibus id agebat, interrogata respondẽt: Cùm mortale hoc, inquit, induerit immortalitatem, tũc fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriã. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autẽ mortis est peccatũ, virtus verò peccati lex. De resurrectione corporis agebat, qua absorbẽbitur mors in victoriã, cùm mortale hoc induerit immortalitatẽ. Tunc ipsi morti insultabitur, quę in victoriã resurrectionis corporis absorbebitur. Tunc ei dicetur, vbi est mors victoria tua? vbi est mors aculeus tuus? Morti ergo corporis hoc dicetur. Hãc enim absorbebit victoriosa immortalitas, cùm mortale hoc immortalitatẽm induetur: Morti, inquam, corporis tunc dicetur, vbi est mors victoria tua, qua hic omnes sic viceras, vt etiam Dei filius tecum confligeret, teq; non vitando, sed suscipiendo superaret? Vicisti in morientibus, victa es in resurgentibus. Victoria tua qua absorbueras corpora morientium, temporalis fuit: victo-

1.Cor.15.

Aculeus mortis quis.

1.Cor.15.

victoria nostra qua in corporibus absorpta es resurgentium, æterna constabit. Vbi est aculeus tuus? hoc est, peccatum, quo puncti & venenati sumus, vt etiam in nostris corporibus fieres, & ea tam lõgo tempore possideres? Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati lex. Peccauimus in vno omnes, vt moreremur in vno omnes; accepimus legem, non vt emendatione finiremus peccatum, sed vt transgressione augeremus. Lex enim subintrauit vt abundaret peccatum, & conclusit Scriptura omnia sub peccato. Sed Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum, vt vbi abũdauit peccatum, superabundaret & gratia, atque vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus, & vinceremus mortem per immortalem resurrectionem, & aculeum eius peccatum per gratuitam iustificationem.

Rom.5. Galat.3. 1.Cor.15.

CAPVT XII. NEMO itaque de hac re fallatur & fallat. Omnes adimit atque aufert iste sanctæ scripturæ sensus manifestus ambages. Quemadmodum ab origine trahitur mors in corpore mortis huius; sic ab origine tractũ est & peccatum in hac carne peccati; propter quod sanandum, & propagine attractum, & voluntate auctum, atque ad ipsam carnem resuscitandam, medicus venit in similitudine carnis peccati, qui non est opus sanis, sed ægrotantibus, nec venit vocare iustos, sed peccatores. Proinde quod ait Apostolus cùm fideles moneret vt se ab infidelibus coniugibus non disiungerent: Sanctificatus est enim vir infidelis in vxore, & sanctificata est mulier infidelis in fratre, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt: aut sic est accipiendum, quemadmodũ & nos alibi, & Pelagius cùm eandem ad Corinthios epistolam tractaret, exposuit, quod exempla iam præcesserant & virorum quos vxores, & feminarum quas mariti lucrifecerant Christo, & paruulorum ad quos faciẽdos Christianos voluntas Christiana etiam vnius parentis euicerat: aut si, quod magis verba Apostoli videntur sonare & quodammodo cogere, aliqua illic intelligẽda est sanctificatio, qua sanctificabantur vir & mulier infidelis in coniuge fideli, & qua sancti nascebantur filij fidelium, siue quia in menstruo cruore mulieris, à concubitu continebat, quicũque vir vel femina id in lege didicerat: nam hoc Ezechiel inter illa præcepta ponit quæ non figuratè accipienda sunt; siue propter aliam quamlibet, quę ibi apertè posita non est, ex ipsa necessitudine coniugiorum atque filiorum sanctitatis asperginem: illud tamẽ sine dubitatione tenẽdum est, quæcunque illa sanctificatio sit, non valere ad Christianos faciendos, atque ad dimittenda peccata, nisi Christiana & ecclesiastica institutione & sacramentis efficiantur fideles. Nam nec coniuges infideles quamlibet sanctis & iustis coniugibus hæreant, ab iniquitate mundantur, quæ à regno Dei separatos in damnationem venire compellit: nec paruuli de quibuslibet sanctis iustisque procreati, originalis peccati reatu absoluuntur, nisi in Christo fuerint baptizati; pro quibus tanto impẽsius loqui debemus, quanto pro seipsis minus possunt.

Ezech.18. Præceptum de menstruata muliere non attingenda, non est figurate accipiendum. Supra lib.2. cap.12.

Sacramentorum necessitate.

CAPVT XIII. Epilogus. ID enim agit illa disputatio, contra cuius nouitatẽ antiqua veritate nitendum est, vt infantes omnino superfluò baptizari videantur. Sed apertè hoc non dicitur, ne tam firmata salubriter ecclesiæ cõsuetudo violatores suos ferre non possit. Sed si pupillis opem ferre præcipimur, quanto magis pro istis laborare debemus, qui destitutiores & miseriores pupillis etiam sub parentibus remanebunt, si eis Christi gratia denegabitur, quam per se ipsi flagitare non possunt. Illud autẽ quod dicunt, sine vllo peccato aliquos homines iam ratione propriæ voluntatis vtentes, in hoc sæculo vixisse vel viuere, optandum est vt fiat, conandum est vt fiat, supplicandum est vt fiat, non tamen quasi factum fuerit confitendum: hoc enim optantibus & conantibus & digna supplicatione deprecãtibus quicquid remãserit peccatorum, per hoc quotidie soluitur, quod veraciter in illa oratione dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quam orationem quisquis cuilibet etiã homini sancto & Dei voluntatẽ scienti atque facienti, præter vnum sanctum sanctorum dicit in hac vita necessariã non fuisse, multum errat, nec potest omnino illi ipsi placere quem laudat: si autem seipsum talem putat, ipse se decipit, & veritas in eo nõ est; non ob aliud, nisi quia falsum putat. Nouit ergo ille medicus qui nõ est opus sanis, sed ægrotantibus, quemadmodum nos curando perficiat in æternam salutem: qui & ipsam mortem, quamuis peccati merito inflicta sit, non aufert in hoc sæculo eis, quib. peccata dimittit, vt etiã cũ eius timore superando suscipiant pro fidei synceritate certamen: & in quibusdam iustos suos, quoniam adhuc extolli possunt, non adiuuat ad perficiẽdam iustitiam, vt dum non iustificatur in conspectu eius omnis viuens, actionem gratiarum semper indulgentiæ ipsius debeamus, & sic ab illa prima causa omniũ vitiorum, hoc est, à tumore superbiæ sancta humilitate sanemur. Hanc epistolam dum disputatio magna breuem parturit, liber prolixus est natus, vtinam tam perfectus quàm tandem aliquando finitus.

Sollicitos esse oportet vt baptizentur infantes.

Matth.6.

1.Ioan.1.

al. eius timorem fit perando

Psal.142.

LIBRI TERTII FINIS.

AD LECTOREM.

Hic sequi debebat liber DE SPIRITV ET LITERA, *qui extra ordinem suum temere in tertium tomum reiectus erat: verùm quia typographus ea de re serius admonitus fuit, tertio iam tomo excuso, non potuimus locum ei suum restituere.*

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
LIBER DE NATVRA ET GRATIA, AD TIMASIVM ET IACOBVM CONTRA PELAGIANOS.

Ex Retract. lib. 2. cap. 42.

VENIT *etiam tunc in manus meas quidam Pelagij liber, vbi hominis naturam contra Dei gratiam qua iustificatur impius, & qua Christiani sumus quanta potuit argumentatione defendit. Librum ergo quo huic respondi defendens gratiam, non contra natram, sed per quam natura liberatur & regitur; De natura & gratia nuncupaui. †In quo verba quædam quæ velut Sixti Romani episcopi & martyris Pelagius posuit, ita defendi tanquam reuera eiusdem Sixti essent, id enim putaueram: sed postea legi Xixti philosophi esse, non Sixti Christiani. Hic liber sic incipit: Librum quem misistis.*

Cap. 64.

CAPVT I. Iustitia Dei quæ.

LIBRVM quem misistis, charissimi filij Timasi & Iacobe, intermissis paululum quæ in manibus erant, cursim quidem, sed non mediocri intentione perlegi; & vidi hominẽ zelo ardentissimo accensum aduersus eos, qui cùm in suis peccatis humanam voluntatem debeant accusare, naturam potius accusantes hominum, per illam se excusare conãtur. Nimis exarsit aduersus hanc pestilentiam, quam etiam literarum sæcularium authores grauiter arguerunt exclamantes: *Falso queritur de natura sua genus humanum.* Hanc etiam prorsus iste sentẽtiam quantis potuit ingenij viribus aggerauit. Veruntamen timeo ne illis potius suffragetur qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam: Ignorantes enim Dei iustitiam & suã volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Quæ sit autem iustitia Dei de qua hîc loquitur, consequenter aperit adiungens, Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Hanc itaq; iustitiam Dei, non in præcepto legis, quo timor incutitur, sed in adiutorio gratiæ Christi, ad quam solam vtiliter legis velut pædagogi timor ducit, constitutam esse, qui intelligit, ipse intelligit quare sit Christianus. Nam si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est: si autem non gratis mortuus est, in illo solo iustificatur impius, cui credenti in eum qui iustificat impium, deputatur fides ad iustitiã. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per sanguinẽ ipsius. Quicunque autem non putantur pertinere ad hos omnes, qui peccauerunt & egent gloria Dei, profectò nullam necessitatem habent vt Christiani fiant, quia non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus: vnde nõ venit ille vocare iustos, sed peccatores.

Salustius in prologo iugurtino.

Rom. 10.

Galat. 3.

Galat. 2.

Rom. 4.

Rom. 3.

Matth. 9.

CAPVT II.

Ac per hoc natura humani generis ex illius vnius præuaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque iustitiam, de præmio debet esse secura, hoc est, de vita æterna, etiam si in aliqua gente aut aliquo superiore tempore fides eam latuit sanguinis Christi. Non enim iniustus Deus qui iustos fraudet mercede iustitiæ, si eis non est annunciatum sacramentum diuinitatis & humanitatis Christi, quod manifestatum est in carne: Quomodo enim crederent quod non audierunt: aut quomodo audirent sine prædicante? Fides enim ex auditu, sicut scriptum est, auditus autem per verbum Christi. Sed dico, inquit, Nunquid non audierunt? In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed antequam hoc inciperet fieri, antequam denique vsque ad fines totius orbis terræ prædicatio ipsã peruenirat, quoniam non desunt adhuc vltimæ gentes, licet vt perhibetur paucissimæ, quibus hoc nondum fuerit prædicatum; quid faciet humana natura, vel quid fecit, quæ vel antè non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum; nisi credendo in Deum, qui fecit cælum & terram, à quo & se factã naturaliter sentit, & rectè viuendo eius impleat voluntatem, nulla fide passionis Christi, & resurrectionis imbuta? Quod si fieri potuit aut potest, hoc & ego dico quod de lege dixit Apostolus: Ergo Christus gratis mortuus est. Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens vna Iudæorum; quanto iustius dicitur de lege naturæ, quam accepit vniuersum genus humanum? Si per naturam iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura iustificari & redimi ab ira Dei iustissima, hoc est vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi.

Rom. 10.

Psal. 18.

Parit adhuc nonnulli Pelagij.

Galat. 2. Nec per legẽ, nec per naturam iustitia.

CAPVT III. Natura sane condita, peccato est postea corrupta.

NATVRA quippe hominis primitus inculpata, & sine vllo vitio creata est: natura verò ista hominis qua vnusquisque ex Adam nascitur, iam medico indiget, quia sana non est. Omnia quidem bona quæ habet in formatione, vita, sensibus, mente, à summo Deo habet creatore & artifice suo. Vitium verò, quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat, vt illuminatione & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod cõmissum est libero arbitrio. Ac per hoc natura pœnalis ad vindictam iustissimam pertinet. Si enim iam sumus in Christo noua creatura, tamen eramus natura filij iræ sicut & cæteri: Deus autem qui diues est in misericordia, propter multam dilectionem qua dilexit nos, & cùm essemus mortui delictis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia sumus salui facti.

Natura pœnalis vindicta peccati.

2. Cor. 5.

Ephes. 2.

CAPVT IIII. Nemo iustus ex se.

HAEC autem Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salui fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Iustificati, inquit, gratis per sanguinem ipsius. Vnde hi qui non per illam liberantur, siue quia audire nondum potuerunt, siue quia obedire noluerunt, siue etiam cùm per ætatem audire non possent, lauacrum regenerationis quod accipere possent, per quod salui fierent non acceperunt, iustè vtique damnantur: quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerũt, vel quod malis moribus addiderunt, Omnes enim peccauerunt, siue in Adam, siue in semetipsis, & egent gloria Dei.

Rom. 3. & 11.

Rom. 3.

CAP. V. Iustitia erat damnari omnes.

VNIVERSA igitur massa pœnas debet: & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, nõ iniustè proculdubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur. Cuius misericordiæ, nisi illius qui Christum Iesum misit in hunc mũdum peccatores saluos facere, quos præsciuit & prædestinauit & vocauit & iustificauit & glorificauit? Quis igitur vsqueadeo dementissimè insaniat, vt non agat ineffabiles gratias misericordiæ, quos voluit liberantis; qui rectè nullo modo posset culpare iustitiam vniuersos omnino damnantis?

Ioannis 3.

Roman. 5.

1. Timoth. 2.

Rom. 2.

Hoc

CAPVT VI.

Hoc si secundum Scripturas sapiamus, non cogimur contra Christianam gratiam disputare, & ea dicere quibus demonstrare conemur naturam humanã, neque in paruulis medico indigere quia sana est, & in maioribus sibi ipsam ad iustitiam si velit posse sufficere. Acutè quippe videntur hæc dici, sed in sapiẽtia verbi, qua euacuatur crux Christi. Non est ista desursum sapientia descendens. Nolo quod sequitur dicere, ne amicis nostris quorum fortissima & celerrima ingenia non in peruersum, sed in directum currere volumus, facere existimemur iniuriam.

1. Cor. 1. Iac. 3.

CAPVT VII. Aggreditur libelli Pelagij refutationem.

QVANTO igitur zelo accensus est libri huius quẽ misistis, conditor, aduersus eos qui peccatis suis patrocinium de naturæ humanæ infirmitate perquirũt; tanto & multo ardentiore zelo nos oportet accendi, ne euacuetur crux Christi. Euacuatur autẽ, si aliquo modo præter illius sacramentum ad iustitiam vitamque æternam peruenirì posse dicatur: quod in libro isto agitur, nolo dicere ab sciẽte (ne illum qui eum scripsit, ne Christianum quidem habendũ iudicem) sed quod magis credo à nesciente, magnis sanè viribus; sed eas sanas volo, non quales phrenetici habere consuerunt. Nam prius distinguit, *aliud esse quærere, an possit aliquid esse quod ad solam possibilitatem pertinet: aliud, vtrum ne sit.* Hanc distinctionem veram esse nemo ambigit. cõsequens enim est, vt quod est, esse potuerit: non est autem consequens, vt quod esse potest, etiam sit. Quia enim Dominus Lazarum suscitauit, sine dubio potuit: quia verò Iudam non suscitauit, nunquid dicendum est, non potuit? Potuit ergo, sed noluit. Nam si voluisset, eadem etiã hoc potestate fecisset, quia & filius quos vult viuificat. Sed hac distinctione vera atq; manifesta, quò tendat, & quid efficere conetur aduertite, *Nos*, inquit, *de sola possibilitate tractamus; de qua nisi quid certum constiterit, transgredi ad aliud grauissimum esse, atque extra ordinem ducimus.* Hoc versat multis modis & sermone diuturno, ne quis cum aliud, quàm de non peccandi possibilitate quærere existimet. Vnde inter multa quibus id agit, etiam hoc dicit, *Idem iterũ repeto, Ego dico posse esse hominem sine peccato: tu quid dicis? non posse esse hominem sine peccato? Neque ego dico*, inquit, *hominem esse sine peccato: neque tu dicis non esse hominem sine peccato. De posse & non posse, non de esse & non esse contendimus.* Deinde nonnulla eorum, quæ aduersus eos de Scripturis proferri solent, ad istam quæstionem non pertinere, in qua quæritur, possitne an non possit homo esse sine peccato, ita commemorat, *Nam nullus*, inquit, *mundus est à sorde: & non est homo qui non peccet: & non est iustus in terra: & non est qui faciat bonum: & cætera his similia*, inquit, *ad non esse, non ad non posse proficiunt. Huiusmodi enim exemplis ostenditur, quales homines quidam tempore aliquo fuerint; non quod aliud esse non potuerint, vnde & iure inueniũtur esse culpabiles. Nam si idcirco tales fuerunt, quia aliud esse non potuerunt, culpa carent.*

Iob 14. 70. 2. Reg. 8.

CAPVT VIII. Damnantur & ij qui iustificari non potuerunt.

VIDETE quid dixerit. Ego autem dico paruulum natum in eo loco vbi ei non potuit per Christi baptismum subueniri, morte præuentum, idcirco talẽ fuisse, id est, sine lauacro regenerationis exisse, quia esse aliud non potuit. Absoluat ergo eum, & aperiat ei cõtra sententiam Domini regnum cælorum. Sed non eũ absoluit Apostolus qui ait, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Rectè ergo ea damnatione, quæ per vniuersam massam currit, non admittitur in regnum cælorum, quamuis Christianus non solùm non fuerit, sed nec esse potuerit.

CAPVT IX.

SED *non damnatur*, inquiunt, *quia in Adam peccasse omnes, non propter peccatum nascendi origine attractum sed propter imitationem, dictum est.* Si ergo ideo dicitur Adam author omnium, qui subsecuti sunt, peccatorum, quia primus peccator in hominibus fuit: cur non potius Abel, quàm Christus ponitur caput omnium iustorum, quia primus in hominibus iustus fuit? Sed de infante non loquor. Iuuenis vel senex in ea regione defunctus est, vbi non potuit Christi nomen audire: potuit fieri iustus per naturam & liberum arbitriũ, an non potuit? Si potuisse dicunt, Ecce quod est, crucẽ Christi euacuare, sine illa quẽquam per naturalem legem & voluntatis arbitrium iustificari posse contendere: dicamus & hîc, Ergo Christus gratis mortuus est: hoc enim omnes possent, etiam si mortuus ille non esset: & si iniusti essent, quia vellent, essent; non quia iusti esse non possent. Si autem sine Christi gratia iustificari omnino potuit, etiam istum si audet absoluat secundum verba sua: quia *si idcirco talis fuit, quòd aliud esse non potuit, culpa caruit.*

Genes. 4. Hebr. 11.

Gal. 2.

CAP. X.

SED obiicit sibi quasi ab alio dictum, & ait, *Potest quidem esse, sed per gratiam Dei*, inquies. Deinde velut respondendo subiungit, *Ago humanitati tuæ gratias, quòd assertionem meam quam dudum oppugnabas, non modò non oppugnare, aut confiteri solùm contentus non es; verumetiam non refugis comprobare. Nam dicere potest quidem, sed per illud aut illud; quid aliud est, quàm non solùm consentire quod possit esse; verumetiam quomodo vel qualiter possit, ostendere? Nullus itaque magis alicuius rei possibilitatem probat, quàm qui eius etiam qualitatem fatetur, quia neque absque re esse qualitas potest.* His dictis iterum sibi obiicit, *Sed tu*, inquies, *hoc in loco Dei gratiam quandoquidẽ eam non commemoras, videris abnuere.* Deinde respõdet, *Egóne abnuo, qui rem confitendo, cõfitear necesse est & per quod res effici potest: an tu qui rem negando, & quicquid illud est per quod res efficitur proculdubio negas?* Oblitus est iam se illi respondere, qui rem non negat, cuius obiectionem paulò antè proposuerat dicentis, *Potest quidem esse, sed per gratiam Dei.* Quomodo ergo illam pro qua iste multum laborat possibilitatem negat, qui ei iam dicit, *potest esse, sed per Dei gratiam?* Verũtamen quia isto dimisso qui rem iam confitetur, agit adhuc aduersus eos, qui negant esse possibile hominem esse sine peccato, quid ad nos? Contra quos vult agat, dum tamen hoc confiteatur, quod impietate sceleratissima negatur, sine gratia Dei, hominem sine peccato esse non posse. Dicit ergo, *Siue per gratiã, siue per adiutorium, siue per misericordiam, & quicquid illud est per quod esse homo absque peccato potest, confitetur, quisquis rem ipsam confitetur.*

CAPVT XI.

FATEOR dilectioni vestræ, cùm ista legerem, lætitia repentè perfusus sum, quòd Dei gratiam non negaret, per quam solã homo iustificari potest: hoc enim in disputationib. talium maximè detestor, & horreo. Sed pergens legere cætera, primo ex datis similitudinibus cœpi habere suspectum. Ait enim, *Nam si dixero, homo disputare potest, auis volare, lepus currere; & non etiam per quæ hæc effici possunt commemorauero, id est, linguam, alas, pedes, num ego officiorum qualitates negaui, qui officia ipsa confessus sum?* †Videtur certè hæc cum commemorasse, quæ natura valent: creata sunt enim hæc membra huiusmodi naturis lingua, alæ, pedes: non tale aliquid posuit, quale de gratia intelligi volumus, sine qua homo non iustificatur, vbi de sanandis, non de instituendis naturis agitur. Hinc iam ergo solicitus cœpi legere cætera, & me non falsò comperi suspicatum.

for. Videtis

De gratia id disputatur, non de ea quæ ad naturæ pertinet institutionem, sed reparationem.

Quo priusquam veniam, videte quid dixerit, cùm tractaret quæstionem de differentia peccatorum, & obiiceret sibi, quod quidam dicunt *leuia quædam peccata ipsa multitudine, quòd sæpe irruant, non posse cuncta vitari: negauit debere argui ne leui quidem correptione, si vitari omnino non possunt:* Scripturas vtique non aduertens noui Testamenti, vbi dicimus hanc esse intentionem legis arguentis, vt propter illa quæ perperã fiunt

CAPVT XII.

Scopus intentum legis.

confu-

confugiatur ad gratiam Domini miserantis, velut pædagogo concludente in eadem fide, quæ postea reuelata est, vbi & remittantur quæ malè fiunt, & eadem gratia iuuante non fiant. Proficientium est enim via, quamuis bene proficientes dicantur perfecti viatores. Illa est autem summa perfectio cui nihil addatur, cùm id quò tenditur, cœperit possideri.

Perfecti viatores.

CAPVT XIII. IAM verò illud quod ei dicitur, *Ipse tu sine peccato es?* reuera non pertinet ad eam rẽ de qua vertitur quæstio. Sed quod dicit *negligentiæ suæ potius imputari, quod non est sine peccato:* bene quidem dicit; sed dignetur inde & orare Deum, ne illi hæc iniqua negligentia dominetur. Quem rogabat quidam quando dicebat, Itinera mea dirige secundum verbum tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas: ne dum suæ diligentiæ quasi propriis viribus fidit, neque hîc ad veram iustitiam, neque illic, vbi sine dubio perfecta desideranda est & speranda, perueniat.

Psal. 118.

CAPVT XIIII. Non omnia scripta sunt. ET illud quod ei à quibusdam dicitur, *nusquam esse scriptum his omnino verbis, posse esse hominem sine peccato,* facilè refellit, *quia non est ibi quæstio, quibus verbis dicatur quæq; sententia.* Nõ tamen fortasse sine causa, cùm aliquotiens in Scripturis inueniatur homines dictos esse sine querela; non inuenitur qui sit dictus sine peccato, nisi vnus solus de quo apertè dictum est: Eum qui non nouerat peccatum. Et eo loco vbi de sacerdotib⁹ agebatur, Etenim expertus est omnia, secundum similitudinem absque peccato: in illa scilicet carne, quæ habebat similitudinem carnis peccati, quamuis non esset caro peccati. Quam tamen similitudinem non haberet, nisi cætera omnis esset caro peccati. Iam illud quomodo accipiendum sit, *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, & non potest peccare, quia semen eius in ipso manet:* cùm ipse apostolus Ioannes quasi non sit natus ex Deo, aut eis loqueretur, qui nondum nati essent ex Deo, apertè posuerit, Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est: in libris quos de hac re ad Marcellinum scripsi, sicut potui, explicare curaui. Et illud quod dictum est, non potest peccare: pro eo dictum esse, ac si diceretur, non debet peccare: non improbanda mihi videtur huius assertio. Quis enim insanus dicat debere peccari, cùm ideo sit peccatum quia nõ debet fieri?

2 Cor. 5. Hebr. 4. 1. Ioan. 3. 1. Ioan. 1. Lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 3.

SANE quod apostolus Iacobus ait, *Linguam autem nullus hominum domare potest:* non mihi videtur ita intelligendum, vt exponere voluit, quasi per exprobrationem dictum, tanquam diceretur, Ergóne linguam nullus hominum domare potest? tanquam obiurgans & dicens, Domare feras potestis, linguam non potestis? quasi facilius sit linguã domare, quàm feras. Non puto quòd iste sit sensus hoc loco. Si enim hoc sentiri vellet, de facilitate domandæ linguæ, cętera sequerentur in bestiarum comparatione. Nunc verò sequitur, Inquietum malum, plena veneno mortifero; vtique nocentiore, quam bestiarum atque serpentum. Nam illud carnem interficit, hoc verò animam. Os enim quod mentitur, occidit animam. Non ergo quasi id esset facilius, quàm mansuefactio bestiarum, sanctus Iacobus illam sententiam pronunciauit, aut ea voce voluit pronunciari: sed potius ostendens quantum sit in homine linguæ malum, vt à nullo homine domari possit, cùm ab hominibus domentur & bestię. Neq; hoc ideo dixit, vt huius in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur; sed vt ad domandam linguam diuinæ gratiæ poscamus auxilium. Non enim ait, linguam nullus domare potest: sed, nullus hominum: vt cùm domatur Dei misericordia, Dei adiutorio, Dei gratia fieri fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, & dum conatur, poscat auxilium: & oret lingua, vt dometur lingua à domante illo qui dixit ad suos, Non enim vos estis qui loquimini,

CAPVT XV. Iac. 3. Corrumpit Pelagius Iacobi apostoli locum addita interrogationis nota. Sapient. 2. al. donante Matth. 10.

sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Itaque præcepto facere cõmonemur, quod conãtes & nostris viribus non valentes, adiutorium diuinum precemur.

CAPVT XVI. Iac. 3. PROINDE & ipse cùm exaggerasset linguę malũ inter hæc dicens, Non oportet fratres mei hæc ita fieri: continuò monuit, consummatis his quæ hinc dicebat, quo adiutorio ista non fierent, quæ dixit fieri non oportere, Quis enim sapiẽs & disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quòd si zelum amarũ habetis & contentiones in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse aduersus veritatem. Non est ista sapientia desursum descẽdens, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autẽ desursum est sapientia, primum quidẽ pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiæ & fructibus bonis, inæstimabilis, sine simulatione. Hæc est sapientia quæ linguam domat, desursum descendens, non ab humano corde prosiliẽs: an & istam quisquam abrogare audet gratiæ Dei, & eam superbissima vanitate ponit in hominis potestate? Cur ergo oratur vt accipiatur, si ab homine est vt habeatur? An & huic orationi cõtradicitur, ne fiat iniuria libero arbitrio, quod sibi sufficit possibilitate naturæ ad implenda omnia præcepta iustitiæ? Contradicatur ergo eidem ipsi apostolo Iacobo admonenti & dicenti, Si quis autẽ vestrũm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: postulet autẽ in fide nihil hæsitans. Hæc est fides ad quam præcepta compellunt, vt lex imperet, & fides impetret. Per linguam enim quam nullus hominum domare potest, sed sapiẽtia desursum descendẽs, in multis offendimus omnes. Non enim & hoc iste Apostolus alio modo pronunciauit, sicut illud quod ait, Linguam nullus hominum domare potest.

Iac. 1.

CAPVT XVII. Roman. 8. NEC illud quisquam istis pro impossibilitate non peccandi similiter obiecerit, quod dictum est, Sapientia carnis inimica est in Deum: legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Sapiẽtiam quippe carnis dixit, non sapientiam desursum descendentem: & in carne esse non eos qui nondum de corpore exierunt, sed eos qui secũdum carnem viuunt, significatos esse manifestum est. Non autẽ ibi est quæstio quæ versatur. Illud est quod expecto ab isto audire, si possim, eos qui secundum spiritum viuũt, & ob hoc etiam hîc adhuc viuentes iam quodammodo in carne non sunt, vtrum gratia Dei viuant secundum spiritum; an sibi sufficiãt, iam data cùm creãtur possibilitate naturæ, & sua propria voluntate: cùm plenitudo legis non sit nisi charitas, & charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris non per nosipsos, sed per Spiritum sanctũ qui datus est nobis. Tractat etiam iste de peccatis ignorantiæ, & dicit *hominem præuigilare debere ne ignoret: ideoq; esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentia sua, quod adhibita diligentia scire debuisset,* dum tamen omnia potius disputet, quàm vt oret & dicat, Da mihi intellectum vt discam mandata tua. Aliud est enim non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiã per sacrificia quędã legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec posse, & facere contra legẽ, non intelligendo quid fieri velit. Vnde admonemur à Deo petere sapiẽtiam, qui dat omnibus affluenter, vtique his omnibus qui sic petunt, & tantum petunt quomodo & quantum res tanta petenda est.

In carne esse qui dicantur. Psal. 118. 2. sent. dist. 22. cap. Est autem. Quibus petendus sit à Deo sapiẽtia.

CAPVT XVIII. DIVINITVS *tamen esse expianda peccata commissa, & pro eis Dominum exorandum esse* fatetur, propter veniam scilicet promerendam: *quia id quod factum est, fieri infectum* multum ab isto laudata *potẽtia naturæ & voluntas hominis* etiam ipso fatente, *non potest:* quare hac

Quam oratione Pelagius necessitatem adimerit.

hac necessitate restat vt oret ignosci. Vt autem adiuuetur ne peccet, nusquam dixit, non hîc legi, mirum de hac re omnino silentium: cùm oratio Dominica vtrunque petendum esse commoneat, & vt dimittantur nobis debita nostra, & vt non inferamur in tentationem: illud vt præterita expientur, hoc vt futura vitentur. Quodlicet non fiat, nisi voluntas adsit, tamen vt fiat voluntas sola non sufficit; ideo pro hac re nec superflua, nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius, quàm orare vt facias, quod in potestate habeas?

Stultum est orare vt facias quod in potestate habeas. CAPVT XIX. 1. Cor. 1.

IAM nunc videte quod ad rem maximè pertinet, quomodo humanam naturam tanquam omnino sine vllo vitio sit, conetur ostendere, & contra apertissimas Scripturas Dei luctetur sapientia verbi, qua euacuetur crux Christi. Sed planè illa non euacuabitur, ista potius sapientia subuertetur. Nam cùm hoc ostenderimus, aderit fortasse misericordia Dei, vt & ipsum hęc dixisse pœniteat. *Primo,* inquit, *de eo disputandũ est, quòd per peccatum debilitata dicitur & immutata natura. Vnde ante omnia quærendum puto,* inquit, *quid sit peccatũ; substantia aliqua, an omnino substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur.* Deinde adiungit, *Credo ita est. Et si ita est,* inquit, *quomodo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod substantia caret?* Videte quæso quomodo nesciens nitatur euertere medicinaliũ eloquiorum voces saluberrimas. Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Quid sanatur si nihil est vulneratum, nihil sauciatũ, nihil debilitatum atque vitiatum? Porrò si est quod sanetur, vnde vitiatum est? Audis confitentem, quid desideras disputantem? Sana, inquit, animã meam. Ab illo quære, vnde vitiatum sit, quod sanari rogat, & audi quod sequitur, Quoniam peccaui tibi. Hunc iste interroget, ab isto quærat quod quærendum putat, & dicat, *O tu qui clamas, sana animam meam, quoniam peccaui tibi, quid est peccatum? Substantia aliqua, an omnino substantia carens nomen, quo non res, non existẽtia, non corpus aliquod, sed tantùm perperam facti actus exprimitur?* Respondet ille, *ita est vt dicis, Non est peccatum aliqua substantia, sed tantũ hoc nomine perperam facti actus exprimitur.* Et contrà iste, *Quid ergo clamas, Sana animam meam, quoniam peccaui tibi? Quomodo potuit vitiare animam tuam, quod substantia caret?* Nónne ille mœrore confectus vulneris sui, ne disputatione ab oratione auerteretur, breuiter rẽsponderet & diceret, Recede à me obsecro, cum illo potius disputa si potes, qui dixit, Non est opus sanis medicus, sed ægrotãtibus, Non veni vocare iustos, sed peccatores: vbi iustos vtique sanos, peccatores autem appellauit ægrotos.

Negat Pelagius naturam humanam peccato deprauatam aut corrumpi. Psal. 40. Matth. 9.

CAPVT XX. Matth. 1. CERNITIS ne quò tendat, & quò manus porrigat hæc disputatio, vt omnino frustra dictum putetur, Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suũ à peccatis eorum? Quomodo enim saluum faciet, vbi nulla est ægritudo? Peccata quippe, à quibus dicit Euangelium saluum faciẽdum populum Christi, substantiæ non sunt, & secundum istum vitiare non possunt. O frater, bonum est vt memineris te esse Christianum. Credere ista fortasse sufficeret: sed tamen quia disputare vis, nec obest, imò etiam prodest, si firmissima præcedat fides; nec existimemus peccato naturam humanam non posse vitiari: sed diuinis credentes Scripturis peccato eam esse vitiatam, quomodo id fieri potuerit inquiramus, quoniam peccatum iam didicimus non esse substantiam. Nónne attenditur, vt alia omittam, etiam non manducare, non esse substantiam? A substantia quippe receditur, quoniam cibus substantia est. Sed abstinere à cibo non est substantia, & tamen substantia corporis si omnino abstinetur à cibo, ita languescit, ita valetudinis inæqualitate corrumpitur, ita exhauritur viribus, ita lassitudine debilitatur & frangitur, vt si aliquo modo perduret in vita, vix possit ad eum cibum reuocari vnde abstinendo vitiata est. Sic non est substantia peccatum, sed substantia est Deus, summaque substantia, & solus verus rationalis creaturæ cibus; à quo per inobedientiam recedendo, & per infirmitatem non valendo capere quod debuit & gaudere, audis quemadmodum dicat, Percussus sum sicut fœnum, & aruit cor meum, quoniam oblitus sum comedere panem meum?

Peccato, est substantia nõ sit, quomodo vitiari natura potuerit. Psal. 101.

ATTENDITE autem quomodo adhuc se vrgeat verisimilibus rationibus cõtra Scripturæ sanctæ veritatem. Dominus Iesus dicit, qui propterea Iesus vocatur, quia ipse saluum facit populum suum à peccatis eorum. Dicit ergo Dominus Iesus, Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Vnde dicit & Apostolus, Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. Et iste contra fidelem sermonem & omni acceptione dignum, dicit *non debuisse hanc ægritudinem contrahi peccatis, ne ad hoc esset ista pœna peccati, vt committerentur plura peccata.* Quæritur ergo paruulis tantus medicus opitulator. Et iste dicit, *Quid quæritis? Sani sunt propter quos medicum quæritis. Nec ipse primus homo ideo morte damnatus est; nam postea non peccauit.* Quasi aliquid postea de perfectione iustitiæ eius audierit; nisi quod commendat ecclesia & ipsum Domini Christi misericordia liberatum. *Eius quoque posteros* iste dicit, *non solùm illo non esse infirmiores, sed etiam plura implenisse præcepta, cùm ille vnum implere neglexerit:* quos posteros videt ita nasci, quomodo certè ille factus non est, non solùm præcepti incapaces, quod omnino non sentiunt, sed vix capaces papillæ cùm esuriunt: eos tamen in matris ecclesiæ gremio cùm saluos gratia sua facere velit, qui saluum facit populum suum à peccatis eorum, contradicunt homines, & quasi creaturam, quæ per illum condita est, meliùs illo inspicere nouerint, voce non sana sanos esse pronunciant.

CAPVT XXI. Matth. 1. Matth. 9. 1. Tim. 1. Adam Christi misericordia liberatus.

CAPVT XXII. Idem peccatis & fictis peccati.

MATERIAM *peccati* dicit *esse vindictam, si ad hoc peccator infirmatus est, vt plura peccaret.* Nec cogitat prævaricatorem legis quàm dignè lux deserat veritatis, qua desertus vtique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, vt ideo tantùm audiat vocem legis, quò admoneatur implorare gratiam saluatoris. An nulla pœna est eorum de quibus dicit Apostolus, Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum? Vtiq; ista obscuratio vindicta & pœna iam fuit: & tamẽ per hanc pœnam, id est, per cordis cæcitatem, quæ fit deserente lucę sapiẽtiæ, & in plura & grauia peccata collapsi sunt. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Grauis hæc pœna est, si quis intelligat, & ex hac pœna vide quò ierunt. Et immutauerunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Istã fecerunt ex peccati pœna, qua obscuratum est insipiens cor eorum. Et propter hæc tamen, quia licet pœnalia etiã ipsa peccata sunt, adiũgit & dicit, Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis illorum in immunditiam. Ecce quemadmodum Deus grauiùs condemnauit, tradens illos in desideria cordis illorum in immunditiam. Videte etiam ex hac pœna quid faciant, vt contumeliis, inquit, afficiant corpora sua in semetipsis. Et quia pœna est ista iniquitatis, cùm sit & iniquitas, euidentiùs commendat dicens, Qui transmutauerunt veritatẽ Dei in mendacium,

Roman. 1.

cium, & coluerunt & seruierũt creaturæ potius quàm A creatori, qui est benedictus in sæcula, amen. Propter hoc, inquit, tradidit Deus illos in passiones ignominiæ. Ecce quotiens vindicat Deus, & ex eadem vindicta plura & grauiora peccata consurgunt. Nam feminæ eorum, inquit, mutauerunt naturalem vsum in eũ vsum qui est contra naturam: similiter autem & masculi relicto naturali vsu feminæ, exarserunt in appetitum suum in inuicem, masculi in masculos deformitatem operantes. Atque vt ostenderet sic esse ista peccata, vt etiam pœnæ sint peccatorum, etiam his adiunxit, Et mercedem mutuam, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Videte quotiens vindicet, eademque vindicta quæ pariat pulluletque peccata, adhuc attendite, Et sicut non probauerunt, inquit, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate cum circumuentione, malitia, auaritia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, B malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, cõtumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectu, sine misericordia. Hic nunc iste dicat, *non debuit sic vindicari peccatum, vt peccator per vindictam plura committeret.*

CAPVT XXIII. Non deserit Deus nisi dignos deseri.

FORTASSE respondeat, Deum ad ista non cogere, sed dignos deseri tantùm deserere. Si hoc dicit, verissimè dicit, deseri quippe, vt dixi, luce iustitiæ, & per hoc contenebrati quid pariãt aliud, quàm hæc omnia, quę commemorauì opera tenebrarum, donec dicatur eis, si dicto obaudiant, Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus? Mortuos veritas dicit, vnde est & illud, Sine mortuos sepelire mortuos suos. Mortuos ergo veritas dicit, quos iste dicit lædi & vitiari non potuisse peccato, quia videlicet didicit peccatum non esse substantiam. Nemo ei dicit, sic hominem factum, vt de iustitia quidem posset in peccatum ire, & de peccato ad iustitiam redire non posset: sed vt in peccatum iret, sufficit ei liberum arbitrium, quo se ipse vitiauit: vt autem redeat ad iustitiam, opus habet medico, quoniam sanus non est, opus habet viuificatore, quia mortuus est. De qua gratia omnino nihil iste dicit, quasi sola sua voluntate se possit sanare, quia eum potuit sola vitiare. Non ei dicimus mortem corporis ad peccatum valere, vbi sola vindicta est. Nemo enim peccat corpore moriendo, sed ad peccatum valet mors animæ, quam deseruit vita sua, hoc est, Deus eius, quæ necesse est mortua opera faciat, donec Christi gratia reuiuiscat. Famem & sitim & cæteras molestias corporales, absit vt dicamus necessitatẽ habere peccandi, quibus molestiis exercitata vita iustorum splendidiùs enituit, & eas per patientiam superando maiorem gloriam cõparauit, sed adiuta gratia Dei, adiuta spiritu Dei, adiuta misericordia Dei, non superba voluntate se extollens, sed humili confessione D fortitudinem promerens. Nouerat enim Deo dicere, Quoniam tu es patientia mea. De qua gratia & adiutorio & misericordia, sine qua bene non possumus viuere, nescio quare iste omnino nihil dicit, imò etiam velut sibi ad iustitiam sufficientem si voluntas sua adsit, defendendo naturam, gratiæ Christi, qua iustificamur, apertissimè cõtradicit. Cur autem soluto per gratiam peccati reatu ad exercitationem fidei mors corporis maneat, quamuis venerit de peccato, iam & hoc in illis ad sanctæ memoriæ Marcellinum libris, vt valui, disserui.

Ephes. 5. *Matth. 8.* *Ad peccandũ nobis ipsi sufficimus, ad iustitiam verò vt redeamus, non item.* *Mors pœna est, non causa peccati.* *Corporis afflictiones non inferunt peccandi necessitatem.* *Psal. 70.* *Lib. 2. de pecat. meri. cap. 30 & sequentibus.*

CAPVT XXIIII.

QVOD verò *Dominum* dicit *sine peccato mori potuisse*: illi etiam nasci, potestas misericordiæ non conditionis naturæ fuit, sic etiam mortuus est potestate; & hoc est precium nostrum, quo nos à morte redimeret. Et hoc istorum disputatio euacuare contendit, cùm ab eis ita natura humana defenditur, vt possit liberum arbitriũ isto precio non egere, vt à potestate tenebrarũ & præpositi mortis in regnum Christi Domini trasferantur. Et tamen quãdo Dominus ad passionem perrexit, Ecce, inquit, veniet princeps huius mundi, & in me nihil inueniet: & vtique nihil peccati, vnde præpositus mortis iure suo ageret, vt perimeret, Sed vt sciant omnes, inquit, quia voluntatem patris mei facio, Surgite eamus hinc: id est, quia non morior necessitate peccati, sed obedientiæ voluntate. Dicit *nullum malum boni alicuius esse causam*. Quasi pœna bonum sit, qua tamen multi emendati sunt. Sunt ergo mala quę prosunt mirabili misericordia Dei. Nũquid ille boni aliquid passus est, qui dixit, Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus? Non vtique, & tamen hæc ei conturbatio contra superbiam fuit medicinalis quodammodo. Dixerat enim in abundantia sua, non mouebor in æternum: & sibi tribuebat quod à Domino habebat. Quid enim habebat quod non acceperat? Quare ostendendum ei fuerat vnde haberet, vt reciperet humilis, quod superbus amiserat. Ideo, Domine, inquit, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. In qua ego abũdantia mea dicebam, non mouebor, cùm hoc mihi esset abs te, non à me: Denique auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.

Locum. 14. *Etiam mala, Dei misericordia prosunt.* *Psal. 29.* *1. Cor. 4.*

HOC superbus animus omnino non sapit; sed magnus est Dominus, qui persuadeat quomodo ipse nouit. Nam procliuiores sumus quærere potius quid contra ea respondeamus, quæ nostro obiciuntur errori, quàm intendere, quàm sint salubria, vt careamus errore. Vnde cum istis non tam disputationibus, quàm pro eis sicut pro nobis orationibus est agendum. Non enim hoc eis dicimus quod sibi iste oppositit, *vt esset causa misericordiæ Dei, necessarium fuisse peccatum*. Vtinam non fuisset miseria, ne ista esset misericordia necessaria. Sed iniquitatem peccati tanto grauiorem, C quanto faciliùs homo non peccaret, quem nulla adhuc tenebat infirmitas, pœna iustissima subsecuta est: vt mercedem mutuam peccati sui in semetipso reciperet, amittens sub se positam sui corporis quodammodo obedientiam, quam præcipuam sub Domino suo ipse contempserat. Et quod nunc cum eadem lege peccati nascimur, quę in membris nostris repugnat legi mentis, neque aduersus Deum murmurare, neq; contra rem manifestissimam disputare; sed pro pœna nostra illius misericordiã quærere & orare debemus.

CAPVT XXV. *Sic est errantium ferè omnium ingenium.* *Cum hæreticis quibus dã non tam disputationibus quàm orationibus agendum.* *Vbi nulla miseria, nec misericordia.* *Gratuitas peccati Adæ.* *Rom. 7.*

ATTENDITE sanè vigilanter quomodo dixerit, CAPVT XXVI. *Adhibet quidem huic etiam parti, si quando necessarium fuerit, misericordiam suam Deus: quia homini post peccatum ita subueniri necessum est; non quia Deus causam huiuscemodi necessitatis optauerit*. Videtisne quemamodũ non dicat necessariam misericordiam Dei vt non peccemus, sed quia peccauimus? Deinde subiungit, *Sed & medicus ad curandum iam vulneratum paratus esse debet; non debet autem vt sanus vulneretur optare*. Si ista similitudo rebus de quibus agimus congruit, certè vulnerari non potest natura humana peccato, quoniam peccatum nulla substantia est. Sicut ergo vulnere, verbi gratia, claudicans ideo curatur, vt sanato malo præterito, futurus dirigatur incessus: sic mala nostra non ad hoc solùm supernus medicus sanat, vt illa iam non sint, sed vt de cætero rectè ambulare possimus; quod quidem etiam sani non nisi illo adiuuante poterimus. Nam medicus homo cùm sanauerit hominem, iam de cætero sustentandum elementis & alimentis corporalibus, vt eadem sanitas apto subsidio conualescat atque persistat, Deo dimittit: qui præbet ista in carne viuentibus, cuius erant etiam illa, quæ dum curaret, adhibebat. Non enim quenquàm medicus ex his rebus, quas ipse creauerit sanat, sed ex illius †operibus, qui creat omnia necessaria sanis atque vitiosis. Ipse autem

Similitudo, qua intelligitur Dei gratiam faciendo cuiuis operi bono necessariam. *al. opibus.* *1. Tim. 2.*

tem Deus cùm per mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, spiritaliter sanat ægrum vel viuificat mortuum, id est, iustificat impium; & cùm ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam iustitiamque perduxerit, non deserit si non deseratur, vt piè semper iusteq; viuatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ diuinitùs adiuuetur, rectè non potest viuere. Sanat ergo Deus non solũ vt deleat quod peccauimus, sed vt præstet etiam ne peccemus.

Deus non desertus nec iustificatus, si non deseratur. CAPVT XXVII. *Peccatum peccato vltiatur.*

ACVTE sanè tractat & versat, & quantum sibi videtur redarguit atque cõuincit quod eis dicitur, *etiam necessarium fuisse homini ad auferendam superbiæ vel gloriæ occasionem, vt absque peccato esse non posset*. Absurdissimum quippe & stultissimum putat, peccatum fuisse ne peccatum esset, quoniam & ipsa superbia vtiq; peccatum est: quasi non & vlcus in dolore sit, & sectio dolorẽ operetur, vt dolor dolore tollatur. Hoc si experti B non essemus, & in aliquibus terris vbi ista nunquam contigerant, audiremus, sine dubio vtique deridentes, fortassis etiã verbis huius vteremur & diceremus, Absurdissimum est dolorem necessariũ fuisse, ne vlceris dolor esset. *Sed Deus*, inquiunt, *potest omnia sanare*. Hoc vtique agit vt sanet omnia, sed agit iudicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto. Proculdubio quippe firmissimum Apostolum volebat efficere, cui tamẽ dixit, Virtus in infirmitate perficitur: & non ei totiens oranti aufert nescio quem stimulum carnis, quem sibi dicit datum, ne magnitudine reuelationum extolleretur. Cætera enim vitia tantùm in malefactis valẽt, sola autem superbia etiam in rectè factis cauenda est. Vnde admonentur illi, ne dona Dei suæ potestati tribuendo seseque extollendo grauius pereant, quàm si nil operarentur boni, quibus dicitur, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari pro C bona voluntate. Quare ergo cum timore & tremore, & non potius cum securitate, si Deus operatur; nisi quia propter voluntatem nostram, sine qua bene non possumus operari, citò potest subrepere animo humano, vt quod bene operatur, suum tantummodo existimet, & dicat in abundãtia sua, non mouebor in æternum? Ideo qui in voluntate sua præstiterat decori eius virtutem, auertit paululum faciem suam, vt qui hoc dixerat fieret conturbatus: quoniam ipsis est ille tumor sanandus doloribus.

Sanandi ordinem cælestis medicus non ab ægroto accipit, sed à seipso. *1. Cor. 12.* *Sola superbia etiam in rectè factis cauẽda.* *Philip. 2.* *Quæ iustis causa timẽdi.* *Psal. 19.*

NON itaque dicitur homini, *Necesse est peccare ne peccES*: sed dicitur homini, deserit aliquantum Deus vnde superbis, vt scias non tuum, sed eius esse, & discas superbus non esse. Nã illud etiam Apostoli quale est, nõnne ita mirabile, vt nisi quia ipse dicit, cui vera dicenti contradicere nefas est, non sit credibile: Quis enim nesciat fidelium à satana venisse primam peccati suasionem, & quòd ille primus autor sit omnium pec- D catorum? Et tamen quidã traduntur satanæ vt discant non blasphemare. Quomodo igitur opus satanæ excluditur opere satanæ. Hæc atque huiusmodi intueatur, ne videantur ei nimis acuta, quæ acutulè sonant, & discussa inueniuntur obtusa. Quid quod etiam similitudines adhibet quibus magis admoneat quid ei debeat responderi? *Quid amplius dicam*, inquit, *nisi quia potest credi, quòd ignes ignibus extinguuntur; sic credi potest quòd peccatis peccata curentur?* Quid si ignes extinguere quisquam non potest ignibus, sed tamẽ possunt, vt docui, dolores curari doloribus; possunt etiam, si quærat & discat, venenis venena depelli? Nam si & aduertit aliquando calores febrium quibusdam caloribus medicinalibus frangi, etiam igues ignibus fortasse concedet extingui.

Genes. 3. *1. Tim. 1.*

CAPVT XXIX.

QVO *nam modo*, inquit, *superbium ipsam à peccato separabimus?* Quid enim hoc vrget, cùm manifestum sit etiam ipsam esse peccatum? *Tam peccare*, inquit, *superbire est, quàm superbire peccare. Nam quære quid sit quodcunque peccatum, & vide si inuenies aliquod sine superbiæ appellatione peccatum*. Hanc autem sententiam sic exequitur, & sic probare conatur: *Omne*, inquit, *peccatum, nisi fallor, Dei contemptus est: & omnis Dei contemptus superbia est. Quid enim tam superbum, quàm Deum contemnere? Omne ergo peccatum & superbia est, etiam Scriptura dicente, Initium omnis peccati superbia est*. Quærat diligenter, & inueniet in lege multum discretum esse à cæteris peccatis peccatum superbiæ. Multa enim peccata per superbiam committuntur, sed neque omnia superbè fiunt, quæ perperam fiũt; certè à nescientibus, certè ab infirmis, certè plerunque à flentibus & gementibus. Et quidem superbia cùm magnum sit ipsa peccatum, ita sine aliis per seipsa est, vt etiam plerunque, vt dixi, non in peccatis, sed in ipsis rectè factis pede celeriore superueniat & obrepat. Sed ideo verissimè dictum est, quod iste aliter intellexit. Initium omnis peccati superbia: quoniam diabolum à quo extitit origo peccati, ipsa deiecit, & subsequente inuidẽtia, hominem stantem vnde ipse cecidit, inde subuertit. Nam vtique iactantiæ ianuam, quà intraret, serpẽs ille quæsiuit, quando ait, Eritis sicut dij. Ideo dictum est, Initium omnis peccati superbia, & initium superbiæ hominis apostatare à Deo.

Deus non non nisi desertus. *Ecclesi. 10.* *Non omne peccatum superbia est.* *Superbia quomodo omnis peccati initium.* *Genes. 3.* *Ecclesi. 3.*

QVID autem sibi vult quod dicit, *Deinde quomodo Deo pro illius peccati reatu subditus esse poterit, quod suum non esse cognouerit? Suum enim non est*, inquit, *si necessarium est. Aut si suum est, voluntarium est: & si voluntarium est, vitari potest*. Nos respondemus, Suum est omnino, sed vitium quo committitur, nondum omni ex parte sanatum est: quod quidem vt inolescaret, de non rectè vsũ sanitate descendit. Ex quo vitio iam malè valens, vel infirmitate, vel cæcitate plura committit. Pro quo supplicandum est vt sanetur, & deinceps in perpetua sanitate viuatur; non superbiendum, quasi homo eadem potestate sanetur, qua potestate vitiatus est.

CAPVT XXX.

ET hæc quidem ita dixerim, vt altius Dei consiliũ me fatear ignorare, cur etiam ipsam superbiam, quæ & in rectè factis animo insidiatur humano, non citò Deus sanet; pro qua sananda illi piæ animæ cum lachrymis & magnis gemitibus supplicant, vt ad eam superandã & quodammodo calcandam & obterẽdam, dexterã conantibus porrigat. Vbi enim lætatus homo fuerit, in aliquo bono opere se etiã superasse superbiã, ex ipsa lætitia caput erigit & dicit: Ecce ego viuo: quid triumphas? & ideo viuo, quia triumphas. Ante tempus enim fortasse de illa quasi victa triumphare delectat, cùm extrema eius vmbra illo meridie, quantum arbitror, absorbebitur. Qui meridies Scriptura dicente promittitur: Et educet sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum sicut meridiem, si fiat quod suprà scriptum est: Reuela ad Dominum viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet: non sicut quidam putãt, quod ipsi faciant. Nullos enim videtur attẽdisse cùm dixit, & ipse faciet: nisi eos qui dicunt, nos facimus, id est, nosipsi nosipsos iustificamus. Vbi quidẽ operamur & nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia eius præuenit nos. Præuenit autem vt sanemur, quia & subsequetur vt etiam sanati vegetemur. Præuenit vt vocemur, subsequetur vt glorificemur. Prẽuenit vt piè viuamus, subsequetur vt cũ illo semper viuamus, quia sine illo nihil possumus facere. Vtrunq; enim scriptum est, & Deus meus misericordia eius præueniet me, & misericordia tua subsequetur me per omnes dies vitæ meę. Reuelemus ergo ad eum viam nostram confessione, non defensione laudemus. Si enim non est ipsius via, sed nostra, proculdubio non est recta. Reuelemus

Superbiam ipsam cur Deus non citò sanet. *Quàm occulte insidiatur superbia.* *Psal. 36.* *Psal. 58.* *Gratia præueniens & subsequens.* *Ioannis 15.* *Psal. 58.*

uelemus eam confitendo, quia non eum latet etiam si operire conemur. Bonum est autē confiteri Domino.

Psal 91.

CAPVT XXXII. ITA enim quod ei placet dabit nobis, si quod ei displicet in nobis, displiceat & nobis. Auertet, sicut scriptum est, semitas nostras à via sua, & nostram faciet esse quæ sua est, quoniam ab ipso præbetur credētibus in eum, & sperantibus in eo, vt ipse faciat. Ipsa est enim via iusta, quam ignorantes qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, & suam volentes constituere iustitiam, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti, qui dixit: Ego sum via. In qua iam ambulantes tamen terruit vox diuina, ne quasi de propriis in ea virib. extollantur. Nam quibus propter hoc ait Apostolus: Cū timore & tremore vestram ipsorum operamini salutem: Deus enim est qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate: eis propter hoc ipsum dicit etiam Psalmus: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta, cùm exarserit in breui ira eius super vos. Non ait, ne quando irascatur Dominus, & non vobis ostendat viā iustam: aut nō vos introducat in viam iustam: sed iam illic ambulantes sic terrere potuit vt diceret, ne pereatis de via iusta. Vnde? nisi quia superbia, quod totiens dixi, & sæpe dicendum est, etiam in ipsis rectè factis caueuenda est, id est, in ipsa via iusta, ne homo dum quod Dei est deputat suum, amittat quod Dei est, & redeat ad suum? Ideo quo psalmus iste cōcluditur, faciamus, Beati omnes qui confidūt in eo: vtique vt ipse faciat; ipse ostēdat viā suam, cui dicitur: Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & ipse det salutem, vt ambulare possimus, cui dicitur: Et salutare tuum da nobis: ipse in eadem via deducat, cui dicitur: Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua. Ipse ad illa quò via ducit, promissa perducat, cui dicitur: Etenim illuc manus tua deducet me, & perducet me dextera tua. Ipse ibi pascat recumbentes cum Abraham, Isaac, & Iacob, de quo dictum est: Faciet eos recumbere, & trāsibit, & ministrabit eis. Non enim cùm ista commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus. Cui enim prosunt ista nisi volenti, sed humiliter volenti, non se de voluntatis viribus, tanquam ad perfectionem iustitiæ sola sufficiat, extollenti.

Roman. 10. Ioann. 14. Philip. 2. Psal. 2. Psal. 84. Psal. 85. Psal. 138. Luce 12.

CAPVT XXXIII. ABSIT autem vt ei dicamus, quod à quibusdam contra se dici ait, *comparari hominem Deo, si absque peccato esse asseratur*: quasi verò angelus quia absque peccato est, comparetur Deo. Ego quidem hoc sentio, quia etiam cùm fuerit in nobis tanta iustitia, vt ei addi omnino nihil possit, non æquabitur creatura creatori. Si autem aliqui putant tantum nostrum futurum esse prouectum, vt in Dei substantiam conuertamur, & hoc efficiamur prorsus quod ille est: viderint quē admodum astruant sententiam suam, mihi hoc fateor non esse persuasum.

Esse sine vllo omnino peccato nondum æquat hominem Deo.

CAPVT XXXIIII. IAM sanè hoc multum faueo libri huius authori, quod aduersus eos qui dicunt, *Rationabile quidem videtur esse quod asseris, sed superbum est dici hominem absq; peccato esse posse*, ita respondet, vt omnino si verum est, nullo modo superbum esse dicendum sit. Ait enim acutissimè atque verissimè: *In qua magis parte humilitas collocanda est: sine dubio falsitatis, si in ea quæ veritatis probatur esse, superbia est.* Ac per hoc placet illi, & rectè placet, *vt in parte veritatis, non in parte falsitatis magis humilitas collocetur*. Ex quo est consequens vt ille qui dixit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est: verum dixisse minimè dubitetur, ne causa humilitatis hoc falsum dixisse videatur. Propterea enim addidit, & veritas in nobis non est: cū fortè sufficeret dicere, nosipsos decipimus: nisi attenderet quōsdam putare posse, ideo dictum, Nosipsos decipimus, quia etiam de vero bono qui se laudat extollitur. Attendo itaque: Et veritas in nobis non est, manifestè ostendit, sicut etiam huic rectissimè placet, hoc omnino verūnō esse, si dixerimus quia peccatum non habemus: ne humilitas constituta in parte falsitatis, perdat præmium veritatis. Porrò autem quod Dei causam sibi agere videtur, defendendo naturam: non attendit quòd eandem naturam sanam esse dicendo, medici repellit misericordiam. Ipse est autem creator eius, qui saluator eius. Non ergo debemus sic laudare creatorem, vt cogamur dicere, imò verè conuincamur dicere superfluum saluatorem. Naturam itaque hominis dignis laudibus honoremus, easq; laudes ad creatoris gloriam referamus. Sed quia nos creauit, ita sumus grati, vt non simus, quia sanat, ingrati. Vitia sanè nostra quę sanat, non diuino operi, sed humanæ voluntati, iustæq; illius vindictæ tribuamus. Sed vt in nostra potestate fuisse ne acciderent confitemur; ita vt sanetur in illius magis esse misericordia, quàm in nostra potestate fateamur. Hanc iste misericordiam & medicinale saluatoris auxilium tantùm in hoc ponit, vt ignoscat commissa præterita, non vt adiuuet ad futura vitanda. Hic perniciosissimè fallitur, hic etsi nesciens prohibet nos vigilare, & orare ne intremus in tentationē, cùm hoc ne nobis accidat, in nostra tantùm potestate esse contendit.

Nec modestia causa mentiendum.

Humilitatis in parte non est ponenda falsitatis. 1. Ioan. 1.

QVORVNDAM sanè exempla quos peccasse legimus, non ideo scripta dicit, qui sanum sapit, vt ad desperationem non peccandi valeant, & securitatem peccandi nobis quodammodo præbere videantur: sed vt disceremus, vel pœnitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapsibus non desperādam salutem. Quidam enim in peccata prolapsi desperatione plus pereunt, nec solùm pœnitendi negligunt medicinam, sed ad explenda inhonesta & nepharia desideria serui libidinum & sceleratarum cupiditatum fiunt: quasi perdāt si non fecerint quod instigat libido, cùm eos iam maneat certa damnatio. Aduersus hunc morbum nimiū periculosum & exitiabilem, valet cōmemoratio peccatorum, etiam in quæ iusti sanctiq̄ prolapsi sunt. Sed acutè videtur interrogare, *quo modo istos sanctos de hac vita abiisse credendum sit, cum peccato, an sine peccato?* Vt si responsum fuerit, cum peccato, putetur eos secuta damnatio, quod nephas est credere. Si autem sine peccato dictum fuerit eos exiisse de hac vita, probet hominem saltem propinquante morte fuisse sine peccato in hac vita. Vbi parum attendit, cùm sit acutissimus, non frustra etiam iustos in oratione dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Dominumq̄ Christum cùm eandem orationem docēdo explicuisset, verissimè subdidisse: Si enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis pater vester peccata vestra. Per hoc enim quotidianum spiritale quodammodo incensum, quod ante Deum in altare cordis quod sursum habere admonemur, infertur, etiam si non hic viuatur sine peccato, licet mori sine peccato, dū subinde venia deletur quod subinde ignorātia vel infirmitate committitur.

CAPVT XXXV. *Quorundam cur scripta peccata.*

Desperatio in peccatis perdere se putat, si quid non fecerit quò instigat libido.

Matth. 6.

Quotidianum remissionis incensum.

Sine peccato nemo viuens, sed mori potest.

DEINDE commemorat eos *qui non modò non peccasse, verumetiam iustè vixisse referuntur, Abel, Enoch, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Iesum Naue, Phineem, Samuel, Nathan, Heliam, Helisæum, Micheam, Daniel, Ananiam, Azariā, Misael, Ezechiel, Mardocheū, Simeon, Ioseph, cui desponsata erat virgo Maria, Ioannem.* Adiungit etiam feminas, *Debboram, Annam Samuelis matrem, Iudith, Hester, alteram Annam filiam Phanuel, Elizabet, ipsam etiam Domini ac saluatoris nostri matrē, quam* dicit *sine peccato confiteri necesse esse pietati*. Excepta itaque sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullā prorsus cùm de peccatis agitur, habe-

CAPVT XXXVI.

Beata virgo Maria vllo vixit peccato.

habere volo quæstionem: vnde enim scimus, quid ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quàm cōcipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo virgine excepta, si omnes illos sanctos & sanctas cum hic viuerent, congregare possemus, & interrogare vtrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus: vtrum hoc quod iste dicit, an quod Ioannes apostolus? Rogo vos, quantalibet fuerint in hoc corpore excellētia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, nonne vna voce clamassent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est? An illud humiliùs responderent fortasse, quàm veriùs? Sed huic iam placet, & rectè placet, *laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis*. Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quòd humiliter faterentur, quia veritas in eis esset. Si autē hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset.

Nullus sanctus absque peccato. 1. Ioan. 1.

Laus humilitatis non est in parte ponenda falsitatis.

CAPVT XXXVII. DICENT *forsitan*, inquit: *Nunquid omnium potuit Scriptura commemorare peccata?* Et verum ei dicent quicunque dicent, nec eum contra hoc aliquid validum video respondisse, quamuis videam tacere noluisse. Quid enim dixerit quæso attendite: *Hoc*, inquit, *rectè potest dici de his, quorum neque bonorum, neque malorum Scriptura sit memor. De illis verò quorū iustitiæ meminit, & peccatorum sine dubio meminisset, si qua eos peccasse sensisset.* Dicat ergo non pertinuisse ad iustitiam tantam illorum fidem, qui magna multitudine præcedentes & consequentes cum laudibus Domini asellum, etiam inter frementes, quare hoc facerent inimicos, clamabant dicentes: Osanna fili Dauid, benedictus qui venit in nomine Dñi. Audeat ergo dicere iste, si potest, neminē fuisse in tanta illa multitudine qui vllum haberet omnino peccatū. Quod si absurdissimum est dicere, cur nulla peccata eorum Scriptura commemorauit, quæ tantum bonum fidei ipsorum commemorare curauit? Sed hoc etiam forsitan ipse vidit, & ideo subiecit atque ait: *Sed ēsto aliis temporibus turbæ numerositate omnium dissimulauerit peccata contexere: in ipso statim mundi primordio, vbi non nisi quatuor homines erant, quid*, inquit, *dicimus, cur non omnium voluerit delicta commemorare? Vtrūmne ingentis multitudinis causa, quæ nondum erat: an quia illorum tantùm qui commiserāt meminit, illius qui nulla commiserat, meminisse non potuit?* Ad hęc adiungit verba, quibus ista sententia vberiùs & pleniùs astruatur: *Certè*, inquit, *primo in tempore Adam & Eua, ex quibus Cain & Abel nati sunt, quatuor tantùm homines fuisse referuntur: Peccauit Eua, Scriptura hoc prodidit; Adam quoque deliquit, eadem scriptura non tacuit. Sed & Cain peccasse, ipsa æquè Scriptura testata est. Quorum non modò peccata, verumetiam peccatorum indicat qualitatem. Quod si & Abel peccasset, & hoc sine dubio Scriptura dixisset, sed non dixit, ergo nec ille peccauit: quinetiam iustum ostendit. Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, nephas credamus astruere.*

Exemplo velamen peccatorum.

Genes. 3. 4.

CAPVT XXXVIII. HAEC dicens, parum attendit quod paulo antè ipse dixerat: *Iam exorta multitudine generis humani, turbæ numerositate potuisse Scripturam dissimulare omnium peccata contexere.* Hoc enim si satis attēdisset, videret etiam in vno homine turbam & multitudinem peccatorum leuium, vel non potuisse, vel si etiam potuit, non debuisse conscribi. Ea quippe scripta sunt quibus & modus adhibendus fuit, & paucis exemplis ad multa necessaria lector instruendus. Nam cùm ipsos tunc homines, licet adhuc paucos, quot vel qui fuerint, id est, Adam & Eua, quot filios & filias procreauerint, & quę illis nomina imposuerint, Scriptura commemorare noluerit: (vnde nonnulli parum considerantes quàm multa Scriptura tacitè prętereat, ipsum Cain cum matre concubuisse putauerunt, vnde prolem quæ commemorata est procrearet, putantes illis filiis Adam sorores non fuisse, quia eas Scriptura tunc tacuit, postea recapitulando inferens quod prætermiserat, Adam filios & filias procreasse, nec tempus quo nati sunt, nec numerum, nec vocabula ostendens:) ita nec commemorandum fuit, si Abel, quamuis merito iustus appellatus est, paulo immoderatiùs aliquando risit, vel animi remissione iocatus est, vel vidit aliquid ad concupiscendum, vel aliquanto immoderatiùs poma decerpsit, vel plusculo cibo crudior fuit, vel cùm oraret cogitauit aliquid, vnde eius in aliud auocaretur intentio, & quotiens illi ista ac similia multa surrepserint. An fortè peccata non sunt, de quibus generaliter cauendis atque cohibendis admonemur pręcepto Apostolico, vbi dicit: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius? His quippe ne obediamus ad ea quę non licent, vel minus decent, quotidiana & perpetua conflictatione certandum est. Nam vtique ex hoc vitio mittitur, vel dimittitur oculus, quò non oportet. Quod vitium si conualuerit & præualuerit, etiam adulterium perpetratur in corpore, quod in corde tanto fit citius, quanto est cogitatio celerior, & nullum impedimentum morarum. Hoc peccatum, id est, hunc vitiosę affectionis appetitum qui magna ex parte frænarunt, vt non obedirent desideriis eius, nec exhiberent ei membra sua arma iniquitatis, etiam iusti appellari meruerunt, & hoc adiutorio gratiæ Dei. Verùm quia sæpe in leuissimis & aliquando incautis obrepit peccatum, & iusti fuerunt, & sine peccato non fuerunt. Postremò si in Abel iusto charitas Dei, qua vna verè iustus est quicunque iustus est, adhuc erat quo posset & deberet augeri, quicquid minus erat, ex vitio erat. Et cui non minus sit donec ad illam eius fortitudinem veniatur, vbi tota hominis absorbeatur infirmitas?

Genes. 5.

Et iustus quis esse, & sine peccato non esse potest.

Nullus sanctus absque peccato.

Cain ex Eua matre genuisse putauit, ibi sanctam aerit. Genes. 5.

CAPVT XXXIX. MAGNA planè sententia conclusit hunc locum cùm ait: *Credamus igitur quod legimus, & quod non legimus, nefas credamus astruere, quod de cunctis etiam dixisse sufficit.* Contrà ego dico, nec omne quod legimus credere nos debere, propter illud quod Apostolus ait: Omnia legite, quæ bona sunt tenete: & astruere aliquid etiam quod non legimus, nefas non esse. Possumus enim aliquid bona fide testes astruere quod experti sumus, etiam si fortè non legimus. Hic fortasse respondet: *Ego cùm hoc dicerem, de scripturis sanctis agebam*. O vtinam nō dico aliud quàm in illis literis legit, verùm contra id quod legit, nihil vellet astruere; fideliter & obedienter audiret quod scriptum est: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt: & non infirmaret tanti medici gratiam, dum fateri non vult naturam humanam esse vitiatam. O vtinam sicut Christianus legeret, præter Iesum Christum nullum esse nomen sub cælo, in quo oporteat saluos fieri nos: & non possibilitatem naturę humanæ ita defenderet, vt homo per liberum arbitrium etiā sine isto nomine saluus esse posse credatur.

1. Thess. 5. Rom. 8. Act. 4.

CAPVT XL. SED putat fortasse ideo necessarium esse Christi nomen, vt per eius Euangelium discamus quemadmodum viuere debeamus, non etiam vt eius adiuuemur gratia, quò bene viuamus: vel hinc saltem confiteatur esse miserabiles tenebras in animo humano, qui scit quemadmodum debeat leonem domare, & nescit quemadmodum viuere. An & hoc vt sciat sufficit ei liberum arbitrium lexq̄ naturalis? Hæc est sapientia verbi, qua euacuatur crux Christi. Sed qui dixit, perdam sapientiam sapientum, quia ista crux non potest euacuari, profectò istam sapientiam per stultitiam prædicationis qua credentes sanantur, euertit. Si enim possibilitas naturalis per liberum arbitrium, & ad cognoscendum quomodo viuere debeat, & ad bene

Christum ad quid necessarium nobis fuisse putauit Pelagius.

Abdiæ 1. 1. Cor. 1.

Galat. 2. ne viuēdum sufficit, sibi sibi, ergo Christus gratis mortuus est, ergo euacuatum est scandalũ crucis. Cur non etiam ego hîc exclamem, imò exclamabo, & istis increpitabo dolore Christiano, euacuati estis à Christo, qui in natura iustificamini, à gratia excidistis: ignorantes enim Dei iustitiam, & vestram volentes constituere, iustitiæ Dei non estis subiecti. Sicut enim finis legis, ita etiam naturæ humanæ vitiosæ saluator Christus est, ad iustitiam omni credenti.

CAPVT XLI. Roman. 3. Romanis. 5. QVOD autem sibi opposuit ab eis dici contra quos loquitur, *Omnes enim peccauerũt:* manifestum est quod *de his dicebat Apostolus qui tunc erant, hoc est, de Iudæis & gentibus.* Sed planè illud quod commemorauí: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt: & antiquos & recentiores, & nos & posteros nostros sententia ista complectitur. Ponit etiam illud testimonium vnde probet cũm dicũtur omnes, non semper omnes omnino nullo pretermisso intelligi oportere. *Sicut per vnius*, inquit, *delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Cùm per Christi*, inquit, *iustitiam, non omnes, sed eos tantùm qui illi obedire voluerunt, & baptismi eius ablutione purgati sunt, sanctificatos esse non dubium sit.* Non planè isto testimonio probat quod vult. Nam sicut dictum est: Sicut per vnius delictum in omnes homines in cõdemnationem, vt nullus prætermitteretur: sic & in eo quod dictum est, per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ, nullus prætermissus est: nõ quia omnes in eum credunt, & baptismo eius abluuntur, sed quia nemo iustificatur, nisi in eum credat & baptismo eius abluatur. Itaque omnes dictum est, ne aliquo modo alio præter ipsum quisquam saluus fieri posse credatur. Sicut enim vno literarum magistro in ciuitate constituto, rectissimè dicimus, omnes iste hic literas docet: non quia omnes ciues literas discunt, sed quia nemo discit nisi quem ille docuerit: Sic nemo iustificatur nisi quem iustificauerit Christus.

Omnes, quomodo accipiendum. Roman. 5. Similie.

CAPVT XLII. Potest homo sine peccato esse, sed auxiliante gratia. SED *esto*, inquit, *consentiam, quia omnes peccatores fuisse testatur. Dicit enim quid fuerint, non quòd aliud esse non potuerint. Quamobrem & si omnes homines peccatores*, inquit, *possent probari, definitioni tamen nostræ nequaquam id obesset; qui non tam quid homines sint, quàm quid possent esse defendimus.* Hic rectè facit aliquando consentire, quia non iustificabitur in cõspectu Dei omnis viuens. Non tamen ibi esse quæstionem, sed in ipsa nõ peccandi possibilitate contendit, in qua nec nos aduersus eum certare opus est. Nam neque illud nimis curo, vtrũ fuerint hîc aliqui; vel sint, vel esse possint qui perfectam, cui nihil addẽdum esset, habuerint, vel habeant, vel habituri sint charitatem Dei. Ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia, quoniã id quod volũtate hominis adiuta per Dei gratiam fieri posse confiteor & defendo; quando, vel vbi, vel in quo fiat nimium certare non debeo. Neque de ipsa possibilitate contendo, cùm sanata & adiuta hominis voluntate, possibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis proueniat, dum charitas Dei quantum plenissimè natura nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis. Meliùs itaque Dei causa agitur, quam se iste agẽdo dicit defensare naturã, cùm & creator & saluator agnoscitur, quàm cũ defensa velut sana viribusque integris creatura, opitulatio saluatoris inanitur.

Possibilitas in sanctis simul cum effectu proueniat. Roman. 5.

CAPVT XLIII. VERVM est autem quod ait, *Quòd Deus tam bonus quàm iustus talem hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret; sed si voluisset.* Quis enim eum nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad iustè viuendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semiuiuum latrones reliquerunt, Luca 10. qui grauibus saucius confossusque vulneribus, non ita potest ad iustitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Qui etiam si iam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia iubet; sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod nõ possis. Iam nunc videamus vnde possit, vnde non possit. Iste dicit, *voluntate non est, quod natura potest.* Ego dico, voluntate quidem non est homo iustus, si natura potest; sed medicina poterit, quod vitio non potest.

Non iubet impossibilia Deus.

CAPVT XLIIII. QVID ergo iam opus est in pluribus immorari; veniamus interius ad causam, quam in hac dũtaxat quæstione vel solam, vel penè solam cum istis habemus. Sicut enim ipse dicit *ad quod nunc agit non pertinere vt quæratur, vtrum fuerint, vel sint aliqui hominẽs in hac vita sine peccato, sed vtrum esse potuerint, siue possint.* Ita ego etiamsi fuisse, vel esse consentiam; nullo modo tamen potuisse, vel posse confirmo, nisi iustificatos gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum & hunc crucifixum. Ea quippe fides iustos sanauit antiquos, quæ sanat & nos, id est, mediatoris Dei & hominum hominis Iesu Christi, fides sanguinis eius, fides crucis eius, fides mortis & resurrectionis eius. Habentes ergo eundem spiritum fidei, & nos credimus propter quod & loquimur. Iste verò obiecta sibi quæstione, in qua reuera intolerabilis videtur cordibus Christianis, quid respondeat attendamus. Ait enim: *Sed hoc est quod multos mouet, inquies, quòd non per Dei gratiam homines sine peccato esse posse defendis.* Prorsus hoc est quod mouet, hoc est quod obicimus. Rem ipsam dicit, hoc omnino ægerrimè sustinemus: hinc à Christianis talia disputari ea quam in alios & in ipsos habemus dilectione, non ferimus. Audiamus igitur quomodo se ab obiectione quæstionis huius expediat. *O ignorantiæ cæcitas*, inquit, *ô imperitæ mentis ignauia, quæ id sine Dei gratia defensari existimat, quod Deo tantùm audiat debere reputari.* Si nesciremus quæ sequantur, his tantummodo auditis, falsa nos de illis iactante fama, & quibusdam fratribus idoneis testibus asseuerantibus credidisse putaremus. Quid enim dici breuius potuit & verius, quàm possibilitatẽ non peccandi, quantacunque est vel erit in homine, non nisi Deo debere reputari? Hoc & nos dicimus, iungamus dexteras.

Status quæstionis inter Pelagianos & Catholicos. 1. Cor. 2. Eadem quæ nunc Christi fide, & olim iusti omnes saluati.

CAPVT XLV. AN audiẽda sunt cætera? Audienda planè, & corrigẽda vtiq; vel cauẽda. *Nã cùm dicitur* inquit, *ipsum posse, arbitrij humani omnino non esse, sed autoris naturæ, Dei scilicet: ecqui fieri potest vt absque Dei gratia intelligatur, quod ad Deũ propriè pertinere censetur?* Iam cœpit apparere quid dicat. Sed ne fortè fallamur, latiùs id explanat & clariùs. *Sed vt hoc manifestius*, inquit, *fiat, paulò latiùs disputandum est. Dicimus enim cuiusque rei possibilitatem, non tam in arbitrij humani potestate, quàm in naturæ necessitate consistere.* Exemplis etiam vel similitudinibus quid dicat, illustrat: *Vt puta*, inquit, *loqui possum. Quòd loqui possum, meum non est; quòd loquor, meum est, id est, propriæ voluntatis: & quia quòd loquor meum est, vtrũque facere possum, id est, & loqui & non loqui. Quia verò quod loqui possum, meum non est, id est, arbitrij mei atque voluntatis, necesse est me semper loqui posse. Et si voluero non posse loqui, non possum tamen non posse loqui, nisi fortè membrum illud adimam, quo loquendi impleri officiũ potest.* Multa quidem dici possent, quibus si velit, homo adimat sibi possibilitatem loquendi, non adempto illo membro quo loquimur. Velut si aliquid fiat vnde vox illa tollatur, loqui nemo poterit manentibus membris. Non enim vox hominis membrum est: vexato sanè aliquo interiore membro fieri potest, non adempto. Sed ne verbo premere videar, mihique contentiosè dicatur, etiam vexare adimere est, possumus quidem id efficere & ore aliquibus vinculis sic clauso atq; obserato, vt id aperire minimè valeamus, neque vt aperiatur in nostra sit potestate, cùm in potestate fuerit, vt clauderetur manente integritate & sanitate membrorum.

CAPVT XLVI. Necessitas nõ pugnat cum voluntate. SED quid ad nos? videamus quid inde contexat: *Voluntatis enim arbitrio*, inquit, *ac deliberatione priuatur quicquid naturali necessitate constringitur.* Et hîc nonnulla quæstio est. Perquam enim absurdum est, vt ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram quòd beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus, nescio qua & bona constrictione naturæ: nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiæ, quia non potest velle peccare.

CAPVT XLVII. ATTENDITE etiam quæ sequuntur: *Hoc*, inquit, *& de auditu, odoratu, vel visu sentiri possibile est, quòd audire, odorari, videre, potestatis nostræ sit; posse verò audire, vel odorari, vel videre, potestatis nostræ non sit, sed in naturali necessitate consistat.* Aut ego non intelligo quid dicat, aut ipse. Quomodo enim in potestate nostra non est videndi possibilitas, si in potestate nostra est non videndi necessitas, quia in potestate est cæcitas qua idipsum videre posse nobis, si volumus, adimamus? Quomodo autem in potestate nostra est videre si velimus, cùm etiam salua integritate naturæ corporis oculorumque nostrorum, nec volentes videre possimus, siue per noctem luminibus quæ forinsecùs adhibentur ademptis; siue nos quisquam in tenebroso loco aliquo includat? Item si quòd audire possumus, vel non possumus, in nostra potestate non est, sed in naturæ constrictione; quod verò audimus vel non audimus, hoc est propriæ voluntatis; cur non attendit, quanta audiamus inuiti quæ penetrant in sensum nostrum etiam auribus obturatis, sicuti est de proximo serræ stridor, vel grunnitus suis? Quanquam obturatio aurium ostendit, non in potestate nostra esse, apertis auribus non audire: facit etiam fortasse talis obturatio, quæ ipsum sensum nostrum adimat, vt in nostra potestate sit etiam audire non posse. De odoratu autem quod dicit, nónne parum attendit, non esse in nostra potestate posse odorari vel non posse, sed in nostra potestate esse, hoc est, in libera voluntate, odorari vel non odorari: cùm inter odores graues & molestos quando cõstituti fuerimus, si quis nos illic manibus ligatis constituat, seruata prorsus integritate ac salute membrorum velimus non odorari, nec omnino possimus, quia cùm spiritum ducere cogimur, simul & odorem quem nolumus, trahimus?

CAPVT XLVIII. SICVT ergo istæ similitudines falsæ sunt, ita & illud, propter quod eas voluit adhibere. Sequitur enim & dicit: *Simili ergo modo de non peccandi possibilitate intelligendum est. Quòd non peccare nostrum sit, posse verò non peccare non nostrum.* Si de integra & sana hominis natura loqueretur, quam modò non habemus; (Spe enim salui facti sumus: Spes autem quæ videtur non est spes: Si autem quod non videmus speramus, per patiẽtiam expectamus,) nec sic rectè diceret, quòd non peccare nostrum tantummodo sit, quamuis peccare nostrum esset: nam & ibi esset adiutorium Dei, & tanquam lumen sanis oculis, quo adiuti videant se præbere volentibus. Quia verò de hac vita disputat, vbi corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, miror quo corde etiam sine adiutorio medicinæ saluatoris nostri, nostrum putat esse non peccare, posse verò non peccare naturæ esse contendat, quam sic apparet esse vitiatã, vt hoc maioris vitij sit non videre.

Roman. 8. Sap. 9.

CAPVT XLIX. QVIA *non peccare*, inquit, *nostrum est; possumus peccare & non peccare.* Quid si alius dicat, quia nolle infelicitatem, nostrum est, possumus eam & nolle & velle, & tamen eam velle omnino non possumus. Quis enim vllo modo velle esse possit infelix, etiam si aliud vult vbieum & nolentem infelicitas consequatur? Deinde, quia Dei multo magis est non peccare, num audebimus eum dicere & peccare posse & non peccare? Absit à nobis vt Deum peccare posse dicamus. Non enim vt stulti putant, ideo non erit omnipotens, quia nec mori potest, & negare seipsum non potest. Quid est ergo quod loquitur, & quibus locutionum regulis conatur persuadere, quod non vult considerare? Adhuc addit & dicit: *Quia verò posse non peccare, nostrum non est, & si voluerimus non posse non peccare, non possumus non posse non peccare.* Intortè hoc dixit, & ideo subobscurè. Sed ita posset dici planiùs, quia posse non peccare nostrum non est, seu velimus, seu nolimus, possumus non peccare. Non enim ait, seu velimus, seu nolimus, non peccamus: sine dubio enim peccamus si volumus, sed tamen velimus nolimus, habere nos asserit non peccandi possibilitatem, quam naturæ insitam dicit. Sed de homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest, velit nolit habet ambulandi possibilitatem: confractis verò, & si velit non habet. Vitiata est natura de qua loquitur: Quid superbit terra & cinis? Vitiata est, medicum implorat: Saluum me fac Domine, clamat: Sana animã meam, clamat. Quid intercludit has voces, vt defendendo quasi præsentem possibilitatem, futuram impediat sanitatem?

Omnipotentia Dei nihil admittit, quòd nec peccare, nec mori, nec seipsum occidere potest. Eccl. 10. Psal. 40.

CAP. L. ET videte quid adiungat vnde illud confirmare existimat: *quia nulla*, inquit, *adimere voluntas potest, quod inseparabiliter insitum probatur esse naturæ.* Vnde ergo illa vox: Vt non quæ vultis illa faciatis. Vnde etiam illa: Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum hoc ago? Vbi est possibilitas, quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ? Ecce homines non ea quæ volunt faciunt, & de non peccando vtique agebat; non de volando, quia homines non alites erant. Ecce homo quod vult bonum non agit, sed quod non vult malum hoc agit: velle illi adiacet, perficere autem bonum, non adiacet. Vbi est possibilitas, quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ? Quemlibet enim in se transfiguret, si de seipso ista non dicit Apostolus, hominem certè in se transfigurat. Ab isto autem ipsa humana natura inseparabilem nihil peccandi possibilitatem habere defenditur. Sed his verbis id agitur, etiam à nesciente qui loquitur, non autem nesciente illo qui hæc loquenda incautis etiam Deum timentibus suggerit, vt euacuetur Christi gratia, humana sibi ad iustitiam suam quasi sufficiente natura.

Galat. 5. Roman. 7.

CAP. LI. VT autem declinetur inuidia qua Christiani etiam pro salute sua clamant & dicunt, quare sine adiutorio gratiæ Dei dicis hominem posse non peccare? *Ipsa*, inquit, *non peccandi possibilitas non tam in arbitrij potestate, quàm in naturæ necessitate est. Quicquid in naturæ necessitate positum est, ad naturæ pertinere non dubitatur authorem, vtique Deum. Quomodo ergo*, inquit, *absque Dei gratia dici existimatur, quod ad Deum propriè pertinere monstratur?* Expressa est sententia quæ latebat, non est quemadmodum possit abscondi. Ideo Dei gratiæ tribuit non peccandi possibilitatem; quia eius naturæ Deus author est, cui possibilitatem non peccandi inseparabiliter insitam dicit. Cùm vult ergo faciat, quia non vult non facit. Vbi enim est inseparabilis possibilitas, ei accidere non potest voluntatis infirmitas, vel potius voluntatis adiacentia, & perfectionis indigentia. Si ergo ita est, vnde venit, Velle adiacet, perficere autem bonum non adiacet? Si enim iste qui hunc librum scripsit, de illa hominis natura loqueretur, quæ primo inculpata & salua condita est, vtcunque acceptaretur hoc dictum: (quanquam inseparabilem habere possibilitatem, id est, vt ita dicam, inamissibilem, non debuit illa natura dici, quæ

Possibilitas non peccandi quo sensu Pelagius Dei gratiæ tribuebat. Roman. 7.

quæ vitiari potuit,) posset & medicum quærere, qui cæci oculos sanaret, & videndi possibilitatem restitueret, quæ fuerat amissa per cæcitatem: quoniam cæcus puto quòd velit videre, sed non potest: si autē vult & non potest, inest volūtas, sed amissa est possibilitas.

CAPVT LII. ADHVC videre quas moles conetur qui suam sententiam ducat irrumpere, si valeret: Obiicit enim sibi quæstionem, dicens: *Sed caro nobis secundum Apostolum contraria est, inquies.* Deinde respondet: *Qui fieri potest, vt cuicunque baptizato sit caro contraria, cùm secundum eundem Apostolum in carne non esse intelligatur? ita enim ait: Vos autem in carne non estis.* Bene, quod baptizatis dicit carnem contrariam esse non posse; quod vtrum verum sit, pòst videbimus. Nunc verò quia non potuit penitus se obliuisci esse Christianum, sed id licet tenuiter recordatus est, recessit à defensione naturæ. Vbi est ergo inseparabilitas possibilitatis? An fortè nondum baptizati in natura hominum nō sunt? Hîc prorsus, hîc posset vigilare, & si aduertat potest, *Qui fieri potest*, inquit, *vt cuicunque baptizato sit caro contraria?* ergo non baptizatis potest caro esse contraria. Exponat quemadmodum cùm sit etiam in ipsis illa ab eo multum defensa natura, certè vel in eis concedit esse vitiatam, si iam in baptizatis ille saucius, sanus de stabulo egressus est, aut sanus in stabulo est, quò eum curandum misericors Samaritanus aduexit. Porrò si vel istis concedit carnem esse contrariā, dicat quid contigerit cùm sit vtrunque, hoc est, & caro & spiritus creatura vnius eiusdemque creatoris, proculdubio bona, quia boni; nisi quia hoc est vitium, quod propria inflictū est voluntate, & hoc vt in natura sanetur, eo ipso opus est saluatore, quo instituta est natura creatore, hoc saluatore, eaque illius medicina, qua verbū caro factū est vt habitaret in nobis, si opus esse fateamur paruis & magnis, id est, à vagitibus infantum vsque ad cānos senū, tota quæ inter nos est, huius quæstionis controuersia dissoluta est.

Galat. 5. — Romanorum 8. — Capite proximo. — Luca 10.

CAPVT LIII. NVNC iam videamus, vtrum etiam baptizatis legatur caro esse contraria. Vbi quæro, quibus dicebat Apostolus, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem? Hæc enim inuicem aduersantur, vt non ea quæ vultis faciatis. Ad Galatas, vt opinor, id scripsit: quibus dicit, Qui ergo tribuit vobis spiritum, & virtutes operatur in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei? Vnde apparet eum Christianis loqui, & quibus Deus tribuerat spiritum, ergo etiam baptizatis. Ecce & baptizatis caro inuenitur esse contraria, & non adesse possibilitas illa, quam inseparabiliter insitam dicit esse naturæ. Vbi est quod ait, *Qui fieri potest, vt cuicunque baptizato sit caro contraria?* Quomodolibet intelligat carnem, quia reuera non natura eius quæ bona est, sed vitia carnalia carnis hoc loco, nomine nuncupantur: ecce tamen etiam baptizatis caro contraria est, & quomodo contraria? vt non quod volunt faciant. Ecce adest voluntas in homine, vbi est possibilitas illa naturæ? Fateamur gratiam necessariam, clamemus, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et respondeatur nobis, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quando enim istis rectissimè dicitur, Quare sine adiutorio gratiæ Dei dicitis hominem posse esse sine peccato? non tunc de illa gratia quæstio est, qua est homo conditus; sed de ista qua fit saluus per Iesum Christum Dominum nostrum. Fideles enim orantes dicunt: Ne nos inferas in tentationem; sed libera nos à malo. Si adest possibilitas, vt quid orant? Aut à quo malo se liberari orant, nisi maximè de corpore mortis huius? vnde non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Non vtique de substantia corporis quæ bona est, sed de vitiis carnalibus, vnde non liberatur homo sine gratia saluatoris, nec quando per mortem corporis discedit à corpore. Et hoc vt diceret Apostolus, quid suprà dixerat? Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mētis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis. Ecce quod vitium naturæ humanæ inobedientia voluntatis inflixit. Orare sinatur, vt sanetur. Quid tantum de naturæ possibilitate præsumitur? vulnerata, sauciata, vexata, perdita est, vera confessione, non falsa defensione opus habet. Gratia ergo Dei non qua instituatur, sed qua restituatur, quæratur; quæ ab isto sola clamatur non esse necessaria, cùm tacetur. Qui si omnino nihil de gratia Dei diceret, nec eam quæstionem soluendam sibi proponeret, vt à se de hac re inuidiam remoueret, posset putari hoc quidem sentire, quod veritas habet; sed non dixisse, quia non vbique omnia dicenda sunt. Proposuit de gratia quæstionem, id respondet quod habebat in corde, definita quæstio est, non quam volebamus, sed vbi quid sentiret, dubitabamus.

Galat. 5. & 3. — Romanorum 7. — De qua hic Dei gratia disseratur. — Matth. 6.

CAPVT LIV. DEINDE multis verbis Apostoli conatur ostendere, vnde non est controuersia, *quòd caro ab illo ita sæpe nominetur, vt velit intelligi non substantiam, sed opera carnis.* Quid hoc ad rem? Vitia carnis contraria sunt voluntati hominis: non natura accusatur, sed vitiis medicus quæritur. Quid est quod interrogat, *quis fecit homini spiritum?* & respondet sibi, *sine dubio Deus.* Et item interrogat, *carnem quis creauit?* Itemque respondet, *idem credo Deus.* Interrogat tertio: *Bonus est qui vtrumque creauit Deus?* respondet, *nulli dubium est.* Adhuc interrogat: *Et vtrumque quod bonus author creauit bonum est?* & ad hoc respondet, *confitendum est.* Deinde concludit, *Si igitur & spiritus bonus, & caro bona, vt à bono authore condita, qui fieri potest, vt duo bona possint sibi esse contraria?* Omitto dicere, quia tota huius ratiocinatio turbaretur, si quis ab eo quæreret, Æstus & frigus quis fecit? responderet enim sine dubio, Deus. Non ego multa interrogo, ipse concludat, vtrum aut ista possint dici non bona, aut non appareant inter se esse contraria. Hic fortè dicit, *qualitates sunt istæ substantiarum, non substantiæ.* Ita est, verum est; sed qualitates naturales & ad Dei creaturam sine dubio pertinentes: substantiæ quippe non per seipsas, sed per suas qualitates, sicut aqua & ignis dicuntur sibi esse contrariæ. Quid si ita sunt caro & spiritus? quod quidem non affirmamus, sed vt ratiocinationem eius non necessaria illatione conclusam ostenderemus, hoc diximus. Possunt enim & contraria non inuicem aduersari, sed ex alterutro temperari & bonam valetudinem reddere: sicut in corpore siccitas & humiditas, frigus & calor, quorum omnium temperatione bona corporalis valetudo cōsistit. Sed quòd contraria est caro spiritui, vt non ea quæ volumus faciamus, vitium est, non natura; gratia medicinalis quæratur, & cōtrouersia finiatur. Duo quippe ista bona, à bono Deo condita, quomodo contra huius ratiocinationem in non baptizatis hominibus possunt sibi esse contraria? An & hoc eum dixisse pœnitebit, quod affectu aliquo fidei Christianæ locutus est? Cum enim dixit, *Qui fieri potest, vt cuicunque iam baptizato sit caro contraria:* significauit non baptizatis carnem posse esse cōtrariam. Nam cur addidit, *iam baptizato*, cùm posset etiam hoc nō addito dicere, *Qui fieri potest, vt cuicunque sit caro contraria:* atque ad hoc probandum subiicere illam ratiocinationē suam, quia vtrunque bonum est à bono cōditum, & ideo non potest inter se esse cōtrarium? Si ergo non baptizati, quibus certè fatetur carnem esse cōtrariam, suis illum interrogationibus vrgeant & dicant, Quis fecit homini spiritum? Iste respondebit, Deus. Item de illi, Carnē quis

infrà cap. 56. — Dialogis.

quis creauit? respondet iste, idem credo Deus. Illi tertio, Bonus est qui vtrunque creauit Deus? & iste, nulli dubium est. Atque illi vnum quod restat inquirant: Et vtrunque quod bonus author creauit bonum est? iste fatebitur. Tunc illi cum suo gladio iugulabunt inferentes conclusionem eius & dicentes, Si igitur spiritus bonus & caro bona, vt à bono authore cōdita, quī fieri potest, vt duo bona sibi possint esse contraria? Hic fortè ille respondebit, Date veniam, quia non debui dicere cuicunque baptizato carnē non posse esse contrariam, vt hoc modo vobis non baptizatis cōtrariam confiterer; sed sine vlla exceptione dicere debui, carnem nulli esse cōtrariam. Ecce quò seipse compingit, ecce quæ loquitur qui non vult clamare cum Apostolo, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. *Sed cur* inquit, *clamem iam baptizatus in Christo; illi hoc clament qui nondum tale beneficium perceperunt, quorum in se voces figurabat Apostolus: si tamen vel hoc dicunt.* Sed naturæ ista defensio, nec illos hac voce exclamare permittit. Neque enim in baptizatis natura est, & in non baptizatis natura non est. Aut si vel in illis vitiata esse cōceditur, vt non sine causa clament, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, eisque subueniatur in eo quod sequitur, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: concedatur iam tandem aliquando humanam medico Christo indigere naturam.

Rom. 7.

CAPVT LV. Corpus mortis vitium est nō substantia. QVAERO autem, vbi natura istam perdiderit libertatem quam sibi dari exoptat cùm dicit, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Non enim & ille substantiam carnis accusat, cùm dicit liberari se cupere de corpore mortis huius, cùm etiam corporis sicut animæ natura Deo bono authori tribuenda sit. Sed vtiq; de vitiis corporis dicit, Nam de corpore mors corporis separat, sed contracta ex illo vitia cohærent, quibus iusta pœna debetur, quam etiam in inferno ille diues inuenit. Hinc se non poterat vtique liberare qui dicit, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Vbicunque autem istam perdiderit libertatem, certè inseparabilis est possibilitas illa naturę, habet posse per natur de subsidiū, habet velle per liberum arbitrium, cur quęrit baptismatis sacramētum? An propter commissa præterita, vt ea tātùm ignoscantur, quæ fieri infecta non possunt? Dimitte hominem, clamet quod clamabat. Non enim tantùm desiderat, vt per indulgentiam sit de præteritis impunitus, sed etiam vt sit de cætero ad non peccandum fortis & validus. Condelectatur enim legi Dei secūdum interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ: videt esse, non recolit fuisse; præsentibus vrgetur, non pręterita reminiscitur. Nec tantùm repugnantem videt, verumetiam captiuantem se in lege peccati, quæ est in membris eius, non quæ fuit. Hinc est quod clamat, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Sinatur orare, sinatur adiutorium medici potentissimi flagitare. Quid contradicitur? quid obstrepitur? quid miser misericordiam Christi petere prohibetur, & hoc à Christianis? Nam & illi cum Christo ambulabant, qui cæcos lumen clamando petere prohibebāt, sed etiam inter tumultum contradicentium audit ille clamantem, vnde huic responsum est, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Porrò si ab istis vel hoc impetramus, vt nondum baptizati implorent auxilium gratię saluatoris, non est hoc quidem parum aduersus illam falsam defensionem, tanquam sibi sufficientis naturæ & potestatis liberi arbitrij. Neq; enim sibi sufficit qui dicit, Infelix ego homo, quis me liberabit: aut plenā libertatem habere dicēdus est, qui se adhuc postulat liberari.

Luc. 20. — Ironia. — Rom. 7. — Matth. 20.

VERVNTAMEN etiam illud videamus, vtrum illi qui baptizati sunt faciant bona quæ volunt, nulla carnis concupiscentia repugnāte. Sed quid hinc dicamus, ipse commemorat, vbi concludens hunc locum, *Vt diximus*, inquit, *illud quo continetur, Caro concupiscit aduersus spiritum: non de carnis substantia, sed de operibus sentire necesse est.* Hoc & nos dicimus, nō de carnis substantia, sed de operibus dictum quæ veniunt de carnis concupiscentia; de peccato scilicet de quo præcipit, vt non regnet in nostro mortali corpore ad obediendum desideriis eius.

Galat. 5. — Rom. 6.

CAPVT LVI. NEC attēdit etiam ipse iam baptizatis fuisse dictū, Caro cōcupiscit aduersum spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ vultis faciatis. Et ne ab ipsa pugna desides faceret, & per hanc sententiā laxamentum peccandi dedisse videretur, adiungit, Quòd si spiritu ducimini, non adhuc estis sub lege. Sub lege est enim, qui timore supplicij quod lex minatur non amore iustitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nōdum liber nec alienus à volūtate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet si fieri posset nō esse quod timeat, vt liberè faciat quod occultè desiderat. Ergo si spiritu, inquit, ducimini, non adhuc estis sub lege: vtiq; lege quæ timorem incutit, nō tribuit charitatem, quæ charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per legis literam, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis. Hæc est lex libertatis non seruitutis, quia charitatis vtiq;, non timoris. De qua & Iacobus apostolus ait; Qui autem perspexerit in legē perfectam libertatis. Vnde & ille non quidem iam lege Dei terrebatur vt seruus, sed condelectabatur ei secundum interiorem hominem. Videt tamen adhuc aliam legem in membris suis repugnantem legi mētis suæ. Ira & hic, Si spiritu, inquit, ducimini non adhuc estis sub lege. Inquātum quisq; spiritu ducitur, nō est sub lege: quia inquātum condelectatur legi Dei, non est sub legis timore: quia timor tormentum habet, non delectationem.

Sub lege quās esse dicamus. — Iacob. 1.

CAPVT LVII. PROINDE si rectè sentimus, sicut pro membris sanatis gratias agere; ita pro sanandis orare debemus, vt absolutissima cui nihil addi possit sanitate, perfecta Dei suauitate, plena libertate perfruamur. Non enim abnuimus humanam naturam posse esse sine peccato, aut vllo modo negare debemus perfici posse, quā proficere non negamus; sed gratia Dei per Iesum Christū Dominum nostrum, eo adiuuante fieri dicimus, vt iusta & beata sit, à quo creata est vt sit. Facilè itaq; refellitur quod à quibusdam sibi dicit opponi, *Diabolus nobis aduersatur.* Prorsus huic obiectioni eadem verba respōdemus, quæ ipse respondit, *Resistamus illi, & fugiet. Resistite, inquit beatus Apostolus, diabolo, & fugiet à vobis. Vnde animaduertendum est quid possit his nocere quos fugit, vel quam virtutem habere intelligendus sit, qui solis præualere nō resistentibus potest.* Hæc & mea verba sunt, verius enim dici non potest. Sed hoc interest inter nos & istos, quòd nos etiā cum diabolo resistitur, poscendū Dei adiutoriū, non solùm non negamus, verumetiam prædicamus: isti autē tantam tribuunt potestatem voluntati, vt pietati auferant orationē. Nam vtiq; vt diabolo resistamus & fugiat à nobis, ideo precantes dicimus, Ne nos inferas in tentationem: ideo & admoniti sumus tanquam ab Imperatore milites exhortante & dicente, Vigilate & orate ne intretis in tentationem.

Iacob. 4. — Matth. 6. — Marc. 14.

CAPVT LIX. QVOD verò contra eos disputat qui dicunt, *Et quis nolit sine peccato esse, si hoc in hominis esset positum potestate?* Rectè quidem disputat, hoc ipso eos confiteri non esse impossibile, quia hoc vel multi, vel omnes volunt: sed hoc vnde fit possibile confiteatur, & pax est. Ipsa est enim gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, qua omnino iste nos orantes adiuuari vt non peccemus, nusquam dicere voluit. Quod si fortè latenter sentit, ignoscat aliter suspicantibus. Ipse enim hoc facit, qui cùm tātam de hac re patiatur inuidiam, sentire

sentire id vult, & confiteri vel profiteri nõ vult. Quid erat magnum vt hoc diceret, cùm præsertim sibi hoc tanquam ex persona aduersariorum oppositum tractare & aperire susceperit? Cur illic solã naturam defendere voluit, & quia homo ita creatus est, vt nõ peccare posset, si peccare noluisset asseruit, ac per hoc quòd ita creatus est, eam possibilitatem ad gratiam Dei pertinere definiuit, qua possibilitate si noluerit peccare, non peccat: & noluit aliquid dicere de eo, quòd ipsa natura gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum vel sanatur quia vitiata est, vel quia sibi non sufficit adiuuatur?

CAPVT LX. VTRVM enim in hoc seculo fuerit, vel sit, vel possit esse aliquis ita iustè viuens, vt nullum habeat omnino peccatum, potest esse aliqua quæstio inter veros piosque Christianos: posse tamen esse certè post hanc vitam quisquis ambigit, desipit. Sed ego nec de ista vita volo contendere. Quanquam enim mihi nõ videatur aliter intelligendum quod scriptum est, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, & si qua similia: vt tamen possit ostendi, vel hæc testimonia melius aliter intelligi posse, vel perfectam plenamque iustitiam cui prorsus nihil addendum sit, & heri fuisse in aliquo, cùm in isto corpore viueret, & hodie esse, & cras futuram; dum tamen longè plures sint, qui cum sibi vsque ad vltimũ vitæ huius diem necessarium esse non dubitent, vt veraciter dicant, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: spem suam tamen in Christo atque in eius promissionibus veram, certam, firmam esse confidant: nullo tamen modo nisi adiuuante gratia saluatoris Christi crucifixi, & dono spiritus eius, vel quoslibet ad plenissimam perfectionem, vel quenquam ad qualemcunque prouectum veræ piæque iustitiæ peruenire, qui negauerint, nescio vtrum rectè possint in qualiũcunque Christianorum numero deputari.

Psal. 142.

CAPVT LXI. Responder ad doctorum virorum testimonia quæ Pelagius pro se protulerat.

AC per hoc & ea testimonia quæ non quidem de scripturis canonicis, sed de quibusdam catholicorum tractatorum opusculis posuit, volens occurrere iis qui eum solum dicerent ista defendere, ita sunt media, vt neque contra nostram sententiam sint, neque contra ipsius. In quibus etiam nonnihil de libris meis interponere voluit, me quoque aliquẽ deputans, qui cum illis commemorari dignus viderer. Vnde ingratus esse non debeo, & familiariore affectu nolim vt errer, qui hunc mihi detulit honorem. Prima enim quæ posuit, quia nomen eius qui ea dixit, non ibi legi, siue quia ille non scripsit, siue quia codex quem misistis, id aliqua fortè mendositate nõ habuit, pertractare quid opus est? Maximè quoniam me in huiusmodi quorumlibet hominum scriptis liberum, (quia solis canonicis debeo sine vlla recusatione consensum) nonnihil mouet quod de illius scriptis cuius nomen non ibi inueni, ille posuit. *Oportuit magistrum doctorem q; virtutum homini simillimum fieri, vt vincendo peccatum doceat hominem vincere posse peccatum.* Quomodo enim dictum sit, author huius sententiæ viderit, qualiter possit exponere: dum tamen nos minimè dubitemus peccatum Christum in se non habuisse quod vinceret, qui natus est in similitudine carnis peccati, non in carne peccati. Aliud eiusdem ita posuit, *Et iterum; vt desideriis carnis edomitis, doceret non necessitatis esse peccare, sed propositi ac voluntatis.* Ego desideria carnis, (si non illicitarum concupiscentiarum hic dicuntur) accipio, sicuti est fames, sitis, refectio lassitudinis, & si quid huiusmodi est. Per hæc enim quidam quãuis ea sint inculpabilia, in culpas decidunt; quod ab illo saluatore abfuit, etiam si hæc in eo fuisse propter similitudinem carnis peccati, Euangelio teste videamus.

Lactantius is est.

Lactant lib. 4. diuin. instit. cap. 24.

Ibid. cap. 25.

CAPVT LXII. Hilarius in il lud Matt. 5. Beati mundo corde.

BEATVS verò Hilarius, cuius verba hæc posuit, *Nõ enim nisi spiritu perfecti et immortalitate mutati, quod solis mundis corde dispositũ est, hoc quod in Deo est immortale cernemus:* quid dixerit contra id quod dicimus, vel quid istum adiuuet, nescio, nisi quia posse esse hominẽ mũdo corde testatus est? Quod quis negat? Sed gratia Dei per Iesum Christum Dominũ nostrum, non sola arbitrij libertate. Item quod eum dixisse cõmemorat, *Quæs Iob literas legerat, vt abstineret se ab omni re maligna, quia Deum sola mente vitiis non admixta venerabatur, Deum autem colere iustitiæ propriũ officium est.* Quid fecisset Iob dixit, non quid in hoc seculo perfecisset, aut sine gratia saluatoris, quem etiam prophetauit, vel fecisset vel perfecisset? Abstinet enim se ab omni re mala, etiã qui habet peccatũ, quod in se regnare nõ sinit, cui surrepit improbãda cogitatio, quam peruenire ad finem operis non permittit. Sed aliud est nõ habere peccatũ; aliud nõ obedire desideriis eius. Aliud est implere quod præceptũ est, Non concupisces. Et aliud est per quendã abstinẽtię conatum saltẽ id agere quod itẽ scriptũ est, Post concupiscẽtias tuas nõ eas, nihil horũ tamen scire se rectè posse, sine gratia saluatoris. Facere est ergo iustitiã, in vero Dei cultu cum interno concupiscẽtiæ malo interna cõflictatione pugnare: perficere autẽ, omnino aduersariũ non habere. Nã qui pugnat, & adhuc periclitatur, & aliquando percutitur etiam si non sternitur: Qui autẽ non habet aduersarium, plena pace lætatur. Et ipse esse sine peccato verissime dicitur, in quo nullum habitat peccatũ, non qui per abstinentiam mali operis dicit, Iam nõ ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum. Nam & ipse Iob de peccatis suis non tacet, & vtiq; huic amico vestro merito placet, humilitatem nullo modo in falsitatis parte ponendã. Vnde id quod Iob cõfitetur quia verax Dei cultor est, proculdubio veraciter cõfitetur. Et ipse Hilarius cùm locum Psalmi exponeret vbi scriptum est, Spreuisti omnes discedentes à iudiciis tuis, ait: *Si enim Deus peccatores sperneret, omnes vtique sperneret: quia sine peccato nemo est. Sed spernit discedentes à se, quos apostatas vocant.* Videtis quemadmodum non dixerit, quia sine peccato nemo fuerit, tanquam de præteritis loquens, sed quòd sine peccato nemo sit, vnde quidem vt dixi non contendo. Quisquis enim non cedit Ioanni Apostolo, qui nec ipse ait, Si dixerimus quia peccatum non habuimus, sed non habemus: episcopo Hilario quomodo cessurus est? Pro gratia Christi clamo, sine qua nemo iustificatur, tanquam sufficiente naturæ libero arbitrio. Imò ipse pro ea clamat, ei cedatur dicenti, Sine me nihil potestis facere.

Exod. 20. Eccl. 18.

Facere et perficere iustitiã qui differant.

Rom. 7.

Opponit Pelagio alium Hilarij locum in Psal. 118.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 15.

SANCTVS autem Ambrosius reuera in eo loco quem iste commemorat, illis resistit qui dicunt hominem non esse posse sine peccato in hac vita. Vt enim ea diceret, accepit occasionem de Zacharia & Elizabet, quòd in Euangelio commemorati sunt ambulasse in omnibus iustificationibus legis sine querela: nunquid tamẽ negat gratia Dei fieri per Iesum Christum Dominum nostrum? Ex qua fide etiam ante eius passionem iustos vixisse non dubium est, qui præstat spiritum sanctum qui datus est nobis, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, qua vna iusti sunt quicunq; iusti sunt, Quem spiritũ memoratus Episcopus etiã precibus impetrandũ admonet: ita illi volũtas diuinitùs nõ adiuta nõ sufficit, vbi in hymno suo dicit,

CAPVT LXIII. Ambrosius super Lucã. Luca 1.

Opponit alia Ambrosii testimonia.

Votisque perstat sedulis,
Sanctum mereri spiritum.

In præfatione B. Lucæ.

Cõmemorabo & ego de hoc ipso opere S. Ambr. aliquid, ex quo iste cõmemorauit quod cõmemorãdum putauit. *Visum est*, inquit, *mihi. Potest non soli visum esse, quod visum sibi esse declarat. Nõ enim volũtate tãtũ humana visum est, sed sicut placuit ei qui in me, inquit, loquitur Christus, qui vt id quod bonũ est, nobis quoq; bonum videri possit operatur. Quẽ enim miseratur, & vocat. Et ideo qui Christũ sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus,*

stianus, respondere, visum est mihi. Quod cùm dicit, nõ negat Deo visum, à Deo enim præparatur voluntas hominũ: vt enim Deus honorificetur à sancto, Dei gratia est. Ecce quid iste sapiat. Si verbis Ambrosij delectatur, quòd à Deo præparatur voluntas hominum, & nulla, vel non magna quęstio est, quis vel quando perficiatur; dum tamẽ sine gratia Christi idipsum fieri posse minimè dubitetur. Deinde quantum erat vt attẽderet iste vnum versum de Ambrosij verbis quæ posuit: cùm enim illé dixisset, *Nam cùm ecclesia ex gentibus, hoc est, peccatoribus cõgregata sit, quomodo ex maculatis immaculata potest esse, nisi primò per Christi gratiam, quòd abluta delictõ sit: deinde, quòd per qualitatem non peccandi abstineat à delictis?* Ille addidit, quod iste apparet cur addere noluerit. Ait namque ille, *Nec ab initio immaculata, humanæ enim hoc impossibile naturæ: sed per Dei gratiam & qualitatem sui, quia iam non peccat, fit vt immaculata videatur.* Hæc verba, iste cur non addiderit, quis nõ intelligat? Hoc agitur vtiq; nunc in hoc seculo, vt ad istam quam omnes sancti cupiunt immaculatissimam puritatem Ecclesia sancta peruenias, quæ in futuro seculo neq; aliquo malorum hominum sibi permixto, neq; aliqua in se lege peccati resistente legi mentis ducat mundissimam vitam in æternitate diuina. Tamen attẽdat iste quid secundum scripturas Ambrosius Episcopus dixerit, *Nec ab initio immaculata, humanæ enim hoc impossibile naturæ.* Vtique enim ab initio dicit quo ex Adam nascimur. Nam & ipse Adam immaculatus proculdubio factus est. Sed in eis qui sunt natura filij iræ, ducentes ex illo quod vitiatum est, in illo ab initio esse immaculatos, humanæ naturæ impossibile definiuit.

In cap. 1. Lucæ, non procul ab initio.

CAPVT LXIIII. ITEM Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, cuius posuit sententiam, *dicit peccatum non esse substantiam, sed actum malignum*: quis hoc negat? *Et quia non est naturale, ideo contra illud legem datam; & quòd de arbitrij libertate descendit*, etiam hoc quis negat? Sed non id agitur de humana natura qu ęin hac vita est, sed agitur de gratia Dei qua sanatur per medicum Christũ, quo non indigeret si sana esset, quæ ab isto tãquam sana vel tanquam sibi sufficiente volũtatis arbitrio posse non peccare defenditur. Quis itẽ Christianus ignorat, quod beatissimum Sixtum Romanę Ecclesiæ Episcopum & Domini martyrem dixisse commemorat, *Quia libertatem arbitrij sui permisit hominibus Deus, vt purè & sine peccato viuentes similes fiant Deo.* Sed ad ipsum arbitrium pertinet vocantem audire & credere, & ab eo in quem credit non peccandi adiutorium postulare. Nam vtique cùm dicit, *similes fiant Deo*, per charitatem Dei futuri sunt similes Deo, quæ diffusa est in cordibus nostris, non naturæ possibilitate, nec libero arbitrio quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Et quod dicit idem martyr, *Templum sanctum est Deo mens pura, & altare optimum est ei cor mundum & sine peccato:* quis nesciat ad istã perfectionem perducendum cor mundum, dum interior homo renouatur de die in diem, non tamen sine gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Item quod ait ipse, *Vir castus & sine peccato potestatem accepit à Deo esse filius Dei*, vtique admonuit, ne cùm quisque factus fuerit ita castus & sine peccato, (quod vbi & quando in eo perficiatur nonnulla quæstio est, sed inter pios bene quęritur, inter quos tamen constat fieri posse, & sine mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu fieri non posse.) tamen vt dicere cœperam, prudenter Sixtus admonuit, ne cùm fuerit quisq; talis factus, & per hoc rectè inter filios Dei deputatus, putetur ipsius fuisse potestatis, quam per gratiam accepit à Deo, cùm eam non haberet in natura iam vitiata atque deprauata, sicut in Euangelio legitur, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: quod vtique non erant per natu-

Non martyris sed philosophi liber hic fuit, vt docet Hieron. epistola ad Cresiphontem & August. Retract. lib. 2. cap. 42.

ram, nec omnino essent, nisi eum recipiendo accepissent per eius gratiam huiusmodi potestatem. Hæc est potestas quam sibi vindicat fortitudo charitatis, quæ non est in nobis, nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

CAPVT LXV. Hieronymus in 3. c. Mal.

QVOD verò presbyter venerabilis Hieronymus dixit, in iis quæ illum dixisse commemorat, cùm exponeret quod scriptum est: Beati mũdo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: *quos non arguit conscientia vlla peccati*, & adiecit, *Mundus mundo corde conspicitur, templum Dei non potest esse pollutum*: hoc itaque agitur in nobis conando, laborando, orando, impetrando, vt ad illam perfectionẽ in qua possimus Deum mundo corde cõspicere, eius gratia perducamur per Iesum Christum Dominum nostrum. Item quod ait à memorato dictum esse presbytero, *liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin vbi necessitas nec corona est*: quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam? Sed in rectè faciẽdo, ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.

Lib. 2. contra Iouinianum.

CAPVT LXVI. Rom. 5. Eph. 4.

REDI ergo ad apostolicam sententiam, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ qui datus est nobis. A quo nisi ab illo, qui ascendit in altum, captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus? Quòd autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ sit quædam peccandi necessitas, audiat homo, atque vt eadem necessitas non sit, discat Deo dicere: De necessitatibus meis educ me: quia & in huiusmodi oratione certamen est aduersus tentatorem de ipsa contra nos necessitate pugnantem: ac per hoc opitulante gratia per Iesum Christum Dominum, & mala necessitas remouebitur, & libertas plena tribuetur.

Quædam peccandi necessitas.

Psal. 24.

CAPVT LXVII. Aug. lib. 3. de libero arbitr. cap. 18.

VENIAMVS ad nos. *Item*, inquit, *Augustinus Episcopus in libris de libero arbitrio, Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei cedit: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? ergo cauent ne fallatur: An tanta fallacia est vt caueri omnino non possit? si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo quod caueri nullo modo potest? Peccatur autem, caueri igitur potest.* Agnosco, verba mea sunt; sed etiam ipse dignetur agnoscere superius cũcta quæ dicta sunt. De gratia quippe Dei agitur, quæ nobis per mediatorem medicina opitulatur, non de impossibilitate iustitiæ. Potest ergo ei causæ quæcunque illa est, resisti? potest planè. Nam in hoc adiutoriũ postulamus, dicentes, Ne nos inferas in tentationẽ: quod adiutorium nõ posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatum caueri, sed opitulante illo, qui non potest falli. Nam & hoc ipsum ad cauendum peccatum pertinet, si veraciter dicimus. Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Duobus enim modis etiam in corpore cauetur morbi malum, & vt non accidat, & vt si acciderit, citò sanetur. Vt non accidat, caueamus dicẽdo, Ne nos inferas in tentationem. Vt citò sanetur, caueamus dicendo, Dimitte nobis debita nostra. Siue ergo imminet siue insit, caueri potest. Sed vt non tantum illi, verũ etiam iis qui eosdem libros meos, quos iste legit, De libero arbitrio non legerunt, atque illis non lectis, hunc forsitan legunt, de hac re sententia mea sãtis appareat: ex ipsis libris commemorare me oportet, quod iste si sentiret atque in suis literis poneret, nulla inter nos de hac re controuersia remaneret. Cõtinuò quippe post verba mea quæ iste commemorauit, quod occurrere poterat ipse subieci, & quantum potui pertractaui dicens, *Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda iudicantur, sicut in diuinis authoritatibus legimus.* Atque hinc adhibitis exemplis, etiam de infirmitate locutus sum, dicens; *Sunt etiam necessitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere;*

Respondet similem habes lib. 1. Retract. cap. 9.

Matth. 6.

Duobus modis vt morbi, ita & peccata cauentur.

Ibidem.

vere, & non potest. Nam vnde sunt illæ voces, non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago? Atq; aliis istic in hanc sententiam commemoratis testimoniis diuinorum eloquiorum: *Sed hæc, inquam, omnia hominum sunt voces ex illa mortis damnatione venientium. Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Deinde paulo pòst, *Relinquitur ergo inquam, vt hæc pœna iusta de damnatione hominis veniat. Nec mirandum est, quòd vel ignorando, nõ habet liberum arbitriũ voluntatis ad eligendum quid rectè faciat: vel resistẽte carnali consuetudine, quæ violentia mortalis successionis quodammodo naturaliter inoleuit; videat quid rectè faciendum sit & velit, nec possit implere. Illa ast tanta peccati pœna iustissima vt amittat quisque quo bene vtì noluit; cùm sine vlla posset difficultate, si vellet. Id est autem, vt qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit; & qui rectè facere cùm posset noluit, amittat posse cùm velit. Nam sunt reuera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente atq; torquente dolore carnalis vinculi non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. Cùm aut de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet, in qua homo factus est loquimur.* Hinc iam hominibus de ipsius ignorantiæ difficultatisque in prolem primi hominis traiectis vitiis, atq; transfusis, velut iustam querelam deponentibus ita responsum est. *Quibus breuiter, inquam, respondetur, vt quiescant, & aduersus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret. Cùm verò vbique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino seruientem, auersum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quod inuitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras. Neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.* Ita & exhortatus sum quantum potui ad rectè viuendum, & gratiam Dei nõ euacuaui, sine qua natura humana iam contenebrata atq; vitiata illuminari non potest & sanari. De qua re cum istis tota vertitur quæstio, ne gratiam Dei quę est in Christo Iesu Domino nostro, peruersa naturæ defensione frustremus. De qua natura item paulo pòst dixi, *Etiam ipsam naturam aliter dicimus, cùm propriè loquimur naturam hominis in qua primum in suo genere inculpabilis factus est: aliter istam in qua ex illius damnati pœna, & ignari & carni subditi nascimur, iuxta quem modum dicit Apost. Fuimus enim & nos naturaliter filij iræ, sicut & ceteri.* Si ergo volumus animos ad rectè viuẽdum frigidos & pigros, Christianis exhortationibus excitare & accendere, primitùs exhortemur ad fidem qua Christiani fiant, & eius nomini subiiciantur, sine quo salui esse nõ possunt. Si autem iam Christiani sunt, & rectè viuere negligunt, verberẽtur terroribus & præmiorum laudibus erigantur; ita sanè, vt non solùm ad bonas actiones, verumetiam ad pias orationes eos exhortari meminerimus, atque hac instruere sanitate doctrinæ; vt & illinc gratias agãt cùm instituerint bene viuere, quòd aliquid sine difficultate fecerint: & vbi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis & perseuerãtissimis precibus & misericordiæ promptis operibus facilitatem à Domino impetrare persistant. Sic autem proficientes, vbi & quando plenissima iustitia perficiantur, non nimis curo. Vbicunque autem & quandocunq; perfecti fuerint, non nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum perfici posse cõfirmo. Sanè quando liquidò cognouerint nullum peccatum se habere, non se dicant habere peccatum, ne veritas in eis nõ sit, sicut in eis veritas non est, qui cùm habeant, non habere se dicunt.

Ibidem c. 19.

CAPVT LXIX. Rom. 7. Deus nihil potuit impossibile præcipere.

VALDE autem bona sunt præcepta si legitimè his vtamur. Eò quippe ipso quo firmissimè creditur, Deũ iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia charitati, cui vni Christi sarcina leuis est, aut ea vna est sarcina ipsa quæ leuis est: secũdum hoc dictum est, Et præcepta eius grauia non sunt, vt cui grauia sunt, consideret non potuisse diuinitùs dici, grauia nõ sunt, nisi quia potest esse cordis affectus cui grauia nõ sunt, & petat quo destituitur, vt impleat quod iubetur. Et quod dicitur ad Israel in Deuteronomio, si piè, si sanctè, si spiritaliter intelligatur, hoc idem significat: quia vtique cùm hoc testimonium commemorasset Apostolus, Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: quod hic habet, in manibus tuis: in corde enim sunt spiritales manus: hoc est, inquit, verbum fidei quod prædicamus. Conuersus ergo quisque sicut ibi præcipitur ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, mandatum Dei non habebit graue. Quomodo est enim graue cùm sit dilectionis mãdatum? Aut enim quisque non diligit, & ideo graue est: aut diligit, & graue esse non potest. Diligit autem, si quod illic admonetur Israel, conuersus fuerit ad Dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua: Mandatum inquit, nouum do vobis, vt vos inuicẽ diligatis. Et qui diligit proximũ, legem impleuit: & plenitudo legis, charitas. Secundũ hoc & illud dictũ est, Si ambularent semitas bonas, inuenissent vtiq; semitas iustitiæ leues. Quomodo ergo dicitur, Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras: nisi quia vtrunq; verũ est? Duræ sunt timori, leues amori.

Charitas. Matth. 11. 1. Ioann. 5.

Deut. 30. Rom. 10.

Ioan. 13.

Rom. 13. Prouer. 4. secundum 70. Psal. 16.

CAPVT LXX. Charitatis gradus facit et iustitiæ gradus.

CHARITAS ergo inchoata, inchoata iustitia est: charitas proiecta, proiecta iustitia est: charitas magna, magna iustitia est: charitas perfecta, perfecta iustitia est: sed charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, quę tunc maxima est in hac vita, quãdo pro illa ipsa contemnitur vita: sed miror si non habet quo crescat cùm de mortali excesserit vita. Vbicunque autem & quandocunque ita plena fit, vt ei nõ sit quod adiiciatur; non tamen diffunditur in cordibus nostris, vel naturæ, vel voluntatis opibus quæ sunt in nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis, qui & infirmitati nostræ opitulatur, & sanitati cooperatur. Ipsa est enim gratia Dei per Iesum Christũ Dominum nostrum, cui est cum patre & Spiritu sancto æternitas, bonitas, in secula seculorum.

LIBRI DE NATVRA ET GRATIA FINIS.

Hic sequi debebat liber DE GESTIS PELAGII, *de quo Augustinus lib. 2. Retractationum cap. 47. sed putatur non extare.*

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
CONTRA PELAGIVM ET CELESTIVM, DE GRATIA CHRISTI, ET ORIGINALI PECCATO, LIBRI DVO.

Ex lib. 2. Retract. cap. 50.

POSTEAQVAM *Pelagiana hæresis cum suis authoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, priùs Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus conciliorum Africanorum literis conuicta atque damnata est, scripsi duos libros aduersus eos, vnum de gratia Christi, alterum de peccato originali. Hoc opus sic incipit, Quantùm de vestra corporali & maxime spiritali salute gaudeamus.*

CAP. I.

QVANTVM de vestra corporali & maximè spiritali salute gaudeamus, syncerissimi fratres, dilecti à Deo Albine, Piniane, & Melania, quia effari non possumus, vobis cogitãdum credendumq; committimus, vt ea de quibus nos consuluistis, potius iam loquamur. Festinante enim perlatore inter occupationes nostras, multo apud Carthaginem quàm vbicunque alibi densiores, quantum Deus donare dignatus est, vt potuimus, ista dictauimus.

CAPVT II. Professio Pelagij suspecta. 1. Tim. 1.

SCRIPSISTIS mihi cum Pelagio vos egisse, vt quæcunque aduersus eum dicerentur scripto damnaret, eumque dixisse audientibus vobis, *Anathemo qui vel sentit vel dicit, gratiam Dei qua Christus venit in hũc mundum peccatores saluos facere, nõ solùm per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam: & qui hunc conantur auferre, pœnas sortiũtur æternas.* Quisquis hæc audit, & sensum eius ignorat, quem in libris suis satis euidenter expressit, non illis quos dicit inemendatos sibi fuisse surreptos, aut omnino suos negat, sed in illis quos literis suis quas Romam misit commemorat, omnino eum putat hoc sentire quod veritas habet. Quisquis autem quid in eis apertius dicat aduertit, debet habere etiam ista verba suspecta. Quia etsi gratiam Dei, qua Christus venit in mundum peccatores saluos facere, in sola remissione peccatorum constituat, potest huic sensui ista verba coaptare dicens: Ideo eam, per singulas horas, per singula momenta, & per actus singulos necessariam, vt semper in memoria retinentes & reminiscentes dimissa nobis esse peccata, non peccemus vlterius, adiuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus proprię voluntatis, quid sibi remissione peccatorum præstitum fuerit per actus singulos recordãtes. Item quoniam solent dicere nobis, in eo Christum ad non peccandum præbuisse adiutorium, quia iustè ipse viuendo iusteque docẽdo reliquit exemplum: possunt etiam ad hoc ista verba coaptare, vt dicant, per singula momenta, per singulos actus necessariã nobis esse huiusmodi gratiam: id est, vt in omni conuersatione nostra intueamur Dominicę conuersationis exemplum. Peruidet autem fides vestra, à confessione gratiæ, de qua quæstio est, quàm sit distinguenda ista cõfessio, & tamen obtegi potest istorum ambiguitate verborum.

CAPVT III.

SED quid mirum? Quandoquidem ipse Pelagius cum episcopalibus gestis sine vlla recusatione damnauerit eos, qui dicunt gratiam Dei & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina: vbi putabamus eius de hac re omnes tergiuersationes esse consumptas: damnauerit etiam eos qui docent gratiam Dei secundum merita nostra dari: tamen in libris quos ædidit pro libero arbitrio: quorum mentionem facit in Epistola quã Romã misit, nihil aliud sentire mõstratur, quàm id quod damnasse videbatur. Nam gratiam Dei & adiutoriũ, quo adiuuamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina: vt videlicet cùm adiuuat Deus hominẽ, vt declinet à malo & faciat bonum, reuelando & ostendendo quid fieri debeat, adiuuare credatur; non etiam cooperando & dilectionem inspirando, vt id quod faciendum esse cognouerit, faciat. Nam cùm tria constituat atque distinguat, quibus diuina mandata dicit impleri, possibilitatem, voluntatem, & actionem: possibilitatem scilicet qua potest homo esse iustus: voluntatem, qua vult esse iustus: actionem, qua iustus est: horum trium primum, id est possibilitatem datã confitetur à creatore naturæ nec esse in nostra potestate, sed eam nos habere etiam si nolimus: duo verò reliqua, id est, volũtatem & actionem, nostra esse asserit, atque ita nobis tribuit, vt non nisi à nobis esse contendat. Denique gratia Dei nõ ista duo, quæ nostra omnino vult esse, id est voluntatem & actionem; sed illam quæ in potestate nostra non est, & nobis ex Deo est, id est, possibilitatẽ, perhibet adiuuari: tanquam illa quæ nostra sunt, hoc est voluntas & actio, tam sint valentia ad declinandum à malo, & faciendum bonum, vt diuino adiutorio nõ indigeant; illud verò quod nobis ex Deo est, hoc est possibilitas, tam sit inualidum, vt semper gratię adiuuetur auxilio.

CAPVT IIII.

SED ne quis forsitan dicat nos vel non rectè intelligere quæ loquitur, vel maleuolo animo in alium sensum quæ non ita dicta sunt vertere, ipsa iam eius verba accipite, *Nos*, inquit, *sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur: Primo loco posse statuimus, secundo velle, tertio esse. Posse in natura, velle in arbitrio, esse in effectu locamus. Primum illud, id est posse, ad Deum propriè pertinet, qui illud creaturæ suæ contulit: duo verò reliqua, hoc est velle & esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrij fonte descendunt. Ergo in voluntate & opere bono laus hominis est, imò & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit, quiq; ipsam possibilitatem, gratia suæ adiuuat semper auxilio. Quod verò homo potest velle bonum atque perficere, solius Dei est. Potest itaque illud vnum esse, etiam si duo ista non fuerint, ista verò sine illo esse non possunt. Itaque liberum mihi est, nec voluntatem bonam habere, nec actionem: nullo autem modo possum nõ habere possibilitatem boni; inest mihi etiam si noluero, nec ocium sui aliquando in hoc natura recipit. Quẽ nobis sensum exempla aliqua faciãt clariorem. Quòd possumus videre oculis, nostrum non est: quòd verò bene aut malè videmus, hoc nostrum est. Et, vt generaliter vniuersa complectar, quòd possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donauit; qui hoc posse adiuuat: quòd verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est, quia hæc omnia vertere etiã in malum possumus. Vnde quod propter calumniam vestram sæpe repetendũ est, cùm dicimus hominem posse esse sine peccato, confessione possibilitatis acceptæ laudamus Deum, qui nobis hoc posse largitus est, nec est ibi vlla laudandi hominis occasio, vbi solius Dei causa tractatur. Non enim de velle, nec de esse, sed tantummodo de eo quod potest esse, disseritur.*

Verba Pelagij ex lib. 3 pro libero arbitrio.

CAP. V.

ECCE est totum dogma Pelagij in libro eius tertio pro libero arbitrio, his omnino verbis diligenter expressum;

pressum: quo tria ista, vnum quod est posse, alterum quod est velle, tertium quod est esse: id est possibilitatem, voluntatem, actionem tanta subtilitate curauit distinguere, vt quandocunq; legimus vel audimus diuinæ gratiæ adiutorium confiteri, vt à malo declinemus bonumque faciamus, siue in lege atque doctrina, siue vbilibet constituat, sciamus quod loquitur: nec eremus, aliter eum intelligẽdo quàm sentit. Scire quippe debemus, quòd nec volũtatem nostram, nec actionem diuino adiuuari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atq; operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo: tanquam hoc sit infirmum quod ipse Deus posuit in natura; cætera verò duo quæ nostra esse voluit, ita sint firma & fortia, & sibi sufficientia, vt nullo indigeant eius auxilio: & ideo non adiuuet vt velimus, non adiuuet vt agamus, sed tantummodo adiuuet vt velle & agere valeamus. Cõtrà autem Apostolus, Cum timore, inquit, & tremore vestram ipsorum operamini salutem. Et vt scirẽt, quia non tãtùm in eo quod operari possint, hoc enim & in natura & in doctrina iam acceperant: sed etiam in eo quod operantur diuinitùs adiuuentur, non ait, Deus est enim qui operatur in vobis posse: tãquam ipsi iam velle & operari per seipsos habeant, nec in his duobus adiutorio eius indigeant: sed ait, Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere; vel sicut in aliis & maximè Græcis codicibus legitur, & velle & operari. Videte si non Apostolus gratiæ Dei futuros aduersarios sancto Spiritu tanto antè præuidit, & hæc duo, id est & velle & operari, quæ iste ita nostra esse voluit, tanquam ipsa diuinæ gratiæ non adiuuentur auxilio, Deum in nobis dixit operari.

Philip. 2.

τὸ ἐνεργεῖν

CAPVT VI.

NEQVE Pelagius hinc incautos fallat & simplices, vel etiam seipsum, quoniam cùm dixisset, *Ergo in voluntate & opere bono laus hominis est*: velut correxit atque addidit, *imò & hominis & Dei*. Non enim hoc propterea dixit, quia secundum sanam doctrinam intelligi voluit, quòd & velle & operari Deus operetur in nobis: sed cur hoc dixerit, satis euidenter ostendit continuò subiungendo, *Qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit*. Hanc autem possibilitatem in natura eum ponere, de verbis eius superioribus clarũ est. Sed ne nihil de gratia dixisse videretur, adiũxit, *Quiq; ipsam possibilitatem, gratiæ suæ adiuuat semper auxilio*, non, ait, ipsam voluntatem, vel ipsam operationem, quod si diceret, non abhorrere à doctrina Apostolica videretur. Sed ait, *ipsam possibilitatem*, illud videlicet ex tribus quod in natura locauit, *gratiæ suæ adiuuat semper auxilio*: vt scilicet in voluntate & actione nõ ideo laus sit & Dei & hominis, quia sic vult homo, vt tamẽ eius voluntati Deus ardorem dilectionis inspiret; & sic operatur homo; vt tamen Deus cooperetur, sine cuius adiutorio quid est homo? Sed ideo ad hanc laudem adiunxit & Deum, quia nisi natura esset, in qua nos condidit, qua velle & agere possemus, nec vellemus nec ageremus. Hanc autẽ naturalẽ possibilitatẽ quòd adiuuari Dei gratia confitetur, non est hic apertum, vel quam dicat gratiã, vel quatenus ea naturã sentiat adiuuari: sed sicut aliis locis in quibus euidentius loquitur intelligi potest, non vult aliud accipi quàm legem atq; doctrinam, qua naturalis possibilitas adiuuetur.

CAPVT VII.

NAM quodam loco ait, *Hic nos imperitissimi hominum putant iniuriam diuinæ gratiæ facere, quia dicimus eam sine voluntate nostra nequaquam in nobis perficere sanctitatem: Quasi Deus gratiæ suæ aliquid imperauerit, & non illis quibus imperauit, etiam gratiæ suæ auxilium subministret, vt quod per liberum homines facere iubentur arbitrium, facilius possent implere per gratiam.* Et tanquam explicaturus quam dicat gratiam, secutus adiunxit, dicens, *Quam nos non, vt tu putas, in lege tantummodo, sed & in Dei esse adiutorio confitemur.* Quis nõ hic desideret, vt ostendat, quam velit intelligi gratiam? Propter hoc enim maximè de illo expectare debemus, vt dicat hoc quod dicit, non in lege tantummodo se gratiam confiteri. Sed nobis hac expectatione suspensis, quid addiderit intuemini: *Adiuuat enim nos*, inquit, *Deus per doctrinam & reuelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit; dum nobis ne præsentibus occupemur, futura demonstrat; dum diaboli pandit insidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat.* Deinde sententiam suam quadam velut absolutione concludens, *Qui hæc dicit*, inquit, *gratiam tibi videtur negare? An & liberum hominis arbitrium, & Dei gratiam confitetur?* In his omnibus non recessit à commendatione legis atque doctrinæ, hanc esse adiuuantem gratiam diligenter inculcans, & hoc exequens quod propositum fuerat, cùm diceret, *Sed in Dei esse adiutorio cõfitemur.* Denique Dei adiutorium multipliciter insinuandum putauit, commemorando doctrinam & reuelationem, & oculorum cordis adapertionem & demonstrationem futurorum, & apertionem diabolicarum insidiarum, & multiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminationem; ad hoc vtique vt diuina præcepta & promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina.

CAPVT VIII. Aliud Lex, aliud Gratia.

HINC itaque apparet hanc eum gratiam confiteri, qua demonstrat & reuelat Deus quid agere debeamus; non qua donat atque adiuuat vt agamus, cùm ad hoc potius valeat legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, vt fiat mandati prẽuaricatio. Vbi enim non est lex, ait Apostolus, nec præuaricatio. Et concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Ac per hoc vsq; adeò aliud est lex, aliud est gratia, vt lex non solùm nihil prosit, verumetiam plurimum obsit, nisi adiuuet gratia: & hæc ostendatur legis vtilitas, quoniã quos facit præuaricationis reos cogit cõfugere ad gratiam liberandos, & vt concupiscentias malas superent adiuuãdos. Iubet enim magis quàm iuuat, docet morbum esse, non sanat, imò ab eo potius quòd non sanatur augetur, vt attentius & solicitius gratiæ medicina quæratur. Quia litera occidit, spiritus autem viuificat. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia. Inquantum tamen lex adiuuet, adiungit & dicit, Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Itaque lex, inquit, pædagogus noster fuit in Christo Iesu. Hoc ipsum ergo superbis est vtile, sub peccato arctius manifestiusque concludi, ne ad faciendam iustitiam de liberi arbitrij quasi propriis viribus prẽsumatur, sed omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus Deo, quia non iustificabitur ex lege omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati, nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata per legem & Prophetas. Quomodo ergo sine lege manifestata, si per legem testificata? Non ita, sine lege manifestata, sed sine lege iustitia, quia iustitia Dei est, id est, quæ nobis non ex lege fit, sed ex Deo: non quæ illo imperante cognoscendo timeatur, sed quæ illo donãte diligendo teneatur, vt & qui gloriatur in Domino glorietur.

Legis vtilitas.

Rom. 4. Rom. 7. Exod. 20.

2. Cor. 3. Gal. 3.

Rom. 3.

CAPVT IX.

QVID ergo est, quod iste legem atque doctrinam deputat gratiam, qua iuuamur ad operandam iustitiã, quæ vt multum adiuuet, ad hoc adiuuat vt gratia requiratur? Nemo enim potest legem implere per legẽ. Plenitudo enim legis charitas: Charitas autẽ Dei non per legem diffusa est in cordibus nostris, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Proinde per legem gratia demonstratur, vt lex per gratiam compleatur. Quid enim iuuat Pelagium, quia diuersis verbis eandem rem dicit, vt non intelligatur in lege atque doctrina gratiam constituere, qua possibilitatem naturæ asserit adiuuari? Quantum autem existimo, ideo veretur intelligi, quia damnauit eos, qui dicunt gratiam Dei & adiutorium non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina, & tamen latere se putat, cum aliis atque aliis locutionibus versat significationem legis atque doctrinæ.

Rom. 3.

CAP. X. Gratia propriè iustificãs quæ.

ET alio quippe loco, cùm diu asseruisset, non adiutorio Dei, sed ex nobis ipsis in nobis effici voluntatem bonam, opposuit sibi ex Apostoli epistola quæstionẽ, atque ait, *Et quomodo*, inquit, *stabit illud Apostoli, Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere?* Deinde vt hanc oppositionem veluti solueret, quàm videbat dogmati suo vehementer esse contrariam, secutus adiũxit, *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus dedितos, & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorũ pollicitatione succendit; dum reuelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem; dum nobis quod tu alibi negare nõ metuis, suadet omne quod bonum est.* Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiã, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quàm legem atq; doctrinam? In lege namque & doctrina sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ atq; præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quod sapientia reuelatur, ad doctrinam pertinet cùm suadetur omne quod bonum est. Et si inter docere, & suadere, vel potius exhortari, distare aliquid videtur, etiam hoc tamẽ doctrinæ generalitate concluditur, quę quibuscunque sermonibus vel literis continetur. Nam & sanctę Scripturæ & docent & exhortantur, & potest esse in docẽdo & exhortãdo etiam hominis operatio. Sed nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo nõ solùm promittitur, verumetiam creditur & speratur, nec solùm reuelatur sapientia, verumetiam & amatur, nec suadetur solùm omne quod bonum est, verum & persuadetur. Nõ enim omnium est fides, qui audiũt per Scripturas Dominum regnum cælorum pollicentem: aut omnibus persuadetur quibuscunque suadetur, vt veniant ad eum, qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis. Quorum autem sit fides, & quibus persuadetur, vt ad eum veniãt, satis ipse demõstrauit, vbi ait, Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Et paulo pòst cùm de non credentibus, loqueretur, Dixi, inquit, vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, verumetiam esse Christianus.

Philip. 2.

Matth. 11.

Ioan. 6.

CAPVT XI.

QVID autẽ dicam de reuelatione sapientiæ? Neq; enim facilè quisquam sperauerit in hac vita posse peruenire ad magnitudinem reuelationum apostoli Pauli. Et vtique in eis quid aliud credendum est ei reuelari solere, nisi quod ad sapientiam pertineret? Et tamen dicit, in magnitudine reuelationum mearum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanę qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt auferret eum à me: Et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. procul dubiò si iam summa, & cui nihil esset addendum, charitas in Apostolo tunc fuisset, quæ omnino non posset inflari, nunquid necessaritus esset angelus satanæ, quo colaphizante reprimeretur elatio, quæ in magnitudine reuelationum posset existere? Quid est autẽ aliud elatio quàm inflatio? Et vtiq; de charitate verissimè dictũ est, Charitas nõ æmulatur, non inflatur. Hæc itaq; charitas adhuc etiam in tãto Apostolo de die in diem profectò augebatur, quãdiu homo eius interior de die in diem renouabatur, perficienda sine dubio vbi iam non posset inflari. Tunc autem mens eius adhuc erat vbi inflaretur magnitudine reuelationis, donec impleretur solido ædificio charitatis: nondum enim perueniendo apprehenderat, quò proficiendo currebat.

2. Cor. 12.

1. Cor. 13.

CAPVT XII.

IDEOQVE nolenti perpeti molestiam qua eius cohiberetur elatio, antequam esset in eo charitatis vltima & summa perfectio, rectissimè dicitur, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur: in infirmitate, scilicet, non vt ille putat *carnis tantùm*, sed & carnis & animi; quia & animus erat in comparatione summæ illius perfectionis infirmus, quando extolleretur. Proinde stimulus carnis angelus satanæ intelligebatur datus quanuis esset in carnalium vel animalium, nondum percipientium quæ sunt spiritus Dei, comparatione, firmissimus. Quocirca si virtus in infirmitate perficitur, quisquis se non fatetur infirmum, non perficitur. Hæc autem gratia qua virtus in infirmitate perficitur, prædestinatos & secundum propositum vocatos, ad summam perfectionem glorificationemque perducit. Qua gratia agitur non solùm vt facienda nouerimus, verumetiam vt cognita faciamus, nec solùm vt diligenda credamus, verumetiam vt credita diligamus.

CAPVT XIII. Quomodo doctrina possit dici gratia.

HÆC gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altius & interius eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultus, ita vt non ostendat tantummodo veritatem, verumetiam impertiat charitatem. Sic enim docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt; simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere. Vnde ad Thessalonicenses sic Apostolus loquitur, De charitate autem fraternitatis non opus habetis vobis scribi: nam ipsi vos à Deo didicistis vt diligatis inuicem. Atque vt probaret eos à Deo didicisse, subiunxit, Etenim facitis illud in omnes fratres, in vniuersa Macedonia: tanquam hoc sit certissimum indicium quod à Deo didiceris, si id quod didiceris, feceris. Isto modo sunt omnes secundum propositum vocati, sicut scriptum est in Prophetis, Docibiles Dei. Qui autẽ nouit quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem: nõ secundum spiritum, sed secundum literam. Quanuis multi, quod imperat lex facetè videantur timore pœnæ, non amore iustitiæ, quam dicit Apostolus iustitiam suam quæ ex lege est, tanquam sit imperata, non data. Si autem data est, non dicitur iustitia nostra, sed Dei, quia sic fit nostra, vt sit nobis ex Deo. Dicit enim, Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ ex fide est Iesu, iustitiam ex Deo. Tantum igitur inter legem distat & gratiam, vt cùm lex esse nõ dubitetur ex Deo, iustitia tamen quæ ex lege est non sit ex Deo, sed iustitia quæ per gratiam consummatur ex Deo. Quia ex lege iustitia dicitur, quæ fit propter legis mandatum: iustitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, vt non sit terribile, sed suaue mandatum, sicut oratur in Psalmo, Suauis es Domine, & in tua suauitate doce me iustitiam tuam: id est, vt non formidine pœnæ seruiliter cogar esse sub lege, sed libera charitate delecter esse cum lege. Præceptum, quippe liber facit, qui libens facit. Et hoc modo quisquis discit, agit omnino quicquid agendum didicerit.

Electos quomodo Deus docet.

1. Thess. 4.

Esa. 54.

Distere à Deo secundum gratiam vel legem.

Iustitia nostra quomodo Dei.

Phil. 3.

Iustitia ex Lege, & ex Deo qui differant.

Psal. 118.

CAPVT XIIII.

DE isto docendi modo, etiam Dominus ait, Omnis qui audiuit à patre meo & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur, audiuit quidem & didicit sibi esse veniendum, sed facere nõ vult quod didicit. Prorsus non rectè dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim sicut veritas loquitur, Omnis qui didicit, venit: quisquis non venit, profectò nec didicit. Quis autem non videat & venire quenquam & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum si non venit, non autem potest nisi adiutum esse, si venit. Et sic ad-

Ioan. 6.

sic adiutum vt non solùm quid faciendum sit sciat, sed quod scierit etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet, non per legis literam, sed per Spiritus gratiam: ita docet, vt quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto diuino docendi modo etiam ipsa voluntas & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adiuuatur. Si enim solùm posse nostrum hac gratia iuuaretur, ita diceret Dominus, Omnis qui audiuit à patre & didicit, potest venire ad me. Non autem ita dixit, Sed omnis, inquit, qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Venire posse in natura ponit Pelagius, vel etiam vt modò dicere cœpit in gratia, qualemlibet eam sentiat, *qua ipsa*, vt dicit, *possibilitas adiuuatur*: venire autem iam in voluntate & opere est. Non est autem consequens vt qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à patre, non solùm potest venire, sed venit: vbi iam & possibilitatis profectus & voluntatis affectus & actionis effectus est.

Deus quomodo docet. — *Ioan. 6.*

CAPVT XV.

QVID ergo sibi volunt exempla, nisi quia reuera nobis eius sensum fecerunt sicut pollicitus est clariorem; non vt ea sentire debeamus, sed vt id quod ipse sensit manifestius apertiusque noscamus? *Quòd possumus*, inquit, *videre oculis, nostrum non est: quod verò bene aut malè videmus, hoc nostrum est.* Respondeat illi Psalmus, vbi Deo dicitur, Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Quod & si de oculis mentis dictum est, inde vtique procedit in hos oculos carnis, vel bene videre, vel malè, non quemadmodum dicuntur bene videre sanis oculis intuentes, & malè, lippientes: sed bene videre ad subueniendum, malè videre ad concupiscẽdum. Quanuis enim per hos exteriores oculos videatur & pauper cui subuenitur, & mulier quæ concupiscitur; tamen ex interioribus ad malè vel bene videndum misericordia vel libido procedit. Cur ergo dicitur Deo, Auerte oculos meos ne videant vanitatem? Cur petitur quod ad nostram pertinet potestatem, si Deus non adiuuat voluntatem?

Psal. 118.

CAPVT XVI.

QVOD *loqui possumus*, inquit, *Dei est: quod verò bene vel malè loquimur, nostrum est.* Non hoc docet ille, qui loquitur bene, Non enim vos estis, inquit, qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. *Et vt generaliter*, inquit, *vniuersa complectar, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donauit, qui hoc posse adiuuat.* Ecce etiam hic superiorem repetit sensum, quòd illorum trium, id est possibilitatis, voluntatis, actionis non nisi possibilitas adiuuatur. Denique adiungens vt impleat quod intendit: *Quod verò bene*, inquit, *vel agimus vel loquimur, vel cogitamus nostrum est.* Oblitus est quod superius quasi correxerat, vbi cùm dixisset, *Ergo in voluntate & opere bono laus hominis est*, adiunxit atque ait, *imò & hominis & Dei, qui ipsius voluntatis & operis possibilitatem dedit.* Cur etiam in his exemplis hoc non recordatus est, vt saltem in eorum fine diceret, quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donauit, qui hoc posse adiuuat: quod verò bene vel agimus vel loquimur, vel cogitamus, & nostrum est & illius? Non hoc dixit, sed, nisi fallor, videor mihi videre quid timuit.

Matth. 10.

CAPVT XVII. *Aperit mutus Pelagij causam.*

CVM enim vellet ostendere quare nostrũ sit, *Quia hæc*, inquit, *omnia vertere etiam in malum possumus.* Illud ergo timuit, vt non diceret, & nostrum est & Dei, ne sibi responderetur, si quod bene agimus, loquimur, cogitamus, ideo est & nostrum & Dei, quia ille hoc posse nobis donauit: ergo & quod malum agimus, loquimur, cogitamus, & nostrum est & Dei, quia illud posse ad vtrumque donauit; atque ita quod absit, quemadmodum cum Deo laudamur in operibus bonis, sic cum illo culpamur in malis. Possibilitas quippe illa, quam dedit, tam nos facit bona posse quàm mala.

CAPVT XVIII.

DE qua possibilitate Pelagius in libro primo pro libero arbitrio, ita loquitur, *Habemus autem*, inquit, *possibilitatem vtriusque partis à Deo insitam, velut quandam, vt ita dicam, radicem fructiferam atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diuersa gignat & pariat, & quæ possit ad proprij cultoris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sentibus horrere vitiorum.* Vbi non intuens quid loquatur, vnã eandemq; radicem constituit bonorũ & malorum, contra Euangelicam veritatem, doctrinamque Apostolicã. Nam & Dominus nec arborẽ bonam dicit posse facere fructus malos, nec malam bonos. Et apostolus Paulus cùm dicit radicem malorum omniũ esse cupiditatem, admonet vtique intelligi radicẽ bonorum omnium charitatem. Vnde si duæ arbores bona & mala, duo sunt homines bonus & malus, quid est bonus homo, nisi voluntatis bonæ, hoc est arbor radicis bonæ? Et quid est homo malus nisi voluntatis malæ, hoc est arbor radicis malæ? Fructus autẽ harũ radicum atq; arborum, facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quę bona de bona volũtate procedũt, & mala de mala.

Matth. 7. — *1. Tim. 6.* — *Homo bonus et malus quis dicatur.*

CAPVT XIX. *Arbitrem bonã vel malã quo sensu faciat homo.*

FACIT autẽ homo arborem bonã quando Dei accipit gratiã. Non enim se ex malo bonum per seipsum facit, sed ex illo & per illũ, & in illo qui semper est bonus: nec tantùm vt arbor sit bona, sed etiam vt faciat fructus bonos, eadem gratia necessarium est, vt adiuuetur, sine qua boni aliquid facere non potest. Ipse quippe in bonis arboribus cooperatur fructum, qui & forinsecus rigat atq; excolit per quemlibet ministrum & per se dat intrinsecus incrementũ. Malã verò arborem homo facit, quando seipsum malum facit, quãdo à bono incõmutabili deficit, ab eo quippe defectus est origo volũtatis malæ. Qui defectus nõ aliam naturam malam initiat, sed eam quæ bona est condita vitiat. Sanato autem vitio, nullũ malum remanet, quia vitium naturæ quidem inerat, sed vitium natura non erat.

Origo mala voluntatis vnde.

CAPVT XX. *Radix bonorũ charitas: malorum, cupiditas.*

ILLA ergo possibilitas, nõ vt iste opinatur, vna eademque radix est bonorũ & malorum. Aliud enim est charitas radix bonorũ, aliud cupiditas radix malorum; tantumque inter se differunt, quantũ virtus & vitium. Sed planè illa possibilitas vtriusq; radicis est capax, quia nõ solùm potest homo habere charitatem, qua sit arbor bona; sed potest etiam cupiditatem, qua sit arbor mala. Sed cupiditas hominis quę vitium est, hominem habet authorem, vel hominis deceptorem, nõ hominis creatorem. Ipsa est enim concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est ex patre, sed ex mundo est. Quis autẽ nesciat mundi nomine solere appellare Scripturam, à quibus habitatur hic mundus?

1. Ioan. 2.

CAPVT XXI.

CHARITAS autem quæ virtus est, ex Deo nobis est, non ex nobis, Scriptura teste, quæ dicit, Charitas ex Deo est, & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognouit Deum, quia Deus charitas est. Secũdum istã charitatẽ, melius intelligitur dictum: Qui natus est ex Deo, non peccat: & quia non potest peccare, quia charitas secundum quam natus ex Deo est, non agit perperam, nec cogitat malum. Cùm ergo peccat homo, non secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat, secũdum quam nõ est natus ex Deo, quoniam illa possibilitas, vt dictum est, vtriusq; radicis est capax. Cùm ergo dicat Scriptura, Charitas ex Deo est: vel quod est amplius, Deus charitas est: cùm apertissimè clamet Ioannes apostolus, ecce qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei vocemur & simus: Iste audiens, Deus charitas est: quare adhucusq; contendit, quòd ex illis tribus tãtummodo possibilitatem habeamus ex Deo, bonam verò volũtatem, bonamq; actionem habeamus ex nobis? Quasi verò aliud sit bona voluntas quàm charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & à patre datam, vt filij eius essemus.

1. Ioan. 4. — *1. Ioan. 3.* — *Charitas ipsa volun.*

SED

CAPVT XXII. *Epistola est ad Demetriadem, cuius initium, Si summo ingenio.* — *Iacob. 1. Cap. 25.*

SED fortè vt daretur nobis, præcedentia merita nostra fecerunt: sicut iste de gratia Dei sentit in eo libro, quem ad sacram virginem scripsit, cuius etiam cõnemorationem fecit in literis, quas Romam misit. Ibi enim interposito Iacobi apostoli testimonio, quo ait, *Subditi estote Deo, resistite autem diabolo, & fugiet à vobis:* subiungit & dicit, *Ostendit quomodo resistere debeamus diabolo, si vtique subditi simus Deo, eiusq; faciendo voluntatem, diuinam mereamur gratiam, & facilius nequam spiritui, auxilio sancti Spiritus, resistamus.* Ecce quàm veraci corde damnauit in ecclesiastico iudicio Palæstino eos, qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari. An adhuc eum id sentire & apertissimè prædicare dubitamus? Quomodo ergo verax fuit in episcopali examine illa confessio? An fortè iam istum scripserat librum, vbi apertissimè dicit gratiam secundum merita nostra dari, quod in orientali synodo sine vlla recusatione damnauit? Confiteretur ergo sic se aliquando tenuisse, sed iam non tenere, vt de correctione eius apertissimè gauderemus. Nunc verò cùm illi inter cætera & hoc fuisset obiectum, respondit, *Hæc vtrum Celestij sint, ipsi viderint qui dicunt ea Celestij esse. Ego verò nunquam sic tenui, sed anathematizo qui sic tenent.* Quomodo nunquam sic tenuit, si hunc ante condiderat librum? Aut quomodo anathematizat eos qui sic tenent, si hunc librum postea condidit? Sed ne fortè respondeat ita se hic dixisse, Dei faciendo voluntatem, diuinam mereamur gratiam, sicut fidelibus & piè viuentibus additur gratia, qua resistant forciter tentatori, cùm tamẽ gratiã etiam primitùs accepissent, vt Dei facerent voluntatẽ. Ne fortè ergo ita respondeat, alia de hac re verba eius accipite. *Qui currit*, inquit, *ad Deum, & à Deo se regi cupit, id est, volantatem suam ex eius voluntate suspendit, qui ei adhærendo iugiter, vnus, secundum Apostolum, cum eo fit spiritus, non hoc nisi de arbitrij efficit libertate.* Videte quantam rem dixerit non effici nisi arbitrij libertate, ac per hoc sine adiutorio Dei nos Deo existimat adhærere: hoc est enim *non nisi de arbitrij libertate*, vt cùm adhæserimus eo non adiuuãte, tunc iam quoniã adhæsimus, etiã adiuuari mereamur.

Mereamur gratia augmentũ.

CAPVT XXIII.

SEQVITVR enim & dicit, *Qua qui bene vtitur, id est, arbitrij libertate qui bene vtitur, ita se*, inquit, *totum tradit Deo, omnemq; suam mortificat voluntatem, vt cum Apostolo possit dicere, Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Christus: ponitq; cor suum in manu Dei, vt illuc quò voluerit Deus, ipse declinet.* Magnum profectò adiutorium diuinæ gratiæ, vt cor nostrum quò voluerit Deus, ipse declinet. Sed hoc tam magnum adiutorium sicut iste desipit, tunc meremur cùm sine vllo adiutorio non nisi de arbitrij libertate ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatem nostram ex eius voluntate suspendimus, eiq; adhærendo iugiter, vnus cum illo efficimur spiritus. Hæc scilicet tam ingentia bona, non nisi de arbitrij secundum istum efficimus libertate, vt his præcedentibus meritis sic eius gratiã consequamur, vt cor nostrum quò voluerit ipse declinet. Quomodo est ergo gratia, si nõ gratis datur? Quomodo est gratia, si ex debito redditur? Quomodo verum dicit Apostolus, Non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur? Et iterum, Si autem gratia, inquit, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Quomodo, inquã, hoc verum est, si opera tanta præcedunt quæ nobis adipiscendæ gratiæ meritum faciant, quo nobis non donetur gratuitò, sed reddatur ex debito? Ergóne vt peruenitur ad adiutorium Dei, ad Deum curritur sine adiutorio Dei? Et vt Deo adhærentes adiuuemur à Deo, à Deo non adiuti adhærebimus Deo? Quid homini maius, quidve tale poterit gratia ipsa præstare, si iam sine illa vnus cum Domino spiritus effici potuit, non nisi de arbitrij libertate?

Gal. 2. — *Ephes. 2.* — *Rom. 11.*

CAPVT XXIIII. *Hester 15.*

SED vellem vt iste diceret, vtrum rex ille Assyrius cuius Hester sancta mulier execrabatur cubile, quãdo cõsidebat in throno regni sui, & omni stola illustrationis suæ indutus erat, totus auro variatus lapidibusque preciosis, & erat formidolosus valde, & eleuata facie sua inflammata in claritate intuitus est eam, tanquam taurus imperũ indignationis suæ: & timuit regina, & conuersus est color eius per dissolutionem, & inclinauit se super caput delicatæ suæ, quæ præcedebat eam. Vellem ergo diceret iste nobis, vtrum rex ille ad Deũ iam cucurrerat, & ab eo se regi cupiuerat, suamq; voluntatem ex eius voluntate suspenderat, & ei iugiter adhærendo vnus cum illo spiritus factus erat, non nisi de arbitrij libertate? vtrum se totum Deo tradiderat, omnemq; suam mortificauerat volũtatem & cor suũ in manu Dei posuerat? Puto non desperẽ, sed insanire hominẽ, quisquis de illo rege qualis tunc erat hæc senserit; & tamen conuertit Deus & trãstulit indignationem eius in lenitatem. Quis autem non videat multò maius esse, indignationem à contrario in lenitatẽ conuertere atq; trãsferre, quàm cor neutra affectione præoccupatum, sed inter vtranq; mediũ in aliquid declinare? Legant ergo & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atq; doctrina insonante forinsecus, sed interna atq; occulta mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, nõ solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.

CAPVT XXV.

DESINAT itaq; iam Pelagius & seipsũm & alios fallere, contra Dei gratiã disputãdo. Non propter illorum triũ vnum, id est, propter possibilitatẽ bonæ volũtatis atq; operis, sed etiã propter voluntatẽ & operationem bona erga nos, gratia Dei prædicãda est. Nã illam possibilitatẽ ad vtrunq; valere definit, & tamẽ nõ ideo tribuẽda sunt Deo etiam nostra peccata, sicut & propter eandẽ possibilitatẽ vult tribuere bona opera nostra. Non ideo tantũ adiutoriũ diuinæ gratiæ cõmendetur, quia possibilitatẽ adiuuat naturalẽ. Definat dicere, *quod possumus omne bonũ facere, dicere, cogitare, illius est qui hoc posse donauit, qui hoc posse adiuuat: quod verò bene vel agimus, vel loquimur vel cogitamus, nostrũ est.* Desinat, inquã, ista dicere. Non solũ enim Deus posse nostrũ donauit atq; adiuuat; sed etiã velle & operari operatur in nobis. Non quia nos nõ volumus, aut nos non agimus; sed quia sine ipsius adiutorio nec volumus aliquid boni nec agimus. Quomodo enim dicitur, *quod possumus bene agere, Dei est, quod autẽ agimus, nostrũ est:* cùm dicat Apostolus orare se ad Deũ pro eis ad quos scribebat, ne quid mali faciant, & vt quod bonũ est faciant? Nõ enim ait, oramus vt possitis nihil mali facere; sed, ne quid faciatis mali: nec, vt possitis bonũ facere: sed vt bonũ faciatis. Quoniam de quibus scriptum est, Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei: profectò vt agant quod bonũ est, ab illo aguntur qui bonus est. Quomodo dicit Pelagius, *quod bene loqui possumus, Dei est: quod bene loquimur, nostrũ est*, cùm dicat Dominus, Spiritus patris vestri est, qui loquitur in vobis? Neq; enim ait, non vos estis qui dedistis vobis bene posse loqui: sed ait, non vos estis qui loquimini. Nec ait, spiritus patris vestri est qui vobis dat, vel dedit posse bene loqui: sed ait, qui loquitur in vobis: non significans possibilitatis profectũ, sed exprimens cooperationis effectũ. Quomodo dicit liberi arbitrij elatus assertor, *quod possumus bene cogitare, Dei est: quod autem bene cogitamus, nostrum est?* Cui respondet humilis gratiæ prædicator, Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non enim ait, posse cogitare: sed, cogitare.

Quomodo velle & facere Deus in nobis operetur. — *2. Cor. 13.* — *Rom. 8.* — *Matth. 10.* — *2. Cor. 3.*

CAPVT XXVI.

ISTAM Dei gratiam in diuinis eloquiis manifestam etiam Pelagius manifestè fateatur, seque tamdiu contrà sensisse non operiat impudẽtissimo pudore, sed

dolore saluberrimo aperiat, vt sancta Ecclesia non turbetur peruicaci eius obstinatione, sed veraci correctione lętetur. Cogitationem & electionem sicut sunt discernenda, discernat: quia scientia inflat, charitas ædificat. Et tunc scientia non inflat quando charitas ædificat. Et cùm sit vtrumque donum Dei, sed vnum minus, alterum maius; non hic iustitiam nostram super laudem iustificatoris nostri extollat, vt horũ duorum quod minus est, diuino tribuat adiutorio, quod autem maius est, humano vsurpet arbitrio. Et si consenserit nos gratia Dei accipere charitatem; non sic sentiat, tanquam vlla merita bona nostra præcesserint. Nam quæ merita bona tunc habere poteramus, quãdo Deum non diligebamus? Vt enim acciperemus dilectionem qua diligeremus, dilecti sumus cùm eam nondum haberemus. Hoc Ioannes apostolus apertissimè dicit, Non quòd nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos. Et alibi, Nos diligamus, inquit, quia ipse prior dilexit nos. Optimè omnino atque verissimè. Non enim haberemus vnde illum diligeremus, nisi hoc ab illo cùm prior nos diligeret, sumeremus. Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? Aut quomodo bonum non facimus, si diligamus? Et si enim Dei mandatum videtur aliquando non à diligẽtibus, sed à timentibus fieri; tamen vbi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonũ opus vocatur; quia omne quod non ex fide est, peccatum est. Et fides per dilectionem operatur. Ac per hoc gratiam Dei, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, sic cõfiteatur, qui vult veraciter confiteri, vt omnino nihil boni sine illa quod ad pietatem pertinet veramque iustitiam, fieri posse non dubitet. Non quomodo iste, qui cùm dicit, *propterea dari gratiam, vt quod à Deo præcipitur facilius impleatur*, quid de illa sentiat satis ostendit, scilicet quòd etiam sine illa etsi minus facilè, fieri tamen quod diuinitùs præcipitur, potest.

Scientia quãdo non inflet.

Et Ioan. 4.

Sine dilectione nullum opus, rectè bonum vocatur. Rom. 14. Gal. 5. Rom. 5.

CAPVT XXVII. Cap. 25. epi. ad Demetriadem.

IN libro quippe ad virginem sacram, quod & suprà commemoraui, cùm dicit, *Diuinam mereamur gratiã, & facilius nequam spiritui, sancti spiritus auxilio resistamus*: significat profectò quid sapiat. Vt quid enim hoc verbum interposuit, id est, *facilius?* An verò non erat integer sensus, vt nequam spiritui, sancti spiritus auxilio resistamus? Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens vtique credi tantas esse naturæ vires, quas extollendo præcipitat, vt etiam sine auxilio spiritus sancti etsi minus facilè, tamen aliquo modo nequam spiritui resistatur.

CAPVT XXVIII.

ITEM in primo libro pro libero arbitrio, *Cùm autem tam forte*, inquit, *tam firmum ad non peccandum liberum in nobis habeamus arbitrium, quod generaliter naturæ humanæ creator inseruit; rursus pro eius inæstimabili benignitate, quotidiano ipsius munimur auxilio.* Quid opus est hoc auxilio, si tam forte, tam firmum est ad nõ peccandum liberum arbitrium? Sed etiam hic vult intelligi ad hoc esse auxilium, vt facilius fiat per gratiam, quod etsi minus facile, tamen putat fieri prętер gratiã.

CAPVT XXIX.

ITEM in eodem libro alio loco, Vt *quod per liberũ*, inquit, *homines facere iubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam.* Tolle *facilius*, & non solùm plenus, verũ etiam sanus est sensus, si ita dicatur, vt quod per liberum facere iubentur homines arbitrium, possint implere per gratiam. Cùm autem *Facilius* additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri tacita significatione suggeritur. Quem sensum redarguit, qui dicit, Sine me nihil potestis facere.

Ioan. 15.

CAPVT XXX.

EMENDET hæc omnia, ne si in rerum magnarum profunditate humana errauit infirmitas; etiam diabolica huic accedat errori, vel fallacia vel animositas, siue negando quod sensit, siue defendendo quod perperam sensit; cùm id se non debuisse sentire commemorarata perspicua veritate cognouerit. Istam quippe gratiam quã iustificamur, id est, qua charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritũ sanctũ, qui datus est nobis, in Pelagij & Celestij scriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inueni quemadmodum confitendã est, cõfiteri. Prorsus nusquam eos aduerti sicut agnoscendi sunt, agnoscere filios promissionis, de quibus dicit Apostolus, Non ij qui filij carnis, hi filij Dei, sed filij promissionis deputãtur in semen. Quod enim promittit Deus, non facimus nos per arbitrium seu per naturam, sed facit ipse per gratiam. Nam vt de Celestij opusculis interim taceam, vel libellis eius, quos iudiciis ecclesiasticis allegauit, quæ vobis omnia cum aliis quas necessarias existimauimus literis mittenda curauimus, quibus omnibus diligenter inspectis, possitis aduertere, non eum ponere Dei gratiam qua iuuamur, vel ad declinandum à malo, vel ad faciẽdum bonum, præter naturale arbitrium voluntatis, nisi in lege atque doctrina; ita vt ipsas quoq; orationes ad hoc asserat necessarias, vt ostendatur homini quid concupiscat & diligat. Vt ergo hæc interim omittam, nempe ipse Pelagius & literas nuper, & libellum Romam fidei suæ misit, scribens ad beatæ memoriæ papam Innocentium, quem defunctum esse nesciebat. In his ergo literis dicit *esse, de quibus eum homines infamare conantur: Vnum, quòd neget paruulis baptismi sacramẽtum, & absque redemptione Christi aliquibus regna cælorum promittat: aliud, quòd ita dicat posse hominem vitare peccatum, vt Dei excludat auxilium; & in tantum libero confidat arbitrio, vt gratiæ repudiet adiutorium.* Sed de baptismo paruulorum, quamuis eis dandum esse concedat, quàm peruersè contra fidem Christianam & catholicam sentiat veritatem, non hic locus est vt diligentius disseramus: nunc enim de adiutorio gratiæ, quod instituimus peragendum est. Vnde ad id quod proposuit quid etiam hinc respondeat videamus. Vt enim omittamus eius inuidiosas de suis inimicis querelas, vbi ad rem ventum est, ita locutus est.

Rom. 9.

Orationes ad quid necessarias putarunt Pelagiani.

Literæ & libellus fidei ad Innocentium pontificem à Pelagio Romã missus.

CAPVT XXXI.

ECCE, inquit, *ad beatitudinem tuam Epistola ista me purget, in qua purè atque simpliciter ad peccandum, & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus diuino semper adiuuatur auxilio.* Cernitis itaque pro intellectu, quem vobis Dominus dedit, hæc eius verba soluendæ non sufficere quæstioni: Quærimus enim adhuc, quo auxilio liberum adiuuari dicat arbitrium, ne fortè sicut solet, velit intelligi legem atque doctrinam. Si enim quæras cur dixerit, *semper* poterit respondere, quia dictum est. Et in lege eius meditabitur die ac nocte. Deinde cum de hominis conditione, & ad peccãdum atque non peccandum naturali eius possibilitate quædam interposuisset, adiunxit dicens, *Quam liberi arbitrij potestatem dicimus in omnibus esse generaliter, in Christianis, Iudæis atque gẽtilibus. In omnibus est liberum arbitrium æqualiter per naturam; sed in solis Christianis iuuatur à gratia.* Iterum quęrimus qua gratia? Et adhuc poterit respondere, lege atq; doctrina Christiana. Deinde quamlibet sentiat gratiam, ipsis Christianis secũdum merita dari dicit: cùm eos qui hoc dicunt iam in Palæstina, sicut suprà commemoraui, sua illa præclara purgatione damnauerit. Nam verba eius ista sunt: *In illis*, inquit, *nudum & inerme est conditionis bonum.* In eis dicit qui Christiani non sunt. Deinde cætera contexens: *In his verò*, inquit, *qui ad Christum pertinent, Christi munitur auxilio.* Videtis adhuc incertum esse quo auxilio, secundum ea quæ suprà diximus. Sed adhuc sequitur de illis qui Christiani non sunt, & dicit: *illi ideo iudicandi atque damnandi sunt; quia cùm habeant liberum arbitrium, per quod ad fidem venire possent, & Dei gratiam promereri, malè vtuntur libertate concessa. Hi verò remunerandi sunt, qui bene libero vtentes arbitrio merentur Domini gratiam, & eius mandata custodiunt.*

Psal. 1.

Nempe manifestum est eum dicere gratiam secundũ merita dari, quálibet eam, vel qualemlibet significet, quam tamen apertè non exprimit. Nam cùm eos remunerandos dicit, qui bene vtuntur libero arbitrio, & ideo mereri Domini gratiam, debitum eis reddi fatetur. Vbi est ergo illud Apostoli: Iustificati gratis per gratiam ipsius? Vbi est & illud: Gratia salui facti estis? Et ne putarent per opera, addidit, per fidem. Rursus ne ipsam fidem sine Dei gratia sibi putarent esse tribuendam: Et hoc, inquit, non ex vobis, sed Dei donum est. Nempe ergo illud vnde incipit omne, quod merito accipere dicimur, sine merito accipimus, id est, ipsam fidẽ. Aut si negatur dari, quid est quod dictũ est: Sicut vnicuiq, Deus partitus est mensurã fidei? Si autẽ sic dicitur dari, vt reddatur meritis, non donetur: quid est quod iterũ dicit: Vobis donatũ est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, verũ etiã vt patiamini pro eo? Vtrunq; enim donatũ esse testatus est, & quod credit in Christũ, & quod patitur quisq; pro Christo. Isti autem libero arbitrio sic applicant fidem, vt fidei videlicet reddi videatur non gratuita, sed debita gratia: ac per hoc iam nec gratia, quia nisi gratuita, nõ est gratia.

Rom. 3. Ephe. 2.

Fides meriti initium, ipsa uero nullis meritis nostris redditur. Rom. 12. Phil. 1.

CAPVT XXXII.

SED ab his literis Pelagius ad fidei suæ librum vult transire lectorem, cuius vobis commemorationem fecit. In quo ea de quibus nõ interrogabatur, multa disseruit. Sed nos de quibus agimus cum illis ipsa videamus. Cùm enim ab vnitate Trinitatis vsque ad resurrectionem carnis, quod ab illo nemo quærebat, disputationem quantam voluit terminasset: *Et baptisma*, inquit, *vnum tenemus, quod ijdem sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in maioribus dicimus esse celebrandum.* Hoc certè vos & à præsente audisse dixistis. Sed quid prodest quòd eisdem verbis in paruulis, quibus & in maioribus celebrari dicit baptismi sacramentum, cùm res à nobis, nõ sola verba quærãtur? Plus est quod vobis ore proprio interrogantibus respondit, vti scribitis, *infantes in remissionem peccatorum percipere baptismum.* Non enim & hic dixit in verbis remissionis peccatorum: sed eos baptizari in ipsam remissionem, confessus est. Et tamen si ab eo quęreretis, quid peccati eis credatur remitti, nõ eos aliquid habere contenderet.

CAPVT XXXIII. Libellus Celestij.

QVIS crederet sub hac quasi manifesta confessione sensum latere contrarium, nisi eum Celestius aperuisset? Qui in libello suo, quem Romæ gestis ecclesiasticis allegauit, *paruulos & baptizari in remissionem peccatorum* confessus est & negauit *vllum habere originale peccatum.* Sed nunc non de baptismate paruulorũ; sed de adiutorio gratiæ potius, etiã in libello fidei suæ, quem Romam misit, quid Pelagius senserit attendamus. *Liberum*, inquit, *sic cõfitemur arbitrium, vt dicamus nos indigere Dei semper auxilio.* Ecce iterum quærimus, quo auxilio nos indigere fateatur: & iterũ inuenimus ambiguum, quoniam potest respondere, legem se dicere doctrinámve Christianam, qua naturalis illa possibilitas adiuuetur. Nos autem illam gratiam in eorũ confessione requirimus, de qua dicit Apostolus: Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & charitatis & continẽtiæ. Non est autem consequẽs, vt qui habet donum scientiæ, quo nouerit quid agere debeat; habeat etiam charitatis, vt agat.

2. Tim. 1.

CAPVT XXXIIII.

ILLOS etiam quos in eisdem literis, quas misit ad sanctæ memoriæ papam Innocentium, libros suos vel scripta commemorat, legi, præter vnam Epistolam, quam se breuem misisse ad sanctum Cõstantium episcopum dicit, nec alicubi potui reperire hanc eum gratiam cõfiteri, qua non solùm possibilitas naturalis voluntatis & actionis, quam dicit nos habere etiam si nec volumus nec agimus bonum; sed ipsa etiam voluntas & actio subministratione sancti spiritus adiuuatur.

CAPVT XXXV. Pelagij epistola ad Paulinum.

LEGANT, inquit, *illam Epistolam, quàm ad sanctum virum Paulinum episcopum ante duodecim ferè annos scripsimus, quæ trecentis fortè versibus nihil aliud quàm Dei gratiam & auxilium confitetur, nosq; nihil omnino boni facere posse sine Deo.* Hanc ergo Epistolam legi, & inueni eum penè per totam nõ immorari, nisi in facultate & possibilitate naturæ, & penè ibi tantum Dei gratiã constituere: Christianam verò gratiã tanta breuitate sola nominis cõmemoratione perstringit, vt nihil aliud videatur, quàm eam tacere timuisse. Vtrum tamen eam in remissione peccatorum velit intelligi, an etiam in doctrina Christi, vbi est & eius conuersationis exemplum, quod aliquot locis suorum opusculorum facit, an credat aliquod adiutorium bene agendi adiũctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ & luminosissimæ charitatis, non apparet omnino.

CAPVT XXXVI. Pelagij epistola ad Constantium episcopum. Cap. 34.

LEGANT etiam, inquit, *ad sanctum Constantium episcopum, vbi breuiter quidem, sed planè libero hominis arbitrio Dei gratiam auxiliumq; coniunxi.* Hãc Epistolam, vt superius dixi, non legi, sed si non est dissimilis cæteris, quæ mihi nota commemorat, nõ habet etiam ipsa quod quærimus.

CAPVT XXXVII. Pelagij epistola ad Demetriadem virginem.

LEGANT etiam, inquit, *quam ad sacrã Christi virginem Demetriadem in Oriente conscripsimus: & inuenient nos ita hominis laudare naturam, vt Dei semper gratiæ addamus auxilium.* Istam sanè legi, mihique penè persuaserat hanc illum gratiam, de qua quæstio est cõfiteri; quãuis in multis eius opusculi locis sibiipse contradicere videretur. Sed cùm in manus meas & alia venissent, quæ posterius latiusq; conscripsit, vidi quẽadmodum potuerit etiam illic gratiã nominare, sub ambigua generalitate quid sentiret abscondens, gratiæ tamen vocabulo frangens inuidiam, offensionemq; declinans. Nam in ipsius principio vbi ait: *Proposito insudemus operi, nec mediocritati diffidamus ingenij, quod credimus fide matris & merito virginis adiuuari:* gratiã qua adiuuamur ad aliquid agendũ mihi visus fuerat confiteri, nec attẽderam hanc eum ponere potuisse in sola reuelatione doctrinæ. Item in eodem opere alio loco: *Quod si etiam sine Deo*, inquit, *homines ostendunt quales à Deo facti sunt, vide quid Christiani facere possunt, quorum in melius per Christum instauratà natura est, & qui diuinæ quoque gratiæ iuuantur auxilio?* Naturam in melius instauratam, remissionem vult intelligi peccatorum. Quod alio loco in hoc ipso libro satis demonstrauit, vbi ait: *Etiam illi qui longo peccandi vsu quodammodo obduruere, instaurari per pœnitentiam possunt?* Auxilium verò diuinæ gratiæ potest & hic ponere in reuelatione doctrinæ.

Cap. 3.

Cap. 17.

ITEM alibi in eadem Epistola: *Nam si ante legem*, inquit, *vt diximus, ac multò ante Domini nostri & saluatoris aduentum, iustè quidam & sanctè vixisse referuntur; quanto magis post illustrationem aduentus eius nos id posse credẽdum est, qui instaurati per Christi gratiam & in meliorem hominẽ renati sumus, qui sanguine eius expiati atq; mundati, ipsiusq; exemplo ad perfectionem incitati iustitiæ, meliores illis esse debemus, qui ante legem fuere.* Videte quemadmodũ & hic aliis quidem verbis, sed tamen in remissione peccatorũ, & in exemplo Christi, adiutoriũ gratiæ constituerit. Deinde subiungit & dicit: *Meliores etiã quàm fuere sub lege, dicente Apostolo: Peccatum vobis non dominabitur; Non enim sub lege estis, sed sub gratia. Et quoniam hinc*, inquit, *sufficienter, vt puto, diximus, nunc perfectam instituamus virginẽ, quæ ex vtroque semper accensa, et naturæ simul & gratiæ bonũ, morũ sanctitate testetur.* Et in his verbis debetis aduertere, ideo illum quod dicebat, sic voluisse concludere, vt naturæ bonũ intelligamus, quod cùm crearemur accepimus: gratiæ autem, cùm Christi intuemur exemplum: tanquam ideo peccatum non indultum fuerit eis qui sub lege fuerunt vel sunt, quia exemplum Christi siue non habuerunt, siue non credunt.

Rom. 6.

Hoc

CAPVT XXXIX. Hoc autem istum sapere & alia eiùs verba ostendunt, nõ in hoc libro, sed in tertio pro libero arbitrio, vbi ad eum loquens contra quem disputat, quoniam ille posuerat verba Apostoli dicentis: Non quod volo ago. Et, Video aliã legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & cætera quæ ibi dicuntur, iste respondit atque ait: *Hoc enim quod tu de Apostolo intelligere cupis, omnes ecclesiastici viri in peccatoris & sub lege adhuc posita asserunt eum dixisse persona, qui nimia vitiorum consuetudine velut quadam teneretur necessitate peccandi, & quamuis bonum appeteret voluntate, vsu tamen præcipitaretur in malum. In persona autem*, inquit, *hominis vnius, designat populum sub vetere adhuc lege peccantem, quem ab hoc consuetudinis malo dicit liberandum esse per Christum, qui credentibus sibi primò omnia per baptismum peccata dimittit, deinde imitatione sui ad perfectam incitat sanctitatem, & vitiorum consuetudinem virtutum vincit exemplo.* Ecce quomodo vult intelligi adiuuari eos qui sub lege peccant, vt per gratiam Christi iustificati liberentur, tanquam eis non sufficiat sola lex propter nimiam peccandi consuetudinem, nisi Christi accedat non inspiratio charitatis per Spiritum sanctũ, sed intuendum & imitandum in doctrina Euangelica virtutis eius exemplum. Et certè maxima hic erat cauſã exprimẽdi, quam diceret gratiam, vbi locum ipsum de quo respondet, sic conclusit Apostolus vt diceret: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Hanc iste cum cõstituat, non in virtutis eius auxilio, sed imitationis exemplo, quid amplius de illo sperare debemus, vbicunque gratię nomen sub ambigua generalitate commemorat?

Rom. 7. Ibidem.

CAPVT XL. Item in eodem libro ad virginem sacrã, vnde iam etiã suprà disseruimus, vbi ait: *Subditi simus Deo, eiusq; faciendo voluntatem, diuinam mereamur gratiam, & facilius nequam spiritui Spiritus sancti auxilio resistamus.* In quibus eius verbis certè manifestum est, ita cum velle nos adiuuari gratia Spiritus sancti, non quia sine illo etiam per solam naturæ possibilitatem non possumus resistere tentatori, sed vt facilius resistamus. Quod tamen qualecunque & quantulumcunque adiutorium, cum credibile est in hoc constituere, quòd nobis additur scientia, reuelante spiritu per doctrinam, quam vel non possumus vel difficilè habere possumus per naturam. Ista sunt quæ in libro quem scripsit ad virginem Christi, aduertere potui, vbi videtur gratiam confiteri, quæ profectò qualia sint vtique cernitis.

Sup. c. 21. ex epistola 1. 25.

CAPVT XLI. Legant, inquit, *etiam recens meum opusculum, quod pro libero nuper arbitrio edere compulsi sumus, & agnoscẽt quàm iniquè nos negatione gratiæ infamare gestierint, qui per totum penè ipsius textum operis perfectè atque integrè & liberum arbitrium confitemur & gratiam.* Quatuor sunt libri operis huius, & hos legi, & ex illis sumsi, quæ tractanda & discutienda proposui, & vt potui pertractaui, antèquam ad eius has literas, quæ Romam missę sunt, veniremus. Sed in his etiam quatuor libris, quæcunque pro gratia videtur dicere, qua iuuamur vt declinemus à malo bonumque faciamus, ita dicit, vt nullo modo à verborum ambiguitate discedat, quam discipulis sic possit exponere, vt nullum auxilium gratię credant, qua naturæ possibilitas adiuuetur, nisi in lege atque doctrina: ita vt ipsas quoque orationes, vt in scriptis suis apertissimè affirmat, ad nihil aliud adhibẽdas opinetur, nisi vt nobis doctrina etiã diuina reuelatione aperiatur, non vt adiuuetur mens hominis, vt id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat. Ab illo enim suo manifestissimo dogmate non recedit omnino, vbi tria illa cõstituit, possibilitatem, volũtatem, actionem, & solam possibilitatem dicit diuino semper adiuuari auxilio: voluntatem autem & actionem, nullo Dei adiutorio existimat indigere.

Pro libero arbitrio.

Orationes quorsum putarit pelagius adhibendas.

A Ipsum verò auxilium quo possibilitatem naturalem perhibet adiuuari, in lege constituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam sancto Spiritu reuelari, propter quod & orandum esse concedit. Sed hoc adiutorium legis atque doctrinæ etiã propheticis fuisse temporibus: adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nũcupatur, in Christi esse arbitratur exemplo. Quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Euangelica prædicatur: vt videlicet tãquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, iam viribus liberi arbitrij, adiutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via, quamuis & ipsam viam contendat etiam sola inueniri posse natura, sed facilius si adiuuet gratia.

CAPVT XLII. Hæc ergo pro meo captu intelligere potui in Pelagij scriptis, quando nominat gratiam. Videtis autem quòd qui ista sentiunt, ignorantes Dei iustitiam, suam volunt constituere, & longè ab illa sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex nobis, quam in Scripturis sanctis maximè canonicis aduertere atq; cognoscere debeuerunt. B Sed quia eas secundum suum sensum legunt, profectò in illis nec apertè contuentur. Vtinam ergo saltem in catholicorum virorum scriptis, à quibus eas rectè intellectas esse non dubitant, quid sit de adiutorio diuinæ gratiæ sentiendum, non negligenter attenderent, nec suæ sententię amore nimio præterirent. Nam iste ipse Pelagius in illo ipso recẽti opusculo suo, cuius se commemoratione defendit, id est, in tertio libro pro libero arbitrio sanctum Ambrosium quemadmodum laudet, accipite.

Scripturas sacras ad suum semper sensum hæretici legunt.

CAPVT XLIII. Pelagius B. Ambrosium laudat. Beatus, inquit, *Ambrosius episcopus, in cuius præcipuè libris Romana elucet fides, qui scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituit, cuius fidem & purissimũ in Scripturis sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere.* Ecce qualibus & quantis prædicat laudibus, quamlibet sanctum & doctum virum, nequaquam tamen autoritati Scripturæ canonicæ comparandum. Quem propterea sic iste commendat, quia videtur sibi in quodam loco librorum eius eo teste vti, quo probet hominem posse esse sine peccato. C Vnde nunc non agitur, sed agitur de auxilio gratię, quo ad non peccandum adiuuamur iusteque viuendum.

CAPVT XLIII. Ambrosiũ Pelagio opponit. Audiat ergo illum venerabilem antistitem dicentem & docentem in secundo libro expositionis Euangelij secundum Lucam cooperari Dominum etiã voluntatibus nostris. *Vides itaque*, inquit, *quia vbiq; Domini virtus studiis cooperatur humanis, vt nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine domino, nemo quicquam incipere sine Domino. Et ideo iuxta Apostolum: Siue manducatis, siue bibitis, omnia in Dei gloriam facite.* I. Cor. 10. Videtis quemadmodum sanctus Ambrosius etiam illud quod solent homines dicere, *nos incipimus, & Deus perficit*, his verbis abstulit dicens, *Neminem quicquam vel incipere sine Deo.* Item in sexto libro eiusdem operis, cùm de duobus illis fœneratoris vnius debitoribus ageret: *Secundum hominem*, inquit, *plus fortasse offendit, qui plus debuerat; sed per misericordiam Domini causa mutatur, vt amplius diligat, qui amplius debuit, si tamen gratiam consequatur.* Ecce apertissimè prædicat catholicus doctor etiam ipsam dilectionem, qua quisque amplius diligit, ad beneficium gratiæ pertinere.

CAPVT XLV. Ipsam denique pœnitẽtiam, quam proculdubio voluntas agit, Domini misericordia & adiutorio fieri vt agatur, in decimo eiusdem operis libro beatus dicit Ambrosius ita loquens: *Bonæ lachrymæ quæ culpam lauant. Denique quos Iesus respicit, plorant delictum.* Cap. 96. *Negauit primò Petrus & non fleuit, quia non respexerat Dominus: negauit secundò & non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus: negauit & tertiò, respexit Iesus, & amarissimè fleuit.* Luca 22. Legant isti Euangelium, & videant Dominum Iesum tunc intus fuisse, cùm à sacerdotum principibus

cipibus auditetur: apostolum verò Petrum foris & deorsum in atrio cum seruis ad focum nunc sedentem, nunc stantẽ, sicut veracissima & concordissima Euangelistarum narratione monstratur. Vnde non potest dici, quòd corporalibus oculis eum Dominus visibiliter admonendo respexerit. Et ideo quod ibi scriptum est: Respexit eum Dominus: intus actum est, in mente actum est, in volũtate actum est. Misericordia Dominus latenter subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiore gratia sua visitauit Petrum, interioris hominis vsque ad exteriores lachrymas mouit & produxit affectum. Ecce quemadmodum Deus adiuuando adest voluntatibus & actionibus nostris. Ecce quemadmodum & velle & operari operatur in nobis. Itẽ in eodem libro idem sanctus Ambrosius, *Nam si Petrus*, inquit, *lapsus est, qui dixit: Et si alij scandalizati fuerint, ego non scandalizabor: quis alius iure de se præsumat? Denique Dauid quia dixerat: Ego dixi in mea abundantia, nõ mouebor in æternum: suam sibi iactantiam obfuisse profitetur dicens: Auertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.* Psal. 29. Audiat iste tantum virũ docentem, imitetur credentem, cuius fidem doctrinamq; laudauit. Audiat humiliter, imitetur fideliter, non de se pertinaciter præsumat ne pereat. Quid in eo pelago vult mergi Pelagius, vnde per petram liberatus est Petrus?

Quibus oculis Petrum Christus respexerit.

Ibidem.

Luc. 22.

CAPVT XLVI. † Ea verba nunc extant libro septimo, ad illud Lucæ 9. Sinite eos, & nolite prohibere. Luc. 9. Exod. 33.

Audiat cundem antistitem Dei in † sexto libro eiusdem operis dicẽtem: *Cur autem non receperint eum, Euangelista ipse memorauit dicens: Quia facies eius erat euntis in Hierusalem, discipuli autem recipi intra Samariã gestiebant. Sed Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* O sensum hominis Dei, ex ipso haustum fonte gratiæ Dei. *Deus*, inquit, *quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Videte si non propheticum illud est: Miserebor cuius misertus ero, & misericordiam præstabo cui misericors fuero. Et illud apostolicum: Non volentis neq; currentis, sed miserentis Dei. Rom. 9. C Quia vt dicit etiam nostrorum temporũ homo eius, *quem dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Nũquid aliquis dicere audebit, nondum esse religiosum, qui currit ad Deũ, ab eo se regi cupit, & voluntatẽ suã ex eius voluntate suspẽdit, & qui ei adhærendo iugiter vnus secũdum Apostolum, cum eo fit spiritus? At hoc totum tam magnum religiosi hominis opus, Pelagius non dicit effici nisi arbitrij libertate. Contrà autẽ beatus Ambrosius ipsius tam excellẽter ore laudatus: *Dominus Deus*, inquit, *quẽ dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Ergo vt currat ad Dominum, & ab eo se regi cupiat, suamq; voluntatem ex eius voluntate suspendat, eiq; adhærendo iugiter, vnus secundum Apostolũ cum eo fiat spiritus, Deus quem vult religiosum facit. Et hoc torũ homo nisi religiosus non facit. Quapropter nisi à Deo fiat vt hoc faciat, quis hoc facit?

CAPVT XLVII. Libero arbitrij & gratiæ Dei conciliandæ difficultas. Sed quia ista quæstio, vbi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberũ arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri: potest Pelagius ita se latebris obscuritatis huius inuoluere, vt etiã iis quæ à sancto Ambrosio conscripta posuimus, consentire se dicat: & ea se quoque sentire proclamet, semperq; sensisse, atque ita singula conetur exponere, vt etiam eius sententiæ conuenire credantur. Quapropter quãtum attinet ad istã de diuina gratia & adiutorio quæstionẽ, tria ista quæ apertissimè distinxit attẽdite, posse, velle, esse, id est, possibilitatem, voluntatẽ, actionem. Si ergo consenserit nobis, non solam possibilitatẽ in homine, etiã si nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoq; volũtatẽ & actionẽ, id est, vt bene velimus, & bene agamus, quæ nõ sunt in homine, nisi quando bene vult & bene agit: Si vt dixi, cõsenserit, etiã ipsam voluntatẽ & actionem diuinitùs adiuuari, & sic adiuuari, vt sine illo adiutorio nihil bene velimus & agamus, eamq; esse gratiã Dei per Iesum Christũ Dominũ nostrũ, in qua nos sua, non nostra iustitia iustos facit, vt ea sit vera nostra iustitia, quæ nobis ab illo est; nihil de adiutorio gratiæ Dei, quãtũ arbitror, inter nos cõtrouersię relinquetur.

Quid à Pelagio in hoc argumento exigatur.

CAPVT XLVII. Sine peccatõ quomodo quidam in hac vita dicti possint. Illud autem propter quod sic laudauit sanctum Ambrosiũ, quia scilicet in scriptis eius inuenit ex laudibus Zacharię & Elizabeth, posse hominẽ in hac vita esse sine peccato: quanquã negandũ non sit, si hoc vellit Deus, apud quẽ sunt omnia possibilia; consideret tamẽ diligẽtius quemadmodũ dictum sit. Dictum enim est, quantum mihi videtur, secũdum quandã inter homines cõuersationem probabilẽ atq; laudabilem, quã nullus hominũ iustè posset in accusationis & criminationis querelã vocare. Quã propterea in Dei cõspectu Zacharias & eius vxor habuisse referuntur, quia in ea homines nulla dissimulatione fallebãt; sed vt apparebant hominibus, ita noti erant oculis Dei. Nõ autem B dictum est hoc secundũ illam perfectionem iustitię, in qua verè atq; omnimodo immaculati perfectiq; viuemus: nam & apost. Paulus dixit, secundum iustitiã, quę ex lege est, se fuisse sine querela: in qua lege etiam Zacharias sine querela conuersabatur: sed hanc Apostolus iustitiam in stercoribus & detrimẽtis deputauit, in comparatione iustitiæ quam speramus, & quam nunc esurire ac sitire debemus, vt ea quandoq; saturemur in specie, quæ nunc est in fide, quãdiu iustus ex fide viuit. Philip. 3. Rom. 1.

CAPVT XLIX. Ambrosius in Esaiam. Audiat deniq; ipsum venerabilẽ antistitẽ, cùm exponeret Esaiam prophetã dicentem, neminẽ in hoc mũdo esse posse sine peccato: vbi nemo potest dicere, in hoc mundo cum dixisse, velut in dilectione huius mundi. De Apostolo etenim loquebatur, qui dicit: Cõuersatio nostra in cælis est. Hunc ergo sensum memoratus episcopus explicans: *Perfectos*, inquit, *secum multos ait Apostolus in illo adhuc mundo sitos; qui si ad perfectionem veram respicias, perfecti esse non poterant. Quia ipse dixit: Videmus nũc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Ita & immaculati sunt in hoc mundo, & immaculati erunt in regno Dei; cùm vtique si minutius excutias, immaculatus esse nemo possit, quia nemo sine peccato.* I. Cor. 13. Illud ergo sancti Ambrosij testimonium quo pro sua sentẽtia Pelagius vtitur, aut secundũ quẽdam modũ dictum est, probabilẽ quidem, sed non minutius excussum: aut certè si ille vir sanctus atq; humilis Zachariã & Elizabeth summę atq; omnimodo perfectę iustitię, cui nihil addi iã posset, fuisse existimauit, profectò sententiã suã minutius excutiendo correxit.

Attendat sanè iste in eodẽ ipso loco vnde hoc Ambrosianũ testimoniũ, quod ei placebat, assumpsit: etiam illud eum dixisse, quòd *ab initio esse immaculatum humanæ impossibile sit naturæ*, vbi omnino illã naturalẽ possibilitatẽ, quã Pelagius non vult fideliter respicere, D peccato esse vitiatã, & ideo iactãter extollit, eneruem infirmamq; testatur venerãdus Ambrosius: proculdubiò contra istius voluntatem, sed non contra apostolicam veritatem, vbi legitur: Fuimus & nos aliquando natura filij iræ, sicut & cæteri. Ipsa est enim per peccatum primi hominis, quod ex libero eius venit arbitrio, vitiata & damnata natura. Cui sola per mediatorem Dei & hominum & omnipotentem medicum diuina subuenit gratia: De cuius adiutorio, ad iustificationẽ nostram, quo Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, quos prior dilexit donans eis vt diligeretur ab eis, quia iam diu est vt differimus: deinceps incipiamus, quantum Dominus adiuuerit etiã de peccato, quod per vnum hominem cum morte intrauit in mundum, atq; ita in omnes homines pertransiit, aduersus istos qui in errorẽ huic contrariũ veritati, apertius eruperunt, quæ satis esse videbuntur exprimere. Cap. 5. Ephes. 2. Rom. 5.

LIBRI PRIMI FINIS.

DIVI-

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

CONTRA PELAGIVM ET CELESTIVM, LIBER SECVNDVS, QVI EST DE PECCATO ORIGINALI.

CAP. I. IAM nunc diligenter aduertite de baptismate paruulorum, quàm cautè debeatis audire homines eiusmodi, qui neque apertè illi ętati lauacrum regenerationis & peccatorum remissionis audent negare, ne hoc Christianæ aures ferre non possint: & tamẽ opinionem suam, qua putant peccato primi hominis carnalem generationem obnoxiã non teneri, tueri & defensare persistunt, quamuis eis baptismum videantur in remissionem peccatorum concedere. Nempe vosipsi à Pelagio præsente scripsistis audisse recitante vobis de libello suo, quem etiam Romã se misisse asserebat, quod *ijsdem sacramenti verbis* dicant *debere baptizari infantes, quibus & maiores*. Quis post ista verba putaret eis de hac re vllam mouendam esse quæstionem, aut cùm faceret, nõ calumniosissimus videretur, si non eorum manifesta verba legerentur, vbi negant paruulos trahere originale peccatum, omnesque sine vllo vitio natos esse contendunt?

CAPVT II. ET Celestius quidem in hoc extitit errore liberior, vsqueadeo, vt neq; in episcopali iudicio apud Carthaginem damnare voluerit eos, qui dicunt quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanũ: & quod infantes, qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante prẽuaricationem. Et in vrbe Roma in libello suo, quem beatissimo papæ Zosimo dedit, id asseuerauit expressius, *quòd paruulorum neminẽ obstringat originale peccatum*. De gestis enim ecclesiasticis Carthaginensibus hæc eius verba descripsimus.

CAPVT III. Pars actorum Carthagin. cõcilij aduersus Celestium. AVRELIVS episcopus dixit: Sequẽtia recitentur, & recitatum est, *quod peccatum Adæ ipsi soli obfuerit, & non generi humano*. Et cùm recitatum esset, Celestius dixit: *Dixi de traduce peccati me dubium esse; ita tamen vt cui donauit Deus gratiam peritiæ consentiam, quia diuersa ab eis audiui, qui vtique in ecclesia catholica constituti sunt presbyteri.* Paulinus diaconus dixit: Dic nobis nomina ipsorum. Celestius dixit: *Sanctus presbyter Rufinus Romæ qui mansit cum sancto Pammachio. Ego audiui illum dicentem, quia tradux peccati non sit.* Paulinus diaconus dixit: Est aliquis alius? Celestius dixit: *Audiui & plures dicere.* Paulinus diaconus dixit: Dic nomina ipsorum. Celestius dixit: *Non tibi sufficit vnus sacerdos?* Et post aliqua alio loco: Aurelius episcopus dixit: Reliqua libelli legãtur. Et recitatum est, *quod infantes qui nascũtur, in eo statu sint, in quo fuit Adam ante transgressionem*. vsque in finem libelli minoris superius inserti.

CAPVT IIII. AVRELIVS episcopus dixit: Docuisti Celesti aliquando, vt dixit diaconus Paulinus, quòd infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo fuit Adam ante trãsgressionem. Celestius dixit, *Exponat quid dixit, ante transgressionem*. Paulinus diaconus dixit: Tu nega hoc te docuisse. Vnũ est ex duobus, aut neget se docuisse, aut iam damnet istud. Celestius dixit: *Iam dixi, exponat quomodo dixit, ante transgressionem*. Paulinus diaconus dixit: Nega te illa docuisse. Aurelius episcopus dixit: Rogo, quid collegerim ego ex huiusmodi obiectione, dico Adam constitutus in paradiso, quod ante dicatur inexterminabilis factus, postea per transgressionem præcepti factus sit corruptibilis. Hoc dicis frater Pauline? Paulinus diaconus dixit: Hoc Domine. Aurelius episcopus dixit: Status certè infantiũ hodie baptizandorum, vtrum talis sit, qualis fuit ante transgressionem Adæ, an certè de eadem origine peccati, de qua nascitur, transgressionis culpam trahat? Hoc vult diaconus Paulinus audire. Paulinus diaconus dixit: Vtrum docuit hoc, an non, neget. Celestius dixit: *Iam de traduce peccati dixi, quia intra catholicam constitutos plures audiui destruere, nec non & alios astruere, licet quæstionis res sit ista, non hæresis: Infantes semper dixi egere baptismo, ac debere baptizari. Quid quærit aliud?* Nempe cernitis sic Celestium cõcessisse paruulis baptismũ, vt in eos transire primi hominis peccatum, quod lauacro regenerationis abluitur, noluerit confiteri, quamuis & negare non ausus sit. Et propter hanc dubitationem suam non damnauerit eos qui dicunt, quod peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum, & quod infantes qui nascuntur, in eo statu sint, in quo Adam fuit ante præuaricationem.

CAP. V. IN libello autem quem Romæ ædidit, qui gestis ibi ecclesiasticis allegatus est, ita de hac re loquitur, vt hoc se credere ostendat, vnde hic dubitare se dixerat. Nam verba eius ista sunt, *Infantes autem*, inquit, *debere baptizari in remissionem peccatorum secundum regulam vniuersalis ecclesiæ, & secundum Euangelij sentẽtiam confitemur: quia Dominus statuit regnum cælorum non nisi baptizatis posse conferri; quod quia vires naturæ non habẽt, conferre necesse est per gratiæ libertatem*. Si nihil de hac re deinceps diceret, quis non eum crederet confiteri, etiã infantibus in baptismo originalia peccata dimitti, dicendo eos in remissionem peccatorum baptizari oportere? Hinc ergo est & illud quod scripsistis, sic vobis respondisse Pelagium, *quòd eisdem quibus & maiores sacramenti verbis baptizantur infantes*, vosque lætatos fuisse, id quod cupiebatis audisse, & tamen adhuc de verbis eius nos maluisse consulere.

CAPVT VI. ATTENDITE itaque quid Celestius apertissimè dixerit, & ibi videbitis quid vobis Pelagius occultauerit. Celestius quippe adiungit & dicit: *In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes, non idcirco diximus, vt peccatum ex traduce firmare videamur, quod longè à catholico sensu alienum est; quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine, quia non naturæ delictum, sed voluntatis esse demonstratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diuersa baptismatis genera facere videamur; & hoc præmunire necessarium est, ne per mysterij occasionem, ad creatoris iniuriam malum antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam*. Hunc sensum suũ vobis aperire Pelagius vel timuit, vel erubuit, quem discipulus eius palàm sine vllius obscuritatis ambagibus apud sedem apostolicam profiteri non timuit, nec erubuit. Sed multum misericors memoratæ sedis antistes, vbi eum vidit ferri tanta præsumptione præcipitem, tanquam furentem, donec si posset fieri, resipisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus & illius respõsionibus colligare, quàm districta feriendo sententia, in illud abruptum, quo iam propendere videbatur, impellere. Ideo autem non dixi apertè ceciderat, sed propendere videbatur, quia superius in eodem libello suo de huiusmodi quęstionibus locuturus antè prædixerat: *Si fortè vt hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententia corrigatur.*

CAPVT VII. HANC eius prælocutionem venerabilis papa Zosimus tenens, egit cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflauerat, vt ea quæ illi à diacono Paulino fuerant obiecta damnaret, atq; vt sedis apostolicæ literis, quæ à sanctæ memoriæ suo præcessore manauerant, præberet assensum. At ille noluit quidem diaconi obiecta damnare, sed beati papæ Innocẽtij literis non est ausus obsistere, imò *se omnia, quæ sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit*: atq; ita velut phreneticus, vt requiesceret tanquam leniter fotus, à vinculis tamen excõmunicationis nondũ est creditus esse soluendus. Sed interposito duorum mẽsium tempore, donec rescriberetur ex Aphrica, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate cõcessus est: Quoniam re vera si deposita peruicacię vanitate, quod promiserat vellet attendere, & easdem literas, quibus se consensurum esse responderat, diligenter legeret, sanaretur. Sed postea quàm ex Aphricano episcoporum concilio rescripta directa sunt, quid fuerit cõsecutum, vt iustissimè in eum sententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta transmisimus.

Discipulus magistro audacior.

Zosimus.

Innocentius iuerat. Celestius omnia se damnaturum promittit, quæ Roma sedes damnauerit.

Celestius à Zosimo pontifice excommunicatur.

CAPVT VIII. VNDE etiam Pelagius si seipsum & sua scripta sine dolo cogitat, non rectè dicit eadem sententia se nõ debuisse teneri. Fefellit enim iudicium Palæstinum, propterea ibi videtur esse purgatus: Romanam verò ecclesiam, vbi eum esse notissimum scitis, fallere vsquequaq; non potuit, quamuis & hoc fuerit vtrumq; conatus, sed vt dixi, minimè valuit. Recoluit enim beatissimus papa Zosimus, quid imitandus præcessor eius de ipsis senserit gestis. Attendit etiam quid de illo sentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum aduersus eius errorem pro veritate catholica, studia consonantia concorditer flagrare cernebat: inter quos ille diu vixerat, & quos eius dogmata latere non poterãt: qui Celestiũ eius esse discipulũ sic nouerãt, vt fidelissimũ & firmissimum possent de hac re testimoniũ perhibere. Quid ergo de Palæstinæ synodi gestis, quibus se Pelagius absolutũ esse gloriatur, sanctus papa Innocẽtius iudicauerit, quãuis & in literis eius, quas nobis rescripsit, legere possitis, & cõmemoratum cùm venerabili papæ Zosimo synodus Aphricana respõdit, quod vestræ charitati cum cæteris instructionibus misimus, tamẽ nec in hoc opere prætereundum videtur.

Romanam sedem fallere conatus Pelagius, sed non potuit.

Prædicãda Romanorum fides. Rom. I.

Pelagius & Celestius diu Romæ vixerunt.

CAPVT IX. Epistola est 95. CVM enim nos in Epistola quam ei quinque episcopi scripsimus, eorundem gestorum Palæstinorum, quorum ad nos iam fama peruenerat, cõmemorationem fecissemus, dicẽtes in Oriente, vbi degit, gesta ecclesiastica facta esse, quibus putatur esse purgatus, atq; ad hoc inter cætera ille rescriberet: *Cùm sint*, inquit, *aliqua in ipsis posita gestis quæ obiecta, partim ille vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit; aliqua magis falsa, quàm vera ratione, vt ad tempus poterat videri purgauit, negando alia, alia falsa interpretatione vertendo. Sed vtinam, quod optandum magis est, iam se ille ad veram catholicæ fidei viam ab illo suo errore conuertat, & cupiat velitq; purgari, considerans quotidianam Dei gratiam, adiutoriumq; cognoscens, vt videatur verè, & approbetur ab omnibus, manifesta ratione correctus, non gestorum iudicio, sed ad catholicã fidem corde conuerso. Vnde non possumus illorum nec approbare nec culpare iudicium, cùm nesciamus vtrum vera sint gesta, aut si vera sint, constet magis subterfugisse, quàm se tota veritate purgasse.* Videtis certè in his verbis, quemadmodum papa beatissimus Innocentius non tanquam de incognito loqui videatur. Videtis qualem tulerit de illius purgatione sententiã. Videtis quid successor eius sanctus papa Zosimus recolere debuerit, sicut recoluit, vt in eo sui præcessoris iudicium, remota cũctatione firmaret.

Epistola 96. inter Augustinianas.

CAP. X. Pelagius fefellit Palæstinũ concilium. IAM nunc diligenter attendite, vnde monstretur, quòd Palæstinos Pelagius fefellerit iudices, vt alia taceam, in hac ipsa quæstione de baptismate paruulorũ: ne fortè cuipiam in eo quod diximus, cum sensum, in quo liberior Celestius fuit, vobis occultasse Pelagiũ, cùm & ipse non aliter sentiat, calumniari potius vel suspicari, quàm certum aliquid comprehendisse videamur. Nempe iam superius satis claruit, propterea Celestium noluisse damnare, quod dicit Adæ peccatum ipsi soli obfuisse, non generi humano, & infantes qui nascuntur in eo statu esse, in quo Adam fuit ante præuaricationem: quia videbat, si ista damnaret, confirmare se in infantibus peccati ex Adam trãsitum. Hæc autem cùm fuissent obiecta Pelagio, quod ea cum Celestio etiam ipse sentiret, sine vlla retractatione damnauit. Quod licet vos legisse sciam, tamen quia non solis vobis hoc scribitur, ne pigeat lectorẽ ad ipsa gesta recurrere, vel si ea nõ habet, etiã cum labore perquirere, ipsa inde verba trãscribimus, quæ infrà scripta sunt.

CAPVT XI. Pars Actorum concilij Palæstini in causa Pelagij. SYNODVS dixit: Nunc quoniam anathematizauerit Pelagius incertum stultiloquium, rectè respondens, *hominem cum adiutorio Dei & gratia posse esse ἀναμάρτητον, id est, sine peccato*, respondeat & ad alia capitula. Aliud capitulum in doctrina Celestij discipuli Pelagij, ex eis quæ Carthagine à sancto Aurelio Carthaginensi episcopo cum alijs episcopis audita sunt & cõmemorata: Adam mortalem factum, qui siue peccaret, siue non peccaret, moriturus esset. Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læserit, & non genus humanum. Quoniam lex sic mittat ad regnũ, quemadmodum & Euangelium. Quoniã ante aduentum Christi fuerint homines sine peccato. Quoniam infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante præuaricationem. Quoniam neque per mortem vel præuaricationem Adæ omne genus humanũ moriatur, neq; per resurrectionẽ Christi omne genus humanum resurgat. Quoniam sanctus episcopus Augustinus aduersus discipulos eius in Sicilia respondit Hilario ad subiecta capitula, scribens librum in quo ista continẽtur: Posse hominẽ sine peccato esse, si velit: Infantes, & si non baptizẽtur, habere vitã æternã: Diuites baptizatos nisi omnibus abrenuncient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, neq; regnũ Dei posse eos habere. Pelagius dixit: *De posse quidẽ hominẽ sine peccato esse, dictum est superius. De eo autẽ quòd fuerint homines antẽ aduẽtum Domini sine peccato, dicimus & nos, quoniã ante aduentum Christi vixerunt quidam sanctè & iustè, secũdum Scripturarum sanctarum traditionẽ. Reliqua verò & secundum ipsorum testimoniũ, quia ista non sunt pro quibus ego satis facere debeã, sed tamen ad satisfactionem sanctæ synodi, anathematizo eos, qui sic tenẽt, aut aliquãdo tenuerũt.*

Articuli Pelagianorum.

Epistola est 89.

Pelagius simulatè eruptes suos anathematizat.

CAPVT XII. Pelagij & Celestij collatio. ECCE tu alia omittam, videtis anathematizasse Pelagium eos, qui tenent quod Adæ peccatum ipsum solum læserit & non genus humanum; & quod infantes qui nascuntur in eo statu sint, in quo Adam fuit ante præuaricationem. Quid ergo hic aliud Episcopi iudices intelligere potuerunt, nisi eum confiteri quòd peccatum ex Adam in paruulos transeat? Quod ne confiteretur Celestius, hæc damnare noluit, quæ iste damnauit. Proinde si ostẽdero, etiam ipsum nihil aliud sentire de paruulis, nisi quòd sine vlla cuiusquam vitij cõtagione nascuntur, quid inter istum & Celestium in hac quæstione distabit, nisi quòd ille apertior, iste occultior fuit; ille pertinacior, iste mendacior; vel certè ille liberior, hic astutior? Ille enim nec in Ecclesia Carthaginiensi damnare voluit, quod in Romana postea se tenere confessus est, & *corrigi paratum se esse* professus est, *si ei tanquam homini error obrepserit*. Iste autem & illud dogma damnauit tanquam contrarium veritati, ne ipse à catholicis iudicibus damnaretur; & id sibi defendendum postea reseruauit, aut mendaciter damnans, aut callidè interpretans.

Celestij collatio.

CAPVT XIII. Docet Pelagiũ eadẽ cum Celestio sensisse de originali peccato, etiam post Palæstinũ concilium. SED video de me iam iustissimè postulari, vt quod promisi, vtrum & ipse hoc sentiat quod Celestius, demonstrare non differã. In primo libro recentioris operis sui, quod scripsit pro libero arbitrio, cuius operis in literis quas Romam misit, commemorationem fecit: *Omne*, inquit, *bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur à nobis: tapaces enim vtriusque rei, non pleni nascimur; & vt sine virtute, ita & sine vitio procreamur. Atque ante actionem propriæ voluntatis, id solum in homine est, quod Deus condidit*. Nempe cernitis in his Pelagij verbis, quòd dogma contineatur amborum, de paruulis sine vllius vitij ab Adam contagione nascentibus. Non itaq; mirũ est, quòd eos qui dicunt Adæ peccatũ ipsi soli obfuisse & non generi humano; & infantes qui nascuntur, in eo sta-

eo ſtatu eſſe in quo fuit Adam ante præuaricationem, Celeſtius damnare noluit, ſed multum mirum eſt, qua fronte Pelagius iſta damnauerit. Si enim, ſicut dicit, *malum non nobiſcum oritur, & ſine vitio procreamur, atq; ante actionē propriæ volūtatis id ſolùm in homine eſt quod Deus condidit*, profectò peccatum Adæ, ipſi ſoli obfuit, quia nullum in prolem tranſitum fecit. Nō enim peccatum non eſt malum, aut peccatum non eſt vitiū, aut peccatum Deus condidit. Dicit autem iſte, *malum non nobiſcum oritur, & ſine vitio procreamur, & hoc ſolum eſt in naſcentibus, quod Deus condidit.* Ac per hoc cū peccatum Adæ ipſi ſoli obfuiſſe, non generi humano, ſecundum iſtam ſuam ſententiam, veriſſimum putet; cur hoc dānauit Pelagius, niſi vt iudices catholici fallerentur? Similiter & illud dici poteſt: Si *malum non nobiſcum oritur, & ſine vitio procreamur, idq; ſolum eſt in homine naſcente, quod Deus condidit*, proculdubiò qui naſcuntur infantes, in eo ſtatu ſunt in quo Adam fuit ante præuaricationem, cui nullum malum vitiumq; inerat, atq; id ſolum in illo erat, quod Deus condiderat. Et tamen anathematizauit Pelagius, qui tenēt aut aliquando tenuerunt, in eo ſtatu eſſe recentes ab ortu paruulos, in quo Adam fuit ante præuaricationem, id eſt, ſine vllo malo, ſine vllo vitio, id ſolum habentes, quod Deus condidit. Vt quid ergo & hoc damnauit Pelagius, niſi vt catholica ſynodus falleretur, ne nouus hæreticus damnaretur?

CAPVT XIIII. Liber Auguſtini de Geſtis Palæſtinis in cauſa Pelagij, ſed non extat.

QVOD autem ſcitis, & quod in eo etiam libro poſui, quem de geſtis Palæſtinis ad venerabilem ſenem noſtrum Aurelium ſcripſi. Illa ergo reſponſione Pelagij, totam iſtam quęſtionem conſumptam eſſe gaudebam, confeſſuſque mihi apertiſſimè videbatur, eſſe in paruulis originale peccatum; anathema dicendo eis, qui peccato Adæ ipſum ſolum, non etiam genus humanum crederent læſum, & in eo ſtatu opinarentur eſſe paruulos, in quo ille homo primus ante præuaricationem fuit. Sed poſtea cum legiſſem quatuor eius libros, de quorum primo libro pauloantè commemorata verba deſcripſi, & inueniſſem hominem adhuc contra catholicam fidem de paruulis ſentientem, plus mirari cœpi, tam impudens in Eccleſiaſtico iudicio, & de tanta quæſtione mendacium. Si enim eoſdem libros antè iam ſcripſerat, quomodo ſe dixit eos anathematizare, qui ſic aliquando tenuerūt? Si autem poſtea illud opus pollicitus eſt, quomodo anathematizauit, qui ſic tenent? Niſi ridiculè fortè dicturus eſt, eos ſe damnaſſe qui ſic aliquando tenuerunt, & qui ſic tenent: de tempore autem futuro, id eſt, eis qui ſic fuerant retenturi, nec ſibi, nec aliis præiudicare potuiſſe, & ideo non fuiſſe mentitum, quia poſtea deprehenſus eſt ſic tenere. Sed non hoc dicit, non ſolùm quia ridiculum eſt, ſed quia verum eſſe non poteſt. In eiſdem quippe libris, & contra peccati ex Adam in paruulos tranſitum loquitur, & de geſtis Palæſtinæ ſynodi gloriatur, vbi eos qui ſic tenent, veraciter damnaſſe putatus eſt, & abſolutionem ſuam fallendo furatus eſt.

CAPVT XV. Vide hæreticā fraudulentiā.

QVID enim ad rem de qua nunc agimus pertinet, quod diſcipulis ſuis reſpōdet: Ideo ſe illa obiecta damnaſſe, quia & ipſe dicit, *non tantùm primo homini, ſed etiam humano generi primum illud obfuiſſe peccatum; non propagine, ſed exemplo:* id eſt, non quòd ex illo traxerint aliquod vitium, qui ex illo propagati ſunt, ſed quòd eum primum peccantem imitati ſunt omnes, qui poſtea peccauerunt. Aut quia dicit ideo infantes non in eo ſtatu eſſe, in quo fuit Adam ante prēuaricationem, *quia iſti præceptum capere nondum poſſunt; ille autem potuit; nondumq; vtuntur rationalis voluntatis arbitrio, quo ille niſi vteretur, non ei præceptum daretur?* Quid hoc ad rem pertinet, quia verba ſibi obiecta ſic exponendo rectè ſe putat damnaſſe, quòd dicitur peccatum Adæ ipſi ſoli obfuiſſe & nō generi humano, & infantes qui naſcuntur, in eo ſtatu eſſe in quo Adam fuit ante peccatum: & tamen his damnatis non mendaciter tenere, quod in eius poſtea cōſcriptis opuſculis inuenitur, ſine vllo malo, ſine vllo vitio paruulos naſci, & hoc ſolum in eis eſſe quod Deus condidit, non vulnus quod inimicus influxit?

CAPVT XVI.

NVNQVID hæc dicendo, verba propter aliud obiecta, aliter exponendo, id agit, vt ſe iudices non fefelliſſe demonſtret? Prorſus non id efficit. Tanto enim iudices fefellit occultius, quanto exponit iſta verſutius. Epiſcopi quippe catholici quando audiebant hominem anathematizantem eos, qui dicunt Adę peccatum ipſi ſoli obfuiſſe, non generi humano; nihil aliud eum ſapere exiſtimabant, quàm id quod catholica Eccleſia prædicare conſueuit. Vnde veraciter paruulos in peccatorum remiſſionem baptizat, non quæ imitando fecerunt, propter primi peccatoris exemplum; ſed quæ naſcendo traxerunt, propter originis vitium. Et quando audiebant anathematizantem eos, qui dicunt infantes qui naſcuntur in eo ſtatu eſſe in quo Adam fuit ante prēuaricationem, nihil eum aliud dicere credebant, niſi eos qui paruulos putant nullum ex Adam traxiſſe peccatum, & ſecundum hoc in eo ſtatu eſſe in quo fuit ille ante peccatum. Etenim hoc illi obiiceretur, non aliud, vnde quæſtio verſabatur: proinde cùm hoc iſte ſic exponit, vt dicat infantes ideo non in eo ſtatu eſſe in quo Adam fuit ante peccatum, quia nondum ſunt in eadem firmitate mentis aut corporis, non quòd in eos tranſierit vlla culpa propaginis, reſpondeatur ei: Quando tibi illa damnanda obiiciebantur, non ea catholici Epiſcopi ſic intelligebant; ideo cum illa damnares catholicum te eſſe credebant. Propterea ergo quod te illi ſapere exiſtimabant abſoluendum fuit: quod verò tu ſapiebas, damnandum fuit. Non ergo tu abſolutus es, qui damnanda tenuiſti: ſed illud abſolutum eſt, quod tenere debuiſti. Vt autem tu abſolutus putareris, creditus es ſentire laudanda, cùm te iudices non intelligerent occultare damnanda. Rectè Celeſtij ſocius iudicatus es, cuius manifeſtas te eſſe participem. Et ſi in iudicio tuos cooperuiſti libros, tamen poſt iudicium eos edidiſti.

CAPVT XVII. Honorius imperator audit Pontificis in Pelagianos & Celeſtianos ſententia, legum quoque cum eoſdem iuſſit.

QVÆ cùm ita ſint, profectò ſentitis in tām nefandi erroris authores, Epiſcopalia concilia, & Apoſtolicam ſedem, vniuerſamque Romanam Eccleſiam, Romanumque imperium, quod Deo propicio Chriſtianum eſt, rectiſſimè fuiſſe cōmotum, donec reſipiſcant de diaboli laqueis. Quis enim ſcit, ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam & confitendā, & prædicandam etiam veritatem, damnandamque veraciter damnabilem falſitatem? Quoquo modo autem ſe habere iſti velint, multis tamen miſericordia Domini eſt conſultum, qui eos propterea ſectabantur, quia catholicæ communioni videbant eſſe ſociatos, dubitare non poſſumus. Quomodo autem Pelagius obrepere tentauerit ad fallendum etiam Apoſtolicæ ſedis Epiſcopale iudicium in hac ipſa quæſtione de baptiſmate paruulorum diligenter attendite. In literis enim, quas Romam miſit ad beatæ memoriæ papam Innocentium, quoniam eum in corpore non inuenerunt, & ſancto papæ Zoſimo datæ ſunt, atque ad nos inde directæ, dicit *ſe ab hominibus infamari, quod neget paruulis baptiſmi ſacramentum, & abſque redemptione Chriſti aliquibus cælorum regna promittat.* Sed non ſic illis hęc obiiciuntur vt poſuit. Nam neque paruulis negant baptiſmi ſacramentum, neq; abſq; redemptione Chriſti aliquibus cælorū regna promittūt. Itaq; vnde ſe queritur infamari, eo modo propoſuit, vt facile poſſet crimini obiecto ſaluo ſuo dogmate reſpondere.

Poſt Pelagij Cęleſtijq; excōmunica tionem multi eis adhærentes conuerſi. Pelagius apoſtolicæ ſedis obrepere conatus

CAPVT XVIII.

OBIICITVR autem illis, quòd non baptizatos paruulos nolunt damnationi primi hominis obnoxios con-

confiteri, & in eos tranſiſſe originale peccatum regeneratione purgandum, quoniam propter accipiēdum regnum cælorum tantummodo eos baptizandos eſſe contendunt: quaſi præter regnum cælorum habere niſi æternam mortem poſſint, qui ſine participatione corporis & ſanguinis Domini æternam vitam habere non poſſunt. Ecce quod eis obijcitur de baptiſmo paruulorum, nō quod ipſe ita propoſuit, vt poſſit ſuæ propoſitioni quaſi aduerſantis obiectioni, ſecundum ſua dogmata reſpondere. Denique quomodo reſpondeat aduertite, & videte latebras ambiguitatis falſitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati, ita vt etiam nos cùm primùm ea legimus, recta vel correcta propemodum gauderemus. Sed latiores diſputationes eius in libris vbi ſe quantumlibet operiat, plerunque aperire compellitur, fecerunt nobis & iſta ſuſpecta, vt attentius intuētes inueniremus ambigua. Cum enim dixiſſet, *nunquam ſe vel impium aliquem hæreticum audiſſe, qui hoc* quod propoſuit *de paruulis diceret:* deinde ſubiecit atq; ait: *Quis enim ita Euāgelicæ lectionis ignarus eſt, qui hoc non modo affirmare conetur, ſed qui vel leuiter dicere, aut etiam ſentire poſſit? Deinde quis tam impius, qui paruulos exortes regni cælorum eſſe velit, dum eos baptizari & in Chriſto renaſci putat?*

CAPVT XIX.

FRVSTRA iſta dicit. Non inde ſe purgat. In regnum cælorum ſine baptiſmo paruulos intrare non poſſe, nec ipſi aliquando negauerūt. Sed nō inde quæſtio eſt. De purgatione originalis peccati in paruulis quæſtio eſt. Inde ſe purget, qui non vult fateri, lauacrum regenerationis in paruulis habere quod purget. Et ideo cætera, quæ dicturus eſt, attendamus. Poſt interpoſitum enim ex Euāgelio teſtimonium, quòd niſi renatus ex aqua & Spiritu ſancto, regnum cælorū nullus poſſit intrare, vnde illis, vt diximus, nulla fit quæſtio, ſecutus adiunxit dicens: *Quis ille tam impius eſt, qui cuiuſlibet ætatis paruulo interdicat communem humani generis redemptionem?* Et hoc ambiguum eſt, qualē dicat redemptionem. Vtrum ex malo ad bonum, an ex bono ad melius? Nam & Celeſtius apud Carthaginem in libello ſuo confeſſus eſt redemptionem paruulorum, & tamen noluit confiteri ex Adam in eos tranſiſſe peccatum.

Iohn. 3.

Redemptionis alia ex malo ad bonum, alia ex bono ad melius.

CAPVT XX.

SED quid deinde iſte ſubiungat, aduertite: *Et in perpetuam*, inquit, *certamq; vitam renaſci vetet eum, qui natus ſit ad incertam:* id eſt, quis tam impius eſt, vt vetet renaſci ad perpetuam, certamque vitam eum, qui natus ſit ad incertam? Hæc verba quando primitus legimus, credidimus eum incertā vitam iſtam voluiſſe dicere tēporalem, quamuis nobis videretur magis eam mortalem dicere debuiſſe, quàm incertā, eo quòd certa morte finiatur. Tamen quamdiu ducitur, quoniam momentis omnibus eſſe non dubitatur incerta, nihil aliud eum putauimus, quàm iſtam mortalem vitā maluiſſe dicere incertam. Ac per hoc quamuis æternam mortem paruulorum ſine baptiſmatis ſacramento ex hac vita migrantium apertè noluerit confiteri: tamen de illo ſolicitudinem noſtram quaſi certa ratiocinatio ſolabatur. Dicebamus enim: Si perpetua vita ſicut cōfiteri videtur, niſi eorum, qui baptizati ſunt non poteſt eſſe, profectò eos qui non baptizati moriuntur, mors perpetua conſequetur. Quod nulla iuſtitia poteſt accidere, his à quibus in hac vita nulla peccata commiſſa ſunt, niſi originale peccatum.

CAPVT XXI.

De paruulis ſine baptiſmo decedentibus Pelagij ſententia.

SED poſtea non defuerunt fratres qui nos admonerēt, hoc ideo dicere Pelagium potuiſſe, quia de iſta quæſtione ita perhibetur ſolitus reſpondere quærentibus, vt diceret: *Sine baptiſmo paruuli morientes, quò non eant, ſcio: quò eant, neſcio:* id eſt, non ire in regnum cælorum ſcio, quò verò eāt ſe neſcire dicebat: quia dicere nō audebat, in mortem illos ire perpetuam, quos & hic nihil mali cōmiſiſſe ſentiebat, & originale tra-

xiſſe peccatum non conſentiebat. Itaquè & iſta eius verba Romam pro magna eius purgatione tranſmiſſa, tam ſunt ambigua, vt poſſint eorum dogmati præbere latibula, vnde ad inſidiandum proſiliat hæreticus ſenſus, quando nullo exiſtente qui valeat reſpondere, tanquā in ſolitudine aliquis inuenitur infirmus. Iam verò in libro fidei ſuæ, quem Romam cum ipſis literis miſit ad eundem Papam Innocentium, ad quem etiam Epiſtolam ſcripſerat, multò euidētius ſeipſum tegendo nudauit: dicens, *Baptiſma vnū tenemus, quod iiſdem ſacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in maioribus dicimus eſſe celebrandum.* Non ſaltem dixit, eodem ſacramento: quod quidem ſi dixiſſet, adhuc eſſet ambiguum, *ſed iiſdem*, inquit, *ſacramenti verbis:* tanquam infantibus remiſſio peccatorum verborum ſonitu diceretur, non rerum ageretur effectu. Viſus eſt tamen ad tempus aliquid dicere quod fidei catholicæ conueniret, ſed illam ſedem vſque in finem fallere non præualuit. Poſt reſcripta quippe Aphricani concilij, in quam prouinciam quidem doctrina illa peſtifera ſerpendo peruenerat, ſed eam non tam latè occupauerat alteque peruaſerat, alia quoque ipſius in vrbe Roma, vbi diutiſſimè vixerat, atque in his fuerat prius ſermonibus contentionibusque verſatus, cura fidelium fratrum prolata patuerunt, quæ literis ſuis quas conſcripſit per orbem catholicum perferēdas Papa Zoſimus execranda, ſicut legere poteſtis, attexuit. Vbi Pelagius Epiſtolam Pauli apoſtoli ad Romanos velut exponēs argumentatur & dicit: *Si Adæ peccatum etiam non peccantibus nocuit: ergo & Chriſti iuſtitia etiam non credentibus prodeſt.* Et cætera huiuſmodi, quæ omnia Domino adiuuante in libris, quos ſcripſimus, De baptiſmo paruulorum, refutata & diſſoluta ſunt. Et ea quidem in ipſis quaſi expoſitionibus non ex ſua perſona eſt auſus obijcere, ſed ibi hoc dicebat, vbi multis notiſſimus erat, & quid ſentiret ac diceret, latere non poterat. Quod in libris illis, de quorum primo quiddam ſuprà commemorauī, non diſſimulanter, ſed apertiſſimè quantis poteſt diſputandi viribus agit, vt natura humana in paruulis nullo modo ex propagine viriata credatur: cui arrogando ſalutem, inuidet ſaluatorem.

Pelagius diuiſiſſimè Romæ vixit.

Lib. 3. cap. 3.

Supra cap. 15

CAPVT XXII.

HÆC cùm ita ſint, cumque iam conſtet dogma extitiſſe peſtiferum & hæreticum errorem, quem Domino adiuuante apertius iam deuitat Eccleſia, duobus iſtis Pelagio ſcilicet & Celeſtio, aut in locum pœnitentiæ redactis, aut ſi id recuſauerint omnino damnatis, qui huius peruerſitatis authores, vel perhibentur, vel etiam probantur: vel certè ſi authores nō ſunt, ſed hoc ab aliis didicerunt, aſſertores tamen atque doctores, per quos id latius reptaret & creſceret, & verbis & literis ſuis, & competentibus indiciis, & fama ex his omnibus ſurgente & crebreſcente iactantur: quid reſtat, niſi vt quiſque catholicus pro viribus, quas ſumit à Domino, redarguat iſtam peſtem, eique vigilanter obſiſtat: vt cùm reſpondēdi neceſſitate ſine ſtudio contentionis, pro veritate certatur, inſtruantur indocti, atque ita in eccleſiæ conuertatur vtilitatem, quod eſt inimicus in perniciem machinatus, iuxta illud Apoſtoli: Oportet & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos?

1. Cor. 11.

CAPVT XXIII.

QVAPROPTER poſt multa quæ aduerſus iſtum errorem inimicum gratiæ Dei, quam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum puſillis magnisque largitur, ſcribendo diſputare potuimus: nunc illud oportet executere, quòd volentes hæreſeos aſtutè inuidiam declinare, aſſerunt *iſtam præter fidei periculum eſſe quæſtionem:* vt videlicet ſi in ea fuerint exorbitaſſe conuicti, non criminaliter, ſed quaſi ciuiliter erraſſe videantur. Sic enim Celeſtius apud Carthaginem geſtis eccleſiaſticis eſt locutus: *Iam*, inquit, *de traduce peccati dixi, quia intra catholicam cōſtitutos plures audiui deſtruere, nec non*

Pelagius & Cęleſtius hæreſes ſuas ad fidei pertinere quæſtiones, aſſiuè negauerunt.

Supra cap. 4.

& alios astruere; licet quæstionis res sit ista, non hæresis. Infantes semper dixi egere baptismo, ac debere baptizari. Quid quærit aliud? Ita hoc dixit, tanquam significare voluerit, tunc fuisse hæresim iudicandam, si baptizari debere negaret infantes. Nunc verò quoniam baptizandos fatetur, etiam si causam baptismatis eorum nõ eam dicat, quam veritas habet, sed quæ ad fidem non pertinet; non se arbitratur errare, & ideo non esse hæreticum iudicandum. Item in libello quem Romæ dedit, cùm fidem suam à trinitate vnius deitatis vsque ad resurrectionem qualis futura est mortuorum, de quibus eum nullus interrogauerat, & vnde illi nulla quæstio mouebatur, quantum dicere libuit, explicasset; vbi ad id quod agebatur eius sermo peruenit: *Si quæ verò*, inquit, *præter fidem quæstiones natæ sunt, de quibus esset inter plerosque contentio: non ego quasi author alicuius dogmatis definita hoc authoritate statui: sed ea quæ de Prophetarum & Apostolorum fonte suscepi, vestri Apostolatus offerimus probanda esse iudicio; vt si fortè vt hominibus quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententia corrigatur.* Nempe perspicitis id eum egisse hac prælocutione præmissa, vt si quid in illo apparuisset erroris, non in fide, sed in quæstionibus quæ sunt præter fidem, videretur errasse; vbi etsi corrigendus est error, non tamen tanquam hæresis corrigatur, & qui correptus fuerit, ita dicatur errare, vt non tamen hæreticus iudicetur. Sed multum eum ista fallit opinio. Longè aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitratur, quàm sunt illæ in quibus salua fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiua suspenditur; aut aliter quàm est, humana & infirma suspicione conijcitur. Veluti cùm quæritur, qualis vel vbi sit paradisus, vbi constituit Deus hominem quem formauit ex puluere; cùm tamen esse illum paradisum fides Christiana non dubitet. Vel cũ queritur, vbi sit nũc Helias vel Enoch, an ibi, an alicubi alibi; quos tamẽ nõ dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus viuere. Vel cùm quæritur, vtrum in corpore an extra corpus in tertium cælum sit raptus Apostolus, quanquam sit ista impudens inquisitio id scire volentium, quod se ille cui hoc præstitum est, salua vtique fide nescire testatur. Vel quot sint cæli, in quorum tertium se raptum esse commemorat. Vel vtrum elementa mundi huius conspicabilis quatuor an plura sint. Quid faciat solem lunamq; deficere, his defectibus quos prædicere Astrologi certa temporum dinumeratione consuerunt. Cur antiqui homines tam diu vixerint, quàm sancta Scriptura testatur, & vtrum proportione longioris ætatis filios sera pubertate gignere cœperint. Vbi potuerit Matusalem viuere, qui in arca non fuit, qui sicut in plerisq; codicibus & Græcis & Latinis numerantur anni; reperitur superuixisse diluuio: vel vtrum paucioribus, qui rarissimi inueniuntur, potius credẽdum sit, in quibus ita est numerus conscriptus annorum, vt ante diluuium defunctus fuisse monstretur. Quis enim non sentiat in his atque huiusmodi variis & innumerabilibus quæstionibus, siue ad obscurissima opera Dei, siue ad scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile est, & multa ignorari salua Christiana fide, & alicubi errari, sine aliquo hæretici dogmatis crimine.

Celestius doctrinam suam iudicio sedis apostolicæ subiecit, sed fidè.

Quæstiones præter fidem, quæ & earum exemplæ. 1.

Paradisum esse fides Christiana nõ dubitat. 2.

Helias & Enoch viuunt adhuc in corporibus suis. 3.

2. Cor. 11. 4.

5.

6.

7.

CAPVT XXIIII. Hæresis Pelagij & Cælestij ad ipsa fidei nostræ pertinet fundamenta.

SED in causa duorum hominum, quorum per vnũ vænundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis: per vnum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam: quorum ille nos in se perdidit faciendo voluntatem suam, non eius à quo factus est; iste nos in se saluos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed eius à quo missus est. In horum ergo duorum hominum causa, propriè fides Christiana consistit. Vnus est enim Deus, & vnus mediator

1. Tim. 2.

A Dei & hominũ homo Christus Iesus. Quoniam non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, & in illo definiuit Deus fidem omnibus, suscitans illum à mortuis. Itaque fine ista fide, hoc est, sine fide vnius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu, sine fide, inquam, resurrectionis eius, quam Deus hominibus definiuit quæ vtique sine incarnatione eius ac morte non potest veraciter credi: sine fide ergo incarnationis & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos iustos, vt iusti essent à peccatis, potuisse mundari, & Dei gratia iustificari, veritas Christiana non dubitat: siue in eis iustis quos sancta Scriptura commemorat, siue in eis iustis quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluuium, vel inde vsq; ad datam legem, vel ipsius legis tempore, non solùm in filiis Israel, sicut fuerunt Prophetæ, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Iob. Et ipsorum enim corda

Act. 4.

Sine fide mediatoris Christi nullus omnino homo iustificari aut saluari potuit.

B eadem mundabantur mediatoris fide, & diffundebatur in eis charitas per Spiritum sanctum, qui vbi vult, spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa merita faciens. Non enim Dei gratia, gratia erit vllo modo, nisi gratuita fuerit omnimodo. Quamuis ergo mors regnauerit ab Adam vsque ad Moysen, quia non eam potuit vincere nec lex data per Moysen, non enim data est quæ posset viuificare, sed quæ mortuos quibus viuificandis esset gratia necessaria, non solùm peccati propagatione & dominatione prostratos, verũetiam ipsius legis addita præuaricatione conuictos deberet ostendere, non vt periret quisquis hoc in Dei misericordia etiam tũc intelligeret, sed vt per regnum mortis ad supplicium destinatus, etiam sibiipsi per præuaricationem legis manifestatus, Dei quæreret adiutorium, vt vbi abũdauit peccatum, superabundaret gratia, quæ sola liberat à corpore mortis huius.

Rom. 5.

Ioan. 3.

Rom. 5.

Vsus legis.

CAPVT XXV. Iustis veteris legis tempore viuentes non erant secundũ Apost. sub lege, sed sub gratia.

QVAMVIS ergo nec lex per Moysen data potuerit à quoquam homine regnum mortis auferre, erant C tamen & legis tempore homines Dei non sub lege terrente, conuincente, puniente; sed sub gratia delectante, sanante, liberante. Erant qui dicerent: Ego in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis mater mea in vtero me aluit. Et: Non est pax in ossibus meis à facie peccatorum meorum. Et: Cor mũdum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Et: Spiritu principali cõfirma me, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Erant qui dicerent: Credidi propter quod locutus sum: Eadem quippe & ipsi mũdabantur fide qua & nos. Vnde & Apostolus dicit: Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum quod scriptũ est: Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur. Ex ipsa fide dicebatur: Ecce virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus. Ex ipsa fide de ipso di

Psal. 115.

2. Cor. 4.

Esaiæ 7.

D cebatur: Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum cæli, & non est qui se abscondat à calore eius. Ex fide ipsa ipsi dicebatur: Thronus tuus Deus in seculum seculi, virga directionis virga regni tui: Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Eodem spiritu fidei ab illis hæc futura videbantur, quo à nobis facta creduntur. Neque enim qui nobis ista fideli dilectione prophetare potuerunt, eorum ipsi participes nõ fuerunt. Et vnde est quod dicit apostolus Petrus: Quid tentatis Deum, imponere iugum supra collum discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare; sed per gratiam Domini Iesu credimus salui fieri, quemadmodum & illi, nisi quia & illi per gratiam Domini Iesu Christi salui facti

Psal. 50. & 37.

Psal. 115.

Psal. 18.

Psal. 44.

Act. 15.

sunt,

sunt, non per legem Moysi, per quam non sanatio, sed A cognitio est facta peccati? Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata per legẽ & prophetas. Si ergo nunc manifestata est, etiam tunc erat, sed occulta. Cuius occultationem significabat templi velum, quod est ad eius significãdam reuelationẽ Christo moriente conscissum. Et tunc ergo ista gratia vnius mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu erat, in populo Dei: sed tanquã in vellere pluuia, quam non debitam sed voluntariam segregat Deus hæreditati suæ, inerat latens: nunc autem velut siccato illo vellere, hoc est, Iudaico populo reprobato in omnibus gentibus, tanquam in area cernitur patens.

Rom. 5.

Gratia noui testamenti sub veteri occultabatur.

Velum templi quid significarit. Matth. 27.

Vellus Gideonis. Iudit. 6.

CAPVT XXVI.

NON igitur sicut Pelagius & eius discipuli tempora diuidamus, dicentes *primum vixisse iustos homines ex natura, deinde sub lege, tertio sub gratia.* Ex natura scilicet ab Adam tam longa ætate, qua lex nondum erat data. *Tunc enim*, aiũt, *duce ratione cognoscebatur creator, & quemadmodum esset viuendum scriptum gerebatur, in cordibus, non lege literæ, sed naturæ. Verum vitiatis moribus*, inquiunt, *vbi cœpit non sufficere natura iam decolor, lex ei addita est, qua velut luna fulgori pristino, detrita rubigine redderetur. Sed posteaquam nimia* sicut disputat, *peccandi consuetudo præualuit, cui sanandæ lex parum valet, Christus aduenit, & tanquam morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per seipsum medicus ipse subuenit.* Hæc disputantes, à gratia mediatoris iustos excludere conantur antiquos, tãquam Dei & illorum hominum non fuerit homo mediator homo Christus Iesus, quia nondum ex vtero Virginis carne suscepta, homo nondum fuit, quando illi iusti fuerũt. Quòd si ita esset, nequaquam Apostolus diceret: Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur: quandoquidem illi antiqui iusti, secundum istorũ vaniloquia sibi sufficiente natura, nec mediatore homine Christo indiguerunt, per quem reconciliarentur Deo; nec in eo viuificabũtur, ad cuius corpus & membra, secundum id quod propter homines homo factus est, non pertinere monstrantur. Si autem quẽadmodum per Apostolos suos veritas loquitur, sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur, quia per illum hominem mors & per istum hominem resurrectio mortuorum: quis audeat dubitare Christianus etiam illos iustos, qui recẽtioribus generis humani tẽporibus Deo placuerũt, ideo in resurrectionem vitæ æternæ, non mortis æternæ esse venturos, quia in Christo viuificabuntur. Ideo autem viuificari in Christo, quoniam ad corpus pertinent Christi, & ideo pertinere ad corpus Christi, quia & ipsis caput est Christus: ideo & ipsis caput esse Christum; quia vnus mediator est Dei & hominum, homo Christus Iesus? Quod eis non fuisset, nisi in eius resurrectionem, per eius gratiam credidissent. Et hoc quomodo fieret, si eum in carne venturum esse nescissent, D neque ex hac fide iustè pieque vixissent? Nam si propterea illis non profuit incarnatio Christi, quia nondum facta erat; nec nobis prodest iudicium Christi de viuis & mortuis, quia nondum factũ est. Si autem nos per huius nondum facti, sed futuri iudicij fidem stabimus ad dexteram Christi, profectò illi per incarnationis eius tunc nondum factæ, sed futuræ fidem mẽbra sunt Christi. Neque enim putandum est, quòd antiquis iustis sola quæ semper erat, diuinitas Christi, non etiam quæ nondum erat, eius humanitas reuelata profuerit.

Pelagius & Cælestius antiquos iustos negant per Christum saluatos.

1. Cor. 15.

Prosuit patribus nondum etiam facta Christi incarnatio.

CAPVT XXVII. Ioan. 8. Abrahami exemplo probat omnes iustos in habuisse incarnationis Christi.

ILLVD enim quod ait Dominus Iesus, Abraham concupiuit diem meum videre, & vidit, & gauisus est: si diem suum voluit suum tempus intelligi, testimonium profectò perhibuit Abrahæ, quòd fide fuerit incarnationis eius imbutus. Secundum hanc enim habet tempus, diuinitas verò eius omne tempus excedit, quia per illam vniuersa facta sunt tempora. Quod etsi quisquam de die sempiterno accipiendum putauerit, qui nullo finitur crastino, nullo præuenitur hesterno, hoc est, de ipsa æternitate, in qua coæternus est patri: quomodo id verè concupisceret Abraham, nisi eius nosset futuram mortalitatem, cuius quæsiuit æternitatem? Aut si ad hoc aliquis horum verborum sensum coarctat, vt dicat nihil intelligendum in eo quod ait Dominus, quæsiuit diem meum, nisi quæsiuit me, qui sum dies permanens, hoc est lumen indeficiens: velut cùm dicimus, vitam filij de qua loquitur Euangelium dicens: Sic dedit & filio vitam habere in semetipso; non aliud ipsum, aliud eius vitam, sed eundem ipsum filium intelligimus vitam, qui dixit, Ego sum via, veritas & vita: & de quo dictum est: Ipse est verus Deus & vita æterna: vt hanc eius æqualem patri diuinitatem videre cupiuerit Abraham, nequaquam B incarnatione eius præcognita, sicut eum nonnulli etiam philosophi quæsiuerunt, qui nihil de eius carne didicerunt: Nunquid & illud, quod iubet Abraham ponere manum seruum suum sub femore suo, & iurare per Deum cæli, aliter quisquam rectè intellecturus est, nisi Abraham scisse, in qua venturus esset Deus cęli, carnem de illo femore propagari?

Ioan. 15. & 14.

Gen. 24.

Abraham cui seruum manu sub femore posita, iurare voluerit.

CAPVT XXVIII.

CVIVS carnis & sanguinis, quando ipsum Abraham benedixit, Melchisedech etiam testimonium Christianis fidelibus notissimum protulit, vt tãto pòst Christo diceretur in Psalmis, quod nondum factum, sed adhuc futurum, eadem tamen ipsa & patrum quæ nostra est, fides vna cantabat: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. In Adam quippe inuenientibus mortem, per hoc prodest Christus quòd est mediator ad vitam, non autem per hoc mediator est, quòd æqualis est patri: per hoc enim quãtum pater, tantum & ipse distat à nobis. Et quomodo erit medietas, vbi eadem ipsa distantia est? Ideo Apostolus non ait: vnus mediator Dei & hominum Christus Iesus: sed, homo Christus Iesus. Per hoc ergo mediator, per quod homo: inferior patre per quod nobis propinquior; superior nobis per quod patri propinquior. Quod apertius ita dicitur: Inferior patre, quia in forma serui: superior nobis, quia sine labe peccati.

Psal. 109.

Qua parte Christus mediator.

Phil. 2.

CAPVT XXIX.

QVAPROPTER quisquis humanam contendit in qualibet ætate naturam nõ indigere medico secundo Adam, quia non est vitiata in primo Adam, non est in aliqua quæstione, in qua dubitari vel errari salua fide potest, sed in ipsa regula fidei qua Christiani sumus, gratiæ Dei conuincitur inimicus. Quale est autem quòd ab istis illa quæ antè fuit, velut adhuc minus malis moribus vitiata, hominum laudatur natura, neque respiciunt tantis tamque intolerabilibus peccatis homines tunc fuisse submersos, vt excepto vno homine Dei & eius coniuge, tribusque filiis & totidem nuribus, iusto iudicio Dei, sicut igne postea terra exigua Sodomorum, ita totus mundus diluuio deleretur? Ex quo tempore igitur per vnum hominem peccatũ intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerũt, profectò vniuersa massa perditionis facta est possessio perditoris. Nemo itaque, nemo prorsus inde liberatus est, aut liberatur, aut liberabitur nisi gratia redẽptoris.

Gen. 7.

Gen. 19.

Rom. 5.

CAPVT XXX.

ET ante Abraham quidem vtrum aliquo corporali & visibili sacramento iusti, vel eorum paruuli signarentur, Scriptura non exprimit. Ipse tamen Abraham signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei. Et sic accepit, vt deinceps etiam omnes paruulos domus suæ circumcidere iuberetur, recẽtissimos à visceribus matrum, octauo die natiuitatis eorum, vt etiam hi, qui corde ad iustitiam credere nondum possent, iustitiæ tamen fidei signaculum sumerẽt. Quod

Gen. 17.

Circumcisio paruulorum cur sub antiquo suppliciij metu præcepta.

sub terrore tanto est imperatum vt diceret Deus animam illam de suo populo perituram, cuius octauo die præputij circumcisio facta non fuisset. Huius tam horribilis pœnæ iustitia si quæratur, nónne istorum omnis de libero arbitrio & laudabili sanitate, & puritate naturæ, quantumlibet arguta sit argumẽtatio, repercussa & confracta dissiliet? Quid enim mali quæso paruulus propria voluntate commisit, vt alio negligẽte & eum non circuncidente, ipse damnetur, damnatione tam scuera, vt pereat anima illa de populo suo? Neq; enim temporalis mortis terror incussus est, cùm de iustis quando moriebantur, tunc potius diceretur: Et appositus est ad populum suum: vel, appositus est ad patres suos: quoniam deinceps homini nulla tentatio formidatur, quæ illum separat à populo suo, si populus eius, ipse est populus Dei.

Perire de populo suo in scripturis, quid?

CAPVT XXXI. *Deijcit Platonicorum opinionem.*

QVID sibi ergo vult, pro nullo propriæ voluntatis admisso, tanta damnatio? Neque enim sicut nonnulli secundum Platonicos opinantur, hoc vniuscuiusq; infantis animæ redditur, quod ante istam vitam sua voluntate commisit, tcùm haberet ante hoc corpus vel bene, vel male liberum viuendi arbitrium: cùm Paulus apostolus apertissimè dicat, nondum natos nihil egisse boni vel mali. Vnde ergo rectè infans illa perditione punitur, nisi quia pertinet ad massam perditionis, & iustè intelligitur ex Adam natus, antiqui debiti obligatione damnatus, nisi inde fuerit non secundum debitum, sed secundum gratiam liberatus? Quam gratiam, nisi gratiam Dei, per Iesum Christũ Dominum nostrum? Quem profectò inter cætera veterum sacramenta etiam ipsa præputij circumcisio prophetauit. Dies enim octauus est in hebdomadarum recursibus dies Dominicus, quo resurrexit Dominus: Et petra erat Christus, vnde circuncisionis cultellus petrinus, & caro præputij, corpus peccati.

al. quoniam habere non potest. Rom. 9.

Circumcisio, gratiæ Christi prophetia.

CAPVT XXXII.

MVTATIS proinde sacramentis, posteaquam venit qui eis significabatur esse venturus, non tamẽ mutato mediatoris auxilio, qui etiam priusquam venisset in carne, antiqua sua membra liberabat suæ incarnationis fide, & nos cùm essemus mortui delictis & præputio carnis nostræ, conuiuificati sumus Christo, in quo circuncisi sumus circuncisione non manufacta, quam figurabat circuncisio manufacta, vt euacuaretur corpus peccati, cum quo sumus ex Adam nati: damnatæ originis propagatio nos damnat, nisi mundemur similitudine carnis peccati, in qua missus est sine peccato, qui tamen de peccato damnauit peccatum, factus pro nobis peccatum. Vnde dicit Apostolus: Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos simus iustitia Dei in ipso. Deus ergo cui reconciliamur, fecit eum pro nobis peccatũ, id est, sacrificium per quod dimitterentur nostra peccata, quoniam peccata vocantur sacrificia pro peccatis. Et vtiq; ipse pro peccatis nostris immolatus est; nullum habẽs vitium, solus in hominibus quale quærebatur tunc in pecoribus quo significabatur vnus sine vitio ad vitia sananda venturus. Quocunque igitur die suę natiuitatis infans baptizetur in Christo, tanquam in octauo circunciditur die: quoniam in illo circunciditur, qui tertio quidem ex quo crucifixus est, sed octauo in hebdomadibus resurrexit die. Circunciditur autem in expoliationem corporis carnis, id est, vt debitum, quod contagio carnalis generationis attraxit, gratia spiritalis regenerationis absoluat: Nullus enim mundus est à sorde: qua obsecro sorde, nisi peccati? nec infans, cuius est vnius diei vita super terram.

Colos. 2.

2. Cor. 5.

Christus quomodo appellatur peccatum.

Iob 14. secundum 70.

CAPVT XXXIII. *1. Cor 7. Originale peccatum non facit nuptias malas.*

SIC autem argumentantur, dicentes: *Ergo malum sunt nuptiæ, & non est opus Dei homo quem generant nuptiæ?* Quasi nuptiarum bonum sit morbus concupiscentiæ, in quo vxores diligunt, qui ignorant Deum, A quod Apostolus prohibet; ac nõ potius pudicitia coniugalis, qua in bonos vsus ordinatè filios procreandi redigitur libido carnalis: aut verò possit esse homo nisi opus Dei, non solùm qui de coniugio, verumetiam qui de fornicatione, vel de adulterio procreatur. Sed in hac quæstione vbi quæritur non cui rei creator, sed cui saluator sit necessarius, non intuendum est quid boni sit in procreatione naturæ; sed quid in peccato mali, quo certum est vitiatam esse naturam: simul autem vtrumq; propagatur, & natura, & naturæ vitium, quorum vnum est bonum, & alterum malum. Illud de conditoris largitate sumitur, hoc de originis damnatione attrahitur. Illi est causa bona voluntas Dei summi: huic, mala voluntas hominis primi. Illud indicat Deum creaturę institutorem, hoc indicat Deum inobedientiæ punitorem. Denique idem ipse Christus propter illud creandum factor est hominis, propter hoc sanandum factus est homo.

CAPVT XXXIIII. *Tria coniugij bona. 1. Tim. 5.*

B BONVM ergo sunt nuptiæ in omnibus, quæ sunt propria nuptiarum. Hæc autem sunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubij sacramentũ. Propter ordinationem generandi scriptum est: Volo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse. Propter fidem pudicitiæ: Vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Propter connubij sacramentum: Quod Deus coniunxit, homo non separet. De quibus in aliis opusculis nostris, quæ vobis nõ sunt incognita, quantum Domino adiuuante potuimus, satis nos disseruisse meminimus. Propter hæc omnia honorabiles nuptiæ, in omnibus & thorus immaculatus. In quantum enim nuptiæ bonæ sunt, in tantũ faciunt plurimum boni etiam de libidinis malo: quoniam libidine non bene vtitur libido, sed ratio. Libido est autem illa, quam vocat Apostolus repugnantem legi mentis inobedientium lege membrorum. Ratio verò bene vtens libidine, ipsa est in lege nuptiarum. Nam si nullum de malo bonum fieri posset, nec Deus ex adulterino concubitu hominem conderet. Sicut ergo adulterij damnabile malum, quando & inde homo nascitur, non imputatur Deo, qui certè in opere hominum malo facit ipse opus bonum: ita quicquid est pudendum in membrorum illa inobedientia, de qua erubuerunt, qui post peccatum foliis ficulneis eadem membra texerunt, nõ nuptiis imputatur, propter quas concubitus coniugalis non solùm est licitus, verumetiam vtilis & honestus; sed imputatur peccato inobedientiæ, cuius hæc pœna est consecuta, vt homo inobediẽs Deo, sua quoq; sibi inobedientia membra sentiret: de quibus erubescens quòd non ad arbitrium voluntatis eius, sed ad libidinis incentiuum velut arbitrio proprio mouerentur, quæ pudenda iudicauit, operienda curauit. Non enim confundi debuit homo de opere Dei, aut vllo modo fuerant creato erubescenda, quæ instituenda visa sunt creatori. Itaque nec Deo nec homini illa simplex nuditas displicebat, quando nihil erat pudendum, quia nihil præcesserat puniendum.

1. Cor. 7.

Matth. 19.

De bono coniugali, cap. 3. & sequentibus.

Hebr. 13.

Rom. 7.

Vnde in corporis nostri membris verecundia.

ESSENT autem proculdubiò nuptiæ etiã nõ præcedente peccato, quia neq; ob aliam causam viro adiutorium, non alius vir, sed femina facta est. Et illa Dei verba, Crescite & multiplicamini: non est damnandorum prædictio peccatorum, sed fecundatarum benedictio nuptiarum. His enim Deus ineffabilibus suis verbis, id est, diuinis rationibus in suæ sapientiæ, per quam facta sunt omnia, veritate viuentibus vim seminis indidit primis hominibus. Si autem peccato non fuisset dehonestata natura, absit vt opinemur tales futuras fuisse nuptias in paradiso, vt in eis ad prolem seminandam non natura voluntatis, sicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquẽdum; sed

CAPVT XXXV. *Nuptiæ & ante lapsum. Gen. 2.*

Dei benedictio quid in primis parentibus operata.

sed æstu libidinis membra genitalia mouerentur: nec A sicut nunc fit, virginitatis integritas ad concipiendos fœtus, vi turbidi vitiaretur ardoris, sed obsequeretur imperio tranquillissimæ charitatis. Et eo modo non esset dolor & cruor virginis concumbentis, quomodo non esset etiam matris gemitus parientis. Hæc ideo non creduntur, quia in ista mortalitatis conditione inexperta sunt. In deterius quippe vitio mutata natura, non inuenit primæ illius puritatis exemplum. Sed fidelibus loquimur, qui nouerunt credere diuinis eloquiis, etiam nullis adhibitis ‡ex parte veritatis exemplis. Quomodo enim nunc ostendam sine vllis parentibus de puluere hominem factum, eiúe de suo latere coniugem? Et tamen quod oculis iam non inuenit, fides credit.

‡ex parte.

CAPVT XXXVI. *Libido & labor parturientis ex peccato.*

SIC ergo & primarum nuptiarum sine libidinis passione tranquillitas, & motus genitalium sicut aliorum membrorum, non ad effrenati caloris incitamẽtum, sed ad voluntatis arbitrium (quales nuptię perseuerassent, si peccati non interuenisset opprobrium) nunc ostendi non potest, sed ex iis quæ diuina authoritate conscripta sunt, non immeritò credi potest. Sic enim modò non inuenio sine pruriente libidine concumbentem, sicut non inuenio sine dolore & gemitu parturientem, sine futura morte nascentem: & tamen secundum scripturarum sanctarum veritatem gemitus parturientis, & mors hominis non fuissent, si peccatum non præcessisset. Sic nec illud vnde erubuerũt, qui membra illa texerunt, quia & hoc in eisdem sanctis literis præcedente peccato scriptum est consecutum. Membra quippe illa nisi indecens motus oculis eorum, non vtique clausis, sed in hoc non apertis, hoc est, non attentis, animaduertenda nunciasset; nihil in suo corpore, quod vtique totum Deus laudabile fecerat, pudendum velandumque sensissent: quia nisi præisset facinus, quod inobedientia est ausa committere, non sequeretur dedecus, quod verecundia C vellet abscondere.

B tibus, si tamen in eadem gratia perseuerauerint; proculdubiò ista propter remissionem peccatorum, quæ in eis facta est, non nocebit, nisi cùm ea malè vtuntur, non solùm in omnibus illicitis corruptelis, verumetiam in ipsis coniugibus, quando non propagandi voluntate operam creandis filiis impendunt, sed lasciuiendi voluptate exaturandę cupidini inseruiunt. Quod propter vitãdas fornicationes maritis & vxoribus ne fraudent inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt orationibus vacent, secundum veniam, non secundum imperium concedit Apostolus. Euidenter quippe dum tribuit veniam, denotat culpam. Nuptialis autem concubitus, quem matrimoniales quoque indicant tabulæ, causa procreandorum fieri filiorum, per seipsum prorsus, non in comparatione fornicationis est bonus: qui tametsi propter corpus mortis, quod nondum est resurrectione renouatum, sine quodam bestiali motu de quo natura erubescit humana, non potest fieri, tamen ipse concubitus non est peccatum, vbi ratio libidine vtitur ad bonum, non superatur ad malum.

Quid sit quod secundum veniam concedit Apostolus. 1. Cor. 7.

CAPVT XXXIX.

OBESSET ista carnis concupiscentia etiam tantummodo quòd inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset, vt quę in eis est, & nato, & renato: nato quidem & inesse & obesse, renato autem inesse quidẽ, sed non obesse possit. in tantum enim obest natis, vt nisi renascantur, nihil possit prodesse, si nati sunt de renatis. Manet quippe in prole, ita vt reatum faciat originis vitium, etiam si in parente reatus eiusdem vitij remissione ablutus est peccatorum, donec omne vitium cui consentiendo peccatur, regenerationis nouissima consumatur: id est, ipsius etiam renouatione carnis, quæ in eius resurrectione futura promittitur, vbi non solùm nulla peccata faciamus, sed nec habeamus vlla desideria vitiosa, quibus consentiendo peccemus. Ad quam beatam perfectionem huius, quod nunc datur, sancti lauacri gratia peruenitur. Qua enim regenerationes spiritus modo fit, vt peccata omnia præterita remittantur; eius merito fiet etiam regeneratio carnis in æternam vitam, qua in ipsa carne incorruptibiliter resurgente, peccatorum omnium incitamenta sanentur. Sed ea salus adhuc in spe facta est, non tenetur in re, neque possidetur per præsentiam, sed expectatur per patientiam.

Plena per resurrectionem renouatio, baptismi est effectus.

CAPVT XL.

AC per hoc non solùm peccata omnia, quorum nunc remissio fit in baptismo, quæ reos faciunt, dum desideriis vitiosis consentitur atque peccatur; verumetiam ipsa desideria vitiosa, quibus si non consentitur, nullus peccati reatus contrahitur, quæ non in ista, sed in alia vita nulla erunt, eodem lauacro baptismatis vniuersa purgantur. Reatus itaque vitij eius de quo loquimur, in regeneratorum prole carnali tamdiu manebit, donec & illic lauacro regenerationis abluatur. Regeneratus quippe non regenerat filios carnis, sed generat, ac per hoc in eos non quòd regeneratus, sed quòd generatus est, traijcit. Sic igitur, siue reus in fidelis, siue absolutus fidelis nõ regenerat absolutos vterque, sed reos: quomodo non solùm oleastri, sed etiam oleæ semina, non oleas generant, sed oleastros. Sic itaque in damnatione hominem prima natiuitas tenet, vnde nisi secunda non liberat. Tenet ergo diabolus, liberat Christus: tenet deceptor Euæ, liberat filius Mariæ: tenet qui per coniugem venit ad virum, liberat qui de coniuge natus est, quæ non pertulit virum: tenet qui causam libidinis intulit feminæ, liberat qui sine libidine est cõceptus in femina. Omnes ille prorsus per vnum tenere potuit, nec ab eius dominatione liberat nisi vnus, quem tenere non potuit. Denique ipsa Ecclesiæ sacramenta, quæ tam priscæ traditionis authoritate concelebrat, vt ea isti quamuis in paruulis existiment simulatoriè potius quàm veraciter fieri; non tamen audeant aperta improbatione respuere:

Concupiscentia nisi accedente consensu, non est in baptizatis peccatum.

Conginentia redemptionis ex captiuitatis mediuum.

Tria nuptiarũ bona, proles, pudicitia, sacramentum.

CAPVT XXXVII. *Malum libidinis à nuptiis distinguendum.*

CAPVT XXXVIII.

VBI nihil Deus fecit, nisi quòd hominem voluntate peccantem, iusto iudicio cum stirpe damnauit: & ideo ibi quicquid etiam nondum erat natum, meritò est in præuaricatrice radice damnatum, in qua stirpe damnata tenet hominẽ generatio carnalis, vnde sola liberat regeneratio spiritalis: ideo regeneratis paren-

ipsa, inquam, sanctæ Ecclesiæ sacramenta satis indicant, paruulos à partu etiam recentissimos per gratiam Christi de diaboli seruitio liberari. Excepto enim quòd in peccatorum remissionem non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis & exufflatur potestas contraria; cui etiam verbis eorum à quibus portatur, sese renunciare respondent. Quibus omnibus rerum occultarum sacratis & euidentibus signis à captiuatore pessimo, ad optimum redemptorem transire monstrantur, qui pro nobis infirmitate susceptâ, alligauit fortem vt vasa eius eriperet, quia infirmum Dei non solum est hominibus, verùm & angelis fortius. Liberans itaque Deus pusillos cum magnis, in vtrisque ostendit quod locuta est per Apostolum veritas. Non enim solos ætatis maiores, sed etiam pusillos eruit à potestate tenebrarum, vt transferat in regnum filij claritatis suæ. Nec quisquam miretur & dicat, *Cur hoc creat bonitas Dei, quod possideat malignitas diaboli?* Hoc enim suæ creaturæ seminibus ex illa bonitate largitur, qua etiam facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Hac quippe bonitate etiam ipsa semina benedixit, vel benedicendo constituit. Quam benedictionem naturæ laudabili culpa damnabilis non ademit. Quæ licet per Dei punientis iustitiam valuerit, vt homines cum peccati originalis vitio nascerentur, non tamen valuit, vt homines non nascerentur. Sicut in ipsis ætate maioribus quælibet vitia peccatorum non ex homine hominem tollunt, sed permanet Dei opus bonum, in quantiscunque malis operibus impiorum. Nam etsi homo in honore positus, & non intelligens comparatur pecoribus, eisque similis fit; non tamen vsqueadeo similis fit, vt pecus sit. Comparatur namq; per vitium, non per naturam, non pecoris vitio, sed naturæ. Tantæ namque excellentiæ est in comparatione pecoris homo, vt vitium hominis natura sit pecoris, nec tamen ideo natura hominis in naturam vertitur pecoris. Ac per hoc Deus hominem damnat propter vitium, quo natura dehonestatur; non propter naturam quæ vitio non aufertur. Bestias verò absit vt opinemur pœnæ damnationis obnoxias, quas iustum est vt miseriæ sint expertes, quæ nec beatitudinis possunt esse participes. Quid ergo mirum est vel iniquum, vt immundo spiritui subdatur homo, non propter naturam, sed propter immundicitiam suam, quam non ex opere diuino, sed ex humana voluntate venientem in originis labe contraxit: cùm & ipse spiritus immundus, bonum sit, quòd spiritus: malum, quòd immundus? Illud quippe est ex Dei opere, hoc ex propria voluntate. Natura itaque fortior, id est, angelica, inferiorem naturam, id est, humanam, vitij societate subditam tenet. Ideo mediator angelis fortior, infirmus propter homines factus est: sic superbia captiuatoris, redemptoris humilitate destruitur, vt qui super filios hominis angelica fortitudine gloriatur, à filio Dei suscepta humana infirmitate vincatur.

Exoteismus & exufflatio in baptismi ceremonijs.

Matth. 12.

1. Cor. 1.

Antipophora.

Psal. 48.

Vitium hominis natura est pecoris.

SED iam etiam istum conclusuri librum, oportere arbitramur, vt Ambrosium antistitem Dei, cuius inter Latinæ linguæ scriptores ecclesiasticos præcipuè Pelagius integerrimam fidem prædicat, sicut de gratia fecimus, ita & de peccato originali, in quo defendo ipsa gratia euidentius commendatur, calumniosę istorum loquacitati respondere faciamus. In eo opere quod scripsit de Resurrectione sanctus Ambrosius, *Lapsus sum*, inquit, *in Adam, de paradiso eiectus sum in Adam, mortuus sum in Adam. Quem reuocaret nisi me in Adam inuenerit, vt in illo culpæ obnoxium, morti debitum, ita in Christo iustificatum?* Item scribens contra Nouatianos, ait, *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum dicente Dauid, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Christi autem caro damnauit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit; vt in carne nostra esset iustificatio, per gratiam, vbi erat antè colluuio per culpam.* Item idem ipse cùm exponeret Esaiam Prophetam loquens de Christo. *Ideo*, inquit, *& quasi homo per vniuersa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta sustinuit; sed quasi de Spiritu natus abstinuit peccato. Omnis enim homo mendax, & nemo sine peccato, nisi vnus Deus: Seruatum est igitur, vt ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers delicti, expers est etiam huiusmodi conceptionis.* Item cùm exponeret Euangelium secũdum Lucam: *Non enim virilis coitus*, inquit, *vuluæ virginalis secreta reseruauit, sed immaculatum semen inuiolabili vtero spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corruptelæ, immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti maiestate depulerit.* His tamen verbis hominis Dei, quem tanto præconio ipse laudauit Pelagius, contradicit, & dicit, *sicut sine virtute, ita nos sine vitio procreari.* Quid igitur restat, nisi aut istum Pelagius suum damnet errorem, aut eum sic Ambrosium laudasse pœniteat? Sed quia ista secundum catholicam fidem beatus Ambrosius, vt Episcopus catholicus est locutus, sequitur vt ab hac via fidei deuius meritò Pelagius, cum Celestio discipulo suo, catholicæ ecclesiæ sit authoritate damnatus, nisi eum non Ambrosium laudasse, sed contra Ambrosium sensisse pœniteat. Scio vos ea quæ ad ædificationem vel confirmationem fidei conscribuntur, insatiabiliter legere. Veruntamen hic liber quantumlibet sit ad hoc vtilis, iam tandem aliquando finiendus est.

CAPVT XLI. *Concludit hic librum B. Ambros. de originali peccato sententiis*

Lib. de gratia Christi, cap. 43.

Lib. de fide resurrectionis cap. 2.

Lib. 1. de pœnitentia, cap. 2.

Psal. 50.

Rom. 7.

Ambrosius in Esaiam scripsit, sed non extat liber.

Psal. 115.

In illud cap. 2. omne masculinum adaperiens vulnam.

Supra cap. 15.

Contra Pelagium & Celestium libri vtriusque finis.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI AD VALERIVM COMITEM DE NVPTIIS ET CONCVPISCENTIA LIBRI DVO.

Ex lib. 2. retract. cap. 53.

SCRIPSI *duos libros ad illustrem virum comitem Valerium, cũ audissem Pelagianos ei nescio quid scripsisse de nobis, quòd scilicet nuptias damnaremus asserendo originale peccatum: quorum librorum titulus est, De nuptiis & concupiscentia, Bonitatẽ quippe defendimus nuptiarum, ne putaretur earum esse vitium concupiscentia carnis, & lex in membris repugnans legi mentis, quo malo libidinis bene vtitur ad filios procreandos pudicitia coniugalis. Vt autem duo libri essent, primus venit in Iuliani Pelagiani manus, & scripsit aduersus eum libros quatuor, ex quibus quidam nonnulla decerpsit, & Comiti Valerio misit: ille verò ad nos. Quæ cùm accepissem alio libro ad eadem ipsa respõdi. Huius operis primus liber sic incipit, Hæretici noui dilectissime fili Valeri. Secundus autem sic, Inter militiæ tuæ curas.*

AD VALERIVM COMITEM EPISTOLA.

DOMINO illustri & meritò præstantissimo, atque in Christi dilectione charissimo filio Valerio, Augustinus in Domino salutem.

Cùm diu molestè haberem quòd aliquotiens scripserim, & nulla tuę sublimitatis rescripta meruerim, repentè Epistolas tres tuę benignitatis accepi, Vnam nõ ad me solùm datam, per coepiscopũ meum Vindemialem, & non longè pòst per cõpresbyterum Firmum duas, qui vir sanctus nobisque vt ab illo scire potuisti, familiarissima charitate coniũctus, multa nobiscum de tua excellentia colloquendo, & veraciter insinuando; qualẽ te in Christi visceribus nouerit, nõ solũ eas quas memoratus episcopus, vel quas ipse attulit, sed etiam illas quas non accepisse querebamur, literas vicit. Et ideo de te narratio eius suauior nobis erat, quia ea dicebat, quæ ipse nõ posses, ne quidem me inquirente rescribere, ne tuarum laudum, quod sancta scriptura prohibet, fieres prædicator: quãquam & ego verear hæc ad te scribere, ne suspicionem adulantis incurram, Domine illustris & meritò præstantissime, atq; in Christi dilectione charissime fili. Laudes itaq; tuas in Christo, siue magis in te laudes Christi, vide quid mihi delectationis & lætitiæ fuit audire ab illo, qui nec fallere me posset propter fidem suam; & eas ignorare non posset, propter amicitiã tuam. Sed alia & ab aliis, & si non tam multa vel certa, veruntamen audiuimꝰ, fides tua quàm sit sana & catholica, quàm pia expectatio futurorum, quæ Dei fratrumque dilectio, quàm nõ superbè sapias in excelsis honoribus, nec speres in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, & diues sis in operibus bonis: quàm sit domus tua requies, solatiumq; sanctorum, & terror impiorum: quãta tibi cura sit, ne quis insidietur mẽbris Christi, coopertus velamine nominis Christi, siue in veteribus eius, siue in recentioribus inimicis: quamq; sis eorundem inimicorum prouidus saluti, infestus errori. Hæc atque huiusmodi, vt dixi, & ab aliis solemus audire, sed nunc ea per supradictum fratrem plura & testatiora cognouimus. Porrò autem de pudicitia coniugali, vt eam quoque in te laudare, & amare possimus, nunquid audiremus, nisi ab aliquo interiore familiari tuo, qui vitam tuã, non in superficie, sed penitus nosset? De hoc itaq; tuo bono Dei dono, me quoque delectat familiarius, & aliquanto diutius loqui tecũ. Scio me nõ esse oneri tibi, si aliquid prolixum mitto, quod legendo diutius sis nobiscum. Nam & hoc comperi, quòd inter tuas multas magnasque curas, facilè ac libenter legas, nostrisq; opusculis, etiam quæ ad alios conseripsimus, si qua in manus tuas venire potuerunt, admodum delecteris: quanto magis quod ad te scribitur, vbi tãquam præsenti loquar, & aduertere dignaberis attentius, & accipere gratius? Ab hac ergo Epistola perge ad librũ, quem simul misi, qui tuæ reuerentiæ & cur conseriptus sit, & cur ad te potissimum missus, ipse suo principio commodius intimabit.

Deuter. 27.

1. Tim. 6.

LIBRI PRIMI DE NVPTIIS ET CONCVPISCENTIA CAPVT PRIMVM

HÆRETICI noui dilectissime fili Valeri, qui medicinam Christi qua peccata sanantur, carnaliter natis paruulis necessariam non esse cõtendunt, damnatores nos esse nuptiarum operisq; diuini, quo ex maribus & feminis Deus homines creat, inuidiosissimè clamitant: quoniam dicimus eos, qui de tali commixtione nascuntur, trahere originale peccatum, de quo Apostolus ait, Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertrãsiit, in quo omnes peccauerunt: eosq; de parentibus qualibuscunq; nascantur, non negamus adhuc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo, & per eius gratiam de potestate eruti tenebrarum, in regnum illius, qui ex eadem sexus vtriusq; cõmixtione nasci noluit, transferantur. Hoc ergo quia dicimus quod in antiquissima atq; firmissima catholicæ fidei regula continetur, isti nouelli & peruersi dogmatis assertores, qui nihil peccati in paruulis esse dicunt, quod lauacro regenerationis abluatur, tanquam damnemus nuptias & tanquam opus Dei, hoc est, hominem, qui ex illis nascitur, opus diaboli esse dicamus infideliter vel imperitè calumniantur. Nec aduertunt quòd ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari: sicut adulteriorum & fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Nam sicut peccatum, siue hinc, siue inde à paruulis trahatur, opus est diaboli: sic homo, siue hinc, siue inde nascatur, opus est Dei. Intentio igitur huius libri hæc est, vt quantum nos Dominus adiuuare dignatur, carnalis concupiscẽtiæ malum, propter quod homo, qui per illam nascitur, trahit originale peccatũ, discernamus à bonitate nuptiarũ. Hæc enim quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia nulla esset, nisi homo antè peccasset; nuptiæ verò essent, etiam si nemo peccasset: fieret quippe sine isto morbo seminatio filiorum in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis huius.

Rom. 5.

Libri huius argumentum.

CAPVT I. CVR autem ad te potissimũ de hac re scribere voluerim, tres maximæ causæ sunt, quas breuiter intimabo. Vna est, quia donante Christo, magna tibi est obseruantia pudicitiæ coniugalis. Altera, quia prophanis istis nouitatibus, quibus hic disputando resistimus, tu potestate curando & instãdo efficaciter restitisti. Tertia quoniã quiddam literarũ ab eis conseriptũ in tuas manus venisse cognoui, quod licet fide robustissima irriseris;

Rationem reddit cur ad eum scripserit.

irriseris; bonum est tamẽ, vt etiam nouerimus defendendo adiuuare quod credimus: Apostolus enim Petrus, paratos nos esse præcipit ad satisfactionem omni
2.Pet. 2. poscenti nos rationem de fide & spe nostra. Et apostolus Paulus, Sermo, inquit, vester in gratia conditus sit
Colos. 4. sale, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuiq; respondere. Ista sunt quæ me præcipuè compulerunt, vt in hoc volumine tecum haberem qualem Dominus dignaretur donare, sermonem. Nam mihi nunquã placuit cuiquam illustri viro, & tanta quanta es ipse sublimitate conspicuo, præsertim nõ ociosa dignitate iam fruenti, sed adhuc actibus publicis eisdemq; militaribus occupato, aliquid meorum opusculorum legendum non à me petenti, non tam diligenter quàm impudenter impingere. Si quid ergo tale nunc feci propter eas quas commemorauí causas, dignãter ignosce, & beneuolum animum ad ea quę sequuntur, intende.

CAPVT III. Pudicitia coniugalis Dei donum est. 2, Cor. 7.

DONVM Dei esse etiam pudicitiam coniugalem, beatissimus Paulus ostendit, vbi de hac re loquens ait: Volo autem omnes homines esse sicut meipsum, sed vnusquisq; proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Ecce & hoc donum esse dixit à Deo, etsi inferius quàm illa continentia, in qua omnes volebat esse sicut seipsum, tamen donum à Deo. Vnde intelligimus cùm hæc præcipiuntur vt fiant, nihil aliud ostendi, quàm inesse nobis oportere ad hæc accipienda & habenda, etiam propriam voluntatem. Cùm verò Dei dona esse monstrantur, à quo petenda sint, discitur, si non habentur, & cui sint agendæ gratiæ si habentur, nostrasque voluntates ad hæc expetenda, sumenda, retinenda parum valere, nisi diuinitus adiuuentur. Quid ergo dicimus, quando & in quibusdam impiis inuenitur pudicitia coniugalis? vtrum eo peccare dicendi sunt, quòd dono Dei malè vtantur, non id referentes ad cultum eius à quo acceperunt? an fortè nec dona Dei putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt, secundum Apostoli sententiam dicentis, O-
Rom. 14. mne quod non est ex fide, peccatum est? Quis audeat dicere donum Dei esse peccatũ? Anima enim & corpus & quæcunque bona animæ & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona Dei sunt, quoniam Deus, nõ ipsi ista fecerunt. De his autem quæ faciunt dictum est, Omne quod non est ex fide, peccatũ est. Cùm igitur faciunt hæc homines sine fide, quæ videntur ad coniugalem pudicitiam pertinere, siue hominibus placere quærentes, vel sibi vel aliis, siue in his rebus quas vitiosè concupiscunt, humanas molestias deuitantes, siue dæmonibus seruientes, non peccata coercentur, sed aliis peccãtis alia peccata vincuntur. Absit ergo pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum, fidem connubij seruat vxori.
Pudicus quis.

CAPVT IIII.

COPVLATIO itaque maris & feminæ generandi causã, bonum est naturale nuptiarũ: sed isto bono malè vtitur, qui bestialiter vtitur, vt sit eius intẽtio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis. Quanquam in nonnullis animalibus rationis expertibus, sicut in plerisque alitibus, & coniugiorum quasi quædam confœderatio custoditur, & socialis nidificandi solertia, vicissimque ouorum dispertita tempora fouendorum, & nutriendorum opera alterna pullorum, magis eas videri faciunt agere, cùm coeũt, negocium substituendi generis, quàm explendæ libidinis. Quorum duorum illud est in pecore simile hominis, hoc est, in homine simile pecoris. Verùm quod dixi ad naturam pertinere nuptiarum, vt mas & femina generandi societate iungantur, & ita inuicem non fraudẽt, sicut omnis societas fraudulentum socium naturaliter non vult: hoc tam euidens bonum cùm infideles habent, quia infideliter vtũtur, in malum peccatumq; conuertunt. Eo modo ergo & illam concupiscentiam carnis, qua caro concupiscit aduersus spiritũ, in vsum
Omnis societas naturaliter fraudulentum socium refugit.

A iustitiæ conuertunt fidelium nuptiæ. Habent quippe intentionem generandi regenerandos vt qui ex eis seculi filij nascuntur, in Dei filios renascantur. Quapropter qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, vt eos ex membris hominis primi, in membra transferant Christi; sed infideles parentes de infideli prole glorientur, etiam si tanta sit obseruantia, vt secundum matrimoniales tabulas non nisi liberorum procreandorum causa concumbant, non est in eis vera pudicitia coniugalis. Cùm enim virtus sit pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia, omnesque virtutes etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent; quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur? Quam fornicationem sanctus ille Psalmus accusat vbi dicit, Ecce enim qui longè se faciunt à Psal. 72.
te, peribunt: perdidisti omnem qui fornicatur abs te. Vera igitur pudicitia siue coniugalis, siue vidualis, siue virginalis dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur. Cùm enim recto iudicio præferatur nuptiis sacrata virginitas; quis non sobria mente Christianus etiam nõ vniuiras Christianas catholicas nuptas, non solùm vestalibus, sed etiam hæreticis virginibus anteponat? Tantùm valet fides de qua dicit Apostolus, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Et de qua Rom. 14.
item scriptum est ad Hebræos, sine fide impossibile est Hebr. 11.
placere Deo.

CAPVT V.

QVÆ cùm ita sint, profectò errant, qui cùm vituperatur libido carnalis, damnari nuptias opinantur, quasi morbus iste de connubio sit, non de peccato. Nónne illi coniuges primi quorum nuptias benedixit Deus dicens, Crescite & multiplicamini, nudi erant, Genes. 1.
& nõ confundebãtur? Quur ergo ex illis mẽbris cõfusio post peccatum, nisi quia extitit illic indecens motus? quem, nisi homines peccassent, proculdubiò nuptiæ non haberent. An fortè sicut quidam existimant, Pudor in corpore humano vnde.
quia id quod legunt parum diligenter aduertunt, cæci C
creati erant prius homines sicut canes; & quod est absurdius, non sicut canes crescendo, sed peccando adepti sunt visum? Absit hoc credere. Sed vnde mouentur qui hoc putant, illud est quod legitur, Sumens de Adam & Eua non sunt cæci creati.
fructu eius, edit, & dedit viro suo secum, & ederunt, & Genes. 3.
aperti sunt oculi amborum, & agnouerunt quia nudi erant. Hinc est quòd parum intelligentes, opinantur antea fuisse illis oculos clausos, quòd eos tunc apertos Genes. 2.
diuina scriptura testatur. Sed nunquid & Agar ancilla Saræ quando sitiente & plorante filio aperuit oculos suos & vidit puteum, clausos prius oculos habuit? Aut illi duo discipuli post resurrectionem Domini in via cum illo clausis oculis ambulabant, de quibus Euan- Luca 24.
gelium loquitur, quòd in fractione panis aperti sunt oculi eorum, & agnouerũt eum? Quod ergo scriptum est de hominibus primis, Aperti sunt oculi amborum: Apertio oculorum in primis parentibus quid.
intelligere debemus, attentos factos ad intuendum & al. ad nutũ
agnoscendum, quod nouum in eorum corpore acciderat, quod vtiq; corpus patentibus eorum oculis & nudum quotidie subiacebat, & notũ. Alioquin quomodo ad se adductis animalibus terrestribus & volatilibus omnibus, Adã clausis oculis nomina posset imponere, quod nisi discernendo non faceret, discernere autem nisi videndo non posset? Quomodo denique ipsa mulier ei demonstrata est, quando ait, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea? Postremò si vsqueadeo quisquam fuerit contentiosus, vt hæc eum dicat non cernendo, sed palpando potuisse cognoscere, quid dicturus est quod ibi legitur, mulier lignum, de quo fuerat cibum sumptura, prohibitum vidisse quàm esset speciosum oculis ad videndum? Erant itaque nudi, & non confundebantur, non quia non videbant, sed quia nihil vnde confunderentur in membris senserant, quæ videbant. Non enim dictum est, erant ambo-

ambo nudi & ignorabant: sed non confundebantur. A
Quia enim nihil præcesserat quod non liceret, nihil secutum fuerat quod puderet.

CAPVT VI.

IBI enim homo primitus Dei lege transgressa, aliã legẽ repugnantẽ suæ menti habere cœpit in membris, & inobedientiæ suæ malũ sensit, quando sibi retributam dignissimè inobedientiam suę carnis inuenit. Talem quippe etiã serpens oculorũ apertionem seducẽdo promiserat, ad aliquid videlicet sciendũ, quod melius nesciretur. Tunc in se quippe sensit homo quid fecit: tunc à bono malum, non carendo sed perpetiendo discreuit. Iniustum enim erat vt obtemperaretur à seruo suo, id est, à corpore suo ei, qui non obtemperauerat Domino suo. Nã quid est quòd oculi, labia, lingua, manus, pedes, inflexiones dorsi, ceruicis & laterũ vt ad opera sibi congrua moueantur, positum, in potestate est, quando ab impedimentis corpus liberum habemus & sanum: vbi autem ventũ fuerit vt filij se- B
minentur, ad voluntatis nutum membra in hoc opus creata, non seruiũt, sed expectatur vt ea velut sui iuris libido cõmoueat, & aliquãdo non facit animo volẽte, cùm aliquando faciat & nolente? Hincine non erubesceret humani libertas arbitrij, quòd contẽnendo imperãtem Deum, etiam in membra propria proprium perdidisset imperium? Vbi autem cõuenientius monstraretur inobedientię meritò deprauatã esse humanã naturam, quàm in his inobedientibus locis vnde per successionem subsistit ipsa natura? Nam ideo propriè istæ corporis partes, naturæ nomine nuncupantur. Pudor quippe in pudendis.
Hunc itaque motum ideo indecentẽ quia inobedientẽ, cùm illi primi homines in sua carne sensissent, & in sua nuditate erubuissent, foliis ficulneis eadẽ membra texerunt, vt saltem arbitrio verecundantiũ velaretur, quod non arbitrio volentium mouebatur; & quoniam pudebat, quod indecenter libebat, operiendo fieret quod decebat.

CAPVT VII. Libido mala, sed per nuptias ordinata.

QVIA ergo nec isto adiuncto malo perire potuit C
nuptiarum bonũ, putant imprudẽtes hoc nõ esse malum, sed pertinere ad illud bonũ. Discernitur autẽ non solũ ratione subtili, verumetiam vulgatissimo iudicio naturali, quod & in illis apparuit hominib⁹ primis, hodieq; tenetur ab hominibus coniugatis. Quod enim illi postea propagatione fecerũt, hoc est, connubij bonum: quod verò prius confusione texerunt, hoc est, concupiscentię malum, quod vitat vbiq; conspectum, & quærit pudendo secretum. Proinde nuptiæ quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriãtur: quia verò sine illo fieri non potest, erubescunt: tanquam si quispiam pede vitiato, ad aliquod bonum etiam claudicando peruenìat, nec propter claudicationis malum mala est illa peruentio, nec propter illius peruentionis bonum, bona est claudicatio: ita nec propter libidinis malum, nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum, libidinem laudare debemus.

CAPVT VIII. 1.Thess. 4.

ISTE quippe est morbus de quo Apostolus etiam D
coniugatis fidelibus loquens ait, Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, abstinere vos à fornicatione, vt sciat vnusquisq; vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in morbo desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum. Non solũ igitur cõiugatus fidelis vale non vtatur alieno, quod faciunt à quibus vxores alienæ appetuntur; sed nec ipsum proprium in concupiscentiæ carnalis morbo possidendum sciat. Quod non sic accipiendum est, tanquam prohibuerit Apostolus coniugalẽ, hoc est, licitum honestumq; concubitum: sed vt iste cõcubitus, qui nihil morbidę libidinis haberet adiunctum, si nõ præcedente peccato in eo perisset libertatis arbitrium; quod nunc habet adiunctum, non sit voluntatis sed necessitatis, sine qua tamen in procreandis filiis ad fructũ peruenire non potest ipsius voluntatis; quæ voluntas in connubiis fidelium non eo fine determinatur, vt trãsituri filij nascantur in seculo isto, sed vt permãsuri renascantur in Christõ. Quod si prouenerit, merces erit de coniugio plenæ felicitatis: si autẽ non prouenerit, pax erit coniugibus bonæ voluntatis. Hac intentione cordis qui suum vas possidet, id est, coniugem suam; proculdubiò nõ possidet in morbo desiderij, sicut gẽtes quæ ignorant Deum: sed in sanctificatione & honore, sicut fideles, qui sperant in Deũ. Illo quippe concupiscentiæ malo vtitur homo, non vincitur, quando eam inordinatis atque indecoris motibus æstuantem frenat & cohibet, neque nisi propagini consulens, relaxat atq; adhibet, vt spiritaliter regenerandos carnaliter gignat, non vt spiritũ carni sordida seruitute subijciat. Sic patres sanctos ex Abrahã & ante Abraham, quibus Deus quòd ei placuerint perhibet testimoniũ, vsos fuisse coniugibus, neminẽ oportet dubitare Christianum; quando quibusdam etiam singulis plures habere concessum est, vbi ratio fuit profis multiplicãdæ, non variandæ apperitio voluptatis.

Quæ fidelium coniugium in congressu debeat esse voluntas. al. transitorij

Concupiscẽtia malo vtitur, non succumbendum.

Sanctti patres quomodo olim coniugibus vsi.

CAPVT IX. Cur olim plures aliquando vxores, nunquam autem plures habere permissum manifes.

NAM si Deo patrum nostrorum, qui etiam noster est, illa numerositas coniugum propterea non displicuisset, vt copiosius se libido iactaret, ita etiam sanctæ feminæ seruissent pluribus singulæ: quod si aliqua faceret, quid eam nisi concupiscentię turpitudo compelleret, vt plures viros haberet, quando ista licentia plures filios non haberet? Veruntamen magis pertinere ad nuptiarum bonum, non vnum & multas, sed vnum & vnam satis indicat ipsa prima diuinitus facta coniugum copula, vt inde connubia sumerent initium, vbi honestius attenderetur exemplum. Progrediente autem genere humano, iuncte sunt quibusdam bonis viris bonæ feminæ, singulis plures. Vnde apparet & illud dignitatis magis appetisse modestiam, & hoc fœcunditatis permisisse naturã. Nam & principatus magis naturaliter vnius in multos, quàm in vnum potest esse multorum. Nec dubitari potest naturali ordine viros potius feminis, quàm viris feminas principari. Quod seruans Apostolus ait, Caput mulieris vir: & Mulieres subditæ estote viris vestris, Et apostolus Petrus, Quomodo Sara, inquit, obsequebatur Abrahæ, dominum illum vocans. Quod licet ita sese habeat, vt natura principiorum amet singularitatem, facilius autem pluralitatem videamus in subditis, tamen plures feminæ vni viro nunquam licitè iungerentur, nisi ex hoc plures filij nascerentur. Vnde si vna concumbat cum pluribus, quia non est ei hinc multiplicatio prolis, sed frequentatio libidinis, coniunx non potest esse, sed meretrix.

Principatus vnius in multos naturaliter. Naturali ordine vna femina imperat, non contra. 1.Cor. 11. Ephes. 5. 1.Pet 3. Natura principiorum sua singularitatem amat.

CAPVT X. Matrimonij sacramentum.

QVONIAM sane non tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole est; nec tantũ pudicitia, cuius vinculũ est fides; verumetiam quoddã sacramentum nuptiarum cõmendatur fidelibus coniugatis, vnde dicit Apostolus, Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam: huius proculdubiò sacramenti res est, vt mas & femina connubio copulati, quamdiu viuunt inseparabiliter perseuerent, nec liceat excepta causa fornicationis, à coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesia, vt viuens cum viuente in æternum nullo diuortio separetur. Cuius sacramenti tanta obseruatio est in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, hoc est, in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt cùm filiorum procreãdorum causa vel nubant feminæ, vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius seculi, vbi interueniente repudio, sine crimine concedítur cum aliis alia copulare cõnubia: quod etiam sanctum Moysen Do- Matth. 19.
minus propter duritiam cordis illorum, Israelitis permisisse testatur: sed lege Euangelij reus est adulterij;

Coloss. 3.

Matrimonium indissolubile & vnde.

sicut etiam illa si alteri nupserit. Vsqueadeò manent inter viuentes semel inita iura nuptiarũ, vt potius sint inter se coniuges, qui ab alterutro separati sunt; quàm cũ his, quibus aliis adhæserũt. Cũ aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrũ coniuges permanerẽt. Deniq; mortuo viro cũ quo verũ connubiũ fuit, fieri verum connubiũ potest cũ quo priusadulterium fuit. Ita inter viuẽtes manet quoddã vinculũ coniugale, quod nec separatio, nec cũ altero copulatio possit auferre. Manet autẽ ad noxã criminis, nõ ad vinculũ fœderis: sicut apostataæ anima velut de cõiugio Christi recedẽs etiã fide perdita, sacramentũ fidei nõ amittit, quod lauacro regenerationis accepit: redderetur enim proculdubiò redeũti, si amisisset abscedẽs. Habet aũt hoc qui recesserit ad cumulũ supplicij, non ad meritũ præmij.

CAPVT XI. Qvibvs verò placuit ex consensu, ab vsu carnalis concupiscẽtiæ in perpetuũ continere, absit vt inter illos vinculũ coniugale rumpatur: imò firmius erit, quo magis ea pacta secũ inierint, quę charius concordiusq; seruanda sunt, nõ voluptariis nexibus, sed voluntariis affectibus animorũ. Neq; enim fallaciter ab angelo dictũ est ad Ioseph, Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Coniunx vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognouerat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manserat cõiugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat vlla carnis commixtio. Erat quippe illa virgo ideo & sanctius & mirabilius iocunda suo viro, quia etiam fœcũda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele coniugiũ parẽtes Christi vocari ambo meruerũt, & non solùm illa mater, verumetiã ille pater eius, sicut coniunx matris eius, vtrunq; mente, nõ carne. Siue tamẽ ille pater sola mente, siue illa mater & carne, parentes tamen ambo humilitatis eius, nõ sublimitatis: infirmitatis, non diuinitatis. Neq; enim mẽtitur Euãgelium, vbi legitur, Et erant pater eius & mater mirantes super his quæ dicebãtur de illo. Et alio loco: Et ibãt parentes eius per omnes annos in Hierusalem. Item paulo pòst, Et dixit mater eius ad illum, Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. At ille vt ostenderet habere se præter illos patrem, qui eum genuit præter matrem, respondit eis, Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et rursum, ne hoc dicto parentes illos negasse putaretur, Euangelista secutus adiũxit, Et ipsi non intellexerunt verbũ quod locutus est ad illos, & descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Quibus subditus, nisi parentibus? Quis autem subditus, nisi Iesus Christus, qui cùm in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus est esse æqualis Deo? Cur ergo illis subditus, qui longè infra formã Dei erant, nisi quia semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, cuius formæ parentes erant. Sed cum illo non seminãte illa peperisset, profectò nec ipsius formę serui parentes ambo essent, nisi inter se etiã sine carnis commixtione coniuges essent. Vnde & series generationum cùm parentes Christi connexione successionis commemorantur, vsq; ad Ioseph potius sicut factum est, fuerat perducenda; ne in illo cõiugio, virili sexui vtiq; potiori fieret iniuria, cùm veritati nihil periret, quia ex semine Dauid, ex quo venturus prædictus est Christus, & Ioseph erat & Maria. Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolẽ cognoscimus ipsum Dominum Iesum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum diuortium.

Verum coniugiũ inter Mariam & Ioseph. Matth. 1.

Ioseph quomodo pater Christi.

Luca 2.

Phil. 2.

In matrimonio Mariæ & Ioseph omnia fuere coniugij bona.

CAPVT XII. Solvs ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscẽtia, quæ accidit ex peccato, sine qua cõcipi voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati: vt hinc etiã doceret omnem quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati; quandoquidẽ sola quæ non inde nata est, non fuit caro peccati. Quamuis coniugalis concubitus qui fit intentione generandi, nõ sit ipse peccatum; quia bona voluntas animi, sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subiugante peccato, cùm iustè redigitur in vsum generandi plaga peccati. Huius plagæ quidam pruritusin adulteriorum & fornicationum & quorumlibet stuprorum atque immundiciarum fœditatibus regnat; in connubiorum verò necessitudinibus seruit. Ibi de domino tali turpitudo damnatur, hic de pedissequo tali honestas verecundatur. Non est igitur hæc libido nuptiarum bonum, sed obscœnitas pecantium, necessitas generantium, lasciuiarũ ardor, nuptiarum pudor. Cur ergo non coniuges maneant qui ex consensu concumbere desinunt, si manserunt coniuges Ioseph & Maria, qui concũbere nec cœperunt?

Omnis quæ de concubitu iam nascitur, carno peccati est.

CAPVT XIII. *Veteres patres etiam generũdo Christum prophetarunt, post Christi adiuentũ continentiæ tempus est.* Hæc enim propagatio filiorum, quæ in sanctis patribus propter generandum & conseruandum populum Dei, in quo prophetiam Christi præcedere oportuit, officiosissima fuit; nunc iam non habet illam necessitatem. Patet quippe iam ex omnibus gentibus spiritaliter gignendorum, vndecunq; carnaliter nati fuerint, copia filiorum. Et quod scriptum est, Tẽpus amplectendi, & tempus continendi ab amplexu; per illud atq; hoc tempus agnoscitur distributum. Illud quippe fuit amplectendi, hoc autem continendi ab amplexu. Itaque & Apostolus cùm hinc loqueretur, ait, Hoc autem dico fratres, tempus breue est, reliquum est vt & qui habent vxores tanquam non habentes sint, & qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent tanquã non gaudentes, & qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi. Volo vos sine solicitudine esse. Hæc omnia vt exponendo aliquid hinc breuiter dicam, sic existimo intelligenda. Hoc, inquit, dico fratres, tempus breue est, non adhuc populus Dei propagandus est generatione carnaliter, sed iam regeneratione spiritualiter colligendus. Reliquum est ergo, vt & qui habent vxores non carnali cõcupiscentiæ subiugentur: & qui flent tristitia præsentis mali, gaudeant spe futuri boni: & qui gaudent propter temporale aliquod commodum, timeant æternum iudicium: & qui emunt, sic habendo possideant vt amando non hæreant: & qui vtuntur hoc mundo transire se cogitent, non manere. Præterit enim figura huius mundi. Volo vos, inquit, sine solicitudine esse: hoc est, volo sursum cor in his quæ non prætereunt, vos habere. Deinde subiungit & dicit, Qui sine vxore est, cogitat ea quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino: Qui autem matrimonio iunctus est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Atque ita quodammodo exponit quod suprà dixerat, Qui habent vxores, tanquem non habentes sint. Qui enim sic habent vxores, vt cogitent ea quæ sunt Domini, quomodo placeãt Domino, nec in his quæ sunt mundi cogitent placere vxoribus; tanquam non habentes sunt. Quod facilius fit, quando & vxores tales sunt, vt eis mariti non ideo placeant, quia diuites, quia sublimes, quia genere nobiles, quia carne amabiles: sed quia fideles, quia religiosi, quia pudici, quia viri boni sunt.

Eccles. 3.

1. Cor. 7.

CAPVT XIIII. *Intemperantiã quædã in coniugibus tolerãda.* Vervm in coniugatis, vt hæc optanda atque laudanda, sic alia toleranda sunt, ne in damnabilia flagitia, id est, in fornicationes, vel adulteria corruatur. Propter quod vitandum malum, etiam illi concubitus coniugũ, qui non fiunt causa generandi, sed victrici concupiscentiæ seruiunt, in quibus iubentur non fraudare inuicem, ne tẽtet eos satanas propter intemperantiam suam; nõ quidem secundum imperiũ præcipiuntur, tamen secundum veniam conceduntur. Sic enim scriptum est, Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatẽ non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite inuicem fraudare, nisi ex consensu ad tẽpus, vt vacetis orationi: & iterum ad idipsum estote, ne tentet vos satanas propter intemperantiam vestram. Hoc autem dico secundum veniam, non secũdum imperium. Vbi ergo venia danda est, aliquid esse culpæ nulla ratione negabitur. Cùm igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quòd coniuges dum se non cõtinent, debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se. Neque enim etiam iste concubitus quo seruitur concupiscentiæ sic agitur, vt impediatur fœtus, quem postulant nuptiæ.

1. Cor. 7.

Quid secundum coniugiũ concedat Apostolus.

CAPVT XV. Sed tamen aliud est non concumbere, nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam, aliud carnis concumbendo appetere voluptatem, sed non præter cõiugem, quod venialem habet culpam. Quia etsi non causa propagandæ prolis cõcumbitur, nec tamen huius libidinis causa propagationi prolis obsistitur, siue voto malo, siue opere malo. Nam qui hoc faciunt quamuis vocentur coniuges, non sunt, nec vllam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt. Produntur autẽ quando eo vsque progrediuntur, vt exponant filios, qui nascuntur inuitis. Oderũt enim nutrire vel habere, quos gignere metuebant. Itaq; cùm in suos sæuit quos nolens genuit tenebrosa iniquitas, clara iniquitate in lucem promitur, & occulta turpitudo manifesta crudelitate conuincitur. Aliquando eo vsque peruenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam sterilitatis venena procuret; & si nihil valuerit, conceptos fœtus aliquo modo intra viscera extinguat ac fundat, volendo suam prolem prius interire quàm viuere; aut si in vtero iam viuebat, occidi antequam nasci. Prorsus si ambo tales sunt, coniuges nõ sunt. Et si ab initio tales fuerunt, non sibi per cõnubium, sed per stuprum potius conuenerunt. Si autẽ non ambo sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodammodo meretrix mariti, aut ille adulter vxoris.

Qui propagaiuni prolis obstiunt, sterilitatem vel abortum procurant, filios exponunt, coniuges sunt nomine, non veritate.

CAPVT XVI. Qvia igitur tales nuptiæ esse non possunt, quales primorũ hominum, si peccatum non præcessisset, esse potuerunt; sint tales quales sanctorũ patrum fuerunt, vt pudenda carnis concupiscentia, quę in paradiso nec ante peccatum fuit, nec post peccatũ esse permissa est; quia necesse est in corpore mortis huius vt sit; non ei seruiatur, sed ipsa potius non nisi ad propagandã prolem seruire cogatur. Aut quia hoc tempus, quod iam esse diximus continendi ab amplexu, non habet huius officij necessitatẽ, adiacente vndiq; in omnibus gentibus tanta fertilitate gignẽdorum spiritaliter filiorum; illud potius excellentis continentiæ bonum, qui potest capere, capiat. Qui verò id capere nõ potest, si acceperit vxorem, non peccat: & femina si se non continet, nubat. Bonum est enim homini mulierem non tangere. Verùm quia non omnes capiũt verbum hoc, sed quibus datum est, restat vt propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque virum suum habeat: ac si infirmitas incontinentiæ, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honestate nuptiarum. Quod enim ait Apostolus de feminis, Volo igitur iuniores nubere: hoc & de maribus dici potest, volo iuniores vxores ducere: vt ad vtrunq; sexum pertineat, filios procreare, patres & matresfamilias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia.

1. Cor. 7.

1. Tim. 5.

CAPVT XVII. *Quid in nuptiis bonum & laudandum.* In nuptiis tamen bona nuptialia diligantur, proles, fides, sacramentũ. Sed proles non vt nascatur tantùm, verumetiã vt renascatur. Nascitur namq; ad pœnam, nisi renascatur ad vitam. Fides autẽ non qualẽ habent inter se etiam infideles zelantes carnẽ. Quis enim vir quãlibet impius vult adulteram vxorem? Aut quæ mulier quamlibet impia vult adulterum virum? Hoc in cõnubio bonũ naturale est quidẽ, carnale tamẽ. Sed membrũ Christi coniugis adulteriũ coniugi debet timere, non sibi; & à Christo sperare fidei præmiũ quam exhibet coniugi. Sacramentũ verò, quod nec separari, nec adulterari admittunt coniuges, qui cõcorditer castęq; custodiunt. Solũ est enim quod etiam sterile cõiugium tenet iure pietatis; iam fœcunditatis spe amissa propter quam fuerat copulatũ. Hæc bona nuptialia laudet in nuptiis, qui laudare vult nuptias. Carnis autem concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda. Non est enim ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum.

CAPVT XVIII. *Quare è sanctis coniugio nascantur filij inte.* Propter hanc ergo fit vt etiã de iustis & legitimis nuptiis filiorum Dei, non filij Dei, sed filij seculi generentur: quia & ij qui generant, si iam regenerati sunt, nõ ex hoc generãt quòd filij Dei sunt, sed ex quo adhuc filij seculi. Dominica quippe sententia est, Filij seculi huius generant & generantur. Ex quo itaq; sumũ adhuc filij seculi huius, exterior homo noster corrumpitur, ex hoc & filij huius seculi generantur, nec filij Dei nisi regenerentur fiunt: sed ex quo sumus filij Dei, interior de die in diem renouatur, quamuis & ipse exterior per lauacrũ regenerationis sanctificatus sit, & spẽ futuræ incorruptionis acceperit, propter quod & tẽplum Dei meritò dicitur. Corpora vestra, inquit Apostolus, templum in vobis spiritus sancti est, quem habetis à Deo, & nõ estis vestri: Empti enim estis precio magno, glorificate ergo & portate Deum in corpore vestro. Hoc totũ non solũ propter præsentẽ sanctificationẽ, sed maximè propter illam spem vtiq; de qua idem alio loco dicit, Sed & nosipsi primitias spiritus habentes, & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus adoptionem expectantes, redẽptionem corporis nostri. Si ergo redemptio corporis nostri secundũ Apostolũ expectatur, profectò quod expectatur, adhuc speratur, nondũ tenetur. Vnde adiũgit & dicit, Spe enim salui facti sumus: Spes autẽ quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si aurẽ quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Non itaq; per hoc quod expectamus, sed per hoc quod toleramus, carnales filij propagantur. Absit ergo vt fidelis homo, cùm audit ab Apostolo, Diligite vxores vestras: concupiscentiam carnis diligat in vxore, quam nec in seipso debet diligere, audiens alterum Apostolum, Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt, quisquis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo: quia omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum; & ambitio seculi, quæ non est à patre, sed ex mundo est. Et mundus transibit & concupiscentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum: sicut & Deus manet in æternum.

Luca 20.

1. Cor. 8.

Rom. 8.

Colos. 3.

1. Ioan. 2.

CAPVT XIX. Ex hac igitur concupiscentia carnis quod nascitur, vtiq; mundo non Deo nascitur. Deo autẽ nascitur, cũ ex aqua & spiritu sancto renascitur. Huius concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit, quem generatio trahit. Ergo quod generatum est, regeneretur: quia nõ potest effici aliter, vt quod tractum est, remittatur. Vt enim quod dimissum est in parente, trahatur in prolem, miris quidem modis fit, sed tamen fit. Hæc intuisibilia & infidelibus incredibilia, sed tamen vera, vt haberent aliquod visibile exemplum, hoc in quibusdam

Olea & oleastri exemplo intelligi potest quomodo ex iustis parentibus filij nascantur peccatores.

busdam arbustis diuina prouidentia procurauit. Cur enim non credamus propter hoc esse institutũ, ut ex oliua nascatur oleaster? An credendũ non est in aliqua re quæ creata est ad vsus hominũ, creatorẽ prouidisse & instituisse; quod ad generis humani valeret exemplum? Mirum est ergo quemadmodum à peccati vinculo per gratiã liberati, gignant tamen eodẽ vinculo obstrictos, quos eodem modo oporteat liberari: Fatemur, mirum est. Sed quod latent fœtus oleastrorum etiam in seminibus olearum, quãdo & hoc crederetur, nisi experientia probaretur? Proinde sicut gignitur ex oleastri semine oleaster, & ex oleę semine nõ nisi oleaster, cùm inter oleastrum & oleam plurimum distet: ita gignitur & de carne peccatoris, & de carne iusti vtrinq; peccator, quamuis inter peccatorem & iustum plurimum distet. Gignitur autẽ peccator actu adhuc nullus, & ortu nouus, sed reatu vetus: homo à creatore, captiuus à deceptore, indigens redẽptore. Sed quæritur quomodo trahi possit captiuitas prolis etiam de parentibus iam redemptis. Et quia non facili ratione indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur: quasi & illud quod de oleastro & de olea diximus, vt generis dissimilis sit fœtus similis, facilè aliqua inueniat ratio vel explicet sermo. Sed hoc ab eo qui experiri voluerit, cerni potest. Sit ergo in exemplo, vnde & illud credatur quod cerni non potest.

Vel. vterque

CAPVT XX. *Etiam infantes non baptizatos esse in diaboli potestate.*

NON enim fides dubitat Christiana, quam noui hæretici oppugnare cœperunt, & eos qui lauacro regenerationis abluuntur, redimi de potestate diaboli; & eos qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam paruulos filios redemptorum sub eiusdem diaboli esse potestate captiuos, nisi & ipsi eadem Christi gratia redimantur. Ad omnes namq; pertinere non dubitamus ætates, illud de quo Apostolus loquitur

Col. 1.

beneficium Dei: Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij charitatis suę. Ab hac igitur potestate tenebrarum, quarũ est diabolus princeps, id est, à potestate diaboli & angelorum eius, quisquis erui cùm baptizantur negauerit paruulos, ipsorum Ecclesiæ sacramentorũ veritate conuincitur, quæ nulla hæretica nouitas in Ecclesia Christi auferre vel mutare permittitur, regente atq; adiuuante capite totum corpus suum, pusillos cũ magnis. In veritate itaq; non in falsitate potestas diabolica exorcizatur in paruulis: eique renunciant, quia per sua non possunt, per corda & ora gestantium, vt eruti à potestate tenebrarum in regnum sui Domini transferantur. Quid ergo in eis est per quod in potestate diaboli teneantur, donec eruantur inde per sacramẽtum baptismatis Christi, quid est, nisi peccatum? Non enim aliud inuenit diabolus, vnde possit humanam suo iuri mãcipare naturam, quam bonam bonus author instituit. Nullum autem peccatum paruuli in sua vita commiserũt proprium. Remanet igitur originale peccatum, per quod sub diaboli potestate captiui sunt, nisi inde lauacro regenerationis & Christi sanguine redimantur, & transeant in regnum redemptoris sui, frustrata potestate captiuatoris sui, & data potestate qua fiant ex filiis huius seculi filij Dei.

Exorcismus in paruulis.

CAPVT XXI. *Ex bonis coniugij non esse ortum peccatum.*

IAM nunc si quodammodo interrogemus bona illa nuptialia, vnde ab eis potuerit peccatum in paruulos propagari; respondebit nobis operatio propagãdæ prolis. Ego in paradiso magis felix essem, si peccatum non fuisset admissum. Ad me namque pertinet illa benedictio Dei, Crescite & multiplicamini. Ad hoc opus bonum diuersi sexus diuersa membra sunt condita, quæ quidem ante peccatum iam erant, sed pudẽda non erant. Respondebit pudicitiæ fides, Si peccatum nõ fuisset, quid me in paradiso securius esse potuisset, vbi nec stimularet mea, nec alterius mẽ libido tentaret. Respondebit etiam connubij sacramentũ, De me

Genes. 1.

ante peccatum dictum est in paradiso, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erũt duo in carne vna. Quod magnum sacramentum dicit Apostolus in Christo & in Ecclesia. Quod ergo est in Christo & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris atq; vxoribus minimum, sed tamen coniunctionis inseparabilis sacramentum. Quid horũ est in nuptiis vnde peccati vinculum transiret in posteros? Nempe nihil. Et certè his tribus bonis perfectè se haberet bonitas nuptiarum, quibus bonis etiam nunc bonæ sunt nuptiæ.

Genes. 2.

Ephes. 5.

CAPVT XXII. *Libido & pudor ex peccati.*

PORRÒ autem si interrogetur illa carnis concupiscentia, qua pudẽda facta sunt quæ prius pudenda non fuerant, nónne respondebit se in mẽbris hominis esse post peccatum cœpisse? Et ideo legem peccati verbis Apostolicis nuncupatam, quòd hominem sibi subditum fecerit, quia Deo suo subditus esse noluit: seque esse de qua & primi coniugati tunc erubuerũt; quãdo pudenda texerũt, & nunc omnes erubescunt, quãdo ad concumbendum secreta conquirunt, neq; huius operis testes audent habere vel filios, quos inde genuerunt. Cui verecundiæ naturali Cynicorum error philosophorum mirabili impudentia reluctatus est, quandoquidem hoc quoniam licitũ esset honestumq; cum coniuge palàm faciendum esse censebant. Vnde meritò immunditia huius impudentiæ caninum nomen accepit. Ex hoc quippe Cynici nuncupati sunt.

Lex peccati, quid?

Impudentia Cynicorum.

CAPVT XXIII.

HÆC omnino concupiscentia, hæc lex peccati habitans in membris, cui lex iustitiæ vetat obedire, dicẽte Apostolo, Non ergo regnet peccatũ in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius, neq; exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Hæc, inquam, concupiscentia, quæ solo sacramẽto regenerationis expiatur, profectò peccati vinculum generatione traijcit in posteros; & nisi ab illo & ipsi regeneratione soluantur. (Nam ipsa quidem concupiscentia iam nõ est peccatũ in regeneratis, quando illi ad illicita opera nõ consentitur, atq; vt ea perpetrent, à regina mẽte mẽbra non dãtur: vt si non fit quod scriptũ est, Non concupiscas; fiat saltem quod alibi legitur, Post concupiscentias tuas non eas. Sed modo quodam loquẽdi peccatum vocatur, quòd & peccato facta est, & peccatũ si vicerit, facit) reatus eius valet in generato. Quem reatum Christi gratia per remissionẽ omnium peccatorum in regenerato, si ad mala opera ei quodãmodo iubenti non obediat, valere nõ sinit. Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cùm iam in regeneratis non sit ipsa peccatum; sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; & manus vocatur scriptura, quã facit manus. Itemq; sic vocatur peccatum, quia peccatum si vincit facit; sicut vocatur frigus pigrũ, non quòd à pigris fiat, sed quòd pigros faciat. Hoc generi humano inflictum vulnus à diabolo, quicquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo tanquam de suo frutice fructum iure decerpat: non quòd ab illo sit natura humana, quæ nõ est nisi ex Deo, sed vitium quod non est ex Deo. Non enim propter seipsam quæ laudabilis est, quia opus Dei est; sed propter damnabile vitium quo vitiata est, natura humana damnatur. Et propter quod damnatur, propter hoc & damnabili diabolo subiugatur; quia & ipse diabolus spiritus immundus est, & vtique bonum quod spiritus, malum quod immundus; quoniam spiritus est natura, immundus est vitio. Quorum duorum illud à Deo est, hoc ab ipso. Non itaque tenet homines siue maioris, siue infantilis ætatis, propter quod homines sunt, sed propter quod immundi sunt. Qui ergo miratur quia creatura Dei subditur diabolo, non miretur: subditur enim creatura Dei creaturæ Dei, minor maiori, quia homo angelo; nec tamen propter naturam, sed propter vitium, quia immundus immundo. Hic est fructus

Concupiscentia in regeneratis quando ei non prebetur consensus, non est peccatum.

Exodi 20.

Eccles. 18.

Peccatum quo sensu hæc concupiscentia vocetur.

Similia.

Diabolus grauius quam homines punientur.

ctus eius ex antiqua immunditiæ stirpe, quam plantauit in homine, maiores quidem pœnas vltimo iudicio, quanto est immundior ipse passurus: veruntamen & quibus in illa damnatione tolerãbilius erit, huic sunt subditi velut principi authoriq̃ peccati, quia nulla erit damnationis causa, nisi peccãtum.

CAPVT XXIIII. *Tradux libidinis.*

Heb. 13.

QVAPROPTER natos non ex bono quo bonæ sunt nuptię, sed ex malo cõcupiscentiæ, quo bene quidem vtuntur nuptiæ, de quo tamen erubescunt & nuptiæ; reos diabolus paruulos tenet. Quia cùm sint ipsę honorabiles in omnibus ad eas propriè pertinentibus bonis, etiam si thorũ habeant immaculatũ, non solùm à fornicationibus & adulteriis, quæ sunt flagitia damnabilia, verumetiam ab illis excessibus concumbendi, qui non fiunt causa prolis voluntate dominante; sed causa voluptatis vincente libidine, quæ sunt in coniugibus peccata venialia: tamen cũ ventum fuerit ad opus generandi, ipse ille licitus honestusq̃ concubitus, non potest esse sine ardore libidinis, vt peragi possit quod rationis est, non libidinis. Qui certe ardor siue sequatur, siue præueniat voluntatẽ, non tamen nisi ipse quodam quasi suo imperio mouet mẽbra, quæ moueri voluntate non possunt: atque ita se indicat non imperantis famulum, sed inobedientis supplicium voluntatis; nec libero arbitrio, sed illecebroso aliquo stimulo commouendum, & ideo pudendum. Ex hac cõcupiscentia carnis, quæ licet in regeneratis iam nõ deputetur in peccatum, tamen naturæ nõ accidit nisi de peccato: ex hac, inquam, concupiscentia carnis tanquã filia peccati, & quando illi ad turpia consentitur, etiam peccatorũ matre multorum; quæcunq; nascitur proles, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia virgo concepit: propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus.

Concupiscentia carnis non est in regeneratis in consentientibus peccatum.

CAPVT XXV. *Qãto remissis per baptismum peccatis omnibus, adhuc remanent in fidelibus earum cõcupiscentiæ.*

SI autẽ quæritur, quomodo ista concupiscẽtia carnis maneat in regenerato, in quo vniuersorũ facta est remissio peccatorũ, quandoquidẽ per ipsam seminatur, & cum ipsa carnalis gignitur proles parentis etiam baptizati; aut certè si in parẽte baptizato potest & esse & peccatum non esse, cur eadem ipsa in prole peccatũ sit, ad hæc respondetur, dimitti concupiscentiã carnis in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur. Quamuis autẽ reatu suo iam soluto, manet tamẽ donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiẽte renouatione interioris hominis de die in diem, cùm exterior induerit incorruptionem: non enim substantialiter manet sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam malæ qualitatis sicut languor. Non ergo aliquid remanet quod non remittatur, cùm sit, sicut scriptum est, Propitius Dominus omnibus iniquitatibus nostris: sed donec fiat & quod sequitur, Qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuã; manet in corpore mortis huius carnalis concupiscentia. Cuius vitiosis desideriis ad illicita perpetranda nõ obedire præcipimur, ne regnet peccatum in nostro mortali corpore: quæ tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus accedente autem senectute multo maximè. Qui verò ei nequiter seruiunt, tantas in eis vires accipit, vt plerunq; iam ętate deficientibus membris, eisdemq; partibus corporis ad illud opus iam moueri minus valentibus, turpius & procacius insanire non desinat.

Concupiscentia remanet post baptismum, velut languor post sanatum morbum. Psal. 102.

Concupiscentia in proficientibus magis magis minuitur.

CAPVT XXVI. *Peccati reatus.*

IN eis ergo qui regenerãtur in Christo, cũ remissionem accipiunt prorsus omniũ peccatorũ, vtiq; necesse est, vt reatus etiam huius licet adhuc manentis cõcupiscentiæ remittatur, vt in peccatum, sicut dixi, nõ imputetur. Nam sicut eorum peccatorum quæ manere non possunt, quoniam cùm fiũt, prætereunt, reatus tamẽ manet, & nisi remittatur, in æternũ manebit; sic illius concupiscẽtiæ quãdo remittitur, reatus aufertur.

Peccatum non habere; quid?

Hoc est enim, nõ habere peccatũ, reum non esse peccati. Nam si quisquã, verbi gratia, fecerit adulterium, etiã si nunquam deinceps faciat, reus est adulterij, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamuis illud quod amisit iam nõ sit, quia cum tempore quo factum est, præteriit. Nam si à peccando desistere, hoc esset non habere peccatũ, sufficeret vt hoc nos moneret scriptura, Fili peccasti, Nõ adijcias iterum: Non autẽ sufficit, sed addidit, Et de pristinis deprecare, vt tibi remittantur. Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt; nisi quia præterierunt actu, manent reatu?

Ecclesi. 21.

Duobus modis manent & præterierunt peccata actu, & reatu.

CAPVT XXVII.

SIC itaque fieri econtrario potest, vt etiã illud maneat actu, prætereat reatu. Agit enim aliquid concupiscentia carnis, & quando non exhibetur ei vel cordis assensus, vbi regnet; vel mẽbra velut arma quibus impleatur quod iubet: agit autẽ, quid? nisi ipsa desideria mala & turpia? Non enim si bona & licita essent, eis obedire prohiberet Apostolus, dicẽs, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis eius. Non enim ait, ad habenda desideria eius: sed, ad obediendum desideriis eius: vt quoniam sunt in aliis maiora, in aliis minora, prout quisque in hominis interioris nouitate profecerit, in hoc agonem iustitiæ pudicitiæq; seruemus, ne illis obediamus: Vt tamẽ nec ipsa sint desideria, velle debemus, etiam si in corpore mortis huius id obtinere non possumus. Hinc enim & alio loco idem Apostolus loquẽs velut ex suæ personæ introductione nos instruit, dicens: Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio: id est, concupisco: quia & hoc nollet facere, vt esset omni ex parte perfectus. Si autẽ quod nolo, inquit, hoc facio, consentio legi quoniam bona est, quia hoc & illa nõ vult quod & ego nolo. Non vult enim vt concupiscam, quæ dicit, Non concupisces: & ego nolo concupiscere. In hoc itaque consentiunt, voluntas legis, & mea. Verùm quia concupiscere nolebat, & tamen cõcupiscebat, sed eidem concupiscentiæ nequaquã consentiendo seruiebat, adiũxit atq; ait, Nunc autẽ iam non ego operor illud, sed id quod inhabitat in me peccatũ.

Rom. 6.

Rom. 7.

Exodi 20.

CAPVT XXVIII.

MVLTVM autem fallitur homo qui consentiens concupiscentiæ carnis suæ, & quod illa desiderat decernens facere & statuens, putat sibi adhuc esse dicendum, non ego operor illud, etiam si oderit, quia consentit. Simul enim est vtrunque, & ipse odit, quia malum esse nouit; & ipse facit, quia facere statuit. Iam verò si & illud addat quod scriptura prohibet, dicens, Neque exhibueritis membra vestra arma iniquitatis peccato; vt quod facere statuit in corde, etiam corpore compleat, & ideo dicat, Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: quia cùm id decernit, & facit, displicet sibi: tantum errat, vt nec seipsum agnoscat; quando cùm ex toto ipse sic & corde statuente & corpore implente, adhuc seipsum esse non putat.

CAPVT XXIX.

QVI ergo dicit, Iam nõ ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: si tantummodo concupiscit, verum dicit; non si cordis consensione decernit, aut etiam corporis ministerio perficit. Deinde adiungit Apostolus, Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum: velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio: hoc ideo dictum est, quia tunc perficitur bonũ, quando desideria mala nulla sunt, sicut tunc perficitur malum, quando malis desideriis obeditur. Quando autem sunt desideria, sed non eis obeditur; nec malum perficitur, quia non eis obeditur, nec bonum, quia sunt: sed fit ex aliqua parte bonum, quia concupiscentiæ malæ non consentitur; & ex aliqua parte remanet malum, quia vel concupiscitur: ideo ergo Apostolus non ait facere bonum sibi non adiacere, sed perficere.

Bonum quando perficitur.

Multum

Multũ enim boni facit, qui facit quod ſcriptũ eſt. Poſt concupiſcẽtias tuas nõ eas: ſed non perficit, quia non implet quod ſcriptũ eſt, Non cõcupiſcas. Ad hoc ergo dixit lex, Non cõcupiſces: vt nos in hoc morbo iacere inuenientes, medicinam gratiæ quæreremus; & in eo præcepto ſciremus, & quo debeamus in hac mortalitate proficiẽdo conari, & quò poſſit à nobis in illa immortalitate beatiſſima perueniri: niſi enim quandoq, perficiendum eſſet, nunquam iubendum eſſet.

Eccleſ. 18. Exod. 20. Vſus legis, Non concupiſcas.

CAPVT XXX. Rom. 7.

DEINDE repetẽs Apoſtolus vt amplius commendet ſententiam ſuperiorem: Non enim quod volo, inquit, facio bonum, ſed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo ego hoc facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Et ſequitur, Inuenio ergo legem mihi volenti facere bonum, quoniam malum mihi adiacet; hoc eſt, inuenio mihi legem eſſe bonum volẽti facere quod lex vult: quoniam non ipſi legi quæ dicit, Non concupiſces, ſed mihi adiacet malum quod nolo, quia & nolens concupiſco. Condelector enim, inquit, legi Dei ſecũdum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ, & captiuantẽ me ſub lege peccati, quæ eſt in membris meis. Iſta condelectatio legi Dei ſecundum interiorem hominem, de magna nobis venit gratia Dei. In ea quippe interior homo noſter renouatur de die in diem, cùm in ea proficit perſeueranter. Non enim timor eſt torquens, ſed amor libens. Ibi ſumus veraciter liberi, vbi non delectamur inuiti. Verùm illud quod ait, Video autẽ aliam legem in membris meis repugnantẽ legi mentis meæ: ipſa iſta eſt de qua loquimur concupiſcentia, lex peccati in carne peccati. Quod autem dixit, & captiuantem me ſub lege peccati: hoc eſt, ſub ſeipſa quæ eſt in membris meis. Aut captiuantem dixit, captiuare conantem, id eſt, ad conſentiendum implendumque cogentem, aut potius, quod non habet controuerſiam, captiuantem ſecundum carnẽ, quam niſi teneret carnalis concupiſcentia, quam legem peccati vocat, non vtique in ea vllum illicitum deſiderium, cui mens obedire non debeat, commoueret. Quod autem nõ ait, captiuantem carnem meam: ſed, captiuantem me: hinc factum eſt, vt ſenſus hic alius quæreretur: & acciperemus captiuantem velut dixiſſet, captiuare conantem. Sed cur non diceret, captiuantem me, vbi vellet intelligi carnem ſuam? an non dictum eſt de Domino Ieſu, cùm in monumento non fuiſſet inuenta caro eius, Tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum? Num ideo non rectè dictum eſt, quia non dictum eſt, carnem vel corpus Domini mei, ſed Dominum meum?

al. torpẽs

Lex peccati Apoſtolo quid.

Ioan. 20.

CAPVT XXXI.

QVANQVAM paulo ſuperius, & ipſe apoſtolus Paulus quomodo rectè potuerit de carne ſua dicere, captiuantem me, ſatis euidenter aperuit. Cùm enim dixiſſet, Scio enim quia nõ habitat in me, idipſum exponens adiunxit, & ait, hoc eſt in carne mea bonum: hæc ergo captiuatur ſub lege peccati, in qua non habitat bonum, hoc eſt, caro. Carnẽ autem nunc appellauit, vbi eſt morbidus quidam carnis affectus, non ipſam corporis conformationẽ, cuius mẽbra non adhibẽda ſunt arma peccato, id eſt, eidem ipſi cõcupiſcentiæ, quæ hoc carnale noſtrum captiuum tenet. Nam quantum attinet ad ipſam corporalem ſubſtantiã atq; naturam in viris fidelibus, ſiue coniugatis, ſiue continentibus, iam templum Dei eſt: attamẽ ſi omnino nihil carnis noſtræ captiuum teneretur, non quidem ſub diabolo, quia & ibi facta eſt peccati remiſſio, vt peccatum non imputetur, quod propriè lex peccati vocatur; tamen ſub ipſa lege peccati, hoc eſt, ſub concupiſcentia ſua: niſi aliquantum teneretur caro noſtra captiua, quomodo eſſet verum quod ait idẽ Apoſtolus, Adoptionem expectãtes, redemptionem corporis noſtri? In tantum igitur adhuc expectatur redẽptio corporis noſtri, in quantum adhuc ex aliqua parte captiuum eſt ſub lege peccati. Vnde & hic exclamans ait, Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Vbi quid intellecturi ſumus, niſi quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam? Cùm ergo id ipſum corpus iam incorruptibile recipietur, plena erit liberatio à corpore mortis huius, à quo non liberantur qui ſunt ad pœnam reſurrecturi. Ad corpus ergo mortis huius intelligitur pertinere, vt alia lex in membris repugnet quidem legi mentis, dum caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, etſi mentem non ſubiuget, quia & ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem: atque ita quamuis lex ipſa peccati captiuum teneat aliquid carnis, vnde reſiſtat legi mentis; non tamen regnat in noſtro licet mortali corpore, ſi non obeditur deſideriis eius. Solent enim & hoſtes aduerſus quos dimicatur, & inferiores eſſe in certamine, & victi aliquid tenere captiuum: quod in noſtra carne quamuis ſub peccati lege teneatur, tamen in ſpe redemptionis eſt, quia ipſa vitioſa concupiſcẽtia nulla omnino remanebit, caro autem noſtra ab ea peſte morboque ſanata, & toto immortalitate veſtita, in æterna beatitudine permanebit. Subiungit autem Apoſtolus & dicit, Igitur ego ipſe mẽte ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Quod ſic intelligendum eſt, mente ſeruio legi Dei, non conſentiendo legi peccati, carne autem ſeruio legi peccati, habendo deſideria peccati, quibus & ſi non conſentio, nondum tamen penitùs careo. Denique quid poſt hæc intulerit, attendamus: Nulla ergo, inquit, condemnatio eſt nunc his, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Etiam nunc, inquit, quando lex in membris repugnat legi mentis, & captiuum aliquid tenet in corpore mortis huius, nulla condemnatio eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu. Audi quare, Lex enim ſpiritus vitæ, inquit, in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. Liberauit, quomodo? niſi quia eius reatum peccatorum omnium remiſſione diſſoluit; vt quamuis adhuc maneat, & de die in diem, magis magisque minuatur, in peccatum tamen non imputetur.

Rom. 7.

Rom. 8.

CAPVT XXXII.

HÆC itaque remiſſio peccatorum quãdiu non fit in prole, ſic ibi eſt lex iſta peccati, vt etiã in peccatum imputetur, id eſt, vt etiam reatus eius cum illa ſit, qui eum teneat æterni ſupplicij debitorem. Hoc enim traijcit parens in prolem carnalẽ, quod & ipſe carnaliter natus, non quod ſpiritaliter eſt renatus: quia idipſum quod carnaliter natus eſt, quamuis reatu ſoluto non impediat fructum eius, tamen tanquam in ſemine oliuę latet, etiam ſi propter remiſſionem peccatorum nihil oleo nocet: ei ſcilicet vitæ, qua ſecundũ Chriſtum, qui eſt appellatus ab oleo, id eſt, chriſmate, iuſtus ex fide viuit. Hoc autem quod in parente regenerato tãquam in oleæ ſemine ſine vllo reatu, quia remiſſum eſt, tegitur, profectò in prole nondum regenerata velut in oleaſtro cũ reatu habetur, donec illic etiam eadem gratia remittatur. Ex quo enim Adam ex olea tali in qua nec ſemen erat huiuſmodi, vnde amaritudo naſceretur oleaſtri, in oleaſtrum peccando conuerſus eſt, quia tam magnum peccatũ fuit vbi magna in deterius fieret muratio naturæ; totum genus humanum fecit oleaſtrum: ita vt (quemadmodum nunc in ipſis videmus arboribus) ſi quid inde in oleam gratia diuina conuertit, ibi vitium primæ natiuitatis, quod erat originale peccatum de carnali concupiſcentia traductum & attractum remittatur, tegatur, non imputetur: vnde tamen oleaſter naſcatur, niſi & ipſe in oleam eadem gratia renaſcatur.

CAPVT XXXII.

BEATA itaq; olea cuius remiſſę ſunt iniquitates, & cuius tecta ſunt peccata. Beata cui non imputauit Dominus peccatum: ſed illud quod remiſſum & tectum eſt & non imputatur, donec fiat in æternam immortalitatem plena mutatio, habet vim quandam occultam, vnde ſeminetur amarus oleaſter, niſi & illic eadẽ Dei agricultura remittatur, tegatur, non imputetur. Non erit autem omnino aliquid vel in carnali ſemine vitioſum, cum eadem regeneratione quæ nunc fit per ſacrum lauacrum, vſque in finem cuncta mala hominis purgante atq; ſanante eadẽ caro per quam facta eſt anima carnalis, fiat etiam ipſa ſpiritalis, nullam legi mentis reſiſtentẽ concupiſcentiam carnis habitura, nihil carnalis ſeminis emiſſura. Sic enim accipiendum eſt quod ait idem Apoſtolus: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ſibi ipſe glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiuſmodi. Sic, inquam, accipiendum eſt, vt eodem lauacro regenerationis & verbo ſanctificationis omnia prorſus mala hominum regeneratorũ mundentur atq; ſanentur; non ſolũ peccata, quæ omnia nunc remittuntur in baptiſmo, ſed etiam quæ poſterius humana ignorãtia vel infirmitate contrahuntur: non vt baptiſma quotiens peccatur totiens repetatur; ſed quia ipſo quod ſemel datur, fit, vt non ſolũ, antea, verũ etiam poſtea quorũlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodeſſet vel ante baptiſmũ pœnitentia niſi baptiſmus ſequeretur; vel poſtea, niſi præcederet? In ipſa quoq; Dominica oratione, quæ quotidiana eſt noſtra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur: Dimitte nobis debita noſtra: niſi ab eis qui baptizati ſunt, diceretur? Itemque eleemoſynarũ largitas & beneficentia quantalibet cuitandem ad dimittenda ſua peccata prodeſſet, ſi baptizatus non eſſet? Poſtremò regni cęlorum ipſa felicitas, vbi non habebit Eccleſia maculam aut rugam, aut aliquid eiuſmodi, vbi nihil reprehenſionis, nihil ſimulationis erit, vbi non ſolùm reatus, ſed nec concupiſcentia erit vlla peccati, quorum erit, niſi baptizatorum?

Ephe. 5.

Baptiſmi beneficio omnia quæ poſtea per alia præſtatur remedia, peccatorũ remiſſio, plenaq; in reſurrectione ſanatio, & ab omnibus malis liberatio, accepta referri debet. Conſule ſcholia.

Matth. 6.

CAPVT XXXIIII. Baptiſmus nõ ſolùm peccata omnia, ſed mala prorſus omnia tollit; non tamen ſtatim, ſed ſuo tempore. Ephe. 5. Eccleſia nondum caret omni macula.

AC per hoc non ſolùm omnia peccata, ſed omnia prorſus hominum mala, Chriſtiani lauacri ſanctitate tolluntur, quo mũdat eccleſiam ſuam Chriſtus, vt exhibeat eam ſibi; non in iſto ſeculo, ſed in futuro nõ habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiuſmodi. Nam qui modo eam talẽ eſſe dicunt, & tamen in illa ſunt, quoniam & ipſi fatentur ſe habere peccata; ſi verũ dicunt, profectò quoniam mundi non ſunt à peccatis, habet in eis Eccleſia maculam. Si autem falſum dicunt, quia corde duplici loquuntur, habet in eis Eccleſia rugam. Si autem ſe dicunt habere iſta, nõ ipſam, ergo ſe non eſſe mẽbra eius, nec ſe ad corpus eius pertinere fateantur, vt etiam ſua confeſſione damnentur.

CAPVT XXXV.

DE hac autem concupiſcentia carnis quam curauimus à nuptialibus bonis tam prolixa diſputatione diſtinguere, propter nouos hæreticos qui cùm hæc reprehenditur calumniantur, quaſi nuptiæ reprehẽdantur: vt ſcilicet eam tãquam bonum naturale laudando, ſuum peſtiferum dogma confirment, quo aſſerunt prolem quę per illam naſcitur, nullum trahere originale peccatum. De hac ergo carnis concupiſcẽtia, beatus Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus, cuius ſacerdotali miniſterio lauacrum regenerationis accepi, ſic breuiter eſt locutus, cùm exponẽs Eſaiam prophetam, carnalem Chriſti natiuitatem inſinuaret. *Ideo*, inquit, *& quaſi homo per vniuerſa tentatus eſt, & in ſimilitudine hominum cuncta ſuſtinuit, ſed quaſi de ſpiritu natus, abſtinuit à peccato: Omnis enim homo mendax, & nemo ſine peccato niſi vnus Deus. Seruatum eſt igitur vt ex viro & muliere, id eſt, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers delicti eſſe. Qui autem expers delicti, expers eſt etiam huiuſmodi conceptionis.* Nunquidnam & ſanctus Ambroſius nuptiarum bonitatem, ac non potius iſtorum hæreticorum quamuis tunc nondum apparentium vanitatẽ, huius ſentẽtiæ veritate damnauit? Quod ideo commemorandum putaui, quia Pelagius ſic laudat Ambroſium, vt dicat: *Beatus Ambroſius epiſcopus, in cuius præcipuè libris Romana elucet fides: qui ſcriptorum inter Latinos flos quidam ſpecioſus enituit: cuius fidem & puriſſimum in ſcripturis ſenſum ne inimicus quidem auſus eſt reprehendere.* Pœniteat ergo eum quod ſenſit aduerſus Ambroſium, ne pœniteat eum quod ſic laudauit Ambroſium. Habes librũ & moleſtia longitudinis, & difficultate quæſtionis, quàm mihi fuit ad dictandum, tam tibi ad legẽdum negotioſum, quibus particulis tẽporum te inuenire potuit aut potuerit otioſum. Quem profectò quantum me Dominus adiuuare dignatus eſt, elaboratum inter eccleſiaſticas curas meas, nõ tibi ingerere inter publicas tuas, niſi ab homine Dei qui te familiarius nouit audiſſem, quòd tam libenter legas, vt etiam nocturnas aliquas horas lectioni vigilanter impendas.

Carnis concupiſcentiã, velut naturale hominis bonũ laudabant Pelagiani. Auguſtinus à B. Ambroſio Mediolani baptizatus. Non extat.

Eſai. 53. Pſal. 31.

Lib. 3. pro libero arbitrio.

B Ambroſius etiam à Pelagio laudatus.

HVIVS LIBRI FINIS.

D. AVRELII AVGVSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, AD VALERIVM COMITEM DE NVPTIIS ET CONCVPISCENTIA, LIBER II.

Apologiam continet capitis I. libri ſuperioris.

CAP. I.

INTER militię tuę curas & illuſtris perſonæ quam pro meritis geſtas, actusque Reipubl. neceſſarios, fili dilectiſſime & honorande Valeri, tanto ſtudio te aduerſus hæreticos in eloquia diuina flagrare ſatis dici non poteſt quanta mentis iocunditate delecter. Itaque poſteaquàm legi literas ſublimitatis tuæ, quibus de libro quem ad te ſcripſi gratias agis, ſed & admones vt per fratrem & coepiſcopum meum Alipium audiam, quid de quibuſdam locis eiuſdẽ libri hæretici diſputationis aſſumant; ad hoc ſcribendum excitatus ſum. Et quia non tantum relatu memorati fratris mei id didici, verumetiam prolatas ab eo chartulas legi, quas poſt eius de Rauenna profectionẽ Romam mittere ipſe curaſti: vbi aduerſariorum potui vaniloquia reperire, ad ea reſpondere adiuuante Domino quãta poſſum veritate & ſcripturarum diuinarum authoritate propoſui.

CAPVT II. Quæ hoc libro Auguſtinus refutat, decerpta fuerunt à quopiam ex primo libro quatuor Iuliani Pelagiani, quos ſcripſit contra ſuperiorem Auguſtini librum de nuptiis & concupiſcentia. Vide lib. 1. contra duas epiſt. Pelagia. cap. 5. Id fecit poſteà conſcriptis aduerſus Iulianum lib. 6. Verba Auguſtini ex lib. 1. de nuptiis & concu. cap. 1. quæ à calumniis è Iuliani libris excerptis ſequenti opere vt indicantur expugnanda ſuſcepit.

CHARTVLA cui nunc reſpondeo hoc titulo prænotatur. *Capitula de libro Auguſtini quem ſcripſit, contra quæ de libris pauca decerpſi.* Hic video eum qui tuæ præſtantiæ iſta ſcripta direxit, de neſcio quibus ea libris, cauſa quãtum exiſtimo celerioris reſponſionis, ne tuã differret inſtantiam, voluiſſe decerpere. Qui autẽ ſint iſti libri cùm cogitarẽ, eos eſſe arbitratus ſum, quorũ mentionem Iulianus facit in epiſtola quam Romam miſit, cuius exemplum ſimul ad me vſq; peruenit. Ibi quippe ait: *Dicunt etiam iſtas quæ modo aguntur, nuptias à Deo inſtitutas non fuiſſe, quod in libro Auguſtini legitur, cõtra quem ego modo quatuor libellis reſpondi.* Credo ex his libellis iſta decerpta ſunt: vnde melius fortaſſe fuerat vt vniuerſo ipſi operi eĭ quod quatuor voluminibus explicuit, redarguendo & refellẽdo noſtra laboraret intẽtio; niſi & ego reſpõſionẽ differre noluiſſem; ſicut nec tu tranſmiſſionẽ ſcriptorũ, quibus reſpõdendum eſt, diſtuliſti. Verba ergo de libro meo tibi à me miſſo tibiq; notiſſimo iſta poſuit quę refutare conatus eſt. *Damnatores nos eſſe nuptiarum operiq; diuini, quo ex maribus & feminis Deus homines creat, inuidioſiſſimè clamitãt: quoniam dicimus eos qui de tali commixtione naſcuntur, trahere originale peccatum, eosq; qui de parentibus quali-*

qualibuſcunque naſcantur, non negamus adhuc eſſe ſub diabolo, niſi renaſcantur in Chriſto. In his verbis meis teſtimonium Apoſtoli quod interpoſui prætermiſit, cuius ſe opprimi magna mole ſentiebat. Ego enim cùm diximſſem homines natos trahere originale peccatũ, mox hoc intuli quod Apoſtolus ait: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertrãſiit, in quo omnes peccauerunt: quo teſtimonio, vt diximus, prętermiſſo cętera ille contexuit, quæ ſuprà memorata ſunt. Nouit enim quemadmodum ſoleant hæc verba apoſtolica quæ prætermiſit accipere catholicorum corda fidelium; quæ verba tam recta & tanta luce fulgentia tenebroſis & tortuoſis interpretationibus noui hæretici obſcurare & deprauare moliuntur. Deinde alia verba mea ſubtexuit, vbi dixi: *Nec aduertunt quòd ita nuptiarũ bonum malo originali, quod inde trahitur, non poteſt accuſari, ſicut adulteriorum & fornicationum malum bono naturali quod inde naſcitur, non poteſt excuſari. Nam ſicut peccatum ſiue hinc ſiue inde trahatur, opus eſt diaboli, ſic homo ſiue hinc ſiue inde naſcatur opus eſt Dei.* Etiã hic ea prætermiſit, in quibus autes catholicas timuit. Nam vt ad hæc verba veniretur, ſuprà dictum erat à nobis: *Hoc ergo quia dicimus quod antiquiſſima atque firmiſſima catholicæ fidei regula continetur, iſti nouelli & peruerſi dogmatis aſſertores, qui nihil peccati eſſe in paruulis dicunt, quod lauacro regenerationis abluatur, tanquam damnemus nuptias & tanquam opus Dei, hoc eſt, hominem, qui ex illis naſcitur opus diaboli eſſe dicamus, infideliter vel imperitè calumniantur.* His ergo noſtris prætermiſſis, ſequũtur illa noſtra quæ poſuit, ſicut ſuprà dictum eſt. In his itaque quæ prætermiſit hoc timuit, quia cuncta eccleſiæ catholicæ pectora conuenit, fidemque ipſam antiquitus traditam atque fundatam, clara quodammodo voce compellat, & aduerſus eos vehementiſſimè permouet quod diximus, *quia nihil peccati eſſe in paruulis dicunt, quod lauacro regenerationis abluatur.* Omnes enim ad eccleſiam nõ propter aliud cum paruulis currunt, niſi vt in eis originale peccatum generatione primæ natiuitatis attractum, regeneratione ſecundæ natiuitatis expietur. Deinde ad noſtra ſuperiora verba reuertitur, quæ neſcio cur repetat. *Eos autem qui de tali commixtione naſcuntur, dicimus trahere originale peccatum; eosq; de parentibus quibuſcunque naſcantur, non negamus adhuc eſſe ſub diabolo, niſi renaſcantur in Chriſto.* Hæc verba noſtra, & paulo antè iam dixerat. Deinde ſubiungit, quod de Chriſto diximus, *qui de eadem ſexus vtriuſque commixtione naſci noluit.* Sed etiam hic prætermiſit quod ego poſui, *vt per eius gratiam de poteſtate tenebrarum eruti, in regnum illius, qui ex eadem ſexus vtriuſque commixtione naſci noluit, tranſferantur.* Vide obſecro te, quæ noſtra verba vitauit tanquam inimicus omnino gratiæ Dei, quæ venit per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum. Scit enim ab illa Apoſtoli ſententia, qua dixit de Deo patre: Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij charitatis ſuæ; improbiſſimè & impiiſſimè paruulos ſeparari, ideo proculdubiò verba iſta prætermittere quàm ponere maluit. Poſthæc illud noſtrum poſuit, vbi diximus: *Hæc enim quæ ab impudentibus impudenter laudatur pudenda concupiſcentia, nulla eſſet, niſi homo antè peccaſſet; nuptiæ verò eſſent, etiam ſi nemo peccaſſet: fieret quippe ſine iſto morbo ſeminatio filiorum.* Hucuſque verba mea ille poſuit. Timuit enim quod adiunxi, *in corpore vitæ illius, ſine quo nunc fieri non poteſt in corpore mortis huius.* Et hic vt meam ſententiam non finiret, ſed eam quodammodo detruncaret, illud Apoſtoli teſtimonium formidauit, vbi ait: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Non enim erat corpus mortis huius in paradiſo ante peccatum, propter quod diximus in corpore vitæ illius, quæ ibi erat, ſine iſto morbo ſeminationem fieri potuiſſe filiorum, ſine quo nunc in corpore mortis huius fieri non poteſt. Vt autem ad iſtam commemorationem humanæ miſeriæ & diuinæ gratiæ veniret Apoſtolus, ſuprà dixerat: Video aliam legem in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Poſt hæc autem verba exclamauit: Miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum. In corpore igitur mortis huius, quale in paradiſo ante peccatum fuit, profectò non erat alia lex in membris noſtris repugnans legi mentis noſtræ: quia & quando nolumus, & quando non conſentimus, nec ei membra noſtra vt impleat quod appetit, exhibemus, habitat tamen in eis, & mentem reſiſtentem repugnantemque ſolicitat: vt ipſe conflictus etiamſi non ſit damnabilis, quia non perficit iniquitatẽ, ſit tamen miſerabilis, quia non habet pacem. Satis igitur admonuerim, ſic iſtum verba mea velut refellenda ſibi proponere voluiſſe, vt alicubi mediis detractis, ſententias interrumperet; alicubi extremis non additis decurtaret; & cur hoc fecerit, ſufficienter oſtenderim.

Rom. 5. Ibidem. Colo ſſ. 1. Rom. 7.

Hæ ſunt hæreticorum artes: fraudeſq;.

CAPVT III. *Reſpondet verbis quibuſdam decerptis ex libro tuiſdem præfatione.*

NVNC ad ea quæ ſicut voluit, noſtra propoſuit; quæ ſua oppoſuerit, videamus. Sequuntur enim iam verba eius; & ſicut iſte inſinuauit, qui tibi chartulam miſit, prius aliquid de præfatione conſcripſit, proculdubio librorum illorum, de quibus pauca decerpſit. Id autem ita ſeſe habet: *Doctores*, inquit, *noſtri temporis frater beatiſſime, & nefariæ quæ adhuc feruet ſeditionis authores, ad hominum quorum ſanctis ſtudiis vrũtur, contumelias & exitium decreuerunt per ruinam totius eccleſiæ peruenire; non intelligentes quantum his contulerint honoris, quorum oſtenderunt gloriam niſi cum catholica religione non potuiſſe conuelli. Nam ſi quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit, Celeſtianus & Pelagianus vocatur. Ne igitur vocentur hæretici, ſiunt Manichæi; & dum falſum verentur infamiam, verum crimen incurrunt inſtar ferarum, quæ circũdantur pinnis, vt cogantur in retia. Quibus quoniam deeſt ratio, in verum exitium vana formidine cõtruduntur.* Non eſt ita vt loqueris, quicunque iſta dixiſti, non eſt ita, multum falleris, vel fallere meditaris, non liberum negamus arbitrium: ſed, Si vos filius liberauerit, ait Veritas, tunc verè liberi eritis. Hunc vos inuidetis liberatorem, quibus captiuis vanam tribuitis libertatem. A quo enim quis deuictus eſt, ſicut dicit ſcriptura, huic ſeruus addictus eſt: nec quiſquam niſi per gratiam liberatoris iſto ſoluitur vinculo ſeruitutis à qua eſt hominum nullus immunis. Per vnum quippe hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Sic eſt ergo Deus naſcentium conditor, vt omnes ex vno eant in condemnationem, quorum non fuerit renaſcentium liberator. Ipſe quippe dictus eſt figulus, ex eadem maſſa faciens aliud vas in honorem ſecundum miſericordiam, aliud in contumeliam ſecundum iudicium, cui cantat Eccleſia, Miſericordiam & iudicium. Non itaque ſicut te atque alios fallens loqueris, *Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit, Celeſtianus & Pelagianus vocatur*, iſta quippe catholica fides dicit. Sed ſi quis ad colendum rectè Deum, ſine ipſius adiutorio dicit eſſe in hominibus liberum arbitrium; & quiſquis ita dicit Deum naſcentium conditorem, vt paruulorũ neget à poteſtate diaboli redemptorem; ipſe Celeſtianus & Pelagianus vocatur. Liberum itaque in hominibus eſſe arbitrium, & Deum eſſe naſcentium conditorem, vtrique dicimus, non hinc eſtis Celeſtiani & Pelagiani: liberum autem

Ioan. 8. 2. Pet. 2. Rom. 5. Pſal. 100.

autem quenquam eſſe ad agendum bonum ſine adiutorio Dei; & non erui paruulos à poteſtate tenebrarum, & ſic tranſferri in regnum Dei, hoc vos dicitis; hinc eſtis Celeſtiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, vt operias proprium crimen, vnde vobis inditum eſt nomen: atque vt nefario vocabulo terreas imperitos, dicis, *Ne igitur vocentur hæretici, fiunt Manichæi?* Audi ergo breuiter quid in iſta quæſtione verſetur. Catholici dicũt humanam naturam à creatore Deo bono conditam bonam, ſed peccato vitiatam Chriſto medico indigere. Manichæi dicunt humanam naturam non à Deo conditam bonam peccatoque vitiatam, ſed ab æternarum principe tenebrarum de commixtione duarum naturarum, quæ ſemper fuerunt, vna bona & vna mala, hominem creatum. Pelagiani & Celeſtiani dicunt naturam humanam à bono Deo cõditam bonam, ſed ita eſſe in naſcentibus paruulis ſanam, vt Chriſti non habeant neceſſariam in illa ætate medicinam. Agnoſce igitur in tuo dogmate nomen tuum, & catholicis à quibus confutaris, deſine obijcere & dogma & nomen alienum. Nam veritas vtroſque redarguit, & Manichæos & vos. Manichæis enim dicit: Non legiſtis quia qui ab initio fecit hominem, maſculum & feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrẽ, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Ita quippe oſtendit & hominum cõditorem, & coniugum copulatorem Deum, aduerſus Manichæos, qui vtrunque horum negant. Vobis autem dicit: Venit filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat. Sed vos egregij Chriſtiani reſpondete Chriſto: Si quod perierat quærere & ſaluare veniſti, ad paruulos non veniſti: iſti nec perierant, & ſalui nati ſunt: vade ad maiores, de verbis tuis tibi præſcribimus: Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Ita fit, vt Manichæus qui homini commixtam dicit eſſe naturam malam, velit inde ſaltem ſaluari à Chriſto animam bonam. Tu verò in paruulis cùm ſalui ſint corpore, nihil à Chriſto ſaluandum eſſe contendis. Ac per hoc Manichæus quidem naturam humanam deteſtabiliter vituperat, ſed tu crudeliter laudas. Quicunque enim tibi crediderit laudatori, infantes ſuos non offeret ſaluatori. Tam ſcelerata ſentienti, quid tibi prodeſt non metuere? Quin tibi ſit vt ſalubriter metuas, & te hominem facis eſſe non beſtiam quæ circundatur pinnis vt cogatur in retia? Opus erat vt veritatem teneres, eiusque ſtudio non timeres: nunc verò ita non times, vt ſi timeres, euaderes potius retia maligni, quàm incurreres. Mater catholica ideo te terret, quia & tibi & aliis à te timet, & ſi per filios ſuos in aliqua poteſtate poſitos agit vt timeas, non id agit crudelitate, ſed charitate. Tu autem vir fortiſſimus timere homines ignauum putas; Deum ergo time, & noli antiqua fidei catholicæ fundamenta conari tanta obſtinatione ſubuertere: quanquam iſte tuus animus animoſus vtinam ſaltem in hac cauſa homines timeret, vtinam, inquam, ſaltem paueret ignauia potius, quàm periret audacia.

Oſtendit catholicos originale peccatum aſſerentes, à Manichæis procul abeſſe.

Matth. 19. Luca 19. Matth. 9.

Iam enim excommunicatus erat Celeſtius cum Pelagio: & legem contra eos Honorius imperator tulerat.

CAPVT IIII. *Refutat reliquas ex ordine calumnias.*

VIDEAMVS & cætera quæ connectit. Sed quid faciam, vtrum ſingula eius proponam, quibus reſpondeam: an eis prætermiſſis, quæ catholica fides continet, ea ſola pertractem atque confutem, in quibus à tramite veritatis exorbitat, & hæreſim Pelagianam tanquam venenoſa virgulta, fruticibus catholicis conatur inſerere. Hoc quidem certè breuius eſt, ſed proſpiciendum arbitror, ne quiſquam libro meo lecto, & non lectis omnibus, quæ ab illo dicta ſunt, exiſtimet ea me proponere noluiſſe, ex quibus iſta eius pendent, & ex quibus quaſi conſequenter vera eſſe monſtrantur, quæ falſa redarguo. Non itaque pigeat vtraque huic opuſculo noſtro indita, & ea ſcilicet quę ille dixit, & ea quæ ipſe reſpondeo, vniuerſa attendere & conſiderare lectorem. Quæ ſequuntur ergo, ita prænotauit, qui tuæ dilectioni chartulam miſit. *Contra eos*, inquit, *qui nuptias damnant, & fructus earum diabolo aſſignant.* Non igitur contra nos qui neque nuptias damnamus, quas etiam in ordine ſuo debita prædicatione laudamus: nec earum fructus diabolo aſſignamus; nuptiarum quippe fructus homines ſunt, qui ordinatè inde generantur, non peccata cum quibus naſcuntur. Nec ideo ſunt homines ſub diabolo, quia homines ſunt, vbi ſunt fructus nuptiarum, ſed quia peccatores ſunt, vbi eſt propago vitiorum; Diabolus enim culpæ author eſt, non naturæ. Attende cætera quibus ſe exiſtimat aduerſus nos hoc præmiſſo titulo conſonare. *Deus*, inquit, *qui Adam ex limo fuerat fabricatus, Euam conſtruxit è coſta, & dixit: Hæc vocabitur vita, quoniam mater eſt omnium viuentium.* Non quidem ita ſcriptum eſt; ſed quid ad nos? Solet enim accidere vt memoria fallat in verbis, dum tamen ſententia teneatur in libris: nec enim Euæ nomen vt appellaretur vita, Deus impoſuit, ſed maritus. Sic enim legitur: Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ vita, quoniam ipſa eſt mater omnium viuentium. Sed hoc ita fortaſſis intellexerit, vt Deus per Adam nomen illud Euæ impoſuiſſe credatur, tanquam per Prophetam: Nam in hoc quòd appellata eſt vita materque viuentium, magnum eſt Eccleſiæ ſacramentum, vnde nunc differere longum eſt; & ſuſcepto operi non neceſſarium. Nam & illud quod dixit Apoſtolus, Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia: ipſe Adam dixit: Propter hoc relinquet homo matrem & patrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Quod tamen Dominus in Euangelio Deum dixiſſe commemorat, quia Deus vtique per hominem dixit, quod homo prophetando prædixit. Ergo quæ ſequuntur intuere: *Prima*, inquit, *compellatione cui operi parata eſſet, oſtendit & dixit: Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Quis enim noſtrum negat ad opus pariendi à Domino Deo creatore omnium bonorum bono præparatam fuiſſe mulierem? Adhuc vide quid adiungat: *Deus igitur*, inquit, *maris creator & feminæ conuenientia generationibus membra formauit, & gigni corpora de corporibus ordinauit, quorum tamen efficientia potentia Dei operationis interuenit, omne quod eſt ea adminiſtrans virtute qua condidit.* Etiam hoc eſſe catholicum confitemur. Et quod deinde ſubiungit: *Si igitur*, inquit, *non niſi per ſexum fœtus, non niſi per corpus ſexus, non niſi per Deum corpus, quis ambigat fœcunditatem Deo iure reputari?* Poſt hæc quæ veraciter & catholicè dicta ſunt; imò in diuinis libris veraciter ſcripta, non autem ab iſto catholicè dicta ſunt, quia non intentione catholici pectoris dicta ſunt, iam propter quod ea dixit, Pelagiana & Celeſtiana hæreſis incipit introduci. Namque attende quod ſequitur: *Tu verò*, inquit, *qui dicis eos qui de parentibus qualibuſcunque naſcuntur, non negamus adhuc eſſe ſub diabolo, niſi renaſcantur in Chriſto: oſtende ergo nunc quid ſuum diabolus cognoſcat in ſexibus, per quod fructum eorum, vt dicis, iure poſſideat. Diuerſitatem ſexuum? ſed hæc in corporibus eſt, quæ Deus fecit. Commixtionem? ſed non minus benedictionis quàm inſtitutionis priuilegio vindicatur. Vox enim Dei eſt: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Vox Dei eſt: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. An fortè ipſam fœcunditatem? Sed ipſa eſt inſtituti cauſa coniugij.*

Oſtendit originale peccatum aſſerentes, à Manichæis procul abeſſe. Homo, nuptiarum eſt fructus. Genes. 2. Ephes. 5. Matth. 19. Genes. 1. Genes. 1.

Quod catholica intentione non dicitur, catholicè non dicitur.

CAPVT V. VIDES igitur quemadmodum nos interroget, quid ſuum diabolus cognoſcat in ſexibus, per quod

sub illo sint, qui de parentibus qualibuscunq; nascuntur, nisi renascantur in Christo: vtrum diuersitatẽ sexuum dicamus ad diabolũ pertinere, an commixtionem, an ipsam fœcunditatem. Respondemus itaque, nihil horum: quia & diuersitas sexuum pertinet ad vasa gignentium; & vtriusque commixtio ad seminationem pertinet filiorum; & ipsa fœcũditas ad benedictionem pertinet nuptiarum. Hæc autem omnia ex Deo: sed iste in his omnibus noluit nominare concupiscentiam carnis, quæ non est à patre, sed ex mundo est, cuius mundi princeps dictus est diabolus: qui eam in Domino non inuenit, quia Dominus homo nõ per
Ioan. 14. ipsam ad homines venit: vnde dicit etiam ipse: Ecce venit princeps huius mundi, & in me nihil inueniet: nihil vtique peccati, nec quod à nascente trahitur, nec quod à viuente additur. Hanc iste noluit nominare in his omnibus, quæ commemorauit naturalibus bonis, de qua etiam nuptiæ confunduntur, quæ de his bonis omnibus gloriantur. Nam quare illud opus cõiugatorum subtrahitur & absconditur etiam oculis filiorũ, nisi quia nõ possunt esse in laudanda commixtione, sine pudenda libidine? De hac erubuerunt etiam qui primi pudenda texerunt, quæ prius pudenda non fuerunt, sed tanquam Dei opera prædicanda atque glorianda. Tunc ergo texerunt quando erubuerunt; tunc autem erubuerunt, quando post inobedientiam suam inobedientia membra senserunt. De hac erubuit etiam iste laudator. Commemorauit enim sexuum diuersitatem, commemorauit commixtionem, commemorauit fœcunditatem; illam verò commemorare verecundatus est. Nec mirum si pudet laudantes, quòd videmus ipsos pudere generantes. Sed adiungit, & dicit: *Per quid igitur sub diabolo sunt, quos Deus fecit?* Sibique veluti ex nostra voce respondet: *Per peccatum*, inquit, *non per naturam*. Deinde nostræ responsioni suam referens: *Sed vt non potest*, in-
Rom. 5. quit, *sine sexibus fœtus, ita nec sine voluntate esse delictum*. Ita verò, ita est. Sic enim per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertrãsiit, in quo omnes peccauerunt. Per vnius illius voluntatem malam omnes in eo peccauerunt, quando omnes ille vnus fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt. *Dicis enim*, inquit, *ideo illos esse sub diabolo,*
In Adam peccauit omnes vnus homo fuimus. *quia de sexus vtriusque commixtione nascuntur?* Dico planè propter delictum eos esse sub diabolo: ideo autem expertes non esse delicti, quia de illa commixtione sunt nati, quæ sine pudenda libidine non potest etiam quod honestũ est operari. Dixit hoc etiam beatissimæ memoriæ Ambrosius Ecclesiæ Mediolanensis Episcopus, cùm Christi carnalem natiuitatem ideo diceret expertem esse delicti, quia conceptus eius vtriusque sexus commixtionis est expers: nullum autem hominum esse sine delicto, qui de illa commi-
Ambrosius in Elisiam. xtione conceptus est. Nam eius verba ista sunt: *Ideo*, inquit, *& quasi homo per vniuersa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta sustinuit; sed quasi de spiritu*
Esai. 53. Psal. 125. *natus, abstinuit à peccato. Omnis enim homo mendax, & nemo sine peccato: nisi vnus Deus. Seruatum est igitur*, inquit, *vt ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem, nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers delicti, expers est etiam huiusmodi conceptionis*. Nunquid etiam istum ò Pelagiani & Celestiani audebitis dicere Manichæum quod eum dicebat esse
Ambrosium Ioiniianus hæreticus Manichæum ausus est appellare. Vide epistolam Ambrosij 81. Ioiniianus hæreticus, contra cuius impietatem vir iste sanctus etiam post partum permanentem virginitatem sanctæ Mariæ defendebat? Si ergo illum Manichæum dicere non audetis; nos cùm in eadem causa, eadem sententia fidem catholicam defendamus, cur dicitis Manichæos? Aut si & illum fidelissimum virum hoc secundum Manichæos sapuisse iactatis; iactate, iactate, vt mensuram Ioininiani perfectius impleatis: nos cum illo homine Dei patienter vestra maledicta & conuicia sustinemus: & tamen hæresiarches vester Pelagius fidem & purissimum in scripturis sensum sic laudat Ambrosij, vt dicat ne inimicum quidem eum ausum esse reprehendere. Quò ergo progressi fueritis attẽdite, & vos ab ausibus Ioininiani tãdem aliquando cohibete, quamuis ille nimis laudando nuptias, sanctæ illas virginitati adæquauit; & tamen nuptiarum fructibus ab vtero etiam recentibus Christum Saluatorem, & de potestate diaboli redemptorem non negauit necessarium; quod vos negatis. Et quia vobis pro eorum salute, qui nondum pro se loqui possunt, & pro fidei catholicæ fundamentis resistimus, Manichæos nos esse iactatis. Sed iam sequentia videamus.

CAPVT VI. Rvrsvs quippe interrogans dicit: *Quem igitur paruulorum confiteris authorem? Deum verum?* Respondet, *Deum verum*. Deinde ille subiungit: *Sed*
B *malum ille non fecit*. Ac rursus interrogat, *vtrum diabolum paruulorum confiteamur authorem*. Rursusque respondet, *sed naturam hominis ipse non condidit*. Deinde quasi concludit atque infert: *Si mala commixtio deformis etiam conditio corporum; & ideo corpora quoque malo à te deputantur authori*. Cui respondeo, malo authori non deputo corpora, sed delicta, quorum causa factum est, vt cùm in corporibus, hoc est, in Dei operibus, totum placeret, acciderit tamen masculo & feminæ quod puderet, vt non esset commixtio qualis esse potuit in corpore vitæ illius, sed qualem videmus erubescentes in corpore mortis huius. *Deus verò*, inquit, *diuisit in sexu, quod in operatione coniungeret. Ab ipso igitur commixtio corporum, à quo est origo corporum*. Iam suprà respondimus hæc ex Deo esse; sed non delictum, non mẽbrorum inobedientiam per carnis concupiscentiam, quæ
C non est à patre. Deinde dicit: Tot ergo rerum bonarum, id est, corporum, sexuum, coniunctionum malos fructus esse non posse, nec homines ob hoc à Deo fieri vt à diabolo, sicut dicis, inquit, legitimo iure teneantur. Iam dictum est non eos ideò teneri, quia homines sunt, quod naturæ nomen est, cuius author diabolus non est, sed quia peccatores sunt, quod culpæ nomen est, cuius diabolus author est.

CAPVT VII. Sed inter tot nomina bonarum rerum, id est, corporum, sexuum, coniunctionum, libidinem vel concupiscentiam carnis iste nõ nominat. Tacet, quia pudet: & mira (si dici potest) pudoris impudentia, quod nominare pudet, laudare non pudet. Denique vide
Concupiscentiam laudant Pelagianos non pudet, quam eos tamen nominare pudet. quemadmodum magis eam circumloquendo maluerit significare, quàm dicere. *Postquam autem vir*, inquit, *naturali appetitu cognouit vxorem*, ecce iterũ dicere noluit, carnis concupiscentia cognouit vxorem: sed *na-*
D *turali*, inquit, *appetitu*: vbi adhuc possumus intelligere
Naturalis appetitus non omnis malus, nec vnbonestus. ipsam voluntatem iustam & honestam, qua voluit filios procreare; non illam libidinem, de qua iste sic erubescit, vt ambiguè nobis loqui malit, quàm perspicuè quod sentit exprimere. Quid est *naturali appetitu?* An non & velle esse saluum, & velle ipsos suscipere, nutrire, erudire filios, naturalis est appetitus, idemque rationis est, non libidinis? Sed quia huius nouimus intentionem, ideo non eum putamus his verbis, nisi libidinem membrorum genitalium significare voluisse: Nónne tibi videntur hęc verba folia esse ficulnea, sub quibus latet quid aliud quàm id quod pudet? Ita quippe iste sibi circumlocutionis huius obstacula, sicut illi succinctbria consuerunt, contexit & dicit: *Postquam autem vir naturali appetitu cognouit vxorem, dicit scriptura diuina: Concepit Eua & peperit filiũ, & vocauit* Genes. 4. *nomen eius Cain. Sed quid*, inquit, *dicit Adã, audiamus: Acquisi-*

Acquisiui hominem per Deum. Vnde constat opus Dei esse, quem per Deũ acquisitum scriptura diuina testatur. Quis hinc dubitet? quis hoc neget, maximè catholicus Christianus? opus Dei est homo. Sed carnis concupiscentia, sine qua, si peccatũ non præcessisset tranquillæ volũtati obedientibus sicuti cætera mẽbra genitalibus, seminaretur homo, non est à parte, sed ex mundo est. Verùm nunc obsecro te, paulo attentiùs intuere, quod nomen nouum inuenerit quo rursus operiret, quod erubescit aperire. *Genuerat enim eum*, inquit, *Adam potentia membrorum, non diuersitate meritorum*. Quid dixerit diuersitatem meritorum, fateor non intelligo: sed potentiam membrorum, credo, illud voluit dicere, quod pudet euidenter dicere. Maluit enim dicere membrorum potentiam, quàm carnis concupiscentiam. Planè etiam si non cogitauit, significauit aliquid quod ad rem pertinere videatur. Quid enim potentius membris hominis, quando non
B seruiunt voluntati hominis? Quæ tametsi frenentur temperantia, vel continentia vsus eorum aliquantum, motus tamen eorum non est in hominis potestate. Genuit ergo Adam filios hac, vt iste dicit, *membrorum suorum potentia*, de qua priusquam illos gigneret, erubuit post peccatum. Si autem non peccasset, non eos genuisset membrorum potentia, sed membrorum obedientia. Ipse quippe esset potens, vt eis subiectis voluntate imperaret, si potentiori & ipse subiectus eadem voluntate seruiret.

CAPVT VIII. Genes. 4. Post *aliquanta iterum dicit scriptura diuina*, inquit: *Cognouit Adam Euam vxorem suam, & concepit & peperit filium, vocauitq; nomen eius Seth, dicens: Suscitauit mihi Dominus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*. Deinde addit & dicit, *ad documentum instituti coitus, ipsum semen diuinitas dicitur excitasse*. Non intellexit homo iste quod scriptum est: putauit enim ad hoc esse dictum: Suscitauit mihi Dominus semen
C aliud pro Abel, vt crederetur Deus illi excitasse libidinem coeundi, cuius motu excitaretur semen, vt gremio feminæ possit infundi. Nescit non esse ob aliud dictum, excitauit mihi semen: nisi, dedit mihi
Semen pro filio. filium. Denique hoc Adam non dixit post coitum suum quo semẽ emisit, sed post coniugis partum, quo filium Deo donante suscepit. Nam quæ gratulatio est, nisi fortè libidinosorum & suum vas in morbo
1. Thess. 4. concupiscentiæ, quod vetat Apostolus, possidentium; si semen extrema coeundi voluptate fundatur, nec sequatur conceptus aut partus, vbi nuptiarum verus est fructus? Neque hoc ideo dixerim, quòd alius putandus sit præter summum & verum Deum vel humani seminis, vel ipsius hominis creator ex semine: sed hoc tranquilla de homine obediẽtia membrorum ad nutum voluntatis exisset, si peccatum non præcessisset.
De vitio seminis trahitur originale peccatum. Neque nunc agitur de natura seminis humani, sed de vitio. Illa quippe habet authorem Deum, ex isto autem trahitur originale peccatum. Nam si semẽ ipsum D
Sap. 12. nullum habet vitium, quid est quod scriptum est in libro Sapientiæ: Non ignorans quoniam nequam est natio illorũ, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum: semen enim illorum erat maledictum ab initio? Nempe de quibuscunque dicat ista, de hominibus dicit. Quomodo est ergo cuiuslibet hominis malitia naturalis & semen maledictum ab initio; nisi ad illud respiciatur, quòd per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt? Cur autem hominis mala cogitatio non potest in perpetuum mutari; nisi quia per seipsam non potest, sed si gratia diuina subueniat; qua non subueniente quid sunt homines, nisi quod ait apostolus Petrus, velut
2. Petri 2. muta animalia procreata naturaliter in captiuitate & interitu? Vnde vno loco Paulus apostolus vtrunque commemorans, & iram Dei cũ qua nascimur, & gratiam qua liberamur: Et nos omnes, inquit, aliquando Ephes. 2. conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & affectionum, & eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Deus autem qui diues est in misericordia propter multam dilectionem qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia sumus salui facti. Quid est ergo malitia naturalis hominis, & semen maledictum ab initio, & procreati naturaliter in captiuitate & interitu, & natura filij iræ? Nunquid in Adam natura ista sic condita est? Absit. Sed quia in illo vitiata sic per omnes iam naturaliter cucurrit & currit, vt ab hac perditione non liberet, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

CAPVT IX. Genes. 9. Qvid est ergo quod iste adiungit & dicit de Noë & filiis eius, quòd *similiter benedicti sint vt Adam & Eua, dicente Deo: Crescite & multiplicamini & replete terrã, & dominamini eius:* quibus Dei verbis addit sua dicens: *Voluptas ergo ista, quam tu diabolicam vis videri, iam in supradictis coniugibus habebatur, quæ vt institutione bona, ita etiam benedictione permansit?* Non enim dubitatur de hac ad Noë & ad filios eius corporum commixtione dictum, cuius iam vsus inoleuerat: Crescite & multiplicamini & replete terram. Non opus est eadem multis verbis repetere. De vitio hic agitur, quo est deprauata natura bona, cuius vitij author est diabolus, non de naturæ ipsius bonitate, cuius author est Deus: qui neque ab ipsa vitiata deprauataque natura suam abstinuit bonitatem, vt auferret hominum fœcunditatem, viuacitatem, sanitatem, ipsamque substantiam animi & corporis sensus atque rationem, alimenta, nutrimenta, incrementa: qui etiam facit oriri solem suum super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, & quicquid boni est naturæ humanæ à
C Deo bono etiam in illis hominibus est, qui non liberabuntur à malo. Voluptatem tamen iste & hic dixit, quia potest voluptas & honesta esse; non dixit carnis concupiscentiam vel libidinem quæ pudenda est: sed in consequentibus aperuit verecũdiam suam, nec dissimulare potuit ab eo, quod violenter ipsa natura præscripsit. *Et illud*, inquit, *Propter hoc relinquet homo pa-* Genes. 2. *trem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*. Et post hæc verba Dei, sua ipse subiungens, *vt exprimeret*, inquit, *fidem operum, propheta prope periculum pudoris accessit*. O aperta prorsus & vi veritatis extorta confessio! Propheta ergo vt exprimeret fidem operum, prope periculum pudoris accessit, quia dixit: Erunt duo in carne vna; vbi commixtionem maris & feminæ intelligi voluit. Dicatur causa, cur in exprimendis operibus Dei, propheta prope periculum pudoris accesserit. Itáne verò humana opera pudenda esse non debent, sed planè glorianda; & diuina pudenda sunt? Itáne verò in eloquendis & exprimendis operibus Dei, non honoratur Prophetæ vel amor vel labor, sed periclitatur pudor? Quid enim potuit Deus facere, quòd eius prædicatorem pudeat dicere? Et quod est grauius, pudeat hominem alicuius operis, quod non homo, sed Deus fecit in homine; cùm omnes opifices quanto possunt labore & industria id agant, ne de suis operibus erubescant? Sed profectò illud nos pudet, quod puduit primos illos homines quando pudenda texerunt. Illa est pœna peccati, illa plaga vestigiumque peccati, illa illecebra fomesque peccati, illa lex in membris repugnans legi mentis, illa ex nobisipsis aduersus nosipsos inobedientia iustissimo reciprocatu inobedientibus reddita; huius nos pudet, & meritò pudet. Nam si hoc non esset, quid nobis esset ingratius, quid irreligiosius, si in membris nostris, non de vitio vel de

pœna nostra, sed Dei confunderemur operibus?

CAPVT X. DICIT etiam iste multa frustra de Abrahã & Sara, quomodo ex repromissione acceperint filium, & tandem concupiscentiam nominat: non tamen addit carnis, quia ipsa pudenda est. In concupiscentiæ autem nomine aliquando gloriandum est, quia est & concupiscentia spiritus aduersus carnem, est & cõcupiscentia sapientiæ. Ait ergo: *Certè hanc concupiscentiam, sine qua nulla fecunditas est, malum naturaliter definisti; vnde ergo per donum cæleste in senibus excitatur? Astrue iam hoc, si potes, ad opus diaboli pertinere, quod Deum vides conferre pro munere.* Ita hoc dicit, quasi concupiscentia carnis antè defuerit illis, & hãc eis donauerit Deus, quæ proculdubiò inerat in corpore mortis huius: sed fœcunditas defuit, cuius author est Deus, & ipsa donata est quando voluit Deus. Absit autem vt dicamus, quod nos putauit esse dicturos, Isaac sine concubitus calore generatum.

Gal. 5. Sapien. 6.

CAPVT XI. SED ipse iam dicat, quare interiret anima eius de genere suo, si circũcisus die nõ esset octauo; quid ipse peccasset, quid offendisset Deum, vt de aliena in se negligentia tam seuera sententia puniretur, si nullum esset originale peccatum? De circũcidendis enim Deus sic mandauit infantibus: Masculus qui non circuncidetur carne præputij sui octauo die, disperiet anima eius de genere suo, quia testamentum meum dissipauit. Dicat iste, si potest, quomodo puer iste testamentum Dei dissipauit octo dierum, quantum ad ipsum propriè attinet innocens infans; & tamen nullo modo Deus vel Scriptura sancta id mendaciter diceret? Tunc ergo dissipauit testamentũ Dei non hoc de imperata circuncisione, sed illud de ligni prohibitione, quando per vnũ hominẽ peccatũ intrauit in mũdum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt: & hoc in illo significabatur expiari circumcisione octaui diei, hoc est, sacramento mediatoris in carne venturi: quia per eandem fidem venturi in carne Christi, & morituri pro nobis, & tertio die, qui post septimum sabbati fuerat futurus octauus, resurrecturi, etiam iusti saluabantur antiqui. Traditus est enim propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostram. Ex quo enim instituta est circuncisio in populo Dei, quod erat tũc signaculum iustitiæ fidei, ad significationem purgationis valebat, & paruulis originalis veterisque peccati; sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo est institutus. Non quod ante circuncisionem iustitia fidei nulla erat. Nam cùm adhuc esset in præputio, ex fide iustificatus est ipse Abraham pater gentium, quæ fidem ipsius fuerant sectaturæ. Sed superioribus temporibus omnimodo latuit sacramentum iustificationis ex fide; eadem tamen fides mediatoris saluos iustos faciebat antiquos pusillos cũ magnis, non vetus testamentum quod in seruitutem generat; non lex quæ non sic est data, quæ posset viuificare; sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quia sicut credimus nos Christum in carne venisse, sic illi venturum. Sicut nos mortuum, ita illi moriturum. Sicut nos resurrexisse, ita illi resurrecturum. Et nos verò & illi ad iudicium mortuorum viuorumq; venturum. Non ergo iste humanam malè defendendo impediat à salute naturam, quia omnes sub peccato nascimur, & per vnum solum, qui sine peccato natus est, liberamur.

Genes. 17. Quodnam Dei testamentum infans recens natus dissipauit. Rom. 4. Circuncisio ad quid valuerit. Ibidem. Eadem quæ nos fide, veteres patres iustificati.

CAPVT XII. ISTA, inquit, *corporum commixtio cum calore, cum voluptate, cum semine à Deo facta, & prò suo modo laudabilis approbatur; quæ aliquando etiam amplum efficitur munus piorum.* Dixit *cum calore*, dixit *cum voluptate*, dixit *cum semine*, non tamen dicere ausus est cum libidine: quare? nisi quia nominare erubescit, quã laudare non erubescit? Munus autem piorum propagatio est fœcunda filiorum, non commotio pudenda membrorum, quam non haberet in generandis filiis natura sana, nunc autem habet eam natura vitiata. Ac per hoc & qui inde nascitur indiget renasci, vt sit membrum Christi: & de quo nascitur si iam renatus est, indiget liberari ab ea, quæ in corpore mortis huius est lege peccati. Quę cùm ita sint, quomodo adiungit & dicit: *Confitearis ergo necesse est, originale quod finxeras, interisse peccatum?* Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus: sed tu, qui hoc negas, sine dubio es nouus hæreticus. Sub diabolo autem sunt iudicio Dei omnes cum peccato generati, si non fuerint in Christo regenerati.

CAPVT XIII. SED quia de Abraham loquebatur & Sara, subiunxit atque ait: *Quod si dixeris, vsus in eis vigebat, & fœtus non erat. Respondebo, quem conditor promisit, conditor dedit; non concubitus, sed Dei opus est qui nascitur. Qui enim primum hominem fecit ex puluere, omnes fabricatur ex semine. Sicut ergo tunc limus, qui assumptus est, materia, non author fuit hominis: ita nunc vis illa voluptatis cõfectrix, commixtrixq; seminum, non explet operationis vicem, sed de thesauris naturæ offert Deo, vnde ille hominem dignetur operari.* Hæc omnia quæ dixit, excepto quod ait, à voluptate semina confici atque misceri, rectè diceret si in eis catholicum sensum defendere niteretur. Quia verò scimus quid ex his moliatur efficere, profectò dicit etiam recta peruersè. Illud itaq; quo excepto cætera vera esse non abnuo, ideo non est verum, quia voluptas illa concupiscentiæ carnalis non conficit semina, sed ea quæ iam sunt in corporibus à vero Deo condita, à quo ipsa conduntur & corpora, non fiunt à voluptate, sed excitantur & emittuntur cũ voluptate. Vtrum autem vtriusque sexus semina in muliebri vtero cum voluptate misceantur, viderint fœminæ quid in secretis visceribus sentiant: nos non decet inaniter vsq; ad ista esse curiosos. Libido tamẽ illa erubescenda, vnde pudenda ipsa appellata sunt membra, non fuit in corpore vitæ illius, quæ in paradiso fuit ante peccatum; sed cœpit esse in corpore mortis huius retributa inobedientia inobedientiæ post peccatum. Sine qua libidine poterat opus fieri coniugum in generatione filiorum, sicut multa opera fiunt obedientia cæterorum sine vllo ardore membrorum, quæ voluntatis nutu mouentur, non æstu libidinis concitantur. Attende cætera. *Hoc etiam*, inquit, *Apostoli confirmat authoritas. Cùm enim beatus Paulus de resurrectione mortuorum loqueretur, ait: Insipiens tu, quod seminas non viuificatur. Et infrà: Deus autem illi dat corpus prout vult, & vnicuique seminum proprium corpus. Si ergo Deus*, inquit, *humano semini, quod nemo negat vel prudentium vel piorum, proprium sicut omnibus rebus corpus attribuit, vnde quenquam reum natum probabis? Tandem oro respicias quibus laqueis peccati naturalis suffocetur assertio. Verùm age*, inquit, *tecum, precor; mitius: Mihi crede, etiam te Deus fecit; sed quod fatendum est, grauis error infecit. Quid enim potest prophanius dici, quàm quod Deus hominem aut non fecerit, aut vt dicis diabolo fecerit; aut certè diabolus Dei sit imaginem, hoc est, hominem fabricatus; quod non minus stultum dignoscitur esse, quàm impium? Ergo tam inops*, inquit, *tam inuerecundus Deus est, vt non habuerit, quod in præmium sanctis hominibus daret, nisi quod deceptis diabolus infudit initio? Vis autem scire quod etiam in his, qui sancti non sunt, hanc generationum potentiam Deus tribuisse probetur? Eo igitur tempore cùm Abraham metu percussus gentis Barbaræ, Saram quæ vxor erat, sororem suam dixit, refertur Abimelech rex illius prouinciæ abduxisse eam in noctis vsum. Sed Deus cui curæ erat honor sanctæ mulieris, in somnis Abimelech venies regiã frenauit audaciam, comminatus interitũ, si pergeret violare coniugium. Tunc Abimelech ait: Nunquid Domine gentem ignorantem & iustam perdes? Nonne ipsi*

1. Cor. 15. 1. Cor. 15. Genes. 20.

ipsi dixerunt se germanitate coniunctos? Surrexit ergo mane Abimelech, & accepit mille didrachmas argenti, & oues, & vitulos, & pueros, & ancillas, & dedit Abrahæ, atque à se mulierem remisit intactam. Orauit verò Deum Abraham pro Abimelech, & sanauit Deus Abimelech, & vxorem, & ancillas eius. Cur autem hæc tanta prolixitate narrauerit, accipe breuiter in his quæ secutus adiunxit: *Deus*, inquit, *orante Abraham curauit potentia dispensationis secreta, quæ amota est verendis vilium feminarum, quia clauserat Deus à foris omnem vuluam in domo Abimelech. Vide ergo*, inquit, *vtrum naturaliter malum dici debet, quod interdum aufert exasperatus Deus, reddità placatus? Ipse*, inquit, *facit & piorum filios & impiorum; quoniam quod fiunt parentes, ad naturam pertinet, quæ Deo gaudet autore: quod autem impij sunt, ad studiorum prauitatem, quæ vnicuique de libera voluntate contingit.*

CAPVT XIIII. HIS omnibus quæ tam multa dixit, respondemus: nihil diuinis testimoniis, quæ interposuit, esse dictum de pudenda libidine, quam dicimus non fuisse in corpore beatorum, quando nudi erant, & non confundebantur. Nam primum illud Apostoli de seminibus dictum est frumentorum, quæ prius moriuntur vt viuificentur. Quam sententiam scilicet apostolicam, quo consilio nescio, noluit iste complere: nam eam hucusque commemorauit: Insipiens tu, quod seminas non viuificatur. Apostolus autem addidit: nisi moriatur. Sed iste quantum existimo, quod de frumentis dictum est, de humano semine accipi voluit ab eis qui hæc legunt, & Scripturas sanctas, vel nesciunt, vel non recordantur. Denique non solùm istam sententiam decurtauit, vt non adderet, nisi moriatur; verumetiam sequentia prætermisit, vbi aperuit Apostolus de quibus seminibus loqueretur. Ait enim Apostolus: Et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum ferè, tritici, aut alicuius cæterorum. His prætermissis iste contexuit, quod deinde dicit Apostolus: Deus autem illi dat corpus prout vult, & vnicuique seminum proprium corpus: tanquam de concumbente homine dixerit Apostolus: Insipiens tu, quod seminas non viuificatur: vt intelligeremus non ab homine concubitu filios seminante, sed à Deo viuificari semen humanum. Sic enim fuerat prælocutus, *quia voluptas illa non explet operationis vicem, sed de thesauris naturæ offert Deo, vnde ille hominem dignetur operari.* Et subiunxit testimonium, quasi hoc dixerit Apostolus: Insipiens tu, quod seminas non viuificatur: hoc est, à te non viuificatur, sed Deus hominem de tuo semine operatur: tanquam ab Apostolo media illa quæ prætermisit iste, non dicta sint, atque ita se habeat eius sententia, velut de humano semine loqueretur: Insipiens tu, quod seminas non viuificatur, Deus autem illi dat corpus prout vult, & vnicuique seminum proprium corpus. Denique post hæc Apostoli verba sic infert sua: *Si ergo Deus*, inquit, *humano semini, quod nemo negat vel prudentium vel piorum, proprium sicut omnibus rebus corpus attribuit*, quasi Apostolus de humano semine in illo testimonio sit locutus. De qua fraude quid adiuuaretur eius intentio cùm aliquanto attentius cogitarem, nihil potui reperire, nisi quia testem voluit adhibere Apostolum quo probaret Deum, quod & nos dicimus, de humanis seminibus hominem operari. Et cùm ei testimonium nullum occurreret, isto abusus est fraudulenter, timens vtique ne fortè si appareret Apostolum non de humanis seminibus, sed de frumentis illa dixisse, hinc admoneremur, vnde refutaretur non religiosæ voluntatis, sed libidinosæ voluptatis pudens nominator, & impudens prædicator. De ipsis quippe seminibus, quæ in agris agricolæ seminant, potest ipse redargui. Cur enim non credamus Deum potuisse in paradiso concedere homini beato de suo semine, quod concessum videmus agricolis de tritici semine: vt eo modo sereretur illud sine vlla pudenda libidine, ad voluntatis nutum membris obsequentibus genitalibus: sicut hoc seritur sine vlla pudendã libidine, ad voluntatis nutum agricolarum obsequentibus manibus, honestiore in parentibus gignẽdorum desiderio filiorum, quàm est in arantibus implendorum horreorum: ac deinde creator omnipotens incõtaminabili vbique præsentia & creatrice potentia de seminibus hominum prout vellet, quod & nunc facit, operaretur in femina, sicut de seminibus frumentorum prout vult operatur in terra; beatis matribus sine libidinosa voluptate concipientibus, sine ærumnoso gemitu parientibus: quandoquidem in illa felicitate & in corpore nondum mortis huius, sed vitæ illius non esset feminis in excipiendis seminibus quod puderet, sicut non esset in ædendis fœtibus, quod doleret? Quisquis autem non credit, vel credi non vult, hominibus ante omne peccatum in illa paradisi felicitate versantibus hoc potuisse Dei voluntate & benignitate concedi, non optandæ fœcunditatis laudator, sed pudendæ voluptatis amator est.

al. incommutabili

CAPVT XV. ITEM aliud ex libro diuino testimonium quod posuit de Abimelech, & Deo volente clausa omni vulua in domo eius, ne mulieres eius parerent, atque aperta rursus vt parerent, quid ad rem pertinet? quid habet de illa pudenda libidine, de qua nunc quæstio est? Nunquid ipsam Deus detraxit illis feminis, reddiditque cùm voluit? Sed pœna fuit vt parere non possent, beneficium verò vt parere possent more huius corruptibilis carnis. Non enim tale beneficium Deus conferret corpori mortis huius, quale non haberet, nisi corpus vitæ illius in paradiso ante peccatum, vt & conceptus proueniret sine libidine pruriente, & partus sine dolore cruciante. Cur autem non intelligamus, quandoquidem dicit Scriptura, à foris omnem vuluam fuisse conclusam, aliquo dolore factum esse, vt non possent feminæ concubitum perpeti, qui dolor Deo succensente fuisset inflictus, miserãte detractus? Nam si ad impedimentum serendæ prolis esset libido detrahenda, viris esset detrahenda, non feminis: Femina enim posset voluntate concumbere, etiam desistente libidine qua stimularetur: si viro non deesset, qua excitaretur. Nisi fortè quia scriptum est, & ipsum Abimelech fuisse sanatum, virilem dicturus est ei libidinem redditam. Quam profectò si amiserat, quid opus fuit eum diuinitus admoneri, vt Abrahæ non misceretur vxori? Sed sanatum dicit, quia domus eius ab illa peste sanata est.

Vuluam conclusam fuisse quo sensu seri posset dixerit. Frigiditas in viris tãtum.

CAPVT XVI. IAM nunc illa tria videamus, quorum trium quodlibet dixerimus, nihil ait dici posse prophanius, *quòd hominem Deus aut non fecerit, aut diabolo fecerit, aut certè diabolus Dei sit imaginem, hoc est, hominem fabricatus.* Horum trium primum & nouissimum, non dici à nobis etiam ipse si non sit excors, aut nimium peruicax, confitetur. De illo quæstio est quod secundo medioq; loco posuit; vbi sic fallitur, vt à nobis hoc existimet dici, quòd diabolo Deus hominem fecerit, tanquam in hominibus quos Deus ex hominibus parentibus creat, hoc intendat, hoc curet, hoc sui operis ratione prouideat, vt habeat diabolus seruos, quos ipse sibi facere non potest. Absit vt hoc qualiscunque vel puerilis pietas suspicetur. Bonitate sua Deus facit homines, & primos sine peccato, & cæteros sub peccato, in vsus profundarum cogitationum suarum. Sicut enim de ipsius diaboli malitia nouit ille quid agat, & quod agit iustum est & bonum, quamuis sit de quo agit iniustus & malus, nec eum propterea creare noluit, quia malum futurum esse præsciuit: ita de vniuerso genere humano, quãuis nullus hominum sine peccati sorde nasca-

Cur creare pergat homines Deus quos nouit sub peccato nascituros.

nascatur; bonum ille, qui summè bonus est, operatur, alios faciens tanquam vasa misericordiæ, quos gratia discernat ab eis, qui vasa sunt iræ: alios tanquam vasa iræ, vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Eat iste nunc, & aduersus Apostolum, cuius ista sententia est, argumentetur, imò aduersus ipsum figulum, cui respondere prohibet Apostolus, dicens: Rom. 9. O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Nunquid ergo iste negat vasa iræ esse sub diabolo? Aut quia sub diabolo sunt, alius ea quàm ille facit, qui vasa misericordiæ facit? Aut aliunde & non ex eadem massa facit? Hic itaque dicat: Ergo Deus vasa diabolo facit, quasi nesciat Deus sic eis vti ad opera sua iusta & bona, sicut ipso vtitur diabolo.

CAPVT XVII. AN verò filios perditionis hædos sinistræ partis diabolo pascit, & diabolo nutrit & vestit, quia facit solem Matth. 5. suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos? Sic itaque creat malos, quomodo pascit & nutrit malos: quia quod eis creando tribuit, ad naturæ pertinet bonitatē; & quod eis pascendo & nutriendo dat incrementū, non vtiq; malitiæ eorū, sed eidem bonæ naturæ quam creauit bonus, bonū tribuit adiumentū. Inquantū enim homines sunt, bonum est naturæ, cuius autor est Deus: inquantum autē cum peccato nascuntur, perituri si non renascantur, ad semen pertinent maledictum ab initio, illius antiquæ inobedientiæ vitio. Quo tamen bene vtitur factor etiam vasorum iræ, vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, ne meritis suis tribuat si ad eandē massam quisque pertinens gratia liberetur; sed qui gloriatur, in Domino glorietur. Ab hac fide apostolica atq; catholica veracissima atq; fundatissima, cum Pelagianis iste discedens, non vult nascentes esse sub diabolo, ne paruuli portentur ad Christum, vt eruantur à potestate tenebrarum, & in regnum ipsius transferantur. Col. 1.

CAPVT XVIII. Ac sic accusat ecclesiam toto orbe diffusam, in qua vbique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exufflantur, nisi vt ab eis princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur, cùm ex Adam nascuntur si in Christo non renascātur, & in eius regnum per gratiam facta vasa misericordiæ transferantur. Contra istam fundatissimam veniens veritatem, ne vniuersam Christi Ecclesiam oppugnare videatur, quasi me vnum alloquitur, & velut corripiens atque admonens dicit: *Etiam te Deus fecit, sed quod est fatendum, grauis error infecit.* Sanè quòd Deus me fecerit agnosco, & gratias ago: qui tamen cum iræ vasis perissem, si tantum ex Adam me fecisset, & in Christo non refecisset. Quod cùm possessus Pelagiana impietate non credit, si in tanto malo in finem vsq; perdurat, non ipse sed catholici videant qualis & quantus eum error non infecerit, sed planè interfecerit.

CAPVT XIX. Rom. 1. Respondet ad Iuliani argumenta. ATTENDE sequentia: *Quod autem*, inquit, *filij ex coniugio susceptí naturaliter boni sint, Apostolo dicente discamus, qui ait de improbis: Relicto naturali vsu feminæ exarserunt in desideria sua, inuicem masculi in masculos turpitudinem operantes. Ostendit ergo*, inquit, *vsum feminæ & naturalem esse, & pro suo modo laudabilem: flagitium autem ex voluntate propria exerceri contra institutionis pudorem. Meritò itaque*, inquit, *& in bene vtentibus genus concupiscentiæ modusq; laudatur, & in turpibus excessus eius punitur. Denique eodem tempore Deus Abrahæ & Sarræ marcentia æuo membra vegetauit, quo in Sodomis ipsa igneo imbre puniuit. Si igitur putas*, inquit, *accusandum membrorum vigorem, quoniam per ipsum Sodomitæ flagitiis obliti sunt; accusabis etiam creaturam panis & vini; quoniam hinc quoque eos peccasse Scriptura diuina significauit. Dicit enim Dominus per Ezechielem* Genes. 19. *prophetam: Veruntamen hæ iniquitates Sodomæ sororis tuæ: Superbia in saturitate panum & abundantia vini fluebant, ipsa & filij eius: & manum pauperis & egentis non adiuuabant. Elige iam*, inquit, *vtrum mauis, aut reputa diuino operi commixtionem corporum; aut creaturam panis & vini similiter malum esse desini. Quod si feceris, apertè Manichæus esse conuinceris. Concupiscentiæ autem naturalis, qui modum tenet, bene vtitur bono; qui modum non tenet, bono malè vtitur. Quid dicis ergo*, inquit, *Ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari; sicut adulteriorum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari? His sermonibus*, inquit, *quod negaueras concessisti, quod concesseras sustulisti, & nihil magis laboras, quàm vt parum intelligaris. Ostende sine commixtione nuptias corporales: aut vnum aliquid huic operi nomen imponito, & vel bonum, vel malum coniugium nuncupato. Spopondisti vtique bona te definire coniugia. Si coniugium bonum, si homo fructus coniugij bonus, si hic fructus opus Dei malus esse non potest, qui per bonum ex bono nascitur; vbi igitur originale malum, quod tot præiudiciis interemptum est?* Ezech. 16. Suprà lib. 1. cap. 1.

CAPVT XX. AD hæc respondeo: non solùm filios ex coniugio, verumetiam ex adulterio bonum aliquod esse, secundum opus Dei quo creati sunt. Secundum autem originale peccatum, in damnationem nasci ex Adam primo, non solùm si de adulterio, verumetiam si de coniugio generentur, nisi in Adam secundo qui est Christus, regenerentur. Quod autem ait Apostolus de improbis: Relicto naturali vsu feminæ exarserunt in desideria sua in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes: non dixit vsum coniugalem, sed naturalem, eum volens intelligi, qui fit membris ad hoc creatis, vt per ea possit ad generandum sexus vterque misceri. Ac per hoc cum eisdem membris etiam meretrici quisque miscetur, naturalis est vsus; nec tamen laudabilis, sed culpabilis. Ab ea verò parte corporis, quæ non ad generandum est instituta, si & coniuge quisque vtatur, contra naturam est & flagitiosum. Denique prius idem Apostolus de feminis dixit: nam feminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum qui est contra naturam: dein de masculis in masculos turpitudinem operantibus, relicto vsu femineo naturali. Non ergo isto nomine, id est, vsu naturali, coniugalis est laudata commixtio, sed immundiora & sceleratiora flagitia denotata sunt; quàm si illicitè & feminis, sed tamen & naturaliter vterentur. Rom. 1. Coniugis vsus quis naturalis. Quis contra naturam.

CAPVT XXI. PANEM verò & vinum sic non reprehendimus propter luxuriosos & ebriosos, quomodo nec aurum propter cupidos & auaros. Quocirca commixtionem quoque honestam coniugum non reprehendimus propter pudendam corporum libidinem. Illa enim posset esse nulla præcedente perpetratione peccati, de qua non erubescerent coniugati. Hæc autem exorta est post peccatum, quam coacti sunt velare confusi. Vnde remansit posterioribus coniugatis, quamuis hoc malo bene & licitè vtentibus, in eiusmodi opere humanum vitare conspectum, atque ita confiteri quod pudendum est, cùm debeat neminem pudere quod bonum est. Sic insinuantur hæc duo, & bonum laudandæ coniunctionis, vnde filij generentur; & malum pudendæ libidinis vnde qui generantur, regenerandi sunt, ne damnentur. Proinde de pudenda libidine, qui licitè concumbit, malo bene vtitur: qui autem illicitè, malo malè vtitur. Rectius enim accepit nomen mali quàm boni, quod erubescunt & mali & boni. Meliusque credimus ei qui dicit: Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum: quàm huic qui dicit hoc bonum: vnde si confunditur, confitetur malum: si autem non confun- Genes. 3. Rom. 7.

confunditur, addit impudentiam, peius malum. Rectè igitur diximus: *Ita nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur non potest accusari, sicut adulteriorum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari:* quoniam natura humana quæ nascitur, vel de coniugio, vel de adulterio, Dei opus est. Quæ si malum esset, non esset generanda: si malum non haberet, non esset regeneranda. Atq; vt ad vnum verbum vtrunque concludam, natura humana si malum esset, saluanda non esset: si ei mali nihil inesset, saluanda non esset. Qui ergo dicit eam bonum non esse, bonum negat conditę creatorem. Qui verò negat ei malum inesse, misericordem vitiatæ inuidet Saluatorem. Quapropter in hominibus nascentibus neque excusanda sunt adulteria per bonum, quod inde à conditore bono creatum est; nec accusanda coniugia per malum, quod ibi à misericorde Saluatore sanandum est.

CAPVT XXII. OSTENDE, inquit, *sine commixtione nuptias corporales.* Non ostendo ego nuptias corporales sine commixtione; sed nec ipse ostendit eandem commixtionem sine confusione. In paradiso autem si peccatum non præcessisset, non esset quidem sine vtriusque sexus commixtione generatio, sed esset sine confusione commixtio. Esset quippe in coeundo trāquilla membrorū obedientia, non pudenda carnis concupiscētia. Proinde coniugiū bonū est, vnde ordinatè seminatus nascitur homo; & fructus coniugij bonus est, quod est ipse qui ita nascitur homo; sed peccatum malum est, cum quo nascitur omnis homo. Deus quippe fecit, & facit hominem, sed per vnum hominem peccatum intrauit in mūdūm, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt.

CAPVT XXIII. NOVO, inquit, *genere disserendi & catholicum te profiteris, & Manichæo patrocinaris, dicendo nuptias & magnum bonum & magnum malum.* Prorsus quid loquatur, ignorat, siue ignorare se simulat. Aut enim non intelligit, aut non vult intelligere quid dicamus. Sed si non intelligit, præoccupatione impeditur erroris. Si autem non vult quid dicamus intelligere, peruicaciæ vitium est, quo suum defendit errorem. Et Iouinianus qui paucos ante annos nouellam conatus est hæresim condere, Manichæis patrocinari dicebat catholicos, quod aduersus eum sanctam virginitatem nuptiis præferebant. Sed responsurus est iste, non se quod Iouinianus de indifferentia nuptiarum virginumque sentire. Nec ego id dico, quod isti hoc sentiant, veruntamen per Iouinianum catholicis Manichæos objicientem non esse hoc nouum, noui hæretici recognoscant. Nos itaque nuptias bonum dicimus esse, non malum. Sed sicuti Arriani Sabellianos nos esse criminantur, quamuis non dicamus, vnum eundemq; esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quod Sabelliani dicunt: sed dicamus vnam eandemque esse naturam Patris & Filij & Spiritus san&i, quod catholici dicunt: ita Pelagiani nobis Manichæos objiciunt, quamuis non dicamus malum esse nuptias, quod dicunt Manichæi: sed dicamus malum primis hominibus, id est, primis coniugibus accidisse, & inde in omnes homines pertransisse, quod dicunt catholici. Sed sicut Arriani dum Sabellianos fugiūt, in peius aliquid inciderunt, quia trinitatis ausi sunt non personas discernere, sed naturas: ita Pelagiani dum Manichæorum pestem in peruersum vitare conantur, de nuptiarum fructu, ipsis Manichæis conuincuntur perniciosiora sentire, credendo paruulos Christo medico non egere. Erroris præoccupatio impedit veritatis intelligētiam. Iouinianus catholicos olim Manichæos appellabat. Arriani catholicos olim Sabellianos vocabant.

CAPVT XXIIII. DEFINIS, inquit, *hominem, si de fornicatione nascatur reum non esse; si de coniugio, innocentem non esse. Huc enim peruenit quod dixisti, bonum naturale de adulteriis posse subsistere, malum originale etiam de coniugio trahi.* Frustra omnino conatur apud intelligentem Lectorem, quæ sunt recta peruertere. Absit enim vt dicamus hominem si de fornicatione nascatur, reum non esse. Sed dicimus hominem, siue de coniugio, siue de fornicatione nascatur, bonum aliquid esse, propter autorem naturæ Deum: malum aliquod trahere, propter originale peccatum. Quod ergo dicimus, *bonum naturale etiam de adulteriis posse subsistere, malum autem originale etiam de coniugio trahi*, non huc peruenit quò ille conatur adducere, non nasci reum de adulteriis, nec innocentem de nuptiis: sed ex vtroque reum generatione factum, propter originale delictū; & vtrunq; regeneratione absoluendum, propter naturæ bonum.

CAPVT XXV. VNVM *ex his*, inquit, *verum est, alterum falsum.* Huic eadem breuitate respondeo, Imò vtrunque verum est, neutrum falsum. *Verum est*, inquit, *quod adulteriorum culpam homo qui inde nascitur, non potest excusare; quia quod adulteri fecerunt, ad vitium pertinet voluntatis; quod autem genuerunt, ad laudem spectat fæcunditatis: quia si quis furtiuum triticum serat, nō nascitur messis obnoxia. Vitupero itaque*, inquit, *furem, sed laudo segetem: Innocentem pronuncio, qui nascitur ex generositate seminum dicente Apostolo: Deus illi dat corpus prout vult, & vnicuique seminum proprium corpus: condemno verò flagitiosum, qui ex propositi peruersitate peccauit.* 1. Cor. 15.

CAPVT XXVI. AD hæc adiungit & dicit: *Prorsus autem si malum de nuptiis trahitur, accusari possunt, excusari non possunt. Et in diaboli iure opus earum fructumq; constituis; quia omnis causa mali, expers boni est. Homo autem*, inquit, *qui de nuptiis nascitur, non criminibus, sed seminibus imputatur. Seminum verò causa in conditione corporum est, quibus corporibus qui malè vtitur, boni meritum non genus sauciat. Liquidò igitur*, inquit, *claret bonum non esse causam mali. Si ergo*, inquit, *trahitur & de nuptiis originale malum, causa mali est conuentio nuptiarum. Et necesse est malum esse per quod & ex quo malus fructus apparuit, dicente Domino in Euangelio: Ex fructibus suis arbor cognoscitur. Quomodo*, inquit, *tu audiendus putaris, qui dicis bonum esse coniugium, de quo nihil aliud quàm malum prodire desinis? Constat igitur mala esse coniugia, si peccatum inde originale deducitur; nec posse defendi, nisi fructus eorum innocens approbetur. Defenduntur autem & bona pronunciantur, fructus ergo approbatur innocuus.* Matth. 7. Ad hæc responsurus, prius volo esse intentum Lectorem, nihil agere istum, nisi vt Saluator non sit paruulis necessarius, quos peccata prorsus à quibus saluentur negat habere. Hæc tanta peruersitas & tantæ inimica gratiæ Dei, quæ data est per Iesum Christum Dominum nostrum, qui venit quærere & saluare quod perierat, insinuare se nititur cordibus parum intelligentium, laude operum diuinorum, hoc est, laude naturæ humanæ, laude seminis, laude nuptiarum, laude vtriusque sexus commixtionis, laude fœcunditatis, quæ omnia bona sunt. Nolo enim dicere laude libidinis, quia eam & ipse nominare confunditur, vt aliud aliquid, non ipsam laudare videatur: Ac per hoc mala quæ acciderunt naturæ, non discernendo ab ipsius bonitate naturæ, non eam quia falsum est, ostendit sanam, sed sanari non permittit ægrotam. Et ideo illud quod diximus, quòd adulteriorum culpam, bonum quod inde nascitur, id est, homo non potest excusare, verum esse concedit: & hoc, vnde nulla inter nos quæstio est, etiam similitudine furis furtiuum triticum seminantis, de quo vtique bona messis nascitur, astruit & confirmat vt potest. Illud autem alterum quod diximus, nuptiarum bonum malo originali quod inde trahitur, non potest accusari, non vult consentire quod verum sit, quia si consenserit, non Pelagianus hæreticus, sed Christianus catholicus erit. *Prorsus*, inquit, *si malum de nuptiis* Luc. 19. Laude operum diuinorum originale peccatum Pelagiani auferre conantur.

trahitur, accusari possunt, excusari non possunt: & in diaboli iure opus earum fructumq; constituis, quia omnis causa mali, expers boni est. Et ad hoc cætera attexit, vt probet causam mali bonum esse nõ posse, & ideo nuptias quia bonum sunt, causam mali non esse, ac per hoc de illis peccatorem, qui necessarium habeat saluatorem, nasci omnino non posse: quasi nos nuptias causam dicamus esse peccati, quamuis homo qui ex illis nascitur, non nascatur sine peccato. Nuptię quidẽ institutæ sunt causa generandi, non peccandi, propter quod illa
Genes. 1. à Domino est benedictio nuptiarũ: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Peccatum autẽ quod inde à nascentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, sed ad malum quod accidit hominibus, quorum coniunctione sunt nuptiæ. Nam malum pudendæ libidinis, & potest esse sine nuptiis, & potuerunt esse nuptiæ sine illo: ad conditionem autem corporis pertinet, nõ vitæ illius, sed mortis huius, vt nunc nuptiæ nõ possint esse sine illo, quamuis ipsum possit esse sine illis. Nam vtiq; sine nuptiis est pudenda carnis concupiscentia, quando adulteria & quæque stupra atque immunda committit, longè cõtraria pudicitiæ nuptiarum: aut quando nulla ista committit, quia homo nulla consensione permittit, & tamen surgit & mouetur & mouet, & plerunque in somnis ad ipsius operis similitudinem & suæ motionis peruenit finem. Hoc ergo malum nec in ipsis nuptiis malum est nuptiarum: sed habẽt illud in corpore mortis huius paratum, etiam si nolunt, sine quo non possunt implere quod volunt. Non igitur ab earum institutione, quæ benedicta est, ad eas venit: sed ab eo quod ex vno homine peccatum intrauit in mũdum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Quid est ergo quod ait: *Ex fructibus suis arbor cognoscitur*, quia hoc in Euangelio dixisse Dominum legimus: nunquid inde Dominus loquebatur, & non potius de duabus voluntatibus hominum, bona scilicet & mala, istam bonam, illam malam arborem dicens: quia de bona voluntate bona opera nascuntur, & mala de mala, nec possunt bona de mala, & mala de bona? Quod si nuptias tanquam arborem bonam secundum istã quam commemorauit Euangelicam similitudinem posuerimus, profectò ex contrario fornicationem posituri sumus arborem malam. Quamobrem si homo ita dicitur fructus nuptiarum, tanquam bonus ex arbore bona, proculdubiò nasci homo de fornicatione non debuit. Mala quippe arbor bonos fructus non facit. Porrò si dixerit, non illic arboris loco ponendum esse adulterium, sed naturam potius humanam, de qua nascitur homo: ita etiam hic non erit arbor connubium, sed natura humana, de qua nascitur homo. Nihil proinde valet ad istam quæstionẽ similitudo illa Euangelica, quia non sunt nuptiæ causa peccati, quod trahitur à nascente, & expiatur in renascente; sed voluntarium peccatum hominis primi originalis est causa peccati. *Dicis iterum*, inquit, *Nam sicut peccatum, siue hinc, siue inde à paruulis trahatur, opus est diaboli: sic homo, siue hinc, siue inde nascatur, opus Dei est.* Et dixi hoc, & verissimè dixi: Et si non Pelagianus, sed catholicus esset, nihil aliud & ipse in catholica diceret.

Voluntarium primi hominis peccatũ, originalis est causa peccati.

CAPVT XXVII. QVID est ergo quod quærit à nobis, *Per quid peccatum inueniatur in paruulo; vtrum per voluntatem, an per nuptias, an per parentes?* Sic enim loquitur, & tanquam ad omnia ista respondet, & à peccato quasi cuncta ista purgando, nihil vult remanere vnde peccatum inueniatur in paruulo. Verba denique iam ipsa eius attende. *Per quid igitur*, inquit, *peccatum inuenitur in paruulo? Per voluntatem? Nulla in eo fuit. Per nuptias? Sed hæ pertinent ad opus parentum, quos in hoc actu non peccasse præmiseras; sed quantum ex consequentibus apparet, non hoc verè concesseras. Ipsæ sunt igitur execrandæ*, inquit, *quæ*

A *causam fecerunt mali; sed illæ solæ opus indicant personarum. Parentes igitur qui conuentu suo causam fecere peccato, iure damnabiles sunt. Ambigi ergo*, inquit, *iam non potest, si tuam sequamur sententiam, coniuges æterno supplicio mancipari, quorum labore actum est, vt ad dominatum exercẽdum in homines diabolus peruenireat. Et vbi est quod paulo antè hominem opus dixeras Dei, quia si per originem malum in hominibus, per malum ius diaboli in homines, diabolum dicis autorem esse hominum; à quo est origo nascentium? Si autem credis à Deo hominem fieri, & esse coniuges innocentes; vide quàm stare non possit trahi ex his originale peccatum.* Ad omnia ista huic respondit Apostolus, qui neque voluntatem arguit paruuli, quæ propria nondum est in illo ad peccandum: neque nuptias inquantum nuptiæ sunt, quæ habent à Deo non solùm institutionem, verumetiam benedictionem: neque parentes, inquantum parentes sunt, inuicem licitè atque legitimè ad procreandos filios coniugatos.

B Sed per vnum hominem, inquit, peccatum in hunc Rom. 5. mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerũt. Quod isti si catholicis auribus mentibusque percperent, aduersus fidem gratiamque Christi rebelles animos non haberent, neq; conarentur inaniter ad suum proprium & hæreticum sensum, hæc apostolica verba tam dilucida & tam manifesta conuertere: asserentes hoc ideo dictũ esse, quod Adam peccauerit primum, in quo de cætero quisquis peccare voluit, peccandi inuenit exemplum: vt peccatum scilicet non generatione ab illo vno in omnes homines, sed illius vnius imitatione transiret. Cùm profectò si Apostolus imitationem hic intelligi voluisset, non per vnum hominem, sed per diabolum potius in hunc mundum peccatum intrasse, & per omnes homines pertransisse dixisset. De diabolo quippe scriptum est: Imitantur au- Sap. 2. tem eum, qui sunt ex parte ipsius. Sed ideo per vnum

C hominẽ dixit, à quo generatio vtique hominum cœpit, vt per generationem doceret isse per omnes originale peccatum. Quid autem aliud indicant etiam sequentia verba apostolica? Cùm enim hoc dixisset, adiunxit: Vsque enim ad legem peccatum in mũdo fuit, Rom. 5. id est, quia nec lex potuit auferre peccatum. Peccatũ autẽ, inquit, non deputabatur, cùm lex non esset. Erat ergo, sed non deputabatur, quia non ostendebatur quod deputaretur. Sicut enim alibi dicit, per legẽ cognitio peccati: sed regnauit, inquit, mors ab Adam vsque ad Moysen: hoc est quod suprà dixerat, vsque ad legem: non vt à Moyse deinceps non esset peccatum, sed quia nec per Moysen lex data regnum potuit mortis auferre, quæ non regnat vtique nisi per peccatum. Regnum porrò eius est, vt hominem mortalem in se- Regnum mortis quod. cundam etiam quæ sempiterna est, præcipitet mortem. Regnauit autem: In quibus? Et in his, inquit, 1. Cor. 15.

D qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. Cuius futuri, nisi Christi? Et qualis forma, nisi à contrario? Quod etiam alibi Forma futuri Adam quomodo. breuiter dicit: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Sicut in illo illud, ita in isto istud. Ipsa est forma, sed hæc forma non omni ex parte conformis est, vnde hic Apostolus secutus adiunxit: Sed non sicut delictum, ita & donatio. Si enim Rom. 5. ob vnius delictũ multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi, in multos abundauit. Quid est, multò magis abundauit: nisi quia omnes qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriũtur: propter ipsum autem Christum sine fine victuri sunt? Et non, inquit, sicut per vnum peccantem, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex vno in cõdemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Ex vno ergo quid, nisi delicto? quia sequitur, gratia autem ex multis de-

tis delictis. Dicãt isti quomodo ex vno delicto in con- A demnationem, nisi quia sufficit ad condemnationem etiam vnum originale peccatum, quod in omnes homines pertransiit? Gratia verò ideo ex multis delictis in iustificationem, quia non solùm illud vnum soluit, quod originaliter trahitur, sed etiam cætera, quæ in vnoquoque homine motu propriæ voluntatis adduntur. Si enim ob vnius delictũ mors regnauit per vnum, multo magis qui abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Itaque sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ. Adhuc permaneant in vanitate mentis suæ, & dicant vnum hominem nõ propaginem traiecisse, sed exemplum præbuisse peccati. Quomodo ergo per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, & non potius per multa sua cuiusque delicta: nisi quia etiam si illud vnum sit tantum, idoneum est perducere ad condem- B nationem, etiam nullis additis cæteris, sicut perducit paruulos morientes qui ex Adam nascuntur, nisi in Christo renascantur? Quid ergo à nobis quærit iste, qui non vult ab Apostolo audire, *per quod peccatum inueniatur in paruulo; vtrum per voluntatem, an per nuptias, an per parentes?* Ecce audiat per quid, audiat & taceat,
Rom. 5. per quid peccatum inueniatur in paruulo, Per vnius delictũ, inquit Apostolus, in omnes homines ad condemnationem. Omnes autem dixit ad condemnationẽ per Adam, & omnes ad iustificationem per Christum: cùm vtique non omnes eos qui moriuntur in
Omnes quomodo Christus iustificet. Simile. Adam, transferat Christus ad vitam: sed omnes dixit atq; omnes, quia sicut sine Adam nullus ad mortem, ita sine Christo nullus ad vitam. Sicut dicimus de literarum magistro, si in ciuitate solus est: omnes iste hic literas docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab ipso. Denique autem quos omnes dixerat, mul tos postea dixit, eosdem ipsos tamen omnes multosq; C significans. Sicut enim, inquit, per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Adhuc quærat *per quid peccatum inueniatur in paruulo.* Respondeant ei paginæ sanctæ, Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Ob vnius delictum multi mortui sunt, iudicium ex vno in condemnationem: ob vnius delictum mors regnauit per vnum, & per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Ecce per quid delictum inuenitur in paruulo. Iam credat originale peccatum, sinat venire paruulos vt saluentur, ad Christum.

CAPVT XXVIII. QVID est quod dicit, *Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iste qui condidit; per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ, peccatum fingis* D *ingressum?* Quid quærit latentem rimam, cùm habeat apertissimam ianuam? Per vnum hominem ait Apostolus, per vnius delictum ait Apostolus, per inobedientiam vnius hominis ait Apostolus, Quid quærit amplius? Quid quærit apertius? quid quærit inculcatius? *Si peccatum*, inquit, *ex voluntate est, mala est voluntas quæ peccatum facit: si ex natura, mala natura.* Citò
Originale peccatum ex malitia voluntatis ortũ. respondeo, Ex voluntate peccatum est. Quærit fortè, vtrum & originale peccatum? Respondeo, prorsus & originale peccatũ, quia & hoc ex voluntate primi hominis seminatum est, vt & in illo esset, & in omnes transiret. Sed quod secutus adiunxit, *Si ex natura, mala natura:* quæro ab illo vt si potest, respondeat, Sicut manifestum est, ex voluntate mala tãquam ex arbore mala, fructus eius fieri omnia opera mala: sic ipsam voluntatem malam, id est, fructuum malorum, arborem malam vnde dicat exortam? Si ex angelo, quid erat ipse angelus, nisi bonum opus Dei? Si ex homine, quid erat ipse homo, nisi bonum opus Dei? Imò quia voluntas mala angeli ex angelo, ex homine homini orta est, quid erant hæc duo antequam in eis ista mala orientur, nisi bonum opus Dei, & bona atque laudanda natura? Ecce ergo ex bono oritur malum, nec fuit omnino vnde oriri posset, nisi ex bono: ipsam dico voluntatem malam; quam nullum præcessit malum, non opera mala, quæ non sunt: nisi ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala: nec ideo tamen potuit ex bono oriri voluntas mala, quia bonum factum est à Deo bono, sed quia de nihilo factum est, nõ de Deo. Quid ergo est quod dicit, si natura opus est Dei, per opus Dei opus diaboli trãsire non sinitur? Nónne opus diaboli, quando primum in angelo, qui diabolus factus est, ortum est, in opere Dei ortum est? Quapropter si malum quod omnino nusquam erat, in Dei opere oriri potuit cur malum quod alicubi iam erat, per opus Dei transire non potuit, præsertim cùm ipso verbo vtatur Apostolus, dicens, Et ita in omnes homines pertransiit? Nunquid homines non sunt opus Dei? Pertransiit ergo peccatum per homines, hoc est, opus diaboli per opus Dei. Atque vt alio modo idipsum dicam, quia diaboli opus, id est, peccatum per ipsum diabolum exortum, qui factura vel opus est Dei, per aliud opus Dei, id est, hominem pertransiit opus operis Dei per opus Dei. Et ideo Deus est solus immutabilis & potentissimæ bonitatis: quia & antequam esset vllum malum, bona opera fecit omnia; & de malis quæ in bonis ab eo factis orta sunt, bene operatur per omnia.

Malum non nisi ex bono naturæ ortum.

Mala voluntas vnde orta.

CAPVT XXIX. IN *vno*, inquit, *homine iure vituperatur intentio, & origo laudatur; quia duo sunt quæ contrariis applicentur: in paruulo autem vnum est, natura tantùm, quia voluntas non est. Illud ergo vnum*, inquit, *aut Deo asseribitur, aut dæmoni. Si natura*, inquit, *per Deum est, non potest in ea esse originale malum. Si à diabolo, nihil erit per quod homo diuino operi vindicetur. Perfectè itaque Manichæus est, qui malum originale defendit.* Audiat potius aduersum ista quod verum est, In vno homine iure vituperatur intentio, & natura laudatur, quia duo sunt quæ contrariis applicentur: sed etiam in paruulo, non vnum est tantum, id est, natura, in qua creatus est homo à Deo bono: habet enim & vitium quod per vnum in omnes homines pertransiit, sicut sapit Apostolus, non sicut desipit Pelagius, vel Celestius, vel eorum quicunque discipulus. Horum itaq; duorum quæ in paruulo esse diximus, vnum asseribitur Deo, alterum diabolo. Et quod vtrunque propter vnum horum, id est, propter vitium subijcitur potestati diaboli, ideo non est incongruum, quia non fit ipsius diaboli potestate, sed Dei. Subijcitur autem vitium vitio, natura naturę, quia & in diabolo vtrumque est, vt cùm dilecti & electi de potestate tenebrarum eruuntur, cui iure subdũtur, appareat quid donetur iustificatis bonis à Deo, bona bene operante de malis. Quod autem iste sibi quasi religiosè dicere visus est, *Si natura per Deum est, non potest in ea esse originale malum:* nónne religiosius sibi alius videretur dicere, si natura per Deum est, non potest in ea oriri vllum malum: & tamen falsum est. hoc enim Manichæi asserere voluerunt, & non creaturam Dei factam de nihilo, sed ipsam naturam Dei malis omnibus implere conati sunt. Non enim or- *Malientus & origo.* tum est malum nisi in bono, nec tamẽ summo & immutabili quod est natura Dei, sed facto de nihilo per sapientiam Dei. Est itaque per quod homo diuino operi vindicetur, quia non esset homo, nisi diuino opere crearetur: malum autem non esset in paruulis, nisi voluntate primi hominis peccaretur, & ex origine vitiata, peccatum originale traheretur. Non ergo sicut

iste ait, *perfectè Manichæus est, qui malum originale defendit*: sed perfectè Pelagianus est, qui malum originale non credit. Neque enim ex quo esse cœpit Manichæi pestilentiosa doctrina, ex illo cœperunt in Ecclesia Dei, paruuli baptizandi exorcizari & exufflari, vt ipsis mysteriis ostenderetur non eos in regnũ Christi nisi erutos à tenebrarum potestate transferri. Aut quando in libris Manichæi legitur, quòd venerit filius hominis quærere & saluare quod perierat? Aut quòd per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit: & cætera ad eandem sententiam pertinentia, quæ suprà commemorauimus? Aut quod reddit Deus peccata patrum in filios: aut quod in Psalmo scriptum est, Ego in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea in vtero me aluit: aut, Homo vanitati similis factus est, dies eius velut vmbra prætereunt: aut, Ecce veteres posuisti dies meos, & substantia mea quasi nihilum ante te est; veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens: aut quod Apostolus dicit, Omnis creatura vanitati subiecta est? Aut in libro Ecclesiastæ, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: quæ abũdantia est homini in omni labore suo, quem ipse laborat sub sole? Aut in libro Ecclesiastico, Iugum graue super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium? Aut quod dicit Apostolus, In Adam omnes moriuntur. Aut quod dicit sanctus Iob, vbi de peccatis suis loquitur, Homo enim natus ex muliere, breuis vitæ & plenus iracundiæ, sicut flos fœni decidit, fugit autem sicut vmbra, & non stabit: nónne & huius curam fecisti, & hunc fecisti intrare in conspectu tuo in iudicium? Quis enim erit mundus à sordibus? ne vnus quidem, etiam si vnius diei fuerit vita eius super terram? Quas enim dixerant sordes, quia peccata intelligi voluit: ipsa lectio indicat, vbi prorsus vnde loquatur apparet. Vnde est & illud apud prophetam Zachariam vbi aufertur à sacerdote vestis sordida, & dicitur ei, Ecce abstuli peccata tua. Puto quòd ista omnia & cætera huiusmodi, quæ indicant omnem hominem sub peccato & maledicto nasci, non leguntur in tenebris Manichæorum, sed in luce catholicorum. Quid autem dicam de ipsis diuinarum Scripturarum tractatoribus, qui in catholica Ecclesia floruerunt? quomodo hæc non in alios sensus conati sunt vertere, quoniam stabiles erant in antiquissima & robustissima fide, non autem nouitio mouebantur errore. Quos si colligere & eorum testimoniis vti velim, & nimis longum erit, & de canonicis authoritatibus, à quibus non debemus auerti, minus fortasse videbor præsumpsisse quàm debui. Veruntamen vt omittam beatissimum Ambrosium cui Pelagius, sicut iam commemoraui, tam magnum integritatis in fide perhibuit testimonium, qui tamen Ambrosius nihil aliud defendit in paruulis, vt haberẽt necessarium medicum Christum, nisi originale peccatum. Nunquid & gloriosissimæ coronæ Cyprianus dicetur ab aliquo, non solùm fuisse, sed vel esse potuisse Manichęus, cùm prius iste sit passus, quàm illa in orbe Romano pestis apparuit, & tamen in libro de baptismate paruulorum, ita defendit originale peccatũ, vt propterea dicat, & ante octauum diem si necesse sit, paruulum baptizari oportere, ne pereat anima eius. Quem tanto vult intelligi ad indulgentiam baptismi facilius peruenire, quanto magis ei dimittuntur non propria, sed aliena peccata. Hos iste audeat dicere Manichæos, & antiquissimam Ecclesię traditionem isto nephario crimine aspergat, qua exorcizantur, & vt dixi, exufflantur paruuli, vt in regnum Christi à potestate tenebrarum, hoc est, diaboli & angelorum eius eruti transferantur. Nos autem paratiores sumus cum istis viris, & cum Ecclesia Christi in huius fidei antiquitate firmata, quælibet maledicta & contumelias perpeti, quàm cum Pelagianis cuiuslibet eloquij prædicatione laudari.

Exorcismi & exufflationis vetustissima cæremonia.

Exodi 20.
Psal. 50.
143. & 38.
Rom. 8.
Eccl. 1.
Eccles. 40.
1. Cor. 15.
Iob 14. secundum 70.
Zacha. 3.

Supra lib. 1. cap. vltimo, & de gratia Christi, cap. 43.
Ambrosius in Esaiam, citatur supra lib. 1. cap. 35.
Cyprianus. Lib. 3. epist. 8.

Exorcismi & exufflationis antiquissima Ecclesiæ traditio.

CAPVT XXX.

AIS *iterum*, inquit, *& dicis, Nulla esset concupiscentia, nisi homo antè peccasset; nuptiæ verò essent etiam si nemo peccasset.* Non dixi, nulla esset concupiscentia, quia est & glorianda cõcupiscentia spiritalis, qua concupiscitur sapientia, sed dixi: nulla esset pudenda concupiscentia. Relegantur verba mea quæ etiam ipse posuit, vt quanta ab illo fraude commemorentur appareat. Sed quo voluerit nomine eam appellet. Illa dixi quod non esset nisi homo antè peccasset, de qua erubuerunt in paradiso, qui pudenda texerunt; quam nemo negat, quoniam peccatum inobedientiæ præcesserat, ideo subsecutam. Qui autẽ vult intelligere quid senserint, debet considerare quid texerint. Succinctoria quippe sibi de foliis ficulneis, non vestimenta fecerunt, quæ succinctoria Græcè περιζώματα vocantur. Quid autem cooperiant perizomata, omnibus notum est, quę nonnulli Latini campestria sunt interpretati. Quis autem ignorat qui campestrantur, quas partes corporis contegant? Has enim tegebant Romani iuuenes, quando nudi exercebantur in campo, vnde hoc genus tegminis tale nomen accepit.

Suprà lib. 1. cap. 8.
Sap. 6.
Campestria vnde dicta.

CAPVT XXXI.

ILLÆ *ergo nuptiæ*, inquit, *quæ sine concupiscentia, sine motu corporum, sine necessitate sexuum, vt dicis, esse potuerunt, à te pronunciantur laudabiles. Ista verò coniugia quæ nunc aguntur, à diabolo definis inuenta. Illa itaque*, inquit, *quæ institui potuisse somnias, bona deliberas: ista verò de quibus dicit diuina Scriptura, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: profiteris mala diabolica, morbum postremò debere, non coniugium nuncupari.* Non est mirum si Pelagiani dicta nostra in sensus quos volunt detorquere conantur; quando & de Scripturis sanctis, non vbi obscurè aliquid dictum est, sed vbi clara & aperta sunt testimonia, id facere consueuerunt, more quidem hæreticorum etiam cæterorũ. Quis enim diceret, *sine motu corporum, sine necessitate sexuum nuptias esse potuisse?* Deus enim fecit sexus; quia masculum & feminam fecit eos, sicut scriptum est. Vnde autem fieri posset, vt qui fuerant coniungendi, & ipsa coniunctione generaturi, sua corpora non mouerent; quandoquidem nullus fit hominis ad hominem corporalis accessus, si desit corporis motus? Nõ ergo hic quæstio est de motu corporum, sine quo non possent omnino misceri; sed de pudendo motu genitalium, qui profectò nõ esset, & tamen seminatrix commixtio non deesset, si genitalia non libidini, sed voluntati sicut cætera membra seruirent. An non etiam nunc in corpore mortis huius imperatur pedi, brachio, digito, labro, linguæ, & ad nutum nostrum continuò porriguntur? Humori denique quod est mirabilius, in vesica intus posito, qui & quando eius copia non vrgemur, imperatur vt profluat, & obtemperat. Imò ipsis abditis visceribus & neruis, quibus idem humor continetur, imperatur vt eum propellant, exprimant, eijciant, & si sanitas adest, sine difficultate seruiunt voluntati. Quanto ergo facilius atque tranquillius obedientibus genitalibus corporis partibus & ipsum membrum porrigeretur, & homo seminaretur, nisi hominibus illis inobedientibus, membrorum istorum inobedientia iusto supplicio redderetur? Quod supplicium casti sentiunt, qui proculdubiò mallent si possent, iubente voluntate quàm pruriente voluptate filios seminare. Immundi autem qui propter istum morbum, non solùm meretrices, verumetiam coniuges amant, de hoc supplicio carnis, grauiore supplicio mentis exultant.

Genes. 2.
August.

CAPVT XXXII.

ABSIT ergo vt dicamus quod nos dicere iste confingit, *ista coniugia quæ nunc aguntur à diabolo inuenta.* Prorsus ipsę sunt nuptiæ, quas ab initio Deus instituit. Hoc enim bonum suum ad hominum generationem institu-

institutum etiam damnatis hominibus non detraxit, quibus non detraxit etiam sensus carnis & membra, proculdubiò munera sua, quamuis iam debita damnatione moritura. Istæ, inquam, sunt nuptiæ de quibus dictum est, excepto quod hic figuratũ est magno illo Christi & ecclesiæ sacramento: Propterea relinquet homo patrem & matrẽ, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Hoc enim ante peccatum dictum est; & si nemo peccasset, sine pudenda libidine posset fieri. Et nunc quamuis sine illa non fiat in corpore mortis huius, ipsum est tamen quod non cessat fieri, vt adhæreat homo vxori suæ, & sint duo in carne vna. Quamobrem etsi dicitur nunc alias esse nuptias, alias verò si nemo peccasset esse potuisse, non secundum earum naturam, sed secundum quandam in deterius mutatam dicitur qualitatẽ. Sicut alius dicitur, quamuis idem ipse sit homo, qui mutauerit vitam siue in melius, siue in deterius. Aliud est enim iustus, aliud peccator, quamuis idem ipse sit homo. Sic alię nuptiæ sine pudenda libidine, aliæ cum pudẽda libidine: cùm tamen secundum constitutionem suam, qua legitimè coniungitur mulier viro, & fides carnalis debiti ab adulteriorum peccato seruatur immunis, & hoc more legitimo filij sẽminantur, eædẽ ipsæ sunt nuptiæ quas Deus instituit, quãuis diabolus non ipsas, sed homines ex quibus nuptię fiunt, antiqua peccati persuasione fauciauerit, inobedientię persuadẽdo peccatum, cui per diuinum iudicium inobedientia membrorum reciproca redderetur, in qua cõiugati, quamuis eruberint nuditatem suam, nuptiarũ tamen à Deo institutam nõ omnimodo potuerunt amittere bonitatem.

Genes. 2.

CAPVT XXXIII.

HINC iste pergit ab eis qui coniungũtur ad eos qui gignũtur, propter quos in hac quæstione tantis aduersus nouos hęreticos disputationibus laboramus: & occulto Dei compulsus instinctu dicit aliquid, vbi totum istum nodum sua confessione dissoluit: volens enim nobis maiorem inuidiam commouere, quia dicimus etiam de legitimis nuptiis sub peccato paruulos nasci. *Illos ergo*, inquit, *qui nunquam nati sunt, bonos potuisse esse dicis: istos verò qui mundum impleuerunt, pro quibus Christus mortuus est, diaboli opus, & de morbo natos, & ab exordio reos desinis. Probaui itaque*, inquit, *nihil te aliud agere, quàm vt Deum neges horum, qui sunt, hominum conditorem.* Ego quidem conditorem hominum omnium, quamuis omnes sub peccato nascantur, & pereant nisi renascantur, non dico nisi Deum. Vitium quippe inseminatum est persuasione diaboli, per quod sub peccato nati sunt, non natura condita qua homines sunt. Libido autem pudenda non moueat membra, nisi quando volumus; & non est morbus. Non de illa erubescat etiam licitus & honestus cõiugatorum concubitus, vitando conspectum & appetendo secretum; & non est morbus. Non prohibeat Apostolus in hoc morbo possideri vxores; & nõ est morbus. Quod enim Græcus habet, ἐν πάθει ἐπιθυμίας, alij Latinè interpretati sunt, in morbo desiderij vel concupiscentiæ, alij verò in passione concupiscentię, vel si quo alio modo in aliis atque aliis codicibus inuenitur: sed passio in lingua Latina, maximè vsu loquendi ecclesiastico, non nisi ad vituperationem consueuit intelligi. Quodlibet autem de pudenda concupiscentia carnis iste sentiat, de paruulis, pro quibus laboramus, vt saluatore indigere credantur, ne sine salute moriantur, attende quid dixerit. Verba eius repeto: *Illos ergo*, inquit, *qui nunquam nati sunt, bonos potuisse esse dicis: istos verò qui mũdum impleuerunt, pro quibus Christus mortuus est, diaboli opus & de morbo natos, & ab exordio reos desinis.* O si nodum soluat etiam contentionis, quomodo nodum soluit istius quæstionis. Nunquid enim se modo de maioribus ista locutum esse dicturus est? De paruulis agitur, de nascentibus agitur, de his nobis, quia rei ab exordio definiuntur à nobis, ab illo inuidia commouetur, quia eos dicimus reos, pro quibus Christus mortuus est. Cur ergo pro illis Christus mortuus est, si non sunt rei? Inde prorsus, inde obtinebimus causam, vnde excitandam putauit inuidiam. Ipse dicit, *quomodo rei sunt paruuli, pro quibus Christus mortuus est?* Nos respondemus, imò paruuli quomodo rei non sunt, pro quibus Christus mortuus est? Ista controuersia iudicem quærit. Iudicet ergo Christus, & cui rei mors eius profecerit, ipse dicat: Hic est, inquit, sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionẽ peccatorum. Iudicet cũ illo & Apostolus, quia & in Apostolo ipsẽ loquitur Christus: clamat & dicit de Deo patre, Quia proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Puto quod ita dicat Christum traditũ pro omnibus nobis, vt in hac causa paruuli non separentur à nobis. Sed quid opus est hinc satagere vnde nec iam iste contendit, quandoquidem non solùm confitetur mortuum fuisse etiam pro paruulis Christum, verumetiam inde nos arguit, quòd eosdem paruulos reos dicimus pro quibus mortuus est Christus? Iam itaque Apostolus qui dixit, pro nobis omnibus traditum Christum; dicat etiam quare sit pro nobis traditus Christus. Traditus est, inquit, propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Si igitur, sicut iste confitetur & profitetur, & dicit & objicit, in eis sunt & paruuli pro quib⁹ traditus est Christus; & propter delicta nostra traditus est Christus, habent profectò & paruuli delicta originalia, pro quibus traditus est Christus. Habet quod in eis sanet, qui, sicut ipse ait, non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Habet cur eos saluos faciat, qui venit in mundum, sicut dicit apostolus Paulus, peccatores saluos facere. Habet quod in eis remittat, qui sanguinem se fudisse testatur in remissionem peccatorum. Habet quod in eis soluat filius Dei, qui propterea venit, sicut dicit apostolus Ioannes, vt soluat opera diaboli. Habet propter quod eos quærat, qui venit, vt dicit, quęrere & saluũ facere quod perierat. Huic ergo paruulorum saluti inimicus est, qui eorum sic asserit innocentiam, vt sauciatis & vulneratis neget necessariam medicinam.

Passionis vox vsu ecclesiastico ferè non nisi in malo intelligitur.

Iulianus sub se glacio inguldat.

Matth. 26.
Rom. 8.
Rom. 4.
Matth. 9.
1. Tim. 1.
1. Ioan. 3.

CAPVT XXXIIII.

IAM quod sequitur & adiungit, attende. *Si ante peccatum*, inquit, *per Deum creatum est, vnde homines nascerentur, per diabolum autem vnde parentes commouerentur; adscribitur sine dubio sanctitas nascentibus, & culpa generantibus. Quod quia manifestissimè nuptias damnat, amoueto hunc sensum precor de Ecclesiarum medio, & verè credito quia per Iesum Christum facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil.* Ita hoc dicit quasi nos dicamus, per diabolum aliquid substantiæ creatum in hominibus. Persuasit malum diabolus tanquam peccatum, non creauit tanquam naturam. Sed planè naturæ persuasit, quia homo natura est, & ideo eam persuadendo vitiauit. Qui enim vulnerat, non creat membra, sed vexat. Sed vulnera quæ corporibus infliguntur, membra faciunt claudicare, vel ægrè moueri, non eam virtutem qua iustus est homo: vulnus autem, quod peccatum vocatur, ipsam vitam vulnerat, qua rectè viuebatur. Hoc autem tunc maius atque altius diabolus inflixit, quàm sunt ista hominibus nota peccata. Vnde illo magno primi hominis peccato, natura ibi nostra in deterius commutata, non solùm facta est peccatrix, verumetiam genuit peccatores: & tamen ipsẽ languor quo bene viuendi virtus periit, non est vtique natura; sed vitium: sicut certè mala in corpore valetudo, non est vlla substantia vel natura, sed vitium: & licet non semper, tamen plerunque malæ valetudines parentum ingenerantur quodammodo, & apparent in corporibus filiorum. Hoc autẽ peccatum quod ipsum homi-

Ioan. 1.

Peccatum in paradiso commissum grauius est, quàm possimus intelligere.

hominem in paradiso in peius mutauit, quia multo est grandius quàm iudicare nos possumus, ab omni nascente trahitur, nec nisi in renascente remittitur, ita vt etiam de parentibus iam renatis, in quibus remissum atque tectum est, trahatur in reatum nascentium filiorum, nisi & ipsos quos prima carnalis natiuitas obligauit, secunda spiritalis absoluat. Cuius rei mirabilis, mirabile creator in oliua & oleastro produxit exemplum, vbi non solùm ex oleastri, verumetiam ex oliuæ semine non nisi oleaster exoritur. Quapropter quamuis & in hominibus natura generatis, gratia regeneratis, sit ista carnalis concupiscentia repugnans legi mentis; tamen quia remissa est in remissione peccatorum, non iam illis in peccatum reputatur, nec nocet aliquid, nisi eius motibus ad illicita consentiatur. Proles verò eorum quia non per spiritalem, sed per carnalem concupiscentiam seminatur, velut ex illa oliua quidam nostri generis oleaster, sic inde reatum nascendo trahit, vt nisi renascendo liberari ab illa peste non possit. Quomodo ergo affirmat iste nos ascribere sanctitatem nascentibus, & culpam generantibus: cùm potiùs veritas monstret, etsi fuerit sanctitas in generantibus, originalem culpam inesse nascentibus, quæ non aboleatur nisi in renascentibus.

Oliua & oleastri exemplum.

Rom. 7.

CAPVT XXXV.

Qvæ cùm ita sint, de ista carnis concupiscentia & de libidine imperiosa impudicis, domãda pudicis, pudenda tamen & pudicis & impudicis, sentiat iste quod libet, quia ei sicut video multum placet, non eam laudare cunctetur, quam nominare confunditur, appellet eam sicut appellauit membrorum vigorem, nec castarum aurium reuereatur horrorem; appellet membrorum potentiam, nec caueat impudẽtiam. Dicat si non erubescit, in paradiso si nemo peccasset, hunc ibi vigorem velut florem virere potuisse; nec opus fuisse vt tegeretur, quod ita moueretur, vt inde nemo confunderetur, sed parata coniuge semper exerceretur, nunquam reprimeretur, ne aliquando voluntas tanta, tantæ felicitati negaretur. Absit enim vt beatitudo illa posset aut in loco illo non habere quod vellet, aut in suo corpore vel animo sentire quod nollet; ac per hoc si motus libidinis voluntatem hominum præueniret, voluntas continuò sequeretur, vxorque propter hoc nunquam absens esse debebat, sed siue conceptura, siue iam grauida, ilico admqueretur: & aut proles seminaretur, aut voluptas naturalis & laudabilis expleretur, & periret semen hominis ne appetitus tam bonæ concupiscentiæ fraudaretur: tantùm non se conuerterent coniuges in eum vsum, qui est contra naturam, sed quotiens delectaret, membris ad hoc creatis & genitalibus vterentur. Veruntamen quid si & ille vsus contra naturam forsitan delectaret, quid si & in hanc voluptatem laudabilis illa libido adhinniret; vtrum sequerentur eam quoniam suauis esset; an repugnarent, quoniã turpis esset? Si sequerentur, vbi est cogitatio qualiscunque honestatis? Si repugnarent, vbi est pax tantæ felicitatis? Hinc si fortè erubuerit & dixerit tantam pacem felicitatis illius, tantumq; ordinem in his rebus esse potuisse, vt nunquam carnis concupiscentia voluntatem illorum hominum præueniret; sed cùm ipsi vellent, tunc illa consurgeret: tunc autem vellent, quando ad seminandos filios opus esset, ita vt nullus seminis esset irritus iactus, nullus fieret concubitus, quem non sequeretur cõceptus & partus ad nutum seruiente carne, ad nutum seruiente libidine. Hoc si dicit, saltem cõsideret nunc in hominibus non esse quod dicit. Et si non vult concedere vitium esse libidinem; dicat saltem per illorum hominum inobedientiam etiam ipsam vitiatam: vt illa quæ obedienter & ordinatè moueretur, nunc inobedienter inordinateque moueatur, ita vt ipsis quoque pudicis ad nutum non obtemperet coniugatis; sed & quando non est necessaria moueatur, & quando necessaria est aliquando citius, aliquando tardius, non eorum sequatur nutus, sed suos exerat motus. Hanc ergo eius inobedientiam inobedientes illi tunc homines receperunt, & in nos propagine transfuderunt. Neque enim ad eorum nutum, sed vtique inordinatè mouebatur; quando membra prius glorianda, tunc iam pudenda texerunt. Sed vt dixi, sentiat de ista libidine iste quod libet, prædicet vt libet, laudet quantum libet, (sicut enim multis locis significat multum libet) vt eius si non vsibus, saltem laudibus Pelagiani oblectentur, quicunque eorum proposito continentiæ † carnali coniugio non fruuntur: tantùm paruulis parcat, vt non eos laudet inutiliter, defendatque crudeliter, saluos esse non dicat, non ad laudatorem Pelagium, sed ad saluatorem Christum venire permittat. Nam vt iam liber iste claudatur, quoniam ita sermo illius terminatus est, qui in chartula quam misisti, scriptus est, vt diceret, *Verè credito, quia per Iesum facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil*: concedat Iesum etiam paruulis esse Iesum: & vt per eum facta omnia fatetur per id quod est verbum Deus; ita etiam paruulos ab eo saluos fieri fateatur per id quod est Iesus, si vult esse catholicus Christianus. Sic enim scriptum est in Euangelio, Et vocabunt nomen eius Iesum: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Ideo ergo Iesum, quoniam Iesus Latinè Saluator est: ipse enim saluum faciet populum suum, in quo populo sunt vtique & paruuli: Saluum autem faciet à peccatis eorum. Sunt ergo & in paruulis peccata originalia, propter quæ Iesus, id est, Saluator, possit esse & ipsorum.

al. carne coniugum

Ioan. 1.

Matth. 1.

FINIS.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI CONTRA IVLIANVM PELAGIANVM, LIBRI VI.

Ex lib. 2. retract. cap. 62.

Lib. 2. retract. cap. 53.

Interea libri quatuor Iuliani Pelagiani quos suprà commemorauì, venerũt etiam in manus meas, in quibus comperi illa quæ ex eis decerpserat, qui ea comiti Valerio miserat, non omnino quidem eo modo quo à Iuliano dicta sunt, ad eundem comitem scripta, sed nonnulla eorũ aliquantũ fuisse mutata. Scripsi ergo sex libros aduersus illos quatuor: sed in eorum duobus primis testimoniis sanctorum qui fidem catholicam post Apostolos defenderunt, Iuliani impudentia redarguitur; qui tanquam Manichæorum dogma nobis obiciendum putauit, quia ex Adam trahi dicimus originale peccatum, quod per lauacrum regenerationis non solùm in maioribus, verùm etiam in paruulis soluitur. Quantum autem ipse Iulianus quibusdam sententiis suis adiuuet Manichæos; in primi libri mei parte posteriore monstrauì. Cæteri autem nostri quatuor libris redduntur illius singulis singuli. Verũ in huius, tanti tamq; elaborati operis quinto volumine, vbi commemorauì deformem maritum coniugi suæ ne deformes pareret, proponere in concubitu formosam solere picturam, nomen hominis qui hoc facere solebat quasi certum posui, cùm sit incertum, quia memoria me fefellit. Hoc autem Soranus medicinæ artis magister scripsit regem Cyprium facere solere, sed nomen eius proprium non expressit. Hoc opus sic incipit, Contumelias tuas.

Cap. 8.

Cap. 9.

BEATI AVGVSTINI EPISTOLA AD CLAVDIVM EPISCOPVM.

Beatissimo fratri & coepiscopo Claudio Augustinus in Domino salutem. Quoniam mihi fraterno excitatus affectu Iuliani quatuor libros, quos aduersus vnum meum scripsit, priusquam peterem, ipse misisti; nihil conueniensius putauì esse faciendum, quàm vt ea quæ respondeo, potissimum tu legens iudices, vtrum rectè congruenterque responderim. Nam de his quatuor libris nonnulla decerpta scripserat nescio quis, ad illustrem & religiosum virum, comitem Valerium, aduersus eundem librũ meum, quem me ad illum scripsisse cognouerat: quæ cũ in manus meas eodem sublimi viro curante venissent, illi primo non distuli secundum volumen adiungere, in quo illa omnia sicut potui refutauì. Sed nunc cùm eosdem libros diligẽtius inspicerem, comperi illum qui nonnulla inde selegerat, non omnia ita posuisse, vt in his libris leguntur. Vnde videri poterit Iuliano, vel cuilibet illorum, me potius fuisse mentitum, quia non vtique sicut hi quatuor libri, ita illa quæ de his excerpta, & memorato comiti missa sunt, innotescere potuerũt. Quisquis ergo & illum secundum librũ meum ad comitẽ identidem Valerium sicut primũ conscriptum legit, nouerit me in quibusdam non respondisse Iuliano, sed ei potius qui de libris eius illa selegit, & non ita posuit vt inuenit, sed aliquãtum putauit esse mutanda, fortasse vt eo modo quasi sua faceret, quæ aliena esse cõstaret. Nunc autẽ veriora credens exemplaria, quæ tua sanctitas misit, ipsi authori video respõdendum, qui vnum meum quatuor libris suis refellisse se iactat, & vsquequaq; spargere fidei venena non cessat. Aggressus sum igitur hoc opus in adiutorio Saluatoris pusillorum atque magnorum, & scio te vt id implerem orasse pro me, & pro iis quibus huiuscemodi labores nostros profuturos credimus & optamus. Attende ergo iam responsionem meam, cuius principium hanc epistolam subsequetur. Vale in Domino memor nostri beatissime frater.

LIBRI PRIMI CONTRA IVLIANVM, CAPVT PRIMVM.

Contumelias tuas & verba maledica, Iuliane, quæ ardens iracundia libris quatuor anhelasti, si me contemnere dixero, mentiar. Quomodo enim possum ista contemnere, vbi testimoniũ conscientiæ meæ cogitans, vel gaudere me video debere pro me, vel dolere pro te, & pro eis qui decipiuntur abs te? Quis autẽ contemnat siue exultationis suæ materiam, siue mœroris? Nam vnde partim lætamur, partim contristamur, nulla ratione cõtemnimus. Meorum quippe causã gaudiorum est promissio Domini dicentis: Cùm dicunt omne malũ aduersum vos mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniã merces vestra multa est in cælis. Et rursus mei causa mœroris est Apostoli affectus vbi lego: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Sed hæc pro tuo dogmate, quod veritatẽ putas, etiã tu potes dicere: Auferamus itaq; de medio, si placet, ista communia, quæ dici ex vtraq; parte possunt, quãuis veraciter ex vtraq; parte dici non possunt: Primum abs te quæro, cur libro meo saltem specie tenus te respondisse glorieris, cum tuis libris quatuor vnius mei partem nec quartam reprehendendo tetigeris, cosq; saltus in prætereundis meis disputationibus feceris, quasi omnino desperares vtriusque operis, & mei scilicet & tui quenquam esse posse lectorem, qui ista deprehenderet. Denique etiam pauca ipsa, in quibus vix est, vt dixi, quarta pars voluminis mei, quę velut infirmiora existimãs, quatuor tuorum grandiorum voluminum strepitu, quasi quadrigarum impetu prosternere & cõculcare molitus es; consideratione multo plurium cæterorum, quæ attingere timuisti, inconcussa manere monstrantur. Quod ostendere penè superfluum est. Admonendi enim sunt potius, qui hoc nosse desiderant: vt non eos pigeat vtrumque legere, & quod scripsi, & quod respõdere voluisti: Ita enim se res ipsa declarat atq; indicat, vt nimium tardi sint, qui hoc à nobis postulent demõstrari. Nunc ergo quia video te à veritate desertũ, ad maledicta esse cõuersum, ita distribuam disputationẽ meam, vt ostendam prius quantis, & qualibus ecclesiæ catholicæ doctoribus nomine Manichæorum intolerabilem facere non cunctaris iniuriam, & cũ me appetis, in quos tela sacrilega iaculeris. Deinde monstrabo, quòd tu ipse sic adiuuas Manichæorũ damnabilem & nefandæ impietatis errorem, vt nullũ talem patronũ nec in suis dilectoribus valeant inuenire. Tertio loco quantum breuiter potuero sententiis non meis, sed eorum qui fuerunt ante nos, & aduersus impios fidem catholicam defenderũt, inanes argutias tuas & elaborata argumenta conuincam. Postremò quoniam si te non correxeris, necesse tibi erit etiam illos ecclesiæ catholicæ oppugnare doctores, atq; contendere, nec ipsos in hac quæstione catholicã tenuisse veritatem, defendam contra te Deo adiuuante & ipsorum & nostram fidem: vbi etiam id poterit apparere, non solùm tu verbis tuis, quod secundo

Matth. 5.

2. Cor. 11.

Reprehendit suos exordiums communis.

Distributio operis.

cundo loco me demonstraturũ esse promisi, sed ipsum dogma Pelagianum, quod commune est omnibus vobis, quantum adiuuet Manichæos.

CAPVT II. Controuersia inter Augustinum & Iulianum.

PRIMAM itaq; partẽ distributionis meæ, quẽadmodũ exequar, parumper aduerte. Nempe inter nos, quantũ attinet ad intentionẽ libri mei, cui te respondisse quatuor tuis iactas, ista vertitur quæstio, quod ego dicò sic nuptias esse laudãdas, vt nullo modo ad earum culpã vituperationemq; pertineat; quod omnes homines primorũ illorũ hominũ peccato nascantur obnoxij. Hoc enim qui negat, ipsa Christianæ fidei subuertere firmamenta conatur. Hinc quippe factum est, vt de nuptiis & concupiscentia librũ scribere: nuptiarum scilicet bonũ discernẽs ab eo malo vnde trahitur originale peccatum. Tu autem dicis nuptias sine dubitatione damnari, nisi quod ex eis nascitur, ab omni sit liberũ obligatione peccati: propter quod libris quatuor te vnum meũ refutasse gloriaris. In quibus libris volẽs homines auertere à fide catholica fundatissima, & ad nouitatẽ vestri erroris adducere, sæpe incutis legentiũ sensibus Manichææ pestis errorem: quasi malum naturale cum Manichæis sapiat, qui dicit infantes secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere; & ob hoc secunda indigere, vt per lauacrum regenerationis prius peccati originalis remissione purgentur, & in Dei filios adoptari in regnum vnigeniti transferantur. Hoc de Manichæorum nomine & crimine faciebat etiam Iouinianus; negans Mariæ sanctæ virginitatem, quæ fuerat dum conciperet, permãsisse dum pareret, tanquam Christum cum Manichæis phãtasma crederemus, si matris incorrupta virginitate diceremus exortum. Sed in adiutorio ipsius saluatoris, sicut spreuerũt catholici velut acutissimũ, quod Iouinianus exeruerat argumentũ, & nec sanctam Mariam pariendo fuisse corruptam, nec Dominum phantasma fuisse crediderũt, sed & illã virginẽ mansisse post partum, & ex illa tamen verum Christi corpus exortum: sic spernũt vestra calumniosa vaniloquia, vt neq; cum Manichæis astruant mali naturale principium, & secundum antiquam & veram catholicam fidem nullo modo dubitent Christum in euacuando chirographo paterni debiti liberatorem credere paruulorum.

Iulianus ob originalis peccati assertionem Manichæis notã catholicis impingit.

Idem olim Iouinianus, ob assertam beatæ Mariæ perpetuam virginitatem. Lib. 1. de nup. & concupisc. cap. 5.

CAPVT III. Recenset veteres patres qui originale peccatum asseuerum. quos nemo Manichæorum ausus appellare.

SED tu qui tam crebro nobis Manichæorũ nomen opponis, quos & quales viros & quantos fidei catholicæ defensores tam execrabili criminatione appetere audeas, si euigilas intuere. Non quidem omnium de hac re sententias, nec omnes eorũ, quos cõmemorabo, me congregaturum esse polliceor, quia nimis longum est, & necesse esse non arbitror: sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere & cedere, si vllus in eis vel Dei timor, vel hominũ pudor tantũ malum peruicaciæ superauerit. Irenæus Lugdunẽsis episcopus, non longè à temporibus Apostolorum fuit: iste ait, *non aliter saluari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credãt in eũ, qui secundũ similitudinẽ carnis peccati in ligno martyrij exaltatus à terra, & omnia traxit ad se, & viuificauit mortuos.* Item idẽ ipse: *Quemadmodum astrictũ est*, inquit, *morti genus humanum per virginem, soluatur per virginẽ æqua lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obediẽtiam. Adhuc enim protoplasti peccato per correptionem primogeniti emendationẽ accipiente, serpẽtis prudentia deuicta per simplicitatem columbæ, vinculis illis resoluti sumus, per quæ alligati eramus morti.* Videsne antiquum hominem Dei, quid de antiqua serpentis plaga sentiat? Quid de similitudine carnis peccati, per quam sanatur plaga serpentis in carne peccati? Quid de protoplasti peccato, per quod alligati fueramus? Multo autẽ apertius de eadẽ fide beatissimus martyr & episcopus Cyprianus: *Si homines*, inquit, *impedire aliquid ad cõsecutionem gratiæ posset, magis adultos & proiectos & maiores natu possent impedire peccata grauiora. Porrò autem si grauissimis delictoribus & in Deum multo antè peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quòd secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ, prima natiuitate contraxit. Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata.* Reticiũ ab Augustoduno episcopũ magnæ fuisse authoritatis in ecclesia tempore episcopatus sui, gesta illa ecclesiastica nobis indicant, quando in vrbe Romana Melchiade apostolicæ sedis episcopo præsidente, cũ aliis iudex interfuit, Donatumq; damnauit, qui prior author Donatistarum schismatis fuit, & Cæcilianum episcopum Ecclesiæ Carthaginiẽsis absoluit. Is cùm de baptismo ageret, ita locutus est: *Hanc igitur esse principalem in ecclesia indulgentiam neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ facinora prisca delemus, vbi & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus.* Audis antiqui criminis pondus, audis prisca facinora, audis cũ sceleribus ingenitis hominẽ veterem, & audes aduersus hæc ruinosam construere nouitatẽ? Olympius Hispanus episcopus, vir magnæ in Ecclesia & in Christo gloriæ, in quodã sermone Ecclesiastico: *Si fides*, inquit, *vnquã in terris incorrupta mansisset, ac vestigia desixa tenuisset, quæ signata deseruit, nunquam protoplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in germine, vt peccatum cum homine nasceretur.* Habẽsne aliquid quod aduersus nos tibi dicere videaris, quod non etiã in istum dicere cõpellaris, vel potius in istos? Vna est enim omniũ catholica fides, qui per vnũ hominem peccatum intrasse in mundum, in quo omnes peccauerũt, vno corde credũt, ore vno fatẽtur, & vestras nouitias præsumptiones catholica antiquitate subuertunt. Audi adhuc quod te possit amplius cõmouere, atq; turbare, & vtinã in melius commutare. Ecclesiæ catholicæ aduersus hæreticos acerrimũ defensorẽ venerandũ quis ignorat Hilariũ episcopum Gallũ? Qui cùm de Christi carne ageret, attẽde quid dixerit: *Ergo cùm missus est*, inquit, *in similitudine carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit & peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, à peccato scilicet Adam parente deducta, in similitudine peccati carnis est missus, existente in eo non peccato, sed peccati carnis similitudine.* Rursus idem ipse in expositione centesimi duodeuigesimi Psalmi, cũ ad id venisset quod scriptũ est: Viuet anima mea, & laudabit te: *Viuere se*, inquit, *in hac vita non reputat, quippe qui dixerat: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Scit sub peccati origine, & sub peccati lege esse se natum.* Sentisne quid audias? Quærisne quid dicas? Hunc virũ tanta in episcopis catholicis laude præclarum, tanta notitia famaq; conspicuũ, de peccato originali aude, si quid tibi frõtis est, criminari. Sed adhuc audi alium excellentem Dei dispensatorem, quẽ veneror vt patrem: in Christo enim Iesu per Euangeliũ ipse me genuit, & eo Christi ministro lauacrũ regenerationis accepi: beatũ loquor Ambrosiũ, cuius pro catholica fide gratiã, constantiam, labores, pericula, siue operibus, siue sermonibus & ipse sum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus. Hic vir cũ secundum Lucam exponeret Euangelium, *Iordanis*, inquit, *conuersus est retrorsum: significauit salutaris lauacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint paruuli à malitia reformantur.* Rursus idem ipse in eodem opere: *Non enim virilis coitus*, inquit, *vulnæ virginalis secreta reserauit, sed immaculatum semen inuiolabili vtero Spiritus sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina sanctus Dominus Iesus, qui terrenæ contagia corru-*

Cyprianus, Lib. 1. epist. 8. ad Fidum.

Reticius episcopus.

Non extat hic scriptum.

Olympius episcopus, nec huius quicquam extat.

Hilarius episcopus.

Rom. 8.

In Psal. 118.

Psal. 50.

Ambrosius & conuersus & baptizatus.

Ambrosius de illud Luc. 1. In spiritu & virtute Heliæ.

1. Cor. 4.

A illud ca. 1. Omne masculinum apertus v. sam.

ptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti maiestate depulerit. Idemque in eodem ipso: *Omnes*, inquit, *in Adam morimur; quia per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Illius igitur culpa, mors omnium est.* Item loco alio in eodem Euangelio: *Caue ergo*, inquit, *ne antè nuderis, sicut Adam nudatus est, mandati cælestis custodia destitutus, & exutus fidei vestimento, & sic lethale vulnus accepit, in quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens vulnera eius acerba curasset.* Rursus in opere ipso, alio loco: *Fuit*, inquit, *Adam & in illo fuimus omnes. Periit Adam, & in illo omnes perierunt.* Rursus idem ipse in apologia prophetæ Dauid: *Antequam nascimur*, inquit, *maculamur contagio, & ante vsuram lucis, originis ipsius excipimus iniuriam, & in iniquitate concipimur. Non expressit*, inquit, *vtrum parentum an nostra. Et in delictis vnumquemque generat mater sua. Nec hic declarauit, vtrum in delictis suis mater pariat, an iam sint aliqua delicta nascentis. Sed vide ne vtrunque intelligendum sit. Nec conceptus exors iniquitatis est, quoniam & parentes non carent lapsu. Et si nec vnius dici infans sine peccato, multo magis nec illi materni conceptus dies sine peccato sunt. Concipimur ergo in peccato parentum, & in delictis eorum nascimur. Sed & ipse partus habet contagia sua, nec vnum tantummodo habet ipsa natura contagium.* Idem ipse in expositione libri Tobiæ: *Quis*, inquit, *iste peccati est fœnerator nisi diabolus, à quo Eua mutuata peccatum, obnoxie successionis vsuris omne genus defœnerauit humanum?* Rursus in eodem, *Diabolus*, inquit, *Euam decepit, vt supplantaret virum, obligaret hæreditatem.* Idem ipse in expositione Psalmi quadragesimi octaui: *Alia est*, inquit, *iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, vt omnes illo vulnere claudicemus.*

In 4. cap. Luce de demoniaco & socrus Petri sanata.

Rom. 5.

Ad illud cap. 10. de homine qui in latrones incidit.

In 15. cap. de filio prodigo.

Lib. apologiæ Dauid. cap. 11.

Iob 14.

Lib. de Tobia, cap. 9.

Ibid. cap. 23.

In illud Psal. 48. Iniquitas calcanei mei circumdabit me.

CAPVT IIII.

I NVNC & mihi obijce originale peccatum, dissimula ab istis, finge te nescire quid dicant; & sanctæ Ecclesiæ tot tantosque doctores, qui vita optimè gesta, debellatisque suorum temporum erroribus, gloriosissimè de hoc seculo, antequam vos ebulliretis exierunt, velut eis non visis, in me impetum faciens, & velut nesciens, quòd illi sub meo nomine lacerentur, tanquam securus insulta. Crederem te, fateor, quid mali facias ignorare, nec impudentiæ, sed imprudentiæ tuæ tribuerem, quòd hæc lumina ciuitatis Dei audes hostiliter insectari, quæ sectari fideliter debuisti: Crederem te, inquam, hoc tantum nefas committere nescientem, nisi in eo libro cui te respondisse vel existimas, vel existimari cupis, apertissimum testimonium de sancti Ambrosij disputatione posuissem. An ibi non legisti, quòd cùm Christi natiuitatem de virginis partu suprà dictus insinuaret episcopus, *Ideo*, inquit, *& quasi homo per vniuersa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta sustinuit, sed quasi de spiritu natus abstinuit à peccato. Omnis enim homo mẽdax, & nemo sine peccato nisi vnus Deus. Seruatum est igitur vt ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers esse delicti. Qui autem expers delicti, expers est etiam huiusmodi conceptionis.* Si hæc ibi verba venerandi Ambrosij nõ legisti, quomodo redarguendum librum, in quo ea sunt posita, suscepisti? Si autem legisti, quid aduersus me furis, & illum in me primitus carpis? Quid nomen dilaniare niteris meum, & Ambrosium facis tacito eius nomine Manichæum? Cernis nempe cum quibus tua maledicta sustineam, cernis cum quibus mihi sit causa communis, quã nulla consideratione sobria pulsare calumniis & expugnare conaris? Cernis quàm tibi perniciosum sit, tam horribile crimẽ obijcere talibus, & quàm mihi gloriosum sit, quodlibet crimen audire cũ talibus? Si cernis, cerne, & tandem tace, Pelagianam linguam tot linguis catholicis deprime; tot venerandis oribus proterua ora submitte. Si scholã Xenocratis sicut Polemo ex antelucano conuiuio temulentus intrasses, non tanta quanta in isto cœtu tot sanctorum, deberes verecundia coërceri. Hic enim certè tanto maior debet esse verecundia, quanto verior addiscitur sapiẽtia. Tanto amplius reuerẽdi sunt tot memorabilium episcoporũ, quàm vnius Xenocratis vultus, quanto Platone Xenocratis doctore, doctor istorum maior est Christus. Ego certè beatæ memoriæ Memoris patris tui non immemor, qui mecum non paruam inierat amicitiam colloquio literarũ, teq; ipsum mihi charissimum fecerat, cùm te viderem in libris tuis non antelucano conuiuio temulentũ, sed insano cõuicio turbulentum introduxi te sedandũ atq; sanandũ, non in alicuius philosophi auditorium, sed in sanctorum patrum pacificũ honorandumq; conuentum. Sit operæ pretiũ obsecro te, aspice illos quodammodo aspicientes te, & mãsuetè ac leniter dicentes tibi: Itáne nos, fili Iuliane, Manichæi sumus? Rogo quid respondebis? Quibus eos oculis intueberis? Quæ tibi argumenta succurrẽt? Quæ Aristotelis categoriæ, quib⁹ vt in nos velut artifex disputator insilias, videri appetis elimatus? Quæ tuorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conspectu exeri audebunt? Quæ abs te arma non fugient nudumq; destituent? An fortè dicturus es neminem illorũ te in isto crimine nominasse? Et quid facies cùm tibi dixerint, Tolerabilius dẽte maledico nomina cõcideres nostra, quàm fidẽ nostram, cuius meritò in cælo nomina scripta sunt nostra? An fortè dices eis, Nec fidem vestram vllo tali crimine violaui? Sed qua confidentia id dicere audebis homo, qui dicis Manichæum esse sensum, confiteri ex Adam trahere nascentes originale peccatum, quod isti cõfessi atq; professi sunt; quod in Christi ecclesia suorum rudimentorum tẽpore didicerunt, quod Christi ecclesiam suorum honorum tẽpore docuerunt; qui per Spiritum sanctum tam multa peccata omnibus, quos baptizare potuerunt, tam multis paruulis sola originalia remiserunt? Iterum te admoneo, iterum rogo, aspice tot ac tales ecclesiæ catholicæ defensores atq; rectores; vide quibus tam grauem, tamque nefariam irrogaris iniuriam. An ideo contemnendos putas, quia occidentales ecclesiæ sunt omnes, nec vllus est in eis commemoratus à nobis Orientis episcopus? Quid ergo faciemus, cũ illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorũ voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiæ præcedentem beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuuentutẽ tuã Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille sanctus Africanis respondere conciliis, nisi quod antiquitus apostolicæ sedes & Romana cum cæteris tenet perseueranter Ecclesia? Et tamen eius successorẽ crimine præuaricationis accusas, quia doctrinæ Apostolicæ & sui decessoris sententiæ noluit refragari. Sed de hoc interim taceo, ne animum tuum, quẽ sanare potius cupio quàm irritare, laudibus tui dãnatoris exulcerem. Sancto Innocentio vide quid respondeas, qui nihil aliud de hac re sapit, quàm quod isti in quorũ te conuentũ, si tamen prodest aliquid, introduxi: cũ his etiam ipse considet, etsi posterior tempore, prior loco. De miseris paruulis ab originali malo, quod trahitur ex Adam, per Christi gratiam liberandis, vnam cum eis tenet Christianam veramq; sententiam. Qui omne præteritum vitiũ, primi scilicet hominis, qui libero arbitrio est in profunda demersus, Christum dixit sui

Polemo ex luxuriosa adolescentia insignis factus philosophus.

Tullianus Augustinus ob Memoris patris ipsius familiaritatem, charissimum aliquando habuit. Vide August. epist. 131.

B. Petrus Apostolorum primus.

Laudat epistolas Innocẽtij Papæ ad Carthaginense & Milenitanum concilia.

Tullianus Zosimum pontificem criminis præuaricationis accusare ausus.

Rotharius Pontifex reliquis episcopis loco prior.

Innocentius Papa 1. epist. apud August. 91.

Idem. epist. 93.

lauacro purgasse baptismatis. Qui denique paruulos definiuit, nisi manducauerint carnem filij hominis, vitam prorsus habere non posse. Huic responde, imò ipsi Domino, cuius ille antistes vsus est testimonio, & dic vnde imago Dei tam capitali supplicio puniatur, vt vita priuetur, si peccatum à nascentibus originale non trahitur? Sed quid dicas, aut quid respondeas, qui etiam si beatum audeas Innocentium, non audebis tamen Christum dicere Manichæum? Non est ergo cur prouoces ad Orientis antistites, quia & ipsi vtique Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est: quia & fides ista Christiana est, & te certè occidentalis terra generauit, occidentalis regenerauit ecclesia. Quid ei quæris inferre, quod in ea non inuenisti, quando in eius mẽbra venisti? Imò quid ei quæris auferre, quod in ea tu quoque accepisti? Nam peccatum originale quod in aliorum perniciem paruulorum negas, quacunque ætate sis baptizatus, aut ipsum tibi remissum est, aut & ipsum. Sed si verum est, quod audiuimus te infantulum baptizatũ, etiam tu quamuis à tuis propriis peccatis innocens: tamen quia ex Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate traxisti, & in iniquitate conceptus es: profectò exorcizatus & exufflatus es, vt à potestate erutus tenebrarum transferreris in regnum Christi. O fili male ex Adam nate, sed bene in Christo renate, sacramenta quibus te peperit, tuæ matri conaris auferre. Nunquid Manichæa fuit quando isto modo te peperit, quomodo iam non vis vt pariat, & ingeris ei natiuitatis opprobria, vt in ea cæteris claudas, ex quibus ipse natus es, viscera pietatis? Diuidis ei nomen viri sui, vt ad regenerandos paruulos tãtummodo Christus sit: ad maiores autem, Christus Iesus, quia Iesus Saluator interpretatur. Quod eum paruulis esse non vultis, quia nihil eos habere, vnde illos saluos faciat, prædicatis.

Iuliani ad Orientales prouocabat e pisscopos.

Iean. 6.

CAPVT V.

Etiam Orientis episcopos in originali peccato asserendo Occidentalibus consentire.

Laus Gregorij Nazianzeni.

Gregorius Nazianzenus.

SED non tibi deerit magni nominis & fama celeberrima illustris episcopus etiam de partibus Orientis, cuius eloquia ingentis meritò gratiæ, etiam in linguam Latinam translata vsquequaque claruerunt. Sedeat ergo cum istis patribus etiam sanctus Gregorius, & cum eis tuæ criminationis inanem patiatur inuidiam, dum tamẽ cum eis contra nouitiam pestem vestram, medicinalem proferat & ipse sententiam. Audi ergo quid dicat: *Imago*, inquit, *Dei, labem corporeæ inundationis expurget, & coniunctam sibi carnem verbi Dei subleuet pennis. Et quamuis melius fuisset ne egere quidem huiuscemodi expurgatione, sed in illa prima dignitate permansisse, ad quã & re festinamus post præsentem emendationem, & melius fuisset non excidere à ligno vitæ gustu amarissimo peccati: tamen in secundo loco expedit emendari & corrigi post lapsum, quàm in nequitiis permanere.* Itémque idem ipse: *Sicut in Adam omnes*, inquit, *mortui sumus, ita & in Christo omnes viuificemur. Cum Christo ergo nascamur, & cum Christo crucifigamur, & consepeliamur ei in mortem, vt cum ipso etiam resurgamus ad vitam. Necesse est enim nos perpeti vtilem hanc & necessariam vicissitudinem: vt sicut ex bonis ad tristia deuoluti sumus, ita ex tristibus ad meliora reparemur. Vbi enim abundauit peccatum, superabundauit gratia. Vt quos gustus ligni vetiti condemnauit, Christi crux gratia largiore iustificet.* Idem rursus, *Venerare*, inquit, *natiuitatem, per quam terrenæ natiuitatis vinculis liberatus es. Honora Bethleem pusillam & minimam, per quam tibi regressus ad paradisum patefactus est.* Itémque alibi de baptismo loquens: *Persuadeat*, inquit, *tibi de hoc quoq; sermo Christi dicentis, neminem posse introire in regnũ cælorum, nisi renatus fuerit ex aqua & spiritu. Per hunc primæ natiuitatis maculæ purgantur, per quas in iniquitatibus concipimur, & in delictis genuerunt nos matres nostræ.* Nunquid & istum Manichæi sapere vel iacere venena dicturus es? Audis omnes vno corde, vno ore, vna fide idipsum dicere, & hanc esse catholicam fidem non dissonante cõtestatione firmatam. An tibi parua in vno Gregorio episcoporum orientalium videtur authoritas? Est quidem tanta persona, vt neq; ille hoc nisi ex fide Christiana omnibus notissima diceret; nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta ex regula notissimæ veritatis agnoscerent.

Oratione in natalem Christi, paulò post initium.

1. Cor. 15.

Rom. 5.

Ibidem sub finem.

Ioan. 3.

Sed si vis addimus huic & sanctum Basilium, imò velis nolis addendus est, maximè quia & tu de libro eius, quem scripsit aduersus Manichæos, in quarto volumine huius operis tui aliquid putasti esse ponendum, quod ad causam peccati originalis per vnũ intrantis in mũdum, & per omnes homines transeuntis omnino non pertinet. Ibi quippe agit, ne malum substantiale credatur, habens suã quandam materiam, sicut sapiunt Manichæi. Dicit ergo *non esse substantiam, sed conuersationem, quæ de sola voluntate contingat*; non his, qui contagium mortis antiquæ prima natiuitate traxerunt, sed *iis qui ægritudinem conuersationis de voluntate propria collegerunt*, id est, iam maioribus ratione vtentibus & arbitrio voluntatis. *Hanc conuersationem ex accidenti venientem facillimè dicit posse ab ægrotantium voluntate separari.* Dicit etiam, *si euenisset malum, ita vt non valeret vlteriùs à voluntate remoueri, id est, quamuis accidisset, si ita accidisset vt separari vlteriùs à voluntate non valeret; merito dici posset, substantiale quidem malum non esse, sed ipsam substantiam sine malitia quæ accidit, iam esse non posse. Si autem accessit*, inquit, *& principium accessionis non substantiam habuit, sed voluntatem; facilè potest malum à substantia separari, vt & subiecta voluntati substantia, munda possit per omnia possideri, ita vt nullius mali vel signa remaneãt.* Ista ita rectè dixit sanctus Basilius, vt etiam de ipso malo, quod per Adam intrauit in mundum, & per omnes homines pertrãsiit, bene possit intelligi; quia & ipsum accessit naturæ humanæ. Non enim sic est primitus cõdita, & principiũ accessionis non substãtiam habuit, sed voluntatem, siue mulieris, quæ à serpente seducta est, siue viri eius, qui seductæ ad peccandum consensit vxori. Sed quod ait, *facilè posse malum à voluntate, vel à substantia separari*, non humanæ facile est voluntati, sed misericordiæ Dei. Quod aduersus Manichæos vtique sufficit, qui putãt esse impossibile mutari in bonum naturam mali. Ideo non ait Basilius, ipsam voluntatem hominis, siue substantiam, vel naturam, malum à se posse facilè separare: sed ab ea posse facilè separari: sic verba sua librans, vt & Manichæos, contra quos agebat, refelleret; & contra diuinam gratiam humanam superbiam non extolleret. Ille quippe omnipotens cui secundum Euangeliũ facile est, quod hominibus impossibile est, malum quod nobis accidit, vel ex primi hominis, vel ex nostra insuper voluntate, ita suæ gratiæ largitate consumet, *vt subiecta substantia voluntati*, quemadmodum commemorasti dixisse Basilium, *munda possit per omnia possideri*, sic omnino, *vt nullius mali vel signa remaneant.* Fiet hoc, & ipsa spes est indubitata fidelium. Sed quando perficiatur, in promptu est catholicæ fidei. Tunc enim dicetur nouissimæ inimicæ morti: Vbi est contẽtio tua, vbi est aculeus tuus? Itẽ quod cõmemoras dixisse Basilium, *Si castitas virtus est, corpus verò substantialiter malum esset; impossibile erat castum corpus inueniri; quia corpus turpitudinis, virtutis non fieret corpus: cùm autem sanctificatur, virtutis efficitur, & ita communicat virtus corpori, corpusq; virtuti, per quam & templum efficitur Dei. Vnde si omne corpus fornicationis esset, impossibile vtique erat castitatem in corporibus inueniri; tumq; demum naturæ corporum possemus malum substantiale deputare. Si verò eousque corporis merita processerunt, tantóque honore decoratum est, ac tale indumẽtum pudicitiæ suscepit, vt do*

Respondet ad locum Basilij à Iuliano prolatum. Basilius libri scripsit contra Manichæos.

Matth. 19.

1. Cor. 15. Respondet ad alterum locum ex eodem libro sumptum.

vt domus sui factoris esse mereretur, ac fieret thalamus filij Dei, vt venientes pater & filius habitationem corporum eligere dignarentur: quomodo non execrabilis & ridendus Manichæi sermo conuincitur? Quid potuit dici verius & catholicæ regulę conuenientius? Dictum est enim aduersus Manichæos, putantes atq; affirmantes de gente tenebrarum, quam malam naturam dicũt, Deo bono coæternam habere originem corpora, & esse etiã ipsa immutabilia mala: non aduersus eos, qui tenentes veram & verè Christianã fidem, nunc quidem corruptibile esse corpus, & aggrauare animam confitentur; sed nec tale primitus conditum, atque in paradiso constitutum; nec tale semper futurũ: sed incorruptione atq; immortalitate mutandum, & nunc iam esse incipere templum Dei, cõiugali, vel viduali, vel etiam virginali pudicitia decoratum. Quando & si caro concupiscit aduersus spiritum, sic tamen spiritus concupiscit aduersus carnẽ, vt nec ipsius corporis membra exhibeat iniquitatis arma peccato. Sed audi quod ad rem præsentem spectat, quid de peccato primi hominis ad nos etiam pertinente dicat iste sanctus sine vlla ambiguitate Basilius. Quod etsi reperi interpretatum, tamen propter diligẽtiorem veri fidem, verbum è verbo mãlui transferre de Græco. In sermone de Ieiunio, *Ieiunium*, inquit, *in paradiso lege constitutum est. Primũ enim mãdatum accepit Adam: à ligno sciendi bonum & malum non manducabis. Non manducabis autem, ieiunium est, & legis constitutionis initium. Si ieiunasset à ligno Eua, non isto indigeremus ieiunio. Non enim opus habent valentes medico, sed malè habentes. Ægrotauimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Pœnitentia verò sine ieiunio vacua est. Maledicta terra, spinas & tribulos pariet: Contristari ordinatus es, nunquid deliciari?* Et paulopòst in eodem sermone, idem ipse: *Quia non ieiunauimus*, inquit, *decidimus de paradiso. Ieiunemus ergo vt ad eum redeamus.* Hæc atq; huiusmodi alia sancti Basilij si legisses, vel si lecta fideliter considerare voluisses, nunquam profectò de literis eius ad offundendas nebulas ignorantibus ea, quæ nihil ad quæstionem, quæ inter nos vertitur, pertinent, in his tuis libris, nescio qua mente posuisses. Audis quòd isto non indigeremus ieiunio, si homo ieiunij legem non fuisset in paradisi felicitate transgressus; & negas peccato illorum hominum obnoxios cæteros nasci? Audis adiunctum: Nõ enim sani indigent medico: & negas nos sanitatem, in qua nos creati sumus, peccato illorum hominum perdidisse? Audis sententiam, quę prolata est in primum hominẽ peccatorem; Spinas & tribulos terra pariet tibi; ad nos etiam pertinere; & negas obnoxios esse peccato, quos eidem cernis obnoxios esse sententiæ. Audis ad paradisum nos, vnde decidimus, redire debere; & negas ad nos eorum peccatũ, qui soli tunc homines in paradiso fuerant, in quibus & nos fuimus, pertinere. Quid hinc plura? Vide iam vtrum sufficiant tibi ex Orientis partibus duo isti tam insignes viri, & tã clara præditi sanctitate, & sicut fertur etiam carne germani. Sed dic nõ sufficere. Habemus alios oriẽtales episcopos quatuordecim, Eulogium, Ioannem, Ammonianum, Porphyrium, Eutonium, Porphyrium, Fidum, Zosimum, Zoboenum, Nymphidium, Chromatium, Iouinũ, Eleutherium, Clematium, quos vno loco simul inuentos in istum consessum introducere valeamus, illos ipsos qui Pelagio iudices præsederunt, eumque vt homines nullo ex altera parte vrgẽte aduersario putãtes catholicum, tanquam catholicum pronunciarũt. Nisi enim in eorum conspectu auditúque damnasset eos, qui dicunt quòd peccatum Adę ipsum solum læserit, & non genus humanũ: & quòd infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante peccatum: & infantes etiam si non baptizentur, habere vitam æternam; nullo modo inde nisi damnatus exisset. Quid enim vobis prodest, quòd nescio quas ansas atq; vncos, arte nescio cuius perplexitatis inseritis, ne simplicia pateãt, & clara luceant? Quis enim non videat, quomodo ista illi iudices accipere potuerunt, scilicet secũdum catholicam fidem, quæ vbique paruulos exorcizãdo & exufflando de potestate eruit tenebrarum; non sicut exponuntur, vel potius componuntur à vobis? Et tamen dicere potuistis, Adæ peccatum non propagatione, sed imitatione læsisse genus humanum: & infantes nuper natos non in eo statu esse, in quo fuit Adam ante peccatum, quòd ille præcepti capax fuerit, isti adhuc non sint. His nebulis illud iudicium se putat illusisse Pelagius, vosq; ad hoc nefas toto capite annuitis, & tot ab illo episcopos irrisos esse ridetis. Sed nunquid infantes etiam si non baptizentur, habere vitam æternam vlla calliditate in aliud detorquere, vel vllis foliis ficulneis operire potuistis? Eos enim qui hoc dicunt, non potuit apud catholicos iudices nisi dãnare Pelagius. Et quod sentiebat, damnauit coram hominibus, damnari metuens ab hominibus. Nam si hoc non sentitis, nobis vtiq; consentitis. Sed quia nobis nõ consentitis, illud sine dubitatione sentitis. Ac per hoc Orientales vos iudices damnent, à quibus Pelagius damnari timẽs, eos qui sentiunt ista damnauit, cum eis quos dãnauit profectò damnandus; quia id quod negauit ore, corde seruauit. Nam quod verbis eius anathematizatur, in literis eius inuenitur. Sed nunc cum illo non ago. Tu quid dicis, cum quo mihi nunc res est? Ecce adsunt tot iudices Orientales, legũtur gesta ecclesiastica, quæ apud eos sunt habita. Legitur obiectũ esse Pelagio, quòd dicat infantes etiam non baptizatos habere vitam æternam. Legitur Pelagius eos damnasse, qui hoc dicunt. Neq; enim illos iudices aliter potuisset euadere. Nũc ipse quid dicis? Habebunt vitam æternam paruuli etiã si non baptizati ex hac vita emigrauerint, an non habebunt? Si dixeris, habebũt: Pelagij tui te verba damnabunt, & illi omnes à quibus timuit ipse damnari. Si autem dixeris, non habebunt: quæro qua causa innocens imago Dei vitæ priuatione punietur, si nullũ peccatum ex humana propagatione contrahitur? Si verò contrahitur, cur Manichæi dicuntur, qui hoc sentiũt, à quibus Pelagius damnatus fuisset, nisi hoc se sentire finxisset? Tu interim habes in conspectu, non solum Occidentis, verumetiam Oriẽtis episcopos. Nam qui nobis deesse videbantur, plures Orientis inuenimus. Omnes vno eodemque modo credunt, per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & per peccatũ mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccauerũt. Qui modus hic est? Vt peccato illius primi vnius homines omnes nasci credantur obnoxij. Si hoc qui dicit, Manichæus abs te dicitur, istos aspice, istos erubesce, istis parce, vel tibi potius, ne rector & † habitator illorum tibi fortè non parcat. Si autem istos Manichæos esse nõ dicis, nec me poteris inuenire cur dicas. Neq; enim me ob aliud esse dicis, nisi quia de peccato primi hominis, cui omnes carnalis natiuitas obligauit, nec inde quenquam nisi spiritalis natiuitas soluit; quod credũt, credo; quod tenent, teneo; quod docent, doceo; quod prædicant, prædico. Istis cede, & me non cædes. Acquiesce istis, & quiescis à me. Postremò si mihi per eos amicus fieri non vis, saltẽ peto, ne per me illorũ efficiaris inimicus. Sed quomodo non efficieris, si in isto errore permanseris? Quãto ergo melius vt his accedas, ab illo recedas. Tantũmne apud te possunt Pelagius & Celestius, vt à solis ortu vsq; ad occasum tot ac tantos catholicæ fidei doctores & defensores, antiquos & nostræ ætati contiguos, dormientes & manentes, nõ solum deserere, verumetiam Manichæos audeas appellare? Miror si hoc aliquando ex tuo poterit ore procedere, quod te tamen clamare prauitas tui cõpellit erroris. Sed mirum si in facie hominis

Basilius & Gregorius germani fratres, sed Basilius, non Nazianzenus: in quo fallitur Augustinus.

Episcopi Palæstini cæcilij, eorum quibus eosdem dixit Pelagius, & eiusdem sibi omnes anathematizauit.

Quomodo Pelagius Concilium Palæstinum eluserit.

Gesta concilij Palæstini in causa Pelagij.

Rom. 5.

al. arbiter

minis tantum interuallum est inter frontem & linguam, vt in hac causa frons non comprimat linguam.

CAPVT VI. Respondet ad Chrysost. locũ cõtra originis peccatum à Iuliano productum. Homilia ad Neophytos. est tom. 5.

SED quid mussites, noui. Dic iam dic, audiamus, in extremo tui operis, de quo nũc agimus, id est, in quarti libri parte nouissima est: *Sanctus Ioannes*, inquis, *Constantinopolitanus negat esse in paruulis originale peccatum. In ea quippe homilia, quam de baptizatis habuit: Benedictus*, inquit, *Deus, qui fecit mirabilia solus, qui fecit vniuersa, & conuertit vniuersa. Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo antè captiui, & ciues ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore, & iustitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed & sancti: non tantum sancti, sed & iusti: non solum iusti, sed & filij: non solum filij, sed & heredes: non solũ heredes, sed & fratres Christi: nec tantum fratres Christi, sed & cohæredes: non solum cohæredes, sed & membra: non tantum membra, sed & templum: non tantum templum, sed & organa spiritus. Vides quot sunt baptismatis largitates, & nonnulli deputant cælestem gratiam in peccatorum tãtum remissione consistere. Nos autem honores computauimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cùm non sint coinquinati peccato, vt eis detur vel addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint.* Itáne ista verba sancti Ioannis episcopi audes tanquam ecõtrario tot taliumq; sentẽtiis collegarum eius opponere, eumq; ab illorum cõcordissima societate seiungere, & eis aduersarium cõstituere? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Absit, inquam, vt Constantinopolitanus Ioannes de baptismate paruulorum, eorumq; à paterni chirographi liberatione per Christum, tot ac tãtis coepiscopis suis, maximeq; Romano Innocentio, Carthaginiensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atq; optimi regulę catholicæ defensores, salua fidei compage non consonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem vnde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Quisquis in Christiana fide vult labefactare, quod scriptum est: Per hominẽ mors, & per hominem, resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adã omnes moriũtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur; totum quod in Christum credimus auferre molitur. Omnino & paruulorum saluator est Christus; omnino, nisi ab illo redimantur, peribunt, quoniam sine carne eius, & sanguine vitam habere non possunt. Hoc sensit, hoc credidit, hoc didicit, hoc docuit & Ioannes. Sed tu eius verba in vestrum dogma conuertis. Peccata dixit paruulos non habere, sed propria. Vnde illos innocentes merito nuncupamus, secundum id quod ait Apostolus, Nondum natos nihil egisse boni siue mali, non secundum id quod ait, Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. Poterat etiã noster Cyprianus hoc dicere de paruulis quod Ioãnes, quãdoquidem ait, *quòd infans natus nihil peccauerit, & quòd ei remittantur non propria, sed aliena peccata.* Comparans ergo eos Ioannes maioribus, quorum propria peccata dimittuntur in baptismo, dixit illos nõ habere peccata; non sicut verba eius ipse posuisti, *non coinquinatos esse peccato*, dum vis vtiq; intelligi, nõ eos peccato primi hominis inquinatos. Verùm hoc nõ tibi tribuerim, sed interpreti; quanquam in aliis codicibus eandẽ interpretationẽ habentibus, non peccato, sed peccatis legatur. Vnde miror si non aliquis ex numero vestro singularem maluit numerum scribere, vt illud acciperetur vnum, vnde dicit Apostolus, Nam iudiciũ quidem ex vno in condemnationẽ, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Ibi quippè vnum, nõ nisi vnum delictũ vult intelligi: quo nolentes credi paruulos inquinatos, nori eos peccata non habere quod ait

1. Cor. 15.

Peccata nõ habere paruulos quo sensu dixerit Chrysostomus.

Rom. 9.

Rom. 5.

Lib. 3. epi. 8.

Rom. 5.

A Ioannes, ne intelligerentur propria: vel peccatis, sicut habet in aliis codicibus eadẽm interpretatio, sed peccato non inquinatos dicere maluistis, vt vnum primi hominis peccatum veniret in mentem. Sed suspicionibus non agamus, & hic vel scriptoris error, vel varietas putetur interpretis. Ego ipsa verba Græca quæ à Ioanne dicta sunt ponam: διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καί τοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα, Quod est Latine, *Ideo & infantes baptizamus, quamuis peccata nõ habentes.* Vides certè non ab eo dictum esse *paruulos non coinquinatos esse peccato*, siue peccatis; sed non habere peccata, intellige propria, & nulla contentio est. At inquies, Cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus secutius loquebatur. Nam vis audire quid etiam ipse de hac re apertissimè dixerit? Ecce etiam ipsum numero illi adiũgo sanctorum. Ecce inter meos testes, vel inter nostros constituo iudices, quem putasti patronum tuum, Ecce & ipsum dicturus es Manichæum. Ingredere sancte Ioãnes, ingredere, & confide cum fratribus tuis, à quibus nulla ratio, nulla tẽtatio te separauit. Opus est & tua, & maximè tua sententia, quoniam in tuis literis iste iuuenis inuenisse se putat, vnde tot tantorumq; coepiscoporũ tuorum se arbitratur percellere & euacuare sentẽtias. Quòd si verè tale aliquid inuenisset, & quod ipse sentit, te sentire claruisset; nunquam te vnum, pace tua dixerim, tot & talibus præferre in ea causa possemus, de qua nũquam fides Christiana & ecclesia catholica variauit. Sed absit vt tu aliud saperes, & in ea tam præcipuus emineres. Dic ergo & tu aliquid, vnde iste iuuenis confundatur & reuereatur, qui quærit maculam meã; & ignosce mihi, quia cùm illi de hac re quid sentias demõstrauero, quæsiturus est & tuam. Dicit enim

C sensum esse Manichæum, credere paruulos indigẽtes esse Christi liberatoris auxilio, vt à damnatione liberentur, quia ex peccato primi hominis obligati sunt. Ac per hoc cùm te hoc sentire cognouerit, aut ipse se corriget ab errore Pelagij, aut & tibi crimen obiiciet Manichæi. Sed vt conferamus ei verum beneficiũ, falsum eius non curemus opprobrium. Audi iam Iuliane quid etiam Ioannes cum cęteris catholicis doctoribus dicat, ad Olympiam scribens: *Quando enim Adam peccauit*, inquit, *illud graue peccatum, & omne genus hominum in commune damnauit, de mærore pœnas luebat.* Item de resuscitatione Lazari, *flebat Christus*, inquit, *cur vsq; ad hoc mortalitas deliquisset, vt excussa de perennitatibus inferos adamaret. Flebat Christus, quòd eos qui immortales esse potuerunt, diabolus fecit esse mortales.* Quid dici posset expressius? Quid ad ista respondes? Si Adam grandi peccato suo omne genus humanum in cõmune damnauit, nunquid nisi damnatus paruulus nascitur? Et per quem, nisi per Christum, ab ista damnatione liberatur? Si & in Lazaro dicitur excussa de perennitatibus mortalitas inferos adamasse, quis mortaliũ non ad istam culpam casumque pertineat, quo cecidit primus homo de vitæ perennitate, quam si non peccaret, acceperat? Si diabolus omnes, qui immortales esse poterãt, fecit esse mortales, vnde etiã paruuli moriuntur, si obnoxij peccato primi illius hominis non sunt? Nunquid ergo, nisi per eum in quo omnes viuificabuntur, etiam paruuli de regno mortis eruuntur? Tractat idem Ioannes in sermone quodam huiusmodi quæstionem, cur bestiæ vel lædant homines, vel interimant; cùm sententia Domini manifesta sit, qua eas homini subdidit, vt earum habeat potestatẽ? Quam quæstionẽ sic soluit, vt dicat, ante peccatũ omnes bestias homini fuisse subiectas: quòd autẽ nunc hominibus nocent, pœnã primi esse peccati. Prolixa tractatio est, ideo huic operi nõ à me inseritur, sed tamẽ aliquid inde

Anthypophora.

Ioannis Chrysostomi pro peccato originali testimonia, tom. 5. Exstat hæc Homil. tom. 5. titulo de Lazaro resuscitato. Ioan. 11.

Homilia ad Neophytos, tom. 5.

D

Homilia 9. in Genesim.

inde oportet vt ponam. *Timemus, inquit, bestias & pauemus, non contradico. Et à principatu decidimus, & hoc dico ipse etiam. Sed non hoc ostendit legem Dei esse mendacem. Ab initio enim non ita res erant dispositæ, sed timebant, & tremebant, & subiiciebantur Domino. Et quoniã à fiducia decidimus, profectò & ab honore. Vnde hoc manifestum est? Adduxit bestias ad Adam videre quid eas vocaret, & non resiluit Adam tanquam timens.* Et paulo pòst, *Hoc vnum*, inquit, *signum, quòd non fuerint homini ab initio terribiles bestiæ, secundum aliud istò manifestius, quæ fuit ad mulierem per serpentem disputatio. Si enim essent terribiles hominibus bestiæ, non vtique mulier viso serpente mansisset, non accepisset consilium, non ei cum tanta fermocinaretur fiducia, sed statim ad ipsum & expauisset & resiluisset aspectum. Nunc autem & disputat & non timet. Nondum enim erat timor iste, sed quia peccatum ingressum est, ablata sunt ea quæ honoris erant.* Itemq; post paululum, *Quamdiu quidem*, inquit, *habebat ad Deum fiduciam, terribilis bestiis erat, sed quia offendit, extremos etiam conseruorum suorum iam pauet. Quòd si hoc non est, inquit, tu mihi ostende ante peccatum, quod terribiles erant hominibus bestiæ, sed non habebis. Si autem post tanta ingressus est timor, tutela Domini est. Si enim manduto quod datum est, moto ab homine & soluto, honor qui ei datus erat à Deo, mansisset immobilis, non facilè resurrexisset.* Nempe manifestum est sanctum Ioãnem hac disputatione monstrasse illud, quod per vnum hominem peccatum ingressum est, cõmune omnibus hominibus factum esse peccatum, quandoquidem in omnibus terror cõmunis est bestiarum, quæ vtique nec infantibus parcunt. Quos profectò secundum istum tractatum Ioãnis, nullo modo læderent, siue terrerent, nisi essent veteris illius peccati obligatione constricti. Dic Iuliane, dic etiam istum, quid enim iam dubitas dicere, Manichæum, qui tantam naturæ cuius innocentiam defenditis, fecit iniuriã, & propagationem damnationis asseruit. Imò verò cohibe teipsum, si quid tibi est sanabilis mentis, & corrige, & aliquãdo intellige, quomodo potuerit dicere Ioannes paruulos non habere peccata.

C Non quòd peccato primorum hominum nõ teneantur obstricti, sed quòd sua nulla commiserint. Et hoc quidem in eadem ipsa homilia si totam legisses, inuenire potuisti. Aut si legisti, nescio quemadmodum te potuit præterire. Aut si pręterire non potuit, miror cur te non correxerit, si tamen aliquid apud te valet Ioannis authoritas. Aut si illo sermone perlecto, eoq; loco eius quem commemoraturus sum, cognito atque perspecto in opinione tua manendum putasti; vt quid inde verba quælibet inseruisti operi tuo? An forte vt nos tecum legere commoneres, & inuenire vnde tuas deprehenderemus & cõuinceremus insidias? Quid enim apertius, quàm id quod ibi dixit, *Venit semel Christus, & paternis nos cautionibus inuenit astrictos, quas conscripsit Adam. Ille initium obligationis ostẽdit, peccatis nostris fœnus accreuit.* Audísne hominem in fide catholica & eruditum & erudientem, distinguentem debitum paterni chirographi, quod hæreditarium nobis inhæsit, ab eis debitis, quorum per nostra peccata fœnus accreuit? Audis quid paruulis relaxetur in baptismo, qui nondum propria debita contraxerunt, nec tamen à paterno chirographo immunes esse potuerunt? Verba quippe eius non interpretata sic leguntur in Græco: ἔρχεται ἅπαξ ὁ χριστὸς, εὗρεν ἡμῶν χειρόγραφον πατρῷον, ὅ, τι ἔγραφεν ὁ Ἀδάμ. ἐκεῖνος τὴν ἀρχὴν εἰσήγαγεν τοῖς χρέους, ἡμεῖς τὸν δανεισμὸν ηὐξήσαμεν ταῖς μεταγενεστέραις ἁμαρτίαις. Quæ verba è verbo interpretata sic se habent, *Venit semel Christus, inuenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis.* Nunquid contentus fuit dicere, paternum chirographum, nisi adderet, nostrum? Vt sciremus antequam fœnus peccatis

A nostris posterioribus augeremus, iã illius chirographi paterni ad nos debitum pertinere. Lege etiam quemadmodum exponat idem ipse vir sanctus eundẽ ipsum Apostoli locum, vbi scriptũ est, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum. Ibi enim luce clarius in huius fidei catholicæ veritate versatur. Quod totũ quia longum est huic operi intexere, pauca inde contingam. *Manifestum est*, inquit, *quoniam non ipsum peccatum, quod ex legis trãsgressione, sed illud peccatum quod ex Adæ inobedientia, hoc erat quod omnia contaminauit.* Et paulo pòst, *Regnauit*, inquit, *mors ab Adam vsq; ad Moysen, & in eos qui non peccauerunt. Quomodo regnauit? In similitudine trangressionis Adæ, qui est forma futuri, propterea & forma est Christi Adam. Quomodo forma est aiunt? Quoniam sicut ille ex semetipso nascentibus, quamuis non manducauerint de ligno, factus est causa mortis, quæ per cibum inducta est: ita & Christus iis, qui ex ipso sunt tametsi nihil iustè egerint, factus est prouisor iustitiæ, quam per crucem nobis omnibus condonauit.* Alio loco in

B eodem sermone, *Vt cùm dixerit tibi Iudæus*, inquit, *quomodo vnius virtute Christi mundus saluatus est? possis ei dicere, quemadmodum vno inobediente Adam, mundus damnatus est: quanquam non sint æqualia, gratia atque peccatum; neq; paria sint, mors atque vita; non æqualis Deus, ac diabolus.* Item post paululum: *Sed non quemadmodum delictum*, inquit, *ita & gratia. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in multos abundauit. Quod enim dicit, inquit, huiusmodi est, Si peccatum valuit, & peccatum vnius hominis: gratia, & Dei gratia, & non solum patris, sed etiam filij; quemadmodum non amplius præualebit? Multo enim hoc rationabilius. Nam alium pro alio damnari non valde videtur habere rationem; alium autem pro alio saluari, & decentius magis & rationabilius apparet. Si igitur illud factum est, multo magis hoc.* Itemque alibi in consequẽtibus, *Iudicium*, inquit, *ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Hoc idem, inquit, quod dicitur, quoniam quidem*

C *mortem & damnationem potuit peccatum inducere, gratia autem non vnum illud tantummodo interfecit peccatum, sed etiam post illud introeuntia peccata.* Et paulo pòst de hoc ipso: *Quomodo ergo*, inquit, *plura introducta sunt bona, & non solum illud interfectum est peccatum, sed etiam omnia reliqua, ostendit dicens, Gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Et post paululũ ait: *Primo enim dixit, quoniam si vnius peccatum interfecit omnes, multo magis & vnius gratia poterit saluare. Post hæc autem ostẽdit, inquit, quoniam non illud solum interfectum est peccatum per gratiam, sed etiam omnia reliqua. Et non solum peccata interfecta sunt, sed etiam & tributa iustitia est. Et non tantum solùm profuit Christus, quantum nocuit Adam, sed multo amplius atque magis.* Post hæc in eodem cùm de baptismo ageret, interposuit verba Apostoli dicentis: *An ignoratis*, inquit, *fratres, quoniam quicunque in Christo baptizati sumus, in morte eius baptizati sumus? Consepulti ergo sumus illi per baptismum in mortè. Quid est, in morte illius baptizati sumus? Vt & ipsi moriamur sicut & ille. Crux enim est baptisma. Quod ergo crux Christo & sepulchrum, hoc nobis baptisma factum est, tametsi non in eisdem ipsis. Ipse nanq; carne & mortuus est & sepultus, nos autem peccato in vtroque: quapropter non dixit, Complantati morti: sed, similitudini mortis. Mors nanque & hoc & illud, sed non eidem ipsi subiacet. Sed hæc quidem carnis Christi, nostra autem peccati. Quemadmodum ergo illa vera, & hæc.* Nunquid dubitare iam poteris sanctum Ioannẽ tam longè esse à sensu vestro, quàm non recedit à sensu catholico? Nũquid in eius disputatione qua exponit Apostoli locũ huic quæstioni, quæ inter nos vertitur pernecessarium, vbi scriptũm est, Per vnum hominem peccatũ intrauit in mundũ, & cætera quæ connexa sunt, alicui redo-

Rom. 5.

Chrysost. homil. 9. in epist. ad Rom.

Ibidem.

Rom. 6.

Rom. 5.

redolet, quod vos dicitis, propter imitationẽ hoc esse dictũ, non propter carnalem natiuitatem? Nonne illo vno peccato contaminata dicit esse omnia, & sic illud distinguit à cæteris postea cõmissis introductisq; peccatis, quæ vos dicitis ad imitationem, non ad propaginẽ pertinere, vt non illa tantũ, sed hoc & illa per gratiã Christi dicat interfici? Nonne de baptismate Apostoli verba, vbi ait, Quicunq; baptizati sumus in Christo, in morte illius baptizati sumus: sic exponit, vt dicat ita eũ peccatò mori, qui baptizatur in Christo, sicut carne mortuus est Christus; Quia in morte Christi baptizari nihil aliud est quàm peccato mori? Cui ergo peccato paruulus moritur, si originale non traxit? An fortè nõ in Christi morte paruuli baptizantur, cùm Apostolus non dixerit quidã, sed quicunq; baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus? An quãdo baptizantur baptismate Christiano, dicturi estis, quòd non baptizentur in Christo: ne vos Episcopus Ioannes sua definitione suffocet, qui dicit hoc esse baptismum eis, qui baptizantur in Christo, quod crux & sepulchrũ fuit Christo, vt quemadmodum ille mortuus est carne, sic & istos intelligamus mortuos esse peccato? Ecce cui viro quàm magno Christianæ fidei, atque huius catholici dogmatis defensori, voluisti vestrum dogma supponere, quasi dixerit, paruulos primi hominis non inquinatos esse peccato, cùm dixerit eos non habere peccata: quæ non eum intelligi nisi propria voluisse, eius tam multa testimonia tamq; manifesta declarãt.

CAPVT VII. QVID te igitur adiuuit, quòd Ioannis Constantinopolitani, tãquam tibi suffragetur, testimonium posuisti? An vt vnum verbum quasi ab eo prætermissum, velut acuta calliditate captares, & tot verborum eius quibus obrueris, tam ingẽtem tibi aggerem cõmoueres? intãtum improuidus & incautus, vt nec in ipsa homilia, vbi vix vnũ de quo malè intellecto decepti deciperetis, testimoniũ reperire potuistis, aduerteres sanctum Ioannem Constantinopolitanum satis euidenter expressisse, omnes homines exceptis debitis propriis paterni esse chirographi debitores: & tamen posteaquam verba eius interposuisti, quibus intẽtionem tuam putasti aliquid adiuuari, sequẽris & dicis. *Cùm igitur liquido clareat hanc sanam & veram esse sententiã, quam primo loco ratio, deinde scripturarum muniuit authoritas, & quam sanctorum virorum semper celebrauit eruditio, qui tamen veritati authoritatem non suo tribuẽre consensu, sed testimonium & gloriam de eius suscipere consortio, nullam prudentum cõturbet conspiratio perditorum.* Hæc verba tua quò proficiũt, nisi vt appareat, vel quomodo de hac causa scire neglexeris catholicorũ sententias sermonesq; doctorum; vel si eos nosse curasti, qua fraude coneris circumuenire nescientes? Nam de ratione, & sanctarum scripturarũ authoritate vt nunc interim taceam, hanccine sentẽtiam qua negatis peccato primi hominis obnoxios paruulos nasci, sanctorũ virorum semper celebrauit eruditio? Non hoc istis tot tantorumq; sanctorum & eruditorũ, quæ cõmemorauì, testimoniis indicatur: imò è contrario puto, quòd iam videas quantum te opinio ista fefellerit, si tamen non dolo agis atq; id antè iam noueras. Sed vt melius de te credam, si nunc primum ista cognoscis, si de peccato primi hominis quòd eo sint obligati, qui carnaliter generantur infantes, nec eo nisi spiritali regeneratione soluuntur; nunc primum perspicis hoc didicisse & docuisse tot sanctos, quod & nos didicimus & docemus: muta iam istam mentem, obliuiscere huius erroris & propemodum furoris, quo in tot ac tales patres Manichæum iacularis opprobrium. Si nesciens hoc fecisti, cur non miseram respuis imperitiam? Si sciens, cur non sacrilegãm deponis audaciam? Conuinceris vndique, luce clariora sunt testimonia tanta sanctorũ; in quorum conuentum te introduxerim conspice.

A Hic est Mediolanensis Ambrosius, quẽ magister tuus Pelagius tanta prædicatione laudauit, vt diceret *in libris eius præcipuè fidem lucere Romanam, qui scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituit; ita vt eius fidem & purissimum in scripturis sensum reprehendere nec inimicus auderet.* Hic est & Constantinopolitanus Ioannes; quem tu in numero eruditorũ ac sanctorum excellentissimum in hac ipsa tua, cui respõdeo, disputatione posuisti. Hic est Basilius, cuius te verbis ad id quod nunc agitur non pertinentibus, putasti aliquid adiuuari. Hic sunt & cæteri quorum te mouere debet tanta consensio. Non est ista, sicut stylo maledico scribis, *conspiratio perditorum.* In ecclesia catholica doctrinæ sanę studiis clarueruntſpiritalibus armis muniti & accincti, strenua contra hæreticos bella gesserunt; perfuncti fideliter suę dispẽsationis laboribus in pacis gremio dormierunt. *Vnum* dicis *egressum*, meipsum significans, *qui se in summam prælij sitam optat intelligi.* Ecce B non ego vnus, sed tot ac tanti sancti, eruditiq̃ doctores, tibi pro me vel mecum proq; omnium nostrum & tua ipsius, si sapis, salute respondent. Non tibi sicut calumniaris, *solum populi murmur opponimus*, quanquam & ipse populus aduersus vos propterea murmuret, quia non est talis quæstio, quæ possit etiam cognitionem fugere popularem. Diuites & pauperes, excelsi atque infimi, docti atque indocti, mares & fœminæ nouerunt, quid cuique ætati in baptismate remittatur. Vnde etiam matres quotidie toto orbe terrarum non ad Christum tantum, id est, ad vnctum; sed ad Christum Iesum, id est, etiam Saluatorem cum paruulis currunt. Sed ecce quò te introduxi, conuentus sanctorum istorum non est multitudo popularis, non solum filij, sed & patres Ecclesiæ sunt. Ex illo numero sunt, de quibus prædictũ est, Pro patribus tuis nati sunt tibi filij; constitues eos principes super omnẽ terram. Ex qua filij regenerati sunt, vt hæc discerent; eius patres facti sunt, vt docerent. Quid est quod vos gaudere iactas, quòd ista veritas, quam tu errorem putas, vel putari cupis, *de tanta multitudine assertorem non potest inuenire*: quasi parua sit eius assertio, quòd in hoc C fidei firmissimo & antiquissimo fundamento ipsã toto orbe diffusa non à se discrepat multitudo? Si autem assertores eos flagitas, quorum aliquid etiam literarũ inueniri potest, illustrisq; doctrina est: en adest assertorum eius memorabilis & venerabilis confessus atque consensus. Sanctus Irenæus dicit, antiquã serpẽtis plagã fide Christi & cruce sanari, & quòd protoplasti peccato fuimus tãquam vinculis alligati. Sanctus Cyprianus dicit, perire paruulũ, nisi fuerit baptizatus, quãuis ei nõ propria dimittantur, sed aliena peccata. Sanctus Reticius dicit, veteris hominis quo per lauacrũ regenerationis exuimur, non tantũ vetera, sed ingenita esse peccata. Sãctus Olympius dicit, vitium de protoplasto D in germine sparsum, vt peccatum cum homine nasceretur. Sanctus Hilarius dicit, ex peccato esse omnem carnem, præter illius, qui venit in similitudine carnis peccati sine peccato. Dicit sub peccati origine, & sub peccati lege natum esse, cuius vox est, Ego in iniquitate conceptus sum. Sanctus Ambrosius dicit eos, qui baptizati fuerint paruulos in primordia naturæ suæ à malitia reformari. Dicit solũ ex natis de fœmina sanctũ Dũm Iesum, nulla terrenę cõtagia corruptelæ immaculati partus nouitate sensisse. Dicit quòd in Adã omnes morimur, quia per vnũ hominẽ peccatum intrauit in mundũ, & illius culpa mors omniũ est. Dicit quòd in eius vulnere omne genus occidisset humanũ, nisi Samaritanus ille descendens vulnera eius acerba curasset. Dicit fuisse Adam, & in illo fuisse omnes; periisse Adam, & in illo periisse omnes. Dicit nos cõtagio maculari antequam nascimur, nec humanum conceptum esse iniquitatis exortem; quia cõcipimur, inquit, in pec-

De B. Ambrosio Pelagium, lib. 1. de nup. et concupisc. c. vlt.

Infra lib. 3. cap. 1. & lib. 6. cap. 7.

Iulianus negabat sententiam de originali peccato, vllum de tãta veterum multitudine assertorem habere.

Summatim colligit superiorum Patrũ de originali peccato sententias.

Lib. 4. c. 5.
Lib. 5. ca. 15.
Lib. 3. cap. 2.

Tractat. de baptis.

Serm. quodli.

In psal. 118.

In 1. c. Luc.

In cap. 2.
In cap. 4. Rom. 5.

In 10. cap. Luc. 10.

In 13. cap. Lit. D. ad c. 16.

in peccato parentum, & in delictis eorum nascimur. Sed & ipse partus habet cõtagia sua, nec vnum tantummodo habet ipsa natura contagium. Dicit diabolum fœneratorem, à quo Eua maculata obnoxiæ successionis vsuris, omne genus defœnerauit humanum. Dicit à diabolo Euam deceptam, vt supplantaret virum, obligaret hæreditatem. Dicit Adam ita morsu vitiatum esse serpentis, vt omnes illo vulnere claudicemus. Dicit per corporum viri & fœminæ commixtionem neminem expertem esse delicti. Qui autem expers delicti est, id est Dominus Christus, etiam huiusmodi esse conceptionis expertem. Dicit sanctus Innocentius, lauacro regenerationis præteritum vitium omne purgari, quod per illum accidit, qui libero arbitrio cadens, in profunda demersus est. Dicit, nisi manducauerint carnem Domini, & sanguinem biberint, vitam paruulos habere non posse. Sanctus Gregorius dicit, melius fuisse non excidere à ligno vitæ gustu amarissimo peccati, sed emendari nos debere post lapsum. Dicit nos ex bonis ad tristia deuolutos, & vult B à tristibus ad meliora reparari; vt quos gustus ligni vetiti condemnauit, Christi crux gratia largiore iustificet. Dicit venerãdam esse natiuitatem, per quam terrenæ natiuitatis vinculis liberamur. Dicit regeneratione ex aqua & spiritu purgari maculas primæ natiuitatis, per quas in iniquitatibus concipimur. Dicit tibi sanctus Basilius, nos ægritudinem contraxisse peccati, quoniam Eua noluit à ligno prohibito ieiunare. Dicit postremò nos de paradiso decidisse, quia non ieiunauimus, atque vt illò redeamus, præcipit vt ieiunemus. Dicunt tibi ore vno tot sancti Episcopi, Eulogius, Ioannes, Ammonianus, Porphyrius, Eutonius, Fidus, Zosimus, Zoboenus, Nymphidius, Chromatius, Iouinus, Eleutherius, Clematius. Nos Pelagium non absoluimus, nisi quia damnauit eos, qui dicunt paruulos etiam si non baptizentur habere vitam æternam. Iam tu responde, vtrum Deus iustus nulli obnoxiam peccato imaginem suam priuare vita possit ęterna? Postremò sanctus Episcopus Ioannes dicit, quem C tu honorabiliter commemorasti, quem tu sicut sanctum eruditumq̃ laudasti, quem tu testimonium & gloriam de consortio veritatis suscepisse dixisti: etiam ipse dixit, Adam sic peccasse illud graue peccatum, vt omne genus humanum in commune damnaret. Dixit in Lazari morte ideo fleuisse Christum, quia de perẽnitatibus excussa mortalitas inferos adamauit; & quia eos qui immortales esse poterant, diabolus fecit esse mortales. Dicit ante peccatum primi hominis omnimodo bestias homini fuisse subiectas, posteaquã verò peccatum illud intrauit, cœpisse à nobis bestias formidari. Vsqueadeo peccatum illud primi hominis intelligi voluit ad omnes homines pertinere, vbi quis non videat esse consequens, vt nulla bestiarum paruulos læderet, nisi & ipsos illius peccati vinculo natiuitas carnalis obstringeret? Dicit in eodem sermone, ex quo tu incautus obrepere voluisti, quòd nos Christus inuenerit & paterno chirographo nostro quod scripsit Adam, & posterioribus propriis debitis obligatos. Exponit Apostoli locum in quo tota ista causa consistit, vbi scriptum est, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & cætera huic sententiæ cohærẽtia. Nec in tam prolixa sua disputatione quod dicitis, dicit non propagatione generis hoc peccatum in omnes homines, sed imitatione transisse: imò è contrario quàm se res aliter habeat in cocpiscoporum suorum sententiis non dissentiendo demonstrat. Dicit enim omnia peccato primi hominis esse contaminata; & ne hoc non generatione carnali, sed imitatione mortali factum putetur; dicit Adam propterea dictum formam futuri, quia sicut ille ex semetipso nascentibus, quamuis non manducauerint de ligno, factus est causa mortis, quæ

Lib. de Tobia cap. 9.

Hilar. c. 23.

In psal. 48.

In Iosiam.

Epist. 92.

Epist. 93.

Oratione in natalem Christi.

Ibidem.

Serm. 1. de iuniio.

Ibidem.

Porphyrius.

Epistola ad Olymp. lib. 5. Tom. 1.

Homelia de Lazaro resuscitato to. 3.

Homilia 9. in Genesin.

Homilia ad Neophytos, tom. 5.

Rom. 5.

Homilia 10. in epist. ad Rom.

Ibidem.

A per cibum inducta est: ita & Christus iis qui ex ipso sunt, tametsi nihil iustè egerint, factus est prouisor iustitiæ, quam per crucem nobis omnibus condonauit. Dicit Iudæum negantem virtute vnius Christi, mundum posse saluari, de ipsius primi hominis peccato refutandum, quo vno inobediente damnatus est mundus. Dicit non valde videri habere rationem, vt alius pro alio damnetur, & tamen factum esse per Adam. Vnde magis persuadet esse credendum, quod decentius & rationabilius apparet, saluari alium pro alio, quòd impletur in Christo. Quis autem non videat si peccatum primi hominis non propagatione, sed imitatione per omnes homines pertransiit, neminem pro alio, sed suo damnari vnumquenque peccato, quod non alius in eo generando transmisit, sed ipse imitando sua voluntate commisit? Dicit per gratiam non illud vnum tãtummodo primi hominis, sed etiam post illud introeuntia interfecta esse peccata. Vbi satis vtiq; distinguit peccata posteriora, quæ dici possunt imitatione cõmissa, ab illo vno, quod propagatione pertrãsiit: & ostendit vtraq; interfecta esse per gratiam, vt secũdum Apostoli intentionem plus appareat profuisse B regeneratio, quàm nocuerat generatio. Sic enim exponit quod dictum est, Et nõ sicut delictum, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex vno in cõdemnationem: gratiã autem ex multis delictis in iustificationẽ. Qua sententia imitatio illa vestra, quod est nouitium Pelagiani erroris machinamentum, Paulo apostolo scribente, & Ioanne Episcopo exponente subuertitur. Dicit etiam de ipso baptismo, exponens quod ait Apostolus, Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus, nihil esse aliud in morte Christi baptizari, quàm peccato mori, sicut ille mortuus est carne. Vnde necesse est, paruuli aut in Christo baptizentur, aut si baptizantur, in morte eius baptizẽtur, ac si peccato ipsi quoque moriantur, & quia nõ habent proprium, ab alieni illius, id est, originalis, quod omnium commune factum est, contaminatione mũdentur. His tot ac tantis molibus virorum sanctorum doctorumq; vallatus, adhuc *causam nostram putabis nullum assertorem de tanta multitudine inuenire potuisse?* An tantam consensionem sacerdotum catholicorum, *conspirationem* dicturus es *perditorum?* Nec sanctum Hieronymum, quia presbyter fuit, contemnendũ arbitreris, qui Græco & Latino insuper & Hebræo eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis atque in literis sacris, vsque ad decrepitam vixit ætatẽ; cuius nobis eloquium ab oriẽte vsq; in occidentẽ ad instar lampadis resplẽduit. Hic omnes vel penè omnes qui ante illũ ex vtraq; parte orbis de doctrina Ecclesiastica scripserãt, legit, nec aliam de hac re tenuit prompsitq; sententiã. Qui cùm exponeret Ionam Prophetam, apertissimè dixit; quòd *etiam paruuli peccato offendentis Adam tenentur obnoxij.* Itáne C tuum sic amabis errorem, in quem iuuenili confidẽtia & humano lapsu incautius decidisti, vt ab istis catholicæ vnitatis & veritatis sacerdotibus, ex diuersis orbis D terrarum partibus tanta inter se fidei concordia congruentibus, in tam magna causa, vbi Christianæ religionis summa consistit, non solum dissentire, sed eos audeas Manichæos insuper nuncupare? Quod si hoc non facis, nec mihi hoc iustè facis, quem cernis in eadem causa disputationibus meis, quibus aduersus me ferociter iratis, illorum secutum fuisse vestigia. Si autem me solũ tali aspergis opprobrio, non ob aliud, nisi quia de peccato primi hominis quod sentiunt, sentio: quod tenent, teneo: quod prædicãt, prædico: quis te nõ videat in me apertũ iactare conuitium, de illis occultũ quidem, sed tamen simile habere iudicium? Et tamen consideratis, vt alia taceam, vel Ioannis Episcopi verbis de nostro paterno chirographo, quod scripsit Adã,

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

D. Hieronymi laus, & testimonium de peccato originali.

In 3. c. Ionam ad illud; vestisti sunt sacerdotes, &c.

quæ verba in eo sermone, vnde quod voluisti, protulisti, inuenisse te credo: vel episcopi Ambrosij, quòd de commixtione maris & fœminæ nullus potest expers esse peccati: quæ in meo libro legisti, sed in tuis attingere timuisti, etsi coram hominibus sit dura frons tua, erubescit coram Deo mens tua. Ego quidem pro dilectione, quæ mihi est erga te, quam Deo propicio quibuslibet cõuitiis absit vt de medullis mei cordis extirpes, mallem fili Iuliane, vt iuuentute meliore atq; fortiore te vinceres; & animositatẽ quid aliud quàm humanam, qua cupis tuam, qualiscunq; sit, quoniam tua iam facta est, præualere sententiam, potentiore pietate superares. Et sicut Polemo luxuriæ coronis sensim capitis detractis, eisq; abiectis, manum pallio subdidit, os & vultũ formauit ad verecundiã, ad extremum totum se illi, ad quem deridendum venerat, discipulum tradidit: sic & tu loquentibus tibi tot venerabilibus viris maximeq; Episcopo Ambrosio integritate catholicæ fidei, etiam tui mali doctoris & deceptoris ore laudato, & Episcopis Basilio & Ioanne, quos tu quòque in sanctis eruditis veridica attestatione posuisti, tanquam coronas ebriosorũ abiceres laudes Pelagianorũ, quibus tanquã magnus eorum defensor extolleris, & stylum, vt mitius dixerim, contumeliosum non tãquam pallio pudoris absconderes, sed tanquã manu emendatiore confringeres: tuumq; pectus veritate complendum, non Platonico Xenocrati, sed istis sacerdotibus Christianis, vel potius in eis ipsi Domino Christo, non velut qui nũc primum veneris, traderes, sed velut qui recesseras, redderes. Quod si tibi cõsilium meũ displicet, age vt placet. Ego enim & si correctus fueris, in quo maiora vota mea sunt abundantius cumulatiusq; gaudebo: & si, quod abominor, in hac prauitate permansetis, ex opprobriis tuis fructuosum habebo, & pro me cælestis mercedis augmentum, & de te misericordis doloris aculeum.

Polemo Xenocratis oratione ad frugem honestatis, conuersus.

CAPVT VIII. SED quoniã iam ostendi quot & quales & quantos viros fidei catholicę defensores atq; doctores falsos facias Manichęos, audi iam parũper, inerudita temeritate quantum veros adiuues Manichęos. Hoc enim me secundo loco disputationis meæ demõstraturum esse promisi. Manichęi, quod etiam te satis nosse indicasti, duas naturas, vnã boni, alterã mali ex diuersis atq; inter se aduersis coęternisq; principiis, vanitate sacrilega nephandi erroris inducunt. Contra quos catholica fides, Dei tantũmodo sine initio naturã prædicat, summi scilicet atq; incõmutabilis boni, hoc est illius ineffabilis trinitatis: à quo summo, vt dictum est, atq; incõmutabili bono vniuersam conditam dicit esse creaturam, naturasq; omnes bonas, quãuis impares creatori, quia ex nihilo creatas, ideoq; mutabiles: ita vt omnino nulla natura sit, quæ nõ aut ipse sit, aut ab ipso facta sit; vt quãtacunq; aut qualiscunq; natura sit, & in quãtum natura est, bonũ sit. Quęrũt itaq; à nobis, vnde sit malũ, Respõdemus ex bono, sed non summo & incõmutabili bono. Ex bonis igitur inferioribus atque mutabilibus orta sunt mala. Quæ mala licet intelligamus non esse naturas, sed vitia naturarum; tamen simul intelligimus ea, nisi ex aliquibus & in aliquibus naturis esse nõ posse; nec aliquid esse malũ, nisi à bonitate defectũ. Sed cuius defectũ, nisi alicuius sine dubitatione naturæ? Quia & ipsa volũtas mala, nõ nisi alicuius voluntas est profecto naturę. Et angelus quippe & homo naturæ sunt. Non enim potest esse nullius voluntas, quãdo est voluntas. Et tantũ valent eædem volũtates, vt earũ naturarum, quarũ sunt, faciãt qualitates. Nam si quæratur, qualis sit angelus vel homo malę voluntatis, rectissimè respõdetur, malus; magis accipiẽs qualitatis nomẽ ex volũtate mala, quã ex natura bona: quoniã natura est ipsa substãtia & bonitatis & malitiæ capax. Bonitatis capax est, participatione boni à quo facta est: malitiã verò capit non participatione mali, sed priuatione boni, id est, nõ cõmiscetur naturæ, quæ aliquid malũ est, quia nulla natura inquantũ natura est, malũ est; sed quia deficit à natura, quæ summũ atq; incõmutabile est bonũ; propterea quia nõ de illa, sed de nihilo facta est. Alioquin nec malã voluntatẽ habere posset, nisi mutabilis esset. Mutabilis porrò natura non esset, si de Deo esset, non ab illo de nihilo facta esset. Quapropter bonorũ author est Deus, dum autor est naturarũ: quarũ spontaneus defectus à bono, non indicat à quo factæ sunt, sed vnde factæ sunt. Et hoc nõ est aliquid, quoniã penitus nihil est, & ideo non potest authorẽ habere quod nihil est. Quapropter sicut aduersatur catholicæ fidei Manichæus, hoc est fidei veritatis, vereq; pietatis, qui bonũ & malum sic inter se dicit esse contraria, vt non naturã cùm deficit à bono, dicat fieri malã, ipsumq; defectũ eius, esse malũ eius; sed potius ipsum malum dicat esse naturam; & quod est insanius, sine initio sempiternã, eamq; appellat corpus & spiritũ: corpus videlicet, vnde spiritus operetur, spiritũ verò, qui operetur ex corpore: ita hũc aduersarium fidei dici non potest quantũ adiuuet, qua mala ex bonis oriri negat, & in eundẽ sensum accipit quod ait Dominus, Arbor bona fructus malos non facit: cùm ille magister Deus, non vtiq; naturã constituat arborẽ, ex qua fructus de qua loquebatur, existat; sed voluntatem seu bonã seu malam; fructus autẽ opera, quę nec bona voluntatis malæ, nec mala possunt esse voluntatis bonæ. Hoc est enim quod ait, Arbor mala fructus bonos non facit, & arbor bona fructus malos non facit: tanquã diceret, Nec opera bona voluntas mala, nec mala opera facit volũtas bona. Nam ipsarũ arborum, id est, ipsarũ voluntarũ si quærantur origines, quę occurrũt nisi naturæ, quas bonas Deus condidit? Ac per hoc ex bonis orta sunt mala, nõ ex bonis voluntatibus opera mala; sed ex bonis naturis voluntates malæ. Quid ergo sic oprat audire Manichæus, nisi ex bonis mala esse non posse; vt quoniã negari nõ potest esse mala, nihil restet nisi vt ex malo sint, si ex bonis naturis esse nõ possunt? Ac sic sine initio habeant originẽ suam mala naturam mali, quæ sine initio semper fuerit, & sint duæ naturę, vna boni, altera mali: necesse est enim vt aut nulla sint mala, aut ex bonis naturis sint, aut ex malis. Si dixerimus nulla esse mala, fruftra dicimus Deo, Libera nos à malo. Si autem dixerimus nõ oriri mala nisi ex malis, Manichæa pestilentia triũphabit, totumq; vastabit, & ipsius Dei tanquã mutabilem naturã malæ naturæ cõmixtione violabit. Relinquitur ergo, vt mala ex bonis esse fateamur; quia si hoc negauerimus, ex malis erũt, & Manichæis vtiq; suffragabimur. Tu itaq; vbi dicis, *Cùm secundum sententiam Euangelij, ex fructibus suis arbor debeat cognosci; hic audiendus putetur, qui dicit bonum esse coniugium, de quo nihil aliud, quàm malum prodire definit.* Vis vtiq; arborem bonam cõiugium deputari, de qua velut fructũ malum nasci non vis, hominẽ contagio peccati originalis obstrictum: nec vides necesse tibi esse adulteriũ cõstituere arborẽ malam, si coniugiũ est arbor bona. Ac per hoc si de coniugio qui nascitur, coniugij fructus est, & ideo debet esse sine vitio, ne fructus malus nascatur ex arbore bona: sequitur vt qui de adulterio nascitur, nõ debeat nasci sine vitio, ne fructus bonus nascatur ex arbore mala, quoniã Dominus nec à bona arbore fieri fructus malos, nec à mala bonos, diuina authoritate definit. Vt ergo hinc exeas, quia nec de adulterio dicis hominem nasci posse cum vitio, negabis adulterium esse arborem malam, ne ille qui secundum te sine vitio de adulterio nascitur, contra definionem Domini, bonus fructus nasci de mala arbore videatur. Nega ergo etiam coniugium esse arborem bonam, & errasse te vt hoc diceres, confitere. Sed dicturus es, non de adulterio nasci hominem, qui per adul-

Exequitur secundam operis huius partem, qua ostendit quantum Iulianus negato peccato originali adiuuet causam Manichæorum.

Malum vnde ortum.

Malum nihil aliud quam à bono defectus.

Creaturæ omnes mutabiles et deficibiles, non quia à Deo, sed quia de nihilo factæ.

Matth. 7. Arbor bona vel mala, ex fructus est.

Rom. 1.

Matth. 6.

Li 2. de nup. & concupis. cap. 26.

Occupatio lib. 2. de nupt. & concup. c. 25.

per adulterinum concubitum gignitur. Vnde igitur? *De natura*, inquis, *humana quæ in adulteris quoque Dei opus est, non ipsorum.* Cur ergo eodem modo non intelligis, nec de coniugio nasci hominem, qui per concubitum gignitur coniugalẽ, sed de natura similiter humana, quę in coniugibus quoq; Dei opus est, non ipsorum: atq; ita bonitati non tribui nuptiarum, quod malum nascentes trahunt de vitio naturæ; sicut non tribuitur iniquitati adulteriorum, quod bonum nascẽtes tribuunt de institutione naturæ? Tu autem intelligis arborem bonam, non quam Christus intelligi voluit, id est hominis voluntatẽ bonam; sed ipsum opus Dei, id est hominum vel nuptias, vel naturam. Et quia bona sunt hæc opera Dei, malũ inde non posse dicis existere, quia malum fructum bona arbor non potest facere. Ac sic aduersus te ratiocinationẽ suam concludit pro suo dogmate Manichęus, quem verbis istis tuis sic adiuuas, vt nihil magis optet audire, quàm mala ex bonis esse non posse: hoc enim accepto, infert & dicit tibi, Si malum esse non potest ex bono, vnde erit, nisi ex malo? Neque enim mala per seipsa repente authorẽ nullo existere potuerunt. Tu autẽ dicis malum ex bono esse non posse, ne contra Euangelij sententiã arbor bona faciat fructus malos. Remanet, inquit, vt mali natura fuerit sempiterna, quæ potuerit mala generare, quia ex bonis ea non posse fateris existere. Placẽtne tibi iam mutare sententiã, quam non Manichæis fauẽdo, sed quid loquaris nesciendo, ad adiuuandam Manichæorum pestilentiam protulisti? Quomodo enim diceret Christus, Aut facite arborẽ bonam & fructũ eius bonum; aut facite arborẽ malam, & fructum eius malũ (quandoquidẽ hoc dicebat hominibus, quos ipse creauerat) si ex eius opere bono, quod est homo, malũ non posset existere; sicut tu sapis, arborẽ bonam cõstituens bonũ opus Dei, id est, nuptias hominũ, vel naturam; & ideo dicens, malũ inde nasci non posse, quia si ex bono malũ nasci dixerimus, resistemus, vt putas, ei qui dixit, Arbor bona fructus malos nõ facit: cùm scias ex angeli & hominis naturis bonis, quas nulli parentes mali genuerant, sed Deus summè bonus de nullis parẽtibus fecerat; nõ fructus malos, sed ipsas malas arbores extitisse, ex quibus fructus nascerẽtur mali? Dominus autẽ Iesus & Manichæos vincit, quia vnus homo, hoc est vnã natura potest vtrãq; arborem facere; & te vincit, quia ex natura bona potest mala arbor existere. Ex quo falsum esse mõstratur, quod in Manichæorum suffragiũ dicis, *mala ex bonis non esse posse*; vt nisi ex natura mali, quam nefarius illorũ error inducit, non putentur mala esse potuisse. Neq; enim vno tantũ loco, vbi ex Euangelio arborẽ bonam cõmemorandam putasti, sed aliis etiam locis disputationis tuæ, ista pertersitate suffragatus es Manichęis; sicuti est illud, vbi rursus dixisti, *trahi peccatum per naturam non potest, quia per opus Dei opus diaboli transire non sinitur.* Ad quod tibi ego respondeo; quomodo in opere Dei opus diaboli manere sinitur, si per opus Dei transire non sinitur? Quis enim putet peius esse vt illic maneat, quàm vt illinc transeat? Quæris fortasse, quomodo opus diaboli maneat in opere Dei. Noli alibi quærere, ipsum diabolum recole opus Dei esse, natura vtiq; angelica: inuidia verò opus est ipsius diaboli, quod opus & processit ex illo, & manet in illo. Vanum est igitur quod dixisti, *opus diaboli per opus Dei non transire*, vbi perspicis & manere. Manichæus autẽ quantas tibi gratias agat, itáne nondũ respicis? nondum expergisceris? Laborat enim Manichæus, vt ostendat ex bono Dei opere malum oriri non posse, vt, quod ipse vult, malum nisi ex malo esse non posse credatur. Hic tu mirabilis eius adiutor, *per opus*, inquis; *Dei malum transire non sinitur*: vt ille tota facilitate concludat, multo minus inde oriri posse, per quod nec transire permittitur.

Matth. 7.

Matth. 12.

Matth. 7.

Primum angelorum peccatũ non fuit malarum arborũ fructus, sed arbores malas constituit, ex quibus mali diuinceps fructus nascerentur.

CAPVT IX. AVDI tale aliud, imò grauius, vbi Manichæis idẽtidem suffragaris. *Euanuit*, inquis, *originale peccatũ; quia non potest mali radix in eo quod donum Dei vocas, locari.* Quod ego vide quàm manifesta veritate conuincam. Nonne sensus hominis donum Dei est? Et tamen ibi locauit inimicus ille seminator radicem mali, quando peccatum homini serpentina fraude persuasit. Nisi enim radicẽ mali humanus tunc reciperet sensus, nullo modo malè suadẽti accõmodaretur assensus. Quid dicam de radice omnium malorum auaritia? Et vbi est hęc, nisi in hominis anima? Et quid est hominis anima, nisi donum Dei? Quomodo ergo tu dicis, nisi non considerando quid dicas, *radicem mali locari non posse in dono Dei?* Sed Manichæus cui per istas inconsideratas sententias tuas plurimum suffragaris, quid tibi dicat attẽde. Si esse rationalem creaturam, Dei donum est; & dicis locari non posse radicẽ mali in dono Dei; quãto probabilius dicitur, oriri non posse radicem mali ex dono Dei? Ac sic te suffragatore introducit Manichęus, radicem mali ex illa quam non à Deo creatam, sed Deo coæternam fingit naturam mali. Quoniam si dixeris ex libero arbitrio naturæ bonæ à Deo creatæ, ortam mali radicem (quod catholica veritas dicit) illis verbis tuis te facillimè superat, vbi ais, *radicem mali locari non posse in dono Dei*, quia & liberum arbitriũ proculdubio est donum Dei. Ac per hoc cùm *mali radicem in dono Dei locari non posse* dixisti, Manichæo quid contra te diceret, tu dedisti. Quia si non potest in bono locari malum, quod tu dicis mihi, multo minus potest oriri ex bono malum, quod ille dicit tibi. Ac sic cõcludet, non esse malum, nisi ex malo: vbi victor videbitur sibi; & erit profectò, nisi & illi resistatur & tibi. Veritas ergo fidei catholicæ in his verbis vestris ideo vincit Manichæum; quia vincit & te ipsum. Nam si te non vinceret dicentem, *non posse in dono Dei locari radicem mali*, multo minus Manichæum posset vincere dicentem, non posse ex dono Dei oriri radicem mali. Sed vt vincat ambos, nec aliunde oriri, nec alicubi esse posse dicit radicem mali, nisi ex natura & in natura rationali; cui esse naturam rationalem, non est nisi donũ Dei: sed quoniam à summo atque incommutabili bono de nihilo facta est, vt esset, quãuis mutabile, tamen bonum; deficere à bono, à quo facta est: Hæc est ex illa; vel in illa radix mali: quia nihil est aliud malum, nisi priuatio boni. Iam porrò vbi dicis, *rerum ratio non sinit, vt de bono malum, & de iusto iniquum aliquid proferatur*, prorsus Manichæorum verba dicis; hoc enim asserũt, non posse malum proferri nisi de malo, & ibi tota eorũ nefanda secta consistit, quia prius contendunt malum proferri non posse de bono. Quod si eis te authore cõcesserimus, nihil nobis penitus remanebit, vnde illorũ nefaria dogmata redarguere valeamus. Hoc est autem iniquum de iusto, quod est malum de bono. Catholica igitur fides, vt & tibi & illis resistat, hoc dicit, non prolatum esse malum nisi de bono, & iniquum nisi de iusto. Quia prius angelus & homo, de quibus ista prolata sunt, boni erant vtiq; & iusti. Non igitur resistimus Manichæis, nisi obtineamus, non esse mala orta nisi ex bonis: nec ea mala substantias esse, sed substantiarum vitia creatarum, quibus deficiunt à bono quoniam mutabiles sunt, eo quòd ex nihilo factæ sunt. Hæc est doctrinæ catholicæ sanitas, qua Manichææ pestilentiæ virus expellitur. Vnde ille doctor meus, tui etiam mali doctoris ore laudatus Ambrosius, in eo lib. quem de Isaac & anima scripsit: *Quid ergo est*, inquit, *malitia, nisi boni indigentia?* Et iterum ait, *Ex bonis igitur mala orta sunt. Non enim sunt mala, nisi quæ priuantur bonis; per mala tamen factum est, vt bona eminerent. Ergo indigentia boni, radix malitiæ est.* Vides quàm vera catholicæ fidei ratione redarguat beatus Ambrosius Manichæos? Vides quemadmodum eos, quamuis in

Gen. 2.

Malum nihil aliud quã bonũ priuatio.

Diabolus bonus & iustus creatus fuit.

Ambrosius in libro de Isaac & anima, cap. 7.

eadem disputatione non nominauerit, tamen ista sententiarũ veritate ac breuitate conuicerit? Ecce cui homini Dei propter originale peccatum, quod catholicus catholicè asseruit, obiicis nomine Manichæorum instinctu maledici furoris opprobrium, qui contra suffragium, quod eis tu præstas, tam inuictum ad eos debellandos, catholicis disputatoribus præbet auxilium. Ille quippe aduersus Manichæos clamat, *Ex bonis mala orta sunt*, & aduersus eum pro Manichæis tu reclamas; *Necesse est malum esse, ex quo & per quod malus fructus apparuit: & per opus Dei opus diaboli transire non sinitur: & in dono Dei radix mali locari non potest: & rerum ratio non sinit, vt de bono malum, ac de iusto iniquum proferatur.* Hæc clamas pro Manichæis contra vocem catholicæ veritatis per sacerdotem Dei prolatam; vt si tu audiaris, Manichæi vincant, *dicentes, vt alia taceam*, Si rerum ratio non sinit, vt de bono malum aliquid proferatur, non ergo ex bonis sicut Ambrosius, sed sicut nos dicimus, ex mali natura orta sunt mala. Ecce in quantam voraginẽ decidisti malè intelligendo Dominum dicentem, Arbor bona fructus malos non facit: cùm hoc non sit dictum de natura, vel de nuptiis, quas instituit Deus, sed de voluntate hominis bona, à qua non fiunt opera mala. Sed ne fortè vel tu, vel quispiam dicat: quomodo de arbore quam facit homo, id est voluntate bona non fiunt fructus mali; & de natura, quam facit Deus, ipsa quæ faciat fructus malos, nascitur arbor mala: quasi aliquid melius faciat homo, vnde non possit malus fructus existere; quàm est illud quod facit Deus, vnde possit mala arbor existere? Ne quis ergo sic errẽt, audiat diligenter Ambrosium dicentem, *Quid est malitia, nisi boni indigentia? Non enim sunt mala nisi quæ priuantur bonis, quia indigentia boni, radix malitiæ est.* Et hinc intelligat ideo esse arborem malam, volũtatem malam; quia defectus est à summo bono, vbi bonum creatum bono creante priuatur; vt sit in eo radix mali, nihil aliud quàm indigentia boni. Arbor autem bona ideo est volũtas bona, quia per ipsam conuertitur homo ad summum atque incommutabile bonum, & impletur bono, vt faciat fructum bonũ. Ac per hoc Deus autor est omnium bonorum, hoc est & naturæ bonæ, & voluntatis bonæ, quam nisi Deus in illo operetur, non facit homo quia præparatur voluntas à Domino. Sed iam ordinem dispositionis meæ video postulare, vt faciam Deo donante, quod tertio loco me facturum esse promisi; hoc est, vt catholicorum, qui fuerunt ante nos Episcoporũ sententiis, quascunque rebus de quibus agitur congruentes potuero reperirẽ, vitreas argutias tuas, & fragilia, quibus tibi multum videris acutus & nitidus, argumenta confringam. Quod ab alio aggrediemur exordio; hic istius libri prolixitate conclusa.

Matth. 7.

Supra.

Proueb. 8. secũdum 70. Transitio ad libtum seq.

LIBRI I. FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA IVLIANVM, LIBER SECVNDVS.

CAP. I. Aggreditur partẽ tertiam huius voluminis, qua Pelagianorũ contra originale peccatum argumenta, ex verbis veteri Patrum refutat.

NVNC iam mihi aggrediẽdum est, quod tertio loco posui dispositionis meæ, vt sententiis Episcoporum, qui Scripturas sanctas ingenti gloria tractauerunt, tua Iuliane, Domino adiuuante, machinamenta subuertam. Non vt eos ostendam secũdum catholicam fidẽ de originali sensisse peccato, hoc enim iam primis huius operis partibus feci, vt inde mõstrarem, quot & quantis viris Ecclesiæ, sanctis clarisque doctoribus, Manichæorum crimen impingas: & cum me cupis apud imperitorũ decolorare iudicia, eos qui catholicam fidem contra hæreticos defenderunt, hæresis nefariæ nomine accuses. Sed nunc argumẽta ipsa vestra quibus agitis, ne hominum prima natiuitas originali peccato credatur obstricta, eloquiis sunt redarguenda sanctorum. Quos oportet, vt populi Christiani, vestris prophanis nouitatibus anteponant, eisq; potius eligant adhærere quàm vobis. Hæc sunt certe velut capita argumentorum, quasi formidanda vestrorũ, quibus terretis infirmos, & minus quàm contra vos expedit, sacris literis eruditos. Dicitis enim *nos asserẽdo originale peccatum, diabolum dicere hominum nascentium conditorem: damnare nuptias: negare in baptismo dimitti vniuersa peccata: Deum crimine iniquitatis arguere: desperationem perfectionis ingerere.* Hæc quippe omnia consequentia esse contenditis, si credamus nasci paruulos, peccato primi hominis obligatos, & ob hoc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo. *Diabolus enim creat* dicitis, *si ex hoc vulnere creantur, quod diabolus naturæ, quæ primum condita est, inflixit humanæ: & damnantur nuptiæ, si aliquid, vnde damnabiles generantur, habere credantur: nec omnia peccata dimittuntur in baptismo, si aliquid in baptizatis coniugibus remanet malum, ex quo generentur mali. Quemadmodum autem non est iniquus Deus, qui cum baptizatis dimittat peccata propria; paruulum damnat, quia cùm ab illo crearetur, nesciens nec volens etiam ex illis parentibus, quibus remissa fuerant, traxit alienа? Nec virtus, cui vitiositas intelligitur esse contraria, posse creditur perfici; quia ingenerata vitia incredibile est posse consumi; quæ iam nec vitia deputanda sunt. Non enim peccat qui non potest aliud esse quàm creatus est.* Hæc si fideli diligentia quærereris, nec ea quæ catholicæ fidei veritate atque antiquitate fundata sunt infideli oppugnaretis audacia, in ea quæ abscondita sunt sapientibus & prudentibus, & reuelata sunt paruulis, nutriti Christi gratia veniretis. Multa enim multitudo dulcedinis Domini, quam profectò non inuidit, & tamen abscondit timentibus eum; perfecit autem sperantibus, non in seipsos, sed in eum. Nos ergo dicimus quod ea fides habet, de qua scriptum est, Nisi credideritis, non intelligetis: nec diabolum, sed Deum verũ & verè bonum esse hominum conditorem, mundanda etiam de immundis ineffabiliter operantem, quamuis hominum nemo mundus nascatur, & ideo donec mundetur spiritu sancto, sub spiritu immundo esse cogatur. Nec quantamcunque immunditiam naturarum, vllum crimen esse nuptiarum: bonum quippe discernitur proprium nuptiarum, à quolibet vitio naturarum. Nec vllius reatũ remanere peccati, qui non ea, quæ in Christo fit, regeneratione soluatur; quamuis infirmitas restet, contra quam in seipso constitutam, regeneratus si proficit pugnet. Nec iniquus est Deus, cum peccatis, siue originalibus siue propriis digna retribuit; magisque iniquus aut infirmus ostenditur, si iugum graue super filios Adam, à die sicut scriptum est, natiuitatis eorum vsque in diem sepulturæ, in matre omnium, sub quo iugo imago eius atteritur; aut ipse nullo vel originali vel proprio præcedente peccato, aut quilibet alius ipso imponit inuito. Nec profectio est desperanda virtutis, per eius gratiam, qui ex origine vitiatam mutare potest & sanare naturam.

Capita obiectionum Pelagianorum contra originale peccatũ.

Matth. 11.

Psal. 30.

Catholicorum sententia.

Esa. 7.

Eccle. 40.

CAPVT II.

AGGREDIAR igitur implere pollicitationem meam. Nec ista quinque argumenta vestra, ex quibus cuncta connectitis, quæ in hac quæstione aduersus catholicam fidem multipliciter disputatis, singillatim testimoniis sanctorum refutanda suscipiam, sed quantum potuerit eorum percuti & deiici, etiam cùm à me de literis catholicorum Episcoporum singula proferentur, tantùm percutietur atq; deiicietur, siue vnum eorum, siue duo, siue plura, siue omnia, sicut valuerit quod profertur. Veluti est illud in libro quem De arca

Aug. de Gen.

Noe

Noe conscripsit beatus Ambrosius, *Per vnum*, inquit, *Dominum Iesum salus ventura nationibus declaratur, qui solus potuit iustus esse, cùm generatio omnis erraret, nisi natus ex virgine generationis obnoxiæ priuilegio minimè teneretur. Ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus sum; & in delictis peperit me mater mea: dicit is qui iustus præ cæteris putabatur. Quem igitur iam iustum dixerim, nisi horum liberum vinculorum, quem naturæ communis vincula non teneant? Omnes sub peccato ab Adam, in omnes regnabat mors. Veniat solus iustus in conspectu Dei, de quo iam non cum exceptione dicatur, non peccauit in labiis suis, sed peccatum non fecit.* Huic dic si audes, quòd diabolum fecerit hominum conditorem, qui vtriusque sexus cõmixtione nascuntur, quandoquidem solum Christum quia sit natus ex virgine, à vinculis obnoxiæ generationis excepit, omnibus cæteris ex Adam sub peccati obligatione nascentibus; quod vtique peccatum diabolus seminauit. Hunc damnatorẽ redargue nuptiarum, qui sine peccato natum solum dicit virginis filium: istum negatorem percipiendæ criminare virtutis, qui asserit ingenerari vitia generi humano in ipso conceptionis exordio: & dic ei quod aduersus me in primo tuo volumine videris tibi satis aptè acuteq; dixisse, *nec peccare eos omnino, qui peccare dicũtur. Siquidem à quocunque creati sunt; secundum id quod creati sunt, necesse habent viuere, nec suæ repugnare naturæ.* Hæc omnia dic Ambrosio, siue de Ambrosio, quę mihi tam superbè, tam contumeliosè, tam procaciter & petulanter obiectas. Nam his verbis suis infamare etiam baptismatis sacramentum, quòd in eo plena non fiat remissio peccatorum; & iniquum Deum facere, qui peccata in filiis damnat aliena, quæ in parentibus relaxauit; fortasse non potest dici, quoniam cùm hæc loqueretur, non de baptizatorum propagine loquebatur. Porrò si sanctus Ambrosius non ex his erat, qui diabolum faciunt hominum creatorem, vel nuptias damnant, vel incapacem virtutis naturam opinãtur humanam: sed ex his potius qui Deum summum ac summè bonum totius hominis, id est, totius animæ, totius corporis agnoscunt & confitentur authorem, & honorãt in sui gradus bonitate coniugia, nec hominem perfectè iustificari posse desperant: hæc interim tria vestra argumenta tanta illius viri authoritate subuersa sunt, nec vlterius obiicienda sunt nobis, qui de originali peccato ea dicimus, quæ dixit ille, qui neque hominis creationem diabolo attribuit, neque nuptias condemnauit, neque iustitiæ perfectionem in natura hominis desperauit.

Psal. 50.

Iob 1. & 2. 1. Pet. 2.

Rom. 7.

Psal. 50.

CAPVT III.

DE duobus verò residuis argumentis vestris, quæ ad baptismum pertinent, mox videbimus quid ille vir senserit, & quomodo vos ingenti mole authoritatis obtriuerit. Dicit enim in lib. contra Nouatianos: *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum dicente Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Christi autem caro damnauit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit, vt in carne nostra esset iustificatio per gratiam, vbi erat antè colluuio per culpam.* Hic sanè omnia simul vestra argumenta subuersa sunt. Si enim omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est; cur mihi ex hoc obiicis, quòd dicam diabolum hominum creatorem: cùm hoc me dicere videas quod ille dixit, qui hominum creatorem diabolum esse non dixit? Si quoniam hominis ortus in vitio est, ideo dicit Dauid: Ecce in iniquitatibus cõceptus sum, & in delictis peperit me mater mea: nec accusat vox ista nuptiale consortium, sed originale peccatum; cur me damnatorem dicis esse nuptiarum, quod dicere nõ audebis Ambrosium? Si quoniã omnes homines sub peccato nascimur, & ipse ortus noster in vitio est, ideo Pauli caro corpus mortis erat, sicut ipse ait, Quis me liberabit de corpore mortis huius? iam tandem perspicis etiam seipsum in his suis verbis voluisse intelligi Apostolum. Ipsius ergo interior homo cum condelectaretur legi Dei; videbat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & propterea carnem suam corpus mortis esse dicebat. In ipsius ergo carne non habitabat bonum, propter quod non quod volebat, faciebat bonum; sed malum quod oderat, hoc agebat. En tota vestra causa impulsa, prostrata, contrita, & sicut puluis quem proiicit ventus à facie terræ, sic à cordibus eorum quos decipere cõperatis, si hæc voluerint deposito studio cõtentionis cogitare, proiecta est? Nũquid enim Paulus Apost. non erat baptizatus? aut ali quid ei veloriginaliũ, vel propriorũ, vel ignorãtiæ, vel sciẽtiæ remissum non fuerat peccatorũ? Vnde ergo talia loquebatur, nisi quia id quod dixi in lib. meo, cui re respõdisse gloriaris, omnino verum est? Lex quippe ista peccati, quæ in membris est corporis mortis huius, & remissa est regenerationẽ spiritali, & manet in carne mortali. Remissa scilicet, quia reatus solutus est sacramẽto, quo renascuntur fideles; manet autẽ, quia operatur desideria, cõtra quę dimicant & fideles. Hoc est omnino quod funditus subruit hæresim vestrã. Quod vsq; adeo videtis & timetis, vt non aliter ex his Apostolicis vocibus exire conemini, nisi quanta potestis contẽtione asseueritis, nõ illic ipsius Apostoli accipiendam esse personam, sed adhuc sub lege, nondum sub gratia positi cuiuspiam Iudæi, contra quem suæ malæ conuersationis consuetudo pugnaret: quasi vis ipsa consuetudinis deponatur in baptismo, & nõ aduersus eam consligant etiam baptizati, tanto fortius atque vehementius, quanto magis placere studẽt oculis eius, cuius gratia adiuuantur, ne in tali certamine superentur. Quod si attentè sine peruicacia consideraret voluisses, profectò in ipsa etiam vi consuetudinis inuenires, quomodo concupiscentia remittatur in reatu, & maneat in actu. Neque enim nihil in homine agitur, quando concupiscentiarum suarum, etiam quibus non consentit, stimulis inquietatur. Sed tamen nõ propter vim cõsuetudinis appellabat carnem suam corpus mortis Apostolus; sed propter quod rectissimè intellexit Ambrosius, quia omnes sub peccato nascimur, & ipse ortus in vitio est; huius vitij reatum, iam sibi in baptismate fuisse dimissum dubitare non poterat; sed contra eius inquietudinem pugnans; primum ab eo vinci subiugarique metuebat: deinde licet inuictè, non diu pugnare, sed hostem non habere malebat, quando dicebat, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: sciens eius gratia nos sanari ab isto concupiscentiali motu, qui nos ab eius originali reatu, spiritali regeneratione sanauit. Hoc bellum quod in nobis ipsis aduersum nosipsos gerendum suscipimus, experiuntur in se, neque negare possunt libidinis acerrimi expugnatores, non impudentissimi laudatores. Denique dicit etiam victoriosissimus Cyprianus in epistola De oratione Dominica, *Fieri autem petimus voluntatem Dei in cælo & in terra, quod vtrunque ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet & salutis. Nam cùm corpus è terra, & spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cælum sumus, & in vtroque, id est, in corpore & spiritu, vt Dei voluntas fiat, oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus aduersus se inuicem, quotidiana congressio, vt non ea quæ volumus ipsa faciamus, dum spiritus cælestia & diuina quærit, caro terrena & secularia concipiscit. Et ideo petimus inter duo ista, ope & auxilio Dei concordiam fieri, vt dum & in spiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est anima seruetur. Quod apertè*

Lib. de penit. cap. 2.

Rom. 7.

Lib. de gratia Christi cap 39. & infra cap. 8.

Cyprianus de oratione Dominica.

Gal.5. *atque manifestè apostolus Paulus sua voce declarat: Caro, inquit, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur sibi, vt non ea quæ vultis, illa faciatis.* Vide quemadmodum instruat baptizatum populum doctor egregius: quod ad baptizatum enim pertineat oratio Dominica, quis Christianus ignorat: vt humanam incolumitatem, salutemque naturæ in hoc esse intelligant constitutam, non vt caro & spiritus, tanquam inter se naturaliter inimica, sicut Manichæus desipit, separentur; sed potius tanquam ex vitio discordiæ sanata, concordent. Hoc est enim liberari è corpore mortis huius, vt vitæ fiat, quod modo corpus est mortis; ipsa in eo morte moriẽte; fine discordiæ, nõ naturæ. Vnde dicitur etiam illud, Vbi est mors contentio tua? Quod nõ in hac vita perfici, idẽ quoq; testis est martyr in epistola De mortalitate, vbi *Apostolum propterea dicit concupiscere dissolui, & esse cum Christo, vt nullis iam fieret peccatis & vitiis carnis obnoxius.* Quàm verò vigilanter aduersus illud dogma vestrum, quo in vestra virtute confiditis, hoc in oratione Dominica exponit. Sic enim docet, *petendum id potius à Domino quàm de propriis viribus præsumendum, vt inter carnem & spiritum non humana virtus, sed gratia faciat diuina concordiam:* consonans omnino Apost. dicẽti, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. His & sanctus Gregorius attestatur dicens, *Anima nanque cum in laboribus fuerit, & in angustiis cùm hostiliter vrgetur à carne, tunc ad Deum refugit & cognoscit vnde debeat auxilium poscere.* Ac ne quisquam in his verbis Episcopi Gregorij hostiliter vrgeri carnem tãquam ex cõtraria natura mali, secũdum Manichæorum insaniam suspicetur, etiam ipse vide, quemadmodum suis fratribus & condoctoribus concinat, docens non ob aliud aduersus carnem spiritum concupiscere, nisi vt suo vtrunq; reuocetur authori post grauissimum in hac vita rei vtriusque conflictum, in quo laborat omnium vita sanctorum. In libro quippe apologetico, *Illorum verò*, inquit, *verborum nondum facio mentionem, quibus intra nosmetipsos propriis vitiis ac passionibus impugnamur, et die noctuq; ignitis stimulis corporis humilitatis huius, & corporis mortis vrgemur, nunc latenter, nunc etiam palàm pronocantibus vbique & irritantibus rerum visibiliũ illecebris, luto huius fecis cui inhæsimus, cœni sui fœtorem venis capacioribus exhalante, sed in lege peccati, quæ est in membris nostris repugnante legi spiritus, dum imaginem regiam, quæ intra nos est, captiuam ducere studet: vt spolijs eius cedat, quicquid illud est, quod in nos beneficio diuinæ ac primæ illius conditionis influxit: vnde vix aliquis fortasse longa se & districta regens philosophia, & paulatim nobilitatem animæ suæ recolens, naturam lucis quæ in se est humili huic & tenebroso luto coniuncta, reuocet ac reflectat ad Deum: vel si certè propitio Deo agat, vtrunque pariter reuocabit, si tamen longa & assidua meditatione insuescat sursum semper aspicere, & deorsum malè trahẽtem ac degrauantem materiam sibimet astrictam, frenis arctioribus subleuare.* Agnosce fili Iuliane consonas catholicas voces, & ab eis desine dissonare. Cùm dicit beatus Gregorius, intra nosmetipsos propriis vitiis ac passionibus impugnamur, & die noctuq; ignitis stimulis corporis humilitatis huius, & corporis mortis vrgemur: baptizatus loquitur, de baptizato loquitur. Cùm dicit lege peccati quę est in membris nostris legi spiritus repugnante: baptizatus loquitur, de baptizatis loquitur. Christianorum est ista pugna fidelium, nõ infidelium Iudæorum. Crede, si non pugnas; agnosce, si pugnas & in ista pugna rebellem quoque superbiam Pelagiani erroris expugna. Iámne discernis, iámne perspicis, iámne resipiscis, & in baptismate fieri omnium remissionem peccatorũ, & cum baptizatis quasi ciuile bellũ interiorum remanere vitiorum? Non enim talia sunt vitia, quæ iam peccata dicenda sint, si ad illicita opera spiritum concupiscentia non trahat, & concipiat pariatque peccatum. Nec tamen extra nos sunt, quibus vincendis, cum in hoc certamine proficienter laboramus, instandum est; nostra sunt, passiones sunt, vitia sunt, frenanda, cohibenda, sananda sunt, sed dum curantur infesta sunt. Et si nobis ad meliora proficientibus, magis magisque minuuntur; tamen dum hic viuitur, esse non desinunt. Discedente hinc anima pia peribunt, in resurgente corpore non redibunt.

Concupiscentia mala in renatis non est peccatum.

Pereuntin morte omnis affectus ac motus.

ERGO ad beatum redeamus Ambrosium. *Etiam Pauli caro*, inquit, *corpus mortis erat, sicut ipse ait, Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Ita intellexit Ambrosius, ita Cyprianus, ita Gregorius, vt de aliis interim taceã simili præditis authoritate doctoribus. Huic morti dicetur in fine, Vbi est mors contentio tua? Sed regeneratorum est hæc gratia, non generatorũ. *Christi enim caro, quod adiungit Ambrosius, damnauit peccatum, quod nascendo non sensit; quod moriendo crucifixit:* nascẽdo non sensit in se, moriendo crucifixit in nobis. Lex itaq; peccati repugnans legi mẽtis, quæ in tanti quoq; Apostoli membris erat, remittitur in baptismate, non finitur. Ex hac lege carnis repugnante legi mentis, nihil Christi corpus attraxit, quia non ex illa virgo concepit. Ex hac lege carnis repugnante legi mentis, eandem legem prima natiuitate nemo nõ traxit, quia nisi ex illa mulier nulla concepit. Et ideo venerandus Hilarius, *ex peccato esse omnem carnem* nõ cunctatus est dicere, Sed nũquid ideo negauit ex Deo? Quomodo dicimus, & ex carne carnem, & ex homine carnem; nũquid etiam sic negamus, generamur ex Deo? Ergo & ex Deo, quia creat; & ex homine, quia generat; & ex peccato, quia vitiat. Sed Deus qui genuit filium sibi coæternum, quod in principio erat verbum, per quod creauit omne quod non erat, etiam ipsum creauit hominem sine vitio, nõ ex semine hominis per virginem natum, in quo regenerat hominem generatũ, sanatq; vitiatum, à reatu statim, ab infirmitate paulatim. Contra quam regeneratus si iam ratione vtitur, illo spectãte atque adiuuante velut in agone confligit: quia virtus in infirmitate perficitur, dum contra hoc nostrum quod à iustitia deficit, illo nostro, quod ad iustitiam proficit, dimicatur: vt vincente profectu, totum surgat in melius; non vincente defectu, totum vergat in peius. Paruulus verò in quo adhuc rationis nullus est vsus, voluntate quidem propria nec in bono est, nec in malo, quia nulla in alterutro cogitatione versatur, sed vtrunque in illo consopitum vacat, & bonum naturale rationis, & malum originale peccati. Sed annis accedentibus, euigilante ratione, venit mandatum, & reuiuiscit peccatum: quod aduersus crescentem cùm pugnare cœperit, tũc apparebit, quid in infante latuerit, & aut vincit & dominabitur; aut vincitur & sanabitur. Non tamen ideo malum hoc nihil nocuisset, etiam si priusquam in illo apparere cœpisset, paruulus hac è vita exisset: quia reatus eiusdem mali, non quo reum malum est, sed quo reum facit in quo est, sicut generatione contrahitur, ita nisi regeneratione non soluitur. Hoc est propter quod paruuli baptizantur, vt non solùm regni Christi fruantur bono, verum & à malo regni mortis eruantur. Neque hoc fieri potest, nisi per eum, qui peccatum in sua carne damnauit, *quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit; vt in carne nostra esset iustificatio per gratiam, vbi erat ante colluuio per culpam.* His itaque beati Ambrosij verbis, nec diabolus bonitate hominem creauit, sed hominem malignitate vitiauit: nec concupiscentiæ malum nuptiarum abstulit bonum; nec in baptismatis sacramẽto peccati alicuius reatus relinquitur insolutus: nec iniustus est Deus, qui eum damnat lege iustitiæ, qui peccati lege fit reus, etiam si ex illa natus est, quæ parentem-

Lib. seu epist. de mortalitate

Lib. de Orat. dominica.

Rom. 7.

Gregorius Nazianzenus.

Idem in Apologetico primo de sua fuga.

Hilarius sup. lib. 2. cap. 3.

Ambr. de paradiso, lib. 1. c. 2.

rentem eius propterea iam reum facere non potest, quia renatus est. Virtus porrò, quæ in infirmitate perficitur, quare, si hæc vera sunt, desperanda est; cùm per carnem Christi, quæ *damnat peccatum quod nascendo nõ sensit, quod moriẽdo crucifixit, fiat etiam in ea carne nostra iustificatio per gratiam, in qua erat antè colluuio per culpã?* Ac per hoc quinq; ista vestra, in quibus maximè terretis homines, argumenta; nec alios poterunt perturbare, nec vos, si credatis Ambrosio, Cypriano, Gregorio, aliisque catholicis sanctis clarisq; doctoribus, imò verò etiam vobis ipsis, legẽ peccati, quæ inest hominis membris, repugnans legi mentis, qua caro cõcupiscit aduersum spiritum, etiam baptizatis sanctis ingerere pugnandi necessitatem; contra quid? nisi contra malũ, non substantiam, sed substantię vitium, Dei gratia nos regenerante non imputandum, Dei gratia iuuante frenandum, Dei gratia remunerante sanandum?

CAPVT V. Occupatio.

SED ne fortè dicas, *contra hoc potius pugnare baptizatos, quod sibiipsi prioris vitæ mala consuetudine fecerunt, non contra id cum quo nati sunt.* Quanquam si hoc dicis, iam proculdubio cernis atque concedis, esse in homine aliquid mali, quod non ipsum, sed reatus qui ex illo contractus fuerat, auferatur in baptismo. Tamen quia parum est ad huius quęstionis absolutionem, nisi nobis ex peccato primi hominis ingeneratũ esse monstretur, audi quid inde in alio loco expressius dicat sanctus Ambrosius in expositione Euãgelij secundũ Lucam, cum diuersis modis ab vna tamen regula fidei nõ abhorrentibus, tractaret illum locum, vbi Dominus ait, in vna domo diuidi tres aduersus duos, & duos aduersus tres. *Possunt etiam videri, inquit, caro atque anima ab odore, tactu, gustuq; luxuriæ separatæ in vna domo, se aduersus incursantia vitia diuidentes, subiicientes se legi Dei, remouentes se à lege peccati: quorum licet dissensio per præuaricationem primi hominis se in naturam verterit, vt nequaquam sibi paribus ad virtutem studiis conuenirent; tamen per crucem Domini saluatoris, tam inimicitiis quàm etiam mandatorum lege vacuatis, in societatis concordiam congruerunt, posteaquam Christus è cælo pax nostra descendens fecit vtraque vnum.* Rursus in eodem opere, cùm de spiritali atque incorruptibili loquerẽtur cibo, *Etenim ratio cibus mentis est, inquit, præclaræq; alimonia suauitatis, quæ membra non oneret, neque in naturæ pudenda, sed ornamenta conuertat, cùm libidinum volutabrum commutatur in Dei templum, diuersoriúmque vitiorum, sacrarium incipit esse virtutum. Quod vtique tunc facit, cùm caro in naturam regressa vigoris sui agnoscit altricem, atque ausu deposito contumaciæ, moderantis animæ coniugatur arbitrio: qualis fuit cùm inhabitanda paradisi secreta suscepit, antequam veneno pestiferi serpentis infecta, sacrilegam famem sciret, diuinorumq; memoriam præceptorum animæ sensibus inhærentem, edacitatis studio præteriret. Hinc peccatum manasse proditur, tanquam corpore animaq; genitoribus, dum corporis natura tentatur, anima malesana compatitur. Quæ si appetentiam corporis refrenasset, in ipso ortu esset extincta origo peccati; quam velut virili infusam corporis motu malè fœta anima, etiam sui vigore corrupto, alienis grauis oneribus parturiuit.* Hic certè apertissimè atque satiatissimè, ille tam excellenter tui doctoris ore laudatus doctor Ambrosius declarauit, & quid esset, & vnde esset originale peccatum, & vnde contigerit illa prima confusio, quæ inobediẽtia carnis fuit dissentiẽtis ab anima, quam discordiam sanat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum. Vides vnde caro cõcupiscit aduersus spiritum, vides vnde sit lex in membris repugnans legi mentis. Vides vertisse se in naturam, animæ carnisque discordiam, & per has inimicitias nobis abundare miserias, non nisi Dei misericordia finiendas. Nõli mihi iam aduersari. Nam si adhuc facis, cui vel quibus simul aduerseris, adver- *Me* nempe dixisti *nihil magis laborare, quàm vt non intelligar.* Et in quibusdam locis sensus meos ad tuum potius interpretaris arbitrium, abutens tardiusculis cordibus hominum, qui te non intelligunt tacere potius noluisse, quàm respõdere potuisse vni meo, quatuor voluminibus tuis. Ecce fundit eloquentiæ lucidum ac perspicuum flumen Ambrosius. Non est vbi hæreat lector, vbi caliget auditor. Manifestissimè dicit Apostolum ideò dixisse, Quis me liberabit de corpore mortis huius, quia omnes sub peccato nascimur, & ipse ortus in vitio est. Manifestissimè dicit, Dominum Christũ propterea fuisse sine peccato, quòd natus ex virgine, vinculis obnoxię generationis naturaque communis minimè teneretur, & damnasse peccatum, quod nascendo non sensit. Apertissimè dicit, quòd dissensio carnis & animæ per præuaricationem primi hominis in naturam se verterit. Apertissimè dicit, carnem libidinum volutabrum diuersoriumq; vitiorũ ita mutari in Dei templũ sacrariumq; virtutum; cùm in naturam regressa vigoris sui agnoscit altricem, atque ausu deposito contumaciæ, moderantis animæ coniugatur arbitrio: qualis fuit cùm inhabitanda paradisi secreta suscepit, antequam esset veneno pestiferi serpentis infecta. Quid adhuc quod aduersus meos libros moliaris, inquiris? illum aspice, aduersus illum aliquid aude, qui hæresis vestræ venenis antequam nascerentur, occurrit, & vnde possunt expelli, hæc antidota præparauit. Quæ si satis non sunt, adhuc audi. In lib. De Isaac & anima idem dicit, *Bonus ergo rector malos equos restringit & reuocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Mali equi, iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas.* Nunquid ait, Bonus rector bonos equos habet, malos non habet? Sed ait, bonos incitat, malos restringit & reuocat. Vnde isti sunt equi? Nempe si eos substantias dicimus vel putamus, Manichęorum fauemus vel hæremus insaniæ: quod vt absit à nobis, catholicè istos equos intelligimus vitia nostra, quæ legi mentis ex lege peccati resistunt. Non à nobis hæc vitia separata, alicubi alibi erunt, sed in nobis sanata nusquam erunt. Verùm tamen quare non in baptismate perierunt? An nõdum fateberis quòd reatus eorum perierit, infirmitas manserit, nõ reatus quo ipsa rea fuerant, sed quo nos reos fecerant in malis operibus, quò nos traxerant? Nec ita eorum mansit infirmitas, quasi aliqua sint animalia, quæ infirmantur, sed nostra infirmitas ipsa sunt. Nec in his equis malis iniquitatem nominasse putandus est illam, quæ deletur in baptismo. Illa nanque peccatorũ quæ fecimus, fuit, quæ cuncta remissa sunt, atque omnino iam non sunt, quorum reatus manebit quando ipsa fiebant atque transibant. Istam verò legem peccati, cuius manentis reatus in sacro fonte remissus est, propterea vocauit iniquitatem, quia iniquum est, vt caro concupiscat aduersus spiritum; quamuis adsit in nostra renouatione iustitia; quia iustum est, vt aduersus carnem spiritus concupiscat, vt spiritu ambulemus, & concupiscentias carnis non perficiamus. Hanc quippe iustitiam nostram inter bonos equos inuenimus nominatam. Audi adhuc quid dicat in lib. quem scripsit De paradiso, *Fortasse, inquit, ideo dixit Paulus, quæ non licet homini loqui: quia erat adhuc in corpore constitutus, hoc est, videbat istius corporis passiones, videbat legem carnis suæ repugnantem legi mentis suæ.* Itemque in eodem, *Cùm dicit, inquit, sapientiorem serpentem, intelligis quem loquatur, id est, illum aduersarium nostrum, qui tamen habet huius sapientiam mundi. Sed & voluptas & delectatio bene sapiens dicitur, quia & carnis appellatur sapientia, sicut habes, quia sapientia huius carnis inimica est Deo. Et ad exquirenda delectationum genera astuti sunt, qui appetentes sunt voluptatum. Siue ergo, inquit, delectationem intelligas, auedam est diuino aduersa mandato, & inimica sensibus*

Ambr. lib. 7. in 12. c. Luce.

Eph. 2.

Ibidem paulo post.

Gal. 5. Rom. 7.

Li. 2. de nup. & concupisc. cap. 29.

Breuiter confirmat Ambrosij sententias.

Ambrosius in lib. de Isaac et anima c. 8.

Concupiscentiam post baptismũ remanentem quo sensu iniquitatem vocauit Ambros.

Lib. de paradiso cap. 11.

2. Cor. 12.

Ibid. cap. 12.

Rom. 8.

Rom.7. *sensibus nostris. Vnde sanctus Paulus ait, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Qualem voluptatem dicat hoc loco iste doctor, in promptu est, quia vt intelligeremus adhibuit Apostoli testimonium dicẽtis: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Hæc est voluptas illa suscepta tua, quamuis & tu reprehendas eius excessum. Vbi qualis sit planè fateris, sed tantis verborum ornamentis eam moderatam defendis & laudas, quasi istum modum sibi ipsa constituerit, & non spiritus qui aduersus eius impetum concupiscit: Aduersus quem fortiter stabat ille, qui clamabat: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Iste repugnantis impetus si laxetur, in quæ declinabit im mũda? in quæ non pertrahet & præcipitabit abrupta? Verùm nunc quòd potius instat, ecce non secũdum vos quicunq; Iudæus, sed secundum beatissimum Ambrosium de seipso Paulus apostolus dicit: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Rursus in eodem opere alio loco, doctor idem:

De paradiso c. 12. in fine. Rom.7. *Impugnatur*, inquit, *Paulus, & videt legem carnis suæ, repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati, nec de conscientia sua præsumit, sed per Christi gratiam confidit se à mortis corpore liberandum: & tu quenquam opinaris scientem non posse peccare. Paulus dicit: Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago: & tu arbitraris homini prodesse scientiam, quæ delicti augeat inuidiam.* Itemque in ipso opere, idem ipse episcopus ad omnes nos referens eloquium, causamque communẽ

Ibidem c. 15. sedulò agens: *Repugnat enim lex carnis*, inquit, *legi mentis, & laborandum nobis est ac desudandum, vt castigemus*

Ambrosii liber de sacramento regenerationis, seu de philosophia, sed non extat. *corpus & seruituti redigamus, & quæ sunt spiritalia seminemus.* In alio quoque libro suo, De sacramento regenerationis, vel de philosophia quem scripsit, ita loquitur: *Beata igitur mors quæ nos peccato eripit, vt reformet*

Rom.6. *Deo. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Nunquid naturæ fine, inquit, iustificatur à peccato aliquis? Non vtique, quoniam qui peccator moritur, in peccato manet: ille autem iustificatur à peccato, cui per baptismum peccata remittuntur omnia.* Habes ad ista quid dicas? Videsne quemadmodum expresserit vir venerabilis, in baptismo fieri hominis mortẽ beatam, vbi remittuntur peccata omnia? Sed attende aliud, attende quod non vis.

Ibidem. *Aduertimus*, inquit, *cuiusmodi sit mors mystica; nunc consideremus cuiusmodi sepultura esse debeat. Non ergo satis est vt moriantur vitia, nisi marcescat corporis luxus, & omnium vinculorum carnalium compago soluatur, omnis nodus corporei laxetur vsus. Nemo sibi blandiatur, quòd aliam figuram induerit, mystica præcepta acceperit, ad continentiæ disciplinam applicuerit animum: Non quod volumus hoc agimus, sed quod odio habemus hoc facimus. Multa operatur in nobis peccatum: Nobis reluctantibus rediuiuæ plerunque voluptates resurgunt. Luctandum nobis aduersus carnem est, luctatus est aduersus eam Paulus, denique ait:*

Rom.7. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Nunquid tu, inquit, fortior Paulo? Nec tanquam sedulæ carni tuæ confidas, & te ei credas, cùm Paulus clamet: Scio enim quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo facio bonum: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo hoc ago, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Quantalibet feraris animi obstinatione Iuliane, quantalibet aduersus nos peruicacia pro Pelagiano errore consistas, tanta per beatum Ambrosium circumuallaris rerum euidentia, tanta verborum eius manifestatione contunderis; vt profectò si nulla te ratio, cogitatio, consideratio religionis, pietatis, humanitatis, atque

A in te ipso aduertendæ veritatis à pertinaci intentione reuocauerit, ostendas quantum in malis humanis valeat, cò quenquam fuisse progressum, vbi manere non libeat, vnde iam redire pudeat. Sic enim te credo affici, cùm ista legeris. Sed ô si pax Christi in tuo corde vincat, & bona pœnitentia de mala verecundia palmam ferat.

CAPVT VI.

SED iam nunc paruper attende, quomodo ex ista lege peccati, cuius motum mortalitas etiam continentium cogitur ferre, cui modum castitas nuptiarum laborat imponere, vbi concupiscentia carnis voluptasque, quam laudas, contra propositum voluntatis agit suos impetus, cùm excitatur, etiam si actus non peragit, cùm frenatur. Attende ergo paulisper, quomodo ex hac lege peccati omnem generari hominẽ, & ideo trahere originale peccatum, sanctus eloquatur Ambrosius in eo ipso De sacramento regenerationis, siue De philosophia libro suo: *Est*, inquit, *do-* Ibidem.

B *mus quam sapientia ædificat, & mensa cælestibus referta sacramentis, in qua iustus cibum diuinæ voluptatis epulatur, suauem gratiæ potum bibens, si perpetuorum meritorum vberi posteritate lætetur. Hos filios generans Dauid partus illos corporeæ commixtionis horrebat, & ideo mundari sacri fontis irriguo desiderabat, vt carnalem ac terrenam labem gratia spiritalis ablueret: Ecce, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater* Psal. 50. *mea. Malè Eua parturiuit, vt partus relinqueret mulieribus hæreditatem, atque vnusquisque concupiscentiæ voluptate concretus, & genitalibus visceribus infusus, & coagulatus in sanguine, in pannis inuolutus, prius subiret delictorum contagium, quàm vitalis spiritus munus hauriret.* Si te non deseruit qualiscunque saltem sensus humanus, vides quid de concupiscentiæ voluptate hac ipsa, cui præbes impudentissimum patrocinium, pronunciauerit, tui quod sæpe dicendum est doctoris testimonio prædicatus tam memorabilis doctor Ambrosius: quòd ea quisque concretus, ea genitalibus visce-

C ribus infusus, & coagulatus in sanguine, & in pannis, non vtique laneis, aut lineis, aut huiuscemodi talibus, qualibus iam nati obuoluuntur infantes; sed pannis vitiatæ originis tanquam hæreditariis inuolutus, prius Hæreditarium est originalis peccati malè. subeat contagium delictorum, quàm vitalis huius aeris auram spirando percipiat: in quem veluti immensum fontem communis & non desistentis alimenti, post occulta spiramenta viscerum maternorum, qui nascitur, funditur, in ortu ploraturus reatum, quem contraxit ante ortum. Ergòne ex huius concupiscentiæ motu illi non erubescerent homines primi, quo & ipsi apparebant noxij, & eorum filij peccato parentum pronunciabantur obnoxij? Vtinam sicut illi erubuerunt eas partes corporis, in quibus libidinis inobedientiam sentiebant, nudas relinquere; ita tu fidei catholicæ obediens erubesceres erubescenda laudare. Quid autem etiam de ipso ficulneorum tegmine foliorum in libro De paradiso idem ipse scripsit doc-

D tor aduerte. *Quod ergo grauius est, inquit, hac se Adam* De paradiso, cap. 13. *interpretatione succinxit eo loco, vbi fructu magis castitatis se succingere debuisset. In lumbis enim quibus præcingimur, quædam semina generationis esse dicuntur: & ideo malè ibi succinctus est Adam foliis inutilibus, vbi futuræ generationis non fructum futurum, sed quædam peccata signaret.* Hic certè frustrauit iste vir sanctus tam elaboratam disputationem tuam nimisque solicitam, ne post peccatum Adam & Eua oculis apertis lumbos præcinxisse credantur. Vt enim tanta ibi loquacitate laborares, contra sensus veniebas omnium, & eos multiloquij strepitu perstringere cupiebas. Quid e- Perizomata quibus se Adam & Eua tegebant.

nim tam in promptu est, quàm succinctoriis, vel præcinctoriis, quæ Græcè περιζώματα nuncupantur, lumbos hominum contegi vel præcingi, quas vulgus etiam munituras vocat? Neque hoc ille homo Dei, cuius te

vrge-

vrgemus eloquio, tanquam obscurum esset exposuit: sed quod omnes intelligebant, quid significaret ostendit. *In lumbis enim quibus præcingimur*, ait, *quædam semina generationis esse dicuntur, et ideo malè ibi succinctus est Adam foliis inutilibus.* Quare male? Sequitur & dicit, *vbi futuræ generationis, non fructum futurum, sed quædam peccata signaret.* Habes ne ad ista quòd dicas? Ecce vnde illa confusio, ecce vnde contextio & succinctio foliorum, ecce vnde in posteris originale peccatum. Sanctus verò Ioannes Constantinopolitanus Ioannes Chrysostomus. episcopus, quãtum verecundia permittere potuit, totum illud primorum hominum erubescentium factũ, duobus verbis euidenter expressit dicens: *Foliis autem ficus erant cooperti, tegentes speciem peccati.* Cui non apparet, quæ vel qualis peccati species à confusis tegenda fuerat in regione lumborum, qui de sui corporis nuditate non confundebantur ante peccatum? Obsecro

B *intelligite, imò verò permittite homines, quod vobiscum intelligunt intelligere, & nolite nos cogere de pudendis penè impudenter diutius disputare.* Merito idem beatus Ioannes, etiam ipse, sicut martyr Cyprianus, circuncisionem carnis, in signo præceptam commendat esse baptismatis. Cyprianus lib. 3. c. 8. *Et vide quomodo Iudæus*, inquit, *circuncisionem non differt propter comminationem, quia omnis anima, quæcunque non fuerit circuncisa die octauo, exterminabitur de populo suo. Tu autem*, inquit, *non manufactam circuncisionem differs, quæ in expoliationæ carnis in corpore perficitur, ipsum Dominum audiens: Amen amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non intrabit in regnum cælorum.* Cernis quemadmodum circumcisionem circuncisioni, comminationem comminationi vir ecclesiastica doctrina præditus comparauit. Quod ergo est octauo die non circuncidi, hoc est in Christo non baptizari. Et quod est, perire de populo suo, hoc est, non intrare in regnũ cælorum. Et tamen vos in baptismate paruulorum expoliationem carnis, hoc est circuncisionem non manufactam, celebrari negatis, cùm nihil eos, quo expoliari debeant, habere contenditis. Non enim eos fatemini mortuos in præputio carnis suæ, quo peccatum significatur, maximè quod originaliter trahitur; per hoc enim est corpus nostrũ corpus peccati, quod euacuari dicit Apostolus per crucem Christi.

CAPVT VII. Ostendit B. Ambrosiũ de quinque illis articulis à Iuliano positis nellẽ sensisse.

SED nunc sententiis episcoporum qui fuerunt ante nos, & hæc diuina eloquia fideliter & memorabiliter tractauerunt, vrgere te institui. Proinde ad episcopum Ambrosium reuertamur: qui cùm homines, id est, & animas & corpora hominum, opus Dei esse non dubitet, & nuptias honoret, & in baptismo Christi predicet omnia peccata dimitti, & Deum nouerit esse iustum, & capacem virtutis atque perfectionis per Dei gratiam humanam non neget esse naturam: quæ vestra quinque facitis argumenta, contendentes, illum istorum quinque verum esse posse, nisi falsum sit tra-

D here nascentes originale peccatum: tamẽ hoc ipsum, quod his quinque argumentis auferre conamini, sic ille vbi opus est, in suis sermonibus ponit, vt cuiuis satis eluceat, quid catholica veritas soleat prædicare, quid prophana nouitas conetur euertere. An fortè ipsum quoque Ambrosium scisse ac docuisse dubitabis, Deũ esse hominum conditorem & animæ & corporis? Audi ergo quid dicat in libro De philosophia contra Platonem philosophum, qui hominum animas reuolui in bestias asseuerat, & animarum tãtum modo Deum opinatur authorem; corpora autem diis minoribus facienda decernit. Ergo sanctus Ambrosius; *Miror*, inquit, *tantum philosophum quomodo animam, cui potestatem conferendæ immortalitatis attribuit, in noctuis includat aut ranulis, feritate quoque induat bestiarum, cùm in Timæo eam Dei opus esse memorauerit, inter immortalia à Deo factam: corpus autem non videri opus summi*

Deum & animas et corpora hominũ esse authorem.

Plato solas animas à Deo editas putat, easque in bestias reuolui asserit. Ambrosius libro De philosophia contra Plat.

Dei asserit, quia natura carnis humanæ, nihil à natura corporis bestialis differt. Si ergo digna est quæ Dei opus esse credatur, quomodo indigna est quæ Dei opere vestiatur? Ecce non solum animam, quod & illi dicunt; verumetiam corpus, quod illi negant, contra Platonicos Dei opus esse defendit Ambrosius. An dicturus es, quòd

1. Bonas honorabiles esse nuptias. nuptiis ingerat crimen, quia & inde quod nascitur concupiscentiæ voluptate concretum, dicit subire contagium delictorum? Audi ergo de nuptiis Ambro-

Cap. 11. sij sententiam in Apologia sancti Dauid: *Bonum*, inquit, *coniugium sancta copula. Sed tamen qui habent vxores, ita sint ac si non habentes: ipse est thorus incoinquinatus, & nemo alterum fraudare debet eo, nisi fortè ad*

1. Cor. 7. *tempus, vt vacent orationi. Tamen secundum Apostolum, non vacat orationi, qui eo tempore vsum corporeæ illius conuentionis exercet.* Audi & alteram in libro De philosophia: *Bona*, inquit, *continentia quædam velut crepido pietatis.*

B *Namque in præcipitis vitæ huius labentium, statuit vestigia speculatrix sedula, ne quid obrepat illicitum. Mater autem vitiorum omnium incontinentia, quæ etiam licita vertat in vitium: Ideóque Apostolus*

1. Cor. 7. *non solum à fornicatione nos retrahit, verumetiam in ipsis coniugiis modum quendam docet, & tempora præscribit*

Maritus intemperans vxoris adulter est. *orandi: Intemperans enim in coniugio, quid aliud nisi quidam adulter vxoris est?* Cernis quemadmodum velit etiam inter se ipsa vera & honesta esse coniugia? Vides quemadmodum dicat, incontinentiam etiam licita vertere in vitium, vbi & licitum demonstrat esse connubium, & in ipso non vult incontinentia fœdari quod licitum est? Aduertis quomodo intelligere nobiscum debeas, in quo morbo desiderij noluerit Apostolus vnumquemque vas suum possidere, sicut gen-

1. Thess. 4. tes quæ ignorant Deum? Tibi autem libido non nisi præter vxorem, videtur esse culpabilis. Quid ergo de Ambrosio iudicabis, qui intemperantem in coniugio,

C adulterum quẽdam appellat vxoris? Túne melius nuptias honoras, in quibus libidini licentiosissimum spatium præbuisti; ne fortassis offensa defensorem sibi alium prouideret? Neque enim, quod ego commemoraui, secundum veniam coniugibus concedere Apostolum (vbi proculdubiò notatur, etsi ignoscitur culpa) saltem verbotenus attingere voluisti: aut quòd ab illo opere, vt orationi vacent, cessare coniuges admonentur, quòd ego totum commemoraui, ausus es in tua responsione refricare: credo, formidans, ne tua videretur præuaricata defensio, si & te confitente appareret, quòd per libidinem, cui te patrocinari non pudet, etiam coniugũ impediretur oratio. Ita cùm mihi pro illa respondere cuperes, sed Apostolo resistere non auderes, nec in aliam sententiam, sicut soletis, ipsum apostolicum testimonium detorquere potuisses, omnino inde tacere maluisti. Tu ergo melius honoras nuptias, quarum dignitatem tanquam omnino irre-

D prehensibili volutabro carnalis concupiscentiæ decoloras; an ille qui cùm dicat, non solum licitum, sed etiã bonum coniugium, sanctamque copulam, tamen cessante libidinis voluptate, tempora orandi ab Apostolo præscripta commemorat: atque ita non vult illi morbo esse deditos coniuges, vnde trahitur originale peccatum, vt eos qui habent vxores, secundum eundem Apostolum, ita esse velit, ac si non habentes. Nec vo-

1. Cor. 7. care dubitat etiam vxoris adulterum, intemperantem maritum: omne connubij bonum pensans non cupiditate carnis, sed fide potius castitatis: non morbo passionis, sed fœdere coniunctionis: non voluptate libidinis, sed voluntate propaginis. Nam mulierem viro non nisi generandi causa perhibet institutam, vnde tam diu frustra, quasi quisquam hoc nostrum negaret, disputandum putasti. Hæc enim sunt de hac re verba eius in libro De paradiso: *Si igitur viro*, inquit, *culpæ au-*

Cap. 10. *thor est mulier, quemadmodum pro bono videtur adiectæ?*

Verùm

Verùm si consideres, quia Deo vniuersitatis est cura, inuenies plus placere Domino debuisse id, in quo esset causa vniuersitatis, quàm condemnandum fuisse illud, in quo esset causa peccati. Ideo quia ex viro solo non poterat humani esse generis propagatio, pronunciauit Dominus, non esse bonum solum hominem esse. Maluit enim Deus plures esse, quos saluos facere posset, quibus donaret peccatum; quàm vnum solum Adam, qui liber esset à culpa. Denique quia idem, inquit, vtriusque author est operis, venit in hunc mundum, vt saluos faceret peccatores. Postremò nec Cain parricidij reum priusquam generaret filios, passus est interire. Ergo, inquit, propter generationem successionis humanæ, debuit mulier adiici viro. Habes ecce Ambrosium doctorem meum, & à tuo mirabiliter prædicatum, & opus Dei esse omnem hominem atque hominis carnem, & bonas esse nuptias, inquantum sunt nuptiæ, non solum fatentem, verumetiam defendentem. Iam verò quòd per originale peccatum sacro baptismati nihil deroget, superius demonstraui, quando eius posui verba, vbi dicit *illum iustificari à peccato, cui per baptismum peccata remittuntur omnia.* Iustum porrò ille Deum vbi non prædicat, aut quis de hoc potest catholicus dubitare Christianus, quod penè & omnes impij cõfitẽtur?

Genes. 2.

III. Baptismo peccata omnia remitti. Cap. 5. Ex lib. de peccatorum regenerationis.

IIII. Iustum esse Deum.

CAPVT VIII. V. Humanam naturam virtutis perfectionisq; capacẽ

QVINTVM illud restat, vtrum videatur Ambrosio humanam capacem iustificationis & perfectionis esse naturam; nec ab hac sententia propterea reuocetur, quia sæpe ac multis modis dicit omnem hominem sub peccato nasci, & esse ipsum ortum eius in vitio. Verùm & hoc iam suprà docui, vbi eum loco ipso paulopòst dixisse memoraui, *à Christi carne damnatum esse peccatum, quòd nascendo non sensit, quòd morendo crucifixit, vt in carne nostra esset iustificatio per gratiam, vbi erat antè colluuio per culpam.* Ibi enim naturam demonstrauit humanam etiam istam, quæ sub peccato nascitur, & cuius ortus in vitio est, esse iustificationis capacem; sed sanè per gratiam, quòd inimicum est vobis, eidem gratiæ crudelibus inimicis. Verùm si hoc parum est: rursus quid dicat, attende in expositione Esaiæ prophetæ: *Videamus*, inquit, *ne qua sit post huius vitæ curriculum nostra regeneratio, de qua dictum est: In regeneratione cùm sederit filius hominis in throno gloriæ suæ. Sicut enim regeneratio lauacri dicitur, per quam detersa peccatorum colluuione renouamur: ita regeneratio dici videtur, per quam ab omni corporeæ concretionis purificati labe, mundo animæ sensu in vitam regeneramur æternam.* Nempe distinxit vir sanctus & verax, iustificationem vitæ huius, quæ fit per lauacrum regenerationis; & illius perfectionem, cùm & nostra corpora fuerint immortalitate renouata. Non itaque fuit Ambrosio, quamuis fateretur nascentis originis vitium, iustificationis desperata perfectio. Quia sicut est humana natura creatori Deo formabilis, ita sanabilis redemptori. Sed vos festinatis, & præsumptionem vestram festinando præcipitatis. Hic enim vultis hominem perfici, atque vtinam Dei dono, & non libero, vel potius seruo propriæ voluntatis arbitrio. A qua perfectione quidem longè vos esse sentitis. Sed dolus est in ore vestro, siue peccatores vos esse dicatis, & iustos credi velitis; siue profiteamini perfectionem iustitiæ, quam profectò in vobis non esse sentitis. Iustificatio porrò in hac vita, nobis secundum tria ista confertur. Prius lauacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata; deinde congressione cum vitiis, à quorum reatu absoluti sumus: tertiò dum nostra exauditur oratio, qua dicimus: Dimitte nobis debita nostra: quoniam quamlibet fortiter contra vitia dimicemus, homines sumus; Dei autem gratia sic nos in hoc corruptibili corpore adiuuat dimicãtes, vt non desit, propter quod exaudiat veniam postulantes. Istam super nos Dei misericordiam, vobis necessariam non putatis, quoniam ex eo numero estis, de quibus in Psalmo dictum est:

Cap. 3. Ex lib. de pœnit. c. 2.

In Esaiæ c. 1. Matth. 19. Regeneratio duplex.

Vita huius iustificatio tutius peragitur.

Matth. 6.

A Qui confidunt in virtute sua. Sed quanto melius audimus Ambrosium, in libro De fuga seculi dicentem: *Frequens nobis de effugiendo isto seculo est sermo; atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus & solicitus affectus. Sed quod pei us est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas vitare, hoc cogites, animoq; voluas. Quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti magis eam esse rem quàm effectus, testatur propheta dicendo: Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes, quæ improuiso offuse, mentem animumq; confundunt, atque alio trahunt quàm tu proposueris, ad secularia reuocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoq; in tempore quo eleuarementem paramus, insertis inanibus cogitationibus, ad terrena plerunque deiicimur.* Hæc si vos non patimini; ignoscite, non vobis credimus, & in his potius sancti B Ambrosij verbis quoddam speculum, & hoc si proficimus, communis humanæ infirmitatis agnoscimus. Vobis autem etiam si credamus & dicamus, orate pro nobis, vt nec nos ista patiamur; ita vos inuenimus clatos & alta sapientes, vt respondeatis nobis, non solum ista vos non pati, verumetiam in hominis esse potestate, ne ista patiatur, nec esse causam cur ad hoc Dei poscatur auxilium. Quanto ergo melius identidem audimus Ambrosium Dei gratiam confitentem, nec de sua virtute confidentem, qui cùm hæc dixisset adiecit: *Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio diuino qui fieri potest? Nullo profectò modo. Denique, inquit, suprà eadem scriptura dicit: Beatus vir cuius est auxilium eius abs te Domine, ascensus in corde eius.* Iteroq; idem ipse in libro De sacramento regenerationis: *Quis igitur est*, inquit, *qui carne vtitur ad operandum, nisi anima? Ergo princeps & domina carnis naturaliter anima est, quæ domare carnem debet & regere. Ideoq; spiritus sancti fulta præsidio, dicit in Psalmo:* C *Non timebo quid faciat mihi caro. Ipsa eadem dicit in Paulo: Sed castigo corpus meum, & seruituti redigo. Castigat ergo Paulus, quod ipsius est, nõ quod ipse est. Aliud est enim quod ipsius est, aliud quod ipse est. Castigat quod ipsius est, vt mortem in se lasciuiæ corporalis iustus operetur.* Nunquid sanctus Ambrosius quãdo ista dicebat, non cum vitiis confligebat? non vitia vincebat? Non exercitum quendam variarum cupiditatũ intra semetipsum, tanquam Christi miles egregius debellabat? Non corpus proprium castigabat? Nunquid nõ superatis & oppugnatis diaboli operibus, opus Dei cum opere Dei, hoc est anima cum carne pacem iustitiæ requirebat, vt nõ in sua virtute confidens, sed sicut ait: *spiritus sancti fulta præsidio diceret: Non timebo quid faciat mihi caro?* Ecce quomodo natura humana capax iustificationis ostenditur: Ecce quomodo virtus in infirmitate perficitur. Sed audiamus de hac re etiam victoriosissimum martyrem Cyprianum in epistola De mortalitate, *Cùm* D *auaritia nobis*, inquit, *cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & vnduque diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio. Si ambitio contempta est, ira exasperat, instat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet; compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter diaboli gladios diu stare, cùm magis concupiscendum sit, & optandum, ad Christum subueniente velocius morte properare.* Absit autem vt sanctum Cyprianum, aut auarum existimemus fuisse, quia cum auaritia, aut impudicũ, quia cum impudicitia; aut iræ subditum, quia cum ira; aut ambitio-

Psal. 48. De fuga seculi, cap. 1.

Psal. 118.

Lib. de opere & eleemos.

Proverb. 20.

1. Ioan. 1.

Psal. 1.

Ephes. 2.

Psal. 38.

Lib. de sacramento regenerationis.

Psal. 35.

1. Cor. 9.

2. Cor. 13.

Cyprian. lib. de mortali.

ambitiosum, quia cum ambitione; aut carnalem, quia cum carnalibus vitiis; aut seculi huius amatorem, quia cum illecebris secularibus; aut libidinosum, quia cum libidine; aut superbum, quia cum superbia; aut vinolẽtum, quia cum vinolẽtia; aut inuidum, quia cum inuidia confligebat. Imò verò ideo nihil eorum erat, quia his malis motibus partim de origine, partim de consuetudine, venientibus fortiter resistebat, non acquiescens esse, quod eum esse cogebãt. Nec ideo tamen in tam periculoso laboriosoque certamine nullo telo feriebatur hostili, cùm dicat in epistola sua De eleemosynis: *Ne quisquam sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, vt innocentia sua fretus, medicinam non putet adhibẽdam esse vulneribus, cùm scriptum sit: Quis gloriabitur castum se habere cor? Aut quis gloriabitur mũdum se esse à peccatis? Et iterum in epistola sua Ioannes ponat & dicat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem nemo esse sine peccato potest, & quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus, aut stultus est, quàm necessaria, quàm benigna est diuina clementia, quæ cùm sciat non deesse sanatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisq; vulneribus remedia salutaria.* O doctor præclarissime & testis gloriosissime, sic docuisti, sic monuisti, sic te audiẽdum imitãdumq; præbuisti. Meritò finitis aliis omniũ cupiditatum certaminibus, sanatisq; vulneribus cum extrema & omniũ maxima vitæ huius cupiditate, pro Christi veritate pugnasti, & eius in te gratiæ largitate vicisti. Secura est corona tua, victoriosa est doctrina tua, in qua & istos vincis, qui confidunt in virtute sua: Ipsi enim clamant: Perfectio nobis virtutis à nobis est, tu autem reclamas: *Nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est.* Audi & beatissimũ Hilarium, vbi speret hominis perfectionẽ. Cùm enim loqueretur de pace euangelica, vbi Dominus ait: Pacẽ meam do vobis, *Quia lex*, inquit, *vmbra est futurorum bonorum, idcirco per hanc præfiguratam significationem docuit nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo mũdos esse non posse, nisi per ablutionem cælestis misericordiæ emundationem consequamur, post demutationem resurrectionis terreni corporis nostri, effecta gloriosiore natura.* Rursus in eodem sermone: *Ipsis*, inquit, *Apostolis verbo licet iam fidei emundatis atque sanctificatis, non deesse tamen malitiam, per cõditionem communis nobis originis, docuit dicens: Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris.* Vides quemadmodum venerabilis catholicus disputator, nec in hac vita mundationem nostram neget; & tamen humanam perfectionem speret, id est perfectioris mundationis in vltima resurrectione natiuam. In quadam verò homilia de libro sancti Iob, attende quid dicat, quemadmodum ipsius diaboli aduersus nos indefinens bellum ex hoc fieri asserat, cùm ea mala quæ in nobis sunt, excitat contra nos, quod in nostram fieri vtilitatem vult docere, conuertente scilicet diuina misericordia malitiam diaboli ad purgationem nostram. *Tãta enim & tam admirabilis*, inquit, *in nos misericordiæ Dei bonitas est, vt per quem in Adæ offensa generositatem primæ & beatæ illius creationis amisimus, per eũ rursum id quod amisimus, obtinere mereamur: tunc enim diabolus inuidẽs nocuit, nũc autẽ cùm nocere nititur, vincitur. Mouet enim per infirmitatẽ carnis nostræ omnia potestatis suæ tela, cùm ad lasciuiam accendit, cùm ad ebrietatẽ illicit, cùm ad odia stimulat, cùm ad auaritiã prouocat, eũ ad cædes instruit, cùm ad maledicta exacerbat. Sed cùm per firmitatẽ animi, horũ omniũ surrepentia incentiua reprimũtur, emũdamur à peccato per huius victoriæ gloriã. Dictũ enim ita est: Aut quomodo se emũdabit natus ex muliere? Quia non extante hoste, non erit bellum; cessante deinde bello, victoria deerit. Collidentium autem aduersus nos vitiorum, quia his insidiis corporis nostri pirata victo, collu-*

Homilia de S. Iob. sed non extat.

Iob 25.

A *ctantium aduersus nos passionum concertatione purgamur. Memores igitur*, inquit, *& conscij, illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiem, pro qua polluti & sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus; gaudeamus nobis esse hostem, in cuius concertatione, quodam concertationis nostræ bello dimicemus.* In expositione autem primi psalmi idem doctor non dubitat dicere, naturam nostram vtique istam, quæ de morbo morbum trahit, ad peccandum ferri, ac sic ne peccemus, aduersus eam nos quodammodo fidei religione pugnare. *Plures enim sunt*, inquit, *qui cùm per confessionem Dei ab impietate discreti sint, non tamẽ à peccato per id liberi sunt, ecclesiæ disciplinam non tenentes, vt auari, ebrioso, tumultuosi, procaces, superbi, simulatores, mendaces, & rapaces. Et ad hæc quidem nos vitia naturæ*, inquit, *nostræ propellit instinctus; sed vtile est nos à via hac ad quam ferimur abscedere, neque consistere illic, adhibito decedendi ex ea non moroso recursu. Et idcirco: Beatus vir* B *qui in via peccatorum non stetit: natura quidem in viam hanc ferente, sed ex via hac fidei religione referente.* Nunquid nam istum putabimus accusatorem fuisse naturæ, quam condidit Deus? Non vtique. Non enim dubitabat homo catholicus humanam Dei opus esse naturam; sed profectò vitia, cum quibus nascimur accusauit, Apostolicum illud tenens: Fuimus enim & nos natura filij iræ, sicut & cæteri. Veruntamen hæc verba, quæ de sermone sancti Hilarij posui, si mea essent, quanta in me diceres, Manichæorumque nomen & crimen, quanto buccarum strepitu ventilares? Nunc ergo ne tui stomachi follis indigesta maledictorum cruditate rumpatur; in hunc euome, si audes, calumniosas tuas vanitates, & insanias mendaces. *Ad hæc*, inquit, *nos vitia naturæ nostræ propellit instinctus.* Quæ ista natura est? Nunquid gens tenebrarum, quam Manichæorum fabula inducit? Absit. Catholicus loquitur, insignis ecclesiarum doctor loquitur, Hilarius loquitur. Nostra ergo natura est primi hominis præuaricatione vitiata, non ab alia natura vlla diuisione C separanda, sed ipsa sananda: cui diabolum à nobis constitui calumniaris authorem, dum tu ei Christum inuides saluatorem; & eius hic vitam, ita vt sine vllo sit omnino peccato, perfectam duci posse contendis. Sed audi quid etiam hinc te admoneat beatus Hilarius. Cùm enim exponeret psalmum quinquagesimumprimum: *Spes*, inquit, *in misericordia Dei, in seculum & in seculum seculi est. Non enim ipsa illa iustitiæ opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac iustitiæ voluntate, humanarum demutationum & motuum non reputet vitia. Hinc illud prophetæ dictum est: Melior misericordia tua super vitam.* Vidésne hominem Dei, ex illo numero esse beatorum, de quibus prædictum: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, neque est in ore eius dolus? Confitetur enim etiam peccata iustorum, magis eos asserens in Dei misericordia spem ponere, quàm de iustitia sua fidere: & ideò non est in ore eius dolus, imò in ore illorum omnium, in quibus huius veracis D humilitatis, vel humilis veritatis perhibet testimonium. Qui dolus abundat in ore vestro. Vbi enim virtus non est, & tanta iactantia est, hypocrisis est: Et vbi hypocrisis, vtique dolus: prorsus quantum sancti de misericordia Dei, quæ magna est, tantum vos de vestra, quæ nulla est virtute præsumitis. Et quantum ipsi aduersus ingenerata vitia bellum gerunt, adiuti per Dei gratiam; tantum vos bellum geritis aduersus ipsam Dei gratiam. Sed vtinam sicut vos vincit in suis; ita suos faciens, vos quoque ipsos vincat in vobis. Itáne in corde vestro dicere audetis, quòd cùm vos audiunt, accenduntur homines ad virtutem; cùm autem istos audiunt tantos ac tales viros, Cyprianum, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, cæterosque sacerdotes

In illud 1. psalmi, In via peccatorũ non stetit.

Psal. 1.

Hilarius in Psal. 51. ante finem.

Psal. 62.

Psal. 31.

dotes Domini, desperatione franguntur, ac renunciãt studiis perfectionis? Hæccine monstra cogitationum ascendunt in cor vestrum, & non elidunt frontem vestram? Ergóne vos honoratis sanctos Dei patriarchas, prophetas, Apostolos laude naturæ, & decolorant eos ista lumina ecclesiæ vituperatione naturę: quia eos dicunt in corpore mortis huius, vt tenerẽt castitatis bonum, dimicasse contra ingenitum concupiscẽtiæ malum, per Dei gratiam prius conflictatione vincẽdum, postea nouissima regeneratione sanandum. Tu intelligis Iudæum esse qui dicit: Non enim quod volo bonum hoc ago: & hoc præclaro intellectu, nec conuersationis sordes in naturæ refundis inuidiam; nec earum obscœnitates Apostolorum & sanctorum omniũ consolaris iniuriis: & hæc mala quæ non tu facis, faciebat Ambrosius cum collegis suis eadem sentientibus, qui beatũ Apostolum de seipso dixisse intelligit: Non quod volo facio bonum, sed quod nolo malum hoc ago. Et, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ: & cætera huiusmodi. Isti ergo sancti talia docendo *suffodiunt*, sicut mihi obiicis, *murum pudoris, & vos ob perfectionis prædicationem patimini inuidiam? Sed te*, vt scribis, *plurimum consolaris, quoniam laudis genus est ei displicuisse qui Apostolis nõ pepercit*. Si ergo Apostolis dicendo talia non peperci, ergo nec Ambrosius pepercit Apostolis; nec coëpiscopi eius eadem sentientes. Si autem illi & ex Apostolis ista didicerunt, & secundũ Apostolos ista docuerunt, quid me vnum appetis? Ipsos aspice, ipsos etiam atq; etiam deposito paulisper tumore cerucis intuere. Itane tandem iuuenis confidentissime, consolari te debes, quia talibus displices, an lugere?

Rom. 7.

CAPVT IX. Epilogus libri huius secundi.

SED iam quid egerimus per totum istum librum, in summam sicut possumus breuiter colligamus. Proposuimus hic authoritatis mole sanctorũ, qui episcopi ante nos, non solum sermone, cũm hic viuerent, verumetiam scriptis, quæ posteritati relinquerent, fidem catholicã strenuè defenderunt; vestra argumenta confringere, quibus dicitis: *Si Deus homines creat, non possunt cum aliquo malo nasci: Si nuptiæ bonũ sunt, nihil ex eis oritur mali: Si in baptismate peccata omnia remittuntur, non possunt nati de renatis trahere originale peccatum: Si iustus est Deus, non potest in filiis parentum damnare peccata, cùm ipsis parentibus dimittat & propria: Si perfectæ iustitiæ capax est humana natura, habere non potest vitia naturalia.* Ad hæc nos dicimus, & Deum esse hominũ creatorem, hoc est & animæ & corporis; & bonũ esse nuptias; & per baptisma Christi omnia peccata dimitti; & iustũm esse Deum; & perfectæ iustitiæ capacem humanam esse naturã: & tamen cùm hæc omnia vera sint, obnoxios nasci homines origini vitiatæ, quæ trahitur ex homine primo, & ideo ire in damnationẽ, nisi renascantur in Christo. Hoc autem probauimus catholicorum authoritate sanctorũ, qui & hoc asserunt, quod de originali peccato dicimus, & illa quinq; esse vera omnia confitẽtur. Ac per hoc non est consequẽs, vt hoc falsum sit, quia vera sunt illa. Tales quippe ac tanti viri secundum catholicam fidem, quę antiquitus toto orbe diffunditur, & hoc, & illa vera esse confirmant; vt vestra fragilis, & quasi argutula nouitas sola authoritate conteratur illorum, præterquam quòd ea dicunt, vt se per eos loqui veritas ipsa testetur. Sed nũc authoritate primitus eorũ, vestra est cõtumacia comprimenda, vt à præsumptionis impetu repercussi, & quodammodo sauciati, dum tales homines Dei sic in fide catholica errare potuisse non creditis, vt aliquid dicerent: vnde esset consequens, Deum non esse hominum creatorem, nuptias esse damnandas, in baptismo nõ omnium remissionem fieri peccatorum, Deũ esse iniustum, nullam spem nobis remansisse virtutis perficiendæ, quæ omnia vel aliquid eorũ nefas est opinari: ausus præcipites refrenetis, & tanquam ex furore resipiscentes, incipiatis in qua nutriti estis, recolere & aduertere & resumere veritatem. Dicit beatus Ambrosius; *Vnum solũm hominem mediatorem Dei & hominum, eo quòd sit natus ex virgine, nec senserit nascẽdo peccatum; generationis obnoxiæ vinculis nõ teneri. Omnes autem homines sub peccato nasci, quorum ipse ortus in vitio est: quia concupiscentiæ voluptate concreti, prius subirent cõtagia delictorum, quàm vitalem de hoc aere spiritum ducerent: ipsamq; concupiscentiam tanquam legem peccati in corpore mortis huius, legi mentis vsque adeò repugnare, vt aduersus eam, non solum quicunque boni fideles, sed apostolicæ etiam virtutis magnitudo pugnauerit; ad hoc vt per Christi gratiam caro animæ subiugata, in concordiam reuocetur. Quorum duorum quæ primitus sine peccato creata sunt, ex primi hominis transgressione facta discordia est.* Et quis hæc dicit? Homo Dei catholicus, & catholicæ veritatis aduersus hæreticos vsque ad periculum sanguinis defensor acerrimus, sic tui doctoris testimonio prædicatus, vt diceret, *quòd eius fidem, & in scripturis purissimum sensum, ne inimicus quidem ausus est reprehendere:* qui creatorem Deum non solum animarum, verumetiam corporum, aduersus Platonicorũ philosophorum asseuerauit errorem: qui nuptiarum bonũ & causã propagandi generis humani diuinitus institutum, & pudicitia cõiugali sanctam eius copulam prædicauit. Qui neminem dixit iustificari à peccato, nisi cui fuerint per baptismũ dimissa omnia peccata. Qui coluit iustè iustum Deum: Qui perfectionem hominis in virtute atque iustitia abiit vt impediat desperãdo; sed eam tamen perfectionem, cui nihil adiiciẽdum sit, in alia vita sperat, quæ implebitur resurrectione mortuorum. In hac autem vita humanam iustitiam in quadam militia, belloque constituit, non solum aduersus æmulas aereas potestates; sed aduersus ipsas nostras cupiditates, per quas & illi exteriores inimici nos deiicere, vel penetrare moliũtur. In hoc bello & ipsam carnem aduersariam grauem dicit, cuius vtique natura sicut primitus condita est, nobiscum concordissima permaneret, nisi primi hominis præuaricatione vitiata, suo nobiscum languore confligeret. In hoc bello ille vir sanctus monet nos seculũ effugere, & in ea fuga quanta sit difficultas, imò impossibilitas, nisi Dei gratia opitulẽtur, ostendit. Dicit mortua quidem vitia per remissionem in baptismate omnium peccatorum, sed eorum nos curare debere quodammodo sepulturam. Et in hoc ipso opere talem describit cum vitiis mortuis nos habere conflictum, vt non quod volumus agamus, sed quod odio habemus, hoc faciamus. Multa in nobis peccatum nobis reluctantibus operari, rediuiuas plerunque resurgere voluptates: luctandum nobis esse aduersus carnem, aduersus quam luctatus est Paulus quando dicebat: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Præcipit ne carni nostræ confidamus, ne nos ei credamus, cùm Apostolus clamet, Scio quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum: Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Ecce quantam nos pugnam cum mortuis habere peccatis, ille strenuus Christi miles, & Ecclesiæ fidelis doctor ostendit. Quomodo enim peccatum mortuum est, cùm multa operetur in nobis reluctantibus nobis? Quæ multa? nisi desideria stulta & noxia, quæ consentientes mergunt in interitum & perditionem: quæ vtique perpeti, eisque non consentire, certamen est, conflictus est, pugna est. Quorum pugna? nisi boni & mali, non naturæ aduersus naturam; sed naturæ aduersus vitium iam mortuum, sed adhuc sepeliendum, id est, omnino sanandum. Quomodo ergo mortuum dicimus hoc peccatum in baptismate, sicut etiam iste vir dicit, & quomodo habitare in membris fatemur, & multa operar-

Ambrosius. Lib. 1. de paenit. c. 2.

Lib. de sacramento regenerat.

Lib. de parad. cap. 12. & lib. de sacram. regenerationis

Lib. 7. in 12. cap. Luca.

Pelagij de B. Ambros. elogium.

Lib. de sacramento regenerat. siu de philosophia.

In apolo. Dauid. c. 11.

Lib. de sacramento regenerationis.

In 1. cap. Esaiæ.

Lib. de fuga seculi, cap. 1.

Lib. 7. in 12. cap. Luca.

Lib. de fuga seculi cap. 1.

Lib. de sacramento regenerationis.

Rom. 7.

1. Tim.

Vitia sopeda quando.

Concupiscentia post baptismum nunquam mortua.

operari desideria reluctantibus nobis, quibus nõ consentiendo resistimus, sicut etiam hic vir fatetur; nisi quia mortuum est in eo reatu, quo nos tenebat, & donec sepulturæ perfectione sanetur, rebellat & mortuum? Quamuis iam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum, sed quòd sit reatu primi hominis factum, & quòd rebellãdo nos trahere nititur ad reatum, nisi adiuuet nos gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, ne sic etiam mortuũ peccatum rebellet, vt vincendo reuiuiscat & regnet.

Concupiscentia in reatu quomodo peccatum dicatur.

CAP. X.

IN hoc bello laborantes, quamdiu vita humana tentatio est super terram, non ideo sine peccato non sumus, quia hoc quod eo modo peccatũ dicitur, operatur in membris repugnans legi mentis, etiam non sibi ad illicita consentientibus nobis. Quantum enim ad nos attinet, sine peccato semper essemus, donec sanaretur hoc malum, si ei nunquam consentiremus ad malum. Sed quibus ab illo rebellante, etsi non letaliter, sed venialiter, tamen vincimur, in his cõtrahimus vnde quotidie dicamus, Dimitte nobis debita nostra. Sicut coniuges quando modum generationi necessarium, causã solius voluptatis excedũt: sicut continentes, quando in talibus cogitationibus cum aliqua delectatione remorantur, non quidem decernentes flagitium, sed intentionem mentis, non sicut oportet, ne illò incidat, inde auertentes, aut si inciderit inde rapientes. De hac lege peccati, quæ alio modo etiã peccatum vocatur, quæ repugnat legi mentis, de qua & multa Ambrosius dixit; attestantur etiam sancti Cyprianus, Hilarius, Gregorius, alijque quamplurimi. Qui ergo generatur in Adam, regenerandus in Christo, mortuus in Adam, viuificandus in Christo, ideo peccato est obstrictus originis, quia de malo nascitur, quo caro cõcupiscit aduersus spiritum; non de bono, quo spiritus concupiscit aduersus carnem. Quid ergo mirum est, si renasci debet homo ex illo malo natus, contra quod pugnat homo renatus, quo reus & ipse teneretur, nisi renascendo liberaretur? Non est hoc malum materies Dei creantis, sed vulnus diaboli eandem materiam vitiantis. Non est hoc malum nuptiarum, sed primorum hominum peccatum, in posteros propagatione traiectum. Etiam huius mali reatus, baptismi sanctificatione remittitur. Deus autem iustus, si tanta parnulis mala, quãta nunc dicere non sufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret iniustus. Iustitiæ verò perfecta capacitas hominis non negatur, quia nec vitiorum omniũ plenissima sanitas sub omnipotenti medico desperatur. Propter quam catholicam veritatẽ sancti ac beati, & in diuinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Ioannes, Basilius, quibus addo presbyterum velis nolis Hieronymum, vt omittam eos qui nondũ dormierunt, aduersus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successionẽ sentẽtiam, vnde nemo eruit, nisi quem sine lege peccati repugnante legi mentis, virgo concepit. Quid est quod exultas, & mihi quasi victor insultas, *tanquam non inuenirem quid facerem, quò confugerem, si iudicum premerer potestate; si in medio eruditorum consisterem tecum, si veræ* quam dicis *rationis tuba*, à te scilicet magno tubicine *inflata, si auditorum arma circunstantium* & tibi fauentium *concreparent?* Ita enim tibi ponis ante oculos nostrum in disputatione certamen, & te argumentante, me quid respondeam non habentem, fingis vt placet. Sic tecum vana & insana tui cordis imaginatio fabulatur, quasi me ante Pelagianos iudices tecum constituas, quibus plaudentibus tibi liceat exaltare tanquã tubam vocem tuam, & prædicare contra catholicam fidem, & contra gratiam Christi, qua pusilli cũ magnis liberantur à malo, communem tibi & illis nouitiæ huius impietatis errorem. Tales iudices in Ecclesia Dei, nec sine aduersario ex parte altera stante potuit eruditor vester Pelagius inuenire. De quo iudicio, ipse quidem, quãtum ad hominum cõspectum attinet, velut absolutus; vestro tamen palãm damnato dogmate egressus est. At ego vbicunq; sis, vbicunq; legere ista potueris, te ante istos iudices intus in tuo corde constituo; quos non amicos meos & inimicos tuos, aliqua in mea parte gratia propendentes, aliquo abs te merito tuæ offensionis auersos, & ob hoc tibi aduersos; in hac nostra disceptatione constitui cognitores: Nec eos qui nunquam fuerunt, aut non sunt, aut quorum sententię, de hoc quod inter nos disputatur, incertæ sunt, inani cogitatione confinxi; sed sanctos, & in sancta Ecclesia illustres antistites Dei, non Platonicis & Aristotelicis & Zenonicis aliisq; huiusce modi, vel Græcis vel Latinis, quanquam & istis aliquos eorũ; verum omnes sacris literis eruditos, nominatim, sicut oportebat expressi: eorumque sententias, quantum sufficere videbatur, sine vlla æditas ambiguitate digessi, vt in eis timeas non ipsos; sed illũ qui sibi eos vtilia vasa formauit, & sancta templa construxit, qui tunc de ista causã iudicauerunt, quando eos nemo potest dicere perperam cuiquam vel aduersari vel fauere potuisse. Nondum enim extiteratis, contra quos susciperemus de hac quæstione conflictum. Nondum eratis qui diceretis quod in libris tuis ponis, *quia de vobis multitudini mentiti fuerimus, & quod Cælestianorum, vel Pelagianorum nomine homines terreamus, & quod terrore ab omnibus extorqueamus assensum.* Certè ipse dixisti, *quòd omnes iudices ab odio, amicitia, inimicitia, ira vacuos esse deceat:* pauci tales potuerunt inueniri. Sed Ambrosium aliosque collegas eius, quos cum illo commemoraui, tales fuisse credendum est. Verum & si tales non fuerunt in his causis, quas ad se delatas & inter partes cognitas, cum hic viuerent, suo iudicio finierũt; ad hanc tamen causam tales erant, quando de illa sententias protulerunt, nullas nobiscum, vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt: neque nobis neque vobis irati sunt; neque nos, neque vos miserati sunt. Quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos iudices aliquid agebamus; & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus; & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus, nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vincimus. Dicis *me si sub potestate iudicum premerer*, quales tibi ipsi componis, *non habiturum fuisse quid facerem, quò confugerem, cum tuis argumentationibus vnde occurrerem, reperire non possem.* Ego planè haberem quod facerem, haberem quò confugerem, à Pelagianis enim tenebris ad hæc tam clara catholica lumina prouocarem, quod & tũc iam facio. Tu ergo respõde, quid facias, dic quò confugias. Ego à Pelagianis ad istos, tu ab istis ad quos? An quia *non numerandas, sed ponderandas* censes *esse sententias*, & addis, *quòd quidem & ego verum esse consentio, ad aliquid inueniendum multitudinem nihil prodesse cæcorum*, etiam istos cæcos dicere audebis? Et vsque adeò permiscuit imis summa longus dies, vsqueadeo tenebræ lux, & lux tenebræ esse dicuntur, vt videant Pelagius, Cælestius, Iulianus; & cæci sint Hilarius, Gregorius, Ambrosius? Sed qualiscunque homo sis, tamen quia homo es, videre mihi videor verecundiam tuam, si tamen non in te spes est omnis emortua sanitatis: & quodammodo audio vocem tuam. Respondes, Absit vt audeam cæcos istos viros, vel cogitare, vel dicere. Eorum ergo appende sentẽtias. Nolo esse plures, vt eas te pigeat numerare. Sed non sunt leues, vt eas dedigneris appendere: imò

Doctrinæ ecclesiasticæ per manus traditio, & perpetua successio.

Idem contra hodiernos hæreticos rectissimè dixeris.

tam sunt graues, vt te videam sub earum onere laborare. Nunquid & de istis dicturus es, *me imbellem tibi opinionem consortis opponere, & velut consternatum metu, conscios nominare?* Dicis, *in causa iudicandi amoto strepitu turbarum de omni ordine conuersationis hominum, sive sacerdotum, sive administrantium, sive præfectorum, ad discussionem talium rerum non sola nomina, sed eligendam esse prudentiam; & honorandam esse paucitatem, quam ratio, eruditio, libertasq; sublimat.* Ita verò est, vt dicis. Sed nec ego te vllius multitudinis numerositate perturbo; quamuis propitio Deo, de hac fide, cui contradicitis, catholica sanum sapiat etiam multitudo. In qua vsquequaque plurimi vbi possunt, quomodo possunt, sicut diuinitùs adiuuantur, vana vestra argumenta confutant. Vnde absit à me ista, quam mihi obiicis arrogantia, *vt me istam causam contra vos, vnum pro omnibus agere pollicerer.* Quod cum tu inter Pelagianos facis, non erubescens dicere & scribere; *maioris tibi esse apud Deum gloriæ, destitutam veritatem tueri:* multum abiecti & verè destituti sunt, multumque abs te pendent, si hanc intolerabilem arrogantiam esse non iudicant, qua te etiam ipsis Pelagio scilicet & Celestio, vestrum omnium doctoribus anteponis; quasi & illi iam cesserint, & tu remanseris, qui destitutam tuearis, quam veritatem putatis. Verùm quia te delectat, non numerare multitudinem, sed appendere paucitatem; exceptis iudicibus Palæstinis, qui hæresim vestram in absoluto Pelagio damnauerunt, quem timore compressum Pelagiana ipsa dogmata damnare coëgerunt, decem Episcopos iam defunctos, & vnum presbyterum tibi huius causæ opposui iudices, qui de illa cum hic viuerent, iudicauerunt. Si vestra consideretur paucitas, multi sunt; si multitudo catholicorum Episcoporum, perpauci sunt. Ex quibus Papam Innocentium, & presbyterum Hieronymum retrahere fortasse tentabis: istum, quia Pelagium Celestiumque damnauit; illum, quia in Oriente contra Pelagium catholicam fidem pia intentione defendit. Sed lege quæ dicat in laudem beatissimi papæ Innocentij Pelagius, & vide vtrum tales facilè possis iudices inuenire. De illo autem sancto presbytero, qui secundum gratiam quæ data est ei, sic in Ecclesia laborauit, vt eruditionem catholicam multum in Latina lingua, multis & necessariis literis adiuuaret, non solet Pelagius iactitare, nisi *quod ei tanquam æmulo inuiderit.* Sed nolo ex hoc tibi videatur de istorum iudicum numero retrahendus. Non enim eius sententiam posui, quam tempore inimicitiarum contra vestrum tenuit & defendit errorem; sed quam posuit in scriptis suis, liber ab omni studio partium, antequam vestra damnabilia dogmata pullularent. De reliquis sanè non habes omnino quod dicas. Nunquid Irenæus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Gregorius, Basilius, Ambrosius, & Ioannes *de plebeia fæce sellularíorum*, sicut Tullianè iocaris, *in vestram inuidiam concitati sunt?* Nunquid *milites*, nunquid *scholastici auditoriales?* Nunquid *nautæ, tabernarij, cetarij, coqui, lanij?* Nunquid *adolescentes ex monachis dissoluti?* Nunquid postremò *de qualiumcunque clericorum turba* isti sunt, quos vrbana exagitatos dicacitate, vel potius vanitate contemnis, *quia non possunt secundum categorias Aristotelis de dogmatibus iudicare?* Quasi tu, qui maximè quereris *examen vobis & episcopale iudicium denegari*, Peripateticorum possis inuenire concilium, vbi de subiecto & his quæ sunt in subiecto contra originale peccatum dialectica sententia proferatur. Isti Episcopi sunt docti, graues, sancti, veritatis acerrimi defensores aduersus garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate, quæ tria bona iudici tribuisti, non potes inuenire quod spernas. Si episcopalis synodus ex toto orbe congregaretur, mirum si tales possent illic facilè tot sedere, quia nec isti vno tempore fuerunt. Sed fideles, & multis excellentiores paucos dispensatores suos Deus per diuersas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placet atque expedire iudicat, ipse dispensat. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente & Occidente congregatos vides, non in locum quo nauigare cogantur homines, sed in librum qui nauigare possit ad homines. Quanto tibi essent isti iudices optabiliores, si teneres catholicam fidem, tanto tibi sunt terribiliores, quia oppugnas catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserùt, cuius lac & cibum paruis magnisque ministrauerunt, quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, vnde nunc reuelamini, apertissimè ac fortissimè defenderunt. Talibus post apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit. Ideo prophanas voces vestræ nouitatis expauit; & cauta ac sobria ex admonitione apostolica, ne sicut serpēs Euam seduxit astutia sua, sic & mens eius corrumperetur à castitate, quæ est in Christo; catholicæ fidei virginitati insidias vestri dogmatis subrepentis exhorruit, & tanquam caput colubri calcauit, obtriuit, abiecit. His igitur eloquiis & tanta authoritate sanctorum, profectò aut sanaberis Dei misericordia donante, quod quantum tibi optem, videt qui faciat: aut si quod abominor, in eadem quæ tibi videtur sapientia (& est magna stultitia) perduraueris; non tu iudices quæsiturus es, vbi causam tuam purges; sed vbi tot sanctos doctores egregios atque memorabiles catholicæ veritatis accuses, Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, Basilium, Ioannem, Innocentium, Hieronymum, cæterosque socios ac participes eorum, insuper & vniuersam Christi Ecclesiam, cui diuinæ familiæ Dominica cibaria fideliter ministrantes, ingenti in Domino gloria claruerunt. Aduersus hanc autem miserabilem quam Deus à te auertat insaniam, sic respondendum esse video libris tuis, vt fides quoque aduersus te defendatur istorum; sicut contra impios & Christi professos inimicos, etiam ipsum defenditur Euangelium.

Supra li. 1. cap. 2. & infra li. 3. cap. 1.

Hieronymi laus.

Pelagius de Hier. questus, quod ei tanquam æmulo inuiderit.

Iulianus post Africana concilia, post Rom. pontificum sententias, queritur Episcopale sibi examen & iudicium denegari.

Quæ in iudice spectanda.

2. Cor. 11.

LIBRI SECVNDI FINIS.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA IVLIANVM, LIBER III.

IAM nunc quia sine dubio tot tãtorumque sanctorum & in sacris literis eruditorum, & in Ecclesiæ regimine tam clara memoria & laude pollentium authoritati si nō cesseris, nec acquieueris, siue contumeliosissimè sicut me, siue illos verecundius & mitius cum aliqua personarum acceptione tractaueris; tamen etiam ipsos errasse dicturus es: ita tibi dilecte fili Iuliane, Domino donante respondere debeo, & sic tuos libros atque argumenta refellere, vt si possis, intelligas malè tibi fuisse persuasum, quod aliis persuadere moliris: teque salubriter pœniteat incautæ ac temerariæ iuuenilis progressionis & prolapsionis tuæ, non tãtum tibi tua correctione, verumetiam pluribus profutura, cognoscentibus vobis atque fatentibus quàm non inaniter, quamque veraciter tot & tanti Christianorum rectores doctoresque populorũ, hoc in Ecclesia Dei didicerint & docuerint, quod verisimili

Aggreditur tamen partem institutæ distributionis, quam spondet Iuliani argumentis singulis eius libris opponens.

verisimili nouitate decepti, cupiebatis euertere. Si autem, quod abs te Dominus auertat, vel sic tenebratum cor habueris, vt intelligere ista non possis; vel ex eo numero fueris, quos in sanctis Psalmis veritas notat dicens: Noluit intelligere, vt bene ageret: vel ex eo, de qualibus item scriptum est, Verbis non emendabitur seruus durus; si enim & intellexerit, nō obaudiet: nec sic erit iste infructuosus labor, vel meus, vel aliorum fratrum, qui per Christi gratiam contra hunc errorem, catholicam defendunt fidem. Multò amplius enim erunt quos antiqua veritas vel instruat defensa; vel corrigat, si non defuerunt quos irrepens error insolutus aut subuerteret, aut moueret. Ac ne longum faciam, non omnia verba tua ponam, sed si Dominus adiuuerit, tuarum velut acutarum argumentationum nihil non solutum destructumque dimittam. De iudicibus, *apud quos propterea* dicis *non potuisse vos agere causam vestram; quia nemo de rebus dubiis bene consultat, nisi qui ab odio, ira & amicitia, vacuum pectus attulerit; quales non fuisse* dicis, *qui de causa vestra iudicauerunt, quia prius eam cœperunt odisse quàm nosse*, iam quidem superiore libro respondi: Quia si tales iudices, quales definiuit, vnde hoc dixisti, Salustius, quæreretis: sancto Ambrosio & coëpiscopis eius, qui de hac re ab odio vestri vel amicitia, vel ira, vel quod tu non posuisti, sed Salustius posuit, misericordia pro vobis, vel contra vos vacuum pectus habuerunt, quando de hac re veras tranquillasque sententias protulerunt, vtique cederetis. Quos nunc vobis parum est, iudices nolle, nisi etiam reos facere insuper audeatis. Sed obsecro te quomodo causam vestram qui damnauerunt, antè cœperunt odisse quàm nosse? Quia eam proculdubiò nouerant, oderant. Nouerant enim vos dicere, nihil mali paruulos habere nascendo, quod purgari debeat renascendo. Nouerant vos dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, vt iam gratia non esset gratia, quia non gratis daretur, sed secundum debitum redderetur. Nouerant vos dicere, hominem in hac vita posse nullum habere peccatum, vt non ei sit necessarium, quod in oratione Dominica tota dicit Ecclesia, Dimitte nobis debita nostra. Hæc in vobis nouerant, & rectissimè oderant. Denique si ab eis vos correctos nouerint, & amabunt. Quoniam non sicut dicis, *Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Pelagianus & Celestianus vocabitur:* sed qui libertatem in quam vocati sumus, non gratiæ Dei tribuerit; & qui paruulorum liberatorem Christum negauerit; & qui cuiquam in hac vita iusto aliquam in Dominica oratione petitionem, non propter ipsum dixerit necessariam; ipse huius erroris accipit nomen, quia errore communicat crimen. Iam verò Manichæorum crimine, quæ catholica lumina audeas, vel nescias, vel te nescire fingas, infamare, non opus est & hic dicere. Sanè vt dicis, *si pro vobis potius ab Imperatore responsum est*, cur non in medium prosilitis, & hoc vltrò publicis potestatibus allegatis, vos esse monstrantes, quorum Christianus princeps approbauit fidem? Verùm si Dei legem non sicut sese habet, sed sicut vobis placet, intelligitis: quid mirum si & de lege Imperatoris hoc facitis? Sed hæc te aliàs executurum plenius polliceris. Quod si feceris, aut redarguetur sicut insidiosum; aut contemnetur sicùt inane, quod† fateris. Quàm verò lauta & lepida est gratulatio tua, *quod vnum* dicis *egressum, qui in se summam prælij sitam optat intelligi*, videlicet vt Pelagianis tu videaris Dauid, ego autem Golias. Videris, si tu hoc induxisti pactum & placitum cum Pelagianis, vt si victus fueris, nihil vlterius illi audeant. Ego autem absit vt ad monomachiam vos prouocem, quos vbicunque apparueritis, vbique diffusus Christi debellat exercitus; qui debellauit apud Carthaginem Celestium, quando illic ipse non eram; & rursus Constantinopolim tam longe à regionibus Africanis: qui debellauit in Palæstina Pelagium, vbi causam vestram suæ damnationis timore damnauit: ibi enim omnino cecidit hæresis vestra. Et quia ille, cuius figura erat Dauid, contra suos aduersarios, in suis omnibus militibus pugnat, errorem vestrum, etiam Pelagij lingua, tanquam prostrati & iacentis gladio detruncauit. Nam quod tu dedignaris, propterea vos nouos hæreticos dici, quia *omne malum quod peccatum definitur, asseritis non in natura, sed in sola voluntate consistere*, iam vobis Pelagius, imò per linguam Pelagij Dominus amputauit. Timens quippe ille damnari, damnauit eos qui dicunt infantes etiam si non baptizentur, habere vitam æternam. Qui ergo negatis esse in paruulo malum, quod baptismate diluatur; dicite quo meritò paruulus non baptizatus, æterna morte plectatur? Sed quid estis dicturi, nisi fortè Pelagio maledicturi? Qui tamen si vobis maledicentibus dicat, Et quid velletis vt facerem? An dicente Christo: Si non manducaueritis meam carnem, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis: dicturus fueram paruulum habiturum vitam, qui sine isto sacramento finisset hanc vitam? Puto quòd vos maledixisse homini pœnitebit. Iam vos ergo totius pœniteat huius erroris, ne argumento miserrimo vtamini, quo vniuersi vtuntur hæretici, quos à perniciosa licentia leges Imperatorum catholicorum premunt. Omnes quippe huiusmodi dicunt, quod ipse dixisti, *laborare illam partem rationis inopta, quæ in differendo cum terrorem surrogat, nullum à prudentibus impetrat, sed cæcum à meticulosis extorquet assensum.* Noui quidem hæretici vos estis, sed istam penè omnium hæreticorum veterum vocem cum cæteris agnouistis atque tenuistis. Nec vos nec alios decipiatis, velut talem vocem habentes aduersus nos, qualem nos aduersus Donatistas, quos ad Collationem nobiscum venire per imperialia iussa compulimus. Illorum enim furor occupauerat Africam totam, nec prædicari à catholicis veritatem, contra suum patiebantur errorem, violentis aggressionibus, latrocinationibus, itinerum obsidionibus, rapinis, ignibus, cædibus multa vastantes, cuncta terrentes. Cum quibus apud Episcopos, quos communes non habebamus, nihil agere poteramus. Quod verò ante centum fermè annos maiores nostri cum eis egerant, iam populorum memoria non tenebat. Hæc igitur necessitas compulit, vt saltem gestis nostra Collatione confectis, eorum contunderemus inuerecundiam, & reprimeremus audaciam. Vestra verò apud competens iudicium communium episcoporum, modo causa finita est. Nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad ius examinis pertinet, nisi vt prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini. Quod si nolueritis, à turbulenta vel insidiosa inquietudine cohibeamini. Similes autem estis potius Maximianistis, qui cupientes exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, & ideo videri aliquid apud eos quibus contemptibiles erant, quia inire nobiscum sinerentur examen; interpellantes eos, & libellum dantes, prouocantesque contempsimus. Magis enim de certamine nominari desiderabant, quàm formidabant in certamine superari. Nec sperabant victoriæ gloriam, sed famam requirebant Collationis, quia multitudinis non habebant. Si ergo putatis, ideo vos esse victores, quia non vobis datum est quale desideratis examen; Maximianistæ vos ad ista vaniloquia præcesserũt: quamuis dederit vobis Ecclesia catholica iudicium, quale debuit, vbi causa vestra finita est: illis autem nullum dare

Refellit Iuliani de iudicibus Romanificis querelam, qui si odisse prius quā nosse causam ipsorum cœperint.

Lib. 2. cap. vlt.

Lib. de coniurat. Catilinæ in oratione Cæsaris.

Psalm. 35.

Prouerb. 29.

Roman. 12.

Matth. 6.

Lib. 2. de nup. & concup. cap. 3.

† Vel. feceris.

Supra lib. 1 cōtra Iuli. cap. 2. & lib. 2. cap. vltimo.

Non est de Ecclesia tota causa aduersus hæreticos tantopere mouendi.

Celestius Carthagine & Cōstantinopoli damnatus.

Veteres hæreticorū omnium vox.

Collatio Carthaginiensis cū Donatistis.

Semel iudicata non sunt iterum ad iudicium reuocāda, sed exequutioni mandanda.

Maximianistæ Collationem cū catholicis expetierunt, sed vincti sunt.

Non statim cui examen indicitur negatur, bonam habet causam.

Ioan. 6.

dare dignata est, quia non à nobis sicut vos, sed à Donatistis fuerant segregati. Si autem in Maximianistis videtis non esse consequens, vt qui conferre in aliquo iudicio non sinuntur; putari debeant de veritate considere, nolite vlterius hæc vana iactare: vobisque sufficiat, quod vos Ecclesia catholica & materna lenitate sustinuit, & iudiciaria seueritate, vel potius medicinali necessitate damnauit. Sed ne superfluis immoremur, omitto tumultus maledictorum & conuitiorum tuorum, siue quæ in principio congessisti operis tui, siue quæ per omnes eosdem quatuor libros penè nusquam spargere destitisti, ne grauibus hominibus neuter nostrũ disputator grauis, sed leuis vterque litigator appareat. Videamus iam potius quid afferas, vnde me sicut promittis, ostendas homines & nuptias diabolo authori tribuere.

CAP. II. Respondet ad primam Iuliani calumniam aduersus locũ 1. cap. lib. 1. de nuptijs & concup.

CERTE redarguenda tibi mea verba proponis; quibus propositis velut respondens, persuadere conaris, contra me ipsum locutum me fuisse. *Qui cum propter meam defensionem dixerim, ab hæreticis nouis dici, nos damnatores esse nuptiarum, operisq; diuini, postea id abstulerim, dicendo in senis vnciis possideri hominem nascentem à Deo & à diabolo, vel potius totum à diabolo possideri, prorsus excluso Deo velut ab vniuersa sua possessione, quod est homo.* Vbi est acumen tuum, quo tibi videris & categorias Aristotelicas assecutus, & aliam dialecticæ artis astutiam? Itáne non attendis hoc, quod mihi de paruulis obiecisti, de quibus libet maioribus malis hominibus, vtrique nostrum obiici posse ab aliquo aduersario veritatis? Interrogo enim te, quid de nondum regenerato homine pessimo quocunque respondeas; saltem istum confiteris esse sub diabolo, nisi renascatur in Christo; an & hoc negas? Si negas, qui sunt ergo quos Deus eruit de potestate tenebrarum, & transfert ad regnum filij charitatis suæ? Si autem confiteris, quæro vtrum in tali homine in potestate adhuc posito tenebrarum, habeat Deus aliquam potestatem. Si dixeris, non habet: respondebitur tibi, Ergo Deus de sua possessione à diabolo exclusus est. Si dixeris, habet: respondebitur tibi, Ergo Deus & diabolus in senis vnciis hominem possident: & tibi ab imperitis talis inuidia concitabitur, qualem tu mihi qui vis peritus putari, de paruulis ab ortu recentibus concitare voluisti. Ecce primum argumentum tuum, quanta facilitate destructũ est, dum attẽdere negligis, sic esse homines sub diaboli potestate, antequam redimantur à Christo; vt tamen Dei potestati, non solum hi, sed ne ipse quidem diabolus subtrahatur.

Colos. 1.

Nec homo peccator nec diabolus Dei potestati subtrahuntur.

CAP. III. Ad secũdam calumniam de baptismo paruulorum.

DE baptismi sanè quæstione, quam vobis apud ignaros inuidiosam mendaciis nostris factam fuisse conquestus es; vix dici potest, quàm eleganter existi, hanc à vobis amolitus inuidiam, eo quòd paruulos baptizandos esse fateamini, quia *gratiam baptismatis* dicitis, *non pro causis esse mutandam, quod ipsa dona sua pro accedentium capacitate dispensat. Ideoq; Christus qui est sui operis redemptor, auget*, inquis, *circa imaginem suam continua largitate beneficia, & quos fecerat condendo bonos, facit innouando adoptandoq; meliores.* Hoccine est totum, cur vobis de baptismate paruulorum faciendam non existimatis inuidiam; quasi quisquam nostrum vos dixerit negare, paruulos baptizari oportere. Non eos dicitis non debere baptizari, sed pro magnitudine sapientiæ vestræ, res mirabiles dicitis. In sacramento Saluatoris baptizantur, sed non saluantur; redimuntur, sed non liberantur; lauantur, sed non abluuntur; exorcizantur & exufflantur, sed à potestate diaboli non eruuntur. Hæc sunt sententiarum portenta vestrarum, hæc inopinata mysteria dogmatum nouorum, hæc paradoxa Pelagianorum hæreticorum, mirabiliora quàm Stoicorum philosophorum. Vt enim hæc dicatis, timetis audire: Si saluantur, quid in eis ægrotabat? Si liberantur, quid in eis seruitutis vinculo tenebatur? Si abluuntur, quid in eis latebat immundum? Si eruuntur, quo merito erant sub diaboli potestate, qui propria iniquitate non erant rei, nisi quia trahunt, quod negatis, originale peccatum? Et ad hoc negatis, non vt eos saluos, liberos, mundos, nulli hosti subditos asseratis: non enim aliquid eis opitulatur vestrum testimonium falsum, ante iudicem verum: sed vt illis in mala vetustate remanentibus, vos nouam sectemini uanitatem. Non enim vestra, sed illius est vera sententia, qui dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Verum vos excellentissimi amatoris illius vitæ, quæ futura est æterna cum Christo, nullam pœnam putatis esse, imaginem Dei in æternum exulare à regno Dei: cum si paruam pœnam esse diceretis, non esset hæc vox beati amatoris illius regni, sed miseri contemptoris. Porrò autem, si quod huic sufficit causæ, paruam saltem pœnam fatemini esse, quæ magna est, vt imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei: obsecro aperite qualescunque oculos, & videte qua iustitia pœna ista infligenda sit paruulo, quem clausis oculis originali obnoxium negatis esse peccato. Omitto commemorare quæ mala in hac ipsa transitoria vita, penè omnes patiantur infantes, & quomodo explicetur, quod dictum est: Graue iugum super filios Adam à die exitus eorum de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. Quæ vtique mala sub iusto & omnipotente Deo non irrogarentur eius imagini, quibus malis in virtute exerceri infantilis ætas non potest dici, si nulla ex parẽtibus mala merita traherentur. Hæc autem mala paruulorum, non ea quæ habere negantur à vobis, sed quæ perpeti cernuntur ab omnibus nobis, tu prætermittis omnino, nec respicis; expatiaris ibi vir desertissimus, & exerces ingenium ac linguam tuam in laude naturæ. Natura ista in tantas & tam manifestas collapsa miserias, Saluatorem, liberatorem, mũdatorem, redemptorem Christum habet necessarium; non Iulianum, non Celestium, non Pelagium laudatorem. Quam quidem redimi non fatereris in paruulis, nisi quia hoc Celestius apud Carthaginem gestis ecclesiasticis, ora Christiana non sustinens, fassus est. Cæterum rogo te, quomodo potest intelligi ista redemptio, nisi à malo redimente illo, qui redimit Israël ab omnibus iniquitatibus eius? Vbi enim redemptio sonat, intelligitur & precium: Et quod est hoc, nisi preciosus sanguis agni immaculati Iesu Christi? De hoc autem precio quare sit fusum, quid interrogamus alium? Redemptor ipse respondeat, dicat ipse mercator. Hic est, inquit, sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Pergite, adhuc pergite, & sicut dicitis; in Sacramento saluatoris baptizantur, sed non saluantur; redimuntur, sed non liberantur; lauantur, sed non abluuntur; exorcizantur & exufflantur, sed à potestate diaboli non eruuntur: sic etiam dicite, funditur pro eis sanguis in remissionem peccatorum, sed nullius peccati remissione mundantur. Mira sunt quæ dicitis, noua sunt quæ dicitis, falsa sunt quæ dicitis: mira stupemus, noua cauemus, falsa conuincimus.

Paradoxa Pelagianorum de baptismo paruulorum.

Ecclí. 40.

Psalm. 129.

Matth. 26.

NONNE ipse dixisti, *administrationem corporis sic animo esse commissam, vt fructus operis fieret vtrique communis, & vel virtutis exercitæ gaudia, vel insolentiæ pœnas cum eius quam hic non bene rexerat, carnis afflictione sentiret?* Responde igitur quare in hac ipsa vita afflictione carnis anima crucietur infantis, cuius ei meritum, quia non bene rexerit carnem, adhuc non potest imputari? *Naturam* dicis *humanam in exordiis*

CAP. IIII. Ad secũdam calumniam de afflictione carnis.

ordiis nascentium innocentiæ dote locupletem. Fatemur A sanè, quantum ad peccata pertinet propria. Cum autem etiam originali negatis obnoxios, respondete, quo merito tanta innocentia nonnunquam cæca, nonnunquam surda nascatur? Quod vitium etiam ipsam impedit fidem, Apostolo testante qui dicit: Igitur fides ex auditu. Iam verò quis ferat quod ad ipsum spectat animum, imaginem Dei *innocentiæ* sicut asseris *dote locupletem*, fatuam nasci, si nulla ex parentibus mala merita in paruulos transeunt? An ita est quisquam vestrũm fatuus, vt fatuitatem nullum malum putet, cum Scriptura dicat, Mortuum septem diebus, fatuum verò omnibus diebus esse lugendum? Quis autem nesciat quos vulgò moriones vocant, natura ita fatuos, vt quibusdam eorum penè sensus pecorum conferatur? Et non vultis fateri genus humanum ex initio quo deseruit Deum, trahere damnatæ originis noxam his omnibus dignissimam pœnis, nisi vbi parcit ratione dispositionis occultæ inscrutabilis sapientia conditoris; qui nec ab ipsa vniuersa massa perditionis abstinet sui operis bonum: vt ex malis vitiorum condat, licet cum malis, inquantum bona est, rationalem mortalemque naturam, cuius nemo esse potest conditor, præter ipsum: & in generatione damnata, præbeat vasis misericordiæ regenerationis auxilium.

Roman. 10.

Eccli. 22.

Ob noxam originis omnia cõtaminatus humana vita mala, nisi occulta dispositione parcet Deus.

CAP. V. FRVSTRA itaque putas *ideo in paruulis non esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest:* (hoc enim rectè dicitur propter proprium cuiusque peccatum, non propter primi peccati originale contagium. (quod si nullum esset, profectò nulli malo paruuli obstricti, nihil mali vel in corpore, vel in anima, sub tanta iusti Dei potestate paterentur. Quod tamen & ipsum à mala voluntate priorum hominum sumpsit exordium. Sicut voluntas mala ipsa est origo peccati, id est, à voluntate mala peccatum exortum est, & peccati origo voluntas mala est: ita nisi voluntas mala, non est cuiusquam vlla origo peccati. Hæc si sapias, simpliciter & veraciter gratiam Christi erga paruulos confiteberis. Nec cogeris res impiissimas atque absurdissimas dicere, aut baptizandos non esse paruulos, quod quidem postea estis fortasse dicturi: aut tam magnum sacramentum sic in eis esse ludibrium, vt in saluatore baptizentur, sed non saluentur: à liberatore redimantur, sed non liberentur: lauacro regenerationis lauentur, sed non abluantur: exorcizentur & exufflentur, sed à potestate tenebrarum non eruantur: sit eorum precium sanguis, qui in remissionem fusus est peccatorum, sed nullius peccati remissione purgentur. Hoc totum propterea, quia timetis dicere: non baptizentur, ne non solum facies vestræ sputis oblinantur virorũ, verumetiam capita sandaliis muliercularum commitigentur. Nos certè causam cur sub diabolo sit qui nascitur, donec renascatur in Christo, peccati ex origine dicimus esse contagium: Vos autem qui hoc negatis, ea saltem quæ aperta sunt intuemini, cur nonnulli etiam dæmonem patiantur infantes; nisi fortè & ipsos, aut esse, aut sub diabolo esse, negabitis. Nec vos Euangelium commonebit; vbi forsitan propter vos interrogauit Dominus quod sciebat, vt pater pueri responderet filium suum ab infantia sua dæmonio tam graui grauiterque vexari, vt à Christi discipulis non posset expelli. Ecce ego, vt sint paruuli in diaboli potestate, causam nuptias esse non dico, quod me dicere calumniaris. Nuptiæ quippe habent ordinem suum, & benedictionem suam, bonumque suum, nec subintrante peccato amittere potuerunt. Tu autem quare sit sub diabolo ille saltem infans, qui manifestissimè vexatur à diabolo, ita vt aliquando ipsa vexatione moriatur, responde si potes. Non vis enim quenquam vllam pœnam pro alienis subire peccatis, ne hinc fiat credibile, etiam contagia peccatorum in nascentes ex gignentibus posse transire.

Peccatum originale quomodo in paruulis voluntatiuum.

Luce 9.

SED videlicet vt egregius dialecticus non me patieris elabi, sed presse interrogabis & breuiter, *In paruulis actionem ream, an naturam putem.* Et ad vtrunque respondens, *Si actionem*, inquis, *ostende quid fecerint. Si naturam, ostende quis eos fecerit.* Quasi & actio mala faciat nisi naturam ream. Actione quippe qui reus est, homo est; homo autem natura est: homines igitur sicut peccati actione maiores, ita minores maiorum contagione sunt rei. Isti ex eo quòd faciunt, illi ex quibus originem ducunt. Quocirca paruuli bonum est, quòd homines sunt, quod omnino nõ essent, nisi eos ille, qui summè bonus est, creauisset. Malum verò si nullum ex origine traherent, nunquam cum vitiis vel corporalibus nascerentur. Deus enim qui est animarum, ipse est etiam corporum conditor, qui vtique humanæ in ipsa conditione naturæ vitia non infligit immeritæ. Neque enim de innumerabilibus paruulis, qui & in animo & in corpore cum tanta vitiorum varietate nascuntur, hoc dici potest, quod Dominus ait de illo qui cæcus est natus: non propter peccatum ipsius, vel parentum, id esse factum, sed vt manifestarentur opera Dei in illo. Multi quippe nec sanantur omnino, sed cum eisdem vitiis, siue in qualibet ætate, siue in ipsa moriuntur infantia. Nonnullis etiam paruulis iam renatis, vel permanent cum quibus sunt nati, vel accidunt huiusmodi mala, absit vt dicamus indignè. Sed hinc potius intelligamus eis ad alterum seculum prodesse, quod renascantur: huius autem seculi dispositionem propter vitium superbiæ hominis, per quod apostatauit à Deo, diuersis malis hominum peragi in iugo graui super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.

CAP. VI.

Sacramenta ad ceteri potissimum seculo prosunt. Eccl. 10. & 40.

QVOD autem in hoc opere tuo, quomodo fiant à dialecticis syllogismi, vnde quæstionem tibi nullus obiecit, docere conaris; quantum tibi places, tantum grauibus lectoribus displices. Et quod est peius, fingis me dicere quod non dico, concludere sicut non concludo, concedere quod non concedo, & concludis tibi ipse, quod renuo. Quando enim ego negaui naturam hominum esse laudabilem, inquantum homines sunt? Quando dixi, ob hoc ipsum reos esse, quia sunt; cum profectò essent, nec rei essent, si nemo peccasset? Quando dixi, fœcunditatem esse reprobandam, cum ad benedictionem pertineat nuptiarum? Quomodo à te peterẽ vt hoc ipsum concederes, quod ipse non dixi? Iam verò quod me dicis assumere, *omnis commixtio corporum mala*; nihil minus est, quàm vt dicas me etiam vini & aquæ accusasse commixtionem, quando potio nobis temperatur, quia & ibi corporum est sine dubitatione commixtio. Et si omnem commixtionem corporum malam dixi, neque hanc vtique prætermisi. Sed nec ipsam commixtionẽ sexus vtriusque reprehendi; si legitima atque nuptialis est. Sine hac enim non fieret hominum generatio, etiam nullo cuiusquam præcedente peccato. Proinde illud aliud quod me dicere adiungis: *Filii autem de corporum commixtione nascuntur*, dico sanè: sed conclusio quam velut meam inferre voluisti, non est mea. Non enim dico, *nequam igitur filij, qui de mala operatione procedunt*; quandoquidem ipsam coniugum operationem, quæ fit gignendorum gratia filiorum, non dico malam, sed potius bonam: quia bene vtitur libidinis malo, per quod generantur homines, bonum opus Dei; non sine malo, propter quod regenerandi sunt, vt liberentur à malo. Deinde contexis alterum syllogismum tuum, quoniam tuus est vt prior iste,

CAP. VII.

Lib. 2. de nupt. & conc. cap. 6.

Coniunctio commixtionis; sexuũ etiam in paradiso futura.

non meus. Dicis ergo, *Causa sexuum commixtio corporum*, & vis vt hoc concedam tibi. Ecce concedo. Pergis inde & adiungis: *Si mala semper commixtio, deformis etiam conditio corporum, in sexuum diuersitate positorum*. Hoc si esset consequens, me non premeret, qui commixtionem nuptialem, id est, liberorum procreandorum causam, non solùm malam non dico, verumetiam bonam dico. Huc accedit, quia & consequens non est, vt si semper est mala sexus vtriusque commixtio; propterea sit deformis etiam conditio corporum, in sexuum diuersitate positorum. Profectò enim si in tantum homines essent malo libidinis subiugati, vt remota honestate nuptiarum, omnes indifferenter ac passim canino more concumberent, non ideo deformis esset conditio corporum, cuius Deus author est; quoniam mala esset omnium hominum maris feminaéque commixtio: sicut etiam nunc de adulterina commixtione vtique mala, bonum est in corporum conditione opus Dei. Vides nempe, quàm dialecticè nihil dixeris, & nulla quidem culpa dialecticæ disciplinæ tu quantum à tramite eius exorbitaueris? Videris illius attis verbis ad hoc vti, vt eis inflatus attonitos facias imperitos, volendo videri esse, quod non es. Quod & si esses, ad eum modum quo ista disputanda sunt, nihil esses. Sed planè nunc & ineptus & imperitus, tunc autem ineptus artifex esses, & tamen dialecticorum quasi iaculis oneratus acutis, in certamen procedis, & iactas plumbeos pugiones, dicens: *Si mala semper commixtio, deformis etiam conditio corporum in sexuum diuersitate positorum*. Nec videns quàm non sit consequens, quod pro argumento necessario posuisti, adiungis & dicis: *Quod cum negare nequiueris*. Quid est quod nequeo negare homo inconsiderate? quid est quod nequeo negare? Hoc nempe, quod tu iam si vel seriò sapis, non potes nisi negare: quia non vtique si mala est commixtio adulterorum, propterea ex illis nascentium conditio deformis est hominũ. Illa quippe est hominum, malè operantium de membris bonis: ista verò Dei est, bene operantis de hominibus malis. Quòd si dixeris, etiã cùm fit adulterium, bona est per seipsam commixtio, quia naturalis est, sed ea malè vtuntur adulteri: cur nõ vis acquiescere ita posse esse libidinem malam, qua bene tamen vtantur gignendi gratia coniugati? An potest bonorum esse vsus malus, & non potest malorum bonus? cùm inueniamus ipso Satana quàm bene vsus fuerit Apostolus, tradens ei hominem in interitum carnis, vt spiritus saluus esset in die Domini, & alios vt discerent non blasphemare.

1. Corin. 5.

1. Tim. 1.

CAP. VIII. Qvod verò superaddis & dicis: *Rei autem malæ Deus author esse non potest*: quomodo id dicis, cùm sint quædam mala, quorũ author est Deus? Melius enim loqui nouit ipse quàm tu, qui per Prophetam dicit, creare se mala. Deinde quomodolibet sese habeat hæc superadditio tua, quid ad me pertinet, cum illud cui connectitur, non concesserim; eo quòd inconsequens esse monstrauerim, vt deformis sit cõditio corporum, etiam si omnem commixtionem corporũ vel vtriusque sexus malam esse cõcederem? Vt enim concedamus Deum nullius esse authorem mali; nunquid ideo non est author conditionis corporũ, quam nullo modo malam esse concessi, quia nulla me ad hoc superius concessa cogebant? Inanis ergo & ridenda tua remansit illatio, qua concludis & dicis: *Omnia igitur corpora, malo reputantur authori*. Multo enim verius ita concluditur, vt dicamus: Si nec mala cõmixtio adulterorum, facit esse malam conditionem corporum: aut si bona est & in adulteris sexus vtriusq; commixtio, sed ea mali vtuntur malè: quoniam multo magis ex hoc non potest corporum mala esse conditio, rectè

Esa. 45.

A igitur corpora Deo reputantur authori. Nulla est itaque fouea, quam metuens quasi reuertar in viam, quò videris me velle reuocare. Dic tamen quænam illa via sit, & explica ratiocinationem tuam.

CAP. IX. Devs, inquis, *bonus, per quem facta sunt omnia, ipse corporis nostri membra formauit*. Hoc verissimum esse concedo. Sequeris & adiungis, *Qui autem corpora fecerat, diuisit & sexum, diuisit in specie, quod in operatione coniungeret, fecitq; causam coniunctionum dissimilitudo membrorum*. Et hoc assentior. Deinde infers, *Ab ipso igitur commixtio corporum, à quo est origo corporum*. Quis hoc negauerit? *Quod cum ingratis*, inquis, *concesseris, sequitur tot rerum bonarum, corporum, sexuum, coniunctionum malos fructus esse non posse*. Et hoc verum dicis; horum enim bonorum fructus homo est, quod in quantum homo est, bonum est: quod autem in illo malum est, à quo sanandus est per saluatorem, & liberandus per redemptionem, & abluen-

B dus per lauacrum, & eruendus per exorcismum, & absoluendus per sanguinem, qui in remissionem fusus est peccatorum; non est fructus corporum, sexuũ, coniunctionum, sed originalis veterisque peccati. Sicut enim de prole adulterorum, si ego dicerem; tot malorum, id est lasciuiæ, turpitudinis, criminis bonus fructus esse non potuit: rectè mihi responderes, hominem qui de adulteris natus est, non esse fructum lasciuiæ, turpitudinis, criminis, quorum malorum author est diabolus; sed coporum, sexuum, coniunctionum, quorum bonorum author est Deus. Sic ego tibi rectissimè dico, malum cum quo nascitur homo, non esse fructum corporum, sexuum, cõiunctionum, quorum bonorum author est Deus; sed primæ præuaricationis, cuius author est diabolus. Absit autem vt quemadmodum calumniaris, dicamus *homines ad hoc à Deo fieri, vt à diabolo legitimo iure teneãtur*: quanuis enim & hoc diuinæ sit magis, quàm diabolicæ po-

C testatis, vt immundo principi generatio immunda subdatur, nisi regenerationemundetur; tamen non ad hoc facit Deus homines, vt familiam quodammodo diabolus habeat; sed ea bonitate, qua naturis omnibus præstat vt sint, qua etiam ipsum facit subsistere diabolum. Quam bonitatem si rebus subtraheret, continuò nihil essent. Sicut non ideo creat pecora in armentis & gregibus impiorum, vt dæmonibus immolentur, quamuis hoc eos nouerit esse facturos: sic etiam vbi generationem peccato cernit obnoxiam; secundum pulcherrimum, quem disposuit ordinem seculorum, suam non abstinet ab eius conditione bonitatem.

Si bonitate sui Deus rebus subtraheret, in nihilum redirent.

CAP. X. Sed post hanc argumentationem qua te fallis, & confecisse te aliquid arbitraris, ingeris solitum maledictum, ac deinde subnectis, *quod forsitan dicam, Scripturarum, non syllogismorum debere testimonio comprobari, filios de corporum commixtione nascentes, reputari di-*

D *uino operi*: quasi qui hoc negauerit, possit esse Christianus. Proinde rem, quam promptissimè cõfitemur, & libentissimè prædicamus, velut habeat inter nos controuersiam, ita per Scripturarum testimonia conaris ostendere: & laboras inaniter, non vt respondere nobis, sed vt libros possis implere. Veruntamen quod dixisti, *vt exprimeret fidem operum Propheta, propè periculum pudoris accessit, quia dixit: Erunt duo in carne vna*: satis te debuit admonere, nihil pudendum futurum fuisse in operibus Dei, nisi præcessisset cur natura humana deberet de sui meriti deformitate confundi.

Lib. 2. de nup. & concu. cap. 5.

Genes. 2.

CAP. XI. Dicis etiã in laude libidinis, *hanc fuisse redditam Dei munere Abrahæ & Saræ, senio confectis emortuisq; corporibus*: & inuidiosa voce proclamas, vt *asserã si possim, ad opus diaboli pertinere, quod Deũ videam interdum conferre pro munere*. Quasi verò si claudum hominem resuscitet

Li. de nup. cap. 10.

resuscitet Deus, viuentibusque restituat; qui vtique mortuus iam claudicare non poterat, etiam claudicationem debet videri pro munere contulisse. Ita ergo si restitutus est, qui fuerat in viridioribus, corporum vigor; sic vtique restitutus est, vt se habet conditio corporis mortis huius. Non enim eos ad illum statum reuocari oportebat, in quo Adam fuit ante peccatum, vt possint sine lege in membris, quæ repugnat legi mentis, filios procreare. Quamuis ad hoc intelligendum, sic emortuum fuisse corpus Abrahæ, vt non valeret de omni femina filios gignere, quæ parere posset. Dicitur enim facere hoc ætatis accessus, vt ex femina generare senex possit adolescentula, cùm iam de grandiore non possit, quamuis illa de iuuene possit. Qui enim tam prolixo tempore tunc viuebant, proculdubiò serius fiebant ita decrepiti, vt ad concubitum moueri omnino non possent; si tamen cuiquam viro sano potest id accidere per ætatem. Nam cùm hoc opus in manibus haberem, nunciatus est nobis senex octoginta & quatuor agens annos, qui religiosè cum coniuge religiosa iam viginti quinque annos vixerat cõtinenter, ad libidinem sibi emisse Lyristriam, qui vtique pro modulo, quo isto tempore viuunt homines, grauioris senectutis est quàm fuerat Abraham in annis centum, adhuc victurus alios septuaginta. Vnde prudentius creditur, fœcunditatem quæ defuit, suis Deum famulis præstitisse. Duæ quippe causæ dicuntur, propter quas parere Sara non poterat, & erat vulua eius emortua. Vna est sterilitatis, quæ ab ipsa inerat iuuentute. Altera ætatis, non quia nonaginta annos agebat, sed quia iam destiterant ei fieri muliebria. Constat enim si mulierum menstrua secreta cessauerint per ætatem, non eas iam posse concipere, etsi fœcundæ fuerunt, antequam illa cessassent. Et ideo Scriptura noluit hoc tacere, vt augeretur miraculi gloria, quod erat Deus in eorum prole facturus. Quando autem suo viro ancillam dedit, de qua voluit, quia de se non poterat suscipere filios, non ætate fuerat, sed sua sterilitate permota. Sic enim ait Scriptura: Sara autem vxor Abraham non pariebat illi. Et verba eius ad virum ista sunt: Ecce conclusit me Deus, vt non pariam. Tunc autem si ætatem consideremus amborum, decrepiti essent, si nostri temporis homines essent. Erat enim Abraham annorum circiter octogintaquinque: Sara autem annorum septuagintaquinq;. Scriptum est enim, Abraham autem erat octogintasex, cùm peperit Agar Hismaël Abrahæ. Proinde ante annum fermè mixtus inuenitur ancillæ, quando conceptus est Hismaël. Qui tandem coniuges in hac ætate generant temporibus nostris, nisi diuinitùs fiat tale miraculum? Et tamen illi poterant, si Sara sterilis non fuisset, quia & ille potuit de Agar, & illa nondum erat sic ætate progressa, vt ei cessarent fieri muliebria. Ad hoc ergo erat Abrahæ corpus emortuũ, vt de Sara iam generare non

D posset, etiam si esset illa ita fœcunda, vt tamen iam propinquaret ætati, qua cruor ille menstruis interuallis venire desisteret. Quibus enim iam omnino non fluit, eas ab authoribus medicinæ definitum est non posse concipere. Quod si falsum esset, nullo modo dicere scriptura curaret, Defecerunt autem Saræ fieri muliebria: cùm superius iam dixisset, Abraham autem & Sara seniores progressi in diebus suis. Pro modo ergo nunc temporis, cuius longè prolixiore spatio tunc viuebant, generare iam illa ætate non poterant, cùm esset Abraham centenarius, Sara nonagenaria, etiam si sterilis non fuisset, & ante annum concumberent, quando adhuc ei fluebant fortasse muliebria. Et ideo adhuc concipere posset, si iuuenis esset maritus; tunc autem non posset, propter corpus Abrahæ sic emortuum senectute, vt ex illius ætatis femina

Romani. 7.

Romani. 4. Corpus Abrahæ quomodo emortuum.

Senex quidam 84. annorũ Lyristriam sibi ad libidinem emit.

Quare Sara parire nõ poterat.

Genes. 16.

Videns.

Abrahæ corpus emortuum.

Genes. 18.

A gignere non valeret, qui tamen & ipse de adolescentula valeret, sicut postea de Cethura valuit: quamuis & illic dici possit, fœcunditatis munus in eodem perseuerasse, quod acceperat vt nasceretur Isaac. Pro modo autem nunc temporis, quo longè breuiore spatio viuunt homines, intra centum annos amborum coniugum, generare posse dicuntur. Si verò in summam ducti amborum anni, centenarium numerum excesserint, sic asseuerantur non posse filios procreare, etiam si fœcunda sit mulier, & fluentibus adhuc muliebribus possit ex iuuene. Vt iure fuerit etiam constitutum, ne quisquam ius liberorum haberet, nisi cùm amborum anni computati & simul ducti, centum non transisse docerentur. Miraculum ergo Dei factum est, vt cõciperetur Isaac, non parentibus eius libidine reddita, sed fœcunditate donata. Nam illa esse poterat etiam in illis annis, hæc verò esse non poterat, tot impedientibus causis. Quamquam

B & libido, sicut superius disseruimus, si emortuis mẽbris senilibus munere Dei quodammodo reuiuiscentibus etiam ipsa reuiuisceret, conditionem profectò carnis corruptibilis sequeretur, vt esset in corpore mortis huius, quæ in paradiso esse non posset ante peccatum in corpore vitæ illius. Secundum conditionem autem pœnalis huius corporis, munus fœcunditatis nunc Deus vnicuique largitur, non secundum illam felicitatem, vbi nihil erat in carne, quod aduersus spiritum concupisceret, & concupiscentiæ aduersus se spiritu frenaretur; quia in natura hominis ante peccatum, pacem decebat esse, non bellum. In ea verò parte ratiocinationis tuæ frustra laborasti, tanquam dicere possemus: *Isaac sine concupiscentia carnis, vel semine viri fuisse procreatum*. hoc enim non dicimus, & ideo quicquid inde disputasti, prætereundo contemnimus.

Genes. 25.

Ætas coniugum qua generare possint.

Ius liberorum.

Isaac miraculo conceptus.

CAP. XII. Qvod autem tibi præclaro acumine visus es in-

C uenisse, vt diceres, *Etiam si diabolus crearet homines, nulla culpa sua mali essent; & ideo iam nec mali essent, quia esse quisquam nisi quod natus est, non potest; nec ab eo iustum est aliquid amplius flagitare quàm potest*: Solemus & nos aduersus Manichæos ista dicere, qui non vitiatam bonam dicunt esse naturam, sed sine initio & immutabiliter malam, quam secũdum suas fabulas opinantur malam. Natura verò humana secundum catholicam fidem bona instituta, sed vitiata peccato meritoque damnata est. Nec mirum autem nec iniustum est, quòd radix profert damnata damnatos, nisi cuius manus non defuit creantis, non desit & misericordia liberantis; quam vos miseri inuidetis, cùm malum paruulos, à quo liberentur, habere non dicitis. Sed certè vos qui miseram falsa defensione premitis, & perniciosa laude oppugnatis infantiam, quare nihil mali merentes, tot in paruulis imagines Dei, si non baptizentur, non admittitis ad regnum Dei? Nũquid

D ipsi sibi defuerunt, vt priuentur regno, vt tam luctuoso puniantur exilio; cùm id non fecerint, quod facere omnino non poterant? Vbi etiam ponis, quia & vita carebunt, quoniam non manducauerũt carnem, nec biberunt sanguinem filij hominis? Vnde Pelagius, quod suprà commemoraui, eos qui dicunt infantes, etiam si non baptizentur, habere vitam æternam, in Ecclesiastico iudicio nisi damnasset, dãnatus existet. Qua iustitia quæso, à regno Dei, à vita Dei alienatur imago Dei, in nullo transgressa legem Dei? Nónne audis quemadmodum detestetur Apostolus quosdam, quos dicit alienatos à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis eorum? Tenebitur hac sententia non baptizatus paruulus, an non tenebitur? Si dixeritis, non tenebitur; Euangelica veritate, lingua etiam Pelagij teste, vincemini atque puniemini. Vbi enim est vita Dei, nisi in

Ioan. 6.

Ephes. 4.

Non est vita extra Dei regnũ.

Heb. 3. regno Dei, quò nisi renati ex aqua & spiritu, intrare non possunt? Si autem dixeritis, tenebitur, fatemini pœnam; culpam dicite; fatemini supplicium, meritum dicite. Nihil in vestro dogmate reperitis, quod proferre possitis. Iam igitur aliquando si vllus est Christianus sensus in vobis, etiam in paruulis propaginem mortis & damnationis agnoscite, debita iustitia puniendam, gratis gratia Dei liberandam. In quorum redemptione laudari Dei misericordia potest, in quorum perditione accusari Dei veritas
Psal. 24. non potest, quia vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.

CAP. XIII. DIVIDIS, definis, disseris quasi medicinaliter de genere, & specie, & modo, & excessu concupiscentiæ; *huius genus esse asserens in igne vitali, speciem in motu genitali, modum in opere coniugali, excessum in intemperantia fornicandi:* & tamen post istam totam quasi subtilem atque prolixam disputationē tuam, cùm te breuiter & aperrè interrogauero, cur ignis iste vitalis bellum in homine radicauerit; vt eo caro concupiscat
Galat. 5. aduersus spiritum, & spiritui necesse sit concupiscere aduersus carnem: cur vulnere feriatur mortali, qui voluerit igni consentire vitali: puto quòd ipsum libri tui atramentum erubescēdo conuertetur in minium. Et ignis vitalis, qui nostræ animæ, quæ vita est vera carnis, non solùm ad arbitrium non obsequitur, sed pleruſque contra eius arbitrium inordinatis & turpibus moribus excitatur, & nisi aduersus eum spiritus concupiscat, bonam vitam nostram ignis iste vitalis occidit. Post longam disputationem velut cōcludens, *Meritò igitur*, inquis, *concupiscentiæ origo definitur in igne vitali, quo collectò necesse est vt ei reputetur concupiscentia carnalis, per quem constituta est vita carnalis.* Ita hoc dicis, quasi probare possis: aut verò cuiuscunque frontis sis, audeas suspicari, in prima hominum constitutione, priusquam culpam debita damnatio sequeretur, istam carnalem concupiscentiam C aut extitisse in paradiso, aut inordinatis, sicut eā nunc videmus motibus, pugnas aduersus spiritum fœdissimas edidisse. Deinde subnectis & dicis: *Huius itaque appetitus non in genere suo, non in specie, non in modo*
Iuliano nō concupiscētia ipsa, sed excessus tantum malus erat. Lib. 2. de nup. cap. 19. *culpa est; sed in excessu, quia genus eius & species ad conditoris operam pertinent; modus eius ad arbitrium honestatis; excessus ad vitium voluntatis.* Quàm concinnè tibi verba inania sonuerunt; vtique homini, qui non cogitas quid dicas. Si modus appetitus huius ad arbitrium pertinet honestatis; cuius tandem honesti arbitrium coniugati velit hunc appetitum, nisi quando opus est, commoueri? & tamen quod vult non
Roman. 7. potest. Cuius honestè continentis arbitrium velit aliquando hunc appetitum moueri? & tamen quod vult non potest. Vnde clamat homo: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Cùm ergo in ipso motu pro nostræ voluntatis arbitrio non habeat vllum modum, in effectu autem non sit ipse D moderatus, sed ei modum vigili certamine spiritus honestus imponat; quid est quod laudatis homines mali, & ad Deum non clamatis, Libera nos à malo?
Matth. 6.

CAPVT XIIII. QVID te autem iuuat quod dicis, *intercipi debilitate libidinem*, quasi non morte prorsus extinguatur, quando iam homini, qui ab illa fuerit superatus & subiugatus, non certamen indicitur, sed victo redditur, quod debetur? Hoc est amarius, hoc est vbi non intelligis contendentis propaginem mortis, quod quando sani sumus, tunc est iste motus insanus. *Aut in coniugibus*, inquis, *cum honestate exercetur, aut in castis virtute frenatur.* Itáne verò, ita tu expertus es? Ergône à coniugibus non frenatur hoc malū, vel hoc tuum bonum? Prorsus cùm libitum fuerit, sternunt se coniuges, & inuadunt quandocunque titillauerit; nec ad horam cubandi appetitus iste differtur, sed tunc videtur legitima corporum esse commixtio, quando istud naturale tuum bonum fuerit sponte commotum. Si talem duxisti vitam coniugalem, desine te tuis experimentis in disputatione committere, & de aliis potius quemadmodum sit dūcenda, vel docenda, perquire. Miror tamen si adulterina saltem desideria non frenasti, nec frenanda sensisti. Si verò etiam pudicitia coniugalis, & propter immoderata in ipso quoque connubio volutabra libidinis, & propter damnabiles concupiscentias, ne præter coniugis naturalem vsum aliquid perpetretur, frenat hanc pestem; quid est quod dicis *in coniugibus cum honestate exercetur*; quasi honestus sit appetitus iste semper in coniuge, & nihil ei saltem secundum veniam, sicut
dicit Apostolus, concedatur? Quanto melius dic- 1. Corinth. 7.
res; in coniugum moderatione cum honestate exercetur? An timuisti ne illic quoque intelligatur malum; cui etiam coniuges frenum cura moderationis B imponunt? Postremò nunc saltem iam continenter viuens agnosce in quadrigis illis Ambrosianis equum
Lib. de Isaac & anima cap. 8. citatur supra lib. 2. cap. 5. malum; & noli corde vel ore laudare, quam cogeris virtute frenare. *Quartum*, inquis, *à lasciuientibus perpetratur, id est, illius voluptatis excessus, & quia de insolentia, non de natura contingit*, inquis, *iure damnatur.* De cuius quæso insolentia contingit? lasciuiæ, an concupiscentiæ? Ne offendas susceptam, respondebis lasciuiæ. Sed omnes homines iudicant lasciuiæ non esse peccatum, nisi quia concupiscentiæ consentitur. Nullúmne ergo malum est, cui consentiendo peccatur? At hoc malum inest in carne contra spiritum cōcupiscente, etiam si non sit in spiritu non consentiente, & contra etiam concupiscente. Exclama ergo: Libera nos à malo: & noli malum falsæ laudis huic addere malo. Matth. 6.

CAP. XV. DISERTE sanè inter lasciuientes & continentes tanquam in medio pudicitiam constituis coniugalem, *quæ illos illicita commisisse indignatur, hos etiam licita contempsisse miratur; vltimi limitis sortita regionem, vltra se proruentium execrata barbariem, supra se micantium venerata fulgorem, quæ verecundis manibus & confouet æstuantes, & laudat tali remedio non egentes.* Multū delector eloquentissima veritate; sed obsecro te, nempe sicut dicis, & disertissimè ac verissimè dicis, propterea continentes laudat pudicitia coniugalis, quòd tali remedio non egeant, quo se ipsam perspicit eguisse, id est, vt secundum Apostolum, qui se nō continet, nubat. Cur ergo quando ego istam cōcupiscentiam morbum esse dico, tu negas, qui tamen ei necessarium remedium confiteris? Si agnoscis remedium, agnosce morbum. Si negas morbū, nega remedium. Rogo cede aliquando etiam per os tuum tibi loquēti veritati. Nemo prouidet remedium sanitati.

Vbi remedium ibi morbus. Iulianus ipse gladio nguit.

CAP. XVI. ILLVD etiam rectè dicis, *examinatè non posse placere connubium, si mali comparatione laudetur.* Hoc verum est. Omnino enim in genere suo nuptiæ bonum sunt; D sed ideo bonum quia fidem thori seruant, quia prolis suscipiendæ causa sexum vtrunque commiscent, quia impietatem separationis exhorrent. Hæc sunt bona nuptialia, quibus nuptiæ bonum sunt, quæ sæpissimè diximus esse potuisse, etiā si nemo peccasset. Post peccatum autem accessit eis, non de felicitate, sed de necessitate certamen, vt suo bono pugnent etiam ipsæ contra concupiscentiæ malum, ad nihil eam sinentes illicitum peruenire, quamuis ipsa in hæc nunc remissioribus, nunc concitatioribus motibus instigare non cesset, & eius malo bene vtentes in propagatione filiorum. Illud verò quis neget malum, nisi qui non audit Apostolum monentem: Hoc autem dico secun- 1. Corinth. 7.
dum veniam, non secundum imperium: quando coniuges non prolis suscipiendæ sed carnalis voluptatis explendæ victi cupiditate concumbunt: hoc non laudatur

Nuptiæ quatenus bona.

datur, sed ignoscitur in comparatione mali peioris, in- A teruenientibus & deprecantibus nuptiis.

CAPVT XVII. POST hæc autem ad exemplum Abrahæ & Saræ, nescio qua ratione reuerteris, de quo iam satis respondisse me existimo. Sed nescio quid te fugerat, quod addere voluisti, cùm postea venisset in mentem. Humanum est, solet euenire. Quid ergo illud est audiamus. Dicis *factum fuisse propheticum, quod nunc ostensum est in regione Africæ; pulchræ & sanctæ mulieris, quæ Ecclesiæ formam tenebat, tutum non esse vel coniugem, vel pudorem, & quia ibi diuinitùs intacta seruata est.* Ne in omnibus tuis verbis frustra immorer, ad eum cui scribis, te conuertis & dicis: *Orandus est hic Deus, frater beatiß. Turbanti, consacerdos dilectissime,*
Turbantio cuidam libros suos dedicauit. *vt paribus etiam hac tempestate virtutibus Ecclesiam catholicam filij sui sponsam, maturam, fœcundam, castam, decoram à Manichæorum constupratione in Africa, vel ex Africa latrocinantium eruere non moretur.* Hæc nostra potius oratio est aduersus Manichæos, & Donatistas, & alios hæreticos, vel quoslibet Christiani & catholici nominis inimicos, in Africa constitutos. Contra vos autem, quia nobis estis pestilentia transmarina, Christo saluatore vincenda, Idcóne latrocinamur ex Africa, quia vnum martyrem hinc opponimus Cyprianum, per quem probemus antiquam nos defendere fidem catholicam, contra vestri erroris vanam profanamque nouitatem? O nefas! Defuerunt Ecclesiæ Dei quæ in Africa constituta est, defuerunt orationes tuæ, quando ista quæ oppugnas, Cyprianus beatiß. prædicabat? Quando ille dice-
Lib. 3. epist. 8. bat, *multo magis à baptismate prohiberi non debet infans; qui recens natus nihil peccauit, nisi quòd secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit, vt ei remittantur non propria, sed aliena peccata:* quando hæc Cyprianus didicerat & docebat, defuit auxilium precum tuarum, quo Sara in regione Africæ seruaretur intacta, & à Manichæorum constuprarione, qui secundum intellectum tuum, antequam Manichæi nomen Romanis sonuisset in ter-
Lib. 2. de nup. & cōc. cap. 29. ris, etiam ipsum deceperant Cyprianum, liberaretur Ecclesiæ pulchritudo? Vide quæ monstruosa & furiosa dicas contra antiquissimā catholicam fidem, non habendo quid dicas. Sed quantūmlibet tergiuerseris ô hæresis Pelagiana, quæ contra muros antiquissimæ veritatis, nouas construis machinas, nouas moliris insidias: *Pœnus disputator*, quod me contu-
Iuliano Virgil. lib. 12. Aeneid. melioſe tuus defensor appellat: Pœnus, inquam, disputator non ego, sed Cyprianus, Pœnus te hoc vulnere Pœnus Immolat, & pœnam scelerato ex dogmate sumit. Quid si tot Episcopos ex Africa nominassem, quot ex aliis orbis partibus nominaui; aut quid si in eis ipsis plures Afri essent? Vnus hinc est, cæteri aliunde, quorum ab Oriente & Occidente consensione confoderis; & tamen tanta obstinatione cæcaris, vt non videas, te potius velle corrumpere antiquum Ecclesiæ decorem, id est, antiquam fidem, tanquam Saræ aniculæ pulcherrimæ castitatem. Si enim per sanctos antistites Dei, memorabilesque doctores Irenæum, Cyprianum, Reticium, Olympium, Hilarium, Ambrosium, Gregorium, Basilium, Ioannem, Innocentium, & Hieronymum, constupraueruntEcclesiam Manichæi, dic mihi Iuliane quæ te peperit? Vtrúmne casta, an verò meretrix in lucem, quam deseruisti, per vterum gratiæ spiritalis enixa est: an vt dogmata Pelagiana defendas, coniugis Christi & matris tuæ viscera, instinctu nefarij non erroris, sed furoris infamas? Vsqueadeò enim contra vetustam pulchritudinem Saræ non inuenit, quid nouitia deformitas mentiatur, vt tot Episcoporum gloriosorum catholicorum in tanta suarum sententiarum manifestatione consensum, in quibus sunt qui Manichei nec nomen audierunt, Manichæorum blasphemia criminetur. *Sed ab hoc digressu, quo te impetus* non vt dicis *doloris*, sed perditi pudoris *abstulerat, ad ea quæ instituerás* delirare reuerteris: & adhibito ex Apostolo testimonio illud, quod de Abrahæ & Saræ emortuis Roman. 4.
membris dixeras, confirmare conaris. Vnde iam superius, quantum satis visum est, me disseruisse sufficerit. Quis autem Christianus ignorat, quòd *ille, qui primum hominem fecit ex puluere, omnes fabricetur ex semine?* Sed ex semine iam vitiato atque damnato, quod partim per veritatem remaneat in supplicio, partim per misericordiam liberetur à malo. Non igitur vt putas atque concludis, *vllis laqueis tuis peccati naturalis suffocatur assertio.* Deprauatam quippe primi transgressoris voluntate naturam, non tua defensio verbis inanibus purgat per notitium dogma vestrum; sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

CAP. XVIII. B QVAMOBREM nec puto, sicut calúniaris, quòd *coniuges sine corporum calore generauerint*, nec puto quòd *hominem Deus non fecerit, aut diabolo fecerit, aut*
Vide lib. 1. de nup. & concup. cap. 13. & 16. *diabolus fecerit:* quia nec ipsi parentes possunt hominem facere, sed ex parentibus Deus. Cuius potestati nec seipsum diabolus subtrahit, quanto minus naturam humanam; quam sibi per peccati meritum illo damnante subiecit? Quæ cùm ita sint, tu potius & si
Iulianus Auguſtinum diabolī emissarū appellat. non cultor, quod esse dicis me, tamen quantumlibet eum accusare videaris, diaboli adiutor esse conuinceris; qui omnes paruulos ab eo malo, per quod tenentur à diabolo, sanari per Christum non debere contendis, cùm doctrina nō sana sanos esse defendis. Ego autem secundū sanam fidem, ex eadem concupiscentiæ voluptate concretum etiam Isaac dico, ex qua & homines cæteri, vno solo excepto ab hoc malo, per quem liberamur à malo: peccatorum quoque gentialibus manum diuinæ prouidentiæ interesse non ne-
Sap. 8. C go. Attingit enim à fine vsque in finem fortiter, & disponit omnia suauiter, & nihil inquinatum in eam incurrit. Et ideo etiam de immundis & contaminatis, quæ voluerit operatur, munda tamen ipsa & incontaminata persistens. Nec opus est, vt anfractibus longis ea quæ concedo, mihi probare coneris; sed ad hoc respōde, si potes, cur ipse Isaac nisi baptismatis Chri-
Lib. 2. de nup. & cōc. cap. 11. sti signo circuncisus die octauo fuisset, perisset anima
Circūcisio à morte liberabat æterna. eius de populo suo. Explica, si potes, tanta pœna quo merito plecteretur, nisi ab hac illo sacramento liberaretur? Emortuam vuluam Saræ ad emissionē seminis, & emortuum corpus Abrahæ ad generandum sicut iuuenes generant, Deum viuificasse negari non potest, vt proles de illa parentum nasceretur ætate. Sed Isaac quantum ad propria peccata, etiam si ex adulteris nasceretur, innocens natus, quid meruerat, vt anima eius de populo suo periret, nisi circuncisio subueniret? Noli euagari per multa obscura, per-
Lib. 2. de nup. cap. 14. D plexa, superflua: ad hoc vnum apertum, simplex, necessariumque responde. Interponis Apostoli testimonium, non ad quod ab ipso positū est, sed ad quod ipse arbitraris. Vnde nunc quoniam non inde agimus, & longum & superuacaneum est disputare, tamen interponis vbi ait, *Et quomodo iudicabit Deus*
Roman. 3. *mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor?* Ac deinde subiungis, *per hæc sua verba Apostolum ostendere, amisisse Deum authoritatem iudicandi, si modum non tenuit imperandi.* Si ergo sicut putas, *ad hoc ista dixit Apostolus, vt sese cohiberent, qui asserebant laudi Dei proficere peccata mortalium, eúmque ideo impossibilia præcepisse, vt miserendi sibi materiam præpararet: & per hanc apostolicam sententiam*, sicut existimas *demonstratur, propterea rectè iudicari homines, quia præcepta possibilia non fecerunt; iniustè*

nutem iudicarentur, si ea non fecissent, quæ impossibilia iuberentur: quid de Isaac dicturus es, cui quicquam nec possibile, nec impossibile est imperatum; & tamẽ perditionis animæ suæ pœna feriretur, si octauo die non circuncideretur? An verò nec sic tandem respicis illud primitùs in paradiso datũ, possibile ac facile fuisse præceptum, quo contempto atque violato omnes ex vno homine, tanquam in massa originis commune illud habere peccatum, & hinc esse iugum graue super
Eccli.40. filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsq; in diem sepulturæ in matrem omnium. Et quoniam ex ista in Adam generatione damnata nemo liberatur, nisi regeneretur in Christo, propterea signũ eiusdem regenerationis Isaac nisi accepisset, perisset: nec immeritò perisset, quia ex hac vita, quò per generationem damnatam damnatus intraueratʼ, sine signo regenerationis exisset. Aut si non est ista causa, dic alteram. Bonus est Deus, iustus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quenquam sine meritis damnare, quia iustus est. Nullum meritum malum octo dierum infans de propriis peccatis habebat; quare damnaretur, nisi circuncideretur, si ex origine non trahebat?

CAP. XIX. PERGE ad cætera, & vanis vaniora contexe; non Scripturarum sanctarum eloquia, quæ commemoras, dico, sed ex his quæ conficere niteris. Quandoquidem dicis, *ex hoc intelligi debere perfectam ignorãtiam,*
Genes.20. *iustitiam nominari; quia dixit Deus ad Abimelech, qui cum Sara erat concubiturus, ignorans quòd vxor esset aliena: Et ego sciebam, quia in corde mundo fecisti hoc: & ideo nascentium statum, generantium voluntate non lædi. Quia etsi mala esset*, inquis, *tamen ad illorum nullo genere scientiam peruẽniret.* Cur ergo eos non nominas iustos, si perfecta ignorantia iustitiæ nomine nuncupanda est? Nihil est namque perfectius ignorãtia paruulorum, nihil ergo vocetur & iustius. Vbi est quod superiùs asserendum putasti, *nec iustos nasci paruulos, nec iniustos, quod futuri sunt actibus suis; sed tantummodo infantiam innocentiæ dote locupletem?* An non verba tua sunt vbi dicis: *Homo igitur innocentia quidem plenus, sed virtutis capax nascitur, aut laudem, aut reprehensionem ex proposito accedente merituris?* Nunquid virtutem dicturus es non esse iustitiam? Quomodo igitur infans nondum plenus est virtute, sed capax, cùm plenus sit ignorantia, quam dicis esse iustitiam, nisi virtutem neges esse iustitiam? Itáne nondum euigilabis hac absurditate percussus, & te hoc dixisse pœnitebit? Nam Domini verba vigilant, sed tu dormis. Neque enim ait regi, Sciebam quia cor habes iustum: aut, quia cor habes mundum: cùm scriptum
Matth.5. sit, Beati qui mundo sunt corde, quoniam ipsi Deum videbunt: tu autem istum Abimelech ad peccatoris proponis exemplum. Sed sciebam, inquit Deus, quia in corde mundo fecisti hoc. Non omnia vel quæcunque alia; sed hoc, in quo adulterij conscientiam non D habebat. Miror tamen quod isto exemplo à te commemorato, quod non potes, conaris efficere; & non
Lib.2.de nup. cap.15. ibi vides, quod non vis audire. Conaris enim vt credatur orante Abraham, libido reddita esse mulieribus, quia scriptum est, Concluserat Deus à foris
Genes.20. omnem vuluam in domo Abimelech, propter Saram vxorem Abrahæ. Hanc enim conclusionem sic vis intelligi, tanquam libido fuerit illis feminis Deo indignante detracta, cùm magis indicetur his verbis, aliqua valetudine vulua conclusa, vt aut imprægnanda concumbere femina, aut parere imprægnata non posset: & non attendisti homo, qui non vis iudicio diuino quenquam non suis, sed alienis plecti posse peccatis, quomodo fieri potuerit vt Abimelech peccaret, quamuis nec ipse adulterino corde peccauerit, & Deus quantulumcunque pecca-

Vuluam in domo Abimelech quomodo concluserit Deus.

A tum eius in mulieribus ad eum pertinentibus vindicaret. Vides contagionem transire peccati de viro in feminas, quibus miscebatur, vel quibus dominabatur: & in prolem de parentibus non vis, ex quorum seminibus propagatur. Considera igitur, quàm
Roman.11. sit inscrutabilis altitudo iudiciorũ sapientiæ & scientiæ Dei, & garrire desine contra originalis secreta peccati.

Pœna ob alterius peccatum.

CAP. XX. DEINDE incipis disputare de excessu concupiscentiæ, quẽ reprehensibilem dicis, quasi in eius moderatione cum ea bene vtitur coniugatus, equus ipse qui malus est, & non potius sit eius auriga laudandus. Quid ergo te adiuuant testimonia de scripturis, quibus ostenditur, quemadmodum Deus vel prohibeat libidinis vel damnet excessum. Illud potius intuere, quicquid in quorumlibet flagitiorum turpitudine, quæ genitalibus mẽbris perpetratur, horremus; concupiscentiam carnis, nisi teneatur, efficere ipsis moti-
B bus suis, quos in corporibus etiam castorum vsque ad ingemiscendum effectum perducit in somnis. Sic autem dicis, *qua ratione quæreret iustos in Sodomis Deus,*
Genes.19. *nisi illos tales natura faciebat?* tanquam nos dicamus, mentis excellentiore natura, concupiscentiam carnis non posse frenari. Sed dicimus, vsqueadeò malũ esse, vt repugnans expugnando vincatur, donec sicut vulnus in corpore, ita perfecta curatione sanetur. Si au-
Lib.2.de nup. & concup.cap. 19.& 20. tem putas Apostolum ex hoc laudasse libidinẽ, quia vsum feminæ dixit esse naturalem, vbi ait, Quosdam
Roman.1. relicto naturali vsu feminæ, exarsisse in appetitum suum in inuicem: omnẽ profectò vsum feminæ laudare compelleris; ac per hoc & ea, quæ cum feminis committuntur stupra, laudabis; quia & illic vsus vtiq; naturalis est, quamuis damnãdus, quia legitimus non
Filij legitimi, filij naturales. est. Vnde & filij non legitimi, sed naturales vocantur, qui inde nascuntur. Non itaque concupiscentiã carnis, illo verbo laudauit Apostolus, sed naturalem ap-
Naturalis vsus feminæ quis. C pellauit vsum, vnde natura humana potest nascendo subsistere. Dicis etiam *Sodomitas & in panis ac vini*
Lib.2. de nup. cap.19.& 21. *peccasse creatura:* atque ita vis intelligamus libidinem bonam, sed homines qui ea malè vtuntur, esse culpabiles; sicut bona est natura panis & vini, quamuis ea malè vtendo peccetur. Ita enim non intelligis quid loquaris, vt non videas, creaturam panis & vini, non concupiscere aduersus spiritum, sed ipsam potius inhonestè à malè vtentibus concupisci, & eam forinsecus in nostrum corpus intrare. Qua ideo parcius & re-
Cibi potusque parcimonia. strictius est vtendum, ne ipsa quoque concupiscentia, quod malum intus ac nostrum est, mentem corruptibili corpore ex abundantiore materia multo magis aggrauante, aduersus nos vehementius & inuictius concitetur. Hoc igitur malo, quod indicat malũ esse, siue qui aduersus illud dimicat, siue quem subiugat, & parens bene vtitur, cùm pudicè filiũ gignit; & Deus, cùm prouidè hominem condit.

CAP. XXI. NVNC ergo considera, rogo te; nunc, inquam, vt D te salubriter veritas vincat, deposita vincendi cupiditate, considera, vtrum nostræ, an tuæ sententiæ debeas acquiescere. Bene, quod breuiter admonere te dicis, vt lectoris pectori hæreat, quod toto libro abs te gestũ
Lib.2.de nup. cap.19. est. Et quę sit ipsa breuis admonitio, subinferens: *Concupiscentiæ naturalis qui modum tenet*, inquis, *bono bene vtitur; qui modum non tenet, bono malè vtitur: qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, bono melius non vtitur. Confidentia quippè suæ salutis*, inquis, *& roboris, contempsit remedia, vt gloriosa posset exercere certamina.* Ego verò sic ad tua ista respondeo. Concupiscentiæ carnalis qui modum tenet, malo benè vtitur; qui modum non tenet, malo malè vtitur: qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, malo melius non vtitur. Confidentia quippè diuinæ opitulationis & muneris contempsit

tempsit infima remedia, vt gloriosiora posset exercere certamina. In hac cõtrouersia de bene vtendo isto, vtrum bono an malo, tota inter nos causa versatur. In qua vellem quidem egregios iudices non repudiares, quos tibi meis superioribus libris sana doctrina eruditos, sine vllo studio partium, de hac causa sententias protulisse monstrauì. Sed quoniam si te non correxeris, ipsorum quoque accusationẽ, vel, vt mitius dixerim, reprehensionem sine dubio præparabis; te potius vtar iudice, pro mea sententia contra tuam, non alicubi alibi, sed in eodem libro tuo, nec eius alio, sed eo ipso loco. Dixisti enim *sanctam virginitatem cõfidentia suæ salutis & roboris, contempsisse remedia, vt gloriosa posset exercere certamina.* Quæro quæ remedia cõtempserit? Respondebis nuptias. Quæro, Ista remedia cõtra quem morbum sunt necessaria? Remedium quippè à medendo, id est, à medicando nomen accepit. Simul itaque videmus ambo remedium nuptiarũ. Cur laudas tu libidinis morbum, quo peruenirì cernis ad mortem, si ei non resistat, aut continentiæ retinaculum, aut coniugale remediũ? Iam hoc & superius egi tecum, vbi disertissimè pudicitiam coniugalem inter lasciuientes & continentes ita posuisti, *quæ verecundis manibus & consouet æstuantes, & laudat tali remedio non egentes.* Eadem itaque repeto. Iterum audi quod illic tibi breuiter dilucideque respondi. *Quando ego istam concupiscentiam morbum esse dico, quare tu negas, qui tamen ei necessarium remedium confiteris? Si agnoscis remedium, agnosce morbum. Si negas morbum, nega remedium. Rogo cede aliquando etiam per os tuum tibi loquenti veritati; nemo prouidet remedium sanitati.* Quæ sunt autem *sanctarum virginum*, sicut appellas, *gloriosa certamina*, nisi quia non vincuntur à malo, sed vincunt in bono malum? Quæ non gloriosa ego, sed gloriosiora dicere malui. Habet enim palmam de huius mali subiectione, quamuis minorem, pudicitia etiã coniugalis. Belligerat enim etiam ipsa contra carnalem cõcupiscentiam, ne limites thori nuptialis excedat: belligerat, ne definitum ex consensu coniugum orandi tempus irrumpat. Et si tantas vires habet ista pudicitia cõiugalis, tantumque Dei donum est, vt faciat quod præteribunt tabulæ matrimoniales, in ipso quoq; thoro coniugali conflictu fortiori belligerat, ne vltra quàm generandis filiis sãtis est, etiam ipsum cõiugis corpus attractet. Talis pudicitia nec menstruatis, nec grauidis vtitur feminis, nec eius ætatis, qua certum est eas iam concipere non valere. Nec eam prorsus concumbendi vincit affectus, sed tunc relaxatur, cùm speratur generationis effectus. Si quid verò fit in cõiuge, nõ quidem contra naturam, sed tamẽ quod tabularum matrimonialium limitem transeat, veniale apud Apostolum reperitur, quia nequaquam limes coniugalis carnis exceditur, sed tamen vt etiam ipse non excedatur, contra malum concupiscentiæ dimicatur. Quod vsqueadeò malum est, vt ei ne noceat pudicitiæ certa-
D mine resistatur: & tu, nisi fallor, in isto es certamine constitutus. Et quia te fideliter pugnare existimas, vinci times. A quo quæso te vinci times? A bono, an malo? An fortè à me vinci times, vt adhuc malum neges, & tanquam bonum laudes, à quo vinci times? Inter duos aduersarios constitutus in magnas coartaris angustias, & me vis vincere per eloquentiam, & libidinem per continentiam, sed pugnando aduersus eam confiteris malum, laudando eam deseris veritatis bonum. Sed ego te vinco, & expugnatorem & laudatorem mali, constituens te ante iudicem nõ alium, sed teipsum. Vis enim vincere concupiscentiam expugnatione eius, me verò laude eius. Sed ego respondeo: Vt vincatur qui laudat, iudicet qui pugnat. Si enim malum est, cur laudat? Si bonum est, cur expugnat? Si autem nec bonum nec malum est, vt quid

Iulianum propriis verbis conuincit.

Alludit ad verba Ambros. cap. 8. lib. de Isaac & anima.

Remedium qui fateatur, morbum agnoscat.

Cap.15.

Coniugatorum contra concupiscentiam pugna.

Coniugalis pudicitia perfectè quæ.

1.Corinth.7.

Quia contra cõcupiscentiam pugnandum, clarũ est, malum esse.

A laudat? vt quid expugnat? Quandiù igitur expugnator libidinis eris, tamdiu pro me contra teipsum iudex eris. An fortè aduersus libidinem non certabis, ne in isto quod mecum habes certamine superetis, dicens tibiipsi, Melius non pugno, quàm ostendo pugnando malum esse quòd laudo. Noli obsecro te. Quid enim sum ego, quem pro magno desideras vincere? Vincat te potius veritas, vt tu libidinem vincas. Nam si aduersus eam pugnare desiteris, vincẽris, vincieris, & ad immunda omnia pertrahẽris. Quod cùm sit horrendum malum, nec ad hoc quod desideras tibi proderit; etiam sic enim vinceris à me: imò ab ipsa, quam prædico, veritate. Sed concupiscentiæ debellator etiam tuo iudicio vinceris; cùm id malum laudas, de cuius debellatione gloriaris. Si autem ne certamine dimicantis vincatur lingua laudantis, pugnare iam desinis, captiuum concupiscentiæ, desertorem continentiæ vincam, non iam suo,
B sed iudicio sapientiæ. Causa itaque nostra finita est. Quantumlibet enim laudes concupiscentiam carnis, quamdiu pugnas aduersus eam; cernis quàm verum de illa, nec nisi de illa dixerit Apostolus Ioannes, 1.Ioan.2. quòd non est à patre. Nam si, vt dicis, *qui modum eius non tenet, bono malè vtitur*, etiam in malè vtentibus bonum est ipsa. Quæ igitur est illa, quæ non est à patre? An etiam ipsam quomodolibet intelligas, laudare disponis? Porrò si malum est ipsa, vbi erit quando erit, quandoquidem ista etiam si malè quisque vtatur, bonum erit. Nec ipsa, vt dicis, sed ille erit malus, qui bono vtitur malè, ac per hoc frustra dixit Ioannes concupiscentiã carnis non esse à patre. Hanc enim tu bonã, & ob hoc à patre esse contendis, etiam cum ea quisque malè vtitur, quia bono malè vtitur. Nec dicere poteris, quando moderata est, à patre est; quando immoderata est, non est à patre; quia & tunc, vt dicis, bonum est, quo malè vtitur malus. Sed ab his
C angustiis liberaberis, si credideris non linguæ tuæ, sed pugnæ tuæ. Continentia est enim à patre, qua non expugnaretur concupiscentia, nisi non esset à patre. Hæc ipsa ergo contra quam si continenter vinis, acriter pugnas, non est à patre. Non enim contra eam pugnares, nisi repugnaret. Nec verò repugnaret tibi agenti quod donatur & amatur à patre, si esset à patre. Ex ista & cum ista nascitur homo, bonũ Dei opus, non sine malo, quod trahit origo generationis, & sanat gratia regenerationis. Ac per hoc rectè à me dictum est, *ita nuptiarum bonum malo originali,*
Lib. de nup. & concup.cap.2. *quod inde trahitur, non potest accusari; sicut adulteriorum & fornicationum malum, bono naturali, quod indè nascitur, non potest excusari.* Bonum enim naturale dixi, quod mecum ipse collaudas; malum autem originale dixi, cuius moribus mecum repugnas, & cuius contra me laudibus pugnas. Hoc non est malum, quòd natus es, sed cum quo natus es, & con-
D tra quod spiritaliter dimicas, quia renatus es. Quod natus es, pertinet ad Dei conditionem, & parentum fœcunditatem; contra quod autem dimicas, quia renatus es, pertinet ad præuaricationem, quam diaboli astutia seminauit, vnde te Christi gratia liberauit: vt prius hoc malo bene vtereris in coniuge, nunc illi aduerseris in te, non iam reus ex illo, sicut eras natus, sed ab eodem reatu non erutus, nisi quia renatus: vt possis redemptus regnare cum Christo, si tamen ista hæresis non te faciat perire cum diabolo. Sed, quod potius cupimus, confitearis malum, contra quod bellum geris, vt eo non ita separato, quasi alia natura sit, sed in te omni ex parte sanato, in perpetua pace læteris. Non igitur sum *pharmacopolæ similis*, vt dicis, *qui promittebat bestiam, quæ se-*
Pharmacopolæ, bestiam promittẽs quæ seipsam comesset. *ipsam comesset:* sed obserua ne bestialis iste motus, contra quem videris in tua carne confligere, sicut te peruertit

uertit laudatus, sic te consumat postea relaxatus. Non enim vt calumniaris, ego dixi *nuptias & magnum bonum, & magnum malum*, tanquam eo modo seipsam comedat ista sententia: sed dixi in vno homine naturam bonam, vitium malum: quod esse tuipse certè in adulteris confiteris, nec propter eorũ naturam approbans naturam, nec propter eorũ naturam approbans vitium. Bonum dixi nuptias ex quibus es natus; malum autem non de nuptiis, sed de vitiata origine attractum, contra quod geris bellum renatus. Ridiculum est autem, quod me dicis *Epicuri vias gradientem, habenas omnes, quibus cupiditates frenantur, incedere*. Quid si ego laudarem corporis voluptatem? hoc enim tu satis eloquenter facis, quod inerudirè atque impolitè faciebat Epicurus, quasi propterea sis eius aduersarius, quia disertè dicere non nouerat ille, quæ dicis. Rursus vt sentio laboraturus es, quomodo te ostendas, & laudatorem voluptatis esse, & Epicureum non esse. Sed noli laborare, ego te ista cura liberabo. Non es Epicureus, quia ille totum hominis bonum in corporis posuit voluptate, tu autem magnam partem humani boni ponere in virtute conaris, quam veram, id est, veræ pietatis ignoras. Dixit enim homini Deus, Ecce pietas est sapientia. Et hæc vnde hominì, nisi ille det de quo scriptum est, Dominus sapientes facit cæcos, & de quo item legitur, Si quis indiget sapientia, postulet à Deo. Verùm si non tu es Epicureus, qui ex illo aliquam partem in voluptatis laude sumpsisti, quanto minus ego, qui de voluptate carnis hoc sentio, quod sentit Ambrosius: *inimicam scilicet esse iustitiæ, & quod homo concupiscentiæ voluptate concretus, priùs quam nascitur subeat contagia delictorum*. Quod autem ad mores pertinet nostros, quemadmodum viuamus, in promptu est eis, cum quibus viuimus. Nũc de catholico agitur dogmate ac fide: perfidia non sit desertoris in te. Nam tua me non terret, velut lingua censoris. Fateor me docere homines, quod in apostolicis literis didici, quia si dixerimus quod peccatũ non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Fateor me in populo, & cum populo Dei pectus tundere, & veraciter dicere: Dimitte nobis debita nostra. Nec insultetis hinc nobis. Inde quippè estis hæretici, quia hæc displicent vobis. Nos in Dei vera misericordia, vos in vestra falsa virtute confiditis. Vos gratiam Dei secundum merita vestra dari dicitis, quod tamen nisi damnasset Pelagius, à catholicis Episcopis damnaretur. Nos verò eam gratis dari, & propterea gratiam nuncupari, & ex illa esse omnia sanctorum merita confitemur, dicẽte Apostolo, Gratia Dei sum, id quod sum. Ideo nos irridetis, & præ vobis alta ceruice contemnitis. Facti enim sumus opprobrium iis qui ambulant, & despectio superbis. Consilium quippè inopis confudistis, cum Dominus spes eius est. In hac tamen re, vnde nunc agimus, non video cur dicas *me habenas omnes, quibus cupiditates frenantur, incidere*, qui omni virtute secundum gratiam Dei, quæ datur hominibus, omnes cupiditates frenandas esse decerno. Sed abs te quæro, vtrum bonæ an malæ sint istæ cupiditates, quas esse frenandas prædicas, & velut à me relaxentur, accusas? Puto enim non eas equorum vel quorumcunque animalium præter nos esse, sed nostras. In nobis sunt ergo malæ cupiditates, quas bene viuendo frenamus. Habenas igitur, quibus non bonæ, sed malæ frenantur cupiditates, me præcidere criminaris. Harum est vna concupiscentia carnis, ex qua & cum qua nascuntur, & propter quam renascuntur infantes. Eo malo coniuges castos dico bene vti, adulteros malè: tu contrà eo bono adulteros dicis vti malè, castos coniuges bene: continentiam melius eo non vti ambo dicimus, sed ego eo malo, tu eo bono. Ac per hoc, quamuis Deo nostra

Lib 2 de nup. & cõc. cap. 23.

Iulianus Augustinum Epicureũ appellat.

Iob 28

Psalm. 145.

Iac. 1.

Ambros. lib de Para. cap 12. & lib. de philosophia. Vterque locus suprà citatur ad longũ lib. 2. contra Iulia. cap. 5 & 6.

1. Ioan. 1.

Matth. 6.

1. Cor. 15.

Psal. 122. & 13.

Iterum Iulianus verbis suis capitur.

conscientia, conuersatio verò etiam hominibus, inter quos viuimus, nota fit, tamen ambo cõtinentiam profitemur. Et si quod profitemur agimus, istam concupiscentiam profecto ambo frenamus, aduersus eius repugnantes motus ambo bellamus, ambo eam si proficimus debellamus. Verum hoc interest, quod ego dico me malum frenare, tu autẽ te bonum. Ego dico mihi malum repugnare, tu tibi bonum. Ego bello aduersus malum, tu aduersus bonum. Ego cupio malum debellare, tu bonum. Vnde putari potest, quod istam concupiscentiam magis incitare laudando, quàm frenare studeas continendo. Gloriosa te per continentiam profiteris exercere certamina. Contra quid rogo? Quid dicturus es, nisi contra carnis concupiscentiam? Sed vtrum amicam, an aduersariam? Nunquid nisi aduersariam respondebis? Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur, sicut Apostolus testis est. Fortasse ergo eam laudare te fingis, si pugnare non fingis. Nam quomodo fideliter simul agas duo ista, non video, vt & laudes velut amicam, & expugnes velut inimicam. Vnum eorum credimus, sed elige quid credamus. Si ex animo pugnas, non ex animo laudas. Si autem simpliciter agis in præconio, colludis in prælio. Ego sanè quia inimicus tibi non sum, sicut inimicum tibi est illud, quod habitat in carne tua malum, quamuis potissimum cupiam, vt hoc malum & doctrinæ sanitate vituperes, & vitæ sanctitate debelles; tamen ex his duobus, quorum putari potes vnum ex animo facere, alterum fingere; malim te fallaciter laudare concupiscentiam, quàm fallaciter impugnare: Tolerabilius enim lingua tua, quàm vita mentitur; tolerabilius sententia, quàm continentia simulatur. Fingis quippe laudem, qua fis aduersarius sententiæ meæ, si non fingis castitatem, qua es aduersarius concupiscentiæ tuæ. Ita fiet, vt ne contra me diutius proferas fallaciter verbum, si veraciter geris contra libidinem bellum. Sed siue vnum horum fingas, siue vtrunque, (quod nescio quemadmodum possis ex animo facere, id est, sine vlla simulatione, & pugnes contra quod laudas, & laudes contra quod pugnas) ego tamen id quod est mitius de te credens, velut cum debellatore libidinis ago, & nuptias non dico malas, sed bene vti malo, quas tu dicis bene vti bono, bonam esse dicens concupiscentiam carnis, quam tamen in te debellando malum esse conuincis. Quomodo autem cum illa etiam, qui ea bene vtuntur, belligerẽt coniugati, iam superius disputaui.

Tolerabilius est lingua labi, quã mentiri.

Galat. 5.

CAP. XXII. Quae cum ita sint, & coniugium bonum inquantum coniugium est, & homo siue de coniugio, siue de adulterio nascatur, inquantum homo est, bonum est: quia inquantum homo est, opus Dei est: & tamen quia cum illo & ex illo malo generatur, quo bene pudicitia coniugalis vtitur, necessarium illi est, vt ab eius mali nexu regeneratione soluatur. Quid ergo ex me quæris, *vbi sit originale malum*, cum in teipso verius tibi loquatur libido, contra quam pugnas, quàm tuipse, quando eam laudas? Quid quæris, *vnde sit homo sub diabolo, quẽ Deus fecit?* Vnde enim est in morte, quam Deus non fecit? *Quid ibi cognoscit*, inquis, *diabolus suum, si nec quod factum, nec vnde factum est, ipse condidit?* Planè quod factum est, homo est. Vnde factum est, semen est hominis, vtrunque bonum est, nihil horum diabolus condidit, sed vitium seminis ipse seminauit. Non ibi cognoscit suum bonum, quia non est eius, quod ambo laudamus; sed cognoscit suum malum, contra quod ambo pugnamus. Nec rectè laudatur ab altero nostrum, cõtra quod ab vtroque pugnatur. Vide sanè, quemadmodum quæras à me *inter tot bona, vnde sit in paruulis malum*, & taceas quod ego posui

Lib. 2. de nup. & cõcup. cap. 19.

Lib. 2. de nup. & cõcup. cap. 5.

posui in eodem libro, cui respondes, & inter ipsa verba, quibus nunc respondes, quod ait Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in oẽs homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Hoc enim non vis vt audiant vel legant homines isto loco, vbi maximè opus erat, ne agnoscant fidem suam, & contemnant argumentationem tuam.

Rom. 5.

CAPVT XXIII. Definisse me dicis, *hominem, si de fornicatione nascatur, reum non esse: si de coniugio, innocentem non esse*. Hæc verò nimia est, & aperta calumnia. Imò definiui hominem vndecunque nascatur, secundum catholicam fidem quam patres contra vos antequam nasceremini euidentissimè defenderunt, & innocentem esse per nullum proprium, & reum per originale peccatum. Naturæ autem substantiam, cuius author est Deus, etiam in grandibus esse peccatoribus bonã, qui vtique propter peccata etiam sua propria mali sunt, quæ illi malo cum quo nati sunt addiderũt. Cur autem timerem, ne mihi obiiceretur vt dicis, *quia peccata omnium parentum, omnibus filiis imputarem:* cum etiam si hoc verum sit, (non quantum attinet ad viuentes iam suæ voluntatis arbitrio, sed quantum attinet ad nascentes) nullo modo naturæ substantia malum esset, cuius author est Deus, sed ea quæ insunt ei vitia, contra quæ tu quoque vt verbis tuis vtar, *exerces gloriosa certamina?* Sicut autem, quemadmodũ dicis, *quando adulteri gignunt, nascitur homo de virtute seminum, non de turpitudine flagitiorum:* ita quando coniuges gignunt, nascitur homo de virtute seminum, non de honestate nuptiarum. Aut si hic de vtroque, & ibi de vtroque: fructus autem nuptiarum est, quãtum ad ipsas prorsus attinet nuptias, non hominum generatio, qui possunt etiam de adulteris nasci, sed ordinata susceptio filiorum. Cur ergo sententiæ meæ pars falsissima est, qua dixi, *nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari:* cum eo malo, contra quod pugnas, bene vsi fuerint coniugati vt nascereris, & hoc inde abs te tractum reum te teneret, nisi renascereris? Itaque nec accusandi sunt coniuges, qui bene vtuntur malo; & regenerandi sunt filij, vt liberentur à malo. Si enim nuptiarum bonum non esset, nisi bonus vsus boni; tunc mirandum esset, quomodo inde traheretur malum: cum verò sit bonum, nuptiarum bonus vsus mali; quid mirum si de ipso malo, quo bene vtitur bonitas nuptiarum, trahitur malum quod est originale peccatum? Illud mirabile est, quòd cum essent Apostoli bonus odor Christi, trahebatur inde bonum, trahebatur inde & malũ. Aliis enim erant odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, cum odor ille non esset vsus mali, sed boni. Ideo quippè bonus odor erant Christi, quia bene vtebantur gratia Christi. Falsum est igitur quod dixisti, *si malum inde trahitur, accusari potest, excusari non potest:* quia trahitur inde originale malum, cum trahitur inde etiam bonum, ordinata scilicet propagatio filiorum. Nec malũ illud inde ideo trahitur, quia bonæ sunt nuptiæ: sed quia in bonis earũ est etiam vsus mali. Non enim copula nuptialis, sicut putas, propter carnis concupiscentiam, sed propter bonũ, quod de isto malo fit, instituta est. Quod quidem bonum sine isto malo fieret, si nemo peccasset. Nunc ergo sine isto malo esse non potest, sed non ideo malum est. Sicut econtrario, nullum malum sine aliquo bono esse potest, nec ideo bonum est. Opus enim Dei bonum est in natura, sine quo tamen esse non potest voluntas mala. Ac per hoc, sicut adulterium non potest esse sine bono naturæ, nec ideo bonũ est: ita connubium non potest esse sine malo cõcupiscentiæ, nec ideo malum est. Quapropter etiam si tibi concedatur, *omnem causam mali esse expertem boni*, nihil hinc refertur ad nuptias, quæ nõ sunt causa mali. Neq; enim concupiscentiæ malum, nuptiæ fecerunt; sed quo bene vterentur paratum inuenerunt.

Nuptiarum fructus ordinata filiorum susceptio.

Lib. 2. de nup. & cõcup. cap. 1.

2. Corinth. 2.

Lib. 2. de nup. cap. 26.

Lib. 2. de nup. & cõcup. cap. 5.

CAPVT XXIIII. Non *euadit*, inquis, *res illa supplicium, cuius participatione etiam alia trahunt reatum*. Hoc si de concupiscentia carnis sentis, non absurdè sentis. Hoc enim malo bene vtuntur fideles cõiugati, & ex hoc qui generantur reatum trahunt, ideoque & ipsi regenerandi sunt. Id autem malum non euadit supplicium, hoc est enim eius supplicium, vt cum generatis si regenerati non fuerint, puniatur; in regeneratis autem, cum ex omni parte sanati fuerint, consumatur. *Si trahitur*, inquis, *& de nuptiis originale malum, causa mali est conuentio nuptiarum*. Quid si alius dicat, si trahitur de natura voluntas mala, causa mali est constitutio naturarum; nónne falsissimum est? Sic ergo & quod ipse dixisti; quamuis originale malum non de nuptiis trahatur, sed de carnali concupiscentia, contra quod malum & ipse confligis; quo malo coniugati bene vtuntur, si sola coniuges propagationis gratia misceantur; & si peccatum non præcessisset, quod in omnes homines pertransiit, nec fuisset profectò malum quo bene vterentur, & tamen vt procrearent filios, miscerẽtur. De arboribus autem bona & mala, quantum erraueris, puto me satis demonstrasse in primo huius operis libro. Et cum eosdem nodos repetas, qui iam soluti sunt, non est in superfluis immorandum. Quæris *per quid peccatum inueniatur in paruulis*; & enumeras multa bona, tacens de malo, contra quod pugnas, sed cum taces clamas: *Parentes*, inquis, *qui conuentu suo causam fecere peccato, iure damnabiles sunt; quorum labore actum est, vt ad dominatum exercendum in homines diabolus peruenire t*. Potes hoc & ipsi Deo dicere, non dico, quia creat homines trahentes originale peccatum, quia id tu negas; sed quia nutrit & vestit innumerabiles impios, etiam quos nouit in ipsa impietate mansuros. Quod profectò si non fecisset, seruos homines diabolus non haberet. Sed forsitan dicas: Deus in eis pascendis non attendit, nisi bonum, cuius ipse author est, quo homines sunt. Sic ergo & parentes in filiis gignendis, non attendunt nisi bonum, quod homines sunt, maximè nescientes quales futuri sunt. Nempe quòd etiam tu confiteris, peccatum nullum esset, si nulla præcessisset voluntas mala: quia & originale peccatum, quod nos dicimus, vos negatis, nullum esset vtique nisi natura ex primi hominis mala voluntate vitiata. Sed nulla esset etiam voluntas mala, si nulla præcessisset natura, vel angelica, vel humana. Nunquid propter hoc Deum causam dicturus es peccatorum, quia voluntas eius causa est mutabilium naturarum? Sicut ergo creanti Deo non imputatur, quod rationales naturæ à bono deficiunt, sed quod bonum sunt: sic parentibus gignentibus & malo concupiscentiæ bene vtentibus, non imputandum est, quòd cum eo malo filij nascuntur, sed quod bonum sunt. Non autem ideo sicut putas, *à diabolo ducitur origo nascentium*, inquantum homines sunt, quia dicitur à diabolo esse origo peccati, sine quo nullus nascitur hominum. Neque enim quia origo mortis à diabolo est, ideo ab illo est origo mortalium. *Rimam* quæris *inter tot innocentiæ præsidia, qua potuerit intrare peccatum*; cum tibi ostendat Apostolus Paulus, non rimam, sed apertissimam ianuam, dicens: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit. Sed hæc tacens verba, dicis tua, *quia per opus Dei, opus diaboli transire non sinitur:* cum homines sint opus Dei, peccatum autem opus diaboli, quod dicit Apostolus in omnes pertransisse. Clamas, *si natura per Deum est, non potest in ea esse originale malum*; quasi non alius religiosius

Lib. 2. de nup. & cõcup. cap. 1.

Lib. 2. de nup. & cõcup. cap. 28.

Rom. 5.

Supra lib. 1 cõtra Iul. cap. vlt.

Lib 2 de nup. cap. 29.

Occupatio.

Responsio.

Peccandi potestas non est homini à Deo.

ligiosius sibi clamare videatur; Si natura per Deum est, non potest ex ea nasci vllum malum, aut non potest in ea esse vllum malum. Et tamen falsum est, quia nec oriri malum potest, nisi ex natura; nec vbi sit habet, nisi fuerit in natura. Cõfiteor igitur opus Dei esse qui nascitur, etiam trahens originale malũ; quoniam quod in illo Dei opus est, bonum est: quia bonum est opus Dei etiam cum malo, non solum in paruulis, verumetiam in quibuslibet ætatibus, hoc est, substantia, forma, vita, sensus, ratio cęteraque omnia bona, etiam in quocunque homine malo. Quis autem operatur vt viuat homo, nisi in quo viuimus, mouemur & sumus? Id autem operatur occulto quodam opere beneficentiæ suæ, exceptis alimentis perspicuis, quibus extrinsecus sustinemur. Qui ergo operatur vt viuat homo, quamuis conuersatione vitiosa; ipse operatur vt nascatur homo, quamuis origine vitiata.

Malum nisi ex natura bona oriri non potest.

Actor. 17.

CAP. XXV. Quid est autem quod propositis aliis ex libro meo verbis meis fingis, quod dixerim *aliam fuisse nuptarum institutionem ante peccatum Adæ, quæ sine concupiscentia, sine motu corporum, sine necessitate sexuum esse potuissent?* Detrahe nuptiis concupiscentiam, qua caro concupiscit aduersus spiritum, detrahe malum contra quod pugnas, gloriosa exercens continentiæ virtute certamina; & non opus est vt cætera detrahas, si nuptias quæris, quales ante peccatum primorum hominum esse potuerunt. Sine motu enim corporum, & sine necessitate sexuum, quis vnquam vllas nuptias cogitauit? Sed bellum quod in se casti sentiunt, siue continentes, siue etiam coniugati, hoc dicimus in paradiso ante peccatum nullo modo esse potuisse. Ipsæ ergo etiam nunc sunt nuptiæ, sed in generandis filiis tunc nullo malo vterentur, nunc concupiscentiæ malo bene vtuntur. Quo malo sua bona non perdiderunt in castitatis fide, in coniunctionis fœdere, in propaginis germine. Adhæreret ergo tunc etiam vir vxori vt gignerent filios; non tamen haberent in carne motum libidinis turbidæ, sed tranquillæ tantummodo voluntatis, quam spectamus in cæteris membris. Arguis me, quòd *eos paruulos qui mundum impleuerunt, pro quibus Christus mortuus est, diaboli opus & de morbo natos, & ab exordio reos desiniam*. Paruuli opus diaboli substantialiter non sunt, sed opere diaboli originaliter rei sunt. Et ideo Christus, quod & ipse confiteris, etiã pro paruulis mortuus est, quia & ad ipsos pertinet sanguis, qui in remissionem fusus est peccatorum. A quo illos sanguine facitis alienos, cum eos negatis trahere originale peccatum. Nec succenseas, quòd concupiscentiam dixi morbum, cui & tu confessus es prouisum fuisse remedium. Exordium verò paruulorum, ex quo nascerentur, in Adam fuit; quo per peccatum vitiato atque damnato, alterum eis Christus, ex quo renascerentur, instituit.

Lib. 2. de nup. cap. 31.

Bona nuptiarũ.

Lib. 2. de nup. cap. 33.

CAP. XXVI. Si *ante peccatum*, inquis, *per Deum creatum est vnde homines nascerentur, per diabolum autem vnde parentes commouerentur; ascribitur sine dubio sanctitas nascentibus, & culpa generantibus*. Quid dicis, *parentes commouerentur?* Si pietate voluntatis, qua optat filios quisque suscipere; & hoc per Deum institutum: si autem perturbatione libidinis, cui nec excitandæ nec auferendæ sufficit voluntatis arbitrium; naturæ vulnus est de præuaricatione, quam diabolus persuasit, inflictum. Rectè itaque à me dictum est, *fieret sine isto morbo seminatio filiorum in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis huius.* Quod autem argumentaris *ad bonum fœcunditatis paruulos pertinere*, quæ Dei benedictione ante morbum libidinis instituta est, non ad ipsum libidinis morbum, qui postea peccantibus accidit, *atque ideo sanctitatem ascribendam esse nascentibus, & generantibus*

Lib. 2. de nup. cap. 34.

Lib. 2. de nup. cap. 1.

Lib. 2. de nup. cap. 25.

A *culpam:* non attendis peccato illo magno, vniuersam in deterius mutatam fuisse naturam, vnde fuerat propago ducenda. Sic enim posses dicere Euam solam, non cæteras fœminas dolores parturitionis sentire debuisse: quoniam benedictio qua dictum est: Crescite & multiplicamini, & replete terram: ex qua filij procreantur, antè facta est, quàm fuisset muliebris sexus illa maledictione punitus. Sed si hoc dixerimus, vtique respondebitur sicut ex peccato illo, ita & ex maledicto in peius totam mutatam fuisse naturam, vnde trahitur originale peccatum, & iugum graue super filios Adam. Non enim sicut tu argumentaris, *Iudæum sub lege positum describebat Apostolus dicentem: Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea bonum: &, Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: &, Mihi malum adiacet: &, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ:* sed describebat humanam in hac corruptibili carne natu-

Gene. 1. 3.

Consule lib. de gratia Christi, cap. 39. & lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 10.

Roman. 7.

B ram, non opere Dei cum vitio primitùs institutam, sed ex voluntatis arbitrio veniente priorum hominum vitio sauciatam. Cuius enim vox est: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Nunquid Iudæi? Absit, sed sine dubitatione Christiani. Eius ergo voces sunt etiam illæ superiores, ex quibus hæc consequenter expressa est. Ipse enim dixit: Gratia me liberabit de corpore mortis huius per Iesum Christum Dominum nostrum, qui dicebat: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Sed ne fortè istam catechumeni existimes vocem, lauacrum regenerationis adhuc sperantis, post quod lauacrum nullam legem peccati resistentem legi mentis, habiturus esset in membris, (quanquam tuipse, si quid de te tibi credimus, aduersus huius concupiscentiæ malum, per cõtinentiæ bonum, gloriosa certamina post lauacrum regenera-

C nis exerceas) recole tamen quid scribat ad Galatas, certè homines baptizatos. Dico autem, inquit, spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perfeceritis. Non ait, ne feceritis: quia eas non habere non poterant; sed, ne perfeceritis: id est, ne opera earum, consensu voluntatis impleatis. Caro enim, inquit, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur, vt non ea quæ vultis faciatis. Vide si non hoc est ad Romanos: Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Deinde ad Galatas addit & dicit: Quod si spiritu ducimini, non adhuc estis sub lege. Vide si nõ hoc est ad Romanos: Iam non ego operor illud: &, Condelector legi Dei secundum interiorẽ hominem: &, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis eius. Si enim non obediatur cõcupiscentiis, quas necesse est esse in carne peccati, atque in corpore mortis huius, non perficietur, quod perfici

Galat. 5.

Roman. 7.

Roman. 6.

D verat Apostolus dicens: Concupiscentias carnis ne perfeceritis. Ipsæ quippe sunt opera, de quibus totum mirè sequitur, & dicit: Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum seruitus, & cætera. Si ergo non cõsentiatur concupiscentiis carnis, quamuis agãtur motibus, non tamen perficientur operibus. Proinde cum caro concupiscit aduersus spiritũ & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ volumus faciamus, nec carnis perficiuntur concupiscentiæ, quamuis fiant: nec nostra perficiuntur bona opera, quamuis fiant. Sicut enim tunc perficitur carnis concupiscentia, cum consentit ei spiritus ad opera mala, vt non concupiscat aduersus illam, sed cum illa: sic & bona opera nostra tunc perficientur, quando ita spiritui caro cõsenserit, vt aduersus eum etiam ipsa non concupiscat. Hoc enim volumus, cum perfectionem iustitiæ concupiscimus: sed

Carnis concupiscentia quando perficiatur.

sed quia id perficere in ista corruptibili carne nõ possumus, ideo dixit ad Romanos: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Vel sicut habent codices Græci, Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non: id est, non mihi adiacet perficere bonum. Non ait facere, sed perficere bonum, quia facere bonum, est post cõcupiscentias non ire. Perficere autem bonum, est non concupiscere. Quod ergo est ad Galatas: Concupiscentias carnis ne perfeceritis: hoc econtrario est ad Romanos: Perficere autem bonum non inuenio. Quia nec illæ perficiuntur in malo, quando eis non accedit nostræ voluntatis assensus: nec nostra voluntas perficitur in bono, quamdiu illarum cui non consentimus permanet motus. Ipse autem conflictus in quo etiam baptizati velut in agone decertant, cum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vbi & spiritus facit bonum opus, non consentiendo concupiscentiæ malæ, sed non perficit, quia ipsa mala desideria non abs-

Roman. 7.

Galat. 5. Facere & perficere bonum.

B mit: & caro facit malum desiderium, sed nec ipsa perficit, quia non sibi consentiente spiritu, & ipsa ad opera damnanda non peruenit. Iste ergo conflictus non Iudæorum, nec quorumlibet aliorum, sed planè Christianorum fidelium, & bene viuendo in hoc certamine laborantium, breuiter ostenditur ad Romanos vbi ait: Igitur ipse ego mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Si ergo hæc est conditio in corpore mortis huius, quæ vtique non fuit in paradiso, in corpore vitæ illius; proculdubio satis euidenter apparet, vnde trahant paruuli obligationem peccati, cum carnaliter nascuntur, quæ non soluitur nisi cum spiritualiter renascuntur. Non enim hanc trahunt ex opere, quo humanam Deus naturam fecit; sed ex vulnere, quod naturæ humanæ hostis inflixit. Non hostis secundum Manichæos prosiliens ex natura mali, quam non condidit Deus; sed hostis angelus quondam ex opere Dei bonus, ex opere suo factus

Angelus factus à Deo bonus.

C malus. Qui se primum vulnerando prostrauit, vt elisus elideret, & per malam suasionem præuaricationis vulnus infligeret, vnde genus humanum etiam in his, qui viam Dei ambulant, claudicaret. Et tamen succenses mihi quia dixi, *Hæc enim quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia*, & iratus impudentius multa dicis, vos extollens, *tanquam qui scripturis sanctis, & rationi certissimæ congruentes; eo proposito non esse in natura malum defendatis, vt ad virtutum studia homines incitetis; inculcantes nullum culmen ita arduum esse virtutis, vt non ad illud adiuuante Deo mens queat fidelis euadere. Atque ob hoc dicatis, non esse in carne mali necessitatem, vt erubescat vnusquisque laudabiliter conditus, deformiter viuere, ac sic pudor turpi occurrat ignauiæ de commendatione nobilitatis ingenitæ:* & cætera huiusmodi, quæ satis eloquenter in vestra prædicatione iactasti, nos contrà deprimens & dicens: *quod dubium non sit euersionem sanctitatis, contaminationem pudicitiæ, morum labem nostris conuenire, imò inesse dogmatibus: neque id esse me negaturum, qui ideo* D *sicut dicis, in naturæ inuidiam malæ conuersationis sordes refundo, vt peccantibus metum demam. quorum obscœnitates, Apostolorum & sanctorum omnium consolor iniuriis, eo quòd vas aureum Apostolum Paulum sæpè dixisse commemorem: Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio:* & cætera huiusmodi. Veruntamen vos laudans, nos arguens, aduersus concupiscentiæ malum pugnas, & pugnando confiteris, quod loquendo negas. Atque ita vis videri culmen ascendisse virtutis, vt in ipso culmine, quò te existimas euasisse, cum persequente concupiscentia, tanquam in arce confligas, & quantumlibet ex loco superiore, tamen cum hoste interno dimicare non desinas. Nec erubescis concupiscentiam, quę te amplius perdet sine dubitatione si vicerit, laudare aduersus eum, qui te perditum etiam cum vincit, inquirit: maximè quia in fine eiusdem libri tui dicis, *quod non sit alia mei sensus intentio, quàm ad inferendum virtutibus bellum, in vitiorum sacramenta iurare, & ad excidium ciuitatis Dei, omni æstu, omni furore conniti, adipiscendæ castitatis desperatione, repugnantes turpitudini territare, mentiri tantas obscœnæ libidinis vires, vt eam ratio regere ac frenare non possit; cui nec Apostolorum legio repugnauerit.* Hæc de me prorsus ipse mentiris. Ego enim non inferò virtutibus bellum, sed vitiis; quantum adiuuor infero, & inferendum esse proclamo. Quod si & tu facis, quid est quod laudas, cum quibus pugnas? Quomodo virtute hostes debellare te credam, quos verbo laterare non audes? Si ambo concupiscentiam debellamus, quare non ambo vituperamus? Quam te iactas expugnare continentia, quare non vis damnare sententia? Mentiri me dicis tantas libidinis vires, vt eam ratio regere ac frenare non possit. Ecce ego non dico tantas libidinis vires, vt humana ratio diuinitus accẽsa & adiuta, eam regere ac frenare non possit. Sed tu quare negas malum esse, quod si non frenetur occidit? Ecce ego voce qua possum, quod me negare asseris clamo: Apostolorum legionem repugnasse libidini, vtique pugnanti. Tu qui nos fecisse Apostolis calumniaris & velut indignaris iniuriam, cur & illorum & tuam exornas laudibus inimicam? Quis eam defendat, cui legio repugnauit Apostolorum, nisi hostis Apostolorum? Itáne habere tecum libido & amicitiam meretur & bellum, vt abs te & expugnetur in te, & defendatur aduersus me? Bellum vestrum latet, amicitia patet. Ex hoc quod patet, suspectum facis esse quod latet. Quid enim vis credamus de bello, quod gestis in operto, quorum amicitiam cernimus in aperto? Quomodo vis vt arbitremur aduersus aculeum te dimicare libidinis, cum libros impleas laude libidinis? Verum ecce vinco suspicionem meam. Expugnare te credo quod laudas, sed laudare te doleo quod expugnas. Ex isto igitur & cum isto malo, quod à te quoque credimus expugnari, homo generatur, quem negas regeneratione saluari. Isto enim coniugati bene vtuntur, quo continentes melius non vtuntur. Porrò si malum est, quo caro concupiscit aduersus spiritum, cui malo sicut fateris, apostolorum legio repugnauit, hoc vtentes coniugati, proculdubiò non bono bene vtuntur, sed malo. Ex hoc igitur, & cum hoc filij generati regenerandi sunt, vt liberentur à malo. Hoc enim originali malo etiam parentes illorum rei nati sunt, etsi ab hoc reatu renascendo sunt liberati. Quid autem vellemus vt gignerent, non vnde renati, sed vnde nati sunt, nisi quod & ipsi nati sunt? Reos ergo, quia & ipsi rei nati sunt, & generantes inde vnde nati sunt, non aliud potuerunt

Lib. 1. de nuptijs & concup. cap. 1.

D generare quàm nati sunt. Vnde autem renati, inde à reatu cum quo nati sunt liberati. Ac per hoc & illi quos reos liberati generauerunt, eadem sunt regeneratione liberandi. Ex hoc enim malo rei nati sunt, quo bene vtuntur renati, vt nascantur regenerandi. Contra quod malum si non pugnas, pugnantibus crede. Si pugnas, aduersarium confitere, & noli laudando morbum, habere amicum, quem pugnando experiris inimicum.

LIBRI TERTII FINIS.

D. AV-

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA IVLIANVM, LIBER IIII.

CAP. I. Aggreditur lib. tertij Iuliani infanationem.

IAM nunc ab alterius voluminis exordio cætera videamus, quibus librũ meũ refellere niteris, omittentes sicut instituimus ea quæ nodos non faciunt quæstionum, quibus soluendis curam non oportet impendere; nec immorando superfluis, ipsa prolixitate operis à laborioso negotio deterrere lectorem. Superiore igitur libro satis egimus, quo rectè iudicãtibus appareret, cum Deus verus & bonus sit hominum conditor, bonaq́ue sint nuptiæ, quas & cõditione atq; copulatione vtriusq; sexus instituit, & fœcunditatis munere benedixit; malum tamen esse concupiscẽtiam carnis qua cõcupiscit aduersus spiritum, eoq́ue malo bene vti pudicitiã coniugalem, meliusq; non vti continentiam sanctiorem: quod malum non ex alia substantia quam Deus non cõdidit (sicut Manichæus insanit) nobis esse permixtum; sed per inobedientiam vnius hominis exortũ atque traductum, & per obedientiam vnius hominis expiandum atque sanandum, cuius obligatione implicat debita pœna nascentem, soluit indebita gratia renascentem. Hoc malum cõtra me laudando, aduersarius meus videris: sed in te debellando, meus testis es: si autem hoc non debellas, tuus hostis es. Proinde quia primo tuo libro sufficientẽ me respondisse existimo, quamuis ibi tota causa finita sit; tamẽ ne cæteris tribus respondere non potuisse videamur, in eis etiam quàm vana dixeris intuere. Propositis ex meo libro verbis meis exultas, quod teste Apostolo dixerim, donum Dei esse pudicitiam coniugalem: quasi propterea laudauerit Apostolus malum quod tu laudas, quo caro concupiscit aduersus spiritum, quo malo vtitur bene pudicitia cõiugalis, sicut iam in libro superiore mõstraui. Non itaq; paruum donum Dei est, ita frenari hoc malum, vt ad nihil relaxetur illicitum, sed generationi tantum regenerandorum seruiat filiorum. Eius quippe impetus non sua sponte moderatus est. A nullo namq; illicito sese abstinet, si membra desiderio eius inseruiant. Ac per hoc eius modus, non in ipso cuius inquietus est motus, sed in refrenante ac bene vtente laudatur. Itaque isto malo cum bene vtuntur coniugati fideles, à cuius reatu soluti sunt munere saluatoris; profectò quicunque inde nascũtur, eiusdem munere creatoris, non sicut nobis obiicis, *in regnum diaboli præparantur*, sed ab illo potius eruendi & in regnum vnigeniti trãsferendi renascuntur. Hæc enim est, & esse debet piorum coniugum intentio, vt regenerationi generatio præparetur. Si autem hoc malũ quod in seipsis parentes sentiunt; cui malo, vt tuis verbis vtar, *Apostolorum legio repugnauit*, non pertineret ad filios; sine illo vtiq; nascerentur. Nunc verò quandoquidem cum hoc nascuntur, quid miratis, quia propter hoc renascũtur, vt ab eius obligatione soluantur; & aut ex ista vita ab illo liberati rapiantur, aut in ista vita aduersus illud liberi prælientur, victoresq́ue in fine remunerentur? Quis autem nostrum suspicatus est *vsum coniugum à diabolo fuisse repertum?* Quis *commixtionem corporum, per malum præuaricationis* credidit *accidisse*; cum sine his nuptiæ prorsus esse non possent? Sed malum quo bene vtuntur, nullum esset, si nemo peccasset. Quod dixi, mihi obiice, vt purgem. Nam si & quod nõ dixi, mihi obiicis, quando finimus? Consequens putas esse, *vt munus Dei noceat, si homo cum malo nascitur.* Nemo enim nisi Dei munere nascitur. Audi ergo & intellige, Munus Dei nulli nocet, quo quisque est & viuit: sed concupiscentiæ malum non potest esse, nisi in eo quod est & viuit. Quapropter potest esse malum in munere Dei, sanandum alio munere Dei. Potest igitur in homine qui munere Dei est, & viuit, malum esse generatione contractum, regeneratione sanandum. Nam vtique nullus infans cum dæmone nasceretur, si non nasceretur; nec ideo mali huius ipsa est causa, quia nascitur. Nascitur ergo munere Dei, cum dæmone autem, iudicio Dei sanè occulto, sed nunquid iniusto?

Lib. 1. de nup. & cõcup. cap. 3. 1. Corinth. 7.

CAP. II. Ibidem cap. 3.

IN eo verò quod dixi, *bonum coniugale etiam si non habetur, à Domino esse poscendum:* (quibus vtique, nisi quibus est necessarium?) visus sum tibi dicere, pro concumbendi viribus supplicandum. Sed ego pro ipsa pudicitia coniugali dixi rogandum Deum, in qua est concumbendi non liber vsus, sed licitus modus. Nam homo si concumbere non potest, potius non quærat vxorem; quandoquidem apostolica sententia vbi ait, Si se non continet, nubat; remedium voluit esse nuptias (quod & ipse confessus es) contra morbum concupiscentiæ, quod confiteri non vis; qui remedium confiteris. Hoc autem remedium est, non vt sit concupiscentia, si non est; sed vt non rapiat ad illicita, cuius motus infrenis est. Pertinet enim ad hoc quoque petitionis genus, quod in oratione Dominica dicimus: Ne nos inferas in tentationem: quoniam vnusquisque tentatur à concupiscentia sua, sicut ait Apostolus Iacobus: Conuenit huic & quod dicimus, Libera nos à malo. Dicunt enim hoc de hac re coniuges, vt interim mente liberi à malo, bene vtantur malo quod habent in carne. Sciunt enim quia in carne eorum non habitat bonum, vt omni postea corruptibilitate sanata, nullum in eis quo vtãtur, remaneat malum. Quid est quod triumphas tanquam de hoste victo? Internum potius vince quem laudas. Nam victoria de te mea, illo malo tecum pugnante, secura est. Neque enim dicere audebis eum vinci qui verum dicit, ab eo illo qui falsum dicit. Ego autem concupiscentiam contra quam pugnas, malum dico, tu bonum: sed pugna tua malum fatetur, quod bonum lingua mentitur, augens mendacium alio mẽdacio, quo affirmas & à me illam dictam bonam. Neque enim concupiscentiam carnis, quam Ioannes apostolus dixit à patre non esse, ego dicerem bonum: sed bonum dixi pudicitiam esse coniugalem quæ resistit malo concupiscentiæ, ne ad illicita rapiat cum mouetur. Verum sciens quàm inaniter argumentatus fueris, *pulsas* vt dicis *alterum definitionis meæ latus*, & inquis: *Si calor genitalis coniugalis honestatis minister ab immoderatis procursibus, tam studio fidelium, quàm doni virtute retinetur, nec extinguitur per gratiam, sed frenatur; probabilis est in genere suo & in modo suo, & solus accusatur excessibus.* Hæc dicens, non attendis coniugum conuentionem causa generãdi, ideo bonum esse laudabile, quia eo limes præfigitur licitus malo concupiscendi. Cur enim non potius malum vocetur, quod fateris esse frenandum? Cur quæso frenandum, nisi ne noceat? nisi ne ad illicita quæ desiderat relaxetur? Et vtique desiderium mali malum est, etiam si ei non consentiatur, donec eò veniamus vbi nec habeatur. Non igitur quid boni de concupiscentia carnis fiat, sed ipsa quid mali faciat, cogitandum est. Nam pudicitia coniugalis inhiantem concupiscentiam, siue de illicito, siue de licito percipere voluptatem; frenat ab illicito, permittit ad licitum: hoc est bonum, non tamen eius, sed bene vtentis bonum est. Quòd autem ipsa concupiscentia facit, siue ad licitum siue ad illicitum indifferenter ardescere, vtique malum est. Hoc itaque malo bene vtitur pudicitia coniugalis, meliùs non vtitur continentia virginalis. *Si posset*, inquis, *calor genitalis malum esse naturaliter, extirpandus erat, non componendus.* Vide quemadmodum noluisti dicere, quod suprà dixeras frenandus, sed maluisti *componendus*. Sensisti enim quòd eum nemo frenaret, nisi cui repugnaret, & ob hoc mutato verbo, timore ipso fassus es malum quod repugnat bono. Appellas etiam *calorem genitalem*, quia pudet appellare libidinem, siue, sicut eam diuinus sermo appellare consueuit, carnis concupiscentiam. Sic ergo loquere & dic: Si posset carnis concupiscentia mala esse naturaliter, extirpanda erat, non componenda: sic enim possunt qui Latinè sciunt, tardiores intelligere quid loquaris. Sed ita hoc dicis, quasi non eam mallent extirpare si possent, omnes qui propterea coniugantur, quia continentiæ laborem quo huic malo resistitur, non ferunt; & ideo malunt eo bene vti, quàm melius omnino non vti. Sed si in corpore mortis huius hoc malum necessarium est coniugatis, quia sine illo fieri non potest bonum generationis; continentes extirpent concupiscentiam carnis. Tu ipse, tu qui loqueris, nec quid loquaris attendis, extirpa libidinem de membris tuis. Non enim & tibi necessaria est; aut bona sunt eius desideria; quibus si consenseris vel cesseris, interibis. Porrò si malum est in te cui repugnas, quod oppugnas, quod cùm vincis expugnas; hoc malo melius non vteris, quo malo bene vtuntur, in quibus hoc bonum esse contendis; vbi profectò mentiris, aut falleris. Neque enim dicturus es in coniugibus bonum esse libidinem; in sanctis autem, vel virginibus, vel continentibus malum. Iam sententiam tenemus tuam, vbi aisti: *Concupiscentiæ naturalis qui modum tenet, bono bene vtitur: qui modum non tenet, bono malè vtitur. Qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, bono melius non vtitur. Confidentia quippe suæ salutis*, inquis, *& roboris contempsit remedia, vt gloriosa posset exercere certamina.* His verbis tuis sine ambiguitate declaras, concupiscentiam carnis esse in vtrisque, id est, & coniugatis & continentibus. Quo enim coniugati bene vtuntur, & continentes meliùs non vtuntur, bonum tu dicis, ego malum: sed in sanctis virginibus & continentibus, carnis concupiscentia malum se esse manifestat, contra quam fateris eos *gloriosa exercere certamina*: proculdubio ergo non bono, sed malo melius non vtuntur. Hoc igitur vtentes coniuges, nec ipsi vtique bono, sed malo bene vtuntur. Proinde tota controuersia non remansit (si tamen remansit aliqua) nisi vtrum in eis qui continentiam Deo vouerunt, bonum sit ista de qua disputamus concupiscentia carnis, an malum. Quod enim horum duorum repertum in his fuerit, hoc & in coniugibus apparebit, quoniam hoc illi bene vtuntur, quo isti melius non vtuntur. Colligе itaque totas vires acuti tui cordis, ac liberæ frontis, & aude respondere si potes, hoc bonum esse, cui, sicut libro superiore confessus es, *Apostolorum legio repugnauit*: mihi scilicet exprobrans, quòd tantas esse dixerim *libidinis vires*; *vt ei nec Apostolorum legio repugnauerit*: cùm potius pro causa mea faciat, quia ei malo quod tu bonum dicis, *legio* non qualiumcunque sanctorum, sed ipsorum quoque *repugnauit Apostolorum*. Cui malo tantum licere posse, quis crederet, vt sibi laudatorem etiam de suis expugnatoribus prouideret? absit quidem vt antiquorum aliquem vel Apostolorum, vel quorumcunque sanctorum; mirabiliter tamen, si vel quenquam hæreticorum nouorum, qui simul vtrunque se esse profiteatur inexplicabilibus modis, expugnatorem scilicet defensoremq́ue libidinis; & conetur ostendere manens in hæresi Pelagiana, & ex animo se laudare, quod ipsum eius animum nisi expugnetur, occidit; & ex animo expugnare quod eius dogma nisi laudetur, absumit. Rogo si est in vobis vllus sensus humanus, num potest & malum esse peccatum, & bonum esse desiderare peccatum? Quid autem agit in carne sanctorum continentium ista concupiscentia, nisi peccandi desideria; quibus non consentientes exercent, vt confiteris, gloriosa certamina? Neque enim saltem connubij desiderium in illa continentiæ professione potest esse non malum. Quid ergo illic agit, vbi malum est quicquid agit? ac si ei consentiatur, & peragit? Quid ibi agit hæc concupiscentia, vbi nihil boni concupiscitur ex illa? Quid ibi agit libido, vbi nihil boni libebit ex illa? Non importunè in coniugatis esse dicatur: si enim summum culmen obtinent pudicitiæ conIugalis, faciunt boni aliquid per illam, quamuis nihil faciant propter illam. In sanctis autem virginibus & continentibus quid agit obsecro te; quid agit tua ista suscepta, quum despis, aduersaria; si sapis, quid agit, vbi nihil boni agit ipsa, nihil boni agitur de ipsa? Quid agit in eis in quibus quicquid secundum ipsam concupiscitur, malum est? Quid agit in eis quos contra se compellit vigilare atque pugnare; & si quando ab eis vllum vel in somnis furatur assensum, cùm euigilauerint, gemere & inter gemitus dicere, quomodo impleta est anima mea illusionibus? Quid cùm sopitos deludunt somnia sensus: nescio quomodo etiam castæ animæ in turpes labuntur assensus; quæ si imputaret Altissimus, quis viueret castus? Hoc ergo malum quod non dicturus es bonum, nisi aduersus omnem veritatis tubam sic obsurdueris, vt clames bonum esse concupiscere malum, quod nec inter surdos dicere audebis. Hoc, inquam, malum cur non extirpatur de continentium carne sanctorum? Cur non totum opere mentis aufertur? Hoc enim dicis *fieri debuisse si malum esset*. Et quia non fit in coniugatis, vbi eius modus est necessarius, ideo putas bonum: quum videas, nec ibi fieri vbi modus eius nullus est necessarius, & inquantum inest nocet, etsi non ad perdendum de sorte sanctorum, si non ei consentiatur, tamen ad minuendam spiritalem delectationem sanctarum mentium; illam scilicet de qua dicit Apostolus: Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Hæc delectatio profectò minuitur, quando & si non ad explendam, certè ad oppugnandam carnalis concupiscentiam voluptatis, bellantis animus occupatur; & ita exercet gloriosa certamina, vt à delectatione intelligibilis pulchritudinis ipsis certaminibus auocetur. Sed quia in ista humana miseria peior hostis est cauenda superbia, ideo nimirum non penitus extinguitur in carne continentium sanctorum ista concupiscẽtia, vt dum pugnatur aduersus eam periculorũ suorũ animus admoneatur, ne securus infletur, donec humana fragilitas ad tantã perfectionẽ perueniat sanitatis, vbi nulla putredo lasciuiq́, nullus tumor superbiq́ formidetur. Sic virtus in infirmitate perficitur, quia & pugnare infirmitatis est. Quanto enim quisque vincit faciliùs, tanto pugnat minùs. In semetipso autem quis pugnaret, si nihil ex semetipso cidem repugnaret? Et quid nobis repugnat ex nobis, nisi quod adhuc curatur vt sanetur in nobis? Ergo in nobis metipsis sola est infirmitas causa pugnandi: & rursus infirmitas admonitio est non superbiendi. Proinde virtus hîc vbi superbiri potest, vt non superbiatur; in infirmitate perficitur. Quamobrem hoc malo coniuges bene vtuntur, quo continentes melius non vtuntur; malum igitur est quo coniuges bene vtuntur: & inest coniugibus quo bene vtantur; inest & continentibus quo melius non vtantur. Idcq́ quippe inest, vt non extollantur. Solis ergo libidinis excessibus accusatur, sed ille à quo non refrenatur. Nam ipsa per seipsam rectissimè omnino suis ipsis motibus accusatur, quibus ne excedat obsistitur. Non itaque vt dicis, *nihil ad innocentiam promouet modestia* rei

Coniugum piorum quis finis & scopus.

Supra libri 3. cap. vltimo.

Supra lib. 3. cap. 21.

Continentia vnum.

Lib. 3 cap. vltimo.

Concupiscentia nihil aliud quàm desiderium excitat peccandi. Continentiam professis non licet nec desiderare coniugium.

Psal. 37.

Allusio Vergilij lib. 10. Æneid.

Rom. 7.

Concupiscentiæ luctu perfectionem minuit instinct.

Concupiscentia in continentibus non tota extinguitur.

2. Cor. 12. Virtus quomodo in infirmitate perficitur. Pugna interna. Infirmitas sola est in nobis pugnandi causa. Infirmitas admonitio est cauendæ superbiæ.

Ipsa per seipsam concupiscentia suis ipsis motibus accusatur.

rei per ipsum genus nocentis. Promouet quippe ad innocentiam non consentire malo: nec ideo illud cui non consentitur, non est malum; imò propterea sine dubitatione malum est, quia non ei consentire bonum est. Quid enim mali faceret qui bonæ concupiscentiæ consentiret; cùm mali nihil faciat, etiam qui opere coniugali, non sine ipsius malo seminat hominem, qui est Dei opus bonum? Nec *confectricem seminum libidinem* dixeris. Ille quippe creat hominis semen, qui hominem ex semine: sed vnde interest. Quia mali huius occulta sunt, & dira contagia: nec ex his hominibus qui malo carent, Deus vel semen vel homines creat; etiam si quidam ab eiusdem mali noxa regeneratione soluti sunt, sicut soluendi sunt qui inde nascuntur. Dixi sanè, nec pœnitet, de pudicitia coniugali, quæ mea verba posuisti, *quia cùm dona Dei esse monstrantur, à quo petenda sunt, discitur si non habentur; & cui agendæ gratiæ, si habentur.* Aguntur enim gratiæ *non de origine*, vt dicis, *concupiscentiæ*, cuius origo est primum malum hominis, *sed de regimine*, quod verum dicis. Vtrunque enim dicis, vel regimine vel origine. Ideo autem aguntur gratiæ de regimine concupiscentiæ, quia repugnans vincitur. Quod autem repugnat voluntati bonæ, non est bonum; imò malum esse quis neget; nisi qui non habet voluntatis bonum, cui quod repugnat, fateatur malum?

Lib. 2. de nupt. & concup. cap. 13.

CAPVT III. Ibid. cap. 3.

INTERPONIS alia de libro meo, vbi cùm dixissem donum Dei pudicitiam esse coniugalem, & hoc Apostolo teste docuissem, occurrentem deinde quæstionem tacitus nolui præterire quid dicendum sit, cùm videntur etiam nonnulli impij pudicè cum coniugibus viuere. Soletis enim negantes Dei dona esse virtutes, quibus rectè viuitur, & eas naturæ voluntatiúque humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc vti argumento, quòd eas nonnunquam habeant infideles: ita conantes euacuare quod dicimus, neminem rectè viuere, nisi ex fide per Iesum Christum Dominum nostrum, vnum Dei & hominum mediatorem, vbi vos eius aduersarios apertissimè profitemini. Denique longè non eamus, si fortè fallor, ad ista respondè. Ego dixi, *pudicum non veraciter dici, qui non propter Deum verum, fidem connubij seruat vxori.* Vnde autem id ostenderem: paulo pòst adhibui, quod mihi visum est grande documentum. *Cùm enim virtus sit*, inquam, *pudicitia, cui vitium contrarium est impudicitia, omnesque virtutes etiam quæ per corpus operantur, in animo habitent; quomodo vera ratione pudicum corpus asseritur, quando à vero Deo ipse animus fornicatur?* Deinde ne quisquam vestrum negaret animum infidelium fornicari, adhibui testimonium de scriptura sancta, vbi legitur, Ecce enim qui longè se faciunt à te, peribunt; perdidisti omnem qui fornicatur abs te. Sed tu qui mea, sicut dicis, *quæ mihi videntur acuta persequeris*, hoc totum tanquam mihi obtusum visum fuerit præteristi. Vide ergo quid horum negandum arbitreris. Virtutem esse pudicitiam coniugalem, promptissimè confiteris: omnes virtutes etiam quę per corpus operantur, in animo habitare non negas. Porrò infidelis animum fornicari à Deo ille potest negare, qui se palàm sanctarum Scripturarum aduersarium profitetur. Ex quibus omnibus hæc summa conficitur, vt aut in animo fornicante pudicitia vera esse possit, (quod cernis quàm sit absurdum:) aut in animo infidelis pudicitia esse non possit, (quamuis hoc cùm assererem, te finxeris surdum.) Non igitur, vt calumniaris, *studio vituperandi substantiam, dona collaudo*. Non enim diuinorum donorum capax esset, nisi bona esset humana substantia, cui vitia quoque ipsa bonitatis perhibent testimonium naturalis. Quid enim aliud in vitio rectè displicet, nisi quia detrahit

Ibid. cap. 4.

Psal. 72.

Malum seu vitium naturalis est privatio boni.

A vel minuit, quod in natura placet? Cùm ergo diuinitus adiuuatur homo, non tantùm ad capessendam perfectionem adiuuatur, quod ipse posuisti, vtique volens intelligi eum per se incipere sine gratia, quod perficit gratia: sed potius quod Apostolus loquitur, vt qui in vobis opus bonum cœpit, perficiat vsque in finem. In quo enim vis hominem, sicut loqueris, *ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis incitari*, in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari; ac sic priorem dare, vt retribuatur illi; eoque modo gratia iam non sit gratia, quia non est gratuita. *Bonam* dicis *hominum naturam, quæ talis gratiæ opitulationem meretur*. Quod gratanter audirem, si hoc propterea quia rationalis natura est, diceres. Neque enim gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum lapidibus aut lignis pecoribúsue præstatur, sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam: non tamen vt eius bona voluntas possit præcedere præter gratiam; ne vel ipsam prior det vt retribuatur illi, B ac sic gratia iam non sit gratia, dum non datur gratuita, sed redditur debita. Quid est ergo quòd secundum modum vestrum, effectum voluntatis humanæ dona cælestia me credideras nuncupasse, tanquam voluntas hominis sine Dei gratia moueretur ad bonum, vt ei debitus à Deo retribueretur effectus? Itáne oblitus fueras, nos cum Scriptura dicere contra vos, Præparatur voluntas à Domino; vel quòd in nobis Deus operetur & velle? O ingrati gratiæ Dei, ô inimici gratiæ Christi, & solo vocabulo Christiani! Nónne pro inimicis suis orat Ecclesia? Quid orat obsecro, si vt eis suæ voluntatis retribuatur precium, quid eis orat, nisi grande supplicium? Quod iam contra eos est, non pro eis. Orat autem pro eis. Non ergo quia est illis voluntas bona, sed vt conuertatur in bonam voluntas mala: quoniam præparatur voluntas à Domino; & Deus est, vt ait Apostolus, qui operatur in C vobis & velle. Sed acerbissimi gratiæ huius inimici *exempla* nobis *opponitis impiorum, quos dicitis alienos à fide abundare virtutibus, in quibus sine adiutorio gratiæ, solum est naturæ bonum, licet superstitionibus mancipatum, qui solis libertatis ingenitæ viribus, & misericordes crebro, & modesti, & casti inueniuntur & sobrij.* Hæc dicens ecce iam & illud quod gratiæ Dei tribueras, abstulisti, ipsum scilicet voluntatis effectum. Non enim aisti velle eos esse misericordes, modestos, & castos, & sobrios, & ideo non esse quod nondum per gratiam fuerint consecuti, bonæ huius voluntatis effectum: sed si & esse voluerunt & sunt, iam in eis voluntatem & effectum voluntatis inuenimus; quid remansit quod gratiæ reseruemus in tam euidentibus, quibus dixisti eos abundare virtutibus? Quanto satius si te impios ita laudare delectat, vt non audiens dicentem Scripturam, Qui dicit impium iustum esse, maledictus erit in populo, & odibilis in gentibus: D etiam virtutibus veris eos prædices abundare? Quanto, inquam, satius hæc ipsa in eis dona Dei esse fateretis, sub cuius occulto iudicio nec iniusto, alij fatui, alij tardissimi ingenij, & ad intelligendum quodammodo plumbei, alij obliuiosi, alij acuti memoresue nascuntur, alij vtroque munere præditi, & acutè intelligentes, & tenacissimæ memoriæ thesauro cognita recondentes: alij natura lenes, alij leuissimis causis ira facillima ardentes, alij ad vindictæ cupiditatem inter vtrosque mediocres: alij spadones, alij in concubitu ita frigidi, vt vix omnino moueantur; alij libidinosissimi, vt vix omnino teneantur, alij inter vtrosque & moueri faciles, & teneri: alij timidissimi, alij audacissimi, alij neutrum: alij hilares, alij tristes, alij ad nihil horum procliues: nec eorum quæ commemoraui aliquid instituto ac proposito, sed natura; vnde medici audent ista tribuere tempe-

Philip. 1.

Rom. 11.

Prouerb. 8. secundum 70. Philip. 2.

Virtutes gentilium.

Prou. 24.

Dei iudicium in variis hominum affectionibus & ingeniis.

temperationibus corporum. Quod etsi probari, vel A nulla existente, vel omni finita quæstione potuisset; nunquid sibi quisque corpus condidit, & hoc eius tribuendum est voluntati, quòd mala ista naturalia magis minúsue perpetitur? Nam prorsus ea non perpeti cùm hìc viuitur, nullo modo, nulla ratione quisquam potest. Nec tamen siue maximis, siue minimis vrgeatur, fas est vt dicat ei qui se finxit, quamuis omnipotenti iusto & bono, Quare sic me fecisti? Et de iugo graui quod est supra filios primi Adam, nemo liberat nisi secundus Adam. Quanto ergo tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes, diuino muneri potius, quàm eorum tribueres tantummodo voluntati: licet ipsi hoc nesciant, donec si ex illo sunt prædestinatorum numero accipiant spiritum, qui ex Deo est, vt sciant quæ à Deo donata sunt eis. Sed absit vt sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus. Absit autem vt sit iustus verè, nisi viuat ex fide: iustus enim ex fide viuit. Quis porrò eorum qui se Christianos haberi volunt, nisi so- B li Pelagiani, aut in ipsis etiam fortè tu solus, iustum dixerit infidelem, iustum dixerit impium, iustum dixerit diabolo mancipatum? sit licet ille Fabricius, sit licet Fabius, sit licet Scipio, sit licet Regulus, quorum me nominibus, tanquam in antiqua Romana curia, loquęremur, putasti esse terrendum. Verùm tu in hac causa & si ad scholam Pythagoræ prouoces vel Platonis, vbi eruditissimi atque doctissimi viri multo excellentiore cæteris philosophia nobilitati veras virtutes non esse dicebant, nisi quæ menti quodam modo imprimuntur à forma illius æternæ immutabilisque substantiæ, quod est Deus; etiam illic aduersus te quantum donat, qui nos vocauit, pietatis libertate clamabo: Nec in istis est vera iustitia, quas iustus ex fide viuit. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi: finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Quomodo sunt verè iusti, quibus vilis est humilitas veri iusti? Quò enim propinquauerunt intelligentia, inde superbia recesserunt: qua cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Quomodo est in eis vera iustitia, in quibus non est vera sapientia? Quam si eis tribuerimus, nihil erit causæ cur eos non ad illud regnum peruenire dicamus, de quo scriptum est: Concupiscentia sapient æ deducit ad regnum. Ac per hoc Christus gratis mortuus est, si homines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtutem veram, ad iustitiam veram, ad sapientiam veram, quacunque re alia, quacunque ratione peruenium. Prorsus sicut de lege verissimè ait Apostolus, Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est: ita verissimè dicitur, Si per naturam voluntatemque iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si per doctrinas hominum qualiscunque iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Per quod enim vera iustitia, per hoc etiam regnum Dei. Deus namque ipse, quod absit, erit iniustus, si ad eius regnum verus non admittitur iustus, cùm & ipsum eius regnum iustitia sit, quemadmodum scriptum est, Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium. Porrò si veram iustitiam non habent impij, profectò nec alias virtutes comites eius & socias: quia cùm non ad suum referuntur authorem dona Dei, hoc ipso mali his vtentes efficiuntur iniusti: si quas habent, veras non habent, ac per hoc nec continentia siue pudicitia vera virtus est impiorum. Tu verò tam malè accipis, quod ait Apostolus; Nam qui in agone contendit, ab omnibus continens est, vt continentiam tam magnam virtutem, de qua scriptum

Isaiæ 45. Eccles. 40. Roman. 9.

Vera virtus nisi in iusto esse non potest. Roman. 1.

Roman. 10.

Sap. 6.

Galat. 2. Si per naturã voluntatemq; iustitia, gratis mortuus est Christus.

Roman. 14.

1. Cor. 9. Ga. 1.

est, quòd nemo esse potest continens nisi Deus det: etiam choraulas & huiuscemodi turpes infamesque personas habere contendas. Hi enim quando in agone decertant, ab omnibus continent, vt corruptibilem coronam accipiant: à cuius tamen vana cupiditate non continent. Hæc enim cupiditas vana ac per hoc praua, vincit in eis, & frenat alias prauas cupiditates, propter quod dicti sunt continentes. Sed vt grauissimam faceres iniuriam Scipionibus, continentiam quam in eis tanto eloquio prædicasti, dedisti & histrionibus, ignorans Apostolum cùm exhortaretur homines ad virtutem, sic exemplum de vitiosa hominum affectione sumpsisse, quemadmodum alio loco Scriptura, cùm ad amorem sapientiæ homines hortaretur, quærendam dixit esse sicut pecuniam: Nunquid propterea sancta Scriptura dicenda est laudasse auaritiam? Sed quia notum est, amatores pecuniæ quantis patienter laboribus doloribusque subdantur, à quantis se contineant voluptatibus, siue cupiditate augendi pecuniam, siue timore minuendi, quanta lucrum sagacitate sectentur, & prudenter damna deuitent, quàm timeant plerunque aliena diripere, & aliquando sua sibi ablata contemnant, ne repetendo & litigando plus perdant: rectè admoniti sumus sic amare sapientiam, vt eam nobis thesaurizare auidissimè cupiamus, atque vt nobis magis magisque acquiratur, nec aliqua ex parte minuatur, & perferamus molestias, & libidines refrenemus, & prospiciamus in posterum, & innocentiam beneficentiamque seruemus. Quod cùm facimus, ideo veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus; id est, hoc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem & veram felicitatem. Non enim absurdè virtus definita est, ab eis qui dixerunt: Virtus est animi habitus, naturæ modo atque rationi consentaneus. Verum dixerunt, sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium, ne- C scierunt. Neque enim omnes homines naturali instinctu immortales & beati esse vellemus, nisi esse possemus. Sed hoc summum bonum præstari hominibus non potest, nisi per Christum & hunc crucifixum, cuius morte mors vincitur, cuius vulneribus natura nostra sanatur. Ideóque iustus ex fide Christi viuit. Ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperanter, & iustè, ac per hoc his omnibus veris virtutibus rectè sapientérque viuit, quia fideliter viuit. Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera, promittit, nihil prosunt homini virtutes; nullo modo veræ possunt esse virtutes. An placet tibi vt veras virtutes auarorum esse dicamus, cùm lucrorum vias prudenter excogitant, cùm pro acquirenda pecunia sæua atque aspera multa fortiter tolerant, cùm varias cupiditates quibus sumptuosè viuitur, temperanter sobriéque castigant, cùm abstinent ab alieno, D & de suo sæpe amissa contemnunt, quod videtur ad iustitiam pertinere, ne iurgiis & iudiciis plura consumant? Cùm enim agitur aliquid prudenter, fortiter, temperanter, & iustè, omnibus quatuor virtutibus agitur, quæ secundum tuam disputationem veræ virtutes sunt; si ad cognoscendum vtrum veræ sint, hoc tantummodo intuendum quod agitur, nec causa quærenda est cur agatur. Vnde ne tibi videar calumniari, ipsa tua verba iam ponam. *Cunctarum*, inquis, *origo virtutum in rationabili animo sita est, & affectus omnes per quos aut fructuosè, aut sterilitèr boni sumus, in subiecto sunt mentis nostræ, prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo. Horum igitur affectuum vis cùm insit omnibus naturaliter*, inquis, *non tamen ad vnum finem in omnibus properat; sed pro iudicio voluntatis, cuius nutui seruiunt, aut ad æterna, aut ad tem-*

Cupiditas etiam cupiditatis alia, vt clauus clauo pellitur.

Prouerb. 2.

Virtutis definitio apud Ciceronem li. 2. De inuentione.

Immortalitatis & beatitudinis appetitus naturalis.

Roman. 1.

temporalia diriguntur. Quod cùm fit, non in eo quod sunt, non in eo quod agunt, sed in eo solo variant quod merentur. Nec nominis sui igitur, inquis, *possunt, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiuerunt præmij, aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur.* Hæc vbi didiceris, nescio: iam tamen cernis, vt arbitror, consequēs esse, vt vera sit virtus, auarorum prudentia, qua excogitant genera lucellorum: & auarorum iustitia, qua grauium damnorum metu faciliùs sua nonnunquam contemnunt, quàm vsurpant aliquid alienum: & auarorum temperantia, qua luxuriæ, quoniam sumptuosa est, cohibent appetitum, solóque necessario victu tegumentóq; contenti sunt: & auarorum fortitudo, qua, vt ait Horatius, Per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes: qua denique cognouimus quosdam irruptione barbarica, ad ea prodenda quæ habebant, nullis hostium tormentis potuisse compelli. Ergo virtutes istæ tali fine turpes atque deformes, & ideo nullo modo germanæ veræque virtutes; tibi tamen ita veræ videntur & pulchræ, *vt nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium, sed solius quod appetiuerunt præmij exilitate frustrentur*, id est, terrenorum commodorum fructu, non cælestium præmiorum. Nec aliud erit quàm vera iustitia Catilinæ, comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat: & fortitudo vera erit eius, quòd frigus, famem, sitim ferre poterat: & vera patientia, quòd patiens erat inediæ, algoris, vigiliæ, supra quàm cuiquam credibile est. Quis hæc sapiat, nisi desipiat? Sed videlicet homo eruditus eorum vitiorum verisimilitudine falleris, quæ finitima videntur & propinqua virtutibus, cùm absint ab eis quàm longè absunt à virtutibus vitia. Nam sicut constantia est virtus, cui contraria est inconstantia: vitium est tamen ei quasi finitimum pertinacia, quę constantiam videtur imitari. Quo vtinam vitio careas, cùm hæc quæ dico, vera esse cognoueris, ne tibi in errore velut amando constantiam, manendum pertinaciter arbitreris: ita omnibus virtutibus non solùm sunt vitia manifesta discretione contraria, sicut prudentiæ temeritas: verumetiam vicina quodammodo, non veritate, sed quadam specie fallente, similia, sicut ipsi prudentiæ non temeritas vel imprudentia, sed astutia: quod tamen vitium est, quamuis in Scripturis sanctis & in bono accipiatur quod dictum est, Astuti vt serpentes: & in malo, quòd in paradiso erat serpens prudentissimus omnium bestiarum. Nec istorum vitiorum, quæ finitima virtutibus diximus, possunt omnium facilè nomina reperiri; verùm etsi non inuenitur quemadmodum nuncupentur, cauenda sunt. Noueris itaque non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est: finis verò propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid vbi peccare non videtur, si non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare conuincitur: quæ tu non attendens, fines ab officiis separasti, & virtutes veras officia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absurditas sequitur, vt veram cogaris appellare iustitiam, etiam cuius dominam repereris auaritiam. Siquidem manus abstinere ab alieno, si officium cogites, potest videri esse iustitiæ: sed cùm quæritur, quare fiat, & respondetur, ne plus pecuniæ litibus pereat: quomodo iam hoc factum veræ poterit esse iustitiæ, cùm sectetur auaritiæ? Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas, quæ omnino quicquid facerent, propter illam vel adipiscendam facerent, vel tenendam. Absit autem vt virtutes veræ cuiquam seruiant, nisi illi vel propter illum cui dicimus, Deus virtutum conuerte nos. Proinde virtutes quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis & emolumentis temporalibus seruiunt, veræ prorsus esse non possunt: quæ autem nulli rei seruire volunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo seruiunt in hominibus, à quo donantur hominibus: Deo seruiunt in angelis, à quo donantur & angelis. Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, & si officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. Possunt ergo aliqua bona fieri, non bene facientibus à quibus fiunt: Bonum est enim vt subueniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non bene bonum facit: quia non bonus facit quod non bona voluntate facit. Absit enim vt sit vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in seipsa, non in Domino gloriatur. Nec esse fructum eius à quo fit bonum, nisi bona factum fuerit, voluntate: sed Dei opus bonum, à quo etiam per malos fit bonum: ac per hoc nec eius fructus iste dicendus est, quando arbor mala bonos fructus facere non possit. Arbor enim mala bonos fructus non facit, sed potius bonum opus est illius, qui etiam per malos bene facit. Quapropter dici non potest quantum te ista fallat opinio, qua dixisti *omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè, aut steriliter boni sumus*. Fieri enim non potest vt steriliter boni simus, sed boni non sumus quicquid steriliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem vt Deus bonus à quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat & in ignem mittat arbores bonas. Nullo modo igitur homines sunt steriliter boni; sed qui boni non sunt, possunt esse alij minus, alij magis mali. Vnde & illi quos commemorare voluisti, *de quibus ait Apostolus: Gentes legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui habent opus legis scriptum in cordibus suis*: quid te adiuuent omnino non video. Per hos enim probare conatus es, etiam alienos à fide Christi, veram posse habere iustitiam, eo quòd isti, teste Apostolo, naturaliter quæ legis sunt faciunt. Vbi quidem dogma vestrum quo estis inimici gratiæ Dei, quæ datur per Iesum Christum Dominum nostrum, qui tollit peccatum mundi, euidentiùs expressisti: introducens hominum genus, quod Deo placere possit sine Christi fide, lege naturæ. Hoc est vnde vos maximè Christiana detestatur ecclesia. Sed quid vis esse istos? Vtrum veras virtutes habent, & steriliter boni sunt, quia non propter Deum: an etiam Deo ex his placent, atque ab illo vita remunerantur æterna? Si steriles dixeris, quid ergo eis prodest, quòd secundum Apostolum defendent eos cogitationes suæ, in die qua iudicabit Deus occulta hominum? Si autem qui defendentur cogitationibus suis, eo quòd naturaliter opera fecerint legis, non sunt steriliter boni, & ob hoc inueniunt æternam mercedem apud Deum, proculdubio propterea iusti sunt, quia ex fide viuunt. Nam testimonium illud quod ex Apostolo posui: Omne quod non est ex fide, peccatum est: sicut tibi visum est accepisti, & exposuisti, non vt sapit, sed vt sapis. De cibis enim Apostolus loquebatur: verum cùm dixisset: Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est, quia non ex fide: hanc peccati speciem de qua agebat, generali voluit probare sententia, mox inferens; Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Sed vt hoc tibi de cibis tantùm intelligendum esse concedam: quid de alio dicturus es testimonio quod identidem posui; nec inde aliquid disputasti, quia non inuenisti quomodo in tuam posses detorquere sententiam, quòd ad Hebræos scriptum est: Sine fide enim impossi-

Horat. lib. 1. Epistol. 1.

Sallust. in Catil.

Vitia virtutibus affinia.

Matth. 10.

Genes. 3.

Virtutes à vitiis non officiis, sed finibus dijcernuntur.

Psal. 79.

Veræ virtutes Deo seruire debent.

Matth. 7.

Nemo steriliter bonus.

Matth. 5.

Roman. 2. Quæ sunt apud Apost. gentes naturaliter quæ legis sunt facientes.

Roman. 2.

Roman. 14.

Ibidem.

Hebr. 11

impossibile est Deo placere? Nempe vt hoc diceretur, de tota vita hominis agebatur, in qua iustus ex fide viuit: & tamen cùm sine fide impossibile sit Deo placere, tibi virtutes sine fide sic placent, vt eas veras prædices, eisque bonos esse homines; & rursus, quasi te pœnituerit laudis earum, steriles pronunciare non dubites. Isti ergo qui naturali lege sunt iusti, aut placent Deo, & ex fide placent, quia sine fide impossibile est placere: & ex qua fide placēt nisi ex fide Christi: quoniam sicut legitur in Actibus Apostolorum: In illo Deus definiuit fidem omnibus, suscitans eum à mortuis. Ideoque dicuntur sine lege naturaliter quæ legis sunt facere, quia ex gētibus venerunt ad Euangelium, non ex circuncisione, cui lex data est; & propterea naturaliter, quia vt crederent, ipsa in eis est per Dei gratiam correcta natura, nec per eos potes probare quod vis, etiam infideles veras posse habere virtutes: sunt quippe isti fideles. Aut si fidem non habent Christi, profectò nec iusti sunt, nec Deo placent, cui sine fide placere impossibile sit. Sed ad hoc eos in die iudicij cogitationes suæ defendent, vt tolerabiliùs puniantur; quia naturaliter quæ legis sunt vtcunque fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, vt aliis non facerent quod perpeti nollēt: hoc tamen peccantes, quòd homines sine fide, non ad eum finem ista opera retulerunt ad quem referre debuerunt. Minus enim Fabricius quàm Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus: & minus impius, quàm Catilina, Fabricius, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimum deuiando. An fortè & istis qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute ciuili, non vera, sed verisimili dæmonibus, vel humanæ gloriæ seruierunt, Fabriciis videlicet, & Regulis, & Fabiis, & Scipionibus, & Camillis, cæterisque talibus, sicut infantibus qui sine baptismate moriuntur, prouisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumque cælorum; vbi non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna, qui Deo non placuerunt, cui sine fide placere impossibile est, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerūt? Non opinor perditionem vestram vsque ad istam posse impudentiam prosilire. *Erunt ergo*, inquis, *in damnatione sempiterna, in quibus erat vera iustitia?* O vocem impudentia maiore præcipitem: Non erat, inquam, in eis vera iustitia; quia non actibus, sed finibus pensantur officia. Sed facetè ac lepidè homo elegantissimus & vrbanissimus, *Si dicatur*, inquis, *quia castitas infidelium castitas non est; eadem fronte dicatur, quia corpus Paganorū corpus non sit, & oculi Paganorum sensum non habeāt intuendi: & frumenta quæ in Paganorū nascuntur agris, frumenta non sint: & multa*, inquis, *alia quæ tantæ absurditatis sunt, vt risum possint intelligentibus cōmouere.* Non planè risum, sed fletū potius intelligētibus vester cōmouet risus, sicut mentibus amicorum sanorū, fletum commouet risus phreneticorum. Itáne aut cōtra Scripturas sanctas infidelis animum fornicari negas, aut esse in animo fornicante veram castitatem dicis; & rides & sanus es? Vnde, quomodo, qua ratione istud fieri potest? Prorsus nec illa est castitas vera, nec sanitas vestra. Prorsus, inquam, nec vera est castitas animi fornicantis, & vera insania est hominis dicentis hoc dedecus & ridentis. Nos autem absit vt dicamus quòd corpus Paganorum corpus non sit, & cętera huiusmodi. Neque enim est consequens, vt si non est vera virtus qua gloriatur impius, non sit verum corpus quod operatur Deus. Sed planè possumus dicere hæreticorum frontem non esse frontem, si non membrum quod fecit Deus, significare intelligamur frontis nomine, sed pudorem. Quid si non eo ipso libro meo, cui respondisse te iactas, antè præstruerem, nec in hac sententia qua dicimus, Omne quod non est ex fide, peccatum est; etiam illa intelligantur in fidelium, quæ dona sunt Dei, siue in animi, siue in corporis bonis. Ibi enim sunt & ista quæ inaniter garris, corpus, & oculi, & membra cætera. In eo genere sunt etiam quæ in agris Paganorum frumenta nascuntur, quorum Deus creator est, non Pagani. An non tu ipse inter cætera etiam ista verba mea posuisti, vbi dixi: *Anima enim & corpus & quæcunque bona animæ & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus dona Dei sunt, quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt? De his autem quæ faciunt dictum est: Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Hanc breuem, sed vtique apertam sententiam meam si mente tenuisses, puto quòd tam improbus non fuisses, vt nos posse dicere assereres, quia *corpus Paganorum corpus non sit, & oculi Paganorum sensum non habeant intuendi: & frumenta quæ in Paganorum nascuntur agris, frumenta non sint.* Vt enim tibi tanquam de somno excitato eadem verba mea repetam, quæ tuæ memoriæ fortassis vt hæc diceres, exciderunt, *hæc etiam in peccatoribus dona Dei sunt; quoniam Deus, non ipsi ista fecerunt. De his autem quæ faciunt dictum est: Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Sed cùm insana dicis & rides, phrenetico es similis. Cùm autem vera quæ dico abs te paulo antè commemorata, & huic ipsi operi tuo quo mihi respondere videris, inserta, sic non attendis, sic obliuisceris, non iam phreneticis, sed lethargicis compararis. *Mirari* te dicis, *quòd tam excellens meum* videlicet, sicut irridenter loqueris, *non vidit ingenium quantum vos in hoc quoque inuerim, quia dixi, aliis peccatis alia peccata vincuntur.* Continuo quippe subditis atque concluditis dicentes: *Per facile igitur studio sanctitatis, quod Deus adiuuat, potest homo carere peccatis. Si enim vincuntur*, inquis, *peccata peccatis, quanto magis possunt virtutibus peccata superari?* Quasi nos negemus adiutorium Dei tantum valere, si velit, vt hodie nullas concupiscentias malas habere possimus; contra quas vel inuictissimè dimicemus: & tamen non fieri, nec tu negas. Cur autem non fiat, quis cognouit sensum Domini? Non tamen parum scio, cùm scio, quæcunque illa causa sit, quòd nec iusti Dei sit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Est igitur aliquid in eius abdito altoque consilio, cur quamdiu viuimus in hac carne mortali, est in nobis contra quod mens dimicet nostra: est etiam propter quod dicamus: Dimitte nobis debita nostra. Sed vt tibi sic loquar tanquam homini homo, & talis homo cuius terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, nihil est in creaturis, quod attinet ad institutarum diuinitus merita naturarum, rationali mente præstantius. Vnde fit consequens, vt mens bona magis sibi placeat, magisque seipsa delectet, quàm quælibet alia creatura. Quàm verò periculosè, imò perniciosè sibi placeat, cùm per hoc tumescit typho, & morbo inflationis extollitur, quamdiu non videt sicut videbit in fine summum illud & immutabile bonum, in cuius comparatione se spernat, sibique illius charitate vilescat, tantoque spiritu eius impleatur, vt id sibi non ratione sola, sed æterno quoque amore præponat; multum est disputando velle mōstrare. Sapit hæc qui fatigatus fame reuertitur ad semetipsum & dicit: Surgam & ibo ad patrem meum. Vnde itaque scimus, ne fortè quia hoc superbiæ malum tunc animum tentare non poterit, & contra quod decertemus omnino nullum erit, quando tanta satiabitur visione, & tanta inflammabitur charitate superioris boni, vt ad seipsum sibi placendo deficere ab illius dilectione non possit: ideo factum est in loco infirmitatis huius, ne superbè viueremus, vt sub quotidiana peccatorum remissione viuamus? Propter quod superbiæ malum nec Apostolus Paulus est arbitrio suo credit: sed quia non-

Act. 2.

Frontem hæreticorum non esse frontem.

Lib. 1. De nupt. & concup. cap. 3.

Cur Deus nō auferat nobis omnem prorsus eam concupiscentiam.

Matth. 6.

Nulla creatura sic sibi placet, sed ipsa delectat, vt mens bona.

Superbia periculum.

Luca 15.

dum venerat ad tantam participationem superioris illius boni, vt illic iam non posset extolli, hic illi est angelus satanæ colaphizator, ne hic vbi poterat, extolleretur, appositus. Sed siue ista causa sit, siue alia quæ multo amplius me latet; tamen quod dubitare non possum, quantumlibet proficiamus sub hoc onere corruptibilis corporis; si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Propter quod & sancta ecclesia etiam in talibus suis membris, vbi maculam criminis & rugam non habet falsitatis, licet contradicente superbia vestra, non desinit Deo dicere: Dimitte nobis debita nostra. Tu autem quanta arrogantia & de vestræ præsumptione virtutis dixeris, *Perfacile igitur studio sanctitatis, quod Deus adiuuat, potest homo carere peccatis*: ille non agnoscit, qui dogmata vestra non nouit. Nam & studium sanctitatis sine adiutorio Dei vultis in hominis voluntate præcedere, quòd merito Deus debeat adiuuare, non gratis: & sic creditis hominem in hac ærumnosa vita posse carere peccatis, vt non in se habeat quare dicat: Dimitte nobis debita nostra. Quamuis aliquanto timiditiùs id posuisse videaris, quia non dixisti, potest omnibus carere peccatis. Verùm nec quibusdam dicere voluisti, sed tanquam tibi ipse de nimia vestra præsumptione erubueris, ita sententiam temperasti, vt & vestra & nostra posset voce defendi. Nam si apud Pelagianos discutiatur, respondebitur ideo non dictum quibusdam, quia omnibus peccatis hominem carere posse dixisti. Si autem apud nos; & hîc respondebitur, ideo non dictum omnibus, quoniam quemlibet hominem volueris intelligi, pro quibusdam peccatis necesse habere veniam postulare: sed qui scimus quid sentiatis, nescire non possumus, quomodo ista dicatis. *Si gentilis*, inquis, *nudum operuerit, nunquid quia non est ex fide, peccatum est?* Prorsus inquantum non est ex fide, peccatum est; non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est: sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum. Quod vt intelligas, quamuis iam satis inde fuerit disputatum, tamen quia magna res est, adhuc paulisper auscultа. Ecce eadem commemoro quæ ipse posuisti: *Si gentilis* qui non viuit ex fide, *nudum operuerit, periclitantem liberauerit, ægri vulnera fouerit, diuitias honestæ amicitiæ impenderit, ad testimonium falsum nec tormentis potuerit impelli*, quæro abs te, vtrum hæc opera bona bene faciat, an malè? Si enim quamuis bona, malè tamen facit, negare non potes eum peccare, qui malè quodlibet facit: Sed quia eum non vis cùm facit ista peccare, profectò dicturus es, & bona facit, & bene. Fructus ergo bonos facit arbor mala, quod fieri non posse veritas dicit. Noli præcipitare sententiam, diligenter considera quid te respondere conueniat: An dicis hominem infidelem arborem bonam? Placet ergo Deo: Neque enim bono potest non placere quod bonum est. Et vbi erit quod scriptum est: Sine fide impossibile est Deo placere? An respondebis, non inquantum infidelis est; sed inquantum homo est, arbor bona est? De quo ergo Dominus ait: Non potest arbor mala bonos fructus facere: quandoquidem quicunque erit, aut homo, aut angelus erit. Sed si homo, inquantum homo est, arbor bona est; profectò & angelus inquantum angelus, arbor bona est. Hæc enim Dei sunt opera, qui naturarum conditor est bonarum: ac per hoc nulla erit arbor mala, de qua dictum est, quòd non possit facere fructus bonos. Quis infidelis ita infideliter sapiat? Non itaque inquantum homo est, quod est opus Dei; sed inquantum malæ voluntatis est, quisque arbor mala est, & bonos fructus facere non potest. Vide itaque vtrum infidelem voluntatem, audeas bonam dicere voluntatem. Sed fortè dicturus es: Misericors voluntas bona est. Rectè istud diceretur, si quemadmodum fides Christi, id est, fides quæ per dilectionem operatur, semper est bona, ita misericordia semper esset bona. Si autem reperitur & misericordia mala, qua persona pauperis accipitur in iudicio: propter quam postremo rex Saul meruit à Domino vtique misericorde damnari, quia contra eius præceptum captiuo regi per humanum pepercit affectum: attentiùs cogita, ne fortè misericordia bona non sit, nisi quæ huius bonæ fidei fuerit. Imò responde vt hoc sine dubitatione perspicias, vtrum bonam misericordiam existimes infidelé. Porrò si vitium est malè misereri, proculdubio vitium est infideliter misereri. Quod si & ipsa per seipsam naturali compassione opus est bonum; etiam isto bono malè vtitur qui infideliter vtitur, & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit: qui autem malè facit aliquid, profectò peccat. Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui bene vtitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona malefaciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta & noxia faciunt voluntate. Qualis voluntas nullo Christiano dubitante arbor est mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est. Et ideo Deus istas arbores non potest diligere, & si tales permanserint, disponit excidere, quia sine fide impossibile est placere. Sed ita hîc immoror, quasi istas arbores non iam tu ipse steriles pronunciaueris. Quomodo igitur obsecro non aut iocaris in his disputationibus, aut deliras qui sterilium fructus arborum laudas? Qui vtique aut nulli sunt, aut si mali sunt, laudandi non sunt: aut si fructus boni sunt, profectò steriles arbores non sunt, imò & bonæ sunt, quarum fructus boni sunt, & debent Deo placere, cui bonæ arbores non possunt nisi placere, falsumque erit quod scriptum est: Sine fide impossibile est Deo placere. Sed responsurus es, quid nisi vana? *Ego*, inquis, *steriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam*. Iustus ergo Deus & bonus, bonos est in mortem missurus æternam? Piget iam dicere quàm multa te sequantur insana, talia sentientem, talia dicentem, talia scribentem, in talibus me quòd similiter non desipiam velut censoriè reprehendentem. Sed breuiter accipe, ne fortè cùm in rebus ipsis tantum erres quantum errari plurimum potest, videar tecum certare de verbis. Aut ergo intellige quod ait Dominus, Si oculus tuus nequam est, totũ corpus tuum tenebrosum erit: si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit: & hunc oculum agnosce intentionem, qua facit quisque quod facit: & per hoc disce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est, eius quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum. Aut certè quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videtur bona, non tamen eos ad salutem sempiternam regnumque perducere: scito nos illud bonum hominũ, dicere illam voluntatem bonam, illud opus bonum, sine Dei gratia quæ datur per vnum mediatorem Dei & hominum, nemini posse conferri; per quod solũ homo potest ad æternũ Dei donum regnumq; perduci. Omnia proinde cætera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine vllo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona. Voluntas quippe infidelis atque impia non est bona. Dicantur secundum te huiusmodi voluntates arbores

1.Cor.12.
1.Ioan.1.
Matth.6.
Matth.7.
Heb.11.
Occupatio.
Matth.7.
Arbor quatenus bona vel mala.
Occupatio.
Galat.5.
Non omnis misericordia bona.
Exodi 23.
1.Reg.15.
Bona opera quæ faciunt infideles, Dei esse dona.
Matth.6.
Oculus, intentio est operantis.
Occupatio.

res bonę, sufficit quòd apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonæ. Sint inter homines fructuosæ, inter quos sunt & bonæ, te authore, te laudatore, si vis etiam plãtatore: dum tamen illud velis nolis obtineam, quòd amor mundi, quo quisque amicus est huius mũdi, non est à Deo: amorque fruendi quibuscunque creaturis sine amore creatoris, non est à Deo. Amor autem Dei quo peruenitur ad Deum, non est nisi à Deo patre per Iesum Christum cum Spiritu sancto. Per hunc amorem creatoris, bene quisque vtitur etiam creaturis. Sine hoc amore creatoris, nullus quisquam bene vtitur creaturis. Hoc ergo amore opus est, vt bonum beatificum sit & pudicitia coniugalis, vt sit eius intentio quãdo vtitur coniugis carne, non in voluptate libidinis, sed in volũtate propaginis. Si autem vicerit, & propter seipsam non propter filios propagãdos fieri aliquid extorserit, & voluptas veniale peccatum sit propter nuptias Christianas.

Sine amore creatoris nemo bene vtitur creaturis.
Bonum beatificum.

CAPVT IIII.

NON autem dixi, quod interpositis aliis ex libro meo verbis me dixisse dixisti, *ideo filios esse sub diaboli potestate, quia de corporum commixtione nascuntur*. Aliud est enim dicere, de corporum commixtione nascuntur: aliud *quia de corporum commixtione nascuntur*. Non autem ibi causa mali est, quia de corporum commixtione nascuntur. Neque enim etiam si natura humana primorum hominũ peccato vitiata non esset, possent filij nisi de corporum commixtione generari. Sed ideo sub diaboli potestate sunt, qui de corporum commixtione nascuntur, antequam per spiritum renascantur; quia per illam nascuntur concupiscentiam, qua caro concupiscit aduersus spiritum, & aduersum se cogit concupiscere spiritum. Quæ pugna boni & mali nulla esset si nemo peccasset. Sicut autem ante hominis iniquitatem nulla erat, ita post infirmitatem nulla erit.

Etiam in paradiso ad filiorum procreationem corporis fuisset necessaria commixtio.

CAP. V.

SED alia rursus mea verba proponis, & copiosissimè disputas: *Quoniam ex imparibus bonis compositi sumus, animum corpori debere dominari. Quorum alterum nobis cum diis, alterum cum beluis commemoratur esse commune. Et ideo id quod est melius, id est, animum virtute præditum* dicis *& membris corporis bene & cupiditatibus imperare*. Nec consideras, quòd cupiditatibus non sic imperatur vt membris. Cupiditates enim malæ sunt, quas ratione frenamus, cõtra quas mente pugnamus. Membra verò bona sunt, quæ voluntatis mouemus arbitrio, exceptis genitalibus, quamuis & ipsa ex Dei opere bona sint. Quæ ideo pudenda dicuntur, quia plus in eis mouendis potestatis habet libido, quàm ratio. Quæ tamen non finimus perpetrare quò prouocat ipsa commotio, cùm membra cætera facili teneamus imperio. Quando autem malè vtitur homo mẽbris bonis, nisi quando consentit eis, quæ in nobis habitant cupiditatibus malis? In quibus libido præ cæteris turpis est, cui nisi resistatur, horrẽda immunda cõmittit. Quo malo bene non vtitur, nisi sola pudicitia coniugalis. Hæc autem libido ideo malum non est in beluis, quoniam non repugnat rationi qua carẽt. Cur autẽ non creditis, hominib. in paradiso cõstitutis ante peccatum, diuinitus potuisse concedi, vt trãquilla motione & cõiunctione vel commixtione membrorum sine vlla libidine filios procrearent: aut in eis saltem libido talis esset, cuius motus nec præcederet, nec excederet voluntatem? An vobis libido parum est quia placet, nisi & talis placeat, quæ nolentes etiam repugnantesque solicitet? De qua Pelagiani quidem etiam litibus gloriantur tanquam de aliquo bono, sed eam sancti gemitibus confitentur, vt liberentur à malo.

Salustius in Prol. Catil.
Cupiditatibus non vt membris imperamus.
Pudenda vpa. dicta.
Libido cur in beluis vitium non sit.

CAPVT I. lib. 1. De vpt. & concup. c. 4.

RIDENDA *contrarietate me dixisse* calumniaris, *alios reos ex bono, alios sanctos ex malo opere*: quoniam dixi *nuptiarum bonum homines infideles infideliter vtendo, in malum peccatumq; conuertere: eoq; modo concupiscentiae malum conuertere fidelium nuptias in vsum iustitiae*. Ac per hoc non dixi alios reos ex opere bono, sed ex opere malo, quo malè vtuntur bonis: nec alios sanctos ex opere malo, sed ex opere bono, quo bene vtuntur malis. Si non vis intelligere, aut si te fingis non intelligere, noli obstrepere volentibus & valentibus intelligere.

CAPVT VI.

SI *aliquis malus condi posset*, inquis, *nunquam in bonum ablutione transiret*. Eo modo diceret corpus quod mortale conditum est, fieri immortale non posse: & tamen vt illud, ita & hoc falsum diceres. Non enim Deus malum condidit, cùm hominem condidit; sed bonum quod ipse condidit, malum trahit ex peccato, quod ipse non condidit: & sanat hoc malum quod ipse non condidit, in bono quod condidit. Cùm autem nos non dicamus *dæmones instituisse connubium, nec seminalem sexus vtriusque mixtionem*, nec *diabolicum opus esse causa generandi concubitum coniugum*; quoniam hæc omnia Deus instituit, & possent esse sine concupiscentiæ malo, si vulnus præuaricationis vnde sequeretur discordia carnis & spiritus, inflictum non fuisset à diabolo: nónne te respicis, & de tua garrula loquacitate, qua inania fabulatus es, erubescis, *quòd* scilicet *deprehendant dæmones in concubitu coniugatos, & tanquam in sua operatione deprehensos, non sinant generare filios regenerationi liberandos*. Quasi diabolus si quod vellet faceret, non ipsos maiores impios adhuc in eiusdem diaboli positos potestate quando cognosceret disponere fieri Christianos, continuò suffocaret. Non est ergo consequens, vt parentibus regenerandos generantibus, & propter hoc concumbentibus, dæmones minaciter ac terribiliter contradicant, sicut tibi ipse confingis: quia per vulnus à diabolo inflictum, in quo claudicat genus humanum, aliquid creante Deo gignitur, quod ex Adam transferatur ad Christum; cùm legio dæmonum nec porcos in potestate habere potuerit, nisi petentibus permitteret Christus: & nouerit etiam de ipsis quas eum facere permittit, diaboli persecutionibus coronas suscitare martyribus, vtens bene omni genere malorum ad vtilitatem bonorum. Sed in illis quoque coniugibus, qui filiorum regenerationem, vel non cogitant, vel etiam detestantur, bonum opus est nuptiarum, generandi causa commixtio legitima sexuum, cuius operis fructus est ordinata susceptio filiorum: quamuis eo bono malè vtantur, & in eo peccent, quòd de impia vel propaganda vel propagata prole gloriantur. Homines enim qualibet peccati contagione vel perpetratione polluti, inquantum homines sunt, bonum sunt; & ideo bonum est vt nascantur, quia bonum sunt. Nec tamen *vt gignantur, ideo adulteria vel quæque stupra facienda sunt*, ad quam nos absurditatem putas posse cõpelli, quia nuptias de malo libidinis, bonum prolis dicimus operari. Sed nullo modo ex hac nostra vera rectaque sententia illud peruersum falsumque conficitur. Neque enim quia Dominus ait, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ideo adhuc addere iniquitatem debemus, & furta rapinasque committere, vt plures pauperes sanctos misericordia largiore pascamus. Sicut ergo de mammona iniquitatis faciendi sunt amici, qui recipiant in tabernacula æterna: ita coniugibus de plaga peccati originalis gignendi sunt filij, qui in vitam regenerentur æternam. Et quemadmodum furta, fraudes, deprædationes adiiciendæ non sunt, vt per iniquitates aucta pecunia plures amici iusti inopes comparentur: sic adulteria, stupra, fornicationes, malo cum quo nati sumus, addenda non sunt, vnde filij numerosiore stirpe nascantur. Aliud quippe est malo bene vti, quod iam inerat: & aliud est malum perpetrare, quod non erat. Illud enim est de malo tracto ex parentib. voluntarium

Diabolus nihil potest, nisi quatenus Deus dat potestatem.
Matth.8.
Luca 16.

luntarium bonum facere: hoc verò malum à parentibus tractum aliis malis iam propriis & voluntariis aggerare. Sanè interest quòd mammona iniquitatis cum laude indigentibus erogatur: carnalis autem concupiscẽtia laudabiliùs continẽtiæ virtute frenatur, quàm fructibus impenditur nuptiarum. Tam magnum est enim malũ eius, vt eo nõ vti, quàm bene vti sit melius.

Concupiscentiæ quantum malum.

CAPVT VIII.

ALIA deinde mea verba proponis, & multum adversus ea nihil dicis, replicans quædam quæ superiore disputatione consumpta sunt. Quæ si & ego repetere velim, quis erit finis? Inter quæ dicis etiam illud vestrũ contra Christi gratiã, sæpe à vobis inaniter dictũ: *quòd* scilicet *appellatione gratiæ, bonos fieri homines fatali necẽsitate dicamus*; cùm vobis ora obstruant, & linguas premant, qui loqui nondum valent. Cùm enim loquacissimè laboretis astruere ac persuadere, quod Pelagius in Palæstinorũ episcoporũ cognitione damnauit, *gratiam Dei secundum merita nostra dari*, nullã tamẽ merita potestis asserere paruulorum, per quæ discernantur, qui eorum in Dei filios adoptantur, ab eis qui sine huius gratiæ consecutione moriuntur. Calumniaris me dicere, *nihil studij expectari ab humana voluntate debere, contra illud euangelicum quo ait Dominus, Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Ibi enim vos, vt video, ponere iam cœpistis merita gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, pulsare, vt his meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter nuncupetur; tanquam gratia nulla præcesserit, & cor tetigerit, vt beatificum bonum peteretur à Deo, vt quæreretur Deus, vt pulsaretur ad Deum: frustraque sit scriptum: Misericordia eius præueniet me. Frustra etiam nos pro inimicis nostris iubeat orare, si non est eius auersa, & aduersa corda conuertere. Sed ponis apostolicum testimoniũ, *& ab eo* dicis *pulsantibus aperiri, qui omnes homines vult saluos fieri; & in agnitionem veritatis venire*: vt videlicet intelligamus docẽtibus vobis, ideo non omnes saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quia ipsi nolunt petere, cùm Deus velit dare: nolunt quærere, cùm Deus velit ostendere: nolunt pulsare, cùm Deus velit aperire. Sed hunc sensum vestrum infantes illi ipsa sua taciturnitate conuincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulsant; imò etiam cùm baptizantur, reclamant, respuunt, reluctantur; & accipiunt tamen & inueniunt, & aperitur eis, & intrant in regnum Dei, vbi sit eis æternitatis salus & agnitio veritatis; longè pluribus infantibus in istam gratiam non adoptatis ab eo, qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quibus dicere non potest, volui, & noluistis, quia si voluisset, quis eorum qui nondum habent voluntatis suæ arbitrium, voluntati eius omnipotẽtissimæ restitisset? Cur ergo non sic accipimus quod dictum est, Qui omnes vult homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: quomodo & illud accipimus, quod idem dixit Apostolus, Per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ? Hos enim omnes vult Deus saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, in quos omnes per vnius iustificationem gratia peruenit ad iustificationem vitæ, ne dicatur nobis, Si Deus vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, sed ideo non veniunt, quia ipsi nolunt: cur tot milia paruulorum, qui non percepto baptismate moriuntur, non veniunt in regnum Dei, vbi certa est agnitio veritatis? Nunquid aut homines non sunt, vt non pertineant ad id quod dictum est, omnes homines? Aut aliquis poterit dicere, Deus quidem vult, sed ipsi nolunt, qui nõdum velle seu nolle ista nouerunt; quando nec ij, qui paruuli baptizantur, atque moriuntur, & per illam gratiam ad agnitionem veritatis quæ in regno Dei est certissima, veniunt, ideo veniunt, quia ipsi renouari Christi baptismate voluerunt? Cùm ergo nec illi propterea non baptizentur, quia noluerunt; nec isti propterea baptizentur, quia nolunt; cur Deus qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, tam multos in regnum suum, vbi est certa veritatis agnitio, qui nullo ei resistunt volũtatis arbitrio, patitur nõ venire? Nisi fortè dicturus es, ideo paruulos non in eorum numero deputandos, quos Deus omnes vult saluos fieri, quia ea salute, quæ hîc intelligenda est, salui sunt ipsi, nihil trahentes omnino peccati. Atque ita intolerabilior sequetur absurditas. Isto enim modo beneuolentiorem facis Deum omnibus impiissimis & sceleratissimis hominibus, quàm innocẽtissimis & purissimis ab omni labe peccati. Quandoquidem illos, quia vult eos omnes saluos fieri, vult etiam intrare in regnum suum. Hoc est enim illis consequens si salui fuerint: sed qui nolunt, ipsi sibi obsunt. Immensum verò numerum paruulorum, qui sine baptismate moriuntur, suo regno adiici non vult, quos neque vlla peccata, sicut putatis, impediunt; & quod nullus ambigit, eius resistere voluntati contraria voluntate non possunt. Sic fit, vt esse Christianos omnes velit, quorũ multi nolunt: non omnes velit, quorum est nemo qui nolit. Quod abhorret à vero. Nouit Dñs qui sunt eius: & in eorum salute atque in suum regnum introductione certa est voluntas eius. Sic ergo debet intelligi quod dictum est: Omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire, quemadmodum intelligitur quod dictum est: Per vnius iustificationẽ in omnes homines ad iustificationem vitæ. Quod apostolicum testimonium si eo modo intelligendum putas, vt dicas omnes positos esse pro multis, qui iustificantur in Christo, multi quippe alij non viuificantur in Christo: respondebitur tibi; sic etiam illic vbi dictũ est, omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: omnes positos esse pro multis, quos ad istam gratiam vult venire. Quod multo conuenientiùs propter hoc intelligitur dictum, quia nemo venit, nisi quem venire ipse voluerit. Nemo potest venire ad me, inquit filius, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Et, Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Omnes ergo qui salui fiunt, & in agnitionem veniunt veritatis, eo volente salui fiunt, eo volente veniunt. Quia etsi nondũ sicut paruuli vtuntur voluntatis arbitrio, eo volente regenerantur, quo creante generantur. Et qui iam vtuntur voluntatis arbitrio, nisi eo volente ac subueniente à quo præparatur voluntas, velle non possunt. Vbi si dixeris mihi: Cur ergo non conuertit omnium nolentium voluntates? Respondebo: Cur non omnes morituros adoptat lauacro regenerationis infantes, quorum adhuc nullas, & ideo nec contrarias inuenit voluntates? Si hoc profundius esse perspicis, quàm vt abs te valeat inueniri, vtrunque vtrique nostrum profundum sit, cur & in maioribus & in minoribus Deus velit alteri, & nolit alteri subuenire: dum tamẽ certum & immobile teneamus, non esse iniquitatem apud Deum, quamquam sine malis meritis damnet: & esse bonitatem apud Deum, qua multos sine bonis meritis liberet: demonstrans in eis quos damnat quid omnib. debeatur: vt hinc discãt quos liberat, quæ sibi pœna debita relaxetur, & quæ indebita gratia cõdonetur. Hæc vt Christianis cordibus conuenit cogitare nescitis, & vos potius secundum vestram sententiam *fato ista* dicitis *fieri*. Vestra quippe non nostra sententia est, *fato fieri quod merito non fit*. Et ne secundum istam definitionem fato fiant hominibus, si meritis non fiãt, quæcunque fiunt, ideo merita vel bona vel mala quantũ potestis, asseritis, ne fatum sit cõsequens, si merita negaretis. Ac per hoc dicitur vobis, si ea quæ nullis meritis

Occupatio.

Psal. 58.
Matth. 5.
1. Tim. 2.
Matth. 7.
Beatificum bonum.
Psal. 58.
Matth. 5.
Matth. 23.
Quomodo vult Deus omnes saluos fieri Roman. 5.
Ioann. 6.
Prou. 8. secundum 170.
Occupatio.
Fato fieri quod merito non fit, Pelagianorum est sententia.

tis præstantur hominibus, fato fieri iam necesse est, & ideo merita astruenda sunt, ne fatum sit consequens: si merita non sunt, fato baptizantur, fato intrant in regnum Dei paruuli, quorum bona merita nulla sunt. Et rursus: Fato non baptizantur, fato non intrant in regnum Dei paruuli, quorum mala merita nulla sunt. Ecce pusilli qui fari nequeunt, vos potius assertores fati esse conuincunt. Nos autem cùm vitiatæ originis mala merita esse dicamus, gratia dicimus intrare paruulum in regnum Dei, quoniam bonus est Deus: & alium merito non intrare, quoniam iustus est Deus: & in neutro esse fatum, quoniam quod vult facit Deus. Sed cùm sciamus ab eo, cui misericordiam & iudiciũ fideli voce cãtamus, istum secundum iudiciũ damnari, illum secundum misericordiam liberari: cur istum potius, quàm illum damnet aut liberet, nos qui sumus qui respondeamus Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa originis vitiatæ atque damnatæ facere aliud vas in honorem secundũ misericordiam, & aliud in contumeliam secundum iudicium? Ideo non vtrumque in honorem, ne hoc meruisse se existimet tanquam inculpata natura: ideo nõ vtrumque in cõtumeliam, vt iudicio superexultet misericordia. Ac per hoc nec damnatus ex debito, de supplicio iustè queritur; nec liberatus gratis, de merito superbè gloriatur; sed potius humiliter gratias agit, quando in illo à quo debitum exigitur, quid in eadem causa sibi donetur agnoscit. Asseris me in alio libro meo dixisse, *negari liberum arbitrium, si gratia commendetur: & iterum negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium.* Calumniaris. Nõ hoc à me dictum est, sed propter ipsius quæstionis difficultatem videri hoc potest dictum esse & putari. Non est multum vt ipsa verba mea ponam, vnde videant qui hæc legunt, quemadmodum scriptis meis insidieris, & qua conscientia, vel tardis, vel ignaris cordibus abutaris, vt ideo te existimẽt respondere, quia non vis tacere. In nouissimis enim partibus primi libri mei ad sanctum Pinianum, cuius est titulus, De gratia Dei contra Pelagium: *Ista, inquam, quæstio vbi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri, & cæt.* Tu autem vir honestus & verax, abstulisti verba quæ dixi, & dixisti quod ipse finxisti. Ego enim dixi, *istam quæstionem ad discernendum esse difficilem*, non autem dixi non posse discerni. Multo minus ergo dicerem, quod me dixisse mentiris, *negari liberum arbitrium, si gratia commendetur, & negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium.* Redde verba mea, & vanescet calumnia tua. Repone suis locis, vbi dixi, *videatur*: vbi dixi, *putetur*: vt appareat de re tanta quibus abs te fraudibus disputetur. Non dixi *negari gratiam*, sed *vt negari gratia videatur*. Non dixi *negari arbitrium liberum, vel auferri*, sed dixi, *vt putetur auferri.* Et promittis *cùm libri ipsi ventilari cœperint, quòd abs te illa sententiarum mearum & nudabitur & confodietur impietas.* Quis non expectet sapiẽtiam differentis, qui fidem cognouerit mentientis? Quid est autem quod loqueris *nihil pertinere ad laudem gratiæ si id donet suis, quod peccata impiis largiuntur?* Propter pudicitiam scilicet coniugalem, quam tibi habere videntur & impij. Homo contentiose, virtus donatur vera per gratiam, non quæ vocatur, & non est. Vt quid autem pudicitiã & virginitatem quasi eiusdem generis iungis? Pudicitia est res animi, virginitas corporis. Denique illa integra in animo permanente, potest ista de corpore violenter auferri. Et cùm ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciua voluntate corrumpi. Propter quod ego non dixi verum coniugiũ, siue viduitas, siue virginitas; sed *vera pudicitia, siue coniugalis, siue vidualis, siue virginalis, dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur.* Coniuges enim & viduæ & virgines possunt esse, & pudicæ non esse, si contaminata voluntate mœchantur, si spiritu impuro stupra perpetranda decernunt. In quibus tamen veram pudicitiam dicis esse, etiam si animo fornicẽtur, quod facere omnes impios eloquia diuina testantur. Quis autem nostrũm dicit coniugalium membrorum malum esse consertum, in quo nuptiæ bene vtuntur ad propagandos filios cõcupiscentiæ malo? Quæ concupiscentia malum non esset, si sola generandi causa ad licitum concubitum moueretur. Nunc verò cùm ei resistit coniugalis pudicitia, limes est mali, & ideo bonũ est. Vnde non *crimen eius* (sicut calumniãdo loqueris) *impunitum fit per religionem*, quia nullius est criminis quando per fidei bonum bene vtitur libidinis malo. Neque hîc dici potest vt putas, *Faciamus mala vt veniant bona*: quia ex nulla sui parte malum sunt nuptiæ. Non enim earum malum est, quod in hominibus quos parentes gignunt, non fecerunt, sed inuenerunt. In primis autem coniugibus, qui ex nullis parentibus nati sunt, per peccatum accidit carnalis concupiscentię discordiosum malum, quo nuptiæ bene vterentur; non per ipsas nuptias, vnde meritò damnarentur. Quid ergo quæris, *vtrum in coniugibus Christianis cõuentuum voluptatem, pudicitiam, an impudicitiam nominem?* Ecce respondeo; non ipsa nominatur pudicitia, sed eius mali vsus bonus; quo vsu bono fit, vt illud malum nec impudicitia dici possit. Impudicitia est enim eiusdem mali vsus flagitiosus: sicut pudicitia virginalis eiusdem mali vsus nullus. Sanatur igitur pudicitia coniugali, malum de malo nascendo trahitur, quod renascendo purgatur. *Sed si propter hoc*, inquis, *libidinis malum etiam de coniugibus Christianis proles criminosa profertur, sequitur vt pudicitia virginalis sit felicitatis illatrix. Et quia in impiis inuenitur*, inquis, *antecellunt infideles pudicitiæ virtute sublimes, Christianis libidinis tabe pollutis.* Non est ita vt dicis, multũ falleris. Nec libidinis enim tabe polluũtur, qui libidine bene vtuntur; quãuis generẽt libidinis tabe pollutos, & ideo regenerandos. Nec in impiis inuenitur pudicitia virginalis, quamuis inueniatur virginitas carnis; quia vera pudicitia non potest haberi in animo fornicante. Ac per hoc non anteponitur virginale bonũ impiorum, bono coniugali fidelium. Sed coniuges bene vtentes malo, anteponuntur virginibus malè vtentibus bono. Et ideo cùm fideles coniugati bene vtuntur malo libidinis, non *apud eos* (vt calumniaris) *propter fidem exercetur impunitas criminis*, sed in eis propter fidem vera non falsa virtus est castitatis. Quid autem ad nos pertinet, quia Manichęos dicere affirmas, *si quis homicidium conscientia formidante commiserit, reus est, quia timuit: si autem aliquod facinus exultante perpetrauerit audacia, velut credens se ex fide facere quod malè fecit, euasit culpam?* Quod quidem nunquam audiui dicere Manichæos. Sed quid ad nos, siue dicant, siue etiam ipsis calumnieris: cùm hoc catholica fides non dicat, quam tenemus, & cuius te pondere vrgemus. Nos enim ea quę videntur opera bona, dicimus non esse vera bona sine fide, quoniam opera verè bona necesse est Deo placere, cui sine fide quia impossibile est placere, profectò quod verè opus est bonum, sine fide nõ potest esse. Veruntamen illa opera quę apertissimè mala sunt, non facit fides, quæ per dilectionem operatur: quia dilectio proximi malum non operatur. *Bona igitur concupiscentia naturalis*, inquis, erubescis enim dicere carnalis, *quæ cùm intra modum suum tenetur*, inquis, *nulla mali aspersione turbatur.* Quomodo tenetur intra modum suum quæso te, quomodo tenetur, nisi cùm ei resistitur? Cur autem resistitur, nisi ne impleat desideria mala? Quomodo est igitur bona?

Psal. 100.
Cap. 47.
Pudicitia & virginitas discriminatur.
Lib. de nup. & col. cap. 4.
In infidelibus virginitas esse carnis potest, non pudicitia virginalis.
Roman. 3.
Hebr. 11.
Gal. 5.
Roman. 13.

CAPVT IX. Lib. 1. De nupt. & concup. cap. 5. Genes. 1.

VENIS etiam ad verba illa libri mei, vbi dixi, *Nónne illi coniuges primi, quorum nuptias benedixit Deus, dicens, Crescite & multiplicamini; nudi erant, & non confundebantur? Cur ergo ex illis membris confusio post peccatum, nisi quia extitit illic indecens motus, quem nisi homines peccassent, proculdubio nuptiæ non haberent?* Hæc verba mea cùm videres secundum Scripturas ita posita, vt quicunque eundem locum libri Geneseos legit aut legerit, approbet sine dubitatione quod dixi; prolixa contradicendi disputatione multum sudasti, sed non sincerasti. Perstitisti quippe in sententia tua praua, quamuis meam rectam ipso experimento probares non abs te potuisse conuelli. In qua tua contradictione prætereo gestus & iactationes tuas, tanquam hominis anhelantis & peruenire quò nititur, non valentis, & in nebulis tamen quas perturbatus offundit, se peruenisse fingentis. Sed necessarios articulos sermonis tui, quantum me adiuuat Dominus, comprehendo atque confringo, vt totum corpus victum iacere conspiciat, qui & illa tua & hæc nostra perlegerit, præsertim quia illa quæ abs te multis modis repetuntur, etiam à nobis sæpe destructa sunt. Dicis hîc inter cætera, *in hoc quòd post peccatum primi homines erubescentes membra illa in quibus est libido, texerunt, inuenisse me vnde persuaderem, Deum aërea constituisse coniugia.* Si ergo aëra essent coniugia sine libidine, aërea erunt te authore corpora, quando libido non erit. An istam libidinem sic amatis, vt quomodo eam prius ante peccatum in paradiso positis, ita etiam resuscitatis corporibus ingeratis? Ego autem non dico, vt me dicere affirmas, *naturale non esse sine quo natura non est:* sed dico, naturale appellari vitium, sine quo nunc natura humana non nascitur, quæ tamen non sic instituta est ab initio. Ideóque & hoc malum non ab illa prima institutione naturæ, sed à primi hominis mala voluntate originem ducit. Nec permanebit, sed aut damnabitur, aut sanabitur.

Augustini sententiam Iuliani cimici comparat.

Sententiam meam cimicem dicis, *qui vt molestam viuus, sic fœtorem præstat attritus*; quasi *verecunderis*, vt loqueris, *vincendo me atterere*; vel *tanquam victus ad loca*, vt dicis, *cænosa confugerim, exhorreas consequi atque perimere: quia videlicet partes disputationis tuæ, quibus atterendus vel perimendus sum, quoniam de pudendis loqui cogeris, velut quidam æditui pudor tuus à verborum*, sicut perhibes, *libertate submouit*. Quare non potius de bonis quæ laudas, liberè loqueris? Quare nó est de opere Dei verborum libertas, si eius intemerata permanet dignitas, nec aliquid ibi egit peccatum, vnde potius incuteret pudorem, & verborum comprimeret libertatem?

CAP. X.

SI *non sunt*, inquis, *nuptiæ sine libidine, & generaliter à vobis libido damnatur, damnatis & nuptias.* Posses dicere, quia damnabitur mors, omnes damnãdos esse mortales. Si autem libido de connubio esset, profectò ante connubium vel præter connubium nulla esset. *Non potest*, inquis, *dici morbus sine quo non est connubium, quia potest esse connubium præter peccatum. Morbus autem*, inquis, *ab Apostolo peccatum dicitur.* Sed respondetur tibi, Non omnis morbus peccatum dicitur. Iste autem morbus pœna peccati est, sine qua non potest esse humana natura; nondum ex omni parte sanata. Si autem propterea libido malum non est, quia sine illa non fit nuptiarum bonum: econtrario nec corpus bonum est, quia sine illo non fit adulterij malum. Hoc autem falsum est, sic ergo & illud. Quis autem nescit coniugatis Apostolum præcepisse, vt sciret vnusquisque eorum suum vas possidere, hoc est, vxorem suam, non in morbo desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum. Qui ergo de hac re Apostolum legit, te negligit. Et non erubescis istum morbum, vel quod tu quamuis pudibundus fateris, istam libidinem introducere in paradisum, & tribuere coniugibus ante peccatum? Ideóne tu non in cœno abscõditus latitas, qui libidine carnis & sanguinis quasi paradisi flore roseo te coronas, & tanquam libenter tali colore perfusus, & erubescis & laudas.

1. Thess. 4.

CAPVT XI.

QVID quod te tantum delectat loqui, vt quod cõfitemur & docemus, tãquam negemus superflua prolixitate sermonis probare conetis? Quis enim negat futurum fuisse concubitum, etiam si peccatum non præcessisset? Sed futurus fuerat, sicut aliis membris, ita etiam genitalibus voluntate motis, non libidine concitatis, aut certè etiam ipsa libidine, vt non vos de illa nimium contristemus, non qualis nunc est, sed ad nutum voluntarium seruiente. Verùm vos pro suscepta vestra tam fideliter laboratis, vt vim patiamini, nisi eam qualis nunc est, etiam in paradiso collocetis; nõ ibi de peccato dicentes talem factam, sed talem nullo peccante fuisse mansuram, cum qua in illa pace dimicaretur, aut ne dimicaretur quotiensçunque surgeret, expleretur. O sanctas paradisi delicias! O frõtem qualiumcunque episcoporum! O fidem qualiumcunque castorum!

Futurus erat coniugalis concubitus etiam si non peccasset.

CAPVT XII.

SED volés ostẽdere non omnia quæ tegũtur, ex peccato erubescẽda putãri oportere, multũ inaniter multa cõmemoras, quę in nostro corpore naturaliter tecta sunt; quasi post peccatũ tecta sint; sicut illi hoĩes vnde inter nos quæstio est, quæ ante peccatũ, nec pudenda, nec tecta fuerant, post peccatũ pudenda texerunt. *Balbus*, inquis, *apud Tulliũ cum Cotta verè diligenterq; disseruit. Vnde ob hoc pauca ponis*, vt dicis, *vt oneres pudorem meum, non ea me intellexisse sub magisterio sacræ legis, ad quorũ notionẽ gentiles solo rationis ductu peruenire potuerunt:* & ponis Balbi verba ex Ciceronis libro, per quæ nos doceas, quid senserint Stoici de animalium mutorum masculinis ac femininis diuersitatibus, de partibus corporis genitalibus, & miris commiscendorum corporum libidinibus. Quæ tamen verba, vel Tulliana, vel cuiuslibet alterius antequam interponeres, cautissimè prælocutus es, *quòd ideo sub bestiarum occasione sexuum tangat effectum, quia propter honestatem hoc in hominis descriptione præteriit.* Quid est *propter honestatem*? An in sexu hominis honestas confunditur, vbi Deus tanquam in excellentiore natura digniùs operatur? Sed docuerunt te Stoici disputare de occultis, nec docuerunt erubescere de pudendis. Adiungis deinde, *quomodo ipsum hominem oratione depingat*, vt dicis, *& quomodo disserat alui naturam stomacho esse subiectam, quòd cibi & potionis sit receptaculum: pulmones autem & cor extrinsecus spiritum adducant: multa in aluo mirabiliter effecta, quæ constarent ex neruis: & quòd sit simplex & tortuosa, arceátque & contineat, siue illud aridum sit, siue humidum quod receperit:* & cætera huiusmodi vsque ad illud, *quemadmodum reliquiæ cibi depellantur, tum astringentibus se intestinis, tum relaxantibus.* Cùm ergo posset etiam in bestiis ista describere, cur inde ad hominem transitum fecit, nisi quia ista pudenda non sunt: sicut nec in bestiis illa de sexuum genitalibus atque naturis; quæ tamen in homine pudenda sunt? Ea causa vtique, qua primitus post peccatum foliis ficulneis adoperta sunt. Nam cùm in descriptione humani corporis vsque ad illa extrema venisset, qua cibi reliquiæ depelluntur: *Quemadmodum*, inquit, *fiat, haud sanè difficile dictu est: sed tamen prætereundũ, ne quid habeat iniucunditatis oratio.* Non dixit cõfusionis, vel ne quid pudendum habeat oratio, sed ne quid iniucunditatis. Alia sunt enim quæ horrorem ingerunt sensibus, quòd deformia sint: alia quæ pudorem mentibus etiam si formosa sint: quia illa offendunt delectationem, commouent autem ista libidinem, vel libidine commouentur. Quid igitur te adiuuant hæc? *Quia ipse*, inquis, *opifex noster nullum suæ artis crimen agnouit,*

Lib. 2. De natura deorum.

agnouit, vt vitalia nostra iam diligenter occuleret. Absit planè vt artis suæ tantus artifex vllum agnouerit crimen. Sed cur ista texerit, iam paulo superius ipse dixisti, ne scilicet vel intereant, vel horreant publicata. Illa verò quæ foliis ficulneis texerunt coniuges primi, nec interibant vtique, nec horrebant, quando nudi erant, & non cõfundebantur. Et nunc pudicitiæ cautio potius ne libeat, quàm ne horreat illa species, eorundem membrorum deuitat aspectum. Frustra igitur testimonio Stoicorum iuuandam putasti tuam esse susceptam, non sanè illis amicam, qui nullam particulam boni humani in corporis voluptate posuerunt. Denique elegerunt in pecoribus potius quàm in hominibus, quod tu facis, laudare libidines. Eorum quippe opinioni conuenienter ait quodam loco Tullius, *se non putare idem esse arietis & Publij Aphricani bonũ.* Qua magis sententia te oportuit admoneri, quid de humana libidine sentire deberes. Sed si talibus literis vt aliquid agamus, placet, quia & in ipsis reperiuntur nonnulla vestigia veritatis, interim quæ ipse posuisti, nihil aduersus nos valere puto, quod iam debeas confiteri. Vide nunc vtrum ista quæ dicam, non euertant assertionem tuam. In libro tertio de Republica, idem Tullius *hominem dicit non vt à matre, sed vt à nouerca natura editum in vitam, corpore & nudo, & fragili, & infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tanquam obrutus quidam diuinus ignis ingenij & mentis.* Quid ad hæc dicis? Non hoc author iste malè viuentium moribus dixit effectum, sed naturam potius accusauit. Rem vidit, causam nesciuit. Latebat enim eũ cur esset graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omniũ: quia sacris literis non eruditus, ignorabat originale peccatum. Si autem de libidine quam defendis, bene sentiret, non ei pronus in libidines animus disputaret. Sed si hæc tanquam minora bona defendis, in quę non debet à supernis animus inclinari, non quia libido vitium est, sed quia infimum bonum, audi manifestiora quę dicat in eodem ipso libro de Republica tertio cùm ageret de causa imperandi: *An non*, inquit, *cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa vtilitate infimorum datum? Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini iracundiæq;, & cæteris vitiosis eiusdem animi partibus?* Iámne saltẽ docẽte isto has, quas bonas esse defendis, vitiosas partes animi cõfiteris? Adhuc audi. Paulo pòst enim, *Sed & imperandi, & seruiẽdi*, inquit, *sunt dissimilitudines cognoscendæ. Nã vt animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini: sed corpori, vt rex ciuibus suis, aut parens liberis; libidini autem, vt seruis dominus, quo eam coercet & frangit. Sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia ciuibus sociisq; præsunt, vt corporibus animus. Domini autem seruos ita fatigant, vt optima pars animi, id est, sapientia eiusdem animi vitiosas imbecillasq; partes, vt libidines, vt iracundias, vt perturbationes cæteras.* Habẽsne adhuc quod cõtra nos de secularium literarum authoribus garrias? Sed si contra Episcopos eloquiorum diuinorum præclarissimos tractatores, pro isto (quem à te Deus auertat) errore quæsiturus est, quid dicas, quóue modo illorum sanctitati resistas; quid tibi erit Tullius, vt non eum in hac sententia desipuisse ac delirasse contendas? Tace ergo de illius generis libris, & noli nos inde aliquid contumeliosè docere conari, ne quorũ te inaniter subleuari credis, eorum testimoniis cõprimaris.

In prophanorum scriptorũ libris nonnulla veritatis reperiuntur vestigia.

Cicero lib. 3. de Republ.

Eccles. 40.

Ibidem.

Ibidem.

CAPVT XIII.

QVID autem de motu feminæ, cuius & ipsam puduit, inaniter argumentandum putasti? Non vtique femina motum visibilem texit, sed cùm in eisdem membris tale aliquid sentiret occultiùs, quale vir senserat; ambo texerunt, quod alterutrum videndo in alterutrum commoti ambo senserunt, & vel vnusquisq; sibi, vel alter alteri erubuerunt. Sed loquens vana, *petis vt ignoscant verecũdæ aures, & cõgemiscant potius, quàm indignentur necessitati tuæ.* Quare confunderis de Dei operibus disputare? Quare petis vt ignoscatur tibi? Nónne abs te veniæ postulatio, etiam ipsa est libidinis accusatio? *Sed si poterat*, inquis, *virile membrum & antea moueri, nihil ergo nouitatis inuexit delictum.* Poterat planè etiam antea moueri, sed non erat decens vt puderet, quando id mouebat voluntatis imperium; non caro concupiscens aduersus spiritum. In hoc enim extitit nouitas pudenda, quam defendit impudenter nouitas vestra. Nunquam verò ego motum genitalium reprehendi generaliter, quod tu dicis *dedicatiuè*; sed illum motum reprehendi quem facit concupiscentia, qua caro concupiscit aduersus spiritũ: quam velut bonum cùm defendat error tuus, nescio quemadmodũ aduersus illam velut aduersus malum, concupiscat spiritus tuus. *Si in fructu ligni illius*, inquis, *hæc fuit libido, à Deo facta esse monstratur, & per hoc bona quoque ipsa defenditur.* Sed respondetur tibi, Non in fructu ligni fuit libido, & ideo bonum erat lignũ: sed mala est inobedientia libidinis, quæ aduersus hominis inobedientiã quam in ligno admisit, Deo deserente surrexit. Absit enim vt Deus de ligno bono cuicũque ætati illorum hominum quocunque tempore beneficium tale conferret, vt haberent in membris aduersarium contra quem pudicitia dimicaret. Nouimus autem Ioãnem Apostolum, non mundum istum, id est, cælum & terram, & omnia quæ in eo substãtialiter sunt, qui mundus factus est à patre per filium, reprehendisse, cùm diceret, Omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio secuti, quæ non est à patre, sed ex mũdo est. Nouimus hęc, nolo nos doceas. Sed quam concupiscentiam carnis dixerit à patre non esse, tu volés exponere, luxuriam intelligendam esse dixisti. Sed cùm abs te quæro, cui cõsentiatur, vt sit luxuries, vel cui repugnetur vt non sit, tua tibi suscepta occurrit in faciem, vtrum adhuc laudanda tu videris, cui consentite luxuria est, cui repugnare continentia est. Vbi miror si deliberas, vtrum eã magis debeas cum luxuria vituperare, quæ sit per eius assensum; an eam laudare cum continentia, quæ illi ingerit bellum. In quo bello pudicitia est victoria continentiæ, luxuria victoria concupiscentiæ. Tu autem iudex incorruptus atque integer, cùm laudes continentiam, vituperesq́ue luxuriam: sic tamen accipis personam concupiscentiæ, quam tu videris cur offendere timeas, vt eam non erubescas cum sua laudare aduersaria, nec audeas cum sua vituperare victoria. Sed absit vt quilibet homo Dei sic te audiat vituperatorem luxuriæ, vt approbet concupiscentiæ laudatorem: & ex tuo sermone arbitretur bonum, quod in seipso experitur malum. Denique qui concupiscentiam quam prauè laudas, confligendo vicerit, luxuriam quã rectè vituperas, non habebit. Quomodo autem Ioanni Apostolo obtemperamus, si concupiscentiam carnis diligimus? Respondebis, *non est ipsa quam laudo.* Et quæ illa est quam Ioannes dicit à patre non esse? *Luxuria*, inquies. Sed luxuriosi non erimus, nisi istam quam laudas concupiscentiam diligamus. Ac per hoc nolite diligere carnis concupiscentiam, cùm dicebat, luxuriosos nos esse nolebat. Ab hac igitur abs te laudata carnis concupiscẽtia diligẽda prohibemur, quando à luxuria prohibemur. Hæc autem quam diligere prohibemur, non est à patre: hæc igitur concupiscẽtia quam laudas, nõ est à patre. Duo enim bona quæ à patre sunt, inter se pugnare non possunt. Pugnãt autem inter se cõtinentia & cõcupiscentia. Quid horũ à patre magis velis esse respõde. Video quas patiaris angustias; faues quidẽ concupiscẽtiæ, sed erubescis continentię.

1. Ioan. 2.

Vincat

Vincat pudor tuus, eoque vincatur error tuus. Cùm igitur à patre sit continentia qua debellatur carnis cõcupiscentia; sume à patre continentiam, cui recta fronte erubuisti; & vince concupiscentiam, quam peruerso ore laudasti.

CAPVT XIIII.

QVINETIAM putasti, omnium sensuum voluptatem in auxilium conuocandam; tanquam voluptas genitalium nec tanto patrono sibi sola sufficeret, nisi sociarum cuneus subueniret. *Consequens enim existimas, vt sensum videndi, audiendi, gustandi, olfaciendi, atque tangendi, non à Deo, sed à diabolo nobis fateamur esse collatum: si concesserimus eam concupiscentiam carnis, cui per continentiam repugnamus, non fuisse in paradiso ante peccatum, & ex illo accidisse peccato, quod primum primo homini diabolus persuasit.* Sic ignoras vel ignorare te fingis per quemlibet corporis sensum aliud esse sentiendi viuacitatem, vel vtilitatem, vel necessitatem, aliud sentiendi libidinem. Viuacitas sentiendi est, qua magis alius, alius minus in ipsis corporalibus rebus pro earum modo atque natura quod verum est, percipit, atque id à falso magis minúsue discernit. Vtilitas sentiendi est † per quam corpori vitaeque quam gerimus, ad aliquid approbandum vel improbandum, sumendum vel reiiciendum, appetendum, vitandúmue consulimus. Necessitas sentiendi est, quando sensibus nostris etiam quæ nolumus ingerũtur. Libido autem sentiendi est, de qua nunc agimus, quæ nos ad sentiẽdum, siue cõsentientes mẽte, siue repugnãtes, appetitu carnalis voluptatis impellit. Hæc est contraria dilectioni sapientiæ, hæc virtutibus inimica. Hoc malo quantũ attinet ad eam partem, qua sibi sexus vterque miscetur, bene vtuntur nuptiæ, cùm coniuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam. Hanc si voluisses, vel valuisses à sentiendi viuacitate, vtilitate, necessitate discernere, videres quàm superfluò tã multa dixisses. Non enim ait Dominus, Qui viderit mulierem, sed qui viderit ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo. Ecce sensum videndi à libidine sentiendi, si peruicax non sis, breuiter aperteq; discreuit. Illud Deus condidit, instruendo corpus humanum, illud diabolus seminauit persuadẽdo peccatum. Laudent ergo cælum & terram & omnia quæ in eis sunt, homines pij, & ex his omnibus Deum, consideratione pulchritudinis, non ardore libidinis. Sicut auri decus aliter laudat religiosus, aliter auarus. Iste cũ pietate venerandi creatorem, ille cum libidine possidẽdi creaturam. Mouetur certè animus ad pietatis affectum, diuino cantico audito: tamen etiã illic si sonũ, non sensum libido audiendi desideret, improbatur: quanto magis si cantiunculis inanibus vel etiam turpibus delectatur? Cæteri tres sensus corpulentiores, & quodammodo crassiores sunt, nec se foras proiiciunt, sed interius quod ad eos pertinet, agunt. Odor ab olfaciente discernitur, sapor à gustante, tactus à tangente plurima. Non enim hoc est calidum & frigidũ, quod leue & asperum, aut ista hoc sunt quod molle ac durum, & ab his omnib. distat, quod dicitur leue seu graue. In his omnibus quando molesta vitantur, vt putores, amaritudines, æstus, frigora, & quæque aspera & dura & grauia, commoditatis prouisio, non libido est voluptatis. Ea verò quæ his contraria commodè sumimus, si nihil eorum interest ad salutẽ, vel ad declinandam doloris laborisue molestiam, etiam si cum aliqua sumuntur delectatione cùm præsto sunt, tamen cùm absunt, nulla sunt desideranda libidine. Si autem desiderantur, non est bonum. In quibuslibet enim rebus talis domandus & sanandus est appetitus. Quis enim quantuscunque sit carnalis concupiscentiæ castigator, si locum thymiamate intrauerit odoratum, possit efficere vt ei non suauiter oleat, nisi nares claudat, aut intentione vehementi alienetur à corpore sensibus? Sed nunquid cùm inde fuerit egressus, id domi suæ, vel quacunque pergit, desiderabit? aut si desiderauerit, satiare debet istam libidinem, non frenare, & contra concupiscentem carnem spiritu concupiscere, donec ad illam redeat sanitatem, qua nihil tale desideret? Minimum hoc quidem, sed qui minima spernit, sicut scriptum est, paulatim decidit. Alimentorum sustentaculis indigemus. Si suauia non sint quę ore sumuntur, nec sumi possunt, & nauseando sæpe respuuntur, & perniciosa sunt cauenda fastidia. Non solùm ergo cibo, sed etiã cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem. Cùm ergo natura quodam modo poscit supplemẽta quæ desunt, non vocatur libido, sed fames aut sitis. Cùm verò suppleta necessitate, amor edendi animum solicitat, iam libido est, iam malum est, cui cedendum non est, sed resistendum. Hæc duo, id est, famem & edendi amorem etiam Poeta discreuit, qui post maris iactationẽ, sociis Æneæ naufragis & peregrinis satis esse iudicans tantum sumere alimentorum, quãtum refectione indigentia postularet, ait,

Postquam exempta fames epulis, mensæq; remotæ.

Cùm verò Æneas ipse ab Euandro rege susceptus est hospes, decentius arbitratus ampliores exhiberi epulas regias, quàm necessitas posceret, non satis fuit vt diceret, Postquam exempta fames: sed addidit, & amor compressus edendi. Quanto magis nos discernere ac nosse debemus, quid necessitas refectionis, quid libido edacitatis exposcat, quorum negocium est contra concupiscentem carnem spiritu concupiscere, & con delectari legi Dei secundum interiorem hominem, eiusq; delectationis serenitatem nullis libidinosis delectationibus nubilare. Nam iste amor edendi non edendo, sed continendo est comprimendus. Quis autem mente sobrius non mallet, si fieri posset, sine vla mordaci voluptate carnali, vel arida iumere alimenta, vel humida, sicut sumimus hæc aëria, quæ de circumfusis auris respirando & spirãdo sorbemus & fundimus? Quod alimentum, cùm ore ac naribus sine cessatione sumamus, nec sapit, nec olet quicquam: nec tamen sine illo vel tantillo spatio temporis, sicut tam prolixè sine cibo & potu possumus viuere: nec eius indigentia sentitur, nisi molestia, si ora, naresque claudantur, vel nutu voluntatis, quantum sinit ipsa molestia, paulisper pulmonum inhibeamus officium, quibus velut follibus alternante motu vitales flatus haurimus & reddimus. Quanto esset felicius, si spatiosis quidem interuallis, sicut etiam nunc, vel quantumcunque spatiosioribus sine vlla saporis illecebrosa suauitate cibum perciperemus & potum, quo tantam molestiam, vel perniciem pelleremus. Nam si in præsenti vita temperanter alimenta sumentes, cõtinentes vocantur & sobrij, meritóque laude digni habentur: nec desunt huiusmodi, qui quantum natura petat, aut minus refectionis assumant, malentes, si modo necessitatis congruo falluntur, minus id sumpsisse quàm amplius: quanto magis in illa dignitate honestum modum fuisse credendum est sumendorum alimentorum, quo & animali corpori necessaria præberentur, & modus naturalis nullatenus excederetur, sicut in paradiso primos homines vixisse credẽdum est? Quãuis nonnulli neque hi contemptibiles diuini eloquij tractatores, nullo huiuscemodi victu eos indiguisse potius opinentur, vt ea sola in paradiso voluptas, vel alimonia existimetur fuisse, qua delectantur & aluntur corda sapientium. Sed ego cum eis sentio, qui sicut illud quod dictum est, Masculum & feminam fecit eos, & benedixit illos Deus dicens, Crescite & multiplicamini, & implete terram; secundum sexum corporalem atque cõspicuum intelligunt dictũ: ita etiam quod

Sentiendi viuacitas, vtilitas, necessitas, & libido.

al. Vtilitas sentiendi est, quæ noxiis reijciendis, & vtilibus appetendis cõsulit vitę quam gerimus. Necessitas sentiendi est, quæ sensibus nostris ingerit, etiam illa quæ nolimus.

Matth. 5.

Vidĕdi libido.

Audiendi libido etiam in diuinis cantis improbabatur.

Odorandi libido.

Eccles. 19.

Edĕdi libido.

Aeneid. lib. 1.

Aeneid. lib. 1.

Necessitas refectionis, libido edacitatis.

Temperantia cibi & potus in paradiso qualis fuerit.

Genes. 2.

quod paulo pòst sequitur, Et dixit Deus, Ecce dedi vobis omne fœnum satiuum seminans semen, quod est super omnem terram, & omne lignum quod habet in se fructum seminis satiui, vobis erit in escam, & omnibus bestiis terræ, & omnibus volatilibus cæli, & omni serpenti reptanti super terram, quod habet in se animam vitæ; & omne fœnum viride in escam: non aliter accipiunt, nisi quia ille vterque sexus his alimentis quibus & animalia cætera corporaliter vtebatur, & habebat ex hoc victu sustentaculum congruum, licet modo quodam immortali, tamen animali corpori necessarium, ne indigentia læderetur: de ligno autem vitæ, ne senectute perduceretur ad mortem. Sed nulla ratione crediderim in illo tãtę felicitatis loco, aut carnem concupiuisse aduersus spiritum, & spiritum aduersus carnem, atque in ista conflictatione sine interna pace vixisse: aut spiritum desideriis non repugnasse carnalibus, sed quicquid vndecunque libido suggesserat, turpi seruitio peregisse. Remanet igitur, vt aut nulla ibi fuerit carnalis concupiscentia, sed ille fuerit viuendi modus, vt omnia necessaria congruis membrorum officiis sine vllius motu libidinis implerẽtur. Non enim quia terra non libidine, sed voluntate motis agricolarum manibus seminatur, ideo suos pariendos non concipit fœtus; aut (ne nimium videamur offendere homines, qui voluptatem corporis quomodocunque defendunt) ita ibi credatur carnalium sensuum fuisse libidinem, vt omnimodo rationali subdita voluntati, non aliàs adesset, nisi cùm per illam vel saluti esset corporis, vel stirpis propagini consulendũ: & tanta adesset, vt nulla ex parte mentem de supernarum cogitationum delectatione deponeret, nullus superuacuus siue importunus motus esset ex illa, nihil nisi quod prodesset, fieret per illam, nihil omnino fieret propter illam. Nunc verò quàm se aliter habeat; qui dimicant aduersus eam, hi maximè sentiunt. Ingerit se videntibus vel audientibus aliquid, quamuis propter aliud videant & audiant, vt etiam si tangendi non inde percipit voluptatem, saltem voluptariam cogitationem inter necessaria, quæ ad eam non pertinent, motu obrepente furetur. In his porrò cogitationibus, etiam quando nihil illecebrosum adiacet oculis, aut insonat auribus, quæ non conatur etiam obsoleta atque sopita recordationibus inquietis cum turpi delectatione refricare, & castis sanctisque intentionibus tumultu quodam sordidæ interpellationis obstrepere? Iam verò cùm ad vsum ventum fuerit necessariæ voluptatis, per quam reficimus corpus; quis verbis explicet quemadmodum nos modum necessitatis sentire non sinat, & ipsum limitem procurandæ salutis, † si qua adsunt delectabilia, rapiẽdo abscõdat & transeat; putantibus nobis satis non esse quod satis est, dum libenter eius prouocationibus ducimur, existimantes nos adhuc agere negocium valetudinis, cùm agamus potius cruditatis? Quid enim mali fecerimus, crapula pœnitendo tẽstatur; quod metuentes, plerunque minus, quàm eximẽdæ fami sufficiat, vescimur: ita nescit cupiditas, vbi finiatur necessitas. Et hæc quidem vescendi atque potandi tolerabilis est voluptas; quanta possumus intentione vigilantibus nobis, vt faciliùs nõ impleat, quàm modum aliquando victus sufficientis excedat. Contrà cuius concupiscentiam & ieiunando, & parciùs alimenta sumendo pugnamus. Eóque malo bene tunc vtimur, quando per illam non nisi quod saluti conducibile est agimus. Ideo autem hanc voluptatem dixi tolerabilem, quia vis eius tanta non est, vt nos à cogitationibus ad sapientiam pertinentibus, si in eis sumus mentis delectatione suspensi, abrumpat & deiiciat. Nam sæpe de magnis rebus inter epulas non solùm cogitamus, verumetiam disputamus, atque inter ipsos ciborum morsus & potionum gluctus, nihilo remissiùs audiendo, dicendóque colloquimur, & quod nosse, vel recolere volumus, intentissimè omnino si nobis legatur accipimus. Illa verò pro qua mecum tantis contentionibus litigas, etiam quando ad eam bona intentione, hoc est, causa propagandæ prolis acceditur: tamen in ipso opere suo, quem permittit aliquid non dico sapientiæ, sed cuiuslibet rei aliud cogitare? Nónne illi totus animus & corpus impenditur, & ipsius mentis quadam submersione illud extremum eius impletur? Cùm verò vincit etiam cõiugatos, vt non propagationis, sed delectationis carnalis cupiditate misceantur, quod Apostolus secundum veniam, non secundum imperium se dixisse testatur; ita hinc emergitur, & quasi in auram cogitationis post illum gurgitem respiratur, vt fiat consequens, quod verum ait quidam, & pœnitendi quæ est cum voluptate vicinitas. Quis ergo amator spiritalis boni, etiam sola causa sobolis coniugatus, non mallet vel sine ista si possit, vel sine tam magna vi eius filios procreare? Quod ergo mallent sancti coniuges in hac vita, puto nos hoc debere de illa paradisi vita, quę multo melior erat, credere, si nihil melius inde possumus cogitare. Obsecro te, nõ sit honestior philosophia gentium, quàm nostra Christiana, quæ vna est vera philosophia, quandoquidem studium vel amor sapientiæ significatur hoc nomine. Vide enim quid in Hortensio dialogo dicat Tullius, quæ magis verba te delectare debuerunt, quàm Balbi Stoicorum partes agentis: quæ licet vera, tamen de parte hominis inferiore, hoc est, de corpore fuerunt, & te nihil adiuuare potuerũt. Vide quid iste pro viuacitate mentis contra voluptatem corporis dicat. *An verò*, inquit, *voluptates corporis expetendæ, quæ verè & grauiter à Platone dictæ sunt illecebræ esse atque escæ malorum? Quæ enim confectio est*, inquit, *valetudinis, quæ deformatio coloris & corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non euocetur atque eliciatur voluptate? Cuius motus vt quisque est maximus, ita est inimicissimus philosophiæ. Congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest. Quis enim cùm vtatur voluptate ea, qua nulla possit maior esse, attendere animo, inire rationem, cogitare omnino quicquam potest? Quis autem tantus est gurges, qui dies & noctes sine vlla minimi temporis intermissione velit ita moueri suos sensus, vt mouentur in summis voluptatibus? Quis autem bona mente præditus, non mallet nullas omnino nobis à natura voluptates datas?* Hæc ille dixit, qui nihil de primorum hominum vita, nihil de paradisi felicitate, nihil de corporum resurrectione crediderat. Erubescamus interim veris disputationibus impiorum, qui didicimus in vera veræ pietatis sanctáque philosophia, & contra spiritum carnem, & contra carnem concupiscere spiritum. Sed hoc vnde acciderit, Cicero nesciebat: & tamen carnis concupiscentiæ non fauebat, quod tu facis; imò eam vehementer arguèbat, quod tu non solùm non facis, sed facientibus vehementer irasceris: qui concupiscentias & spiritus & carnis inter se belligerantes tanquam in bello timidus ambas laudare conaris, velut inimicam metuens habere, quæ potuerit alteram vincere. Quin age potius ne formides, & lauda concupiscentiam spiritus, aduersus concupiscentiam carnis, tanto acriùs, quanto castiùs dimicantem. Illam verò repugnantem legi mentis, sine pauore vllo eadem cui repugnat lege mentis condemna. Aliud est consideratio pulchritudinis etiam corporalis, siue visibilis, sicut est in coloribus & figuris; siue audibilis, sicut est in cantibus atque modulis; quam considerationem, nisi rationale animal habere non potest: & aliud est commotio libidinis, quæ ratione frenanda est. Ioannes enim Apostolus illam concupiscẽtiam non esse dixit à patre, quæ concupiscit aduersus spiri-

Vsus alimentorum & ligni vitæ in paradiso.

Concupiscentia vincens mentem absorbet.

1 Cor. 7.

Pœnitendi cum voluptate vicinitas.

Supra citata cap. 12.

Cicero in Hortensio.

Voluptates illecebræ atq; escæ malorum.

Sanctorum in hac vita cum sensuum libidine pugna & luctus.

al. in quæ si adsunt delectabilia rapiendo,

Nescit cupiditas vbi finiatur necessitas.

Galat. 5.

1. Ioan. 2.

spiritum. Quam nemo potest bonam dicere, nisi cuius aduersus eã non amat concupiscere spiritus. Quod si talis non est in motu & ardore genitaliũ, non aduersus eam concupiscat spiritus, ne aduersus donum Dei concupiscendo inueniatur ingratus; sed quicquid appetiuerit detur, tãquam illi quæ ex patre est. Si autem non est quod detur, hoc potius petatur à patre, non vt auferat vel comprimat, sed vt expleat concupiscentiã quam donauit. Quod sapere si desipere est; vt quid eã comparamus vino & cibo, & aliquid nobis dicere videmur, quia dicimus, nec vinum ebrietas, nec cibum condemnet crapula, nec cõcupiscentiam infamet obscœnitas; quãdo nec ebrietas, nec crapula, nec obscœnitas vlla committitur, si carnis concupiscentia spiritu aduersus eam cõcupiscente vincatur? *Excessus*, inquis, *eius in culpa est*. Nec perspicis quod facillimè potuisses, si magis ipsam, quàm me vincere voluisses; vt non fiat malum excedendi, resistendũ esse malo concupiscendi. Duo ergo mala sunt, quorum vnum habemus, alterum facimus, si ei non resistimus quod habemus. Ideo in pecoribus malum non est concupiscentia, quia non aduersus spiritum concupiscit, sed eorum potius oblectat spiritum. Cõcupiscentia enim sapientiæ carentia, carnali concupiscentiæ non resultant, & à bono vitæ rationalis aliena, hoc bonum habent quo delectãtur. Iam verò & antea diximus, propterea hoc non esse in pecoribus malum, quia in eis non cõcupiscit aduersus spiritum. Non enim habẽt rationẽ, qua libidines subiugent superando, fatigẽntue pugnando. Quis autem tibi dicit *semper pecorum imitatione peccari?* Quam sententiam non tibi obiectam tanta loquacitate refellere laborasti, vt superflua multa colligeres, quæ in pecoribus animaduersa, etiam medicinæ disciplina sectatur. Sed ne propterea putaretur non esse malum concupiscentia carnis, quia bonum est in pecore, vt eo se oblectet illa natura, cui non potest inesse cõcupiscentia sapientiæ, ideo dictum est bonum esse pecoris, cuius sine vlla repugnantia delectat spiritum: malum autem hominis, quo concupiscit aduersus spiritum.

Lib. 2. De nupt. & concup. cap. 19. & 21. & supr. lib. 3. contra Iulianum cap. 20.

Lib. 2. De nupt. & concup. cap. 19. & supr. lib. 3. contra Iulianũ cap. 13.

In pecoribus malum non est concupiscentia.

Suprà cap. 4.

CAPVT XV.

CONVOCASTI etiam in auxilium turbam philosophorum, quasi susceptæ tuæ si non possunt pecorum solertię naturales, saltem doctorum hominum opitulẽtur errores. Sed quis non videat doctrinę te quęsisse iactantiam, in cõmemorandis nominibus doctorum hominum sectisque diuersis, quando perspicit quicunque ista tua legit, ad quęstionem quæ inter nos vertitur, hæc nullatenus pertinere? Quis enim audiat quòd abs te commemorantur *Thales Milesius vnus è septem Sapientibus, deinde Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Xenophanes, Parmenides, Leucippus, Democritus, Empedocles, Heraclitus, Melissus, Plato, Pythagorei*, vnusquisque cum proprio dogmate suo de naturalib° rebus? Quis, inquam, hæc audiat, & non ipso nominũ sectarumque conglobatarum strepitu terreatur, si est ineruditus, qualis est hominũ multitudo, & existimet te aliquem magnũ, qui hæc scire potueris? Ecce quod appetis, quandoquidem in his omnibus abs te coaceruatim commemoratis, quod ad rem quæ inter nos agitur pertineat, nihil omnino dixisti. Nam prelocutus es ista dicturus, & aisti, *Omnes philosophi in scholis licet aliud differentes, tamen idola cum plebe venerãtes, qui de naturalibus causis aliquid excogitare conati sunt, inter multas opinionis suæ vanitates, aliquas tamen veritates, velut iam ferè pares, per caliginem vani, huic tamen dogmati contra quod agimus, iure anteferri possunt*. Atq; vt hoc probares, subdidisti ea quæ à me quoque modo commemorata sunt, philosophorũ nomina physicorum cum opinionibus suis, quas de naturalibus causis habuerũt: nec tamẽ commemorare omnes siue voluisti, siue potuisti. Qua in re homines imperitos nulla doctorũ dubitatione fraudasti. Hoc enim demonstrare suscepe-

Locus corruptus.

A ras, *omnes philosophos, qui de naturalibus causis aliquid excogitare conati sunt, iure posse huic dogmati, contra quod ageres, anteferri*. Cur ergo, vt de aliis plurimis taceam, cùm commemorasses Anaximenem eiusque discipulum Anaxagoram, tacuisti alterum eius discipulum Diogenem, qui & à magistro & condiscipulo suo in rerum naturæ opinione dissensit, propriumq; dogma constituit? Quid si tale aliquid ipse sensit, vt nobis non esset anteponẽdus, quibus omnes qui de rerum natura philosophati sunt, anteponendos esse dixisti? Atque vt hoc quasi ostenderes, te in commemorandis frustra nominibus & dogmatibus philosophorum insipiẽter inflasti. Ecce prætèristi vnum quem vel ex magistro, vel ex condiscipulo quos nominasti, iuxtà attendere debuisti. An fortè timuisti ne Diogenes Cynicus putaretur, aut ille etiam legentibus propter idem nomẽ occurreret, & veniret in mentem, quòd melior te patronus libidinis fuerit, de qua exercenda non verecũdabatur in publico? Vnde illa secta caninũ nomen accepit. Tu autem defensorem quidem libidinis profiteris, sed de tua suscepta, quod fidem libertatemq; patroni non decuerat, erubescis. Verũ obsecro te, si philosophos nobis anteponere gestiebas, cur non potius eos commemorasti, qui de moribus, quæ pars ab eis philosophiæ vocatur ethica, quam nos moralem dicimus, solertissimè disputarũt? Hoc enim tibi potissimũ congruebat, qui honestate quidem mentis inferius, tamen bonum hominis esse censes corporis voluptatẽ. Sed quis non quid prospexeris cernat? Ne scilicet in ipsa de voluptate quæstione vnde tecum agimus, honestiores philosophi te obruerent, quos Cicero propter ipsam honestatem tanquam consulares philosophos nuncupauit, & ipsi Stoici maximè inimicissimi voluptatis, quorum testimonium ex persona Balbi apud Ciceronem disputantis, verum quidem, sed quod tibi prorsus nihil prodesset, interponendum putasti.

Supr. cap. 22.

C Quòd autem nullum hominis bonum censeant corporis voluptatem cupiens abscondere, nulla de quæstione morali nomina & dogmata philosophorum, quod maximè ad rem pertinebat, si aliquid de philosophis probandum fuit, commemorare voluisti. Non enim te aduersus istos defenderet, non dico Epicurus, qui totum bonum hominis in voluptate corporis posuit, quia non quod ille, tu sentis: sed Dinomachus, huius quippe dogma tibi placuit. Nam ipse coniungendam voluptatem arbitratus est honestati; vt quemadmodum honestas, ita voluptas per se ipsa appetẽda videretur. Hanc ergo partem vbi de moribus disputat, cùm tibi infensam cerneres, attingere timuisti. Nam vbi maximè controuersia ista versatur, quanti & quales, & cuius apud gẽtes gloriæ philosophi tibi præferantur, vides: maximéque ipse Plato, quem Cicero appellare non dubitat penè philosophorum Deum: cuius nec tu nomen præterire potuisti, cùm de naturalibus, non de moralibus philosophorum nobis dogmata inferres siue præferres, qui corporis voluptates verè & grauiter dixisse perhibetur illecebras atque escas malorum. Nunquid autem quid de hominis conditione senserint quos nominasti philosophi, quia & hoc ad naturalem pertinet quæstionem, quod qualitercunque causa poscebat, commemorandum putasti? Non vtique fecisti, & rectè. Quid enim illi didicerant, vel quid locuti fuerant de primo homine Adam & eius coniuge, de prima eorum præuaricatione, de serpentis astutia, de nuditate corporis ante peccatum sine confusione, & cum confusione continuò post peccatum? Quid denique tale audierunt, quale illud est quod ait Apostolus, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt? Harum literarum illi atque huius veritatis expertes,

Dinomachus voluptatem honestati coniungendam putauit. Vide Cicero. lib. 5. De finibus, & lib. 5. Tuscul. vbi Calliphonis eam quoque de summo bono sententiam facit.

Libro 2. De natura deorũ.

Supr. cap. 14. ex Cicero. Hortensio.

Romanorum 5.

pertes, quid de hac re sapere potuerunt? Verùm si de hominis conditione dogmata hominum à sacris literis nostris abhorrentium nihil iudicasti esse ponendũ, & rectissimè iudicasti: quanto minus te quæ posuisti adiuuare potuerũt, quid de principiis mundi huius visibilis senserint, vnde inter nos nulla quæstio vertitur? Sed mens tua potius tãquam magnum aliquid de philosophorum libris didiceris, iactãtiæ vanitate subuertitur. Videtur autem non frustra Christianæ fidei propinquasse, qui vitam istam fallacię miseriæque plenissimam non opinati sunt nisi diuino iudicio contigisse, tribuentes vtique iustitiam conditori, à quo factus est & administratur hic mundus. Quanto ergo te meliùs veritatique viciniùs de hominum generatione senserunt, quos Cicero in extremis partibus Hortensij dialogi velut ipsa rerum euidentia ductus compulsusque commemorat? Nam cùm multa quæ videmus & gemimus, de hominum vanitate atque infelicitate dixisset, *Ex quibus humanæ*, inquit, *vitæ erroribus & ærumnis fit, vt interdum veteres illi, siue vates, siue in sacris initiis q̃, tradẽdis diuinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, pœnarum luendarum causã natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur: verumq̃, sit illud quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, atque eos qui quondam, quum in prædonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viua cum mortuis, aduersis aduersis accommodata, quàm aptissimè colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, vt viuos cum mortuis esse coniunctos*. Nónne qui ista senserunt multo quàm tu meliùs, graue iugum super filios Adam, & Dei potentiam iustitiamq̃; viderunt, etiam si gratiam, quæ per mediatorem liberandis hominibus concessa est, non viderunt? Ecce ego inueni quod tibi de illis gentilium philosophorum literis posset iure præponi, te instigante, qui nihil tale de illis inuenire potuisti, & vt me admoneres, quod aduersus te inuenirem tacere noluisti.

Philosophi in quibusdam Christianæ fidei propinquarunt.

Cicero in Hortensio.

Hetruscorum prædonũ, crudelitas.

Eccles. 40.

CAPVT XVI.

QVID quod de Apostoli testimonio pro te esse existimas, quod est contra te, & membra nostra quæ vtique ante peccatum nuda erant, nec confundebant eos quibus inerant, pudenda fuisse asseris, nesciens quid loquaris? Ego enim debui adhibere testimonium, quod ipse adhibuisti, vbi ait Apostolus, Multo magis quæ videntur infirma esse corporis nostri, hæc necessaria sunt, & cætera quæ pro nobis ipse posuisti. Sed operæprecium est considerare, quomodo eò veneris vt hæc diceres. *Iam igitur*, inquis, *tempus est vt ostendamus extra naturæ testimonium etiam aliqua authoritate legis, sic nostra membra fuisse formata, vt alia verecundia, alia libertate gauderent. Ad quod confirmandum*, inquis, *gentium citetur magister, qui scribens ad Corinthios ait, Corpus nostrum non est vnum membrum, sed multa*. Deinde, cùm Apostolica verba subtexeres, quibus ille mirificè explicauit vnitatem consensumque membrorum: *Et quia pauca*, inquis, *totius corporis membra nominauerat, atque pro sua honestate genitalia loca directè appellare nolebat*. Nónne his verbis tuis te ipse redarguis? Honestas ergo erat non appellare directè, quod Deus facere dignatus est rectè. Et quod creare non puduerat ipsum iudicem, pudebat enunciare præconem. Quando istud ita esset, nisi quæ ille fecerat honesta condendo, nos fecissemus inhonesta peccando? Inde subiungis de hac re Apostolicum testimonium, quod ita scriptum esse commemoras. *Multo enim magis quæ videntur infirma esse corporis nostri, hæc necessaria sunt: & quæ putamus inhonorabilia esse membra corporis, his honorem abundantiorem circumdamus. Et quæ verecunda sunt nostra, maiorem honestatem habent. Quæ autem sunt honesta nostra, nullo egent: sed Deus temperauit corpus, ei cui deerat,*

Iulianus pudorem membrorum ab exordio creationis institum fuisse putat.

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

A *abundantiorem dando honorem, vt non sit scissura in corpore, sed eadem ipsa pro se inuicem cogitent membra*. Quibus dictis tanquam victor exclamas, *En verum intellectorem operis Dei, en fidelem sapientiæ eius prædicatorem. Verecundiora, inquit, nostra maiore honestate conteguntur*. Ad hoc certè vnum verbum totam causam tuam religandam putasti, quod Apostolum dixisse legisti, †*verecundiora nostra*. Si autem legisses, inhonesta nostra, nullo modo vtique hoc testimonium ponere auderes. Nullo modo enim Deus, & hoc quod est peius ante peccatum, aliquid faceret in membris humani corporis inhonestum. Disce ergo quod nescis, quia diligenter quærere noluisti. Inhonesta dixit Apostolus: sed nonnulli interpretes, in quibus & iste est quantum arbitror, quem legisti, credo verecundati verecundiora dixerunt, quæ ille dixit inhonesta: quod probatur ex verbis in ipso codice scriptis, vnde ista verba Apostolica transtulisti. Quod enim abs te positũ est verecundiora, in Græco legitur ἀσχήμονα. Quod autem sequitur, maiorem honestatem habent, in Græco est εὐσχημοσύνῃ, quod integrè interpretatum est, honestatem. Vnde apparet illa quæ ἀσχήμονα dicta sunt, inhonesta Latinè appellari. Postremò quod adiunctũ est, quæ autem sunt honesta nostra, Græcus habet εὐσχήμονα. Vnde manifestum est illa quæ ἀσχήμονα dicta sunt, inhonesta esse. Quamuis & nulla Græcorum cõsideratione verborum eo ipso debuisti admoneri, inhonesta esse illa quæ abundantiorem honestatem habent velaminis, quando ea quæ hoc opus non habent, honesta sunt dicta. Quid est enim, Quæ autem honesta sunt nostra, non opus habent: nisi illa inhonesta sunt, quæ opus habent? Honestas ergo adhibetur inhonestis, cùm rationalis naturæ sensu ipso verecundante velantur. Eorum quippe honestas & honor est velamentum, tanto abundantius, quanto magis inhonesta sunt. Quod profectò non diceret Apostolus, si corpus tale describeret, quale habebant homines quando nudi erant, & non confundebantur. Vide igitur quàm impudenter ideo dicas *homines fuisse primitus nudos, quia ad solertiæ humanæ operam vt se tegerent, pertinebat, quæ nondum in illis fuit*. Vnde fit consequens, vt ante peccatum inertes, peccato autem factos credas esse solertes. Quàm porrò multis inaniter dictis quasi eleganter acutéque concludis dicens, *Non igitur quia peccauerant, genitalia vel diabolica, vel inhonesta fecerunt; sed quia pauitabant, in ea qua primum fuerant honestate permanentia membra texerunt*. Ad quod respondeo, diabolica quidem membra non esse, quantum ad eorum substantiam, figuram, qualitatemque pertinet, quam condidit Deus: sed si eadem membra in qua prius fuerant honestate manserunt, cur ea dixit Apostolus inhonesta? Bene quod ipse confessus es, illa membra fuisse prius honesta: nõ enim aliud posses nisi blasphema opinione sentire.

Inhonesta legit noster interpres.

1. Cor. 12.

D Quæ igitur Deus honesta fecerat, dixit Apostolus inhonesta. Causam requiro. Si hoc non peccato factum est, vnde factum est? Quis honesta Dei opera dehonestauit, vt ea inhonesta sanctus Apostolus diceret? Vtrum habitudo, in qua est solertia creantis; an libido, in qua est pœna peccantis? Nam etiam nunc quod Deus ibi facit, honestum est; quod origo contrahit, inhonestum. Et tamen ne sint scissuræ in corpore, contributum est diuinitùs sensui naturali, vt pro inuicem solicita sint membra: & quod dehonestauit concupiscentia, contegat verecundia. Sed dicis, *Cur audita voce Dei deambulantis in paradiso absconderunt se Adam & mulier eius, cùm perizomata sufficere potuissent, si de genitalium nuditate erubuissent?* Quid est quod dicis, non inueniendo quod dicas; nec attendis, quòd animo trepidante à facie Domini, abstrusiora latibula quæsierunt? Illa verò lumbis circumposita tegmina, mo-

Genes. 3.

na, motum qui ibi sentiebatur erubescendo velarunt. Si cùm nudi essent non confundebantur; restat vt confusione se texerint. Confusionem inhonestatis esse, non dubium. Ideóque ibi dictum est, Nudi erant, & non confundebantur: vt appareat confusione factum, quòd postea pudenda texerunt. Hic autem vbi se absconderunt in medio ligni paradisi, respondit Adam, Vocem tuam audiui deambulantis in paradiso, & timui quia nudus sum. Illud manifesta confusio, istud occulta conscientia, qua delinquente intrinsecus accidit manifesta confusio. Illud ergo fecit pudor, hoc timor. Illud erubescenda concupiscentia, hoc punienda conscientia; dementi scilicet similis, quando eum qui cordis cernebat interna, corporis occultatione fugiebat. Quid est autem quod ait Dominus, Quis nunciauit tibi quia nudus es, nisi de ligno de quo præceperam tibi ne manducares, manducasti? Quid est gustato cibo prohibito nuditas indicata; nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, vbi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus gratia sensit quod operire deberet. *Fugiẽda*, inquis, *opinio est quæ putat vel in membris hominũ, vel in sensibus membrorum aliquid diabolum condidisse.* Quid nobis obiicis vanas exorbitationes tuas? Non aliquid diabolus quod ad naturam hominis pertinet, condidit; sed quod Deus bene condiderat, peccati persuasione violauit, ita vt illo vulnere quod factum est per duorum hominum liberum arbitrium, totum genus claudicaret humanum. Ecce circumstat sensus tuos miseria generis humani. Homo es, humani nihil abs te alienum puta, & in iis quæ non pateris, comparere patientibus. Quamuis & ipse quantalibet terrena felicitate præpolleas, nullum sine bello intestino diem ducis, si tamen quod profiteris implere conaris. Sed in iis quæ meminisse iam non potes, paruulos intuere, quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant. Deinde iam grandes, etiam Deo seruientes tentat error vt decipiat: tentat labor, aut dolor, vt frangat; tentat libido, vt accendat: tentat mœror vt sternat; tentat typhus vt extollat. Et quis explicet omnia festinanter, quibus grauatur iugum super filios Adam? Huius euidentia miseriæ gentium philosophos nihil de peccato primi hominis siue scientes, siue credentes, compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum luendarum causa nos esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus eo supplicio quo Hetrusci prędones captos affligere consueuerant, tanquàm viuos cum mortuis esse coniunctos. Apostolus autem amputat opinionem, qua creduntur singulæ animæ pro meritis anteactæ vitæ diuersis corporibus inseri. Quid igitur restat, nisi vt causa istorum malorum sit, aut iniquitas vel impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? Sed quia nec iniustus, nec impotens est Deus; restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quòd graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.

Genes. 2.
Genes. 3.
Platonici, quos sequutus est & Origenes.
Eccles. 40.

LIBRI QVARTI FINIS.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA IVLIANVM, LIBER QVINTVS.

ORDO ipse postulat, quoniam primo secundóque respondimus, quid liber tuus tertius cõtineat deinde videamus: & respondeamus pestilẽtiosis laboribus tuis, quantum Dominus opitulatur, salubribus laboribus nostris, tenentes institutum modum, vt ea quæ non habent ad rem quæ inter nos agitur pertinentem cõtrouersiam, transeamus: ne qui hæc nostra nosse voluerint, plus laboris & temporis in opere legendi, quàm in discendi vtilitate consumant. Quid ergo opus est, vt aliquid aduersus ea dicã, quæ in principio posuisti libri huius solita & vana, *de inuidia quam vos sustinere pro veritate iactatis; & de paucitate velut prudentium, quibus vos placere gaudetis?* Hæc enim & veterum & nouorũ omnium vox est hęreticorum, ipsa cõsuetudine iam sordidata atque pertrita. Et tamen necessitate compellitur talibus pannis indui tam magna etiam vestra superbia, quæ sic tenditur & inflatur, vt eos deformiùs dum gestit ostẽtare, dirumpat. Tuas etiam calumniosissimas cõtumelias non est necesse sæpius refutare, quibus me vnum nominatim videris appetere: & in tot ac tanta catholica lumina, tacitis eorũ nominibus vel insanus insilis, vel cęcus offendis. Vnde tibi duobus prioribus libris, sic me respõdisse arbitror, vt à nullo amplius requiratur. Exaggeras quàm sit *difficilis paucisq; conueniens eruditis, sanctarum cognitio literarum:* videlicet, vt Deus sicut vniuersitatis conditor & iustus & verax ac pius, idem donorum suorũ in homines cumulator probetur; *quia vna est, vt fateris, optima causa studiorum bonorum, vt honoretur Deus.* Quem tamen sic honoras, vt paruulorum liberatorem neges per Christum Iesum, id est, Saluatorem, cuius eos baptismate sic ablui dicis, vt non consequantur salutem, tanquam medico non indigeant Christo; humanæ originis venã sagaciter inspiciente, & eos sanos pronunciante Iuliano. Quãto melius nihil omnino didicisses; quàm per istam velut sciẽtiam legis in qua te turgidus iactas, non sanè duce Dei lege, sed vestra potius vanitate, ad hanc impiam præsumptionem inimicam fidei Christianæ & tuæ animę peruenisses. *Sententia*, inquis, *vestra tam deformis & vana est, quæ & Deo iniquitatẽ, & diabolo conditionẽ hominum, & peccato substãtiam, & conscientiam sine scientia paruulis conatur adscribere.* Breuiter respondeo: Sentẽtia nostra nec deformis est; quia speciosum forma præ filiis hominum saluatorem prędicat omnium hominum, ac per hoc etiam paruulorum. Nec vana est; quia non frustra, sed præcedente peccato dicit hominem vanitati similẽ factum, cuius dies sicut vmbra prętereunt. Nec Deo ascribit iniquitatem, sed potius æquitatem; quia non iniustè tot & tantis malis, quæ sæpissimè cernimus, etiam paruulus plectitur. Nec diabolo conditionem hominum, sed humanæ originis deprauationem: nec peccato substantiam deputat, sed in primis hominibus actum, in eorum verò posteritate contagiũ: nec paruulis conscientiam sine scientia, in quibus nec scientia est nec conscientia; sed sciuit ille quid fecerit in quo omnes peccauerunt, & singuli malum inde traxerunt. Tu autem multitudinem præstruis idiotarum, (quos appellas *simplices, qui aliis occupati negociis, nihil de eruditione cæperunt, sola tamen fide ad ecclesiam Christi peruenire curarunt*) *ne facilè obscuris quæstionibus terreantur, sed credentes Deum verum conditorem esse hominum, indubitatè quoque teneant quia pius est, quia verax, quia*

CAP. I. Transit ad lib. 3. Iuliani confutationes.
Vox omnium hæreticorum.
Psalm. 44.
Psalm. 143.

quia iustus; atque hac existimationem de illa trinitate seruantes, quicquid audierint huic conuenire sententiæ, amplexentur, acque collaudent: nec hoc eis vlla vis argumentationis euellat, sed detestentur omnem authoritatem atque omnem societatem contraria persuadere nitentem. Si hæc ipsa tua verba cõsideres, aduersus te illos firmissimos reddis. Neque enim alia causa est, cur nouitatem vestram detestetur etiam multitudo Christiana, à cuius velut imperito iudicio ad paucos vestros, quos videri cupis prudentissimos & doctissimos, prouocas; nisi quia Deum & hominum cõditorem iustissimum cogitant; & suorum tantos cruciatus conspiciunt paruulorum, vt sub Deo creatore optimo atque iustissimo nullo modo imago eius in illa ætate tanta mala pateretur, si non esset originale peccatum. Quorum si quisquam gestans paruulum filium, te sine clamore inuidioso, & in parte vbi nullus audiret, compellaret, ac diceret, Ego ea mente, intelligentia, ratione, in qua sum factus ad imaginem Dei, tantum amo regnum Dei, vt hominis magnam iudicem pœnam, si eò nunquam possit intrare. Itáne verò tu non homo de turba imperitorum, sed inter paucos prudentissimos regni illius amator, tanto vtique ardentior quanto magis te flagrantissima paucorum societas in illud accẽdit, nec facit inde torpescere frigidior multitudo, responsurus es homini atque dicturus, Non solùm magna non est, sed nulla omnino pœna est imaginis Dei, nunquam posse intrare in regnum Dei. Puto quòd nec vni homini, cuius nec vim, nec testimoniũ formidabis, hoc dicere audebis. Te itaque siue respondẽte quodlibet, siue (quod magis à te exigeret si non Christiana, certè humana verecundia) reticente, ingereret aspectibus tuis paruulum suum dicens: Iustus est Deus; quid mali est, quod innocentem hanc eius imaginem prohibet intrare in regnum eius; si non est peccatum quod per vnum hominem intrauit in mũdum? Puto quod nulla tibi aderit sapientia, qua tibi videaris illo indocto homine doctior; sed si à te recesserit impudentia, illo infante remanebis infantior.

Rom. 5.

CAP. II. SED procœmio terminato quo imperitos admonitos remouisti, & paucorum tibi aures eruditissimas præparasti, quid disputationis aggrediaris, videamus. Nescio quid enim satis acutum tibi venit in mentẽ, quod te in secundo lib. tuo fugerat, cum de mẽbris pudendis, quæ post peccatum rationali verecũdante natura ficulneorum adoperta sunt tegmine foliorum, multa dixisses: frustra refutare conatus quod ego dixeram, *Cur ergo ex illis membris confusio post peccatum, nisi quia extitit illic indecens motus?* Quid igitur excogitasti quod ita tibi placuit, vt nec finito volumine vbi hanc quæstionem tam diuturna loquacitate versasti, iam hoc putares omittendum? *Scriptum esse* dicis: *Et fecerunt sibi vestimenta, aliamq; interpretationem habere* cõmemoras *perizomata: & vestimenta* perhibes *totius corporis indumentum intelligi posse, quod ad pudoris refertur officium.* Vbi miror istum interpretem quem legisti, si Pelagianus non fuit, ex eo quod Græcus ait perizomata, vestimenta potuisse transferre. Verùm & hic si pudor adsit, ad cuius officium vestimenta asseris pertinere, nequaquam persuadere conaberis homines primos peccato magistro ista pudoris officia didicisse, & in eis prius duas quasi socias & amicas conuenienter habitasse innocentiam & impudentiam. Quando enim nudi erant, & non confundebantur, inuerecundi erant secundum tuam disputationem, & à naturali pudoris sensu abhorrebant. Sed videlicet ab ista prauitate peccando correcti sunt, & sensus reprobus præuaricationis factus est in eis doctor pudoris. Pudentes quippe fecit nequitia quos impudentes iustitia faciebat. Imò verò tua ista sententia ita est indecenter impudens & deformiter nuda, vt eam quantalibet folia verborum consuas, operire non possis. *A pictoribus me didicisse* derides, *quod Adam & mulier eius pudenda contexerint, & Horatianum illud decantatum audire me* præcipis, *Pictoribus atque poetis, Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.* Ego verò non à pictore inanium figurarum, sed à scriptore diuinarum didici literarum, quia illi primi homines antequam peccarent nudi erant, & non confundebantur. In quibus absit vt tanta innocẽtia tam impudens esset, sed nondũ inerat quod puderet. Peccauerunt, attenderunt, erubuerunt, operuerunt; & adhuc clamas, *nihil illic indecens nouumq; senserunt.* Hanc planè impudentiam tuam nimis incredibilem, absit vt dicam, nullus te Apostolus aut Propheta, sed nec pictor docuit, nec poeta. Illi quippe ipsi quibus quidlibet audendi, sicut eleganter dictum videtur, semper fuit æqua potestas; confunderentur tale aliquid ridendum fingere, quale tu credendum non confunderis disputare. Duas enim simul habitantes, quarum altera est optima, altera est pessima, velut inter se conuenientes atque concordes, innocentiam scilicet atque impudentiam, nullus pictor pingere, nullus poeta canere auderet: nec eorum quisquã ita de sensib. desperaret humanis, vt etiam hoc sibi audendi æquã crederet potestatem, sed insanam potius vanitatem. In eo verò quod aisti, *Si illi interpretationi quæ perizomata, id est, præcinctoria posuit, fauetur, latera magis dicam tecta fuisse quàm fœmora.* Primum doleo, sic te abuti eorum ignorantia, qui Græcè nesciunt, vt eorum qui sciunt, iudicium reueritus non sis. Sed commodius accidit, vt ipsa perizomata quæ leguntur in codicibus Græcis tanquam verbum suæ linguæ mos Latinus vsurpet. Proinde cum perizomata non fœmora, sed latera cõtegi potuisse asseuerasti, puto quod te etiã ipse risisti. Quis enim doctus vel indoctus ignoret, quas perizomata contegant corporis partes: quod nomen tegminis etiam in fœminarum dotibus frequentari & æstimari solet, neque id alligari nisi zona quæ lumbos cingit? Interroga & disce, quod te non credo nescire. Quamuis etiam si nescias, non vsqueadeo te arbitror non humanum eloquium, sed humanum habitum velle peruertere, vt perizomata super humeros leuare coneris; aut eis ita latera illorũ hominum fuisse contecta, vt genitalia totæq; lumborum cum fœmoribus partes nudæ relinquerentur. Quid ergo te adiuuat, & non me potius, ex quantauis parte corporis superiore inferiora velata sint, vbi lex in membris repugnans legi mentis affectu sentiebatur amborum, & alterno excitabatur aspectu, inobedientium prauitatem suæ inobedientiæ nouitate confundens? Quæ quanto turbulentius moebatur, tanto verecundius fieret, si caro cuius eam stimulabat aspectus, aliquanto spatiosius velaretur. Siue igitur à lumbis, siue à lateribus demissa sunt tegmina; pudenda sunt tecta, quæ pudenda non essent, nisi legi mentis lex peccati inuidè repugnaret. Sed vbi manifesta res est, Scripturæ diuinæ sensui nostrum sensum addere non debemus: non enim hoc fit humana ignorantia, sed præsumptione peruersa. Adam & mulier eius, qui nudi erãt ante peccatũ, & non confundebantur, mox vt peccauerunt quas partes corporis amicierunt, perizomatum nomine satis euidenter expressum est. Videmus quid texerint; nimiæ insipientiæ est adhuc quærere, nimiæ impudentiæ, adhuc negare quid senserint. Nam tu quoque cum obstinatissimè contradicas, vsque adeò iudicasti nihil aliud humanis occurrere sensibus, nisi concupiscentialem motum erubescentes illos homines in genitalib. tegere voluisse; vt perizomata erigere ad latera conareris; aut operiens latus vbi peccatores nihil mali sensisse contẽdis, aut deformiter nudans, quod magis tegendum esse consentis.

Li. 1. de nup. & cõc. cap. 5.
Gen. 3. Perizomata quid sibi velint quibus se primi parẽtes texerunt.
Horatius in arte poetica.
Rom. 7.
Gen. 3.

CAP. III. Li. 1. de nup. & conc. cap. 6

INSERIS alia de libro meo verba, vbi dixi *carnis inobedientiam inobedienti homini dignissimè retributam; quia iniustum erat, vt obtemperaretur à seruo suo, id est, à corpore suo, ei qui non obtemperauerat domino suo* & conaris ostendere *hanc inobedientiam carnis potius esse laudabilem, si pœna peccati est:* & tanquam persona sit aliqua, quæ peccatorem sciẽter affligat, sic eam *velut vltricem sceleris, & in hoc Dei ministram*, tanquam magnum aliquod bonum cothurno sermonis exornas. Nec cogitas posse te isto modo laudare angelos malos, qui vtique non sunt nisi præuaricatores atque impij, per quos tamen Deũ meritas pœnas irrogare peccantibus, sancta Scriptura testatur, dicẽs: Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationem immissionem per angelos malos. Lauda etiam istos, lauda eorum principem Satanam, quia & ipse vindex peccati fuit, quando ei tradidit Apostolus hominem in interitum carnis. Valde enim disertus es contra gratiam Christi, & idoneus dicere panegyricum satanæ, & angelis eius, per quos multorum Deus iudex atque vltor est peccatorũ, retribuens eis secundum opera sua, eos ipsos pessimos & damnabiles spiritus puniendorum supplicia faciens, qui bene iustè; vtitur & bonis & malis. Prædica igitur iniquissimas potestates, quia per ipsas mala retribuuntur malis: qui propterea concupiscentiam prædicas carnis, quia inobedientia retributa est inobediẽtiæ peccatoris. Lauda iniquum regem Saulẽ, quia & ipse fuit pœna peccantium, Domino dicente: Dedi tibi regẽ in ira mea. Lauda dæmonium quod rex ipse patiebatur, quia & hoc pœna fuerat peccatoris. Lauda cæcitatem cordis quę ex parte in Israel facta est. Nec tacetur de cæcitate Israel. Quare? Donec plenitudo, inquit, gentium intraret. Nisi fortè & istam pœnam negabis esse, quã si lucis internæ amator esses, non solum aliquam, sed valde magnam pœnam esse clamares. At ista cæcitas fuit Iudæis grande incredulitatis malum, & grandis causa peccati vt occiderent Christum. Iam istam cęcitatem si pœnam fuisse negaueris, similem te perpeti etiam non confitens indicabis. Si autem pœnam quidem fuisse, sed peccati pœnam non fuisse contendis; interim fateris, quod vnum aliquid & peccatum esse possit & pœna: si autem non est hæc pœna peccati, profectò iniqua pœna est, & iniustum facis Deũ, quo iubente vel sinente; aut in firmum, quo non auertente infligitur nocenti. Quod si etiam pœnam peccati esse concedis, ne hoc concedendo tu ipse corde cæcus appareas, vide iam quod videre nolebas, istam quam mouisti solutam esse quæstionem: quia sicut diabolus atque angeli eius & mali reges, non solum ipsi peccatores sunt, sed per iustitiam Dei fiunt etiam supplicia peccatorum, nec ideo laude sunt digni, quia pœna ex illis iusta infligitur dignis: sic lex in membris repugnans legi mentis, non ideo ipsa iustè agit, quia eius qui egit iniustè, pœna fit iusta: & sicut cæcitas cordis, quam solus remouet illuminator Deus, & peccatum est quo in Deum non creditur; & pœna peccati, qua cor superbum digna animaduersione punitur; & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis (aduersus quam bonus concupiscit spiritus) & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis: & causa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis. Proinde omnia quæ pro hæc tua cæca & inconsiderata opinione dixisti, qua carnis concupiscentiã eo ipso quod eam pœnam diximus esse peccati, non solùm non vituperandam, verumetiam laudandam putasti, quamlibet prolixa disputatione in eo fueris immoratus, euanuisse certissimum est. Nam quod aiisti, *Si libido pœna peccati est, abijciendam esse pudicitiam, ne rebellis in Deũ castitas illatam ab eo dicatur eneruare sententiam*, & cætera huiusmodi quæ hanc vanitatem consequentia atque hinc religata cõtexis: totidem verbis de cæcitate cordis errore simillimo dici potest: Si cæcitas cordis pœna peccati est, abijcienda doctrina, ne rebellis in Deum mẽtis illuminatio illatam ab eo dicatur eneruare sententiam. Quod si absurdissimum est dicere, quamuis sit cæcitas cordis pœna peccati; eo modo absurdissimum est etiam quod ipse dixisti, quamuis sit libido, id est, inobedientia carnis pœna peccati: quoniam cæcitati cordis debet resistere scientia, & libidini continentia: eam verò pœnam quæ nec error est, nec libido, debet tolerare patientia. Quapropter quando Deo donante ex vera viuitur fide, ipse Deus adest & menti illuminandæ & concupiscentiæ superandæ, & molestiæ perferendæ. Hoc enim totum rectè fit, quando fit propter ipsum, id est, quando gratis amatur ipse: qualis amor nobis esse non potest, nisi ex ipso. Alioquin quando sibi homo multum placet, & de sua virtute confidit, si traditur in desideria superbiæ suæ, tanto ampliuş augetur hoc malum, quanto magis ei cupiditates cæteræ cesserint, easque velut laudabilis hanc vnam oblectando compresserit. Quod ergo in aliis opusculis meis legisse te dicis, atque id frustra refutare conatus es, esse nonnulla peccata quæ pœnæ sint etiam peccatorum, deposito vincendi studio diligenter attende, & inuenies esse verissimum secundum ea quæ de cordis cæcitate tractata sunt. Quid enim egisti quæso te, quid egisti, commemorando Apostolicum testimonium, quo ego illud probaui, quod in alia mea disputatione legisti, quia de quibusdam scripsit dicens: Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt? Hoc enim voluisti videri hyperbolicõs dictum, quod fit cum ad permouendos animos, fidem rerum qui sermocinatur, excedit. Vbi ergo id Apostolus fecerit, non graueris ostendere. *Cum inueheretur*, inquis, *in impiorum crimina, pœnarum ea nominibus aggrauauit, quantumque pectori suo virtutũ omnium domicilio turpitudo horreret ostendens, non tam reos quàm damnatos sibi tales ait videri*. Imò sicut ipse loquitur, non sicut eum tu loqui fingis, & damnatos demonstrauit & reos, nec solùm de præteritis reos propter quæ damnatos, sed inde etiam reos vnde etiam damnatos. Nam reos ostendit, vbi ait, Et coluerunt, & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula. Amen. Deinde damnatos propter istum reatum. Sequitur enim, Propter hoc tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Audis, propter hoc; & quæris inaniter, *quomodo intelligendus sit tradere Deus*, multum laborans, vt ostendas *eum tradere deserendo*. Sed quomodolibet tradat, propter hoc tradidit, propter hoc deseruit: & vides eius traditionem, qualemlibet & quomodolibet intelligas quæ consecuta sint. Curauit enim Apostolus dicere quanta pœna sit à Deo tradi passionibus ignominiæ, siue deserendo, siue alio quocunque vel explicabili, vel inexplicabili modo, quo facit hæc summè bonus & ineffabiliter iustus. Nam fœminæ eorum, inquit, immutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturã. Similiter autẽ & masculi relinquentes naturalem vsum fœminæ, exarserunt in appetitum suum in inuicem, masculi in masculos deformitatem operãtes, & mercedẽ mutuã quam oportuit erroris sui in semetipsis recipiẽtes. Quid hoc euidentius, quid apertius, quid expressius? Mercedem mutuam recepisse dicit, vtique damnatos vt tanta operarentur mala, & tamen ista damnatio etiam reatus est, quo grauius implicantur. Ita & peccata sunt ista, & pœnæ præcedentium peccatorum. Et quod est mira-

Psalm. 77.

2. Cor. 15.

Osee 3.

1. Reg. 16.

Rom. 11.

Rom. 7.

Idem & peccatum, & peccati pœna, & causa esse potest.

Pœnam quæ nec error nec libido est, debet tolerare patientia.

De natura & gratia, cap. 22

Rom. 1.

Hyperbole quid.

Explicat mirabilium lib. de gratia & lib. arb. cap. 20. & 21.

mirabilius, etiam oportuisse dicit eos istam mutuam mercedem recipere. Ita se habent etiam superiora verba Apostoli, quæ ipse posuisti. Mutauerũt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam: & cætera quæ sequuntur. Et hic vtique vides causam propter quam traditi sunt, sine vlla ambiguitate monstratam. Dixit quippe quid mali antè fecissent, & adiunxit: Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Proinde præcedentis est hæc pœna peccati, & tamen etiam ipsa peccatum est, quod verbis consequentibus explicat. Sed tu contra disserens, eo modo tibi videris istam soluisse quæstionem, quia desideriis suis Apostolus traditos dixit. *Iam enim flagitiorum*, inquis, *desideriis æstuabant*. Et adiungis ac dicis, *Quomodo ergo per potentiam tradentis Dei putandi sunt in talia facta cecidisse?* Quid ergo plus factum est obsecro te, aut vt quid diceret, Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum; si iam erant possessi quodam modo malis desideriis cordis sui? Nunquid autem consequens est, vt si habet aliquis cordis desideria mala, iam etiam consentiat eis ad committenda eadem mala? Ac per hoc aliud est habere mala desideria cordis, aliud tradi eis; vtique vt consentiendo eis possideatur ab eis; quod fit cum diuino iudicio traditur eis. Alioquin frustra dictum est, Post concupiscentias tuas non eas, si iam quisque reus est, quod tumultuantes, & ad mala trahere nitentes sentit eas, nec eas sequitur si non eis traditur, exercens aduersus eas gloriosa certamina si viuit in gratia. Quid tibi enim videtur, quod obseruat quod scriptum est, si præstes animæ tuæ concupiscentias eius (quod quid est aliud, quàm desideria eius mala) faciet te gaudium inimicis & inuidis tuis? nunquid iam iste reus est, habendo tales animæ concupiscentias, quas ei præstare non debet, ne in gaudium veniat diabolo & angelis eius, qui sunt inimici atque inuidi nostri? Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis; inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, traditur, possidetur. A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Et fit ei peccatum consequens, præcedentis pœna peccati. An non est peccatum & pœna peccati, vbi legitur, Dominus enim miscuit illis spiritum erroris, & seduxerũt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius? Non est peccatum & pœna peccati, vbi Deo dicit Prophera, Quid errare fecisti nos Domine à via tua, obtudisti corda nostra vt non timeremus te? Non est peccatum & pœna peccati, vbi rursus Deo dicitur; Ecce tu iratus es, & nos peccauimus; propterea errauimus, & facti sumus sicut immundi omnes? Non est peccatum & pœna peccati, vbi legitur de gentib. quas debellauit Iesus Naue, quia per Dominum factum est confortari cor eorum, vt obuiam irent ad bellum ad Israel, vt exterminarẽtur? Non est peccatũ & pœna peccati, quod non audiuit Roboam rex plebem bene monẽtem, quoniam sicut Scriptura loquitur, Erat conuersio à Domino, vt statueret verbum suũ quod de illo locutus est in manu Ahiæ Prophetæ? Non est peccatũ & pœna peccati, in eo quod scriptum est, Amasiam regem Iuda noluisse audire Ioas regem Israel bene monentem, ne procederet ad bellandum? Sic enim legitur, Et nõ audiuit Amasias, quoniam à Deo erat vt traderetur in manus hostium, quoniam quæsierunt Deũ Edom. Et multa alia commemorare possemus, in quibus liquidò appareat occulto iudicio Dei fieri peruersitatem cordis, vt nõ audiatur quod verũ dicitur, & inde peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Nam credere mendacio, & non credere veritati, vtique peccatum est. Venit tamẽ ab ea cæcitate cordis, quæ occulto iudicio Dei, sed tamen iusto etiam pœna peccati monstratur. Quale est etiam illud quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus, Pro eo quod dilectionem veritatis non receperũt, vt salui fierẽt, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mẽdacio. Ecce pœna peccati, peccatum est. Vtrunq; claret, breuiter dictum est, apertè dictum est, ab eo dictum est; cuius alia verba in tuam sententiam frustra detorquere conatus es. Quid est autem quod dicis; *Cũ disiderijs suis traditi dicuntur, relicti per diuinam patientiam intelligẽdi sunt, non per potentiam in peccata compulsi*: quasi non simul posuerit hæc duo idẽ Apostolus & patientiam & potentiam, vbi ait: Sic autẽ volens Deus ostendere iram & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ; quæ perfecta sunt in perditionẽ. Quid horum tamen dicis esse quod scriptum est: Et propheta si errauerit & locutus fuerit, ego Dominus seduxi prophetam illum, & extendam manum meam super eum, & exterminabo eũ de medio populi mei Israel: patientia est, an potentia? Quodlibet eligas, vel vtrunque fatearis, vides tamen fallã prophetantis peccatum esse, pœnamq; peccati. An & hic dicturus es quod ait, Ego Dominus seduxi prophetam illum, intelligendũ esse, deserui, vt pro eius meritis seductus erraret? Age vt vis, tamen eo modo punitus est pro peccato, vt falsum prophetando peccaret. Sed illud intuere quod vidit Micheas propheta, Dominum sedentem super thronũ suum, & omnis exercitus cœli stabat circa eum à dextris eius & à sinistris eius. Et dixit Dominus: Quis seducet Achab regem Israel, & ascendit, & cadet in Ramoth Galaad? Et dixit iste sic, & iste sic. Et exiit spiritus, & stetit in cõspectu Domini & dixit: Ego seducam eum. Et dixit Dominus ad eũ: In quo? Et dixit: Exibo & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit: Seduces & præualebis, exi & fac sic. Quid ad ista dicturus es? Nempe rex ipse peccauit, falsis credendo prophetis. At hæc ipsa erat & pœna peccati, Deo iudicãte, Deo mittente angelum malum; vt apertius intelligeremus, quomodo in Psalmo dictum sit, misisse iram indignationis suæ per angelos malos. Sed nunquid errando, nunquid iniustè quicquam vel temere iudicando, siue faciendo? Absit: Sed non frustra illi dictum est: Iudicia tua sicut abyssus multa. Non frustra exclamat Apostolus: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quã inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi vt retribuatur ei? Nullum elegit dignum, sed eligẽdo effecit dignum; nullum tamen punit indignum.

Rom. 1.

Tali desideriis malis, quid.

Eccl. 18. Non concupiscentias sentire, sed sequi peccatum est. Eccl. 18.

Ita volunt no stri temporis hæretici.

2. Pet. 2.

Peccatum & pœna peccati. Esaiæ 19.

Esaiæ 63.

Esaiæ 64.

Iosue 11.

3. Reg. 12.

2. Paral. 25.

1. Thes. 2.

Rom. 11.

3. Reg. 22.

Psalm. 77.

Psal. 35.

Rom. 11.

AIT, inquis, *Apostolus: Bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit*. Verum esse constat; sed quem prædestinauit adducit: quamuis secundum duritiam suam, & cor impœnitens, quantum ad ipsum attinet, thesaurizet sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. Quantamlibet enim præbeat patientiam: nisi ipse dederit, quis agit pœnitentiã? An oblitus es quod idẽ ipse doctor ait: Ne fortè det illis Deus pœnitentiã ad cognoscendam veritatem & resipiscant à diaboli laqueis? Sed iudicia eius multa abyssus. Nos certè si cos in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittamus, rei cum ipsis erimus. Quàm vero innumerabilia ille permittit fieri ante oculos suos; quæ vtique si noluisset nulla ratione permitteret: & tamen iustus & bonus est, & quod præbendo patientiam dat locum pœnitentiæ nolens aliquem perire, nouit Dominus qui sunt eius, & omnia cooperatur in bonum, sed his qui secundum propositum vocati sunt. Non enim omnes qui vocati sunt,

CAPVT III. Rom. 2.

2. Tim. 2.

Psalmus 39

2. Tim. 2.

Rom. 8.

Matth. 22. Multi vocati. Dei. Tim. 1.

sunt, secundum propositum sunt vocati. Multi enim vocati, pauci verò electi. Qui ergo electi, hi secundum propositum vocati. Vnde & alibi dicit: Secundum virtutem Dei saluos nos facientis & vocãtis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante sæcula æterna. Denique & hic cum dixisset: Omnia cooperatur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt; continuo subdidit, quoniam quos antè præsciuit & prædestinauit, conformes imaginis filij eius vt sit primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinauit, illos & vocauit: quos autem vocauit, ipsos & iustificauit: quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit; hi sunt secundum propositum vocati. Ipsi ergo electi, & hoc ante mundi constitutionem, ab eo qui vocat ea quæ non sunt tanquam sint. Sed electi, per electionem gratiæ. Vnde dicit idem doctor & de Israel: Reliquię per electionem gratiæ factæ sunt. Et ne fortè ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, secutus est, & adiunxit: si autem gratia, iam non ex operib. alioquin gratia iam non est gratia. Ex isto numero electorum & prædestinatorum etiam qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam, per cuius patientiam non sunt huic vitæ in ipsa scelerum perpetratione subtracti; vt ostendatur & ipsis & alijs coheredibus eorum, de quàm profundo malo possit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit, quacunq; ętate moriatur. Absit enim vt prædestinatus ad vitam, sine sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitã. Propter hos Dominus ait: Hæc est autem voluntas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, nõ pertdam ex eo. Cæteri autẽ mortales qui ex isto numero non sunt, ex eadem quidem massa ex qua & isti, sed vasa iræ facti sunt; ad vtilitatem nascuntur istorum. Non enim quenquam eorum Deus temerè ac fortuitò creat, aut quid de illis boni operetur ignorat; cũ & hoc ipso bonum operetur quod in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem seculi præsentis exornat. Istorum neminem adducit ad pœnitentiam salubrem & spiritalem, qua homo in Christo reconciliatur Deo, siue illis ampliorem patientiam, siue nõ imparem præbeat. Quamuis ergo omnes ex eadem massa perditionis & damnationis secundum duritiam cordis sui, & cor impœnitens quantum ad ipsos pertinet, thesaurizent sibi iram in die iræ, quo redditur vnicuique secundum opera sua: Deus tamen alios inde per misericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios secundum iustum iudicium non adducit. Habet enim potestatem adducendi & trahendi, ipso Domino dicente: Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. Nunquid autem Achab regem sacrilegum & impium adduxit ad pœnitentiam; aut saltem per mendacem spiritum iam seducto atque decepto, patientiam & longanimitatem præbuit? Nónne in eo statim propter quod erat seductus, morte rapiente completum est? Quis eum dicat non peccasse, spiritui credendo mendaci? Quis dicat hoc peccatum pœnam non fuisse peccati, venientem de iudicio Dei, ad quem legit mendacem spiritum, siue missum, siue permissum? Quis horum aliquid dicit, nisi qui dicit quod vult, & quod verum est audire non vult? Quis verò ita desipiat, vt cùm audierit quod in Psalmo canitur: Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: hoc dicat orasse hominem, ne Deus sit patiens erga illum, si Deus nõ tradit, vt mala fiant, nisi patientem bonitatem prębendo cùm fiunt? Quid est autem quod quotidie dicimus: Ne nos inferas in tentationem: nisi vt non tradamur concupiscentiis nostris? Vnusquisque enim tentatur à concupiscentia

Rom. 4. Rom. 11. Electio prædestinationis nõ est ex præcognitis operibus. Rom. 8. Ephes. 1. Ioan 6. Reprobi ad electorum nascuntur vtilitatem. Ioan. 6. 3. Reg. 22. Psal. 139. Matth. 6. Iac. 1.

A sua abstractus & illectus. An fortè hoc à Deo petimus, vt non sit erga nos patiens bonitas eius? Non ergo eius inuocamus misericordiam, sed potius iracundiam prouocamus. Quis ista sapiat sanus; imo quis vel furiosus hæc dicat? Tradit ergo Deus in passiones ignominiæ, vt fiant quæ non conueniunt, sed ipse conuenienter tradit, & fiunt eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum, & suppliciorum merita futurorum. Sicut tradidit Achab in pseudoprophetarum mendacium; sicut tradidit Roboam in falsum consilium. Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui nouit iusta iudicia sua, non solùm in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari. Qui non facit voluntates malas, sed vtitur eis vt voluerit, cùm aliquid iniquè velle non possit. Exaudit propitius, non exaudit iratus. Et rursus non exaudit propitius, exaudit iratus. Parcit propitius, non parcit iratus. Et rursus non parcit propitius, parcit iratus: atq; in his omnib. bonus perseuerat & iustus. Sed ad hæc quis idoneus?

B vtique ad hæc eius perscrutanda & inuestiganda iudicia; quis homo idoneus quem corruptibile aggrauat corpus, etiam si habeat sancti Spiritus pignus? Sed homo intelligens & acutus, *iustam* dicis *esse libidinem & laudis præconio prædicandam, si cum qui Deo non obediuit, non illi obediendo puniuit*. Si prudenter hic sapères, profectò esse iniquitatẽ videres, qua pars inferior hominis repugnat superiori atque meliori; & tamen iuste iniquum suæ carnis iniquitate punitur; sicut est rex iniquus maligni spiritus iniquitate punitus. An & ipsum malignum spiritum laudare disponis? Eia quid moraris? Decet enim te inimicum gratuitæ Dei bonitatis, laudatorem spiritus esse mendacis. Nec laborabis inuenire quid dicas, laudes eius paratas habes, si hæc ipsa in eum verba transtuleris, quę posuisti in laude libidinis, velut consequentia sententiam meam, quia ego dixi: *Iniustum enim erat, vt obtemperaretur à seruo suo, hoc est à corpore suo, ei qui non obtẽperauerat Domino suo*. Quod tu negans, & falsum esse deridens, velut ostendere voluisti quæ sequeretur absurditas: tanquam vltricem peccati, si hoc ita est, libidinem laudans. Certè istum mendacem spiritũ quia impium regem sicut merebatur, fallendo traxit ad mortem, non negas iniquitatis vltorem. Ecce ego & hic dico: Iniustum enim erat vt qui non crediderat Deo vero, non deciperetur à falso. Lauda ergo & istius iustitiam falsiratis, & dic quæ dixisti in laude libidinis: *quia nihil ea potest laudabilius æstimari, si iniquitate vltæ commissa est, si vindicauit iniuriam Dei, & quia ita consortium peccati non habuit, vt officium vindicantis assumeret*: omnia hęc secundum tuos acutissimos sensus, rectè dicuntur & in illius immundi spiritus laude. Ergo præconium vocis tuæ in simili causa, aut mendaci redde spiritui, aut contumaci tolle libidini. Quid fugis ad obscurissimam de anima quæstionem? In paradiso ab animo quidem cœpit elatio, & ad præceptum transgrediendum inde consensio, propter quod dictum est à serpente: Eritis sicut dij: sed peccatum illud homo totus impleuit. Tunc est caro facta peccati, cuius vitia sanantur sola similitudine carnis peccati. Vt ergo & anima & caro pariter vtrumq; puniatur, nisi quod nascitur, renascendo emendetur; profectò aut vtrumq; vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tanquam in vitiato vase corrumpitur; vbi occulta iustitia diuinæ legis includitur. Quid autem horũ sit verum, libentius disco quàm dico, ne audeam docere quod nescio. Hoc tamen scio, id horum esse verum, quod fides vera, antiqua, catholica, qua creditur & asseritur originale peccatum, non esse conuicerit falsum. Ista fides non negetur, & hoc quod de anima latet, aut ex ocio discitur, aut sicut alia multa in hac vita sine salutis labe nescitur. Magis enim curandum est, siue in

Sap. 9. Concupiscentia cur iniquitas. Lib 1. de nup. & concupis. cap. 6. Primum in Paradiso peccatum. Gen. 3. Duo modi contrahendi originalis peccati.

paruulis,

paruulis, siue in grãdibus, quò anima sanetur auxilio, A quàm quo vitiata sit merito. Quæ tamen si vitiata negabitur, nec sanabitur. Illud sanè cur dixeris, excogitare non potui, in eo quod commemorasti *dixisse Apostolum: Et tenebris oppletum est insipiens cor eorum*. Addidisti enim *notandum esse, quoniam insipientiam causam dicat omnium malorum*. Hoc quidem dixisse Apostolum non satis constat. Sed non inde contendo; tu potius cur hoc dixeris quæro. An fortè quia paruuli non rectè dicuntur insipientes, quia nõdum sapientiæ possunt esse participes; ideo nullum malum eis inesse vis credi, quod esse consequens arbitraris, si malorum omnium causa insipientia est? Sed si disputatione subtilissima & elimatissima opus est, vt sciamus vtrum primos homines insipientia superbos, an insipientes superbia fecerit: nunc propter id quod inter nos agitur, quis ignorat omnes homines quicũque sapientes fiunt, ex insipientibus fieri? Nisi fortè aliqui ex pręconibus mediatoris magna eius multumque insolita gratia ad sapientiam, non ex insipientia, sed ex infantia trãsire potuerint. Quòd si natura, sine fide mediatoris fieri posse contenditis, arcanum virus panditis hæresis vestræ. Nihil enim vos agere apparet tanta defensione & laude naturæ, nisi vt Christus gratis mortuus sit, cuius nos dicimus fidem quæ per dilectionem operatur, etiam natura insipientibus opitulari. Sunt enim qui tanta cordis obtusitate nascuntur, vt similiores pecoribus quàm hominibus esse videantur. Quorum tantæ fatuitatis quæ in illis naturalis apparet, non potestis vllum dicere meritum, qui nullum esse dicitis originale peccatum. Quis autem non quotidie probet testibus rebus humanis, paruulum prius nihil sapere, deinde crescendo vana sapere, & postea si ad sapientiæ sortem pertinet, recta sapere; atque ita ab infantia ad sapientiam per insipientiam mediam peruenire? Quapropter humana natura quę iacet in paruulis, cui laudibus vestris saluatorem tanquam sana sit inuidetis, quemadmodum prius profe- C rat insipientiæ quàm sapientiæ fructum videtis, & radicis eius vitium videre non vultis; aut videtis quod peius est, & negatis.

Rom. 1. Adhiberem. & Baptist. respicere videtur. Gal. 2. Gal. 5.

CAP. V. DEINDE aliis verbis meis interpositis calumniaris, quod ego mihi ipse contrarius fuerim, qui cùm dixissem inobedienti homini pœnam inobedientiam sui corporis redditam, continuò alia mẽbra corporis nominatim expressérim dicens, quod ad nutum nostræ seruiant volũtati. Hoc ergo dixi, genitalibus vtiq; exceptis, quæ corporis nomine nuncupaui: ac per hoc & corpus voluntati seruit in aliorum motione membrorum, & corpus voluntati non seruit in motibus genitalium. Non sunt ergo verba mea inter se contraria, quanuis te patiantur, vel non intelligẽdo, vel alios intelligere non sinendo, contrarium. Si enim pars corporis non posset nomine corporis nuncupari, non diceret Apostolus: Mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir; similiter & vir non habet sui corporis D potestatem, sed mulier. Ipsa vtique membra appellãs corporis nomine, quib. discernitur sexus; peragiturq; concubitus. Quis est enim qui dicat virum sui potestatem corporis non habere, si in his verbis Apostoli, totum corpus intelligas, quod cõstat omnibus membris? Ac per hoc ego secundum Apostolum, etiam solum genitale membrum nomine corporis nuncupaui, quod non voluntate, sicut manum vel pedem, sed libidine moueri agnoscit sensus humanus, qui te deridet in rebus manifestis impudentes nebulas excitantem, vt nos diutius de pudendis rebus cogat & necessitas loqui, & honestas circũloqui. Sed qui verba mea legit quæ refellere niteris, eisque te insidiantem perspicit, sufficit mihi quia loco illo quid dixerim corpus intelligit. Verùm tu qui me verbis meis repugnasse

Lib. 2. de nup. & conc. cap. 6. 1. Cor. 7. Corpus pro sexu positum apud Apostolũ.

dixisti, quod esse falsissimum videbit qtiscquis te audito ea relegerit, & Apostolum genitalia nomine corporis appellasse recoluerit: tu ergo qui in me quasi sententias inter se pugnantes notasti, & momordisti; expone quemadmodum tibi ipse constiteris, nec tibi ipse restiteris, vbi primum dixisti, *Cum ventum fuerit vt filij seminentur, ad voluntatis prorsus nutum membra in hoc opus creata famulari; & nisi eorum impedimenta, aut de infirmitate, aut de immoderatione prouenant, seruire animi imperio:* Postea verò, *hoc genus motus in his habendum putasti, quæ multa in nostro corpore ordine suo ac dispensatione secreta, voluntatis non imperium, sed consensum requirunt magis: verius enim membra genitalia voluntatis non imperium, sed consensum requirere, quàm voluntatis imperio aut animi subiacere*. Vbi quidẽ perspicuæ veritati ex aliqua parte cessisti, sed illud quod prius dixeras delere debuisti. Quomodo enim secundum priorem sententiã tuam *ad voluntatis prorsus nutum ista*, de quibus agimus, *membra famulantur, B atque imperio animi seruiunt*; si secundum posteriorem sententiam tuam, *sicut fames, & sitis, & digestio non voluntatis imperium, sed consensum requirunt?* Multum quidem laborasti vt hæc inuenires, quæ contra te potius quàm contra me diceres. Sed in tali causã nõ tibi esset necessarius labor; si adesset pudor. Quid enim prodest, quia *verecũdari te* dicis, *& de rebus loqui talibus horrore prohiberi, sed necessitate compelli:* quando non erubuisti sentẽtiam tuam relinquere scriptam, contra quã tu ipse perspicua veritate turbatus, mox aliã sententiã protulisti? Quanquam & ipsa commemoratio verecundiæ tuæ nimis inuerecunda est. Sed ideo mihi placet, quia contra te loquitur. Homo es enim, qui nõ erubescis libidinẽ laudare, & erubescere te dicis de libidinis motibus disputare. Quid autem magnũ fuerat intueri, quod posteaquã dixi vt alia mẽbra moueãtur positũ in potestate est, continuò subieci, *quare do ab impedimentis corpus liberum habemus & sanum?* Somnus C enim quando inuitos premit & lassitudo, vtiq; impedimenta sunt, quibus membrorũ agilitas impeditur. Deinde quod aisti, *nec in eam partẽ sequi membra quam volumus, si ita velimus vt habitus ipse non patitur:* non attendisti propterea me prædixisse, *vt ad opera sibi congrua moueantur* ac per hoc si ea volumus flectere quo eorum natura non patitur, ad opera sibi non congrua non sequuntur; tamen quando ea sequentia voluntario moru agimus, libidinis adiutorio non egemus. Et cum ab eis mouendis cessare volumus, continuò cessamus, nec contra volũtatem nostram stimulo libidinis excitantur. Sanè quod dicis *etiam genitalia seruire animi imperio*; nouam quandam libidinem dicis, aut fortè nimis antiquã, qualis & in paradiso esse potuisser, si nemo peccasset. Sed quid hinc tecũ agã, quando posterioribus verbis hoc tollis, quibus dicis *non moueri hæc ad animi imperium, sed potius expectare consensum?* Nec tamen ideo debes istam libidinem fami, vel aliis molestiis nostris comparare. Quòd enim nemo cum vult esurit, aut sitit, aut digerit: indigentiæ sunt istæ reficiendi, vel exonerandi corporis, quibus subueniendum est, ne lædatur, aut occidat. Nunquid autem lædit aut occidit corpus, si libidini non adhibeatur assensus? Discerne ergo mala quæ per patientiam sustinemus, ab eis malis quæ per continentiam refrenamus. Nam & illa mala sunt, quæ in corpore mortis huius potuimus experiri. Quantę autem & quàm trãquillæ potestatis essemus etiam de his motibus, quibus alimenta sumuntur & digeruntur, in illa felicitate paradisi, quis possit vt certum est indagare, quis vt dignum est explicare? Vbi absit vt credamus aliquid fuisse vnde sensum nostrum, siue intrinsecus, siue extrinsecus aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor vreret, aut algor

Iuliamus sibi ipsi cõtradicit. Libido non est fami caresse motibus comparanda.

strin-

stringeret, aut horror offenderet. Quid quòd istã pulcherrimam famulam tuam, quam me pudet assiduè vel vituperando nominare, te autem prædicare non pudet, cõmendatiorem fieri putas, quod ei seruiunt vt ardentius excitetur, etiam cæteræ corporis partes, siue oculi videntes ad concupiscendum, siue alia membra in osculis & amplexibus? Aures quoq; hominis quomodo ei subderes inuenisti, & erexisti eius vetustissimum quidem, sed planè gloriosissimum titulum, cõmemorans quod in expositione consiliorũ suorũ Tullius posuit: quia cùm vinolenti adolescentes tibiarum etiam cãtu, vt fit, instincti, mulieris pudicæ fores frangerent; admonuisse tibicinam vt spondeum caneret, Pythagoras dicitur: quod cùm illa fecisset, tarditate modorum, & grauitate cantus, illorum furentem petulantiam resedisse. Vides ergo quanto congruentius ego dixerim, sui iuris hanc esse quodammodo cui seruitur ab aliis sensibus, vt in opus suum dignetur assurgere, vel à sua cõmotione requiescere. Hoc enim ego ideo dixi, quia sicut ipse confessus est, consentitur ei potius quã imperatur. Nam & quod aliis concitatur stimulis, vel modulamine frangitur & sedatur, sicut ipse prosequeris, profectò non fieret, si seruiret hominis voluntati. Feminę autẽ quas ab isto motu immunes facis, quamuis possint virili concupiscentiæ subiacere, & quãdo non patiuntur suã; tamen quãtum eius etiã ipsæ sufferant impetũ, cui repugnat decus honestasq; castarum, interrogetur Ioseph. Debuisti sanè homo ecclesiastice, ecclesiastica musica potius quàm Pythagorica commoneri, quid Dauidica cithara egerit in Saule, quando malo spiritu vexabatur, & tangẽte citharam sancto ab illa molestia respirabat: ne ideo bonum aliquid existimes concupiscentiã carnis, quia non nunquam musicis cohibetur sonis.

Cantus grauitate furentium adolescẽtum petulantia sopita.

Gen. 39.

1. Reg. 16.

CAP. VI. QVOD autem dicis exclamans: *O quàm dignè Hieremias cum prophetarum choro & sanctorum omnium exclamaret: Quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lachrymarum, vt insipientis populi peccata defleret: quia ecclesia Christi* doctores Pelagiani erroris *expellit.* Si flere salubriter velles, hoc fleres, quòd illo es implicatus errore, eisq; te lachrymis ab eadem noua peste dilueres. An ignoras vel oblitus es, vel considerare detrectas, sanctam ecclesiam vnam catholicam etiam paradisi significatam fuisse vocabulo? Quid ergo miramini, si de isto paradiso foras mittimini, qui legem quæ est in mẽbris nostris repugnans legi mẽtis, in illũ paradisum vultis inducere, de quo foras à Domino missi sumus, nec ad eum redire poterimus, nisi hanc in isto paradiso vicerimus? Si enim nõ ista concupiscentia quã defendis repugnat legi mentis, nullum aduersus eam certamen quisquã sanctus exercet. Tu autem confessus es, aduersus istam quam tueris, *exercere sanctos gloriosa certamina.* Ipsa est igitur quæ repugnat legi mentis in corpore mortis huius, de qua se gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum liberari dicebat Apostolus. Sentis ne iam tandem gratiæ huius inimici quanto sint fonte lachrymarum plangendi, & ne alios ad interitum secum trahant, quanta pastoralis curæ obseruatione vitandi? Vos enim augetis ista nouitate eam quæ in omnibus est hæreticis, occidui temporis prauitatem. Vos estis ruina morum, qui ipsius fidei supra quam mores ædificandi sunt, molimini fundamenta subuertere. Vos pudoris interitus, quos laudare non pudet, contra quod pugnat pudor. Hoc potius audire debet ecclesia, quæ virgo dicitur, vt vos caueat; hoc matronæ, hoc virgines sacræ, hoc omnis pudicitia Christiana. Nõ enim sicut insimulas *cum Manichæis dicunt, inesse carni suæ mali necessitatem:* quod malum illi substantiale, & Deo coæternum esse mentiuntur, sed dicunt sanè cum Apostolo: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; esse tamen eam sub animi potestate, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in mortis corpore castigandam, in morte corporis resoluendam, in corporis resurrectione & mortis morte sanandam. Tenent enim sanctam professionẽ, non solo habitu vestis, sed & mentis & corporis resistendo concupiscentiæ carnis, quod hic fieri potest; non ea prorsus carendo, quod hic fieri non potest. Hoc ergo audiant, vt donec illa careant, vos caueant. Nam si ab omnibus sanctis quæras tanquam in sancto auditorio duobus recitare cupientibus, vtrum vituperatorem, an laudatorem malint audire libidinis; quid de illis responsurum putas, continentium laborem, coniugatorum pudorem, omnium castitatem? Itáne verò abijcerent ab auribus suis libidinis vituperationem, & libenter audirent libidinis laudem? Non vsq; adeò putandum est perisse frontem de rebus, vt hoc dedecus, nisi in tali fortè auditorio fieret, vbi te recitaturo considentibus discipulis suis, magister Celestius aut Pelagius præsideret.

Paradisus Ecclesiæ typus.

Rom. 7.

Sup. lib. 3. cap. 21.

Rom. 7.

Pelagiani vnica morum, pudoris interitus.

Rom. 7.

Professæ virgines etiam habitum olim mutarunt.

HINC ad alia verba mea transis, vbi dixi: *Hunc itaque motum ideo indecentem, quia inobedientem, cùm illi primi homines in sua carne sensissent, & in sua nuditate erubuissent, foliis ficulneis eadem membra texerunt; vt saltem arbitrio verecundantium velaretur, quod non arbitrio volentium mouebatur. Et quoniam pudebat quod indecenter libebat, operiendo fieret quod decebat.* His verbis meis propositis, hoc te iam destruxisse in secundi tui libri disputatione, & in huius tertij, cui nunc respondeo, parte superiore, inani iactatione commemoras. Nunc autem quia istum motum libidinis dixi, ideo indecentem, quia inobedientem, dixisse me vis putari, *non eam corpori, non animo esse subiectam, sed fera virtute semper indomitam.* At ego illam virtutem nunquam dixi esse, sed vitium. Quod si non mouetur cõcupiscendo, quid est quod aduersus eam castitas dimicat continendo? Vbi sunt illa quæ aduersus eam confessus es exerceri sanctorum gloriosa certamina? Quantum ergo attinet ad pudicitiam, quòd eius libidinis expugnatione, oppressione, frenatione, & ad nihil illicitum permissione seruetur, hoc dicis quod ego: sed quod expugnandum, opprimendum, refrenandum est, ne ad illicita rapiat, quibus inhiare non cessat; bonum esse tu dicis, non ego. Quis autem nostrum verum dicat, iudicent casti, auscultantes non linguæ tuæ, sed experientiæ suæ. Iudicet Apostolus, dicẽs: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. *Sed Paterniani,* inquis, *ydemq; Venustiani hæretici similes Manichæis, dicũt à lũbis vsque ad pedes diabolũ fecisse corpus hominis, superiores verò partes Deum, velut supra basem aliquam collocasse: adduntq; nihil ab hominis studio requiri, quàm vt anima quam in stomacho & capite habitare dicunt, munda seruetur: pubem verò si omnium flagitiorum sordibus obliuatur, aiunt ad suam non pertinere curam. Ita semper,* inquis, *vt ipsi libidini turpiter seruiant, titulum ei propriæ potestatis affigunt. Cuius cognatione sententiæ, posuisse me in libro meo* asseris: *Arbitrio verecundantium velabatur, quod non arbitrio volentium mouebatur; & quod non seruiens voluntati, suo iure corpus libido succendit.* Nunquid ideo vim veritatis effugere poteris, quia nobis calumniando importas socios falsitatis? Quod enim ego in libro meo posui, cui cedere vtinã quàm resistere maluisses, longè distat ab istis Paternianis seu Venustianis. Ego enim secundum catholicam fidem, totum hominem, totam scilicet animam, totũq; corpus eius Deo summo & vero tribuo creatori: diabolum autem dico humanam vel aliquid eius non creasse, sed vitiasse naturã, contraq; ipsam diabolicam plagam, quæ Dei opitulatione sananda est donec ab ea penitus liberemur, nobis esse pugnandum.

CAPVT VIII. Li. 2. de nup. cap. 6.

Sup. lib. 3. cap. 21. & lib. 4. cap. 2.

Rom 7. De hæresi Paternianorum & Venustianorum cõsule August. hæresi 85.

Nec

Nec animam quã corpus viuit, vniuersam mundam, quantum in hac vita mundus homo est, posse seruari, si cõcupiscentiæ carnis ad flagitia perpetrãda & quæque immũda consenserit. Quantũ ergo attinet ad istã calumniam tuam, nunquid habes aduersus ista quæ dicas? Quod si parum est, ecce damno & anathematizo ea quę Paternianos seu Venustianos sentire dixisti; addo etiam Manichæos: vtrosque cũ cæteris hæreticis execror, dãno, anathematizo, detestor. Quid quæris amplius? Exue te calũniis, vitibus luctare, non fraudibus: Responde vnde sit, cui nisi repugnetur, nulla castitas custoditur. Non est certè natura atq; substantia, secundum Venustianos & Manichæos: si nec vitium naturæ est, quid est? Exurgit, opprimo; renititur, refreno; repugnat, expugno. In tota anima & toto corpore conditorem habeo pacis Deum. Quis in me seminauit hoc bellum? Solue Apostole quæstionẽ atq; responde: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerũt. Sed non vult Iulianus. Et ad hoc Apostole beate responde: Si quis vobis annunciauerit præter quod accepistis, anathema sit. *Sed si conniuero,* sicut dicis, *inuictum esse libidinis malum, profitebor me esse turpitudinis aduocatum.* Si autem dixero malum me quidem hoc dixisse naturale, sed quod vinci possit, id est, possit caueri, protinus tu ex alia parte sententiæ tuæ tripudias. *Possunt enim homines,* inquis, *omne vitare peccatum, cum possint vincere concupiscentiæ malum. Si enim libido naturale malum est, & vincitur amore virtutis; multo magis dicis illa omnia vitia superari, quæ de sola voluntate contingunt.* Iam multis modis ad ista vestra, & sæpe responsum est: Quia dum hic viuimus, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, quantũlibet in isto conflictu superiores simus, nec membra nostra exhibeamus arma iniquitatis peccato, obediẽtes desideriis eius; tamen vt taceam de corporis sensibus, & in rebus, quibus licitè vtimur surrepentis voluptatis excessibus, in ipsis certè nostrę cogitationis motibus & affectibus si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Frustra igitur in alia tuæ sententiæ parte tripudias, nisi forte sententiam apostoli Ioannis repudias sacrilega præsumptione. Quod autem nunc agitur; naturalem esse libidinem, & ego dico, quia cũ illa nascitur omnis homo; & tu multo amplius, qui dicis, quod cum illa sit cõditus primus homo: ita vincẽdam esse libidinem, atq; vt vincatur, ei resistendum esse & repugnandum, & ego dico, & tu; ne à me audias quod mihi ipse dixisti, *profiteri te turpitudinis aduocatum, si libidinem negaueris esse vincendam,* quæ vtiq; non vincitur, si nullũ cum ea geritur bellũ. Cum igitur libidinẽ & naturalem esse, & vinci posse, ambo dicamus, vtrũ bonum vincamus, an malum, ipsa inter nos vertitur quæstio. Sed vide quàm sis absurdus; & sicut hostẽ vis expugnare libidinem, & de malo eius non vis finire quæstionem: vt si te in concupiscẽtiæ diabolus aduersitate non vicerit, vincat te in peruersitate sententiæ. Adhuc non euigilas, vt intelligas nostram natũram non esse sed vitium, contra quod virtute pugnamus? Neque enim bono bonum, sed bono vtique malum vincimus. Considera cum quo vincat, cum quo vincatur. Quando enim libido vincit, vincit & diabolus. Quando libido vincitur, & diabolus vincitur. Quem ergo vincit libido, & à quo vincitur, est hostis eius. Cum quo autem vincit & vincitur, author est eius. Rogo te, oculos aperi, & cerne quæ aperta sunt. Nulla pugna est sine malo. Quando enim pugnatur, aut bonum pugnat & malum, aut malum & malum: aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum. Quod in corpore quãdo contingit, vt ea quibus constat, id est, humidum & siccum, calidum & frigidum, quamuis sint inter se contraria, pacẽ secum concordiamq́ue non teneant, morbi ægrotationesq; nascuntur. Et quis audeat dicere, aliquid eorum non esse bonum, cùm omnis creatura Dei bona sit; & benedicant in hymno trium puerorũ frigus & æstus Dominũ, quæ inter se contraria, seruãt tamen pro rerum incolumitate concordiã. Cum verò in nostro corpore discrepant, seseq; inuicem oppugnãt, valetudo turbatur. Et hoc totũ si cut ipsa mors, de peccati illius propagatione descendit. Neq; enim & hæc quisquã dixerit, si nemo peccasset, nos in illa beatitudine paradisi fuisse passuros. Sed aliæ sunt rerũ corporaliũ qualitates, quę secũ à contrariis tẽperãtur vt bene valeamus: & cum sint in diuerso genere bonæ, tamen cum discordant, malam valetudinem faciunt: & aliæ sunt animæ cupiditates quæ propterea carnis dicuntur, quia secundum carnem anima concupiscit, cum sic cõcupiscit, vt ei spiritus, id est, pars eius melior & superior debeat repugnare. Deniq; ista vitia nõ medicos vllos corporũ quęrunt, sed gratia Christi medicante curantur; prius vt reatu non teneant, deinde vt conflictu nõ vincant, postremò vt omni ex parte sanata, nulla omnino remaneant. Proinde cũ mala concupiscere malũ sit, & bona concupiscere bonum sit, atq; hoc bellum quandiu hic viuitur non quiescat, cũ caro concupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnem; quis me liberabit de corpore mortis huius, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominũ nostrum? Cui gratiæ nimis inimicum dogma horrescimus vestrum. Sed vir fortissimus nocturnorum & si non administrator, certè exhortator prædicatórq; bellorum, *eneruem & mollem esse* dicis *opinionem, qua creditur in paradiso ad nutum voluntatis genitalia potuisse seruire.* Tãto enim tibi tanquam viro casto, effœminatior videtur esse animus, quãto plus habet potestatis in corpus. Sed ecce nõ vobiscum de libidinis absentia præsentiãue contendimus, nec dilectionem quam debere vos ei videmus, offendimus; saltem ipsam subditæ voluntatis imperio in illo felicitatis loco. Auferte inde euidentissimam pugnam, quæ fit eius motioni mente renitẽte; auferte inde turpissimam pacem, quæ fit eius dominationi mente seruiente. Et certè quia non eam talem videtis, qualem ibi constituere si ratione non reuocamini, pudore cogimini, in ea qualis nunc est vitium originale fatemini; cui si seruimus perimus, cui repugnamus ne seruiamus. Ecce quod laudas, nec times, ne tibi potius admoneas esse dicendum, quod ad flagitia concites homines ne resistant concupiscentiæ, quam sicut bonum naturale commendas. Quid enim te adiuuat quod reprehẽdere videris eius excessum, cuius approbas motum? Tunc enim excedit licitum limitem, quando eius motibus ceditur. Mala est tamẽ & quãdo non cẽditur, quia malo resistitur, ne bonum castitatis intereat, si huic malo non resistatur. Quam tu cùm bonam naturaliter dicis, astutè illi semper consentiendum esse decernis; ne renisu improbo repugnetur naturali bono. Ita quippe potest facillimè vera esse etiam illa vestra sententia, qua dicitis hominem sine peccato esse si velit. Non est enim quomodo faciat quod non licet, quando licet quicquid libet, quia bonũ est quod naturaliter libet. Si ergo adsunt, voluptatibus perfruatur; si autẽ nõ adsunt, ipsis earum cogitationibus sicut Epicuro visum est, oblectetur, & erit sine peccato, nec se vllo fraudabit bono: nec cuiuscunq; doctrinæ opinionibus resistat naturalib. motibus; sed sicut ait Hortensius, *tunc obsequatur naturæ, cum sine magistro senserit quid natura desideret.* Nõ enim potest quæ bona est desiderare quod malum est, aut negandum est bonę aliquod bonum. Fiat itaq; totum quod desiderat libido bona, ne ipse sit malus qui resistit

Nec animæ cupiditates, quomodo carnis dicantur.

Rom. 5.

Gal. 1.

Rom. 7.

1. Ioan. 1.

Libido quo sensu nobis naturalis.

Libido cum vincitur, diabolus vincitur.

Ciceronis dialogus est, cui nomen Hortensius.

resistit bono. Non hoc dico, inquies, & iniustum est vt aliud me suspiceris sentire quàm loquor. Noli ergo facere quod pati non vis, & dicere *quod inuitemus ad dulcia furta*, quibus Apostolum recitamus dicentem: Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Et si enim non hoc perficiunt bonum quod volunt, vt non concupiscant; faciunt tamen bonum, vt post concupiscentias suas non eant. Si enim vos castitatem vobis videmini docere, cũ dicitis, Noli vinci à bono; sed vince in bono bonum: quanto magis eam nos docemus, cùm dicimus: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum? Vide quã sit iniustum vt nos, quod vituperamus, expugnare non credas, qui te credi non vis eo frui velle quod laudas. Quomodo casti esse non possunt inimici libidinis, si casti esse possunt & eius amici? Quòd ergo negantes originale peccatum, & inuidentes paruulis saluatorem Iesum, legem peccati repugnantẽ legi mẽtis introducere vultis & in paradisum ante peccatũ, hoc in vobis isto opere confutamus. Eorũ quę nõ videm' in vobis nec audiuimus ex vobis, nolumus esse iudices: nihil nostra interest, quid in occulto agant aperti libidinis laudatores.

Rom. 7.

Rom. 12.

CAPVT VIII.

CVM verò aliis verbis meis propositis, illam distinctionem meam, quam de nuptiis & concupiscentia priorum hominum posui, dicens: *Quod enim illi postea propagatione fecerunt, hoc est connubij bonum; quod verò prius confusione texerunt, hoc est concupiscentiæ malum*, sic refellendum putasti, vt diceres *fieri non posse, vt quod bonum est non habeat communem cum eo laudem, sine quo esse non potest*; ita volens vnam eandemque laudem nuptiis & libidini esse communem: quomodo corruat ista tua velut definitiua sententia, paulisper attende. Primùm, quòd vniuersitas rerum quam condidit Deus, non potest esse sine malis, nec ideo tamen mala communem laudem possunt habere cum bonis. Deinde si fieri non potest, vt quod bonum est non habeat communem cum eo laudem, sine quo esse non potest; profectò & quod malum est, sic fieri non potest, vt non habeat communem cum eo vituperationem, sine quo esse non potest. Vituperemus igitur opera Dei, sicut vituperamus mala quæ sine illis esse non possunt. Nullum enim malum est nisi in aliquo opere Dei, nec sine illo esse omnino alicubi potest. Vitupera ergo, vt non te longius mittam, membra humana, sicut vituperas adulteria, quæ sine illis membris esse non possunt: quod si non facis, ne tibi quoque ipse manifestus appareas insanus, potest igitur nuptiarum bonum non habere laudem communem cum libidine, sine qua esse nunc non potest: sicut quodlibet malum potest non habere communem vituperationem cum opere Dei, sine quo esse nunquam potest. Sicut autem ista definitio tua falsa & inanis est, ita omnia quæ ex illa tanquam consequentia nexuisti. Inuictam sanè nunquam ego voluptatem carnis, sicut solere me insimulas, dixi. Ambo eam & debere & posse dicimus vinci: sed tu tanquam bonum repugnante alio bono, ego tanquam malum repugnante bono: & tu viribus propriis, ego gratia saluatoris, vt non alia reproba cupiditate, sed Dei charitate vincatur, quæ non viribus nostris diffunditur in cordibus nostris, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis. De confusione autem illorum hominum pudendisque coopertis frustra te commemoras aliquid Apostolo attestante monstrasse. Tu enim verecundiora dicis, quæ ille dicit inhonesta, vnde iam quantum satis visum est, disputauimus. Tu itaque frustra refugis rursus ad Balbum, atque philosophorum literas: quasi Balbus te faciat loquentem, quando de illa confusione primorum hominum non potes inuenire quid dicas. Si autem in quibusdam veris sententiis saltem philosophorum literis cederes,

Li. 1. de nup. & cõc. cap. 7.

Sup. lib. 4. cap. 16.

Sup. lib. 4. cap. 12.

non surdo corde illud audires, quòd voluptates illecebras atque escas malorum, & vitiosam partem animi dixerunt esse libidinem. Nam quod in nostro corpore loca digestionis Balbus remota dixit à sensibus, ideò verum est, quoniam sensus nostros ea quæ digerimus non alliciunt, sed offendũt: propterea pars qua egeruntur, naturaliter aliis partibus altrinsecus prominentibus occultatur, sicut etiam tunc erant quando nudi non confundebantur, qui post peccatum continuò non occulta, sed planè in promptu posita membra texerunt. Quibus quanto magis non horrore offendebatur, sed delectatione alliciebatur aspectus & mouebat susceptam tuam; tanto magis ea tegere ad pudoris officium pertinebat. Quod autem de claudicatione & peruentione dixi, si fraude non agis, non intellexisti. Non enim peruentionem accipi volui hominem qui nascitur de concubitu coniugali, quod me sensisse arbitraris aut fingis: sed peruentionem dixi quod bonum habent in fine officij sui nuptiæ, etiam si nullus inde nascatur. Seminare quippe ad virũ pertinet, excipere ad feminam. Hucusque coniuges opere suo possunt. Ad hoc dixi sanè sine claudicatione non posse, hoc est sine libidine peruenirí. Vt autẽ concipiatur fœtus atque nascatur, diuini est operis, non humani; qua tamen intentione ac volũtate, etiã illud bonũ quod ad earũ opus pertinet, peragunt nuptię. Sed quia ipse fœtus damnationi nascitur, si non renascatur, eousque pertendunt non operis sui velut ambulationis, sed voluntatis fine Christiana coniugia, vt regenerandos generent, propter quod in eis vera, hoc est Deo placens est pudicitia. Sine fide enim impossibile est Deo placere.

Plato apud Cicer. in Hortensio.

Sup. lib. 4. cap. 14. & 15

Li. 1. de nup. & cõc. cap. 7.

Heb. 11.

VENIS deinde ad illud vbi egimus ex Apostoli testimonio, vt sciat vnusquisque suum vas, id est, suam coniugẽ possidere, non in morbo desiderij sicut gẽtes quæ ignorant Deum: quod exponens dixi, *non coniugalem, hoc est licitum honestumq; concubitum fuisse prohibitum, sed vt operis huius causa sit voluntas propaginis, non carnis voluptas: & quod sine libidine fieri non potest, sic tamen fiat, vt non propter libidinem fiat.* Ibi tu exclamans; *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, qui extra futuram operum retributionem ex multa parte liberum arbitrium formam voluit implere iudicij. Iustissimè enim sibi bonus homo*, inquis, *malusq; committitur, vt & bonus se fruatur, & malus se ipse patiatur.* Quæ prorsus exclamatio tua ad rem non pertinet, qua te sentis vrgeri: nec tuo clamore pondus quo premeris subleuas, impium dogma vestrum mordicus tenens, quo vobis placeat etiam bonum hominem diuino iudicio sibi quemque cõmitti, ne scilicet ei sit necessaria Dei gratia velut idoneo qui semetipsum agat. Sed absit vt ita sit. Prorsus qui sibi committuntur, & à semetipsis aguntur, non sunt boni, quia nõ sunt filij Dei. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Puto quòd agnoscas in hac sentẽtia dogma apostolicũ, quo illud subuertitur vestrum. Veruntamen dicis aliquid contra te, quod tacitus præterire non debeo. Meministine quamdiu disputaueris contra lucidissimã quæ per Apostolum deprompta est veritatem, affirmans *nullo modo esse posse aliquid quod & peccatum sit & pœna peccati?* Quid est ergo nunc, quòd oblitus tantę loquacitatis tuæ ideò laudas *altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quia extra futuram operum retributionem, ex multa parte liberum arbitrium formam voluit implere iudicij? Iustissimè enim sibi*, sicut definis, *bonus homo malusq; committitur, vt & bonus se fruatur*, vtique in opere bono, *& malus se ipse patiatur*, vtique in opere malo. Quod profectò illi & peccatum est, quia malum facit, & pœna peccati, quia malum se patitur: vt ex multa parte formam iudicij quo bona bonis, & mala malis retribuuntur, iam impleat liberum arbitrium,

Lib. 2. de nup. & conc. cap. 8

Rom. 11.

Rom. 8.

trium, quo rectè agendo se fruitur bonus, & peccando se patitur malus. Cernis nempe cùm arma tua vana quidem & obtusa iactanter ventilas, quomodo quà ferireris, nudaueris: imò te ipse percusseris. Et insuper iactas mea inter se dicta esse contraria; quia dixi, non quidem vt tu calumniaris, *concubitum corporum à diabolo fuisse repertum*; cùm etiam si nemo peccasset non nisi concumbente vtroque sexu filij nascerentur: sed dixi, inobedientiam carnis, quæ in carne concupiscente aduersus spiritum apparet, diabolico vulnere contigisse. Et rursus, quia dixi, hanc legem peccati repugnantem legi mentis à Deo illatam propter vltionem, & ideo pœnam esse peccati. Hæc inter se asseueras esse contraria. Quasi fieri non possit vt vnum atque idem malum & diaboli iniquitate & Dei æquitate peccantibus ingeratur, cùm etiam ipse diabolus & propria malignitate sit infestus hominibus, & Dei iudicio sinatur nocere peccantibus. Neq; hinc sibi ipsa diuina aduersantur eloquia, quia scriptũ est: Deus mortem nõ fecit. Item scriptum est: Vita & mors à Domino Deo: quia deceptor hominis causa mortis est diabolus, quam nõ vt primus author eius, sed vt peccati vltor intulit Deus. Verùm istam quæstionem satis dilucidè ipse soluisti, qui hominem malum dixisti sibi esse commissum, vt quòd sibi est ipse suppliciũ, causa & diuinum sit iudicium, & ipsum liberum arbitrium; nec sint inter se duo ista contraria, quòd in pœna sua & ipse author est, & vltor Deus. Abuteris autem ingeniis tardioribus. Nolo enim dicere, quia & tu non intelligis, vt non discernas hæc duo, & maligna calliditate aut tenebrosa cæcitate cõfundas voluntatem & voluptatem: & sicut ipsa nomina surdastris auribus vnum atque idem sonant, ita res ipsas surdastris cordibus vnum idemque esse persuadere te posse confidas. Hinc est quòd sententias meas inter se contrarias putas vel putari cupis, tanquã improbẽ quod antè approbauerim; aut amplectar quod antè respuerim. Audi ergo apertam sententiã meã, & intellige vel sine intelligere alios, non offundẽdo caligines nebulosæ disputationis serenitati sincerissimę veritatis. Sicut bonum est bene vti malis, ita honestũ est bene vti inhonestis. Vnde & ipsa membra nõ propter diuini operis pulchritudinem, sed propter libidinis fœditatem inhonesta dixit Apostolus. Nec ad stupra coguntur necessitate qui casti sunt; quia resistunt inhonestæ libidini, ne cõpellat eos inhonesta cõmittere, sine qua tamẽ nõ possunt honestè filios procreare. Ita fit vt coniugibus castis & voluntas sit in sobolis procreatione, & necessitas in libidine. De inhonesto quippe honestas agitur procreandi, quãdo libidinem non amat, sed tolerat castitas concumbendi. Soles libenter commemorare, quibus te adiuuari putas, authorum sententias secularium. Intuere honesto corde, si potes, quid de Catone Poëta cecinerit.

Sapient. 1.

Eccl. 11.

Mors quomodo à diabolo & quomodo à Deo.

1. Cor. 12.

Lucanus li. 2

Vrbi, inquit, *pater est, vrbiq; maritus;*
Iustitiæ cultor, rigidi seruator honesti,
In commune bonus, nullosq; Catonis in actus
Surrepsit, partemq; tulit sibi nata voluptas.

Qualis enim vir Cato fuerit, & vtrum in eo vera virtus honestáque laudata sit, alia quæstio est: ad quemlibet tamen finem sua referret officia, non vtique sine voluptate filios procreauit, & tamẽ nullos Catonis in actus surrepsit, partémq; tulit sibi nata voluptas: quoniam & quod non faciebat sine voluptate, non faciebat propter voluptatem: nec in morbo huius desiderij suum vas possidebat, quãuis ignoraret Deum, si talis fuit qualis prædicatur. Et non vis intelligere quod ait Apostolus, Vt sciat vnusquisque vestrũm suum vas possidere, non in morbo desiderij, sicut gentes, quæ ignorant Deum. Bene discernis inter bonum minus coniugale, & bonum amplius continentiæ; sed tuũ dogma non deseris inimicissimũ gratiæ. Dicis enim *quòd Dominus cõtinentiæ gloriã libertate electionis honorauerit, dicens, Qui potest capere capiat*: tanquam hoc capiatur non Dei munere, sed arbitrij libertate, & taces quod suprà dixerat, Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Vide quæ taceas, quæ dicas. Puto quòd te pungat conscientia: sed vincit rectum timorem, cùm ingerit peruersum pudorem quo quomodo iam defendenda præcipitata sententia. Tantummodo excessum libidinis identidem culpas, ipsam laudare non cessas. Nec attendis, sentis, intelligis malum esse, cui ne limitem necessitatis excedat, cogitur temperantia repugnare. Quamuis tu quod monuit Apostolus, ne in morbo desiderij suum vas quisque possideat, non de coniugio, sed de fornicatione accipiendum putaueris, atque ita temperantiæ totam honestatem de concubitu coniugum abstuleris, vt nemo sibi videatur in morbo desiderij suum vas possidere, quantacunque libidine in vxoris genitalibus potuerit insanire. Si enim vllum ibi tenendum existimares modum, potuisti & illic concupiscentiæ reprehendere excessum, eúmque dicere ab Apostolo significatum morbum desiderij, & non improbè negare, suum vas dictum fuisse cuique coniugem suam. Quo verbo in eadem te etiam Petrus Apostolus vtitur, vbi monet vt viri vxoribus suis tanquam infirmiori vasi tribuant honorem, velut cohæredibus gratiæ; adiungens & dicens, Et videte ne impediantur orationes vestræ. Sicut & coapostolus eius tempora præscribit orandi temperantiæ coniugali: & secundum veniam concedit, quamuis cum coniugẽ, non vtique illum prolis, sed qui fit voluptatis intentione concubitum. Hunc audiant Christiana coniugia, non te, qui vis in eis quam defendis, nunquam frenari concupiscentiam, sed quotiensçunque se commouerit satiari auidam, regnare securam. Hunc audiant, inquam, fideles Christi qui sunt connubio colligati, vt ex consensu temperent, quò vacẽt orationi: & cùm ad idipsum redeunt propter intemperãtiam suam, nouerint etiam inde dicere Deo: Dimitte nobis debita nostra. Quod enim secundum veniam, non secundum imperium à tanto doctore dicitur, vtique ignoscitur, non iubetur.

Matth. 19.

Morbum desiderij apud Apostolum quomodo Iuliamus intellexerit.

Suã cuiq; vxor vas suum ab Apostolo dicta.

1. Petr. 3.

1. Cor. 7.

CAPVT IX.

Li. 1. de nup. & cõc. cap. 8.

SED insertis aliis verbis meis vbi voluntatem verè piorum, quia Christianorum coniugum commendaui, qui filios ad hoc generant in hoc seculo, vt propter alterum seculum regenerentur in Christo; commemoras te iam in secundo libro istam meam destruxisse sententiam: vbi quid tibi responderim, ibi potius legant qui volunt. Sic enim non sunt facienda adulteria, etiam voluntate generandi regenerandos, quemadmodum nec furta facienda sunt, etiam voluntate pascendi pauperes sanctos: quod tamen faciendum est, non furta perpetrando, sed bene vtendo mammona iniquitatis, vt & ipsi recipiantur in tabernacula æterna; sicut non adulteria committendo, sed coniugaliter bene vtendo malo libidinis, ea voluntate generandi sunt filij, vt cum eis regnetur in æternum. Verùm eleganter laudas susceptam tuam dicens, & verum dicens, *quòd nihil tale possit dum concumbitur, cogitari.* Prorsus ita est. Quid enim cogitari potest tunc quando mens ipsa qua cogitatur, illa carnali delectatione submergitur? Vnde optimè ille de voluptate disputans, quæ verba in libro superiore iam posui, *Cuius motus* inquit, *quisque est maximus, ita est inimicissimus philosophiæ. Congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest. Quis enim cùm vtatur voluptate*, inquit, *ea qua nulla possit maior esse, attendere animo, inire rationem, cogitare omnino quicquam potest?* Non igitur, etiam tu potuisti grauius accusare quam laudas,

Sup. lib. 4. cap. 7.

Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

Cap. 14. ex Hortensio Ciceronis.

laudas, nisi fatẽdo in eius impetu neminẽ posse sancta cogitare. Sed vtique religiosus animus isto malo bene vtẽs hoc cogitat, vt libidinem concũbendo patiatur, quod non potest cogitare cùm pátitur. Sicut salutem homo cogitat, vt somno se impertiat, quod vtiq; non potest cogitare cum dormit: sed somnus cùm occupat membra, non ea facit inobedientia voluntati; quia & ipsam voluntatem ab huiuscemodi alienat imperio, auertendo animam ad visa somniorum, in quibus sæpe etiam futura monstrata sunt. Vnde si erat in paradiso vicissitudo vigilandi atque dormiendi, vbi non erat malum concupiscendo, tam felicia erant somnia dormientium, quàm vita vigilantium. Quòd autem te iactas, & inaniter spumeum diffundis eloquium, *parentes comparans parricidis, in eis asserens esse causam vt filij cum damnatione nascantur*: ferris omnino linguæ tuæ velut exultantibus & plaudentibus pennis, nec in isto strepitu quem tibi ipse facis, respicis Deum. Cur enim non ista vel tale aliquid, ipsi potius hominum creatori quàm genitoribus dicitur, qui certè omnium bonorum est author & conditor? Et tamen quos ignibus æternis præsciuit arsuros, creare non desinit; nec ei quia eos creat, nisi bonitas imputatur. Et quosdam infantes etiam baptizatos quos futuros præsciuit apostatas, nõ aufert ex hac vita in æternum regnum adoptatos, nec eis confert magnum beneficium, quod ei de quo legitur, Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius. Nec tamen Deo tribuitur, nisi bonitas atq; iustitia qua de bonis & malis omnia bene ac rectè facit. Quanto facilius intelligitur parẽtibus non esse tribuendum, nisi quod filios volunt, qui proculdubiò quæ illis futura sunt nesciunt.

Felicia in paradiso dormiẽtium somnia.

Sap. 4.

Cap. XI. Matth. 26.

Qvod autem commemorasti ex Euangelio, *Melius erat homini illi non nasci*; nónne vt nasceretur plus opere Dei actum est, quàm parentum? Cur non ipse imagini suæ præstitit, quod melius erat, qui malum quod ei futurum fuerat præsciebat, quod parentes nosse non possunt? Et tamen ab eis qui rectè intelligunt, non tribuitur Deo nisi quod benignitati tribuendum est creatoris: sic & parentibus sine nodo difficilis quæstionis hoc tribuitur, quòd filios voluerunt; quorum futura nesciuerunt. Ego autem nõ dico paruulos sine Christi baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, vt eis non nasci potius expediret: cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impiissimis dixerit. Si enim, quod de Sodomis ait, & vtique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die iudicij punietur; quis dubitauetit paruulos non baptizatos qui solum habent originale peccatum, nec vllis propriis aggrauantur, in damnatione omnium leuissima futuros? Quæ qualis & quanta erit, quamuis definire non possim; non tamen audeo dicere; quòd eis vt nulli essent quàm vt ibi essent, potius expediret. Verum vos quoque qui eos velut liberos ab omni damnatione esse contenditis, cogitare non vultis, qua illos damnatione puniatis, alienando à vita Dei & à regno Dei tot imagines Dei: postremò separando à parentibus piis, quos ad eos procreãdos tam disertus hortaris. Hæc autem iniustè patiuntur, si nullum habent omnino peccatum: aut si iustè, ergo habent originale peccatum. Aliis deinde propositis meis verbis quibus commemorauì quàm honestè sancti antiqui patres coniugibus vsi fuerint; dicis *eos non hoc intuitu operum dedisse propagini, vt tanquam reos gignerent filios baptismate diluendos; eo quòd baptisma quo nunc adoptamur nondum fuerat institutum.* Hoc de baptismate verum dicis. Nec ideo tamen credendum est, & ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi; nullo sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis: quamuis quid illud esset aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit. Nam & sacrificia eorum legimus, quibus vtique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi. Apertius etiam legis iam tempore nascentibus paruulis, offerebantur sacrificia pro peccatis. Responde, pro quibus peccatis? Respice etiam illis genetantibus patribus perituram fuisse animam paruùli de populo suo, si die non circunderetur octauo: & responde quo merito periret, quem negas originali obnoxium fuisse peccato.

Matth. 10. & 11.

Infantum sine baptismo decedentium damnatio leuissima.

Li. 1. de nup. cap. 8.

Sacramenta pro paruulis etiam ante circumcisionẽ.

Leuit. 12.

Gen. 17.

Caput XII. De coniugio Ioseph & Maria.

Iam verò de Ioseph, cuius Mariam teste Euangelio coniugem dixi, multa diu disputas contra sentẽtiam meam, & conaris ostendere, quia concubitus defuit, nullo modo fuisse coniugium: ac per hoc secundũ te cum destiterint concumbere coniuges, iam non erũt coniuges, & diuortiũ erit illa cessatio. Quod ne cõtingat, agãt sicut possunt decrepiti quod iuuenes agebãt, & ab hoc opere quo etiã continens nimiũ delectaris, nec effœtis ætate corporibus parcant. Non se cogitẽt quantũ ad libidinis attinet incentiua, senuisse, vt possint cõiuges permanere. Si hoc tibi placet, tu videris. Ego autem, quia liberorum procreandorũ causã vxores esse ducendas honestas consentit humana, quolibet modo libidini cedat infirmitas, prẽter fidẽ quam sibi debent coniuges, ne fiant adulteria, & prolem cuius generandæ causã sexus vterq; miscẽdus est: aduerti etiam tertiũ bonũ quod esse in cõiugibus debet, maximè pertinentibus ad populum Dei: quod mihi visum est esse aliquod sacramentum, ne diuortium fiat vel ab ea cõiuge quæ nõ potest parere; vel sicut fecisse Cato perhibetur, ne ab eo viro qui plures nõ vult suscipere filios, alteri fœtanda tradatur. Propter hoc in illo quod secundũ Euangelium coniugiũ nuncupaui, *omnia tria bona nuptiarum dixi esse completa. Fidem, quia nullum adulterium. Prolem, ipsum Dominum Christum. Sacramentum, quia nullum diuortium.* Non ergo quia dixi omne nuptiarum, id est, hoc tripertitũm bonum, in illis Christi parẽtibus fuisse completum, propterea hoc dixisse putari debeo, sicut insimulas, *vt quicquid aliter fuerit, malum esse videatur.* Dico enim & aliter bonũ esse coniugium, vbi proles nisi per concubitum non potest procreari. Si enim aliter posset, & tamen concũberent coniuges, apertissimè libidini cederent, atque illo malo vterentur malè. Cum verò propter quod sexus ambo sunt instituti, nisi eorum commixtione non nascitur homo, propter hoc mixti coniuges illo malo vtuntur bene: Si autem de libidine quærunt etiam voluptatem, venialiter malè. *Quasi maritus*, inquis, *Ioseph in opinione omnium erat: secundum hanc opinionem, non secundum veritatem locutam fuisse Scripturam vis intelligi, vt virginem Mariam eius coniugem diceret.* Hoc putemus Euangelistam facere potuisse, cum vel sua vel cuiuslibet alterius hominis verba narraret, vt secundum opinionem hominum loqueretur. Nunquid & angelus loquens vnus ad vnum, contra conscientiam & suam & ipsius cui loquebatur, secundum opinionem potius quàm secundum veritatem fuerat locuturus, qui ei dixit, Noli timere accipere Mariam cõiugem tuam? Deinde quid opus erat vt vsq; ad Ioseph generationes perducerentur, si non ea veritate factum est, qua in coniugio sexus virilis excellit? Quod ego in libro cui respondes, cum posuissem, tu prorsus attingere timuisti. Dicit autem Lucas Euangelista de Domino, quod putabatur filius Ioseph; quia ita putabatur, vt per eius cõcubitũ genitus crederetur. Hanc falsam voluit remouere opinionem, non Mariam illius viri negare coniugem, contra angelum testem: quanquam & tu ipse etiam *ex desponsionis fide, eam nomen coniugis accepisse* fatearis. Quæ fides vtique inuiolata permansit. Neq; enim cum eam vidisset iam virginem sacram, diuina fœcun-

Tria coniugij bona. Li. 1 de nup. cap. 10.

Cato Vticensis Martiã vxorem suam cessit Hortensio.

Non sola hominum opinione, sed verò coniuges erant Ioseph & Maria.

Matth. 1.

Christi genealogia ad Ioseph cur perducta. Li. 1. de nup. cap. 11. Luc. 3.

fœcunditate donatam, ipse aliam quæsiuit vxorem: cùm vtique nec istam quæsisset, si necessariam coniugem non haberet: sed vinculum fidei coniugalis non ideo iudicauit esse soluendum, quia spes commiscendæ carnis ablata est. Verùm de isto coniugio quod vis existima; nos tamen non vt calumniaris dicimus, *sic fuisse primos cõiuges institutos, vt sine cõmixtione vtriusque sexus coniuges essent*: sed vtrũ in paradiso ante peccatum caro cõcupiuerit aduersus spiritum; vel vtrum nunc in coniugibus hoc non fiat, quando eiusdem concupiscentiæ etiam per pudicitiam coniugalem cohibetur excessus: & vtrum malum nõ sit, cui repugnãti consentiendũ non est, ne in suum pergat excessum: & vtrum non ex ipsa & cum ipsa concupiscentia nascatur, cui malum inesse vllum negas: & vtrum ab ingenerato malo possit hominum quisquam sine regeneratione liberari; hoc inter nos disseritur. In his quæstionibus catholica veritate antiquitus tradita, vestra impia nouitas suffocatur.

Caput XIII.

Qvod autem putasti congerenda esse sacrarum testimonia literarum, quibus probares vnde inter nos nulla quæstio est, à Deo creari hominẽ, quod de quolibet vermiculo negare fas nõ est; quò pertinuit, nisi vt te appareret campos quæsisse verborum, vbi ventose atque inaniter curreres? Sed cùm etiam sancti Iob testimonium tam loquaciter adhiberes, quare non tibi venit in mentẽ quod ait idem homo Dei, cũ de peccatis sermo eius esset humanis, neminẽ mundũ à sorde, nec infantẽ cuius est vnius diei vita super terrã? Nam misericordiam & magnis & pusillis omnibus præstari ab illo à quo salus est & hominũ & pecorũ, & qui facit solem suum oriri super bonos & malos; quis abnuat, nisi qui Deũ esse, aut terrena curare nõ credit? Quod tu quasi inde contenderemus, per testimonium sancti Iob docere voluisti, quia dixit: *Ossibus & neruis cõpegisti me, vitam & misericordiam tribuisti mihi.* Vbi quidem ille potuit non omnẽ significare hominem, sed de seipso gratias agere, quòd eũ carnaliter natum non deseruerit, sed ei misericordiã vt verè viueret, id est, iustè viueret, qui eum cõdidit, ipse præstiterit. Aut certè quia parum erat vita quam nascẽdo sortitus est, ideo addidit, & misericordiam, ne remaneret naturaliter filius iræ sicut & cæteri, atque inter vasa iræ non inter vasa misericordiæ fieret. Cur autẽ de malo quod ei adiacet atq; inest membris eius reus non sit fidelis, & ex eo malo tamen qui nascitur reatum trahat iam nescio quotiens diximus: fideli enim hoc beneficium regeneratio contulit, non generatio. Inde ergo ab isto reatu soluenda est proles, vnde solutus est parens.

Job 14.

Job 10.

Caput XIIII.

Sed magnum aliquid te dialectica docuit, *rem quæ in subiecto est, sine illa re esse non posse, in qua subiecta est. Et ideo* putas *malum quod est in parente, vtique in subiecto, alij rei, id est proli, ad quam non peruenit, reatum non posse transmittere.* Rectè hoc diceres, si malum concupiscentiæ de parente nõ peruenire ad prolem: Cùm verò sicut sine illo nemo seminatur, ita sine illo nemo nascatur, quomodo dicis eò non peruenire, quò transit? Non enim Aristoteles, cuius categorias insipiẽter sapis, sed Apostolus dicit: Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum; & per omnes homines transijt. Nec sanè tibi dialectica illa mentitur, sed tu nõ intelligis. Verum enim est quod ibi accepisti, ea quæ in subiecto sunt, sicut sunt qualitates, sine subiecto in quo sunt, esse non posse, sicut est in subiecto corpore color aut forma, sed afficiendo transeunt non emigrando: quemadmodũ Æthiopes, quia nigri sunt, nigros gignunt; non tamen in filios parẽtes colorem suum velut tunicam transferunt, sed sui corporis qualitate, corpus quod de illis propagantur afficiunt. Mirabilius est autem quando rerum corporaliũ qualitates in res incorporales trãseunt; & tamẽ fit, quando formas corporũ quas videmus, haurimus quodãmodo, & in memoria recõdimus, & quocunq; pergimus, nobiscum ferimus, nec illæ recesserunt à corporibus suis, & tamẽ ad nos mirabili modo affectis nostris sensibus transierunt. Quomodo autẽ de corpore ad spiritum, eo modo transeunt de spiritu ad corpus. Nam colores virgarum quas variauit Iacob, afficiẽdo transierunt in animas pecorũ matrum, atque inde rursus eadem affectione transeundo apparuerũt in corporibus filiorum. Tale verò aliquid etiam in fœtibus humanis posse cõtingere, Soranus medicinæ author nobilissimus scribit, & exemplo cõfirmat historiæ. Nam Dionysiũ tyrannũ narrat, eo quòd ipse deformis esset, nec tales habere filios vellet, vxori suæ in concubitu formosam proponere solere picturam, cuius pulchritudinẽ concupiscendo quodãmodo raperet, & in prolem quam cõcipiebat, afficiendo transmitteret. Neq; enim Deus ita naturas creat, vt leges auferat, quas dedit motibus vniuscuiusq; naturæ. Sic & vitia quamuis sint in subiecto, ex parentibus tamẽ in filios non quasi transmigratione de suo subiecto in subiectũ alterum, quod fieri non posse categoriæ illæ quas legisti verissimum ostendunt; sed, quod non intelligis, affectione & contagione pertranseunt.

Qualitates affectiones transeunt ad alia corpora, non emigrãdo.

Exemplum I. Gen. 30.

Alterum.

Lib. 2. retract. cap. 62.

Cap. XV.

Quid est quòd laboras magnis argumentationibus peruenire ad impietatis abruptum, vt *Christi caro quia de Maria natus est, cuius virginis caro sicut cæterorũ omniũ ex Adam fuerat propagata, nihil distet à carne peccati, & sine vlla distinctione Apostolus dixisse credatur, eum fuisse missũ in similitudine carnis peccati*: imò potius instas *vt nulla sit caro peccati, ne hoc sit & Christi*? Quid est ergo, similitudo carnis peccati, si nulla est caro peccati? Sed *hanc Apostolicam sententiam me non intellexisse* dixisti; nec eam tamen exposuisti, vt te doctore nossemus, quòd aliqua res possit esse similis ei rei, quæ non est. Quod si dementis est dicere, & sine dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati; quid restat vt intelligamus, nisi ea excepta omnem reliquam humanam carnem esse peccati? Et hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia Mariæ corpus quamuis inde venerit, tamen eam non traiecit in corpus, quod non inde concepit. Cæterùm corpus Christi inde dictum esse in similitudine carnis peccati, quia omnis alia hominum caro peccati est, quisquis negat, & carnem Christi ita carni comparat nascentium hominum cęterorum, vt asserat vtramque esse puritatis æqualis, detestandus hæreticus inuenitur. Magnum porrò aliquid inuenisse tibi videris & copiosissimè disputas, etiam si nascentes mali aliquid ex parentibus trahere possent, quod expiarentur manibus Dei, quia eos ipse format in vteris matrum: ab ipso autem formari homines (quasi hoc negaremus) instantissimè probas, multa de Scripturis adhibens testimonia: in quibus cũ ea verba ex libro Ecclesiastico posuisses, quibus Dei opera dicũtur occulta, continuò tua subiecisti atq; dixisti: *quæ sententia corũ arguit vanitatem, qui putant naturalem profunditatem posse inuestigatione aliqua comprehendi.* Hoc tibi dic, & noli de animæ origine temerè aliquid definire, quod vel ratione certissima vel diuino eloquio minimè ambiguo non potest cõprehendi; sed potius quod sapientissima mulier mater Machabæorũ, sæpe. Nam & eius verba posuisti, quæ filiis suis ait: Nescio qualiter in vtero meo paruistis. Quod vtique non putanda est dixisse de corporibus eorum, quæ corpora se non dubitabat ex virili semine concepisse: sed vtrum animæ filiorum de paterna anima tractæ fuerint, an aliunde in vtero eius esse cœperint; hoc nimirum illa nesciebat, nec eam pudebat, vt temeritatem caueret, ignorantiam cõfiteri. Quid est ergo

Rom. 8.

Virgo sine parentum cõcupiscentia concepta.

Christi caro quamuis in similitudine carnis peccati, Carnem tamẽ habuit eam quæ nascentibus eiusdem patet esse puritatis.

Eccles. 3.

De origine animæ.

2. Mach. 7.

ergo quod causaris, *cur non ipso filij mundentur effectu, vt à pollutionibus*, inquis, *quæ dicuntur parentum, maiestate opificis expientur?* Nec attendis hoc dici etiam de manifestis vitiis corporum posse, cũ quibus non pauci nascũtur infantes. Quamuis absit vt dubitetur Deũ verum & bonum esse omnium corporum formatorem, & tamen ex opificis tanti manibus tã multa, non solum vitiosa, verumetiam monstruosa procedunt, vt naturæ à nõnullis appellẽtur errores. Qui cũ operantẽ vim diuinam, & quid cur faciat, indagare non possint, fateri eos pudet nescire quod nesciũt. Quòd autẽ attinet ad peccati originalis in oẽs homines trãsitũ, quoniã per concupiscentiã carnis transit, trãsire in eam carnẽ non potuit, quam non per illam virgo cõcepit. Quod enim & de alio libro meo quem scripsi ad sanctæ memoriæ Marcellinum, velut mihi præscribens ponere voluisti de Adam dictum, *quòd tabificauit in se omnes de sua stirpe venturos* vnde vtiq; ille tabificauit, non inde Christus in matris vterũ venit. Sed verba quæ ad rem maximè pertinent in eadem sentẽtia mea, ego dicam quia tu dicere noluisti, & statim cur nolueris apparebit. *Occulta, inquam, tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificauit in se omnes de sua stirpe venturos*. Non itaque carnem tabificauit, in cuius conceptu tabes ista non fuit. Caro itaque Christi mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit, quia mortale corpus eius inuenit: contagiũ verò peccati originale non traxit, quia concumbentis concupiscentiã non inuenit. Si autem nec mortalitatem, sed solam substantiã carnis de matre sumpsisset, non solùm caro eius caro peccati, sed nec similitudo carnis peccati esse potuisset. Sed cõparas *me & coæquas Apollinaris errori, qui carnis sensum fuisse negauit in Christo*, vt imperitis nebulas vndecunque commoueas, ne lucẽ veritatis attendãt. Aliud est sensus carnis, sine quo nullus fuit, aut est, aut erit in corpore viuens homo: & aliud est concupiscentia qua caro cõcupiscit aduersus spiritum, sine qua fuit ante peccatum primus homo, qualem nobis exhibuit humanã naturam Christus homo: quia sicut ille ex terra, sic iste sine tali concupiscentia est creatus ex fœmina. Assumẽs tantũ ex illa etiam mortalitatis infirmitatẽ, qualis non erat ante peccatũ in carne hominis primi, vt esset ista quod tunc illa non fuit, similitudo carnis peccati. Vt ergo nobis patiendi præberet exemplum, non habuit ille mala sua, sed pertulit aliena: in doloribus pro nobis, non in cupiditatibus fuit. Quapropter natos ex Adam, trãsferri renatos oportet ad Christũ; ne à regno Dei pereant imagines Dei, quod sine malo fieri qui dicit, nec amorem habet nec timorem Dei. Cum hoc autem malo necesse est hominem de damnata origine generari. *Regeneratos* autem absit *vt redigamus*, sicut calumniaris, *sub necessitate criminum, Deo largiente dona virtutum*. Quamuis ergo aliam legem videamus in membris nostris repugnãtem legi mentis nostræ, non solum tamen necessitatẽ criminis non habet, sed habet potius honorem laudis, cuius spiritus spiritali munere adiutus, aduersus carnis concupiscentiam concupiscit. Sed quacunque te verses, quacunq; te iactes, quæcunque vndecunq; colligas, infles, ventiles, spargas, contra quod concupiscit spiritus bonus, non est bonum. *Non potuit*, inquis, *exemplum dare natura dissimilis*. Potuit quidem. Nam quid est quod nos ad imitationẽ patris hortatur, qui facit solẽ suum oriri super bonos & malos, vt eius exemplo nostros diligamus inimicos? Veruntamen natura hominis Christi, nostræ naturæ dissimilis non fuit, sed vitio nostro dissimilis fuit. Ille quippe sine vitio natus est homo, quod hominum nemo: Quantũ autẽ ad vitam pertinet, qua Christũ debemus imitari, hoc quoq; ad distantiam plurimum valet, quod vnusquisq; nostrum homo est, ille autẽ etiam Deus. Neque enim tantum

Monstra naturæ errores & peccata an recte dicãtur.

In carnem Christi concupiscentia cur nõ transierit. Lib. 1. de pec. mer. cap. 9.

Christus mortalitatem de matris traxit mortalitate.

Iulianus Augustinum Apollinaristam facere conatur.

Exempli rationẽ in Christo non tolli, etiamsi non habuerit concupiscentiam nobiscum communem.

A potest iustus homo esse qui homo est, quãtum homo qui & Deus est. Illud sanè magnum verumq; dixisti, cum posuisses testimonium Apostoli Petri, dicentis: Qui peccatum non fecit, notandũ esse quod iudicauerit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullũ eum fecisse peccatum: *Vt doceret*, inquis, *quia qui nõ fecit, habere nõ potuit*. Omnino verissimum est. Profectò enim peccatum etiam maior fecisset, si paruulus habuisset. Nam propterea nullus est hominũ præter ipsum, qui peccatũ nõ fecerit grãdioris ętatis accessu; quia nullus est hominũ pręter ipsum, qui peccatũ nõ habuerit infantilis ætatis exortu. *Tolle*, inquis, *exempli causam, tolletur, & precij, quod pro nobis factus est*. Nõ est mirũ quod solum exẽplũ ponis in Christo, qui præsidiũ gratiæ, quo erat plenus, oppugnas. *Spe*, inquis, *malo carẽdi ad fidei præsidia conuolamus, non autẽ caremus innatis. Siquidẽ post baptismaviriltas ipsa perdurat*: quia virilitatis nomine cõcupiscentiã carnis appellas. Perdurat vtiq; quod negari non potest, cõtra quod debet cõcupiscere spiritus, ne B homo renatus iã concupiscẽtia sua trahatur illectus: & vtique concupiscentia quæ repugnat vt trahat, etiã si spiritu contra eam concupiscente & resistente non trahat, ac propterea nec cõcipiat, pariatq; peccatum; nõ est bonum. Et ipsa est, de qua dicit Apostolus: Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Hoc autem quod non est bonum, Christus in natura si haberet sua, non sanaret in nostra.

1. Pet. 2.

Pelagiani doctrinæ tantum & exempli magisterium in Christo agnouerunt.

Rom. 7.

INTERPONIS aliud de libro meo, & quoniam dixi *coniugalem concubitum, qui fit intentione generandi, non ipsum esse peccatum, eo quòd bona voluntas animi sequentem ducat, non ducentem sequatur corporis voluptatem* tu contrà refers *de ea re quæ à peccato libera est, peccata non nasci*, isto modo existimans te posse destruere originale peccatum, quod non destruit nisi saluator, quem paruulis inuideris. Destruit autem soluendo quòd rei sunt non negando. Ideo quippe concubitus coniugalis, qui fit intentione generandi, non est peccatum, C quia bene vtitur lege peccati, id est, concupiscentia, quæ est in membris repugnans legi mentis. Quæ si propterea reum parentem non tenet, quia regeneratus est; quid mirum si propterea reum tenet nascentem, quia inde generatus est: & ideo ne reus remaneat, etiam ipse regenerandus est? Hæc verò sententia tua qua dixisti, *de ea re quæ à peccato libera est, peccata non nasci*, quantum adiuuet Manichæos, si cogites, voles eam delere de libro tuo, & de cordibus omnium qui legerunt librum tuum. Si enim non de ea re quæ à peccato libera est, peccata nascuntur, habent aliam naturam suam secundum Manichæos vnde nascantur. Quos & aliis similibus sententiis tuis quantum adiuueris, iam in primo huius nostri operis volumine demonstraui. Ecce hic & quod dixisti tantundem valet. Videsne nobis operam dandam pręter errorem proprium quo Pelagiani estis, vt quasdam tuas sentẽtias, qualis & ista est, euertamus, si Manichæos vincere volumus? *De ea re quæ à peccato libera est*, dicis *peccata non nasci*. Sed veritas contradicit, quæ te & Manichæos euertit, cum quibus tibi vox ista communis est. Angelus quem creauit Deus, res à peccato libera fuit; homo quem primum creauit Deus, res à peccato libera fuit. De rebus igitur à peccato liberis, nata esse peccata qui negat, aut Manichæus est manifestus, aut Manichæis suffragatur incautus. Deinde ponens alia verba mea sic argumentaris, quasi ego dixerim, *cum seruit coniugatis ad propagandam prolem, tunc honorari libidinem*. Dicis tibi ipse quod vis: nam ego hoc nec dixi omnino, nec sensi. Quomodo enim libido cum seruit honoratur, quando ne pergat in liberos excessus, dominatione mentis opprimitur? Nos itaque non

CAPVT XVI

Concupiscentiam carnis Christus si habuisset, non eam sanasset in nobis. Lib. 1. de nup. & cõc. cap. 12.

Cap. 8.

Sup. li. 3. cap. 21 & lib. 4. cap. 2.

non diximus *semper ad reatum pertinere vti libidine*. A Quod velut dixerimus, ita colligis, *minus peccare adulteros quàm maritos: quia maritis*, inquis, *libido seruit vt peccent, adulteris imperat*. Sed cum ego illud non dixerim, qualecunque hoc sit tuum quod tanquam cõsequens esse voluisti, nihil ad me attinet. Ego enim dico vti libidite non semper esse peccatũ, quia malo bene vti non est peccatum. Nec quæcunque res ideo bona est, quia ea bene vtitur bonus. Nã & de duobus hominibus scriptum est: Filius eruditus sapiens erit, imprudẽte autem ministro vtetur. Nunquid ideo bonum est esse imprudentem, quia bene illo vtitur sapiẽs? Inde & Apostolus Ioannes non ait, nolite vti mundo: sed, Nolite diligere mundum: vbi posuit & concupiscentiam carnis. Qui enim non diligens vtitur, quasi non vtens vtitur, quia non eius rei causa vtitur, sed alterius quam diligens intuetur, vt etiam non diligens hac vtatur. Propter quod Paulus coapostolus eius: Et qui vtuntur, inquit, hoc mundo, quasi non vtantur. Quid est, quasi non vtantur; nisi B non diligant quo vtuntur, quoniam tale est, vt bene aliter non vtantur? Et hoc quidem etiam in his rebus obseruandum est, quæ in hoc mundo sic bonæ sunt, vt tamen eas diligi non oporteat. Quis enim malum esse pecuniam rectè dixerit? Et tamen nemo ea bene vtitur qui dilexerit, quanto magis libidine? Nam pecuniam malus quidem spiritus concupiscit, sed ipsa contrà bonum spiritum non concupiscit, quod libido facit: atque ideo & qui hoc esse malum negat, peccat, & qui hoc malo bene vtitur, non peccat. Rectè igitur argumentareris, dicens, *libidinem si mala est, maiori reatu obstringere quibus obsequitur, coniuges; quam quibus dominatur, adulteros*: si diceretur à nobis, eos coniuges qui seruiente concupiscentiæ malo ad solum generandi vtuntur officium, ad aliqua mala opera eos illo vti, sicut ad facinus perpetrandũ seruo vtitur homicida. Cum autem dicamus bonum esse in coniugibus officium procreandi, quamuis vulnus quod in C renato sanari potest, trahat natus de primi contagione peccati: restat vt sic vtantur coniuges boni malo concupiscentiæ, sicut sapiens ad opera vtique bona ministro vtitur imprudente. Sed homines acutissimi ideo non modum, non genus, sed excessum voluptatis arguitis, & exprobrandum censetis obscœnis; *quia eum nostis*, vt dicis, *intra concessos fines animi potestate posse retineri*. Faciat animi potestas si potest, vt ad trãsgrediendos fines à quibus transgrediendis eam reuocat, non se libido commoueat. Quod si facere non potest, profectò vt fines non transgrediatur, improbo hosti resistitur, qui eos transgredi nititur. *Sed vniuersum contemptum eius*, inquis, *virginibus continentibusq; inesse testamur*. Nunquid ideo virgines & continentes concupiscentiam carnis non pugnant? Et quid est contra quod exercent abs te quoque prædicata illa gloriosa certamina, vt virginitatem continẽtiamque custodiant? Si ergo pugnant, malum est quod expu- D gnant. Et vbi est hoc malum, nisi in ipsis? Ergo nõ habitat in me, hoc est, in carne mea bonum, veraciter dicitur & ab ipsis. *Nihil aliud* dicis *esse nuptias quam corporum commixtionem*: & dicis postea, quod & verum est, *sine appetitu mutuo & sine opere naturali, propagationem esse non posse*. Nunquid tamen negas sibimet etiam adulteros appetitu mutuo & opere naturali, & corporum commixtione coniungi? Non est ergo ista definitio nuptiarum. Aliud est enim quòd nuptiæ sunt, & aliud est sine quo etiam nuptiæ filios propagare non possunt. Nam & sine nuptiis possunt nasci homines, & sine corporum commixtione possunt esse coniuges: alioquin non erunt coniuges, vt nihil aliud dicam, certè cum senuerint, sibique miscẽri vel nõ potuerint, vel sine spe suscipiendę prolis eru-

Proverb. 10. secund. 70.

1. Ioan. 2.

1. Cor. 7.

Etiam bonis quibusdam sic vtendum, vt non et tamen diligamus.

Aliud nuptiæ, quàm corporum commixtio.

buerint atque noluerint. Vides ergo quàm inconsideratè nuptias definieris, dicendo *eas aliud non esse nisi corporum commixtionem*. Tolerabilius fortè diceres, nõ eas inchoari nisi per corporum commixtionem, quia filiorum procreandorum causa vtique ducuntur vxores, & aliter non possunt filij procreari. Sed procreãdi causa commixtio corporum aliter quàm nunc est fuisset, si nemo peccasset. Absit enim vt honestissima illa felicitas in paradiso commotę libidini semper obtemperaret: absit vt illa pax animi & corporis haberet aliquid, propter quod aduersus seipsam prima hominis natura pugnaret. Si ergo ibi nec seruiendum libidini, nec aduersus eam bellandum fuit, aut non ibi fuit, aut non talis qualis nunc est fuit. Nunc enim necesse est vt repugnet, qui ei seruire noluerit: necesse est vt seruiat, qui repugnare neglexerit. Quorũ duorum vnum est molestum, etsi laudabile: alterum turpe & miserabile. Itaque in hoc seculo vnum horum castis est necessarium, in paradiso autem vtrunque à beatis fuerat alienum. Sed iterum me dicis mihi metipsi esse contrarium, propositis videlicet aliis verbis meis, vt propagationis officium à carnalis delectationis appetitione discernens, *aliud esse dixi non concũbere nisi voluntate generandi, quod non habet culpam; aliud concumbendo carnis appetere voluptatẽ, sed non præter coniugem, quod venialẽ habet culpam*. Nihil habẽt duo ista, quantum mecũ omnes vident qui verũ vident, vnde me ostendas mihi esse cõtrarium. Audi tamen identidem quod eorũ sensibus inculcatius intimetur, quos fallere affectas. Calumniaris enim *nos excusationem præbere turpibus & flagitiosis hominibus, vt cum infanda immunda commiserint, contra voluntatem se dicant fecisse, & ideo nullum habere peccatum*: quasi nos non multo exertius adhortemur contra libidinẽ esse pugnandum. Nam si vos cum id bonum esse dicatis, non vultis tamen, vt vestra aduersus istud bonum frigescere, vel certè tepescere bella credamus: quãto vigilantius & ardentius contra malũ nos censemus esse pugnandum? Nos dicimus illud esse contra voluntatem, vt caro concupiscat aduersus spiritum, non illud vt spiritus aduersus carnem. Per quam concupiscentiam bonam fit, vt nisi causa gerandi non vtantur coniuges carnis libidine, ac sic malo vtantur bene: qui vsus bonus mali, facit honestum concubitum vereque nuptialem. Voluptatis autem causa, nõ prolis, facit concubitum culpabilem, sed in coniuge venialem. Ideo autem & de honesto concubitu qui nascitur, trahit quod renascendo diluatur, quia & in concubitu honesto inest malum, quo bene vtitur bonitas nuptiarum. Sed non obest renatis, quod oberat natis. Vnde fit consequens vt qui ex eis nascitur, & illi obsit si nõ renascatur. Tu sanè inter argumentationes tuas, quibus te inaniter aduersus mea verba contorques, identidem te Manichæos adiuuare non vides. Ideo quippè tibi videtur natus de concubitu coniugali, non trahere originale peccatum, *quia de hoc opere quod non habet culpam, nasci* sicut dicis, *culpa non potest*. Cur ergo de opere Dei quod non habebat culpam, nata est culpa angeli, nata est culpa hominis? Cernis quantum eis suffrageris quorum detestatione conaris obtegere, quod aduersus catholicam fidem fundatissimam sentis. Si enim secundum definitiuam tuam, *de hoc opere quod non habet culpam, nasci culpa non potest*, ecce nulla opera Dei habent culpam. Vnde igitur culpa nata est? Hic Manichęus te adiuuante aliã naturam, sicut desipit, malam molitur inducere, vt sit vnde culpa nata esse credatur: quia *de opere Dei*, secundum tua verba, *culpa non nascitur*. Nunquid potest vinci Manichæus, nisi cum illo & ipse vincaris, quia & angelus & homo Dei sunt opera sine culpa? Ex quibus tamen culpa nata est, dum ab eo qui culpa caret, per liberum arbitrium

Lib. 1. de nup. & concupis. cap. 15.

Angeli à summo bono recedentes mali facti sunt.

arbitrium recesserunt;quod eis datum est sine culpa: & facti sunt mali,non per admixtionem mali, sed per defectionem boni. Dicis *ob hoc à me Christiani temporis continentiam fuisse laudatam, non vt ad virginitatem incenderentur homines, sed vt bonũ nuptiarum quod à Deo institutum est damnaretur.* Sed ne putetis de animo meo maleuola suspicione torqueri, velut probare me volens, dicis mihi: *Si fideliter inuitas homines ad studium continentiæ, fateris ergo ita virtutem pudicitiæ à volentibus posse seruari, vt sit quicunque voluerit corpore sanctus & spiritu.* Respondeo, me fateri, sed non sicut vos. Nã vos ipsius animi viribus hoc tribuitis,ego adiutæ per Dei gratiam voluntati. Veruntamen quid comprimitur animi imperio ne peccetur,nisi malum, quo vincente peccatur? Quod malum ne dicamus cum Manichæis tanquam ex aliena mali natura nobis esse commixtum, restat vt in nostra natura tanquam vulnus aliquod fateamur esse sanandum, cuius reatum iam fatemur regeneratione sanatum. Ecce frustra enumerasti, quibus me comparas, tot hæreticorum fraudes, quorum vtinam numerum non augeres. *Apostolica sententia, qua notat hæreticos prohibentes nubere, etiam me* asseris *tangi*: quasi dicam post aduentum Christi turpia esse coniugia. Audi ergo quod dicimus, vt hoc ipsum multis modis ac sæpius audiendo, non dissimules veritatem simulans quodammodo surditatem. Non dicimus turpia esse coniugia, quandoquidem ne incontinẽtia in damnabile cadat flagitium, fulcienda est honestate nuptiarum. Sed quod vos dicitis, Christiana doctrina non dicit: id est (vt verba tua ponam) *hominem sufficere ingenitis sibi motibus dare leges:* hoc non dicimus, sed dicimus quod dixit Apostolus, cum hinc loqueretur: Vnusquisque proprium donum habet à Deo. Et quod dixit Dominus, Sine me nihil potestis facere. Et non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est: cum posset dicere, non omnes capiunt verbum hoc, sed qui voluerit; si verum esset quod dicitis vos. Quæro sanè qualibus ingenitis sibi motibus hominẽ dicatis esse idoneum dare leges? vtrum bonis an malis? Si bonis aduersus bonum, ergo spiritus concupiscit aduersus spiritum, & duo bona inuicem sibi aduersantur in homine. Quod si ita esset, ipsa duorum bonorum inter se aduersitas bona esse non posset. Si autẽ malis, fatere igitur ingenitos esse homini motus malos, contra quos castitas dimicat. Et ne dicere cum Manicheis cogaris, alienæ mali naturæ nobis inesse commixtionem. nostrum potius originalem confitere languorem. Cuius languoris malo coniugalis bene vtitur pudicitia; contra quod languoris malum, adhibentur ab incontinẽtibus nuptiarum remedia, exercẽtur à continentibus gloriosa certamina. Arbitror pollicitationem meam, ex quo tibi ad omnia respondere cœpi, in quibus soluendos quæstionum nodos aliquos attulisti, commodius impleri, si numerum tuorum voluminum non excessero. Sit ergo hic finis huius mei, vt nouissimum tuum ab alio refellamus exordio.

1. Tim. 4.

1. Cor. 7.
Ioan. 15.
Matth. 19.

LIBRI QVINTI
FINIS.

D. AVRELII AVGVSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA IVLIANVM, LIBER SEXTVS.

CAP. I. RESPONSVM est libro tuo tertio, respondeatur & quarto: aderit Dominus, vt non solum veritas, sed etiam charitas tibi exhibeatur à nobis. Quæ duo quisquis tenuerit, nec fatuus, nec inuidus erit. De quibus vitiis in principio memorati tui libri multa dixisti. Nam & error veritate, & liuor charitate pellendus est. In hac autem tua disputatione cum de stultitia loquereris: dicens *eam matrem esse omnium vitiorum*, adhibuisti testimonium de scriptura, vbi legitur: *Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia habitat.* Quære itaque diligenter, vtrum habitare cum sapientia puerilis vanitas possit, per quam necesse est ex infantia paruulus transeat, qui tamen transit: & cõsidera qui primus fructus nascatur de radice quã laudas; & quanta in contrariũ mutatione opus habeatur diligatur à Deo, qui nisi eum qui habitat cum sapientia neminẽ diligit, in prædestinatis vtiq; paruulis quod odit absumẽs, vt etiam ipsos à vanitate liberatos cum sapiẽtia diligat habitãtes: quos certè si ab vbere raptos abstulerit vltimus dies, miror si audes dicere habitaturos cum sapientia præter regnum Dei, quò eos *bonũ* secundum te, *inuiolatæ inculpatæq; naturæ* non permittit accedere, nisi veri Saluatoris gratia redemptos liberet à falsi insipientia laudatoris; vt omittam natura fatuos, multo amplius lugendos scriptura teste quam mortuos. Quos quidem & ab isto tanto malo potest Dei gratia per sanguinem mediatoris eruere. Sed vnde potuerũt in tantum malum ruere, si diuino iudicio nulla origini debetur pœna vitiatæ? Ecce merito reprehendisti eos & grauiter, *qui vel superfederunt scienda cognoscere, vel non formidant ignorata culpare.* Nunquid hoc de his qui excordes nati sunt, potes dicere? Nec tamen eis sub Deo iusto vnde hoc accidere potuerit inuenturus es, si nulla ex parentibus trahuntur merita filiorum. *Sed inuidendo tibi, in quadam meridie compertæ veritatis sine obumbramento ignorationis*, vt loqueris, *insanimus.* Itáne verò tanta in paruulis mala, tu qui non inuides, non vides? Bonus est Deus, iustus est Deus. Extranea prorsus mali est nulla natura, quæ nostræ naturæ secundum Manichæos credatur admixta. Vnde sunt non dico in moribus, sed in ipsis ingenijs cum quibus nascuntur tanta hominum mala, si non est humana origo vitiata, non est massa damnata? Quid quòd homo fatuitatis expers, & ab inuidię stimulis alienus, ipsam sic describis inuidiam, vt in tua descriptione hoc vitium & peccatum appareat & pœna peccati? An non est peccatum diabolicum inuidia? An non est pœna peccati, quæ *protinus ipsum de quo oritur vexat authorem?* Hæc verba tua sunt, tamen diuturna loquacitate visus tibi es acutissimè disputasse, vnum idemque vitium peccatũ pœnamq; peccati esse non posse. Sed fortè quia inuidus nõ es, vix tandẽ inuidiam in alio libro videre potuisti de quahæc diceres, & tibi pro me quia mihi nõ inuides, cõtradiceres.

Sap. 7.

Eccles. 22.

FINITO autem procemio, vbi etiam laborasti sicut soles, probare quod prædico, Deum esse hominum conditorem: mea deinde verba proponis, vbi dixi, *mundo non Deo nasci hominem, qui de concupiscentia carnis nascitur; Deo autem nasci, cũ ex aqua & spiritu renascitur.* Quibus meis verbis sic insidiaris, vt asseras hinc intelligi me debere dixisse, quòd ad diabolum pertineat quicquid ad mundum pertinet: quia scilicet alibi dixerim eos qui de corporum commixtione nascuntur, ad ius diaboli pertinere; asserendo vtique *eos de potestate erui tenebrarum, cum regenerantur in Christo.* Respondeo ergo calumniæ tuæ. Ita enim me vis putari appellasse mundum ad potestatem diaboli pertinentem; tanquam cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt, vel diabolus fecerit vel diabolus teneat. Hoc non dico, sed detestor, redarguo, & damno qui dicit. Sed hoc loco sic appellaui mundum, quemadmodum Dominus, vbi ait: Ecce venit princeps mundi, Non enim cœli & terræ & omnium quæ per verbum, hoc est per eundem ipsum Christum facta sunt, vnde scriptum est: Mundus per ipsum factus est, principem voluit intelligi diabolum: sed sicut dictum

Cap. II.

Li. 1. de nup. & cõc. cap. 19

Ioan. 14.

Mundus in malo positus.

dictum est: Mundus in maligno positus est. Et iterum: Omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est à patre, sed ex mundo est. Non enim cœlum & terra nõ sunt à patre per filium; aut angeli, sydera, arbusta, animalia, homines non sunt à patre per filium, quãtum quidem attinet ad ipsam substantiam qua homines sunt: sed mundi princeps est diabolus, & mundus in maligno positus est, omnes vtiq; homines qui rei sunt damnationis æternæ, si non inde liberentur; vt non iam pertineant ad principem peccatorum, redempti eo sanguine qui in remissionem fusus est peccatorum. Huic ergo mundo cuius princeps est, de quo ait qui vicit mundum: Ecce venit princeps mundi, & in me nihil inueniet: huic, inquam, mundo nascitur homo donec renascatur in eo qui vicit mundum, & in quo nihil inuenit princeps mundi. Quis est enim mundus, de quo dicit Saluator mundi & victor mundi: Non potest mũdus odisse vos, me autem odit, quia ego testimoniũ perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt? Nunquid terræ ac maris, cœli ac syderum mala sunt opera? Sed vtiq; mundus iste homines sunt. Nec ab isto mundo quisquam liberandus eligitur, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominũ nostrum, qui dedit carnem suam pro mundi vita, quod non fecisset, nisi mundũ inuenisset in morte. Quis est mundus, de quo dicebat Iudæis. Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo? postremò quis est mundus de quo elegit Iesus discipulos suos, vt iam de mũdo non essent, & eos de quo iam non erant, ipse mundus odisset? Sic enim loquitur Saluator mũdi, lux mũdi, sic, inquam, loquitur: Hæc mãdo vobis vt diligatis inuicem. Si mũdus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. Quia verò de mundo nõ estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus. Si nõ addidisset, ego elegi vos de mũdo, putari posset, ita dixisse: de mundo non estis, quemadmodũ de seipso dixerat: Ego non sum de hoc mundo. Neq; enim & ipse fuit de mundo, & electus est inde, vt non esset de mundo. Quis hoc dixerit Christianus? Nec secũdum hoc enim quod homo esse dignatus est, filius Dei de mundo fuit. Quid ita? nisi quia in illo peccatũ nunquã fuit, propter quod omnis homo prius mundo nõ Deo nascitur, & vt Deo nascatur de mũdo eligitur qui renascitur vt iam non sit de mundo? Propter quod ab eo princeps mundi eiicitur foras, sicut ipse testatur, dicens: Nũc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Nisi fortè eo vsque vestra progredietur audacia, vt dicatis non de mundo eligi paruulos quando baptismo eius abluuntur, de quo dictum est, Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Ad istam reconciliationem si negatis paruulos pertinere, negantes eos esse de mundo, qua fronte nescio viuatis in mundo. Porrò si eos fatemini cum in corpus Christi transeunt de mundo eligi, necesse est vt ei nascantur, de quo eliguntur vt renascantur. Nascuntur enim per carnis concupiscentiam, renascuntur per spiritussancti gratiam. Illa de mundo est, hæc venit in mundum, vt de mundo eligantur qui prædestinati sunt ante mundum, Cum autem dixisset Apostolus: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: quomodo id faciat, mox adiunxit atque ait: Non reputans illis delicta eorum. Totus ergo mundus ex Adam reus; Deo non negante manum formationis operi suo, seminibus institutis, quamuis paterna prærauaricatione vitiatis: & cum per Christum reconciliatur mundus, de mundo liberatur; eo liberante qui venit in mundum, non de mundo eligendus, sed electurus: non meritorum electione, sed gratiæ: quia reliquię per electionem gratiæ saluæ factæ sunt.

1. Ioan. 5.
1. Ioan. 2.

Omnis homo prius mundo, quàm Deo nascatur. Ioan. 12.

1. Cor. 5.

DEINDE propositis aliis meis verbis, vbi dixi: *Huius concupiscentiæ reatum regeneratio sola dimittit, ac per hoc generatio trahit: moxque subiunxi: Ergo quod generatum est regeneretur, vt similiter, quia non potest aliter, quod tractum est remittatur:* frustra identidem conaris obtegere quod superfluum baptismum putatis in paruulis, dicentes *mysteriorum Christi gratiam multis locupletem esse muneribus.* Velitis nolitis, paruulos credere confitemini in Christum per corda & ora gestantium. Ergo & ad illos pertinet Dominica illa sententia: Qui non crediderit, condemnabitur. Qua causa, qua iustitia, si nullum trahunt originale peccatum? Quod autem dicis, *hinc potius suos approbat, quod ante proprium voluntatis obsequium, hoc quod in eis fecit beneficiorum sublimat augmentis.* Si ergo hinc suos istos approbat, profectò illos quibus hoc non donat, non approbat suos. Porrò cum & ipsi eadem causa sint eius, quia condidit eos; cur non & ipsos eodem modo approbat suos? Hinc de fato, vel de acceptione personarum nihil negatis. Iam ergo nobiscum gratiam confitemini. Quid est enim aliud, vbi nihil illorum est? In vna igitur eademque causa, alius relinquitur iustitia iudicante, non fato; alius assumitur gratia præstante, non merito. Frustra omnino contenditis, nec ab originali peccato paruulos regeneratione mundari. Non hoc ostendit, qui dixit: Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte eius baptizati sumus. Dicendo enim, quicunque, non vtique paruulos fecit exceptos. Quid est autem in morte Christi baptizari, nisi peccato mori? Vnde etiam de ipso idem alio loco dicit. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel. Quod vtique dictum est propter similitudinem carnis peccati, propter quod & magnum mysterium est crucis eius, vbi & vetus homo noster simul crucifixus est, vt euacuetur corpus peccati. Si ergo in Christo paruuli baptizantur, in morte eius baptizantur. Si in morte eius baptizantur, mortis eius similitudini complantati, peccato vtique moriuntur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel, quod autem viuit, viuit Deo. Et quid est complantari similitudini mortis eius, nisi quod sequitur: Sic & vos existimate vos mortuos esse peccato, viuere autem Deo in Christo Iesu? Nunquid dicturi sumus, peccato mortuum fuisse Iesum, quod nullum habuit vnquam? Absit. Et tamen quòd mortuus est peccato, mortuus est semel. Mors enim eius peccatum nostrum significauit, quo vtique ipsa mors accidit; cui morti mortuus, id est, vt mortalis non esset vlterius, peccato dicitur mortuus. Quod ergo ipse significauit, in similitudine carnis peccati, hoc per eius gratiam nos agimus in carne peccati: vt quomodo ille moriendo similitudini peccati, peccato mortuus prædicatur; ita quicunque in illo fuerit baptizatus, idem peccato, cuius in Christo similitudo non veritas, eidem rei cuius illa fuerit similitudo moriatur. Et quomodo in illius vera carne vera mors fuit, sic fiat in veris peccatis vera remissio.

Cap. III.

Ioan. 15.

Matt. 16.

Rom. 6.

In morte Christi baptizari, quid.

Paruuli in baptismo peccato moriuntur.

TOTVS itaque iste Epistolæ, Apostolicæ locus si te ab ista prauitate non corrigit, nimis obduruisti. Quãuis enim sibi connexa sint omnia quibus ait, scribens ad Romanos, vt gratia Dei commendetur per Iesum Christum: tamen quia Epistolam totam hic recolere & pertractare non possumus, valde enim longum est; ex isto capite quod agitur consideremus, vbi ait: Commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Hoc tu dictum exceptis paruulis vis putari. Vbi si abs te quæram, si non sunt inter peccatores habendi, quomodo pro eis mortuus est, qui pro peccatoribus mortuus est? Respondebis non pro solis peccatoribus mortuum, quamuis

Cap. IIII.

Tractat loco Apostoli. ad Rom. 5.

Non est pro eis mortuus Christus qui nullum habuerunt omnino peccatũ.

sit etiam pro peccatoribus mortuus. Quod quidem A nusquam legis in diuinis authoritatibus, mortuum scilicet esse Christum etiam pro eis qui nullum habuerunt omnino peccatum. Sed attẽde quàm validis testimoniis vrgearis. Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum; ego dico non nisi pro peccatoribus mortuum; ita vt respondere cogaris, si nullo peccato paruuli obstricti sunt, non esse pro paruulis mortuum. Dicit enim ad Corinthios: Quoniam vnus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est. Nullo modo hic negare permitteris, non nisi pro his qui mortui sunt, mortuum fuisse Iesum. Quos igitur hoc loco intelligis mortuos? Nunquid eos qui de corpore exierunt? Quis ita desipiat vt hoc sapiat? Eo modo itaque intelligimus mortuos, pro quibus omnibus vnus mortuus est Christus, quomodo alibi dicit: Et vos cũ essetis mortui in delictis & præputio carnis vestræ, viuificauit cum illo. Ac per hoc vnus, inquit, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: ostendens fieri non potuisse vt morereturnisi pro mortuis. Ex hoc enim probauit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est vnus. Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, salubre est, nolo moriaris. Vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, vt intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat vt in peccato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat aut dubitat esse Christianum. Quapropter si nullum trahunt peccatum paruuli, non sunt mortui. Si non sunt mortui, non est mortuus pro eis, qui non est mortuus, nisi pro mortuis. Tu autem iam in primo tuo libro contra nos clamans, dixisti *Christum etiam pro paruulis mortuum.* Nullo modo igitur negare permitteris eos trahere originale peccatum. Nam mortui vnde, si nõ inde? aut propter quam mortem paruulorum mortuus est, qui C non est mortuus nisi pro mortuis? Eumque tu mortuum pro paruulis cõfiteris. Redi ergo mecũ ad illud quod ad Romanos cœperam dicere. Commendat, inquit, suam charitatem Deus in nobis, quoniam cũ adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Cum peccatores, inquit, essemus, hoc est, cum mortui essemus, Christus pro nobis mortuus est: multo magis iustificati nunc in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Hoc est illud quod alibi dicitur: Deus erat in Christo, mundũ reconcilians sibi. Deinde hic sequitur: Non solũ autẽ, sed & gloriantes in Deo, per Dominum nostrũ Iesum Christum. Non solum, inquit, salui, & gloriantes, per quem nũc & reconciliationẽ accepimus. Et tanquam causa quæreretur, quare per vnũ mediatorem hominum fiat ista reconciliatio: Propter hoc, inquit, sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundũ intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerũt. Quid ergo egit lex? Itáne illa recõciliare non potuit? Non, inquit. Vsque enim ad legẽ, peccatum in mundo fuit: hoc est, nec lex potuit auferre peccatum. Peccatum autẽ non deputabatur cũ lex non esset. Erat quidem peccatum, sed non deputabatur, quia nõ cognoscebatur: Per legem enim, sicut alio loco dicit, cognitio peccati. Sed regnauit mors ab Adã, vsque ad Moysen: quia nec per Moysen, id est, nec per legem regnũ eius ablatum est. Regnauit autem & in his qui nõ peccauerunt. Quare igitur, si non peccauerunt? Audi quare: In similitudinẽ, inquit, præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. Dedit enim ex se formam posteris suis, quamuis peccata propria non habentibus, vt peccati paterni contagione morerentur, qui per eius carnalem cõcupiscentiam gignerentur. Sed non sicut delictum inquit, ita & donatio. Si enim ob vnius delictũ multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donũ in gratia vnius hominis Iesu Christi in multis abũdauit. Multo magis vtique abundauit, quia in quibus abundat, temporaliter moriuntur, in æternum victuri sunt. Et non, inquit, sicut per vnum peccantẽ, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Et vnum quippè illud ad damnationẽ trahere potuit, sed gratia nõ hoc vnum tantum, verumetiam plura, quæ superaddita sunt peccata deleuit. Si enim ob vnius delictũ, inquit, mors regnauit, per vnum; multo magis qui abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Superior repetitus est sensus, quia multo magis in vita regnabũt, qui sine B fine regnabunt; quam mors in eis regnauit, quæ cum fine regnauit. Itaque sicut per vnius, inquit, delictum in omnes homines ad cõdemnationẽ, ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ. Ideo & ibi omnes, & hic omnes; quia nemo ad mortem nisi per illum, nemo ad vitam nisi per istum. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Lex autẽ subintrauit, vt abundaret delictum. Vbi autẽ abũdauit delictum, superabundauit gratia: vt quemadmodũ regnauit peccatũ in morte, sic & gratia regnet per iustitia in vitam æternam, per Iesum Christum Dũm nostrum. Quid ergo dicimus, inquit: Permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit. Quid enim præstitit gratia, si permanendũ est in peccato? Denique sequitur & dicit: Qui mortui sumus peccato, quomodo viuemus in eo? Hinc nunc diligenter attende, & quod sequitur vt intelligas, intentus auscultа. Cum dixisset, qui mortui sumus peccato, quomodo viuemus in eo? An ignoratis, inquit, quoniam quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Hic sunt paruuli qui baptizantur, an non sunt? Si non hic sunt, falsum est ergo quod ait: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, quia non in morte illius baptizantur paruuli. Sed quoniam verum dicit Apostolus, nulli intelliguntur excepti. Nam si de solis maioribus dictum putatis, qui iam vtuntur libero arbitrio, cum dicat ille, Quicunq;, frustra nos terret Dominica illa sententia, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu. Habetis enim magnum compendium: Asseuerate & hoc de solis maioribus dictum, nequaquam paruulos ista generalitate concludi. Et quid vobis est de quæstione baptismatis laborare, vtrum sit vita æterna præter regnum Dei, an vita æterna priuandi sint innocentes tot imagines Dei, ac per hoc æterna morte plectendæ? Si autem hoc dicere non audetis, quoniam vniuersaliter prolata sententia est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spi- D ritu, non potest intrare in regnum Dei, eadem vos vniuersitas comprimit, dicente Apostolo: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus. Ergo & paruuli qui baptizantur in Christo, quoniam in morte ipsius baptizantur, peccato moriuntur. Inde enim connexa sunt ista sequentia, cum superius dictum esset: Qui mortui sumus peccato, quomodo viuemus in eo? Nam velut quæreretur, quid est mori peccato? An ignoratis, inquit, quoniam quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus? Hinc probans quod suprà dixerat: Si mortui sumus peccato, quomodo viuemus in eo; vt qui se non ignorarent in morte Christi baptizatos, cum baptizarentur in Christo, scirent

8. Cor. 5.

Colos. 2.

Li. 2. de nup. & conc. cap. 33. Et lib. 3. cont. Iulian. cap. 25.

Rom. 5.

2. Cor. 5.

Rom. 5.

Rom. 3.

Rom. 6.

Mori peccato quid.

scirent etiam se mortuos esse peccato, quia nihil est A aliud in morte Christi baptizari, nisi peccato mori; hoc diligentius exponens adiungit & dicit: Consepulti ergo sumus illi per baptismum in mortem, vt quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, sic & resurrectionis erimus: hoc scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt euacuetur corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato: si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul viuemus cum illo, scientes quia Christus surgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato: viuere autem Deo in Christo Iesu. Si ergo peccato non moriuntur paruuli, proculdubio in Christi morte non baptizantur. Si in Christi morte non baptizantur, non in Chri- B sto baptizantur. Quicumque enim baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. In Christo autem baptizantur, peccato ergo moriuntur. Cui peccato quæso te, nisi quod originale traxerunt? Argumentationes hominum conticescant, Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Abscondit hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelauit ea paruulis. Si tibi Christiana fides displicet, apertius cõfitere: nam Christianam fidem aliam non potes inuenire. Vnus homo est ad mortẽ, vnus ad vitam. Ille tantum homo, iste Deus & homo. Per illum est mundus inimicus factus Deo: per istum mundus reconciliatus Deo, electus ex mundo. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur. Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus & imaginem eius qui de cælo est. Hæc stabilitamenta fidei Christianæ qui subuertere nititur, stantibus eis ipse subuertitur.

Ibidem.

Psalm. 93. Matth. 11.

1. Cor. 15.

Cap. v. lib. de nup. & conc. cap. 19

PRORSVS quod in libro meo dixi, cui resistis, verum est. *Nam quod dimissum est in parente vt trahatur in prole, miris quidem modis fit, sed tamen fit. Et quia modus ipse non facili ratione indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur.* Quibus verbis meis insidiaris mendaciter, quasi dixerim, nec ratione comprehendi, nec sermone explicari; subtrahens inde quod dixi, non facili siue ratione siue sermone. Aliud est nulla, quod tu dicis; aliud est, non facili, quod ego dixi: vbi quid aliud quàm calumniosus appares? Sed etsi nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur; verum tamen est quod antiquitus veraci fide catholica prædicatur, & creditur per Ecclesiam totam; quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis eruerет; quod in libro meo, cui velut respondes, à me positum est: sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exufflandus, D esses, si huic exufflationi qua princeps mundi & à paruulis eiicitur foras, contradicere voluisses. Frustra te intorques argumentationibus vanis, non aduersus me, sed aduersus communem matrem spiritalem; quæ non te aliter peperit quàm sicut iam non vis vt pariat, contra cuius viscera satis acutis telis tibi videris armatus: de iustitia Dei, contra iustitiam Dei; de gratia Dei, contra gratiam Dei colligens argumenta. Tunc enim est Dei vera iustitia, si graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum non sit iniustum. Quomodo autem non est iniustum iugum graue, si nullum est in paruulis malum, propter quod iustè iugo premantur graui? Tunc vera est Dei gratia, si hoc rebus exhibeat, quod verbis sonat. Quomodo autem hoc facit, si eum exufflat in quo nouit

Quel tota ere ta ecclesia, nunq; nec ratione indagatur, nec sermone explicari possit, recipiendum est tamen.

Ibidem.

Ibidem.

non esse quod pellat: si eum lauat in quo nouit non esse quod abluat? Nunquid vel tibi vel quibuslibet consectaneis tuis aliquid dicere videreris, si quantum sit, (vt ex ea natũ necesse sit renasci, non renatum sit necesse damnari) malum concupiscentiæ carnis, sanctitate mentis cogitare possetis: Et quid conferat gratia, cùm reatum eius absoluit, quo faciebat originaliter hominem reum, quando sit in illa plena remissio peccatorum; quamuis ipsa remaneat, contra quam regenerati spiritus cõcupiscat, aut bene vsurus hoc malo in minore certamine, aut omnino non vsurus in maiore certamine? Inest enim sẽsus huius mali; dum reluctatur atque cohibetur. Reatus autem ille, qui sola regeneratione dimittitur, quemadmodum cùm inesset non sentiebatur; ita eius ablatio fide creditur, nõ carne vel mente sentitur. Ideo in huius rei obscuritate te iactas, & aduersus veritatem quæ ostẽdi hominum maximè carnalium sensibus non potest, quanto magis vt putas acriter, tanto magis infideli- B ter pugnas. Sed verte omnes tete in facies, & contrahe quicquid, Siue animis, siue arte vales; quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Ergo verum est nos mortuos esse peccato in morte Christi, quæ fuit sine peccato: ac per hoc & maiores & paruuli. Neque enim illi & non isti, aut isti & non illi, sed quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus. Consepulti ergo sumus illi per baptismum in mortem non sine paruulis, quoniam quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus: vt quẽadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati fuimus similitudini mortis eius, sed & resurrectionis erimus: hic sunt & paruuli complantati similitudini mortis eius. Hoc enim ad omnes pertinet quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est. C Quorum vetus homo, nisi quicunque baptizati sumus in Christo? Hic itaque agnoscamus & paruulos, quia & ipsos baptizatos non negamus in Christo. Et vt quid simul crucifixus est vetus homo noster? Vt euacuetur, inquit, corpus peccati, vt vltrà non seruiamus peccato. Propter hoc corpus peccati, misit Deus filium suum in similitudine carnis peccati. Qua igitur impudentia negamus etiam paruulos corpus habere peccati, cùm hoc quod dicit, omnium sit quicunque baptizati sumus in Christo? Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul viuemus cum Christo; scientes, quia Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors ei vltrà non dominabitur. Ibidem. Quòd enim mortuus est peccato, mortuus est semel; quòd autem viuit, viuit Deo. Ita & vos, inquit, existimate vos mortuos esse peccato; viuere autem Deo in Christo Iesu. Quibus hoc dicit? Euigilásne & attendis? Eis vtique quibus dicebat: Si autem mortui sumus cum Christo. Et qui sunt hi, nisi quibus dixerat, Vetus homo noster simul crucifixus est, vt euacuetur corpus peccati: nisi quibus dixerat, Complantati sumus similitudini mortis eius: nisi quibus dixerat, Consepulti sumus ergo illi per baptismum in mortem? Et hoc quibus, vel de quibus dixerat, lege superiora verba, quibus hæc cuncta connexa sunt, & inuenies. An ignoratis quoniam quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus? Et cùm hoc diceret, probare quid voluit? Lege adhuc paulò superius, & inuenies: Si mortui sumus peccato, quomodo viuemus in eo? Aut ergo agnoscite paruulos in baptismate mortuos esse peccato, & fatemini habuisse cui morerentur originale peccatum; aut apertè dicite non eos in morte Christo baptizatos

Virgil. 12. Aeneid.

Rom. 6.

Rom. 6.

baptizatos cùm baptizarentur in Christo, & Apostolum mendacij redarguite, dicentem: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus. Ego hæc arma cælestia, quæ vincunt Celestium, non dimitto; his fidem meam sermonemque committo. Argumenta quæ profertis, humana sunt, hæc munimenta diuina sunt. Delicta quis intelligit?
Psalm. 18. Nunquid ideo delicta non sunt? Ita & originale delictum quod in parente regenerato remittitur, & tamen transit in prolem, & manet nisi & ipsa regeneretur, quis intelligit? Nunquid ideo non est delictum? Vnus pro omnibus mortus est, ergo omnes mortui sunt. Quo corde, quo ore, qua fronte paruulos mortuos negatis, pro quibus Christum mortuum non negatis? Si non est pro eis Christus mortuus, vt quid baptizantur? Quicunque enim baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus. Si autem etiam pro eis mortuus est, qui vnus pro omnibus mortuus est, ergo mortui sunt & isti cũ omnibus. Et quia in peccato mortui sunt, moriuntur & peccato vt viuant Deo, quando renascuntur ex Deo. Quod si explicare non possim, quomodo viuus generet mortuũ: (mortuus enim peccato parens, & viuens Deo, generat tamen in peccato mortuum; nisi & ipse peccato regeneratione moriatur, & viuat Deo,) nunquid ideo falsum est, quia explicari verbis, vel non potest, vel difficillimè potest? Tu nega si audes, natum mortuũ, pro quo Christũ non negas mortuum. Vnus enim pro
2. Cor. 5. omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Verba sunt apostolica, sed arma sunt nostra, quibus tamẽ si repugnare nolis, intelligis quod sine dubitatione credendum est, etiam si non intelligas. Homo enim qui spiritaliter natus, carnaliter gignit, vtrunque habet semen, & immortale vnde se gaudeat viuum, & mortale vnde generet mortuũ. Cui viuificando nullo modo necessaria Christi mors esset, nisi mortuus natus esset. Vnus enim pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Nec eos de ista morte excitatis, C quos mortuos non esse clamatis; sed ne viuant potius impediris quando in eorum parẽtibus fidem, qua vna possunt reuiuiscere, impiorum argumentorum machinis oppugnatis.

CAP. VI. SED iam veniamus ad prolixam & operosam disputationem tuam, qua illud quod quantulæcunque similitudinis gratia in re ad perspiciendum difficili adhibendum putaui, de olea scilicet quòd eius semen degeneret in oleastrum, refutare molitus es: prius af-
Li. 1. de nup. cap. 19. firmans, *quòd ei rei quæ per se defendi nõ potest, nihil suffragentur exempla.* Cur ego Apostolus mox vt proposuit quæstionem quomodo resurgant mortui, quo autem corpore veniant, continuò rem incognitam &
2. Cor. 15. inexpertã exemplo probare suscepit, adiunges: Stulte, tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur? &c. Quod quidem exemplum & huic rei de qua nũc agitur, non omnimodo est inconueniens. Purgatur enim à palea triticum, sicut homo à peccato; & tamẽ inde cum palea nascitur alterum. Quid est autẽ quod D de Crocodilo dicere voluisti, *solum esse in omnibus animalibus, cui superiores mandibulas moueri Albinus affir-*
Soli Crocodilo superiores mãdibulæ mouentur. Salamandra ab igne non læditur. *mat; & ignem cùm sit omnibus exitio, Salamandræ esse ludibrio?* Nónne ista cõtra vos potius protulisti, quando inuenitur aliquid vnde monstretur esse possibile quod generaliter negabatur? Cùm ergo vos generaliter negaueritis, posse gignentes in prolem traiicere quod non habent ipsi; si fuerit inuentum quod possit hoc facere, ita superamini sicut ille qui dixerat, non posse animalia nisi inferiores mouere mandibulas, inuento crocodilo sine ambiguitate superatur; & qui dixerat nullum animal in igne viuere, demonstrato quod de salamandra perhibetur, sine ambiguitate conuincitur. Cùm igitur definis *naturalia per accidens*

A *non conuerti*; si vel vnus quispiam fuerit inuentus qui vitiatus aliquo casu cum eodem vitio genuerit filiũ, factumque sit proli naturale quod parenti accidens fuit; nempe tua definitio ista frustrabitur. Item cùm definis *parentem quod ipse non habet, in suam prolem non posse transmittere*, nónne definitio etiam ipsa destruetur; cũ tibi fuerint demonstrati nati homines integerrimis omnibus membris ex ipsis parentibus, qui nonnulla membra perdiderant? Audiebamus à maioribus nostris, qui se id nosse ac vidisse dicebant: Fundanum Carthaginis rhetorem, cùm ipse accidenti vitio luscus esset, luscum filium procreasse. Quo exemplo euertitur illa tua sententia, qua dicis *naturalia per accidens non conuerti.* Accidẽs quippe fuit in patre, quod factum est in filio naturale. Illam verò alteram, qua dicitis *parentes in filios ea quæ non habent ipsi non posse transfundere*, alius Fundani filius; quòd maximè vsitatum est, cum duobus oculis de lusco natus euertit, & innumerabiles qui nascuntur oculati de parentibus B cæcis. Transmittendo quippe in eos quos gignunt quod ipsi non habent, vos potius quàm suos filios sibi similes esse demonstrant, qui tam fuistis in vestris definitionibus cæci.

Fundanus rhetor luscus cùm esset luscum genuit filium.

CAP. VII. SANE cùm ea quæ ad rem non pertinent multum loqueris, dixisti aliquid vnde me quiddam quod ad rem pertinet admoneres, vbi aisti, *curiositatem quod comprehenderit, minus solere mirari; & aduersus eam diuinitùs fuisse prouisum, vt multa de terra innumeris discreta proprietatibus gignerentur.* Et reuera hæc est vtilitas occultorum operum Dei, ne prompta vilescant, ne comprehensa mira esse desistant. Vnde & scriptura dicit: Sicut ossa in ventre prægnantis, ita non agnoscis opera Dei quæcunque faciet vniuersa. Rectè itaque & ipse dixisti, contra curiositatem quæ minus solet mirari quod potuerit comprehendere, incomprehensibilia esse opera Dei. Cur ergo humana opinatione conaris euertere, quod minus vales in diuina ratione comprehendere? Ego quidem, non (vt tu calumniaris) dixi, nulla ratione comprehendi posse; sed dixi, non facili ratione posse. Veruntamen quòd si contra vitium curiositatis humanæ, cui solent, vt ipse commemoras, comprehensa vilescere, etiam hoc Deus quemadmodum multa, sic occultare voluit, vt id inuestigare atque comprehendere humana coniectura non possit; ideo ne contra Ecclesiam matrem vestrã ratiunculis vestris quasi parricidalibus pugiunculis debetis armari, vt vim sacramenti eius occultam, qua purgandos concipit paruulos, quamuis de purgatis parentibus natos, tanquam ossa in vẽtre prægnantis non contrectando, sed laniando quæratis? Nisi autem sermonis longitudine nollem fatigare lectorem; iam te mille rerum generibus quarum incomprehensibilis ratio, contra vsitatas naturæ vias quasi per deserta opaca repit, obruerem, in quibus etiã degenerantia semina nõ quidem in dissimillimũ genus; (quia nec oleaster sic est ab olea discretus, vt vitis) sed D in quandam, si dici potest, similem dissimilitudinem, sicut viti est labrusca dissimilis, quæ tamen de semine vitis gignitur, multa mõstrarem. Et cur non credamus hoc ideo voluisse creatorem, vt crederemus etiam semen hominis posse vitium de gignentibus trahere, quod in eis à quib. gignitur nõ est: vt ad eius gratiam, qua homines eruuntur à potestate tenebrarum, & in regnum illius transferuntur, etiam baptizati, cum suis paruulis currerent, sicut tecum cucurrit pater sanctus, nesciens eidẽ gratiæ quàm esses futurus ingratus? Sed naturæ scrutator acerrimus limites eius inuenis, & regulas figis; dicens *per rerum naturam fieri non posse, vt illud probentur tradere parentes, quo caruisse creduntur. Quòd si tradunt*, inquis, *non amiserunt.* Istæ sunt Pelagianæ definitiones, quas lecto ad religiosæ memoriæ

Curiositas quod comprehendere minus mirantur.

Occultorum Dei operum vtilitas. Eccl. 11.

Semen hominis de gignentibus vitium trahit.

Memoria sanctæ patris fuit.

Marcel

Li. 1. de peccat. merit. & remiss. cap 3. 8 & 9. Marcellinum quod commemoras, opusculo nostro, A iam respuere debuisti. Prior enim Pelagius de parentibus fidelibus dixit, *non eos potuisse in posteros transmittere, quod ipsi minimè habuerunt.* Sed quàm sit falsum, exemplis euidentissimis perdocetur, quorum aliqua suprà dixi, vnde est & hoc, quod & nunc dicam. Quid enim præputij retinet circumcisus, de quo præputiatus tamen gignitur, & quod iam non est in homine, trahitur in hominis semine? Nec ob aliud credẽdum est antiquis patribus hoc diuinitus fuisse præceptum, vt octauo die circunciderent paruulos, ad significandam regenerationem quæ fit in Christo, qui post diem septimum sabbati, quo die iacuit in sepulchro, traditus propter delicta nostra, sequẽti, id est octauo die in hebdomadibus resurrexit propter iustificationem nostram. Quod sacramentum circũcisionis in figura præcessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris literis eruditus ignoret, cũ apertissimè de Christo dicat Apostolus: Qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo etiam circuncisi estis circuncisione non manu facta, in expoliatione corporis B carnis, in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis, & vos cùm essetis mortui in delictis & præputio carnis vestræ, viuificauit cum illo donans nobis omnia delicta. Huius ergo circuncisionis non manufactæ, quæ nunc fit in Christo, similitudo præmissa est illa circuncisio manu facta, quæ data est Abrahæ. Non enim dici potest, Præputium corpus est, hoc autẽ quod trahitur in origine vitium, & illo quidem abscisso, vim eius tamen nequaquam tolli potuisse de semine: hoc verò vitium quod non est corpus, sed accidens cùm indulgentia sit remissum, in semine non potuisse residere: hoc, inquã, à quouis callidissimo dici non potest, cùm authoritate diuina superetur, qua ipsa pars corporis ob hoc iussa est amputari, vt hoc vitiũ purgaretur. Quod nisi esset in semine, ad paruulos quibus circumcisione C illa corporis auferẽdũ est, nullatenus peruenireret. Neq; si minimè peruenisset, indigeret vllatenus hac corporis circuncisione semoueri. Cùm autem paruulus proprium nullum habeat omnino peccatũ, restat vt nullum eidem aliud auferatur nisi originale illo remedio sine quo perit anima eius de populo suo, quod sub iusto Deo non fieret, nisi esset culpa qua fieret. Quæ quoniam propria nulla est: restat vt sola originis vitiatæ sit culpa. Ecce circuncisus tradit nascenti de se, quo caruit in se. Quid est ergo quod dicis, *per rerum naturam fieri non posse, vt illud homines probentur tradere, quo caruisse creduntur?* Bonum est præputium, non est malum, quia Deus illud fecit, sicut de oleastro copiosissimè disputasti. Respondetur tibi: Bonus est oleaster in rerum natura, sed in mysteriorum scriptura malum significat: sicut lupi, sicut vulpes, sicut sus lota in volutabris cœni, sicut canis conuersus ad suum vomitum. In rerum natura bona sunt omnia sicut oues. Omnia quippe Deus fecit bona valde; sed in sanctis libris lupi malos significant, oues autem bonos. Nec secundum id quod sunt, sed secundum id quod significant, de illis similitudines damus, quando de bonorum malorumque differentia disputamus. Sic & præputium quoniam particula est humani corporis, quod totum est bona substantia; vtique bonũ est per naturam, sed malum significat per figuram, cùm die octauo circuncidi præcipitur paruulus propter Christum, in quo sicut Apostolus dicit; circuncisi sumus circuncisione non manufacta; quam sine dubio præfigurauit circuncisio manufacta. Præputium itaque non est peccatum, sed significat peccatum, & maximè originale, quia per ipsum membrũ est origo nascentium; per quod pecca-

Præputiatus de circuncisio gignitur.

Circuncisio figura fuit baptismatis. Colos. 2.

Oleaster tamesi bonus, malè tamen in scripturis significationem habet.

Circuncisio vitium purgabat originale.

Colos. 2. Originale peccatum præputio significatur.

August. tom. 7.

tum dicti sumus natura filij iræ: hã & ipsum mẽbrum natura propriè dicitur. Proinde circuncisio carnis nõ solùm illam quasi generalem sentẽtiam vestram sine ambiguitate subuertit, qua dicitis, *per rerum naturam fieri non posse, vt quo ipse carnit, tradat proli parens*; verùm etiam quia præputiũ peccatum significat, & inuenitur in nascente, quod iam non erat in parente; profectò originale peccatum quod iam remissum est parẽtibus baptizatis, manere demonstrat in paruulis, nisi & ipsi baptizentur, id est, spiritali circuncisione mundẽtur: vosque cõuincit, esse verissimum quod negatis: quia & ipse paruulus, de quo dictum est, Peribit anima eius Gen. 17. de populo suo, si octauo die non fuerit circuncisus, inuenire sub iusto iudice cur pereat non potestis, negantes originale peccatum. Relinquamus syluas oleastrorum, & montes vel Africanos vel Italos oliuarum, nec interrogemus agricolas, qui cùm tibi aliud, mihi aliud fortè responderint, neutros possumus celeri exploratione conuincere, si ad hoc experiendum seminetur arbor, seris factura nepotibus vmbrã. Habemus Virg. Geor. 2. Albaniam oleam non Africanam, non Italam, sed Hebræam: oleam. cui nos qui fuimus oleaster, insitos esse gaudemus. Illi oleæ data est circuncisio, quæ nobis soluit istam sine disceptatione quæstionem. Trahit præputium proles, quod iam non habet parens; caruit, & tamen tradidit; amisit, & tamen transmisit. Et hoc præputium peccatum significat. Ergo & ipsum potest in parentibus interire, & tamen ad filios pertransire. Attestetur etiam ipse infans, & tacens dicat, Peritura est anima mea de populo meo, si non fuero circuncisus octauo die. Qui ergo & originale malum diffitemini, & iustum Deum fatemini, quid peccauerit dicite huic infanti tacitè clamanti. Et quoniam loquacitas vestra nulla rationabili voce respondet; voces potius vestras Apostolicis nobiscum vocibus iungite. Quæ sint enim ex parentibus, vel vtrum sint etiam alia contagia peccatorum, liberum nobis est quærere; siue sit facile, siue difficile, siue impossibile reperire. Per vnum tamen Rom. 5. hominem in hunc mundum intrasse peccatum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccauerunt; aliter nobis fas esse nõ existimemus accipere, nisi vt omnes mortuos esse credamus in primi hominis peccato, pro quibus mortuus est Christus, & omnes mori peccato quicũque baptizantur in Christo.

CAPVT VIII. SED in aliis verbis meis quæ velut refellenda interponis disputationi tuæ, dicis, *me vulgum tibi excitare* Lib. 1. de nupt. cap. 20. *conatum*, quoniam dixi *fidem non dubitare Christianam (quam noui hæretici oppugnare cœperunt) & eos qui lauacro regenerationis abluuntur, redimi à diaboli potestate; & eos qui nondũ tali regeneratione redempti sunt, etiam paruulos filios redemptorum, sub eiusdem diaboli esse potestate captiuos, nisi & ipsi eadem gratia redimantur.* Quod vt apostolico testimonio comprobarem, *ad omnes ætates dixi pertinẽre illud, de quo Apostolus loquitur; beneficium Dei: Qui eruit nos de potestate tenebrarum, &* Colos. 1. *transtulit in regnum filij charitatis suæ.* Si hac sententia contra vos vulgus mouetur; nónne hinc te potius oportet aduertere, ita esse vulgatam & apud omnes confirmatam istam catholicam fidem, vt nec notitiam possit fugere popularem? Necesse quippe fuerat quicquid in paruulis suis ageret, quod attinet ad mysteria Christiana, omnes nosse Christianos. Cur autem dicis, *quòd certaminis singularis oblitus in vulgum refugerim?* Quis tibi promisit meum singulare certamen? Vbi, quãdo, quomodo, quibus præsentibus, quibus arbitris? *Oblato*, sicut loqueris, *placuit componi fœderè bellum, vt pugnas omnium contentio nostra dirimeret?* Absit vt mihi apud catholicos arrogem, quod tibi apud Pelagianos arrogare non pudet. Vnus sum è multis, qui profanas vestras nouitates vt possumus refu-

Iulianus memoriam chiam fingit & suos vindicat. Imitatio Virg. Æneid. 12.

refutamus, sicut vnicuique nostrum Deus partitus est
Rom. 12. mensuram fidei. Antequam essem natus huic mũdo,
& antequam essem renatus Deo, multa catholica
lumina vestras futuras tenebras redarguendo præuenerunt. De quibus iam duobus superioribus libris meis,
quanta potui manifestatione disserui. Habes quò te
auoces, si te aduersus catholicam fidem adhuc insani-
Suprà lib. 2. cap. vltimo. re delectat, nec nomine *sellulariorum opificum* deri-
deas membra Christi: memento quia infirma mundi
1. Cor. 1. elegit Deus, vt cõfundat fortia. Quid est autem *quod
eis cùm ostendere cœperis, in me acerbiores fient?* Mentiri
eis noli, & non fient. Ego enim non *eos*, sicut calum-
niaris, *asseuero peculium diaboli*, quos redemptos Chri-
sti sanguine scio: *nec diabolo coniugia*, inquantum con-
iugia sunt, *vlla transcribo*; nec *eum genit alium commen-
tor artificem*; nec *excitatorem virorum, nisi ad illicita*;
nec *fœcundatorem mulierum*, nec *conditorem* assero *par-
uulorum*. Hæc ergo quæ à me aliena sunt si eis de me
dixeris, mentieris: & si quisquam eorum tibi credens
B acerbior in me fuerit factus, deceptus poterit esse non
doctior. Ii verò qui & vtrunque nostrum, & fidem ca-
tholicam sciunt, discere abs te aliquid nolunt, sed ca-
uent potius ne auferas quod nouerunt. Multi quippe
sunt in eis qui nõ solùm præter me, verumetiam prio-
res me ista didicerunt, quæ vester nouus error oppu-
gnat. Cùm ergo non eos ipse fecerim, sed inuenerim
huius quam negatis socios veritatis, quomodo eis ego
sum author huius quem putatis erroris?

CAP. IX. EXPLICA, inquis, *quomodo peccatum per sordæ illi iustè
possit ascribi, quæ nec voluit peccare, nec potuit*. Aliud est
perpetratio propriorum, aliud alienorum contagio
peccatorum, quantum quidem ad suæ cuiusque vitæ
pertinet actionem. Nam si vos sententiam rectam, in
vestrum tortum sensum torquere nolletis, audiretis
Apostolum hoc breuiter explicantem, qui vnum di-
xit fuisse in quo omnes peccauerunt. In illo vno mor-
2 Cor. 5. tui sunt omnes, vt moreretur alius vnus pro omni-
bus. Vnus enim pro omnibus mortuus est. Ergo om-
nes mortui sunt, pro quibus Christus mortuus est.
Nega igitur Christum etiam pro paruulis mortuum,
vt eximas eos de numero mortuorum, hoc est de
contagio peccatorum. *Qui fieri potest*, inquis, *vt res
arbitrij conditioni seminum misceatur?* Si fieri non pos-
set, non esset vnde paruulos nõdum de corpore egres-
sos mortuos diceremus. Quia si Christus & pro ipsis
mortuus est, ergo & ipsi mortui sunt: quoniam si
vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui
sunt. Audísne Iuliane? Hæc Apostoli verba, non mea
sunt. Quid à me quæris, *quo sit factum modo*, cùm
videas factum esse quocunq; modo, si Apostolo cre-
dis aliquo modo, qui de Christo & de his pro quibus
mortuus est Christus, mentiri potuit nullo modo?
Potest autem dici Deus ab alio quales estis peruerso,
sed errore diuerso, potest prorsus dici Deus quod nos
sentire de paruulis dicis *ad inimici sui lucrum semper
industrius*, quia eos quos nouit non ad tempus sub
diabolo futuros, sed cum illo semper arsuros, non de-
finit creare, nutrire, vestire, eisque pertinacissima ini-
quitate peccantibus vitam salutémque subministra-
re. Sed facit hoc Deus quomodo sciens bene vti &
bonis & malis; cuius maiestatis vsibus, non solùm eos
quos premit aut decipit, sed nec seipsum malignita-
tis vllius arte diabolus subtrahit. Ac per hoc non per-
tinent ad diabolum, qui eruuntur de diaboli potesta-
Et impij & diabolus. in Dei semper sunt potestate. te. Qui verò ad eum pertinent, in Dei, sicut ipse,
sunt potestate. Quàm vanum est igitur quòd acutè
te dixisse arbitraris, quasi asseramus *hoc inter se fœdus
inisse diabolum & Deum, vt quicquid perfunditur,
Deus; quicquid nascitur, diabolus sibi vendicet: ea tamen
lege*, sicut dicis, *vt ipsam commixtionem quam diabolus
instituit, Deus obnoxia virtute fœcundet*. Prorsus nec
A instituit diabolus commixtionem, quoniam esset &
si nemo peccasset; sed ita esset, vt tua ibi suscepta vel
nulla esset, vel inquieta non esset: nec obnoxia virtu-
te, sed libera & potentissima Deus fœcundat vteros
feminarum, etiã vasa diabolica parituros. Sicut enim
hominibus malis, ita & seminib. ex origine vitiatis, in
quibus bona est ab illo creata substantia, incremen-
tum, formam, vitam, salutémq; largitur gratuita bo-
nitate, nulla necessitate, insuperabili potestate, irre-
prehensibili veritate. Cùm ergo vtrunque in potesta-
te sit Dei, & quod perfunditur scilicet, & quod nasci-
tur, à cuius potestate alienus nec ipse diabolus inue-
nitur, tu duo ista quomodo posuisti? Vtrum melius
esse voluisti nasci quàm perfundi? An melius esse per-
fundi, quia ibi est & nasci? Non enim perfundi pote-
rit qui natus non fuerit. An vtrumque æqua lance
perpendis? Si nasci putas esse melius, regenerationi
spiritali facis iniuriam, cui generationem carnalem
B sacrilego errore præponis. Non enim frustra crederis Contemptim de baptismo loquitur Iuliannus.
noluisse dicere, quod renascitur, sed *quod perfunditur*:
vt quoniam diabolum & Deum quasi partes inter se
fecisse per nostrum sensum demonstrare cupiebas,
partem Dei faceres verbi vilitate viliorem. Potuisti
enim dicere, quod renascitur; potuisti, quod regene-
ratur; potuisti postremò, quod baptizatur. Hoc enim
verbum ex Græco Latina consuetudo sic habet, vt
non soleat alibi nisi in sacramento regenerationis in-
telligi. Nihil horum dicere voluisti, sed elegisti ver-
bum, quo fieret contemptibile quod dicebas. Nemo
enim legentium præferre posset natum renato, vel re-
generato, vel baptizato; sed facilè putasti natum præ-
ferri posse perfuso. Si autem quantum distat cælum &
terra, tanto melius est perfundi, vt portetur hominis
imago cælestis, quàm nasci vt portetur hominis ima-
go terreni, euanuit iam tua ista inuidiosa partitio. Ne-
que enim mirandum est, si cælestis hominis imagi-
nem, quæ sacra perfusione suscipitur, sibi vendicat
C Deus: imaginem verò terreni hominis terrena labe
sordentem finit esse sub diabolo, donec ad suscipien-
dam cælestis hominis imaginem renascatur in Chri-
sto. Porrò si perfundi & nasci æquali abs te pensantur
examine, vt ideo paruuli nondum renati non credan-
tur esse sub diabolo, ne partes æquales inter se Deus
& diabolus facere videantur, si Deus sibi perfusos,
diabolus autem vendicat natos: profectò quia secun-
dum istum sensum tantum valet perfundi quantum
valet nasci, superfluum persuadetis esse perfundi,
quoniam quod tantundem valet sufficit nasci. Et ta-
men agimus gratias quia non hoc putatis. Non enim
ad regnum Dei natos, nisi perfundantur, admittitis:
atque ita perfundi multo melius iudicatis esse quàm
nasci. Iam itaque vobis ipsis reddite rationem, ne pu-
tetis indignum, vt qui non admittuntur in regnum
Dei, sint sub illo qui cecidit de regno Dei: & qui non
habent vitam, sint sub illo qui perdidit vitam: non
autem habere paruulos vitam, nisi habeant Christũ
D (quem proculdubio habere nõ possunt, nisi induerint
eũ, eo modo quo scriptum est, Quotquot in Christo Gal. 3.
baptizati estis, Christum induistis.) Non ergo eos habe-
re vitam, nisi habeant Christum, Ioannes euange-
lista testatur, dicẽs in Epistola sua: Qui habet filium, 1 Ioan. 5.
habet vitam; qui non habet filium, vitam non habet.
Meritò ergo intelliguntur mortui qui non habent vi- 2 Cor. 5.
tam, pro quibus est Christus mortuus vt habeant.
Vnus enim pro omnibus mortuus est, ergo omnes
mortui sunt. Ideo autem mortuus est, sicut legitur ad
Hebræos, vt per mortem euacuaret eũ qui potestatem Heb. 2.
habebat mortis, id est diabolum. Quid ergo mirum si
paruuli quãdiu mortui sunt antequam incipiant eum
habere qui mortuus est pro mortuis, sub eo sunt qui
potestatem habet mortis?

ENV-

CAP. X. ENVMERAS quæ fides verè non dubitet Chri-
A stiana; in quibus ea commemoras, quæ penè omnia
prædicamus & nos, & de quibus nullo modo dubitã-
dum esse censemus, vsqueadeò vt etiam illud quod di-
Rom. 5. cis, *sine opere liberi arbitrij nullũ hominis esse posse peccatũ*,
verum esse fateamur. Non enim & hoc esset pecca-
tum, quod originale traheretur sine opere liberi ar-
bitrij, quo primus homo peccauit, per quem pecca-
tum intrauit in mundum, & in omnes homines per-
transiit. Quod autem dicis, *alienis peccatis alterum ob-
noxium non teneri*: interest quatenus rectè possit intel-
1. Reg. 24. ligi. Nec nunc ago quòd peccauit Dauid, & pro pec-
Iosue 7. cato eius tot hominum milia ceciderunt: & quòd de
anathemate contra interdictum, quia vsurpauit vnus,
in eos qui hoc non fecerant, nec factum fuisse nouerant
nunc tenere nos debet, de hoc genere peccatorum
Parentum peccata quodam sensu & aliena & nostra. Eccl. 40. siue pœnarum. Parentum autem peccata modo quo-
dam dicuntur aliena; & rursus modo quodam reperi-
B untur & nostra. Aliena quippe proprietate sunt actio-
nis; nostra sunt autem contagione propaginis. Quod
si falsum esset, profectò graue iugum super filios A-
dam, à die exitus de ventre matris eorum, nullo mo-
2. Cor. 5. do iustum esset. Quod autem Apostolum dixisse
commemoras: *Omnes nos manifestari oportet ante tri-
bunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis
sui prout gessit siue bonum siue malum*; quomodo in par-
uulis accipis? Vtrum & ipsi ante tribunal Christi
manifestabuntur, an non? Si non manifestabuntur,
quid te adiuuat ista sententia, quando ad eos non per-
tinet, quorum nunc agitur causa? Si autem manifesta-
buntur; quomodo reportat eorum quisque quod ges-
sit, qui nihil gessit; nisi quia pertinet ad eos, quòd per
Etiam paruulante Christi tribunal referunt propria corporis. corda & ora gestantium, siue credunt, siue non cre-
dunt? Propria corporis sui enim dixit, quod ad vnum-
quemque in seipso iam viuentem pertinet. Nam
quomodo reportat bonum vt intret in regnum Dei,
si hoc reportat quisque quod gessit; nisi quia per-
C tinet ad paruulum etiam quod per alterum gessit, id
est, credidit? Sicut itaque quod credidit, pertinet ad
eum vt reportet bonum, hoc est percipiat Dei re-
gnum; sic ad eum pertinet etiam si non credidit, vt
Matt. 16. reportet condemnationis iudicium, quia Euangelica
est & ipsa sententia dicendo; Qui non crediderit,
2. Cor. 5. condemnabitur. Et Apostolus dicendo; Omnes nos
manifestari oportet, vt recipiat vnusquisque prout
gessit siue bonum siue malum; nihil voluit intelligi
medium. Vide ergo quàm importunè nolis paruu-
lum de alieno peccato reportare malum; & velis eum
de alieno rectè facto reportare bonũ, nõ qualecunq;,
sed Dei regnum. Alienum quippe opus est cùm cre-
didit per alterum, sicut alienum opus fuit cùm pecca-
uit in altero. Nec nos dubitamus, quia baptismate de-
lictum omne mundetur, sed renascendo quisque mũ-
datur. Quod ergo non adimit nisi regeneratio, non
cessat trahere generatio. Sanè dicendo *concupiscen-*
D *tiam non vsquequaque animo esse rebellem*, proculdubio
confiteris rebellem; & supplicium non fateris, quod
aduersus teipsum bellum geris. *Dicatur*, inquis, *paru-
lorum creator Deus talium, quales Dei manibus digni
sunt*, & addis, *id est innocentium*. Nónne te pietate, &
Dei laudatione vincere videtur, qui dixerit etiam
pulchra & sana opera decere manus Dei? Et tamen
multi deformes, multi morbidi, multi horridi mon-
struosíque nascuntur; nec ideo illam totam substan-
tiam, omnesque partes eius, & quicquid in ea sub-
stantialiter existit & viuit, potuit creare nisi vnus bo-
nus & verus Deus. Iubes *vt asseram, quemadmodum in
Christo, id est, in virtute eius creatos paruulos sibi audeat
diabolus vendicare*. Tu assere si potes, quomodo sibi
non obscurè, sed apertè vendicet paruulos, quos im-

mundi spiritus vexant. Si ei traditos dicis; videmus
ambo supplicium, tu dic meritum. Ambo cernimus
pœnam, tu qui nulla mala merita dicis ex parentibus
Eccl. 48. trahi, cùm Deum iustum ambo fateamur; demonstra
ista pœna dignam si potes in infantibus culpam. An
verò non agnoscis etiam hoc ad illud graue iugum
pertinere, quod est super filios Adam à die exitus de
ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in ma-
trem omnium? Sub quo iugo diuersis cladibus ita cõ-
teritur genus humanum, vt appareat hoc quod ex fi-
liis iræ fiunt, homines tanquam pignore accepto filij
misericordiæ, in futurum seculum præparari: in hoc
autem seculo à die ortus vsque ad diem obitus, etiam Quòd paruuli etiam baptizati interdiũ & dæmonum patiãtur incursus, ex merito venit originalis peccati. Sup. lib. 5. cap. 15.
ipsos sub eodem graui iugo conteri. Quandoqui-
dem etiam baptizati paruuli inter alia mala vitæ hu-
ius nonnunquam & istos dæmonum patiuntur incur-
sus; quamuis eruti de potestate tenebrarum, ne ab
eis trahantur in supplicium sempiternum. Iterum
dicis, quod iam quidem dixisti, ad quæ respondi, sed
B etiam nunc non debeo præterire, *quòd cùm Deus
paruulis nihil de proprio tam boni quàm mali merenti-
bus gloriam regenerationis attribuit, hoc ipsõ eos ad
suam curam, ad suum ius, ad suum dominium pertinere do-
cet, quòd eorum voluntatem ineffabilis præuenit bene ficij
largitate*. Quid igitur eum offenderunt quos pariter
innocentes, mundos, à se ad imaginem suam creatos,
innumerabiles ab isto munere alienat, nec eorum
voluntatem huius ineffabilis præuenit beneficij lar-
gitate, separans tot imagines suas à regno suo? Si hoc
eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei
tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, &
tantum amabunt quantũ innocentes amare debent
regnum eius, à quo ad ipsius imaginem creantur, ni-
hil ne mali de hac ipsa separatione patientur? Postre-
mò vbilibet sint, quomodolibet sint sub Deo iudice,
qui nec fato premitur, nec personarum acceptione
corrumpitur; in illius regni felicitate non erunt, vbi
C erunt qui pariter nihil boni, malíue meruerunt. Sed si
nihil meruissent mali, nunquam priuarentur in com-
muni causa communione tanti boni. In eis ergo, vt
sæpe diximus, iræ vasis, notas facit, secundum Apo- Rom. 9.
stolum, Deus diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ,
ne glorientur tanquam de meritis vitæ suæ; cùm co-
gnoscunt hoc sibi iustissimè reddi potuisse, quod vi-
dent reddi paribus consortibus mortis suæ. Si ergo
rectè vis sapere, etiam de paruulis sæpe quod ait Apo-
stolus de Deo patre: Qui eruit nos de potestate tene- Colos. 1.
brarum, & transtulit in regnum filij charitatis suæ.
Et illud alterum, Fuimus enim & nos aliquando na- Eph. 2.
tura filij iræ, sicut & cæteri. Omnes enim eruuntur
de potestate tenebrarum, & filij erant iræ, qui pecca-
to moriuntur. Omnes autem vt Deo viuant, pecca-
to moriuntur, qui in morte Christi baptizantur.
Omnes porrò in morte eius baptizantur, quicunque
baptizantur in Christo: ergo quia & paruuli baptizan-
D tur in Christo, peccato moriuntur, & à potestate te-
nebrarum, vbi natura filij iræ fuerant, eruuntur. Ibidem. Natura esse nos iræ filios, quomodo Iulianus intellexerit. Indicat hoc Hieronymus.
Quod autem dicis, *vbi ait Apostolus, Natura filij iræ, non
posse intelligi, prorsus filij iræ*: Nonne hinc admoneri
debuisti, antiquam contra vos defendi catholicam fi-
dem: quia non ferè inuenitur Latinus codex si non à
vobis nunc incipiat emendari, vel potius in mendum
mutari, vbi non natura sit scriptum? Quod vtique
cauere debuit interpretum antiquitas, nisi etiam fidei
hęc esset antiquitas, cui vestra cœpit resistere nouitas.

SED homo egregius, in grege non vis esse vulgari. CAP. XI.
Rursus enim sententiam vulgi respuis, post tanta
quibus eum reddita ratione aduersus me concitaue-
ras grauius, quàm in te fuerat concitatus. Sed nimi-
rum tua disputata considerans, nihil te talibus argu-
mentis apud populum in catholicæ fidei veritate &

antiquitate fundatũ agere potuisse vel posse sensisti. A Vnde ad eum spernendum contumacia rursus ora conuertis, eiusque partes quibus constat non immeritò vobis Christianorum infensissima multitudo, singillatim describendo & deridendo percurris, in quibus & *auditoriales scholasticos* tangis & dicis *contra me clamaturos : O tempora, ò mores!* & tamen vulgi iudicium reformidas, vbi tam clamosos tibi suffragatores inuenire potuisti, qui Tullianis me vocibus territent, quòd *aliunde quàm vnde totum est, esse putem genitalem corporis partem*. Quibus ego cùm retulero, non hoc dico, mentitur : libidinem culpo, non membra; vitium denoto, nõ naturam : iste autem qui mihi apud vos calumniatur, audet in Ecclesia Christi ante magistrum in cælo sedentem recitare libidinis laudem, quod ei recitandum si vobiscum studeret, magistrorum nemo proponeret, ne offenderet omnium vestrum pudorem. Nónne alia in te Tulliana verè conueniencia verba conuertent, dicentes tibi : *Ex hac parte pudor pugnat, abs te petulantia· hinc continentia, illinc libido*. Nescio quos etiam quasi desertores dogmatis vestri, ad fidem catholicam conuersos arguis vel reuersos. Quos tamen significasti ita te metuere, vt eorum nomina exprimere nõ auderes; ne fortè audientes abs te sua falsa crimina, mox tibi si non vera, certè credibiliora reponerent. Quod quidem quicunque sunt isti, si grauiter sapiunt, non facerent, & parcerent tibi secundum Apostolum, non reddentes maledictum pro maledicto. Tu autem saltem illum monentẽ ne dedigneris audire, de cuius literis exclamare te libuit : *O tempora, ò mores!* Saltem, inquam, ipsum audi, *vt quantum à rerum turpitudine abes, (si tamen abes) tantum te à verborum libertate seiungas ; & ea in alteros ne dicas, quæ cùm tibi falsò obiecta sint, erubescas*. Talia te sanè in istos nescio quos, dixisse qui legunt, sciant qualia in aliquibus omnino non nouimus, quos in proposito continentiæ recessisse à Pelagianis hæreticis nouimus. Tui verò, vel tuæ quales sint, nihil mea interest, quos tu vel quas tu sic fallis, vt dicas me definire, *nec in carioso quidem corpore libidinem posse frenari*. Imò quia frenari posse & frenari oportere decerno, ideo malum intelligo. Quod qui negat malum, viderit quomodo habeat bonum, cui repugnantem, velit nolit, fatetur frenandam esse libidinem. Ego itaque non solùm à senibus, verùm & à iuuenibus dico libidinem posse frenari; sed multum miror à continentibus libidinem posse laudari. Quis autem nostrum dicit, *malum hoc quod paruuli originaliter trahunt, sine substantia, in qua est, aut esse posse aut vnquam fuisse?* Quod tanquam dicamus, ita quæris dialecticos iudices, & irrides vulgum, quasi ad ipsum te iudicem adducam, à quo iudicari ista non possunt : quæ tu si non didicisses, Pelagiani dogmatis machina sine architecto necessariò remansisset. Si vis viuere, noli amare sapientiam verbi, qua euacuatur crux Christi. Quomodo de aliis substantiis in alias substantias vel bonæ vel malæ transeant qualitates, non migrando sed afficiendo, iam libro superiore tractauimus. Si vulgi spernis iudicium, illos iudices intuere, quos tibi duobus prioribus meis libris luculentissima in ecclesia Christi præditos authoritate proposui.

Sup. lib. 2. cap. vltimo.

Orat. 1 in Catili.

Cicero oratio. 2. in Catilinam.

Iulianus calumniatur sectæ suæ desertores.

1. Pet. 3.

1. Cor. 1.

Li. 5. cap. 14.

Cap. XII. Iulianus Zosimũ Romanũ pontificem prænuricationis accusat. Lib. de pecc. originali cap. 6. 7. & 23.

Qvale est autem, quod beatæ memoriæ Zosimum apostolicæ sedis Episcopum, vt in tua prauitate persistas, præuaricationis accusas: qui non recessit à suo prædecessore Innocentio, quem tu nominare timuisti, sed maluisti Zosimum, quia egit primitùs lenius cum Celestio : quoniam se in his sensibus vestris *si quid displiceret paratum esse dixerat corrigi, & Innocentij literis consensurum esse promiserat*. Memento sanè quemadmodum de constituendo Episcopo dissensionem populi Romani insultabundus obiectas. Quod abs te quæro, vtrum homines sua fecerint voluntate. Quod si negas, quomodo liberum defendis arbitrium? Si autem fateris, quomodo eam vocas *vltionem Dei*, atque à vestro dogmate exorbitas, dum putari diuinitus vindicatum affectas? An tandem aliquando concedis, quod obstinatissima contentione negaueras, occulto Dei iudicio fieri, vt in ipsis hominum voluntatib. inueniatur aliquid, quod & peccatum sit & pœna peccati? Hoc enim nisi in ista tua sententia sapuisses, nullo modo factum hominum vltionem Dei esse dixisses. Sed quando ante annos plurimos tale ibi quiddam de beato Damaso & Vrsicino contigit, nõdum* Pelagianos Ecclesia Romana damnauerat. Dicis *me quoque ipsum innouasse sensus meos, & initio conuersionis meæ hoc sensisse quod tu*. Sed fallis, aut falleris, siue calumniando iis quæ nunc dico ; siue non intelligendo, vel potius non legendo ea quę tunc B dixi. Nam ego per vnum hominem in mundum intrasse peccatum, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo peccauerunt omnes; ab initio conuersionis meæ sic tenui semper, vt teneo. Extant libri quos adhuc laicus recentissima mea conuersione conscripsi, & si nondum sicut postea sacris literis eruditus; tamen nihil de hac re iam tũc sentiens, & vbi disputandi ratio poposcerat dicens, nisi quod antiquitus discit & docet omnis Ecclesia: in has videlicet magnas manifestasque miserias, in quibus homo vanitati similis factus est, vt dies eius sicut vmbra prætereant, & sit vniuersa vanitas omnis homo viuens, meritò peccati originalis genus humanũ fuisse collapsum, vnde non liberat nisi qui dixit, Veritas liberabit vos: &, Ego sum veritas. &, Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Non enim à vanitate nisi veritas liberat, sed secundum gratiam, non secundum debitum; per misericordiam, non per meritum. Sicut enim iudicij fuit, vt vanitati subiiceremur, C ita misericordiæ est, vt veritate liberemur, & ipsa bona merita nostra non nisi Dei dona esse fateamur.

Dissensio populi Romani ob Damasi pontificis electionem.

Rom. 5.

Psalm. 143.

Psalm 32.

Ioan. 8.

Ioan. 14.

Cap vt XIII.

Iam nunc illam tuam discutiamus calumniam, qua me dixisse criminaris, *baptizatos ex parte mundari. Quod melius* dicis *meis sermonibus apparere*, cósque sermones meos, quibus hoc apparere posse asseueras, considerandos in tua disputatione proponis. Ago gratias, nempe isti sunt: *Carnis, inquam, concupiscentia non est nuptijs imputanda, sed toleranda. Non enim est ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum. Propter hanc ergo sit, vt etiam de iustis & legitimis nuptijs filiorum Dei, non filij Dei, sed filij seculi generentur : quia & hi qui generant, si iam regenerati sunt, non ex hoc generant, quo filij Dei sunt, sed ex quo adhuc filij seculi. Dominica quippe sententia est: Filij huius seculi generant & generantur. Ex quo itaque sumus adhuc filij huius seculi, exterior homo noster corrumpitur, ex hoc & huius seculi filij generantur. Ex quo sumus filij Dei, interior homo renouatur de die in diem. D Quamuis & ipse exterior per lauacrum sanctificatus sit, & spem futuræ incorruptionis acceperit, propter quod & templum Dei meritò dicitur; sed hoc non solùm propter præsentem sanctificationem, sed propter illam spem dictum est, de qua dicitur: Et nosipsi primitias habentes spiritus ingemiscimus, adoptionem expectantes redemptionem corporis nostri. Si ergo redemptio corporis nostri secundum Apostolum expectatur, profectò quod expectatur adhuc speratur, nondum tenetur*. Nihil habent hæc verba mea quod non in se baptizatus agnoscat, qui cum Apostolo dicit, & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus. Vnde & alibi ait: Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus grauati. Quò pertinet etiam illud, quod in libro Sapientię legimus: Corpus enim corruptibile aggrauat animam, & deprimit

Li. 1. de nup. cap. 17.

Ibid. cap. 18.

Rom. 8.

Luc. 20.

2. Cor. 4.

1. Cor. 3.

Rom. 8.

2. Cor 5.

Sap 9.

terrena

terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Sed A tu tanquam in cælo iam inter angelos immortaliter habitans, verba infirmitatis & mortalitatis irrides, & ea exponens non secundum meum sensum, sed secundum dolum tuum, dixisse me affirmas, *quòd gratia non perfectè hominem nouum faciat*. Non hoc dico: Attende quod dico : Gratia perfectè hominem nouum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem plenamque felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfectè innouat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem attinet ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus aggrauat animam. Vnde est gemitus, quem suum quoque confitetur Apostolus dicens: Et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus. Sed ad illam quoque perfectionem quæ speratur, eodem baptismate, quod hic accipitur, peruenitur. Non autem omnes filij seculi filij sunt diaboli, quamuis omnes filij diaboli filij sunt seculi. Sunt enim etiam filij Dei, qui tamen adhuc B filij sunt seculi : propter quod & coniugio copulantur, sed filios Dei carne non gignunt, quia & vt ipsi essent filij Dei, non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Sanctificatio ergo per baptismum etiam nunc confertur & corpori, non tamen nunc corruptio eius aufertur, quæ ipsam quoq; aggrauat animã. Et ideo quamuis casta sint corpora, cum desideriis peccati membra non seruiunt, propter quod ad templum Dei pertinere cœperunt; est tamen quod gratia in nota ista ædificatione perficiat, quamdiu caro concupiscit aduersus spiritum, vt motus malos qui refrenandi sunt incitet: & spiritus aduersus carnem, vt sanctitas perseueret.

Rom. 8. Baptismatis beneficio ad futuri etiam seculi perfectionem peruenitur.

Ioan. 1.

Baptismo sanctificatur & corpus.

Gal. 5.

Cap vt XIII.

Ideo dicis *carnem concupiscere, quia carnaliter anima concupiscat. Siquidem sine anima caro nec sentiat. Concupiscere autem viuentis sentientisq; naturæ est, sine quo sensu membra moueri non possunt, id est, per semetipsa concupiscere nequeunt, & qui sensus concupiscit etiam sine membris, vt in spadonibus*. Quis autem nescit quod nobis egregius doctor inculcas, ideò dici carnẽ cõcupiscere, quia carnaliter anima concupiscit? Non enim sine anima vlla potest esse carnis cõcupiscentia. Nam vtiq; concupiscere viuentis sentientisque naturæ est, ita vt non desit concupiscentia, quã spadonum quoq; castitas frenet: minus quidem laboriosa; quia vbi materiam de qua operetur non inuenit, minus aduersus eam libido consurgit. Est tamen, pudicéque comprimitur, ne concumbendi quamuis irritus ipse conatus, in eam turpitudinem veniat, propter quam Calligonum Valentiniani iunioris eunuchum gladio nouimus vltore punitum, meretricis confessione conuictum. Neque enim & in libro Ecclesiastico adhiberetur inde similitudo atque diceretur: Videns oculis & ingemiscens, quasi spado complectens virginem & suspirans: nisi & ipsi mouerentur concupiscentiæ carnalis affectibus, licet destituti carnis effectibus. Motibus igitur suis anima quos habet secundum spiritum, aduersatur aliis motibus suis, quos habet secundum carnem, & rursus motibus suis quos habet secundum carnem, aduersatur aliis motibus suis, quos habet secundum spiritum : & ideo dicitur, caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sed propter hoc & de ipsa anima dictum est : Renouatur de die in diem. Neque enim ipsa, in sanctitate non proficit, cùm magis magisque minuit eas quibus non consentit, carnales cupiditates. Iam baptizatis quippe dicebat Apostolus : Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Ibi & fornicatio & mala concupiscentia, & auaritia nominatur. Quomodo ergo mortificat iam baptizatus fornicationem, quam non

Carnem concupisce, quid.

Calligonus eunuchus ob inuericem, attentatam gladio percussus. Eccli. 30.

Gal. 5.

2. Cor. 4.

Immunitio nostrum cupiditatis sanctitatis est positus. Colos. 3.

iam perpetrat, & secundum te *nec habet aliquid quod morti sicet?* Quomodo, inquam, obtemperat Apostolo dicenti: Mortificate fornicationem, nisi cùm desideria eius quibus non consentit expugnat, quæ in benefacientibus, & omnino non fornicantibus nec consensione, nec opere, & si non desunt, tamen quotidie minuuntur? Hoc agitur in templo Dei, quando adiuuante Deo agitur quod præcepit Deus. Opera spiritus eriguntur, opera carnis mortificantur. Si enim secundum carnem vixeritis, inquit, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Et vt scirent se hoc non facere nisi gratia Dei, continuò subdidit: Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Ac per hoc quicunque aguntur Dei spiritu, ipsi facta carnis mortificant spiritu. Habent ergo iam baptizati quid agant in seipsis, hoc est, in Dei templo, quod ædificatur hoc tempore, vt dedicetur in fine. Ædificatur autem post captiuitatem, eiecto scilicet foras qui captiuauerat, inimico. In ordine quippe Psalmorum, quod mirum videri potest, prior est Psalmus dedicationis domus, & posterior ædificationis. Sed dedicationis ideo prior est, quia illam domum cantat, de qua eius architectus ait: Soluite templum hoc, & in tribus diebus exuscitabo illud. Iste autem posterior, quando domus ædificabatur post captiuitatem, Ecclesiam prophetauit: denique & sic incipit : Cantate Domino canticum nouum, cantare Domino omnis terra. Nemo igitur ita desipiat, vt vnumquemque baptizatum ideo existimet iam esse perfectum, quia dictum est : Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et, Nescitis quia corpora vestra tẽplum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis à Deo? Et in alio loco : Nos enim templum Dei viui sumus. Et cætera huiusmodi. Iam enim hoc vocatur, & cùm ædificatur, cùm mortificantur hic mẽbra nostra, quæ sunt super terram. Quamuis enim iam peccato mortui, Deo viuamus ; est tamen quod C in nobis mortificemus, vt non regnet peccatum in nostro mortali corpore, ad obediendum cõcupiscentiis eius, à quibus nos soluit, ne his essemus obnoxij, plena atque perfecta remissio peccatorum, & remanserunt in nobis cum quibus gerantur bella castorum. Ex his est & illa qua pudicus bene vtitur coniugatus; sed cùm bene fit, de malo nascitur bonum non sine malo, & ideo renascitur vt liberetur à malo. Quod enim Deus creat & homo generat, profectò bonum est, inquantum homo est. Sed ideo non sine malo, quia sola regeneratio soluit à malo, quod trahit generatio de primo magnóque peccato. Sic autem incredibile vis videri, *quod in vtero baptizatæ, cuius corpus est templum Dei, formatur homo futurus sub diabolo, nisi Deo renascatur ex Deo*: quasi non maioris admirationis sit, quod Deus & vbi non habitat operatur. Non enim habitat in corpore subdito peccatis: & tamen operatur hominem in vtero meretricis. Attingit D enim vbique propter suam munditiam, & nihil inquinatum in eum incurrit. Et quod multo est mirabilius, aliquando adoptat in filium, quem format in vtero immundissimæ feminæ : & aliquando non vult esse suum filium, quem format in vtero suæ filiæ. Ille quippe ad baptismum nescio qua prouisione peruenit; iste repentina morte non peruenit. Atque ita Deus, in cuius potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formauit in diaboli domicilio; & non vult esse in regno suo, quem formauit in templo suo. Aut si vult, cur non facit quod vult? Non enim quod soletis de maioribus dicere, Deus vult, & paruulus nõ vult. Certè hic vbi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas, quid restat nisi misericordiæ & veritatis profunditas? Vt sciamus, & ex hoc incomprehensibilem compre-

Castis quomodo fornicationem mortificent.

Rom. 8.

Nunc ædificatur in Dei templo quod in fine dedicabitur.

Psal. 29.

Psal. 95.

Ioan. 2.

Psal. 95.

1. Cor. 3.

1. Cor. 6.

2. Cor. 6.

Rom. 6.

Sap. 1.

Sap. 7.

Occulta Dei iudicia.

hendamus iuxta duos homines, vnum per quem peccatum intrauit in mundum, alterum qui tulit peccatum mundi, omnes filios concupiscentiæ carnalis vndecunque nascantur, ad iugum graue filiorum Adam merito pertinere; & ex his omnes filios gratiæ spiritalis vndecunque nascantur, ad iugum suaue filiorum Dei sine merito peruenire. Proinde conditionem suã gerit, qui in alterius corpore, quod est templum Dei, ita construitur, vt non ideò sit & ipse templum Dei, quia ædificatur in templo Dei. Matris quippe corpus vt esset templum Dei, gratiæ beneficium est, non naturæ: quæ gratia non conceptione, sed regeneratione confertur. Nam si ad matris corpus id quod in ea cõcipitur pertineret, ita vt eius pars deputaretur; non baptizaretur infans, cuius mater baptizata est, aliquo mortis vrgente periculo, cùm eum gestaret in vtero. Nunc verò cùm etiam ipse baptizatur, non vtique bis baptizatus habebitur. Non itaque ad maternum corpus cùm esset in vtero pertinebat, & tamen creabatur in templo Dei, non templũ Dei. Ita in femina fideli creatus est infidelis, & in eum parentes infidelitatem traiecerunt, quam non habebant, quando ex ipsis natus est; sed tunc habebant quando & ipsi similiter nati sunt. Traiecerunt ergo quod iam non erat in eis, propter semen spiritale quo regenerati sunt; sed erat in eorum carnali semine, quo eum generauerunt. Quãuis itaque sacro baptismate sanctificetur & corpus; ad hoc tamẽ sanctificatur, vt per remissionẽ peccatorum non solum præteritis peccatis omnibus, verumetiam ipsi quæ inest carnis concupiscentiæ nõ sit obnoxium; cui necesse est obnoxius omnis homo nascatur, etiã moriturus obnoxius, si nõ renascatur. Vbi ergo me audisti siue legisti dicentem, *non innouari homines per baptismum, sed quasi innouari; non liberari, sed quasi liberari; non saluari, sed quasi saluari*: absit vt ego inanem dicerem gratiam lauacri illius, in quo renatus sum ex aqua & spiritu, qua liberatus sum à reatu omnium peccatorum, vel quæ nascendo traxeram, vel quæ malè viuendo contraxeram? Qua gratia liberor vt scio, ne intrem in tentationem, à concupiscentia mea abstractus & illectus, atque vt exaudiar dicẽs cum consortibus meis: Dimitte nobis debita nostra: qua gratia liberabor, vt spero, in æternum, vbi iam nulla lex in membris meis repugnet legi mentis meæ. Non igitur ego inanem facio Dei gratiam; sed tu eius inimicus inanem quæsisse videris iactantiam, vt in tuam disputationem introduceres Epicurum, *qui negauit esse corpus deorum, sed tanquam corpus; nec sanguinem, sed tanquam sanguinem*, & hac occasione de philosophorum literis ad rem quæ inter nos agitur non pertinentibus, tanto ineptiusquãto velut doctius delirares. Quis autẽ nostrũ dicit, *quicquid in præsenti seculo agitur esse culpandum*; cùm hic ipse Christus tãta egerit bona, sed vt nos eruet de præsenti seculo malo?

QVAM porrò diligenter & congruenter exponas Apostolicum testimonium, vbi ait, Spe salui facti sumus; & cætera, vsque ad redemptionem corporis nostri, operæ pretium est intueri. Dicis enim quòd *illa resurrectio non peccata dimittat aliquorum, sed expurget merita singulorum. Reddit enim vnicuique*, inquis, *secũdum opera sua*: nec tamen dicis, secundum quæ opera sua regnũ Dei paruulis reddat. Et peccata quidẽ nulla remittuntur in regno: sed si nulla remitterentur in iudicio illo nouissimo, puto quòd Dominus nõ dixisset de quodam peccato: Nõ remittetur neq; in hoc seculo, neque in futuro: quando sibi remitti sperabat latro ille, qui dicebat: Memento mei cũ veneris in regnum tuum. De qua re quoniam profundissima quæstio est, non est modò præcipitanda sententia. Cur autem in regno nulla peccata remittit Deus filiis suis, nisi quia non inuenit quod remittat? Non enim poterunt ibi esse peccata, vbi spiritus non dico non consentit concupiscentiæ carnis, sed nec concupiscit aduersus carnem, quia nec caro aduersus eum; illa ineffabili salute perfecta; quę nunc non fit in baptismo, vbi remittũtur quidẽ cuncta peccata, sed remanẽt carnalium concupiscentiarũ mala, cum quibus post baptismũ, si tamẽ proficiunt, exerceant siue coniugati gloriosa, siue cõtinentes gloriosiora certamina, quod & ipse cõfiteris. Sed nescio qua miseria quando pro veritate loqueris, tunc teipse non audis. Describens quippe illam summam resurrectionis felicitatem, dicis *neminem iam ibi iustorum liuidum facere corpus suum, & seruituti subijcere; neminem humiliare animam suam stratis duris & pædore membrorum*. Responde ergo cur hic ista faciat, qui omni malo in baptismate caruit, cur audet liuidum facere templum Dei? Nónne membra eius mẽbra sunt vtique tẽpli Dei? Cur ergo non suaui odore, sed pædore templi eius, aut inuitat præsentiã, aut impetrat misericordiam, aut placat iram eius? Nihil ne mali castigat, domat, vincit, opprimit in templo Dei, etiam liuore & pædore ipsius templi Dei? Nónne attendis, nónne perspicis, quia tam vehementer corpus suum persequens, si nihil ibi persequitur, quod displicet Deo, frustra persequendo templum eius, facit iniuriam magnam Deo? Quid tergiuersaris, quid cunctaris apertius confiteri? Illud profectò, illud est quod iste cuius liuorem pẽdoremq́ue prædicas, in sua carne persequitur. Vnde dicebat Apostolus: Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Quam vocem baptizati esse cur negas, cùm opera vocis huius in liuore corporis, & membrorum pædore cognoscas? Neque enim hæc sancti, vel Dei flagellis, vel ab inimicis tolerant patiendo, sed ipsi sibi ingerunt continendo. Et vt quid hoc, nisi cõtra carnis concupiscẽtiam spiritu concupiscendo? Quod nimirum & ipse sensisti. Cùm enim describens felicitatem futuræ vitæ, addidisses atque dixisses, *Nemo conuiciis felicem impudentiam, nemo maxillas palmis, nemo subiciet terga verberibus, nec conflare studebit de infirmitate virtutem, nec cum inopia frugalitatem, nec cum mæroribus magnanimitatem*: quare dicere noluisti, nec cum carnis concupiscentia castitatem? Sed festinasti sensum concludere, atque dixisti, *nec patientia cum dolore luctabitur*; nihil aliud commemorans nisi quod forinsecus irruens fortitudine toleratur, non quod intus se commouens castitate comprimitur. An fortè nos arguis tarditatis quod non intellexerimus, hoc te iam significasse superius, cùm de liuore corporis diceres & labore ac pẽdore membrorum? Quando enim non ab hoste, sed à seipso affligitur fortis, in ipso intus est, qui vincendus est hostis. Memento sanè non te exposuisse cur Apostolus dixerit, Adoptionem expectantes, qui iã in lauacro regenerationis fuerat adoptatus. Iterũ dicis, *quòd carnem suam nullus oderit*. Quis enim hoc negat? Sed tamen disciplinæ rigore asseris conterendam. Iterũ ergo pro veritate loqueris, & audire te nõ vis. Cur enim caro conteritur à fidelibus, si nihil remansit in baptismo quod aduersus spiritũ concupiscat? Cur, inquam, conteritur à seipso templum Dei, si nihil ibi est quod resistat spiritui Dei? Non autem tãtum inesset, verùm & grauiter obesset, nisi reatus qui nos obstrinxerat, per remissionem peccatorum solutus esset. Soluitur ergo per indulgentiam, quia tenebat in noxa; conteritur per continentiã, ne vincat in pugna. Agitur itaque ne obsit, donec ita sanetur vt non sit. Quapropter dimittũtur in baptismate cuncta peccata, & originaliter tracta, & ignoranter vel scienter adiecta. Sed cũ dicit Apostolus Iacobus, Vnusquisq; tentatur à cõcupiscentia sua abstractus & illectus, deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: profecto in his verbis partus à pariente discernitur. Pariens enim est

Eccl. 40.

Infans in vtero matris non est pars corporis matris.

Infidelitas in infantem traiecium.

Corpus baptismate quatenus sanctificatur.

Matth. 6.

Rom. 7.

Cicero li. 2. de natura Deorum.

CAP. XV. Rom. 8.

Etiam in futuro seculo peccata quædam remittuntur. Matth. 12. Lucæ 25.

In cælo cur nulla peccata remittantur.

Sup. lib. 3. cap. 21.

Disp'icet Deo etiam in baptizatis mala concupiscẽtia.

Concupiscentiæ quantum malum.

1. Cor. 5.

Rom. 7.

Fortis cùm à seipso affligitur, intus est qui vincendus est hostis. Rom. 8.

est concupiscentia, partus peccatum. Sed concupiscẽtia non parit, nisi conceperit; non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum obtinuerit volentis assensum. Quod ergo aduersus eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat pariatque peccatum. Dimissis itaque in baptismo peccatis omnibus, id est, omnibus concupiscentiæ fœtibus, si illic etiam ipsa consumpta est, quomodo contra eã ne concipiat, dimicãt sancti *liuore corporis, pædore membrorum, contritione carnis?* Quæ verba tua sunt. Quomodo, inquam, liuore, pædore, contritione templi Dei contra eam belligeratur à sanctis; si & ipsa est ablata baptismate? Manet igitur: nec ea regenerationis lauacro caruimus, si non ibi caruimus sensu, quo eam manere sentimus. Quis autem ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pertinax, peruicax, ita postremò insanus & demens, qui cùm peccata mala esse fateatur; neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiam si aduersus eam concupiscente spiritu, peccata concipere ac parere non sinatur? Tale porrò ac tam magnum malum, tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in vltimam mortem; nisi & eius vinculum, in illa quæ fit in baptismo remissione peccatorum omnium solueretur? Propter hoc enim vinculum quod connectitur ex primo Adam, nec solui potest nisi in secundo Adam: propter hoc, inquam, vinculum mortis, mortui reperiuntur infantes, non ista morte notissima quæ à corpore animam separat; sed ea morte, qua tenebãtur omnes, pro quibus mortuus est Christus. Scimus enim, ait Apostolus, quod à nobis sæpissimè repetendum est, quoniam vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit. Illi ergo viuunt, pro quibus vt viuant, mortuus est qui viuebat. Quod apertiùs ita dicitur: Illi sunt à mortis vinculo liberi, pro quibus mortuus est inter mortuos liber. Vel sic multo apertius: Illi sunt liberati à peccato, pro quibus mortuus est, qui nunquam fuerat in peccato. Et cùm semel sit mortuus, tamen pro vnoquoque tunc moritur, quando in eius morte quantælibet ætatis fuerit, baptizatur: id est, tũc ei proderit mors eius, qui fuit sine peccato, quando in eius morte baptizatus, mortuus fuerit etiam ipse peccato, qui mortuus fuerat in peccato.

INGERIS Apostoli testimonium, vbi ait: Nolite errare, neque fornicarij, neq; simulachris seruientes, & cætera; quibus commemoratis, concludit quòd regnum Dei non possidebunt. Sed agunt talia qui concupiscentiæ quam laudas, motibus ad mala & turpia quæque consentiunt. Quod ergo ait: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis: mutatos eos dixit in melius, non vt ea carerent, quod in hac vita fieri non potest; sed vt ei non obedirent, quod in bona vita fieri potest; atque vt ab eo quo erant vinculo eius obnoxij, liberatos se esse cognoscerent, quod nisi regeneratione fieri nõ potest. Tu autẽ, qui putas, *quod si malũ esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur*, multum erras. Omni enim peccato caret, non omni malo. Quod planius ita dicitur: Omni reatu omniũ malorum caret, non omnibus malis. Nunquid enim caret corruptione corporis? An non est malum quod aggrauat animam? &, errauit qui dixit, corpus enim corruptibile aggrauat animam? Nunquid caret ignorantiæ malo, per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala? An paruum malum est, per quod homo non percipit quæ sunt spiritus Dei? De baptizatis nempe dicebat Apostolus; Animalis homo non percipit quæ sunt spiritus Dei; stultitia est enim illi, & non potest scire, quoniam spiritaliter diiudicatur. Deinde paulo pòst, Et ego, inquit, fratres, non potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. Adhuc enim estis carnales. Cùm enim sint inter vos æmulatio & contentio, nónne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Vide quæ dicat mala de ignorantiæ malo venientia. Et puto quòd non de catechumenis ista dicebat. Paruuli quippe in Christo quomodo essent, nisi iam renati essent? Quod si nondum credis, quid eis post pauca dicat, attende: Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? An adhuc dubitabis vel negabis, non eos potuisse esse templum Dei, in quo habitaret spiritus Dei, nisi baptizatos? Saltem ergo illud respice quod eis dixit: Nunquid in nomine Pauli baptizati estis? Non igitur caruerant tanto ignorantiæ malo in lauacro regenerationis, vbi tamen omnibus caruerant sine dubitatione peccatis. Et per hoc ignorantiæ malum templo Dei in quo habitabat spiritus Dei, stultitia erant quæ sunt spiritus Dei: sed de die in diem si proficerent, & in quod peruenerant, in eo ambularent, sana profectò accedente doctrina minueretur hoç malum. Credamus etiam non tantùm minui, verùm etiam in hac vita posse consumi, tamen post baptismum. Nunquid in baptismo? Concupiscentiam verò quis ambigat in hac vita posse minui, non posse consumi? Horum itaque malorum præteritus omnis reatus sacro fonte diluitur. Remittuntur ergo in renascentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur veritate magis magisq́ue lucente. Concupiscentia minuitur charitate magis magisq́; feruente. Nihil boni horum duorum est à nobis. Nõ enim spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Ex hoc autem concupiscentia peior est quã ignorantia, quia ignorantia sine concupiscẽtia minus peccat; concupiscentia verò sine ignorantia gratius peccat. Et nescire malum, non semper est malum; concupiscere autem malum, semper est malum. Bonũ quoque ipsum vtiliter aliquando ignoratur, vt opportunè sciatur. Nullo autem modo fieri potest, vt carnali cõcupiscentia bonum hominis concupiscatur; quandoquidem nec ipsa proles libidine corporis, sed voluntate animi concupiscitur, quãuis non sine libidine corporis seminetur. De hac quippe agimus concupiscẽtia, qua caro concupiscit aduersus spiritum; non de illa bona, qua spiritus concupiscit aduersus carnem; & qua concupiscitur continentia, per quam concupiscentia vincatur. Hac ergo concupiscẽtia carnis nunquam concupiscitur hominis vllum bonum, si voluptas carnis non est hominis bonum. Si autem vt aliquo loco significasti, *placet tibi secta Dinomachi, honestatem voluptatemq́; coniungens*, quòd philosophi quoq; huius mundi, qui honestiores videbantur, Scyllæum bonum esse dixerunt, ex humana scilicet natura beluinaq́ue compactũ. Si hoc ergo monstrum tua opinione sectaris, satis est nobis, quòd cõfiteris aliam esse illicitam, aliam licitam voluptatem. Ac per hoc mala est concupiscentia quæ indifferenter vtrunque appetit, nisi ab illicita voluptate licita voluntate frenetur. Hoc autem malum non in baptismate * punitur; sed baptizatis per gratiam regenerationis ab eius obligatione iam liberis, ne ad illicita pertrahat, salubriter vincitur. Vt autem resurrectionis tempore, nõ sit omnino in viuente corpore nec dolẽte, præmium est eorum qui contra eam fideliter certauerũt, qui, languore sanato, immortalitate sana & beatissima vestiẽtur. In eis verò qui non ad vitam resurgẽt, non feliciter, sed pœnaliter erit: non quia tunc ab ea quisquã mundabitur, sed quia tunc malis non in delectamenta excitabitur, sed in tormenta vertetur.

Quia mala peccata sunt, mala est etiã eiusmodi concupiscentia & desiderium.

Ignorantiæ malum etiam in baptizato velitis.

Psalm. 87.

Tũc pro vnoquoque mortuo Christus quando mortis eius in baptismo fit participes.

CAP. XVI. 1. Cor. 6.

2. Cor. 1.

Sup. lib. 4. cap. 15.

Opinio Dinomachi de summo bono.

Concupiscentia minus in hac vita potest, consumi non potest.

Concupiscentia quanto peior fit ignorantia.

1. Ioan. 2.

Gal. 5.

Concupiscentia carnis quæ hic impiis est oblectamento, post in tormenta vertetur.

2. Cor. 2.

2. Cor. 3.

CAPVT XVII. Lib. 1. de nup. cap. 25.

IAM videamus illud excellentissimum acumen tuum, quo vidisti quemadmodum refelleres quod à me dictum est, *dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, nõ vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur; quamuis autem reatu suo iam soluto, manet tamen.* Aduersus hęc meaverba sic argumẽtaris homo acutissimus, *tanquam ipsam concupiscentiam dixerim per baptismum reatu liberari*, quoniam dixi, reatu suo iam soluto: velut suo dixerim, quo ipsa rea est, eoque soluto illa permaneat absoluta. Quod vtique si sensissem, profectò eam malam esse non dicerem, sed fuisse. Ac per hoc secundum mirabilem intelligentiam tuam, quando audis in aliquo homicidij reatum solutum non hominem, sed ipsum homicidium à reatu existimas absolutum. Sic intelligat quis, nisi qui non erubescit laudare, cum qua compellitur dimicare? Et quomodo te iactas exultásque in redarguenda ista sententia, non mea planè, sed tua. Talia quippe dicis, qualia dicenda sunt in eos, qui per baptismũ sanctificatam & fidelem factam concupiscentiam carnis affirmant, in eis, in quibus regeneratis manet tamen. Sed hoc tibi potius qui eam bonam prędicas, conuenit dicere, *vt bono eius naturali*, sicut de infantibus dicitis, bonum sanctificationis accedat, & sit carnis concupiscẽtia sancta Dei filia. Nos autem qui eam malam dicimus, & mãere tamen in baptizatis, quamuis reatus eius non quo ipsa erat rea (neque enim aliqua persona est) sed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remissus atque vacuatus; absit vt dicamus sanctificari, cum qua necesse habent regenerati si non in vacuum Dei gratiam suscęperunt, intestino quodam bello tanquam cum hoste confligere, & ab ea peste desiderare atque optare sanari. Nam si propterea dicis nulla mala remanere in baptizatis, ne ipsa mala baptizata & sanctificata credantur, vide quanta te sequatur absurditas. Si enim quicquid est in homine quando baptizatur, baptizari & sanctificari putandum est; dicturus es & ipsa in illo baptizari & sanctificari, quæ in intestinis & vesica sunt per digestiones corporis egerenda. Dicturus es baptizari & sanctificari hominem in matris vtero cõstitutum, si ad hoc sacramentum accipiendum grauidam necessitas cogat; & ideo baptizari iam non debere qui nascitur. Postremò dicturus es & ipsas baptizari & sanctificari febres, quando baptizantur ægroti, ac per hoc baptizari & sanctificari etiam opera diaboli. Velut si mulier illa baptizaretur antequam curaretur, quam Satanas in infirmitate alligauerat per decem & octo annos. Quid de malis ipsius animi loquar? Cogita quantum mali sit, stultitiam putare quæ sunt spiritus Dei: & tamen tales erant, quos Apostolus alebat lacte non cibo. Nunquid & stultitiæ illius tam magnum malum, quia non fuerat baptismate ablatum, baptizatum sanctificatúmque dicturus es? Sic ergo & concupiscentia, quæ manet oppugnanda atque sananda, quamuis in baptismo dimissa sint cuncta omnino peccata, non solùm non sanctificatur, sed potius ne sanctificatos æternæ morti obnoxios possit tenere, euacuatur: quia & illi qui lacte alebantur, non solido cibo, & adhuc animales, non percipientes quæ sunt spiritus Dei, quoniam stultitia illis adhuc erat; si in illa mentis ætate (in qua noui homines appellabantur) non carnis, de corpore exissent paruuli in Christo, nullo reatu stultitiæ illius tenerentur: quia hoc eis beneficium fuerat regeneratione collatum, vt omnium malorum, quibus & postea vel moriendo vel proficiendo fuerant exuendi reatus continuo solueretur remissione peccatorum omnium, nondum omnium sanitate morborum. Qui tamen reatus teneat necesse est eum, qui secundum carnem generatur; quia non nisi ei remittitur qui secundum spiritum regeneratur. A morte quippe iustissimæ damnationis per vnum mediatorem Dei & hominem liberatur genus humanum, non à morte corporis tantum, sed à morte qua mortui sunt, pro quibus vnus mortuus est. Et quia pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.

Intestinum cum hoste cõcupiscentia bellum.

Luce 13.

2. Cor. 3.

2. Cor. 5.

CAPVT XVIII. Lib. 1. de nup. cap. 25.

QVOD verò te libuit tam multum de qualitatum differentia disputare, quia ego semel nominaui qualitatem, dicens *non substantialiter manere concupiscentiam, sicut corpus aliquod aut spiritum; sed esse affectionem quandam malæ qualitatis, sicut est languor.* Itane nihil ad rem pertinere non sentis? Primò enim dicis *me mutasse sententiam, & immemorem totius libri mei professum fuisse substantiam esse libidinem.* Reuera euoluto & enucleato libro meo non reperturus es me libidinem substantiam dixisse vel semel. Dixerunt eam quidam philosophi partem animi esse vitiosam. Et vtique pars animi substantia est, quia substantia est ipse animus. Sed ego ipsum vitium, quo animus vel vlla pars eius isto modo vitiosa est, libidinem dico, vt omni vitio sanato salua sit tota substantia. Quia & illi philosophi locutione tropica mihi videntur vitiosam partem animi appellasse libidinem, in qua parte est vitium, quod vocatur libido, sicut appellatur domus pro eis qui sunt in domo. Deinde te nimis acutis dialecticorum telis incautius exercendo, nósque iactãtius territando, sectam vestram lethaliter vulnerasti. Diuidens quippe ac definiens vel etiam describẽs differentias qualitatum inter cætera: *Tertia species qualitatis est*, inquis, *affectio & affectionalis qualitas. Affectio autem in qualitate ob hoc ponitur*, ais, *quia principium qualitatum est; cui etiam reputantur ad momentum accedentes recedentesq; aut animi aut corporis passiones. Affectionalis verò qualitas*, inquis, *omnibus quibus euenerit, ex maioribus orta causis ita inhærescit, vt aut magnis molitionibus, aut nullis omnino separetur.* Hæc quidem satis explicasti scientibus; sed quia contemnendi non sunt, qui lecturi libros nostros disciplinæ huius ignari sunt; quod deesse video, faciam vt à me illustrentur exemplis. Quantum ad animum attinet: Affectio est timere, affectionalis qualitas timidum esse. Sic aliud est iratus, aliud iracundus; aliud ebrius, aliud ebriosus. Illæ affectiones, istæ affectionales sunt qualitates. Quantum autem ad corpus, sicut aliud est pallens, aliud pallidus; aliud rubens, aliud rubicundus, & si qua huiusmodi, quorum plurimis desunt vsitata vocabula. Cùm itaque dixeris *affectionalem qualitatem ortam ex maioribus causis, atque ita inhærescere, vt aut magnis molitionibus, aut nullis separetur*; quando secundũ eam dicitur animus malus, vel potius homo malus; nonne metuis ne voluntas bona, aut non ibi esse possit, aut valere nihil possit? Nónne concedis hominem miserum, quicunque ille sit vel fuerit, certè aduersus talem clamasse qualitatem, Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio? Hic saltem fatemini esse istorum verborum gemitum necessarium: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quapropter quantolibet te aduersus oculos imperitorum dialectico tegmine inuoluas, manifesta veritate nudaberis. Ego tanquam valetudinem malam ex origine vitiata ingenitum esse homini dico vitium, quo caro concupiscit aduersus spiritum; & hoc malo bene vti pudica coniugia, cum eo vtuntur generandi causa; sed isto mali vsu bono laudari vtentem, non ipsum malum. Neque enim malum ipsum est innocẽs, sed homo, qui facit vt malum suum quo bene vtitur, ei nocere non possit. Sicut mors cùm sit supplicium peccatoris, bono mali vsu accedente fit meritum martyris. Percipitur autẽ in baptismate Christiano perfecta nouitas, & perfecta sanitas ab eis mãlis nostris quibus eramus rei; non

Libidinẽ vitio sani esse animi partem, quo sensu philosophi dicere potuerint.

Aliud affectio, aliud affectionalis qualitas.

Vitium originale est tanquã valetudo mala.

Gal. 5.

Opris ergo difficultas nõ semper augmentũ ratiõem.

non ab eis cum quibus adhuc confligendum est ne simus rei, cùm & ipsa in nobis sint, nec aliena sed nostra sint. Nam & vinolentiæ consuetudini vtiq; malæ quam sibi homines fecerunt, non nascendo traxerũt, resistunt post baptismum, ne eos ad mala solita pertrahat; & tamen malo resistitur, dum concupiscentiæ per continentiam denegatur, quod per consuetudinem concupiscitur. Vnde etiam contra istam genitalium concupiscentiam, quę ingenita nobis est per originale peccatum, vehemẽtius vidua quàm virgo; vehementiùs meretrix quando casta esse voluerit, quàm quæ semper fuit casta confligit: & tanto amplius in ea superãda voluntas laborabit, quanto maiores ei consuetudo vires dedit. Ex isto & cum isto hominis malo nascitur homo, quod malũ per seipsum tam magnum est, & ad hominis damnationem atque à regno Dei separationem tantum habet obligationis, vt etiam si de parentibus regeneratis trahatur, non nisi quemadmodum in illis sola regeneratione soluatur, atq; isto vnico remedio prępositus mortis à prole pellatur, quo à parentibus est pulsus. Qualitas affectionalis mali de substantia ad substantiam non emigrando transit, sed quodã operante contagio, id est concupiscentiæ affectu, sicut de parẽtibus morbidis morbida soboles procreatur. Qualitas autem mali non in substantiam de substantia tanquam de loco in locũ migrat, vt deserat vbi erat, & quæ fuit ibi, ipsa sit alibi: sed alia eiusdem generis quodã operante cõtagio, quod etiam de morbidis parentum corporibus solet euenire nascentibus. Quid autem dicere voluisti, quasi *claudens* (vt loqueris) *Aristotelis palæstram, vt inde ad sacras literas reuertaris?* Ais enim, *Sensus est igitur concupiscentia, & mala qualitas non est: Ergo quando minuitur concupiscentia, sensus minuitur.* An non per concupiscentiam castitatis & continentiæ, quotidiè carnis concupiscentia magis magisque minuitur? Vellem itaque mihi diceres, vtrum à morbo fornicationis sanior nõ fiat quem fornicari minus minúsque delectat; quamuis opus illud malum vna conuersione sibi amputauerit, nec vnquam hoc fecerit ex quo lauacrum regenerationis accepit. Itémque post consuetudinem vinolentiæ baptizatus, & nũquam se deinceps prorsus inebrians, vellem diceres, vtrum ab isto morbo non fiat indies sanior quàm fuerat, cùm potationis gurgitem minus minúsque desiderat quàm solebat. Sensus est igitur non ipsa concupiscentia, sed ille potius quo nos eam maiorem minorémue habere sentimus: sicut in corporis passionibus non sensus est dolor, sed ille sensus est quo sentitur dolor. Nec sensus est morbus, sed ille sensus est quo nos morbum habere sentimus. Porrò si continuò fit bonus, & vtique bona qualitate fit bonus, qui fornicationi vinolentiæque renuncians ab huiusmodi operibus sese abstinet, nónne rectè audit: Ecce sanus factus es, iam noli peccare: rectéque appellatur castus & sobrius? Deinde si prouectu concupiscentiæ bonæ, qua concupiscentias malas fornicandi potandique debellat, talis efficitur qualis recenti conuersione nondum fuit, vt illorum in eo desideria peccatorum minus minúsque moueantur, vt aduersus ea mala non tanta quanta prius exerceat, sed minora certamina, non virtutum diminutione, sed hostium; nec deficiente pugna, sed crescente victoria, dubitabis eum pronunciare meliorem? Vnde obsecro, nisi quia bona qualitas aucta, & mala minuta est? Auctum est igitur quo bonus esse cœpit; minutum est quo malus fuit, & hoc egit post baptismum, non peregit in baptismo. Ita quamuis ibi peracta fuerit plena peccatorum remissio, remansit tamen qua proficeretur in melius, aduersus cateruas desideriorum malorum in nobis ipsis vtiq; tumultuantium vigilanter exerenda & instanter exercenda luctatio, propter quam dicitur etiam baptizatis, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: &, Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: &, Exuite vos veterem hominem. Nullo modo reprehenditur baptisma, quia asseritur curatio quæ fit post baptisma: quia potius totum hoc per baptisma actum est, id est, vt & à prętereitis languoribus sanaretur, & à futuris incipiat, studeat, mereaturque sanari. Ita baptismũ totius fit causa sanitatis, per quod & incipitur omnis sanitas & impletur. Nempe dicuntur hæc magna consensione veritatis, nulla reprehensione baptismatis. Si ergo nolis esse contentiosus, puto quòd iam videas quàm recte intelligatur, quod aliter conaris exponere, quod Propheta cùm dixisset, Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis: quod fit vtique remissione omnium peccatorum, cõtinuò subiecit, Qui sanat omnes languores tuos: ea mala volens intelligi, cum quibus donec sanentur, vel quantum possunt in hac vita magis magisque minuantur, non quiescunt intestina bella sanctorum. Neque enim nullus est languor quo caro cõcupiscit aduersus spiritum, etiam manente virtute castitatis inuicta. Si nullus languor est, non ergo aduersus eum spiritus concupiscat. Ad hoc enim concupiscit, vt si non potest non certandi, saltem non consentiendi obtineat sanitatem. Hoc quippe vnde nũc agimus, quod nobis resistere sentimus in nobis, aut aliena est natura separanda, aut nostra sananda. Si alienam dicimus separandam, Manichæis fauemus. Fateamur ergo nostram esse sanandam, vt Manichæos simul Pelagianósque vitemus.

Colos. 3. Rom. 8. Colos. 3.

Baptismus totius est causa sanitatis.

Psalm. 102.

Lib. 1. de nup. cap. 25.

Concupiscentia nõ est sensus.

Iacob. 5.

Rom. 7.

CAPVT XIX. Lib. 1. de nup. cap. 23.

HOC *ergo generi humano inflictum vulnus à diabolo, quicquid per illud nascitur, cogit esse sub diabolo, tanquam de suo frutice fructum iure decerpat.* Hæc verba de libro meo tibi refellenda posuisti. Quibus ita insidiaris, tãquam *naturæ humanæ authorẽ dixerim diabolũ, & ipsius qua homo constat substantiæ conditorem*: quasi vulnus in corpore possis appellare substantiam. Sed si propterea me putas dixisse diabolum substantiæ conditorem, quia in ea similitudine quæ à me adhibita est, fruticẽ dixi; frutex quippe nullo dubitante substantia est: cur vsqueadeò te vel ostendis vel fingis indoctum, vt eis rebus quæ substantię nõ sunt, adhibendas de substantia similitudines non existimes? Nisi fortè & ipsi Domino dialecticè calumniaberis, quia dixit, Arbor bona bonos fructus facit, & arbor mala malos fructus facit. Quis enim malitiam siue bonitatem, vel opera bona seu mala, quos velut fructus illarum arborum voluit intelligi, dicat esse substantias, nisi nesciens quid loquatur? Quis verò arbores & earum fructus neget esse substantias, si nouit quod loquitur? De his ergo rebus quæ substantiæ sunt, videmus adhibitas similitudines eis rebus quæ non sunt substantiæ. Quòd si arbor bona vel mala, non bonitas hominis vel malitia, sed ipsi homines accipiendi sunt, in quibus subiectis istas esse intelligimus qualitates, bonitatem scilicet in homine bono, malitiámque in homine malo, vt ipsę substantię sint arbores, id est, ipsi homines; certè fructus eorum (quæ nihil aliud quàm opera intelliguntur) nemo nisi imperitus dicit esse substantias: cũ omnium arborum fructus, vnde istæ similitudines datæ sunt, nemo nisi imperitus neget esse substantias. Ac per hoc ei rei quæ non est substantia, fas est adhibere similitudinem de substantia. Propter quod ego vitio, quod generi humano diabolus tanquam vulnus inflixit, quamuis nullo modo substantia sit, rectè tamẽ adhibui de substantia similitudinem; vt fruticem dicerem, & fructus eius vitia etiam illa cum quibus homines, vobis quidẽ negãtibus, sed veritate cõuincẽte, nascuntur, & ex quibus in æternũ Dei regno pereunt, si veritate liberante non renascuntur. Proinde vitiatorem, non conditorem substantiæ diabolum dixi.

Matth. 7.

Subdit

Subdit autem sibi quod non condidit, per id quod inflixit, Deo iusto tribuente hanc potestatem; cuius non subtrahit potestati, nec quod sibi est subditum, nec seipsum. Ideò est enim secunda natiuitas instituta, quia natiuitas est prima damnata. Cui tamẽ etiam damnatæ Dei bonitas exhibetur, vt de maledicto semine rationalis natura formetur, qua eius affluentissima bonitate apertissimè malorum hominum tanta multitudo nutritur, & occulto Dei opere vegetatur. Quæ bonitas operationis eius si subtrahatur formandis promouendisque seminibus, & viuificandis quibusque viuentibus, non solum gignenda nõ aguntur, sed ad nihilum penitus etiam genita redigũtur. Cùm ergo Deum nisi stulta impietas non reprehendat, quòd homines vitiosa voluntate damnabiles illo viuificante viuunt, qui viuificat omnia; cur putamus ab eius operib. abhorrere, quod origine vitiata damnabiles illo creante nascuntur, qui creator est omnium, & per mediatorem regenerati à damnatione liberantur debita, sed gratuita miseratione non debita, quos elegit ante constitutionem mundi per electionem gratiæ, non ex operibus vel præteritis, vel præsentibus, vel futuris? Alioquin gratia iam non est gratia. Quod maximè apparet in paruulis, quorum nec præterita dici possunt opera, quia non fuerunt; nec præsentia, quia nihil operantur, nec futura, quando in illa ætate moriuntur. Dixi sanè, *quomodo manent peccata reatu, quæ præterierunt actu: sic econtrariò fieri potest, vt concupiscentia maneat actu, & prætereat reatu.* Quod error quidem tuus falsum esse dicit, sed veritas verum esse conuincit. Nam tu id non valendo refellere, primò dialecticas tenebras imperitis conaris offundere, dicens *te cogitare non posse in qua dialexi inuenerim contrariorum omnium reciprocationem.* Quam sententiam tuam si exponere voluero, & ad eorum perducere intelligentiam, qui nunquam ista didicerunt, opus erit pleno fortasse volumine. Sed nunc satis est, quod ipse dixisti, *in nulla dialexi posse inueniri contrariorum omnium reciprocationem.* Hinc enim ostendisti aliquorum esse posse, non omnium. In his ergo aliquibus & hoc reperi. Si enim dixisses, contrariorum reciprocationem esse nullorum, & per hoc ostẽderes ea quæ posui contraria reciproca esse non posse, quia nulla esse possunt; ego aliqua esse posse ostendere debui, ac deinde in his esse quod posui. Sed esse aliqua iam ipse concedis, qui non dicis nullorum contrariorum esse reciprocationem, sed non omnium. Est igitur aliquorum. Sed vtrum in his etiam hoc sit quod à me positum est, restat ostendere: id est, vtrum, sicut verum est, reatu manere peccata, quæ præterierunt actu; ita sit verum, quòd concupiscentia maneat actu, & prætereat reatu. Quod tu fieri non posse volens ostendere, hoc dixisti quod ego nõ dixi. Ego enim de concupiscentia dixi, quæ est in membris repugnans legi mentis, quamuis reatus eius in omnium peccatorum remissione transierit: sicut econtrariò, sacrificium idolis factum, si deinceps non fiat; præteriit actu, sed manet reatu, nisi per indulgentiam remittatur. Quiddam enim tale est sacrificare idolis, vt opus ipsum cùm fit prætereat, eodemque præterito reatus eius maneat venia resoluendus. Tale est carnis concupiscentia, vt maneat in homine, secum per continentiam confligente, quamuis eius reatus qui fuerat generatione contractus, iam sit regeneratione transactus. Actu enim manet, non quidem abstrahendo & illiciendo mentem, eiusque cõsensu concipiendo & pariendo peccata, sed mala, quibus mens resistat, desideria commouẽdo. Ipse quippe motus actus est eius, quamuis mente non cõsentiente desit effectus. Inest enim homini malum & præter istũ actum, id est, præter hunc motum, vnde surgit hic

Instituta est secunda natiuitas, quia prima est damnata.

Si Dei bonitas rebus conditis subtrahat, ad nihilum relabuntur.

Lib. 1. de nup. cap. 26. & 27

Peccata trãsire actu, manere reatu: concupiscentiam transire reatu, manere actu.

Rom. 7.

Motus concupiscẽtiæ, actus est eius.

A motus; quem motum dicimus desiderium. Non enim semper est desiderium contra quod pugnemus, sed si tunc non est, quando non occurrit quod concupiscatur, siue animo cogitantis, siue sensibus corporis; fieri potest, vt insit qualitas mala, sed nulla sit tentatione commota: sicut inest timiditas homini timido, & quando non timet. Cùm verò occurrit quod cõcupiscatur, nec desideria mala nobis etiam nolentibus cõmouentur, sanitas plena est. Hoc ergo vitium non potest nisi reatu tenere hominem, quamuis eiusdem mali bono vsu, de castis coniugibus procreatum. Qui reatus quamuis eo manente malo, soluitur in remissione omnium peccatorum per Dei gratiam qua liberamur ab omni malo, cùm Dominus non solum propitius fit omnibus iniquitatibus nostris, verum etiam sanat omnes languores nostros. Nam recole quid responderit liberator ipse atque saluator his qui ei dixerant, vt exiret de Hierosolymis: Ecce, inquit, eijcio *Luca 13.* dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia B consummor. Lege Euangelium, & vide post quãtum tempus passus fuerit & resurrexerit. Ergo mentitus est? Absit. Sed significauit aliquid, quod ista inter nos quæstione versatur. Expulsio quippe est dæmoniorũ remissio peccatorum: perfectio sanitatum quę fit proficiendo post baptismum. Tertia consummatio est, quam suæ quoque carnis immortalitate monstrauit, incorruptibilium beatitudo gaudiorum. Et vtique expulsio dæmoniorum est remissio peccatorum; tanquam resoluta causa, per quã hominis animam possidebat. Perfectio sanitatũ, dum de die in diem proficit ecclesia, & corruptionis, cuius reatus ablatus est, passio quotidiana renouatione minuitur. Tertia cõsummatur, dum resurrectionem in seipso initiandam monstrauit ecclesiæ, qua ad incorruptionis consummationem, summamque peruenias sanitatem. Se verò consummari dixit: Et initium & finis ipse, ipse caput & plenitudo corporis, in membris suis ipse perficitur. C Tu autem in exemplum rei, de qua loquebaris, sacrilegum sacrificium posuisti, atque dixisti, *quicquid ad hoc genus pertinet de isto vno posse monstrari: quoniam si semel aliquis idolis sacrificauerit, potest donec consequatur veniam, premi impietate commissi, & manet reatus actione finita. Nullo autem pacto,* inquis, *fieri potest, vt maneat actio, & abscedat reatus: id est vt dæmonib.* inquis, *sacrificare non desinat, & tamen liber à profanitate videatur.* Hoc de sacrificio idolis oblato verissimè dicis: actus est enim qui opere ipso peragitur, & non erit: & si iterum fit, alterum fit. Impietas verò ipsa qua hæc fiunt, tamdiu manet, donec idolis renuncietur & credatur in Deum. Idolis itaque sacrificatum factum est transiens, non vitium manens. Impietas verò qua sacrificatum est, quia & illo peracto manet, videtur esse concupiscentię similis, qua cõmissum est adulterium. Sed errore sublato, quo illa impietas pietas etiã putabatur, nunquid idolis aliquem sacrificare delectat, & in illo huiusmodi desiderium commouetur? Nullo modo igitur simile est, quod pro simili ponendum putasti. D Nullo modo, inquam, simile est sacrificium transiens manenti concupiscentiæ, quæ hominem iam non cõmittentem quod solet ei consentiendo committere, iam plena fide & cognitione retinentem non esse talia facienda; stimulus tamẽ illicitorum desideriorum, quibus resistit castitas, inquietare non cessat: neque scientiâ finitur vt non sit, sed continentiâ refrenatur, vt quò tendit, peruenire non possit. Quapropter sicut idolis immolatio, quæ iam nec in actione est, quia præteriit; nec in voluntate, quia error quo fiebat, absumptus est, manet tamen reatus eius, donec in lauacro regenerationis peccatorum omnium remissione soluatur: sic ecõtrariò quãuis reatus malę cõcupiscentiæ eodem baptismate sit solutus; manet tamen ipsa, donec

Inesse potest qualitas mala, etiam si nulla sit tentatione commota.

Iniustum quid quibus sit.

donec ab eo qui post eiecta dæmonia perficit sanitates, medicina perficiente sanetur. Sed quæso te, cùm & ipse concedas peccati facti atque transacti reatum manere, nisi sacro fonte diluatur: dic mihi reatus iste quis sit, & vbi maneat iam homine correcto rectęque viuẽte, nondum tamen peccatorum remissione liberato? Subiectum est reatus iste, id est substantia, sicut spiritus, sicut corpus; an in subiecto sicut febris, aut vulnus in corpore; siue auaritia, vel error in animo? In subiecto esse dicturus es. Neque enim reatum affirmabis esse substantiam. In quo igitur tibi videtur esse subiecto? Cur quæram quid respondeas, & nõ potius verba tua ponam? *Actu,* inquis, *prætereunte, manet eius reatus in illius conscientia qui deliquit, donec dimittatur.* Ergo in subiecto est, hoc est in animo eius qui deliquisse se meminit, & scrupulo angitur conscientiæ, donec fiat delicti remissione securus. Quid si obliuiscatur se deliquisse, nec eius conscientia stimuletur, vbi erit reatus ille quem transeunte peccato manere concedis, donec remittatur? Non est certè in corpore, quia non est eorum accidentium quæ accidunt corpori. Non est in animo, quia eius memoriam deleuit obliuio; & tamen est. Vbi est igitur cùm iam bene viuat homo, nihil tale committens? Nec dici possit, eorum peccatorum eius reatum manere qui meminit; eius verò qui oblitus est, nõ manere. Manet quippe omnino donec remittatur. Vbi ergo manet, nisi in occultis legibus Dei, quæ conscriptæ sunt quodammodo in mentibus angelorum, vt nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis mediatoris expiauerit, cuius signo crucis consecratur vnda baptismatis, vt ea diluatur reatus tanquam in chirographo scriptus, in notitia spiritalium potestatum, per quaspœna exigitur peccatorũ? Huic chirographo nascuntur obnoxij omnes in carne, de carne carnaliter nati; eius ab hoc debito sanguine liberandi, qui in carne quidem & de carne, non tamen carnaliter, sed spiritaliter natus est. Natus est enim de spiritu sancto, ex virgine Maria. De spiritu scilicet sancto, ne esset in illo caro peccati; ex virgine autem Maria, vt esset in illo similitudo carnis peccati. Ideo illi chirographo non venit obnoxius, & ab illo soluit obnoxios. Neq; enim nulla est iniquitas, cùm in vno homine vel superiora inferioribus turpiter seruiunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiam si vincere non sinantur. Hanc iniquitatem si homo ab homine altero forinsecus aduersante pateretur, quia in illo non esset, sine illo vtique puniretur. Quia verò in illo est, aut cum illo punietur, aut illo ab eius reatu liberato, sic in certamine aduersus spiritum perseuerat, vt hominem iam non reum ad nulla post mortem tormenta transmittat, non alienet à regno Dei, nulla damnatione faciat detineri; neque vt ea penitus careamus, velut aliena natura seiungatur à nobis, sed quia nostræ naturæ languor est, sanetur in nobis.

Nulla iniquitas impunita, nisi quam sanguis mediatoris expiauerit. Signo crucis baptismatis vnda consecratur. Colos. 2.

Iniquitas est carnem spiritui reluctari.

CAPVT ex lib. 1. de nup. cap. 23.

D PROPTER *hoc ergo vitium, sicut in eo libro cui resistis à me positum est, humana natura damnatur: & propter quod damnatur, propter hoc & damnabili diabolo subiugatur, quia & ipse diabolus spiritus immundus est. Et vtique bonum quod spiritus, malum quòd immundus: quoniam spiritus est natura, immundus est vitio. Quorum duorum illud à Deo est, hoc ab ipso. Non itaque tenet homines siue maioris siue infantilis ætatis, propter quod homines, sed propter quod immundi sunt.* His verbis meis ex libro meo abs te positis, ita resistendum putasti, vt diceres *hanc formam etiam in homine malo debuisse seruari, quæ seruatur in diabolo; ne quisquam damnetur nisi ex vitijs propriæ voluntatis, atque ideo nullum sit originale peccatum: alioquin opus eius,* vt dicis, *qui etiam diabolum bonum condidit, non potest approbari.* Nec attendis quòd diabolum non ex alio diabolo

Non vt in nobis, ita in diabolo originale peccatũ est.

creauit Deus, nec ex aliquo angelo licet bono, cuius tamen lex esset in membris repugnans legi mentis, per quã & cum qua de homine nascitur omnis homo. Adiuuaret itaq; te fortasse hoc argumentum, si vt homo, ita diabolus gigneret filios, eosque paterno peccato negaremus obnoxios. Nunc verò aliud est ille, qui homicida erat ab initio, quia hominem ab initio quo est homo institutus, occidit per feminæ seductionem, & in veritate per liberum arbitrium nõ stetit, cadensque deiecit hominem: & aliud est quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Vbi euidenter expressum est, exceptis cuiusque hominis propriis, cõmune omnibus hominibus originale peccatum. Quòd autem dixi, *Qui miratur quia creatura Dei subditur diabolo, non miretur; subditur enim creatura Dei creaturæ Dei, minor maiori:* cur ita posuisti, vt sequentia mea verba non adderes, quibus ostendi, quemadmodum dixerim, minor maiori, humana scilicet angelicæ: nisi vt minus intelligeretur sensus meus, vt faceres tibi locũ, vbi, sicut soles, de Aristotelicis categoriis obtenderes nebulas imperitis, in quibus latenter putarent te aliquid dicere, quid diceres nescientes. Ad hoc enim redacta est hæresis vestra, vt gemant sectatores vestri nõ inueniri dialecticos iudices in ecclesia, de scholis Peripateticorum siue Stoicorum, à quibus possitis absolui. Quò enim pertinet, quid sibi vult, vt quid dictum est quod dixisti, *quia maior & minor ad finitam speciem pertinet quantitatis? Sed quantitas,* inquis, *non solum contrariorum capax non est, quod et cum qualitate atque aliis prædicamentis; verumetiã nec contrarium habet, quod ei cum substantiæ est definitione commune: bonum verò et malum contraria sunt.* Hæc profectò nunquam diceres, si lectores vel auditores librorum tuorum putares intellecturos esse quod dicis. Itáne verò ideo immũdus homo immundo angelo subdendus non fuit, quoniã quantitas qua homine maior est angelus, non solùm contrariorum capax non est, verumetiam nec contrarium habet: quasi tunc diabolo fuisset homo subdendus, si ei reperiretur esse contrarius: & mala subdenda non sint malis, quia bona malis, non mala malis videntur contraria? Quid vanius cogitari, quid ineptius dici potest? Nõnne domino subditur seruus, & bonus bono, & malus malo; & malus bono, & bonus malo? Nõnne vxor subditur viro, & bono bona, & malo mala, & bono mala, & malo bona? Quid igitur pertinet ad vim siue rationem, qua quidque cuiq; subdendum est, vtrum hæc res aut illa possit, vel non possit capere vel habere contrarium? Verùm tu planè inconsideratè ista non funderes, si stultitiæ quæ tibi ista suggerit, sapientiam contrariam cogitares. Iam porrò illa qualis est argumentatio tua: *Si res,* inquis, *quæ decenter ordinata est, ad Deum pertinet, & res quæ ad Deum pertinet, bona est, bonum est itaque subditum esse diabolo, quoniam institutus à Deo per hoc ordo seruatur. Sequitúrque,* inquis, *vt malum sit rebellare diabolo, quoniam per resultationem institutus à Deo ordo turbatur.* Posses dicere Deo resistere agricolas, eiusque ordinem perturbare, purgando agros à spinis & tribulis, quæ ille peccatoribus nasci iussit in pœnam. Quid quod ista tua ratione dici potest: si res quæ decenter ordinata est ad Deum pertinet, & res quæ ad Deum pertinet bona est, bonum est malis esse in gehenna, quoniam institutus à Deo per hoc ordo seruatur? Quod verò tu addis, *sequitúrque vt malum sit rebellare diabolo, quoniam per resultationem institutus à Deo ordo turbatur:* cur hoc dicis? Quis enim rebellat diabolo, nisi ab eius potestate per mediatoris sanguinem liberatus? Melius ergo fuerat hostem non habere, quàm vincere. Sed quia peccati merito

Ibidem.

Lucæ 13.

merito humana natura subdita est hosti, primus homo vt aduersus eũ pugnare possit, ab eius eruitur potestate. Deinde si vita est in hac carne prolixior, certãs adiuuatur, vt superet. Postremò victor beatificatur, vt regnet dicturus in fine: Vbi est mors contẽtio tua? Vel
Osee 13. 1. Cor. 15. sicut dicit Apostolus: Vbi est mors victoria tua, vbi est mors aculeus tuus?

CAPVT XXI. QVIN etiam visa sunt tibi de Manichæi libris nonnulla esse ponenda, quibus meam sententiam cõparares, cùm ego commixtionem duarum naturarum, boni scilicet & mali, vnde illorum tota fabulosa manat insania, non solùm fide verboque detester & damnem; verumetiam tibiipsi suffragatori corũ resistendo, teq; refellendo conuincã. Cũ enim contra eos veritas clamet, mala nisi de bonis orta non esse, nónne tu pro ipsis & cum ipsis contra veritatem reclamas, *Per opus Dei opus diaboli transire non sinitur? Non*
Sup. lib. 1. cap. 8. & 9. *potest mali radix in dono Dei locari. Rerum ratio nõ sinit, vt de bono malum, & de iusto iniquum aliquid proferatur.*
Li. 5. cap. 16. *Non nascuntur peccata de ea re, quæ libera est à peccato. De*
Li. 5. cap. 17 *hoc opere quod non habet culpam, nasci culpa non potest.* Quibus omnibus vocibus tuis conficitur, non esse mala exorta de bonis; vt restet secundum Manichęos non esse mala exorta nisi de malis. Quomodo ergo quemquam Manichæorum nomine, tãquam eorum aduersarius criminaris, cùm sic ab eorum parte consistas, vt vinci omnino non possint, nisi cum illis & ipse
Cap. 8. vincaris? Quod in primo huius operis libro aliquan-
Cap. 16. & 17. to copiosius; & in quinto breuius, & hic hactenus nos egisse suffecerit. Ipsa verò quæ communis est vobis hæresis vestra quantum Manichæos adiuuet, iam quidem sæpe monstraui, sed ne hic quidem est omittendum. Enumerãt Manichæi mala quæ in paruulis monstrãt, quæ Cicero quoque commemorat in libris
Sup. lib. 4. cap. 12. de Republica, vnde ipsa eius verba iam transtuli. In quorum malorum commemoratione dicit, *non vt à matre natura, sed vt à nouerca hominem in has ærumnas esse proiectum*. Huc accedunt etiam illa quæ non C quidem omnes paruulos, sed tamen plurimos cernimus perpeti multa & varia mala, vsque ad dæmonum incursus. Atque concludunt dicentes, cùm sit iustus & omnipotens Deus, vnde ista mala patitur imago eius in paruulis; nisi quia vera est, inquiunt, quam nos asserimus duarum naturarum, boni scilicet maliq̃ commixtio? Hos catholica redarguit veritas, confi-
Merito originalis peccati genus humanum ludibrio factum est dæmonum. tens originale peccatum, per quod factũm est dæmonum ludibrium genus humanum, & laboriosæ miseriæ destinata propago mortalium. Non autem ita esset, si humana natura per liberum arbitrium in quo statu primum condita est, perstitisset. Vos autem negantes originale peccatum, profectò aut cogemini dicere Deum, vel inualidum, vel iniustum; sub cuius potestate imago eius in paruulis sine vllo, vel proprij, vel originalis peccati merito tantis affligitur malis: non enim per hæc exercetur virtus, quod rectè de bonis hominibus maioribus dicitur, in quibus rationis est vsus. Aut quia Deum vel impotentem vel iniquum dicere non potestis; Manichæi contra vos errorem suum nefarium de duarum inter se inimicarum substantiarum permixtione firmabunt. *Non* igitur me *ab infectione Manichæorum, vlla*, sicut dicis, *mundat herba fullonis*. Quibus petulantibus verbis facis lauacro regenerationis iniuriam, quod in sinu catholicę matris accepi. Sed vobis tam malitiosum venenum antiqui draconis irrepsit, vt & catholicos horrore Manichæi nominis infametis, & Manichęos peruersitate vestri dogmatis adiuuetis.

CAPVT XXII. Lib. 1. de pec. merit. & remiss. cap. 28. ILLVD verò de alio libro meo, quod ad Marcellinum scribens dixi: *Filios mulieris quæ serpenti credidit, vt libidine corrumperetur, non liberari nisi per filium Virginis, quæ angelo credidit vt sine libidine fœtaretur*: ita posuisti, atque ita voluisti accipi, tanquam dixerim *quòd Euæ serpens commixtus fuerit concubitu corporali*, sicut Manichæi principem tenebrarum eiusdem mulieris patrem cum illa concubuisse delirant. Hoc ego de serpente non dixi. Sed nunquid tu contra Apostolum negas, mentem mulieris à serpente corruptam? An eum non audis? vbi dicit: Timeo ne sicut 2. Cor. 11. serpens Euam fefellit in versutia sua, ita corrumpantur mentes vestræ à simplicitate & castitate, quæ est in Christo. Ex ista vtique corruptione serpentis, qualis fit etiam quando corrumpunt mores bonos colloquia mala, peruenit libido peccandi in mentem mulieris & viri: vt præuaricationis corruptio deinde illa, de qua erubuerunt & pudenda texerunt, sequeretur in carne, non diaboli accedente concubitu corporali, sed spiritali Dei gratia recedente. Non igitur *tota disputatione tua contriuisti*, sicut te iactas, *assertionem meam, de malo carnalis concupiscentiæ originalis-*
B *que peccati*, manẽte laude nuptiarum, quæ bene vtuntur malo, non quod fecerunt, sed quod inuenerunt: verùm nec ipsos Manichæos contriuisti, quos potius adiuuisti, tum maximè & in commune omnes Pelagianæ nouitatis errorisq̃ participes, sicut iam demonstraui. De testimoniis etiam tractatorum catholicorum sancti Basilij Cæsariensis & sancti Ioannis Constantinopolitani, quorum dixisti sensum vestris conuenire sententiis, in primo huius mei operis libro, tibi sufficientissima & certissima veritate respondi; Cap. 5. & 6. ostendens quemadmodum non intelligẽdo quædam verba eorum, aduersus dogma eorum, quod est dogma catholicum, mirabili cæcitate pugnetis. In secũdo quoque libro satis egimus, vt appareat quàm non sit, quemadmodum conuiciaris, *conspiratio perditorum*, Sup. lib. 1. cap. 7. sed sanctorum & eruditorum Ecclesiæ catholicæ patrum pius fidelisq̃ consensus, qui hæreticæ vestræ nouitati resistũt, pro antiquissima catholica veritate. Vnde etiam *populi murmur, quod solum vobis à nobis* dicis *opponi*, nec solum est, quia tãtorum nititur authoritate doctorum; & iustum est, quia non vult vt euertatis sibi quoque notissimam salutem paruulorum, quæ in Christo est.

CAPVT XXIII. Rom. 7. Apostolum Rom. 7. ex sua instoximque persona fuisse locutum. Vide sup. lib. 2. cap. 3. & 4. & lib. de gratia Christi cap. 39. QVOD autem verba Apostolica, vbi dicit, Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum; & cætera vsque ad illud, vbi ait, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius: *me affirmas aliter intelligere quàm totum ipsum caput debet intelligi*, nesciens mihi plurimũ tribuis. Non enim ego solus aut primus sic istum locum intellexi, quo euertitur hæresis vestra, quemadmodum verè intelligendus est: imò verò ego prius eum aliter intellexeram, vel potius non intellexeram, quod mea quædam illius temporis etiam scripta testantur. Non mihi enim videbatur Apostolus & de seipso dicere potuisse, Ego autem carnalis sum, cùm esset spiritalis; & quòd captiuus duceretur sub lege peccati, quæ in membris erat eius. Ego enim putabam dici ista non
D posse, nisi de iis quos ita haberet carnis concupiscentia subiugatos, vt facerent quicquid illa compelleret; quod de Apostolo dementis est credere: cùm etiam innumerabilis multitudo sanctorum, ne concupiscentia carnis perficiat, contra carnem spiritu concupiscat. Sed postea melioribus & intelligentioribus cessi, vel potius ipsi quod fatendum est veritati, vt viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse sanctorum, contra carnales concupiscentias dimicantium. Qui cùm mente sint spiritales, adhuc tamen isto corruptibili corpore quod aggrauat animam, rectè intelligũtur esse carnales, quia erunt & corpore spiritales, quando seminatum fuerit corpus animale, & resurget corpus spiritale. Et rectè adhuc intelligũtur ea parte captiui sub lege peccati, quæ desideriorũ quibus

quibus non consentiunt, motibus subiacet. Hinc fa-
A ctum est vt sic ista intelligerem quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ sancti notiq̃ doctores, qui & ipsum Apostolum aduersus carnales concupiscentias quas habere
Sup. lib. 2. cap. 3. & 4. nolebat, & tamen habebat, strenuè conflixisse, eundemq̃ conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt. Contra quos motus prius vtique debellandos ne dominentur, & postea sanandos vt penitus extinguantur, etiam ipse gloriosa certamina sanctos exercere confessus es. Simul itaque cognoscamus verba pugnantium, si pugnamus. Hoc enim modo non viuimus nos, sed viuit Christus in nobis, si & ad pugnam contra concupiscentias exercendam, & ad victoriam vsque ad consumptionem eorundem hostium capessendam, in illo fidimus, non in nobis. Ipse quippe factus est nobis sapientia
1. Cor. 1. Hier. 9. à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur in Domino glorietur. Non est ergo *contrarium* sicut putas, *vt qui dicit: Viuo non ego iam, viuit verò in me Chri-*
Gal. 2. Rom. 7. *stus: dicat etiam, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum*. Inquantum quippe in illo viuit Christus, intantum, expugnat & superat, quod non habitat bonum in eius carne, sed malum. Neq; enim rectè cuiusquam spiritus concupisceret aduersus carnem suam, nisi habitaret in illo spiritus Christi. Absit ergo vt dicamus, quod nos dicere insinuulas *Apostolum sic ista dixisse, quasi qui se vellet intelligi renitentem, in scorta, aliqua manu pestiferæ voluptatis abduci*: cum dicat, Non ego operor illud, ostendens concupiscentias carnis solùm impulsum libidinis operari, sine consensione peccati. Quid est quod *in Iudæorum superbiam* frustra conaris *ista verba transferre, tanquam ipsos in se transfigurarit Apostolus, qui contemnebant dona Christi, velut sibi non necessaria?* Sic enim suspicaris. atque vtinam ipsa dona Christi saltem ita saperes, vt ad vincendam concupiscentiam valere aliquid C crederes. Sed ideo dicis à Iudæis fuisse contempta, *quòd veniam daret ille peccatis, quæ ipsi legis admonitione vitassent*. Quasi hoc conferat homini remissio peccatorum, vt caro non concupiscat aduersus spiritum,
Gal. 5. vnde illa verba nata sunt: Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum: & cætera eiusmodi. Verum tu à vestro dogmate non recedis, quo putatis gratiam Dei per Iesum Christum Dominum
Gratiam Dei per Iesum Christum Pelagiani in sola peccatorum remissione constituunt. nostrum, sic in sola peccatorum remissione versari, vt non adiuuet ad vitanda peccata, & desideria vincenda carnalia, diffundendo charitatem in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui ab illo datus est nobis. Neque consideras cum qui dicit: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: & ab hoc malo non se liberari clamat, nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum; nec Iudæum esse, nec quia peccauit, sed ne peccet potius laborare. *Exasperat*, inquis, *Apostolus vim consuetudinis*. D Tu ergo responde, vtrum contra ista vim non dimicet baptizatus? Quod si negas, omnibus Christianis sensibus contradicis. Si autem dimicat, cur non in verbis Apostoli vocem dimicantis agnoscis? *Per legem*, inquis, *bonam & per mandatum sanctum prauorum animi feroces erant, quoniam sine voluntate propria, nulla eruditio poterat inspirare virtutem*. O acutum intellectorem. O diuinorum eloquiorum egregium tractatorem. Quid agis de verbis dicentis: Non quod volo ago: &, Velle adiacet mihi: &, Quod nolo hoc ago: &, Condelector legi Dei secundum interiorem hominem? Audis hæc & dicis, quia voluntas defuit, ideo defuisse virtutem. Quid quod non solùm voluntas, verumetiam vitius affuit, ne consentiret concupiscentiæ carnis, quæ legi peccati prauis ipsis mo-
A tibus seruiebat? Quibus ille non cedens, nec arma iniquitatis exhibens membra peccato, & tamẽ quod nollet sentiens in carne contra spiritũ concupiscente, & aduersus eam vicissim spiritu concupiscens; verissima castitatis voce dicebat: Igitur ipse ego mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Illa sanè verba quæ posuisti, vbi ait Apostolus: Lex sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum: quod ergo bonum Rom. 7. est, mihi factum est mors? Absit: Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonũ mihi operatum est mortem, vt fiat supra modum peccatum peccãs per mandatum: bene intelligitur de vita sua dixisse præterita, quando sub lege fuerat, nondum sub gratia. Nam & verbis præteriti temporis vtitur, dicendo: Peccatum nõ cognoui, nisi per legem: &, Concupiscentiam nesciebam: &, Operatum est in me omnẽ concupiscentiam: &, Viuebam aliquando sine lege, vtique quando nondum poterat vsum habere rationis: &, Adueniente mandato peccatum reuixit, ego autem mor-
B tuus sum: & peccatum occasione accepta per mandatum fefellit me, & per illud occidit, & per bonũ mihi operatum est mortem. His omnibus tempus significare intelligitur, quo sub lege viuebat, & nondum adiutus gratia, concupiscentiis carnalibus vinciebatur. Vbi verò iam dicit: Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum: iam quod confligens patiebatur ostendit. Nõ enim dixit, carnalis fui vel eram sed sum. Et apertius tempora ipsa distinguit, vbi dixit: Nunc autem iam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum. Iam enim motus desideriorum malorum non ipse operabatur, quibus nõ consentiebat ad perpetranda peccata. Peccati autem nomine quod in illo habitabat, ipsam nuncupabat concupiscentiam, quia peccato facta est, & si consentientem traxerit atque illexerit, concipit paritq̃ peccatum, & cętera vsque ad eum locum, vbi ait: Igitur ego ipse mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati: verba sunt iam sub
C gratia constituti, sed adhuc contra concupiscentiam suam dimicantis, nec ei consentientis vt peccet; sed tamẽ quibus renititur, peccati desideria patientis. Nemo nostrum substantiam corporis, nemo naturã carnis accusat: frustra purgatur abs te, quod non culpatur à nobis. Concupiscentias malas, quibus si bene viuimus non consentimus, tamen esse nõ negamus in nobis: castigandæ sunt, frenandæ sunt, expugnandę sunt, vincendæ sunt, tamen sunt, nec alienæ sunt. Nec bona ista nostra, sed mala sunt. Nec sicut dicit Manichæa vanitas, separata extra nos erunt, sed sicut dicit catholica veritas, satana, non erunt.

CAPVT XXIIII. Reijcit saltem cõmentarium Iulani loci illius ad Rom. 5. Per vnum hominem peccatum dit. DE illis quoque Apostolicis verbis in quibus impudentia mirabili, imò dementia resistitis fundatissimæ fidei, vbi ait: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt: frustra sensum alium nouum atque distortum, & à vero abhorrentem moliris exculpere, affirmans *ea locutione dictum esse, In quo omnes peccauerunt: ac si diceretur, propter quod omnes peccauerunt; sicut dictum est: In quo corrigit iunior viam suam*; vt scilicet, non in vno Psalm. 118. homine omnes homines peccasse intelligantur originaliter, & tanquam in massę vnione communiter; sed propterea quia primus hominum ille peccauit, id est, cum imitantur illum, non cùm generantur ex illo. Non ergo huic sensui cõuenit illa locutio, ita dictum esse, In quo, velut dictum esset, propter quod. Nam propter hoc quisq; peccat, quod sibi proponit vt peccet, vel quoquo modo quod illi est causa peccandi. Quis verò ab omni humano sensum tã sit absurdus, vt dicat, propter hoc fecit homo iste homicidium, quia in paradiso Adam de ligno prohibito cibum sumpsit; cùm iste latrocinando occiderit hominem nihil de

Adam

Adam cogitans, ſed propter hoc vt aurum quod ferebat, auferret? Sic & cætera cuncta peccata, quæ propria quiſque committit, habent cauſas propter quas fiant, etiam ſi nemo cogitet quod ille primus homo commiſit, neque illud ſibi ad peccandum proponat exemplum. Propter hoc itaque, id eſt, quoniam peccauit Adam, nec ipſe Cain peccaſſe dicendus eſt, qui eundem patrem ſuũ nouerat. Propter quid enim fratrem ſuum occiderit notum eſt: quia non propter hoc quod perpetrauit Adam; ſed quia bono eius inuidit. Denique nec ipſa tibi ad hunc veſtrum ſenſum quæ
Pſalm. 118. poſuiſti teſtimonia ſuffragantur. Rectè enim dicitur: In quo corrigit iuuenior viam ſuam: propter quid corrigit? quoniam ſequitur, in cuſtodiendo verba tua. Propter hoc enim corrigit viam ſuam, quia verba Dei ſicut cogitanda ſunt cogitat, & cogitando cuſtodit, cuſtodiendo rectè viuit. Ipſa ergo illi cauſa eſt vt viam ſuam corrigat, quia Dei verba cuſtodit. Et quod ait
Act. 7. beatiſſimus Stephanus: Fugit Moyſes in verbo hoc, bene intelligitur, propter verbum hoc: quia hoc audiuit, hoc timuit, hoc cogitauit vt fugeret, hæc illi cauſa fugiendi. Nunquid in his locutionibus aliquid dictum eſt, quod pertineat ad imitationem, qua ſic alterum alter imitatur, vt eum omnino non cogitet: & ideo nullo modo dici poſſit propter hoc peccaſſe, quia ille peccauit in quo nec originaliter fuit, nec de illo quicquã in peccato proprio cogitauit? *Sed*, inquis, *ſi de peccati traduce loquebatur, nuſquam congruentius diceret, ideo pertranſiit peccatum, quia omnes ſunt de coniugum voluptate generati: & adderet, in eo tranſiit, in quo ex tabida primi hominis carne fluxerunt*. Nec vides eodem modo tibi poſſe dici: Si de imitatione peccati Apoſtolus loquebatur, nuſquam cõgruentius diceret, ideo pertranſiit peccatum, quia primi hominis præceſſit exemplum: & adderet, in eo tranſiit in quo omnes illius vnius imitatione peccauerunt. Aliquo enim duorum iſtorum modorum loqueretur Apoſtolus hoc loco, ſi ad tuum vel meum loqueretur arbitrium. Quia ergo nec illud dixit quod tu, nec illud quod ego, nunquid vis vt credamus in his eius verbis, nec originale ſecundum catholicos, nec imitatorium ſecundum Pelagianos intelligendum eſſe peccatum? Puto quod nolis. Remoue igitur iſta quæ poſſunt ex vtraq; parte momentis æqualibus dici, & ſi tibi placet ſine contentione quid Apoſtolus dixerit intueri; aduerte, vt hoc diceret quid agebat, & inuenies per vnum hominem iram Dei ſuper humanum genus, & per vnum hominem reconciliationem Deo, eorum qui ex condemnatione totius generis liberantur gratis. Ille eſt primus Adam factus ex terra, iſte eſt ſecundus Adam factus ex femina. Sed ibi per verbum caro facta eſt, hic autem ipſum verbum caro factum eſt; vt per eius mortem viuamus, quo relicto, mortui fueramus. Commendat, inquit, ſuam charitatem Deus in
Rom. 5. nobis, quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt; multò magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per
Epheſ. 2. ipſum. De hac ira dicitur: Eramus & nos natura filij iræ, ſicut & cæteri. De hac ira dicit Hieremias prophetæ; Maledictus dies in quo natus ſum. De hac ira
Hier. 20. Iob. 3. Iob. 14. ſecundum 70. dicit ſanctus Iob: Pereat dies ille in quo natus ſum. De hac ira item dicit idem ipſe: Homo enim natus ex muliere, breuis vitæ, & plenus iracundiæ, ſicut flos fœni decidit, fugit autem ſicut vmbra, & non ſtabit. Mónne & huius curam feciſti, & hunc feciſti intrare in conſpectu tuo in iudiciũ? Quis enim erit mundus à ſordibus? Ne vnus quidem, etiam ſi vnius diei fuerit
Eccleſ. 14. vita eius ſuper terram. De hac ira dicit liber Eccle-
Eccl. 25. ſiaſticus, Omnis caro ſicut veſtis veteraſcit, teſtamentum enim à ſeculo; morte morieris. Itemque ipſe: A muliere, inquit, initiũ eſt peccati, & propter illam
A morimur omnes. Et alio loco: Occupatio magna Eccl. 40.
creata eſt omni homini, & iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. De hac ira dicit Eccleſiaſtes: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Eccl. 1.
Quæ abundantia hominis in omni labore ſuo, quo ipſe laborat ſub ſole? De hac ira vox Apoſtolica eſt: Rom. 8.
Omnis creatura vanitati ſubiecta eſt. De hac ira plangit Pſalmiſta: Ecce veteres poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te, veruntamen Pſalm. 38.
vniuerſa vanitas omnis homo viuens. De hac ira plangit & aliàs: Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt: Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat & Pſalm. 89.
prætereat, veſpere decidat, dureſcat, & areſcat. Quoniam defecimus in ira tua, & in indignatione tua cõturbati ſumus. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui. Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.
B Nemo liberabitur ab hac ira Dei, niſi per mediatorem reconciliatur Deo. Vnde dicit etiam ipſe media- Ioan. 3.
tor: Qui non credit filio, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Non dixit, veniet: ſed, manet ſuper eum. Ideo ergo credunt atque confitentur & maiores per cor & os proprium, & paruuli per alienũ, vt reconcilientur Deo per mortem filij eius, ne ira Dei maneat ſuper eos, quos etiam origo vitiata efficit reos. De hac itaque loquens Apoſtolus, Cùm adhuc, Rom. 5.
inquit, peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt; multò magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius, non ſolum autem, ſed & gloriantes in Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & nunc reconciliationem accepimus. Propter hoc ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mun-
C dum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Nẽpe manifeſtum eſt vt hoc diceret, quid agebat Apoſtolus. Ite adhuc & huic reconciliationi quæ fit per mortem filij Dei, qui ſine peccato venit in mundum, ſubtrahite paruulos, vt propter eum per quem peccatum intrauit in mundum, ira Dei maneat ſuper eos. Quid hic facit imitatio, quęſo te, vbi audis: Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem? Vnde gratia ex multis delictis in iuſtificationẽ; niſi quia præter vnum illud originis, addita multa quæ ſimul deleret, inuenit? Alioquin ſic eſſet ex multis condemnatio, quæ homines vnum imitando commiſerant; ſicut ex eiſdem multis iuſtificatio, quibus remiſſis in gratiam reſpirabant. Sed quia vnum illud ſufficiebat, propter quod etiam ſolum fieret condemnatio; gratiæ verò non ſufficiebat illud vnum delere, ſed & multa quæ adiecta ſunt, vt omnium remiſſione fieret iuſtificatio; ideo vtique dictum eſt: Iudicium ex vno in condemnationem, gratia autẽ ex multis delictis in iuſtificationem. Nam ſicut non imitantur Chriſtum paruuli, quia nondum poſſunt, & tamen ad eius gratiam ſpiritalem pertinere poſſunt: ita ſine imitatione primi hominis, contagione tamẽ ex ipſo carnalis generationis obſtricti ſunt. Si autẽ propterea vis eos à primi hominis alienos eſſe peccato, quia eum non ſunt imitati propria volũtate: iſta ratione alienabis eos & à iuſtitia Chriſti, quia nec ipſum imitati ſunt propria voluntate. Cùm verò multos, quod dixit poſtea, non vis intelligi omnes, quod prius dixerat, *ideo exiſtimans dictum fuiſſe, multos, ne omnes intelligerentur*: poteris hoc dicere & de ſemine Abrahæ, cui promiſſę ſunt omnes gentes, non omnes gentes ei fuiſſe promiſſas, quia

Quos multos appellet Apoſtolus, cũ ait; peccatores conſtituti ſunt multi.

dictum

Gen. 17. dictum eſt alio loco, Patrem multarum gentium poſui te. Eſt autem ſanus intellectus, ideo ſic locutam Scripturam, quia poſſunt eſſe aliqua omnia, quæ non ſunt multa. Sicut omnia dicimus Euangelia, & tamen breui numero, id eſt quaternario continentur. Et rurſus poſſunt aliqua eſſe multa, non tamẽ omnia. Sicut multos dicimus credere in Chriſtum, nec tamen om-
2 Theſ. 3. nes credunt. Non enim omnium eſt fides, ait Apoſtolus. Quod autem dictum eſt: In ſemine tuo benedicẽtur omnes gentes: &, Patrem multarum gentium poſui te: eaſdem omnes, multas, & eaſdem multas, omnes eſſe mõſtratum eſt. Ita etiam cùm dictum eſt: Per
Rom. 5. vnum in omnes trãſiſſe peccatum; & poſtea per vnius inobedientiam peccatores conſtitutos multos: ipſi ſunt multi qui & omnes. Similiter cùm dictum eſt: Per vnius iuſtificationem in omnes homines, ad iuſtificationem vitæ. Et rurſus dictum eſt, Per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi, non aliquibus exceptis, ſed eoſdem multos, omnes oportet intelligi: nõ quia omnes homines iuſtificãtur in Chriſto, ſed quia omnes qui iuſtificantur, non aliter poſſunt iuſtificari
Similit. quàm in Chriſto. Sicut poſſumus dicere, in aliquã domum per vnam ianuam intrare omnes; non quia omnes homines intrant in eandem domum, ſed quia nemo intrat niſi per illam. Omnes ergo ad mortem per Adã, omnes ad vitam per Chriſtũ. Quia ſicut in Adã omnes moriũtur, ita & in Chriſto omnes viuificabũtur: id eſt, ex prima origine generis humani nemo ad mortem niſi per Adam, & nemo per Adã niſi ad mortem. Et nemo ad vitã niſi per Chriſtum, & nemo per Chriſtum niſi ad vitam. Vos autem dum non omnes, ſed multos, ſiue per Adam condemnatos eſſe, ſiue per Chriſtum liberatos vultis intelligi, horrenda peruerſitate Chriſtianæ religioni eſtis infeſti. Si enim ſalui erũt aliqui ſine Chriſto, & iuſtificãtur aliqui ſine Chriſto, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Erat enim & alio modus, ſicut vultis, in natura, in libero arbitrio, in le-
Occupatio. ge naturali, ſiue conſcripta, quo poſſent ſalui & iuſti eſſe qui vellent. Iuſtas autem imagines Dei, quis niſi
Gal. 3. iniuſtus prohiberet à regno Dei? Hic fortè dicis: Sed facilius per Chriſtum. Nunquid non poſſet etiam de lege dici: Per legem iuſtitia, ſed facilius per Chriſtum? Et tamen ait Apoſtolus: Si per legẽ iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Non eſt itaque prẽter vnũ me-
Act. 4. diatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, aliud nomẽ ſub cælo, in quo oporteat ſaluos fie-
1 Cor. 15. ri nos. Et ideo dictum eſt: In Chriſto omnes viuificabuntur, quoniam in illo Deus definiuit fidem omnibus, ſuſcitãs illum à mortuis. Veſtrum autem dogma id perſuadere conatur, velut inculpatæ prædicatione naturæ, & potentiæ liberi arbitrij, & legis ſiue naturalis ſiue per Moyſen datę, vt & ſi opus ſit, neceſſe tamẽ non ſit ad Chriſtum pro ęterna ſalute trãſire: eo quòd per ſacramentum mortis & reſurrectionis eius, ſi tamen vel hoc putatis, commodior via ſit, nõ quòd alia via eſſe non poſſit. Vnde quantum vos deteſtari debeant Chriſtiani conſiderantes, renuntiant vobis etiã tacentibus nobis.

CAPVT. XXV.

QVOD verò cauſæ tuę poſtremum & quaſi fortiſſimum firmamentum, Propheticum teſtimonium eſſe voluiſti, vbi per Ezechielem dictum legimus, *quod*
Ezech. 18. *non erit parabola, qua dicebant parentes vuas acerbas edeſſe, & dentes obſtupuiſſe filiorum: Nec morietur filius in peccato patris, nec pater in peccato filij, ſed anima quæ peccat ipſa morietur*: non intelligis hãc eſſe promiſſionem teſtamenti noui & ſpiritalis hæreditatis ad alterum ſeculum pertinentis. Id enim agit gratia redemptoris, vt paternum chirographum deleat, & vnuſquiſ-
Coloſſ. 2. que pro ſe rationem reddat. Cæterũ quàm multa ſunt diuinarum teſtimonia literarum quæ parentum peccatis obligant filios, numerare quis poſſit? Cur enim

A peccauit Cham, & in eius filiũ Chanaan vindicta pro- Geneſ. 9.
lata eſt? Cur pro peccato Salomonis filius eius dimi- 3 Reg. 12.
nutione regni punitus eſt? Cur peccatorũ Achab re- 3 Reg. 21.
gis Iſrael in eius poſteros pœna dilata eſt? Vt quid legitur in ſanctis libris: Reddens peccata patrum in ſinu Exod. 20.
filiorum eorum poſt eos, & reddẽs peccata patrum filiis vſque in tertiam & quartam progeniem? Qui numerus etiam pro vniuerſitate accipi poteſt. Nunquid hæc falſa ſunt? Quis hoc dixerit, niſi diuinorum eloquiorum apertiſſimus inimicus? Sed carnalis generatio etiam populi Dei pertinens ad teſtamẽtum vetus, quod in ſeruitutem genera t, parentum peccatis obligat filios; ſpiritalis autẽ regeneratio ſicut hęreditatẽ, ita pœnarum atque præmiorũ cõminationes promiſſionęsque mutauit. Quod Prophetæ in ſpiritu præuidentes iſta dixerũt, ſed apertius Hieremias: In diebus Hier. 31.
illis, inquit, non dicent: Patres manducauerunt vuam acerbam, & dẽtes filiorum obſtupuerũt, ſed vnuſquiſque in ſuo peccato morietur, vt eius qui manducauerit vuam acerbam, obſtupeſcant dentes ipſius. Nem-
B pe manifeſtum, ita hoc propheticè pronunciari, ſicut ipſum teſtamentum nouum quod prius occultum fuit, & per Chriſtum poſtea reuelatum eſt. Denique ne nos mouerent ea quæ commemoraui, & cætera huiuſmodi plurima de reddendis in filios peccatis parẽtum, quæ vtique veraciter ſcripta ſunt, ne huic prophetiæ contraria putarentur; continuò ſoluit iſtã moleſtiſſimam quæſtionem, coniungendo atque dicendo, Ecce dies veniũt, dicit Dominus, & conſummabo domui Iſrael & domui Iuda teſtamentũ nouũ, nõ ſecundũ teſtamentum quod diſpoſui patribus eorũ. In hoc igitur teſtamẽto nouo per ſanguinẽ teſtatoris deleto paterno chirographo, incipit homo paternis debitis non eſſe obnoxius renaſcendo, quibus naſcendo fuerat obligatus, ipſo mediatore dicente: Ne vobis pa- Matth. 23.
C trem dicatis in terra: ſecundũ hoc vtique, quòd alios natales quibus non patri ſuccederemus, ſed cum patre ſemper viueremus, inuenimus.

CAPVT XXVI. Epiſtolæ tertius operis.

AD omnia me tibi reſpondiſſe Iuliane, & omnia refelliſſe, quibus diſputaſti voluminibus quatuor credendum non eſſe originale peccatum, & concupiſcẽtiam carnis nõ poſſe culpari ſine damnatione nuptiarum; puto quod perſpicis, ſi peruicax non ſis. Demonſtratum enim eſt, eum tantum paterno antiquo debito non teneri, qui hæreditatem patrémque mutauit; vbi cohęredem inuenit vnicum per naturam, adoptatus ipſe per gratiam, eíque tãtùm concupiſcentiã carnalem mortem nõ inferre poſt mortem, qui in Chriſti morte inuenerit mortem, qua moriatur peccato, & euaſerit mortem, qua natus fuerat in peccato. Vnus enim pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: nec aliqui poterũt viuere pro quibus nõ eſt mortuus, quia pro mortuis † vnus eſt mortuus. Hæc negãs, al. viuus
D his repugnans, iſta conuellere moliens catholicæ fidei munimenta, ipſóſque neruos dirumpere Chriſtianæ religionis, vereque pietatis: audes inſuper dicere, *quòd contra impios bella ſuſceperis*, cùm aduerſum matrem quæ te ſpiritaliter peperit, armis impietatis induaris. Audes *te agmini ſanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, martyrum ſacerdotumq; miſcere*: cùm tibi dicant Patriarchę, etiam pro paruulis natis oblata ſacrificia pro peccatis, eo quòd non ſit mundus à ſordibus, nec infans dici vnius ſuper terrã. Cùm tibi di- Iob 14. ſecũdum 70.
cant Prophetæ: In iniquitatibus cõcepti ſumus. Cùm Pſal. 55.
tibi dicant Apoſtoli: Quicunque baptizati ſumus in Gal. 3.
Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus; vt ex iſtimemus nos mortuos quidem eſſe peccato, viuere autem Deo in Chriſto Ieſu. Cùm tibi dicant martyres, *ſecundum Adam carnaliter natos contagium mortis*
antiquæ prima natuitate contrahere, vnde paruulis dimittantur in baptiſmo, non propria ſed aliena peccata. Cùm Cypria lib. 3. cap. 8.

Ambrosius libro de sacra regene. Vide sup. lib. 2. cap 6.

tibi dicant sacerdotes, *carnali voluptate concretos prius subire delictorum cõtagium, quàm vitæ huius haurire munus*. His te consociare præsumis, quorum fidem debellare conaris. Audes dicere, quòd à Manichæorum consortio vincaris, qui Manichæos inuictos facis, nisi cum eis & ipse vincaris. Falleris fili, miserabiliter falleris, vel etiam detestabiliter falleris: quando animositatem qua teneris viceris, tunc veritatem poteris tenere, qua vinceris.

Libri sexti & vltimi contra Iulianum finis.

AD LECTOREM.

Vide secundã August. epist. ad Quodvultdeum, initio tom. 6.

IVLIANVS acceptis sex hisce Augustini libris, quibus quatuor eius refellunrur, non quiescendum ratus, opposuit alios octo.

A Quos Alipius Romam ob negotia profectus cùm illic inuenisset, mox eorum quinque Augustino transmisit, rogans ne respondere differret, missurum se & reliquos, cùm primùm transcripti forent. Recognoscebat retractabátque tunc temporis libros suos Augustinus, quod opus cùm intermittere nollet, cuperétque tamẽ quàm citissimè Iuliano responsum, partitus labores vni operi noctibus, alteri diebus incumbebat. Quo verò tempore à Quodvultdeo Carthaginiensi Diacono interpellabatur, vt de hæresibus scriberet, absolutis Retractationibus; quarto iam libro Iuliani respondere cœperat; promittens, si interea tres reliqui non superuenirent, inchoaturum se Tractatum de hæresibus. Quod ipsum opus cùm imperfectum reliquerit, facile intelligimus eum nec tribus illis posterioribus Iuliani libris respondisse: seu quia eos non recepisset, seu quia Vandalica esset obsidione, pauloque pòst & morte præoccupatus. Huius operis fragmenta quædam citat non semel Beda, in Collectaneis super epistolas Pauli, titulo Operis imperfecti contra Iulianum. Quod si extaret, hoc loco reponendum foret.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
CONTRA DVAS EPISTOLAS PELAGIANORVM, AD BONIFACIVM ROMANAE VRBIS EPISCOPVM, LIBRI IIII.

Ex libro 2. Retract. cap. 6.

SEQVVNTVR *libri quatuor quos contra duas epistolas Pelagianorum ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ Bonifacium scripsi, quia cùm in manus eius venissent, ipse mihi eas miserat, inueniens in illis calumniose interpositum nomen meum. Hoc opus sic incipit: Noueram te quidem fama.*

Ins. lib. 1. cap. 5.

CAP. I.

NOVERAM te quidem fama celeberrima prædicante, & frequentissimis atque veracissimis nunciis, quanta esses Dei gratia plenus, acceperam, beatissime atq. venerande papa Bonifaci. Sed posteaquam te etiam præsentia corporali frater meus vidit Alipius, acceptúsq. à te benignissimè ac sincerissimè, mutua miscuit dictãte dilectione colloquia, tecumq. conuiuens, & paruulo licet tempore, magno tamẽ tibi iunctus affectu, se simul & me refudit animo tuo, téq. mihi reportauit in suo, tãto maior in me tuæ sanctitatis est facta notitia, quanto certior amicitia. Neq. ènim dedignaris qui nõ alta sapis, quãuis altius præsideas, esse amicus humilium, & amorẽ rependere impensum. Quid est enim aliud amicitia, quæ non aliunde quàm ex amore nomen accepit, & nusquã nisi in Christo fidelis est, in quo solo esse etiã sempiterna ac felix potest? Vnde accepta per eum fratrem, per quem te familiarius didici, maiore fiducia, ausus sum aliquid ad tuam beatitudinẽ scribere de his rebus, quæ hoc tẽpore episcopalẽ curam, si qua in nobis est, ad vigilãtiam pro grege Dominico stimulo recẽtiore solicitãt. Noui quippe hæretici, inimici gratiæ Dei, quę datur pusillis & magnis per Iesum Christum Dominũ nostrũ, & si iam cãuendi euidẽtius apertiore improbatione monstrãtur; non tamen quiescunt scriptis suis minus cautorũ vel minus eruditorũ corda tẽtare. Quibus vtiq. esset respondendũ, ne se vel suos in illo nefando errore firmarent, etiam si non metuerenus, ne quenquã catholicorũ verisimili sermone deciperent. Cùm verò nõ definãt fremere ad Dominici gregis caulas, atq. ad diripiendas tanto pretio redempras oues, aditus vndecunq. rimari, communísque sit omnibus nobis qui fungimur episcopatus officio, quãuis ipse in eo præemineas celsiore fastigio speculæ pastoralis: facio quod possum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus adiuuantibus orationibus tuis donare dignatur, vt pestilentibus & insidiantibus eorum scriptis medentia & munientia scripta prætendam; quibus rabies qua furiunt, aut etiam ipsa sanetur, aut à lædendis aliis repellatur. Hæc autẽ quæ duabus Epistolis eorum respondeo: vni scilicet quam dicitur Romã misisse Iulianus, credo vt per illã quos posset, suos aut inueniret, aut faceret: alteri autẽ quãdecem & octo velut Episcopi participes eius erroris, non ad quoslibet, sed ad loci illius episcopum sua calliditate tentandum, & ad suas partes, si posset fieri, traducendum, ausi sunt Thessalonicam scribere. Hæc ergo quæ istis, vt dixi, duabus Epistolis illorũ, ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere sanctitatem, non tam discenda quàm examinanda, & vbi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui. Indicauit enim mihi frater meus, quòd eas illi dare ipse dignatus es, quæ in tuas manus, nisi vigilantissima diligentia fratrum nostrorum, filiorum tuorum venire non possent. Ago autem gratias sincerissimæ in nos beneuolentiæ tuæ, quòd eas me latere noluisti literas inimicorum gratiæ Dei, in quibus reperisti nomen meum calumniosè atque euidenter expressum. Sed spero de Domino Deo nostro, quòd nõ sine mercede quæ in cælis est, illi me lacerant dente maledico, quibus me pro paruulis, ne fallaci laudatori Pelagio perditi relinquantur, sed veraci saluatori Christo liberandi offerantur, oppono.

Amicitia nusquam nisi in Christo fidelis.

Hæreticorum sæpe in eur respondendũ.

Romani episcopatus præeminentia.

Libri huius argumentum. Iuliani epistola quam Romam misit.

Episcoporum Pelagianorum octodecim, ad episcopũ Thessalonicensem epistola.

Romani episcopi iudicio & examini librum suum submittit.

Fallax paruulorum laudator Pelagius.

IAM itaque Iuliani respondeamus Epistolę. *Dicũt*, inquit, *illi Manichæi, quibus modò non communicamus, id est, toti isti cũ quibus dissentimus, quia primi hominis peccato, id est, Adæ, liberũ arbitriũ periert, & nemo iam potestatem habeat bene viuendi, sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate cogantur.* Manichæos appellat catholicos, more illius Iouiniani, qui ante paucos annos hæreticus nouus, virginitatem sanctæ Marię destruebat, & virginitati sacræ nuptias fidelium coæquabat. Nec ob aliud hoc obiiciebat catholicis, nisi quia eos videri volebat accusatores vel damnatores esse nuptiarum. Liberum autem arbitrium defendẽdo præcipitant, vt de illo potius ad faciendam iustitiam quàm de Domini adiutorio cõfidatur, atq. vt in se quisque, nõ in Domino glorietur. Quis autẽ nostrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed

CAP. II.

Aggreditur prioris epistolæ quæ Iuliani est, refutationem. Cum primũ calumnia est, de sublato per peccatum Adæ libero in nobis arbitrio.

Pelagiani olim Iouiniani catholicos per calumniã appellãt Manichæos.

Primi hominis peccato nõ periit liberum arbitrium.

Quã libertas lapso homine perierit.

Iouin. 8.

Rom. 6.

Iouin. 1.

CAPVT III.

Gratiam Dei quomodo tollãt Pelagiani.

Probat fidem dõnũ esse Dei. Phil. 1.

Ephes. 6.

Iouin. 6.

Venire ad Christum, credere est.

Vnitas à patre quã dicatur. Iouin. 1.

sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam; propter quod natura humana diuina indiget gratia, dicente Domino, Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis: vtique liberi ad bene iustéque viuendum. Nam liberum arbitrium vsque adeo in peccatore non periit, vt per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet quod eis libet. Vnde & Apostolus, Cùm essetis, inquit, serui peccati, liberi fuistis iustitię. Ecce ostendũtur etiam peccato minimè potuisse, nisi alia libertate, seruire. Liberi ergo à iustitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non fiunt nisi gratia saluatoris. Propter quod admirabilis doctor, etiam verba ipsa discreuit: Cùm enim serui essetis, inquit, peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in his, in quibus nũc erubescitis? Nam finis illorum mors est: nunc autem liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructũ vestrum in sanctificatione, finẽ verò vitam æternam. Liberos dixit iustitiæ, non liberatos. A peccato autem non liberos, ne sibi hoc tribuerent, sed vigilantissimè maluit dicere liberatos, referens hoc ad illam Domini sententiam, Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Cùm itaque non viuant bene homines, nisi effecti filij Dei; quid est quòd iste libero arbitrio vult bene viuendi tribuere potestatem, cùm hæc potestas nõ detur nisi gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum, dicente Euangelio, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri.

SED ne fortè dicant ad hoc esse adiutos, vt haberẽt potestatẽ fieri filij Dei: vt autẽ hãc accipere mererẽtur, prius eum libero arbitrio, nulla adiũti gratia receperunt. Hæc est quippe intẽtio qua gratiam destruere moliuntur, vt eam dari secundum merita nostra contendant. Ne fortè ergo hanc Euangelicã sententiã sic diuidant, vt meritũ ponãt in eo quod dictũ est, Quotquot autem receperunt eum: ac deinde non gratis datam, sed huic merito redditam gratiam in eo quod sequitur, Dedit eis potestatem filios Dei fieri: nũquid si quæratur ab eis, quid sit, receperunt eum, dicturi sunt aliud, nisi crediderunt in eum? Vt igitur & hoc sciant ad gratiã pertinere, legant quod ait Apostolus: In nullo expauescatis ab aduersariis, quæ quidem est illis causa perditionis, vestræ autem salutis. Et hoc à Deo, qũia vobis donatum est pro Christo, non tantùm vt credatis in eum, sed vt etiam patiamini pro eo. Nempe vtrunque dixit esse donatum. Itẽ quod ait, Pax fratribus & charitas cum fide à Deo patre & Domino Iesu Christo. Legant etiam quod ipse Dominus ait, Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Vbi ne quisquam putet aliud dictum esse, venire ad me, quàm credere in me; paulo pòst cùm de suo corpore & sanguine loqueretur, & scandalizati essent plurimi in sermone eius, ait, Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Deinde subiunxit Euangelista: Sciebat enim Iesus ab initio qui essent credẽtes, & quis traditurus esset eum, & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datũ à patre meo: sententiam scilicet iterauit qua dixerat, Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Et hoc propter credentes, & nõ credentes se dixisse manifestauit, exponens quod dixerat, Nisi pater qui misit me, traxerit eum: idipsum aliis verbis repetendo in eo quod ait, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ille quippe trahitur ad Christum, cui datur vt credat in Christum. Datur ergo potestas vt filij Dei fiant, qui credũt in eũ, cùm hoc ipsum datur vt credãt in eũ. Quæ potestas nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio, quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberauerit: sed in malo liberũ habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifestus deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit. Nõ itaq. sicut dicũt nos quidã dicere, & iste audet insuper scribere, *omnes in peccatũ* veluti inuiti *carnis suæ necessitate cogũtur*; sed si iam in ea ætate sunt, vt propriementis vtantur arbitrio, & in peccato sua voluntate retinentur, & à peccato in peccatum sua voluntate præcipitantur. Neque enim agit in eis etiam qui suadet & decipit, nisi vt peccatum voluntate committãt, vel ignorãtia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel vtroque malo & cæcitatis & infirmitatis. Sed hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuuetur ab eo qui malum non potest velle, hoc est gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrũ. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Ac per hoc bona voluntas quæ se abstrahit à peccato, fidelis est, quia iustus ex fide viuit. Ad fidem autem pertinet credere in Christum. Et nemo potest credere in eũ, hoc est venire ad eũ, nisi fuerit illi datũ. Nemo igitur potest habere voluntatem iustam, nisi nullis præcedentibus meritis acceperit veram, hoc est gratuitam desuper gratiam.

Rom. 14.

Abac. 2.

CAPVT IIII.

HOC isti nolunt elati & superbi, nec purgando defensores, sed extollendo præcipitatores liberi arbitrij. Qui non ob aliud nobis hæc dicentibus indignantur, nisi quia gloriari in Domino dedignantur. Timuit tamẽ Pelagius Episcopale iudicium Palęstinum: & cùm ei fuisset obiectum, quòd diceret gratiã Dei secũdum merita nostra dari: negauit se dicere, & eos qui hoc dicerent, anathematizando damnauit. Nec aliud tamen defendere inuenitur in libris quos postmodum scripsit; fraudem se putans hominibus iudicãtibus fecisse mentiendo, aut nescio quomodo suum sensum verbis ambiguis obtegendo.

Concludit hoc adimere se impiis liberũ arbitriũ.

CAP. V.

Altera Iuliani calumnia, de nuptiarum damnatione. Loquitur de lib. 1. August. de nuptiis & concup.

SED iam videamus quod sequitur. *Dicunt etiam*, inquit, *istas quæ modo agũtur nuptias, à Deo institutas nõ fuisse: quod in libro Augustini legitur, contra quem ego modo quatuor libellis respondi. Cuius Augustini dicta inimici nostri in veritatis odium susceperunt.* His eius calumniosissimis verbis breuiter video respondendũ: quia reperit ea postea, vbi vult ipse insinuare, quasi cõtra nostra ista quid dicant: Vbi cum illo quantum res postulare videbitur, Domino adiuuante certandũ est. Nunc ergo respõdeo, à Deo nuptias esse institutas, & tunc quando dictũ est: Propterea relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhęrebit vxori suę, & erunt duo in carne vna: & nunc propter quod scriptũ est, à Domino iungitur viro mulier. Neq. enim aliud fit etiã nunc quàm illud, vt adhæreat homo vxori suæ, & sint duo in carne vna. De ipsis quippè nuptiis, quæ nunc quoque fiunt, consultus est Dominus à Iudæis, vtrum liceret quacunque causa dimittere vxorem. Et isto commemorato testimonio legis adiunxit, Quod ergo Deus coniunxit, homo nõ separet. Hoc testimoniũ legis adhibuit etiam apostolus Paulus, cùm viros moneret, vt ab eis diligerentur vxores. Absit ergo vt in libro meo cõtra hæc testimonia diuina iste aliquid legerit. Sed vel non intelligẽdo, vel magis calumniando, in alium sensum conatur detorquere quod legit. Librum autem meum, contra quem se quatuor libellis respondisse commemorat, post damnationem Pelagij Celestiũque conscripsi. Quod ideo dicẽdum putaui, quoniam iste dicit ab inimicis suis in odium veritatis dicta mea fuisse suscepta: ne ideo quisquã existimet propter hunc librum meum, inimicos gratiæ Christi nouos hæreticos fuisse damnatos. In eo autem libro defensio est potius, quàm reprehensio nuptiarum. *Dicunt etiam*, inquit, *motum genitalium & commixtionem coniugum, à diabolo fuisse repertam: & propterea eos qui nascuntur innocentes, reos esse: & à diabolo fieri,*

Gen. 2.

Prou. 19.

Matth. 19.

Eph. 4.

Liber 1. de nupt. & concup. quando scriptus.

Tertia calumnia, de damnatione coniugalis concupiscentiæ.

lo fieri, non à Deo, quia de hac diabolica commixtione nascuntur. Hoc autem sine aliqua ambiguitate Manichæum est. Imò sicut dicimus, à Deo nuptias institutas propter ordinatam generationē filiorum: ita dicimus filiorum gignendorum seminationem sine motu genitalium, & sine commixtione coniugum, nec in paradiso si filij gignerentur, esse potuisse. Sed vtrum talis eorum motus atque commixtio fuisset, si nemo peccasset, qualis nunc est cum pudenda libidine, hinc est quæstio: de qua diligentiùs postea, si Deus voluerit, disputabimus.

Filiorum in paradiso procreatio sine sexuum commixtione facta nō fuisset.

CAPVT VI. *Aperit Pelagianorum cōsilium in laudanda paruulorum innocentia.*

QVID tamen isti velint, quid intendant, quò rem perducere moliantur, adiuncta istius verba declarant, vbi ait nos dicere, *propterea eos qui innocentes nascuntur reos esse, & à diabolo fieri, non à Deo, quia de hac diabolica commixtione nascuntur.* Cùm itaque nos nec diabolicā dicamus coniugum commixtionem maximè fideliū, quæ sit causa generandorum, qui postea regenerandi sunt, filiorum: nec homines vllos à diabolo fieri, sed à Deo inquantum homines sunt: & tamen etiā de coniugibus fidelibus reos nasci, tanquam ex oliua oleastrum propter originale peccatum; & propter hoc esse sub diabolo, nisi renascantur in Christo; quoniam diabolus culpæ author est, non naturę: contrà illi paruulos dicentes nullum trahere originale peccatum, & ideo non esse sub diabolo; quid efficere laborant, nisi vt illa Dei gratia euacuetur in paruulis, qua eruit nos sicut dicit Apostolus, de potestate tenebrarum, & transtulit in regnū filij charitatis suæ? Quādoquidem paruulos negant esse in potestate tenebrarum; etiā ante Domini liberatoris auxilium, ita in eis laudantes opus creatoris, vt misericordiam destruāt redemptoris. Quam nos quoniam & in maioribus & in paruulis confitemur, *hoc* dicit *sine aliqua ambiguitate esse Manichæum,* cùm sit antiquissimum catholicum, vnde nouum istorum dogma euertitur hæreticum.

Colos. 1.

CAPVT VII. *Quarta calumnia, de sanctorum veteris Testamenti reprehensione.*

DICVNT, inquit, *sanctos in veteri Testamento non caruisse peccatis: id est, nec per emendationem à criminibus fuisse liberos, sed in reatu à morte fuisse deprehensos.* Imò dicimus vel ante legem vel tēpore veteris Testamenti à peccatis fuisse liberatos, non virtute propria: quia maledictus homo omnis qui spem suam ponit in homine, & in hoc fine dubio maledicti sunt, quos etiā Psalmus diuinus notat: Qui confidunt in virtute sua: nec veteri Testamēto, quod in seruitutē generat, quāuis certę dispensationis gratia diuinitus datū sit: nec in ipsa lege sancta & iusta & bona, vbi scriptum est, Non cōcupisces; quoniā non est data quæ posset viuificare, sed præuaricationis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est: sed liberatos esse per sanguinem ipsius redemptoris, qui est vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Isti autem inimici gratiæ Dei, quæ data est pusillis & magnis per Iesum Christum Dominum nostrum, ideo dicunt antiquos homines Dei perfectæ fuisse iustitię, ne Christi incarnatione, passione, resurrectione, cuius fide salui facti sunt, credantur eguisse.

Hier. 17.

Psal. 48.

Exod. 20.

Sancti veteris Testamēti per Christi sanguinem liberati. 1 Tim. 2.

CAPVT VIII. *Quinta calumnia, de Pauli accusatione.*

APOSTOLVM *etiam Paulum,* inquit, *vel omnes Apostolos dicunt semper immoderata libidine fuisse pollutos.* Quis hoc vel profanus audeat dicere? Sed nimirum isti propterea sic calumniantur, quia contendunt de hoc quod dixit Apostolus, Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Velle enim adiacet mihi, perficere autē bonum non inuenio: & cętera talia, non eum dixisse de seipso, sed nescio cuius alterius, qui illa pateretur induxisse personam: propter quod locus ipse eius in Epistola diligenter considerandus est & scrutandus, ne in eius aliqua obscuritate delitescat error istorum. Quamuis ergo latius hinc Apostolus disputet, & magno diuturnóque conflictu gratiam defendens aduersus eos, qui gloriabantur in lege, tamen ad rem pertinentia pauca contingimus. Vnde ait, Quia non iustificabitur ex lege omnis caro coram illo: Per legem enim cognitio peccati. Nūc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata per legem & prophetas: Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes qui credunt. Non est enim distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Et iterum, Vbi est gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Et iterum, Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini eius facta est, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei. Si enim qui per legem hæredes sunt, exinanita est fides, & euacuata promissio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Et alio loco, Lex enim subintrauit vt abundaret delictum: vbi autem abundauit delictum, superbundauit gratia. Item alio loco; Peccatum enim vobis non dominabitur: nō enim estis sub lege, sed sub gratia. Itémque alio loco, An ignoratis fratres, scientibus enim legem loquor, quia lex dominatur homini in quantum tempus viuit? Mulier enim sub viro, viuo marito iuncta est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, euacuata est à lege viri. Et paulo pòst: Itaq. fratres mei, & vos mortui estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexerit, vt fructificemus Deo. Cùm enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem sunt, operabantur in membris nostris, vt fructum ferrent morti; nunc verò euacuati sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ. His atque huiusmodi contestationibus doctor ille gentium satis euidenter ostendit, legem non potuisse auferre, sed potius auxisse peccatum, quod aufert gratia, quoniam lex iubere nouit, cui succumbit infirmitas: gratia iuuare, qua infunditur charitas. Ne quis enim propter hæc testimonia vituperet legem, & malam esse contendat, vidit Apostolus malè intelligentibus quid posset occurrere, & eandem sibi ipse proposuit quæstionem: Quid ergo dicemus? inquit, Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem. Hoc iam superiùs dixerat, Per legem enim cognitio peccati. Non ergo abolitio, sed cognitio. Hinc autem iam incipit, propter quod ista consideranda suscepimus, introducere personam suam, & tanquam de seipso loqui, vbi nolunt Pelagiani ipsum Apostolum intelligi, sed quòd in se alium transfigurauit hominem sub lege adhuc positum nondum per gratiam liberatum. Vbi quidem iam debent concedere, quòd in lege nemo iustificatur, sicut alibi idem Apostolus dicit, sed ad cognitionē peccati, & ad ipsius legis præuaricationem valere legem, vt cognito auctóque peccato, per fidem gratia requiratur. Non autem timent ista de Apostolo intelligi, quæ posset & de præteritis suis dicere, sed ea quæ sequuntur timent. Hic enim concupiscentiam, inquit, nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum est. Ego autem viuebam aliquando sine lege: adueniente autem mandato peccatum reuixit, ego autem mortuus sum. Et inuentum est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mortem. Peccatum enim accepta occasione per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatū vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per manda-

Rom. 3.

Rom. 4.

Rom. 5.

Rom. 6.

Rom. 7.

Ephes. 2.

Rom. 7.

Per legem fit iustitię, nō abolitio peccati.

Dicit Apostolum ex sua & aliorum, qui sub gratia nūc, sub lege adhuc sunt, persona locutum.

Legis vsus.

Rom. 7.

Exod. 20.

Rom. 7.

mandatū. Hæc omnia, sicut dixi, potest videri Apostolus de sua vita commemorasse prēterita, vt illud quod ait, Ego autem viuebam aliquādo sine lege, ætatē suā primam ab infantia ante rationales annos voluerit intelligi: quod autem adiunxit, Adueniente autē mādato peccatum reuixit, ego autem mortuus sum: iam se præcepti capacem, sed non efficacem, & ideo prēuaricatorem legis ostenderet.

CAP. IX. *Phil. 3.*

NEC moueat quod ad Philippenses scripsit, Secūdum iustitiam quæ in lege est, quòd fuerit sine querela. Potuit enim esse intus in affectionibus prauis præuaricator legis, & tamen conspicua opera legis implere, vel timore hominum, vel ipsius Dei, sed pœnæ formidine, non dilectione & delectatione iustitiæ. Aliud est enim voluntate benefaciēdi benefacere, aliud autem ad malefaciendum sic voluntate inclinari, vt etiā faceret si hoc posset impunè permitti. Nā sic profectò in ipsa intus volūtate peccat, qui nō voluntate, sed timore nō peccat. In quib° interioribus suis talē se fuisse sciens Apostolus ante gratiā Dei, quę per Iesum Christum Dominū nostrū est, alibi hoc apertissimè cōfitetur. Scribēs quippè ad Ephesios, Et vos, inquit, cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculum mundi huius, secundum principem potestatis aēris spiritus eius qui nunc operatur in filiis diffidētiæ, in quibus & nos omnes aliquādo cōuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & affectionū, & eramus naturaliter filij iræ, sicut & cæteri: Deus autē qui diues est in misericordia, propter multā dilectionem qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia sumus salui facti. Rursus ad Titum, Fuimus enim & nos, inquit, stulti aliquando & increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, abominabiles, inuicē odio habētes. Talis Saulus fuit, quando secundum iustitiam quæ in lege est, sine querela fuisse se dicit. Nam quia non posit hanc abominabilē vitam vt esset sine querela, in lege profecerat, morēsque mutauerat, euidenter id his quæ sequūtur ostendit, quandoquidem mutatum se non dicit ab his malis, nisi per gratiam Saluatoris. Adiūgens enim hoc ipsum etiā hic sicut ad Titū ait, Cùm autē benignitas & humanitas illuxit Saluatoris nostri Dei, nō ex operibus iustitiæ, quæ nos fecimus, sed secundum suā misericordiā saluos nos fecit per lauacrū regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem ditissimè effudit super nos, per Iesum Christum Saluatorem nostrū, vt iustificati gratia ipsius, hæredes efficiamur secundum spem vitæ ęternę. Quod autem ait in hoc Epistolę loco ad Romanos, Peccatū vt appareat peccatū, per bonū mihi operatū est mortē, congruit superioribus vbi dixit, Sed peccatum nō cognoui, nisi per legem. Nam cōcupiscentiā nesciebā, nisi lex diceret, Non cōcupisces. Et superius, Per legē cognitio peccati: hoc enim & hic dixit, vt appareat peccatum: vt illud quod dixerat, Sine lege enim peccatum mortuū est: non intelligamus nisi tanquam non sit, latet, nō apparet, penitus ignoratur, tanquam in nescio quibus ignorantię tenebris sit sepultū. Et quod ait, Ego autem viuebā aliquādo sine lege: quid ait, nisi viuere mihi videbar? Et quod adiunxit, Adueniente autem mādato peccatum reuixit: quid est aliud, quàm eminuit & apparuit? Nec tamen ait, vixit: sed, reuixit. Vixerat enim aliquando in paradiso, quando cōtra datū præceptū satis apparebat admissum. Cùm autē à nascentibus trahitur, tāquam mortuū sit latet, donec repugnans iustitiæ, malū eius prohibitione sentiatur, cùm aliud iubetur atq. approbatur, aliud delectat atq; dominatur: tunc peccatum quodāmodo in notitia nati hominis reuiuiscit, quod in notitia primi facti hominis aliquando iam vixerit.

Vbi supra.

Vitę.

Vitę.

*Vitę

legi Dei secundum interiorem hominem. Video autē A aliam legem in membris meis, repugnantem legi mētis meæ, & captiuātem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Sed quòd dixit, captiuantem me, potest mouere, si nulla consensio est. Vnde propter tria ista, duo scilicet de quibus iam disputauimus, quo ait, Ego autem carnalis sum, & venūdatus sub peccato, & hoc tertium, captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis, potest videri Apostolus eum describere qui sub lege adhuc viuit, nondum sub gratia. Sed sicut illa duo exposuimus, propter carnem adhuc corruptibilem dicta; sic & hoc potest intelligi vt captiuātem me, dixerit carne, non mente: motione, non consensione: & ideo captiuantem me, quia & in ipsa carne nō est aliena natura, sed nostra. Sicut ergo exposuit ipse quid dixerit: Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum; sic iam ex illius expositione hunc locum debemus accipere, tanquam dixerit, captiuantem me, hoc est carnē meam in lege peccati quæ est in membris meis. Deinde subiungit propter quod dicta sunt omnia, Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrū. Atq. inde concludit, Igitur ipse ego mente seruio legi Dei, carne autē legi peccati. Carne scilicet legi peccati, concupiscendo; mente autem legi Dei, eidem concupiscentiæ non consentiendo. Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Iesu. Nō enim damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis consentit ad malum. Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesū liberauit te à lege peccati & mortis; ne scilicet consensionem tuam concupiscētia sibi vindicet carnis. Et ea quæ sequuntur eundem sensum magis magísque demonstrant. Sed adhibēdus est modus. Visum autem aliquādo etiam mihi fuerat, hominē sub lege, isto Apostoli sermone describi. Sed vim mihi fecerunt postea ista verba quòd ait, Nūc autem iam non ego operor illud. Ad hoc enim pertinet illud quod ait & postea, Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Iesu. Et quia non video quomodo diceret homo sub lege, Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: cùm ipsa delectatio boni, qua etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ, sed amore iustitiæ (hoc est enim cōdelectari) non nisi gratiæ deputanda sit.

Ob tria videri queat Apostolus loquutus ex persona sub lege adhuc existentis.

Rom. 7.

Rom. 8.

Lib. 1. quæst. ad Simplicia. in expos. quarundam propositionum epistolæ ad Rom. propos. 41. & 42. Et in 5. cap. epist. ad Galatas.

CAPVT XI.

NAM & illud vbi ait: Quis me liberabit de corpore mortis huius: quis neget Apostolū cùm hæc diceret, adhuc fuisse in corpore mortis huius? A quo vtiq. impij non liberantur, quibus eadem corpora ad tormenta æterna redduntur. Liberari ergo est à corpore mortis huius, omni sanato languore cōcupiscentiæ carnis, non ad pœnā corpus recipere, sed ad gloriā. Huic loco & illud satis consonat, Etiā nos ipsi primitias habentes spiritus, & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionē expectantes, redemptionē corporis nostri. Nimirū enim gemitu isto ingemiscimus in quo dicimus, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Illud etiā vbi ait: Quod enim operor, ignoro: quid est aliud, quàm nolo, nō approbo, nō consentio, nō facio. Alioquin contrariū est his, quæ superius dixit, Per legē enim cognitio peccati. Et, Peccatū non cognoui nisi per legē. Et, Peccatū vt appareat peccatum, per bonum mihi operatū est mortē. Quomodo enim peccatū per legē cognouit quod ignorat? Quomodo apparet peccatum quod ignoratur? Sic ergo dictū est ignoro, non facio, quia nulla cōsensione id ego ipse committo. Quomodo dicturus est Dns impiis, Non noui vos: quem proculdubio latere nihil potest. Et sicut dictum est, Eum qui non nouerat peccatum, quod est, non fecerat. Neque enim non nouerat quod arguebat. His atque huiusmodi in ista scripturæ Apostolicæ circunstātia diligenter cōsideratis, recte intel-

Rom. 7.

Liberari à corpore mortis huius, quid.

Rom. 8.

Rom. 3. & 7.

Matth. 7.

1 Cor. 15.

ligitur Apostolus, non quidē se solū in sua persona, verum alios etiam sub gratia constitutos significasse, sed secum nōdum in illa constitutos pace perfecta, in qua absorbebitur mors in victoriam. De qua pòst dicit, Si autē Christus in vobis, corpus quidē mortuū est, propter peccatū, spiritus autē vita est, propter iustitiam. Si ergo spiritus eius qui suscitauit Iesum ex mortuis, habitat in vobis; qui suscitauit Christū Iesum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantē spiritū eius in vobis. Viuificatis igitur mortalibus corporibus nostris, non solum ad peccandū cōsensio nulla erit, sed nec ipsa cui consentiatur carnis concupiscentia remanebit: Quam spiritui resistentē, non habere in carne mortali, ille tātummodo homo potuit, qui non per ipsam ad homines venit. Et ideo Apostolos, quia homines erant, & corpus quod corrumpitur & aggrauat animam, in huius vitæ mortalitate portabant, absit vt dicamus, sicut iste calumniatur, *semper immoderata libidine fuisse pollutos*, sed dicimus à consensione prauarum libidinum liberos, de concupiscentia tamen carnis, quam moderando frenabant, tanta humilitate & pietate gemuisse, vt optarent eam non habere potius, quàm domare.

Concludit Apostolū ex sui & eorum qui sub gratia sunt, persona loquutum. Rom. 8.

Sap. 9.

B

CAPVT XII.

PROINDE iste quod addidit nos dicere, *Christum & à peccatis liberum non fuisse, sed carnis necessitate mentitum & aliis maculatum fuisse delictis*: viderit à quibus audierit, vel in quorum literis legerit; quod quidem fortasse non intellexit, & in sensus calūniosos malitia fallente conuertit.

Sexta calumnia, nec Christum à peccatis liberum fuisse.

CAPVT XIII.

DICVNT *etiam*, inquit, *baptismā non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.* Quis hoc aduersus Pelagianos, nisi infidelis affirmet? Dicimus enim baptisma dare omnium indulgētiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec *vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, vnde crescāt iterum resecanda peccata*. Nam & istam similitudinem comperi, suæ illos adhibere calumniæ, tanquam hoc nos sentiamus atque dicamus. Sed de ista concupiscentia carnis falli eos credo, vel fallere cum qua necesse est vt etiam baptizatus, & hoc si diligentissimè proficit, & spiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc etiam si vocatur peccatum, non vtique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur: sicut scriptura manus cuiusque dicitur, quòd manus eam fecerit. Peccata autem sunt, quæ secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur, quæ transacta etiam reos tenent, si non remittantur. Et ista ipsa carnis concupiscentia in baptismo sic dimittitur, vt quanquam tracta sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus. Ex quibus tamen si filios carnaliter gignunt, rursus trahitur, rursūsque & nocitura nascentibus, nisi eadem forma renascentibus remittatur, & insit nihil obfutura vitæ futuræ, quoniam reatus eius generatione tractus, regeneratione dimissus est: Et ideo iam non sit peccatum, sed sic vocetur, siue quòd peccato facta sit, siue quòd peccandi delectatione moueatur, & si ei vincēte delectatione iustitiæ non consentiatur. Nec propter ipsam cuius iam reatus lauacro regenerationis absumptus est, dicūt in oratione baptizati, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: sed propter peccata quæ fiunt, siue in eius consensionibus, cùm ab eo quod libet vincitur quod placet, siue cùm per ignorantiam malum quasi bonum placet. Fiunt autem, siue operando, siue loquēdo, siue quod facillimū atque celerrimum est, cogitando. A quibus omnibus quis etiā fidelium gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Illud sanè quod in oratione sequitur, propter ipsam dicitur,

Septima calumnia, in baptismo nō remitti per se peccata omnia.

Vis baptismi.

C

Concupiscentia in reatu quo sensu peccatū dicatur.

D

Pro concupiscentia post baptismum cuique nobis non ostemus, dicentes, Dimitte nobis debita nostra. Matth. 6.

Ne

Ne nos inferas in tentationem; sed libera nos à malo. Vnusquisque enim, sicut scriptum est, tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.

Iacobi 1.

CAPVT XIIII.

HI omnes concupiscentiæ partus, & ipsius concupiscentiæ reatus antiquus, qui baptismatis ablutione dimissi sunt, & quicquid parit nunc ista concupiscentia, si non sint illi partus; qui non solùm peccata, verūetiam crimina nuncupātur, pācto illo quotidianę orationis vbi dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & dimittimus, & eleemosynarum sinceritate mundātur. Neque enim quisquam sic desipit, vt dicat ad baptizatos Dominicum illud non pertinere pręceptum, Dimittite, & dimittetur vobis; date & dabitur vobis. Nullus autē in Ecclesia rectè posset ordinari minister, si dixisset Apostolus, Si quis sine peccato: vbi ait, Si quis sine crimine est. Aut si dixisset, nullum peccatum habentes: vbi ait, Nullum crimen habentes. Multi quippe baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia hæc dicimus, aduersum nos inflentur & dirumpantur insania: nō quia aliquid peccati remaneat, quod in baptismate non remittatur, sed quia in nobis in huius vitæ infirmitate manentibus quotidie fieri non quiescunt, quę fideliter orantibus & misericorditer operantibus quotidie remittantur. Hæc est fidei catholicæ sanitas quam sanctus vbique seminat spiritus, non prauitatis hæreticæ vanitas & præsumptio spiritus.

Luc. 6.

1 Tim. 3.

Multi sine crimine, nullus sine peccato.

B

CAPVT XV.

IAM itaque de cætero videamus, quemadmodum posteaquam nobis calumniosè putauit obiicienda quæ credimus, & fingenda quæ non credimus, suam ipse vel Pelagianorum fidem profiteatur. *Contra hæc*, inquit, *nos quotidie disputamus, & ideo nolumus præuaricatoribus adhibere consensum, quia nos dicimus liberum arbitrium in omnibus esse naturaliter, nec Adæ peccato perire potuisse. Quod scripturarum omnium authoritate firmatur*. Hæc si quemadmodum oportet, non contra Dei gratiam diceretis, nec consensum præuaricatoribus adhiberetis, sed vestrum sensum corrigeretis. Hinc autem quantum potuimus, & quantum sufficere visum est, superius disputauimus. *Dicimus*, inquit, *has quæ nunc aguntur in orbe terrarum, à Deo nuptias institutas, nec reos esse coniuges, sed fornicatores & adulteros condemnandos*. Hoc verum & catholicum est. Sed quod vos hinc vultis efficere de commixtione masculi & feminæ, quòd nihil peccati nascentes trahant, quòd lauacro regenerationis expietur: hoc falsum est & hæreticum. *Motum*, inquit, *genitalium, id est, ipsam virilitatem sine qua non potest esse commixtio, à Deo dicimus institutam*. Ad hoc respondemus, motum genitaliū, &, vt verbo eius vtar, virilitatem, sine qua non potest esse commixtio, Deus sic instituit, vt nihil haberet pudēdum. Nō enim fas fuit, vt eius erubesceret creatura de sui opere creatoris; sed inobedientia membrorum supplicio iusto primis hominibus inobedientibus reddita est, de qua erubuerūt quando foliis ficulneis pudenda texerunt, quæ prius pudenda non fuerunt.

Secunda Iuliani antithesis.

C

Petitio.

CAPVT XVI.

NEQVE enim sibi tunicas vt totum corpus tegerent post peccatum, sed succinctoria consuerunt, quæ nonnulli interpretes nostri minus diligentes tegmina interpretati sunt. Quod quidem verū est, sed generale nomen est tegmen, quod indumentum & operimentum omne posset intelligi. Et ideo debuit ambiguitas euitari, vt quēadmodum Græcus perizomata posuit, quibus non teguntur nisi pudendæ corporis partes, sic & Latinus, aut ipsum Græcū poneret, quia & ipso iam consuetudo vtitur pro Latino, vel sicut quidā succinctoria, vel sicut alij melius, cāpestria nominarūt. Ex illo quippe hoc nomen est quòd pudēda iuuenes tegebant antiquo more Romano, quando nudi exercebātur in cāpo: vnde cāpestrati appellantur hodie, qui eadem membra cingēdo cooperiūt. Quanquā si ea quibus peccatum est regenda fuerant post peccatum, ne tunicis quidem indui debuerūt, sed manum & os tegere, quia sumendo & vescendo peccauerunt. Quid sibi ergo vult, quòd accepto prohibito cibo, cùm fuisset præcepti facta trāsgressio, in illa mēbra aspectus intēditur? Quæ ibi nouitas ignota sentitur, & se cōpellit aduerti, quod apertione significatur oculorū? Neque enim eis vel quādo ille nomina pecoribus & volucribus imponebat, vel quando illa pulchrum lignū vidit & bonū, oculi non patebant: sed aperti; hoc est inftēti, ad intuendū facti sunt: sicut scriptū est de Agar ancilla Saræ, quòd aperuit oculos suos, & vidit puteū: quos clausos vtiq; nō habebat. Vt ergo nuditatis suæ, quam quotidie profectò intuebātur, nec cōfundebantur; eos subito sic puderet, vt membra illa iam nuda ferre non possent, sed statim operire curarent; nónne & ille in motu aperto, & illa in occulto, contra suæ voluntatis arbitriū inobedientia illa membra senserunt, quibus vtique nutu voluntario sicut cęteris dominari debuerunt? Quod merito passi sunt, quia & ipsi obedientes suo Domino non fuerunt. Erubuerūt ergo ita se creatori suo nō exhibuisse seruitium, vt in eis membris ex quibus essent filij procreandi, mererētur accipere dominatū. Hoc pudoris genus, hæc erubescendi necessitas certè cum omni homine nascitur, & ipsis quodāmodo naturę legibus imperatur, vt in hoc verecūdentur etiā ipsa pudica cōiugia: nec quisquā tā malè turpitérque proficiat, vt quia cognouit Deū esse conditorē naturæ authorémque nuptiarū, ideo etiam miscēdus vxori, si quis eū videat, non de his motibus erubescat; quærātq; secretū vbi non solum alienorū, verūetiam suorum omnium possit vitare cōspectum. Itaque sua culpa sibi accidens malum, natura humana permittatur agnoscere, ne cogatur aut quod est impudentissimum de his suis motibus nō erubescere, aut, quod est ingratissimū, de sui creatoris operib⁹ erubescere. Quo tamen malo, propter bonū generationis filiorū, bene vtuntur pudica cōiugia. Solius autē carnalis voluptatis causa, libidini consentire peccatum est, quamuis coniugatis secundum veniam concedatur.

Pro concupiscentia post baptismum cuique nobis non ostemus, dicentes, Dimitte nobis debita nostra. Matth. 6.

Aperitio oculorum Adæ & Euæ.

Gen. 2.

Gen. 3.

Gen. 16.

D

CAPVT XVII.

SED cōstituite Pelagiani seruata honestate ac fœcunditate nuptiarū, si nemo peccasset, qualē velitis in paradiso vitā illorū hominū cogitare, & vnum de his quatuor rebus eligite. Proculdubiò enim, aut quotiēscunq. libuisset, totiens cōcubuissent; aut frenarēt libidinē, quādo concubitus necessarius nō fuisset: aut tunc ad nutum voluntatis libido consurgeret, quādo esse concubitū necessarium casta pudentia præsensisset: aut nulla ibi omnino existente libidine, vt cætera mēbra quęque ad opera sua, sic ad opus propriū etiam genitalia iussis volentium sine vlla difficultate seruissent. Horū quatuor quod vultis eligite. Sed puto quòd duo priora respuetis, quibus libidini aut seruitur, aut repugnatur. Namque illud primum; tā pręclara honestas; hoc autē secundū, tā magna felicitas nō vult. Absit enim vt tantæ illius beatitudinis dęcus, aut præcedentē semper sequēdo libidinem ageret turpissimam seruitutē, aut ei resistendo non haberet plenissimā pacem. Absit, inquā, vt carnis concupiscentiam nō oportunè ad generandū, sed inordinata cōmotione surgētem, aut illi mēti placeret cōsentiendo satiare; aut illi quieti necesse esset dissentiēdo cohibere. Duarū verò reliquarū quālibet elegeritis, nō est aduersus vos vlla contentione laborādum. Et si enim quartā nolueritis eligere, vbi est omniū obedientia membrorū, sine vlla libidine summa trāquillitas, quoniā iā vos ei fecit vestrarū disputationū impetus inimicos; illud vobis saltē placebit, quod tertio loco posuimus, vt illa carnalis

An libido antè peccatū in paradiso esse potuerit.

concu-

concupiscentia, cuius motus ad eam postremam, quæ vos multum delectat, peruenit voluptatem, nũquam in paradiso nisi cùm ad gignendum esset necessaria, ad voluntatis nutum exurgeret. Hanc si placet vobis in paradiso collocare, & per talẽ concupiscẽtiam carnis, quæ nec præueniret, nec tardaret, nec excederet imperium voluntatis, vobis videtur in illa felicitate filios potuisse generare, non repugnamus. Ad hoc enim quod agimus, sufficit nobis, quia nũc talis in hominibus nõ est, qualem in illius felicitatis loco esse potuisse conceditis. Qualis quippè nunc sit, profectò omniũ sensus mortalium, etsi cũ verecundia, confitetur: quia & castos etiam nolentes, eámque per temperantiam castigantes, inquietudine inordinata importunáque solicitat, & plerunque sese volentibus subtrahit, nolẽtibus ingerit: vt nihil aliud inobedientia sua, quàm illius priscæ inobedientię pœnam se esse testetur. Vnde meritò de illa & tunc primi homines, quando pudẽda texerunt, & nunc qui se vtcunque hominem esse cõsiderat, omnis pudẽs impudénsque confunditur, absit vt de opere Dei, sed de pœna primi veterisque peccati. Verum vos nõ pro religiosa ratione, sed pro animosa contentione, nec pro humano pudore, sed pro vestro furore, ne vel ipsa concupiscentia carnis vitiata credatur, & ex ea trahi originale peccatum; talẽ prorsus qualis nunc est in paradiso conabimini disputãdo reuocare, eámque illic esse potuisse cõtendere, quam vel semper sequeretur inhonesta consensio, vel aliquando coërceret miseranda dissensio. Nos autem non multum curamus quid vos de illa sentire delectet. Quicquid tamen hominum per illam nascitur, si non renascatur, sine dubitatione damnatur, & necesse est esse sub diabolo, si non liberetur inde à Christo.

Genes. 3.

CAPVT XVIII. Quarta Iuliani antithesis.

HOMINEM, inquit, *Dei opus defendimus, nec ex illius potentia vel in malũ vel in bonum inuitũ aliquem cogi; sed propria voluntate, aut bonum facere, aut malum. In bono verò opere à Dei gratia semper adiuuari, in malum verò diaboli suggestionibus incitari.* Ad hęc respondemus, homines esse opus Dei, inquantum homines sunt; sed sub diabolo esse, in quantũ peccatores sunt, nisi eruãtur inde per eum, qui non ob aliud factus est inter Deum & homines mediator, nisi quia ex hominibus nõ potuit esse peccator: nec ex Dei potẽtia, vel in malum vel in bonum inuitum aliquem cogi; sed Deo deserente pro meritis ire in malum, & Deo adiuuante, sine meritis conuerti ad bonum. Non enim est homo bonus si nolit, sed gratia Dei etiam ad hoc adiuuatur vt velit, quoniam non inaniter scriptum est: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate: Et, Præparatur voluntas à Domino.

Phil. 2.

Prou. 8. secũdum 70.

CAPVT XIX. Voluntas excitatur à Domino.

VOS autem in bono opere sic putatis adiuuari hominem gratia Dei, vt in excitanda eius ad ipsum bonum opus voluntate, nihil eam credatis operari. Quod satis ipsa tua verba declarant. Cur enim non dixisti, hominem Dei gratia in bonum opus excitari, sicut dixisti, *in malum diaboli suggestionibus incitari?* Sed dixisti, *in bono opere à Dei gratia semper adiuuari*, tanquam sua voluntate, nulla Dei gratia bonum opus aggressus in ipso iam opere diuinitus adiuuetur, pro meritis videlicet voluntatis bonæ, vt reddatur debita gratia, non donetur indebita: ac sic gratia iam non sit gratia; sed sit illud quod Pelagius in iudicio Palæstino ficto corde damnauit, gratiam Dei secundum merita nostra dari. Dic mihi obsecro, quid boni Paulus adhuc Saulus, volebat, ac non potius magna mala, quando spirans cædem pergebat ad vastandos horrenda mentis cæcitate ac furore Christianos? Quibus meritis bonæ voluntatis Deus illum ab his malis ad bona, mirabili & repentina vocatione conuertit? Quid ego dicam, quibus meritis, cùm ipse clamet;

Act. 9.

A Non ex operibus iustitiæ quæ nos fecimus, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit? Quid illud quod iam cõmemoraui dixisse Dominum, Nemo potest venire ad me, quod intelligitur, credere in me; nisi ei datum fuerit à patre meo? Vtrum iam volenti credere pro meritis bonæ voluntatis hoc datur; an potius vt credat ipsa voluntas, sicut Sauli desuper excitatur, etiam si tam sit auersus à fide, vt credentes etiam persequatur? Vt quid enim nobis Dominus præcepit, vt oremus pro eis qui nos persequuntur? Nunquid hoc oramus, vt eis pro bona eorum voluntate gratia Dei retribuatur, ac non potius vt mala in bonum voluntas eorum mutetur? Sicut credimus tunc à sanctis quos persequebatur, non inaniter oratum esse pro Saulo, vt ad fidem quam vastabat, voluntas eius conuerteretur. Et illius quidem conuersio desuper facta, manifesto etiam miraculo apparuit. Quàm multi inimici Christi quotidie subitò Dei occulta gratia trahuntur ad Christum. Quod verbum si non ex Euangelio posuissem, quanta de me propter B hoc iste dixisset, cùm etiam nunc obluctetur non mihi, sed illi qui clamat: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum? Non enim ait, duxerit, vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur si iam volebat? Et tamen nemo venit nisi velit? Trahitur ergo miris modis vt velit ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.

Tit. 3.

Venire ad Christum quid.

Ioan. 6.

Sup. cap. 3.

Mattb. 5.

Ioan. 6.

Tractus Dei patris, cuiusmodi.

CAP. XX

HOC verum esse non coniectura suspicamur humana, sed euidentissima diuinarum scripturarum authoritate dignoscimus. Legitur in Paralipomenon libris: Et quidem in Iuda facta est manus Dei, vt daret illis cor vnum, vt facerent præceptum regis & principum in verbo Domini. Item per Ezechielem prophetam Dominus dicit: Dabo eis cor aliud, & spiritum nouum dabo eis, & euellam cor eorum lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iustificationes meas obseruent & faciant eas. Quid est autem quod Hester illa regina orat & dicit: Da sermonem concinnum in os meum, & verba mea clarifica in conspectu leonis, & conuerte cor eius in odium impugnantis nos? Vt quid ista in oratione dicit Deo, si non operatur Deus in cordibus hominum voluntatem? Sed fortè hæc mulier insipienter orauit. Videamus ergo vtrum inaniter præmissus fuerit orantis affectus, & consecutus non fuerit exaudientis effectus. Ecce ingreditur ad regem. Ne multa dicamus: Et quia non ordine suo ingrediebatur, magna necessitate compulsa, intuitus est eam, sicut scriptum est, velut taurus in impetu indignationis suæ. Et timuit regina, & conuersus est color eius per dissolutionem, & inclinauit se super caput delicatæ suæ, quæ præcedebat eam. Et conuertit D Deus, & transtulit indignationem eius in lenitatem. Iam sequentia commemorare quid opus est, vbi Deum compleuisse quod illa rogauerat, diuina Scriptura testatur operando in corde regis? Quid aliud, quàm voluntatem, qua iussit & factum est, quod ab eo regina poposcerat? Quam Deus iam vt fieret, exaudierat, qui cor regis antequam mulieris sermonem poscentis audisset, occultissima & efficacissima potestate conuertit, & transtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc est, de voluntate lædendi ad voluntatem fauendi, secundum illud Apostoli: Deus est enim qui operatur in vobis & velle. Nunquid homines Dei qui hęc scripserunt, imò ipse spiritus Dei, quo author e per eos ista conscripta sunt, oppugnauit liberum hominis arbitrium? Absit: sed omnipotentis in omnibus & iudicium iustissimum, & auxilium Dei misericordissimum commendauit. Sufficit enim scire homini,

2 Par. 30.

Ezech. 36.

Hester 14.

Phil. 2.

Liber Hester scriptura Canonica.

mini, quòd non est iniquitas apud Deum. Iam quomodo ista dispenset, faciens alios secundum meritum vasa iræ, alios secundum gratiam vasa misericordiæ: quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Si ergo ad honorem gratiæ pertinemus, non simus ingrati, tribuendo nobis quod accepimus. Quid enim habemus quod non accepimus?

Rom. 9.

Rom. 11.

CAPVT XXI. Quinta Iuliani antithesis.

DICIMVS, inquit, *sanctos veteris Testamenti perfecta hinc iustitia ad æternam transisse vitam, id est, studio virtutis ab omnibus recessisse peccatis; quia & illi quos legimus aliquid peccasse, postea tamen eos emendasse cognouimus.* Quantælibet fuisse virtutis antiquos prædices iustos, non eos saluos fecit, nisi fides mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. Ipsorum enim vox est: Credidi propter quod locutus sum. Vnde ait & apostolus Paulus: Habentes autem eundem spiritum fidei, secundum quod scriptũ est: Credidi propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur. Quid est eundem spiritũ, nisi quem iusti quoque illi habuerunt, qui ista dixerunt? Dicit etiam apostolus Petrus: Quid vultis iugum imponere gentibus, quod neque nos portare potuimus, neq. patres nostri? Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos fieri, quemadmodum & illi: hoc vos non vultis inimici gratiæ Christi, vt eadem gratia Iesu Christi salui facti credantur antiqui, sed distribuitis tempora secundum Pelagium, in cuius libris hoc legitur, & ante legem dicitis saluos factos esse per naturã, deinde per legem, postremò per Christum, quasi hominibus, duorum superiorum temporum ante legem scilicet, & in lege sanguis Christi nõ fuerit necessarius, euacuantes quod dictum est: Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus.

Psal. 115.

2 Cor. 4.

Act. 15.

1 Tim. 2.

CAPVT XXII. Sexta antithesis.

GRATIAM *Christi*, inquiunt, *omnibus necessariam & maioribus & paruulis confitemur, & eos qui dicunt de duobus baptizatis natum non debere baptizari, anathematizamus.* Nouimus quomodo non secundum Paulum C apostolum, sed secundum Pelagium hæreticum ista dicatis: paruulis videlicet baptismum necessarium, nõ propter remissionem peccatorum, sed tantummodo propter regnum cælorum. Datis enim eis extra regnũ Dei locum salutis & vitæ æternæ, etiam si non fuerint baptizati. Nec attenditis quod scriptum est: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur. Propter quod in Ecclesia Saluatoris per alios paruuli credunt; sicut ex aliis ea, quæ illis in baptismo remittuntur peccata traxerunt. Nec illud cogitatis, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi, dicente ipso: Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Aut si euangelicis vocibus cogimini confiteri, nec vitam salutẽmque posse habere paruulos de D corpore exeuntes, nisi fuerint baptizati, quærite cur compellantur non baptizati secundæ mortis subire supplicium, iudicante illo, qui neminem damnat immeritum, & inuenietis quod non vultis, originale peccatum.

Pelagiani paruulis non baptizatis nõ quidẽ regnum cælorum, sed salutẽ & vitam promittũt æternam. Mar. 16.

Ioan. 6.

CAPVT XXIII. Septima antithesis.

ETIAM *eos qui dicunt*, inquit, *baptisma non omnia peccata delere, condemnamus; quia scimus plenam purgationem per ipsa mysteria conferri.* Hoc dicimus & nos, sed & paruulos quoque per ipsa mysteria primæ natiuitatis, & obnoxiæ successionis vinculis solui, non dicitis vos. Propter quod de Ecclesia Christi, quæ hoc antiquitus tenet, oportet vt sicut cæteri hæretici segregemini & vos.

CAPVT XXIIII. Iuliani epistolæ conclusionẽ refellit.

IAM verò quòd ita concludit epistolam vt dicat: *Nemo ergo vos seducat, nec se negent impij ista sentire. Sed si verum dicunt, aut audientia detur, aut certè isti ipsi episcopi, qui nunc dissident, damnent, quæ suprà dixi, cum Manichæis se ista tenere, sicut nos ista damnamus, quæ de nobis iactant, & sit plena concordia: quod si nolunt, scitote eos esse Manichæos, & ab eorum vos abstinete consortiis*: contemnendũ est potius quàm refellendũ. Quis enim nostrum dubitat anathema dicere Manichæis, qui dicunt à bono Deo nec homines, nec nuptias institutas, nec legem datam, quæ per Moysen Hebræo populo ministrata est? Sed & Pelagianis non immeritò anathema dicimus, qui tam sunt inimici gratiæ Dei, quæ venit per Iesum Christum Dominum nostrum, vt eam dicant non gratis, sed secundum merita nostra dari, ac sic gratia iam non sit gratia: tantúmque constituunt in libero arbitrio, quo in profundum demersus est homo, vt eo bene vtendo dicant hominem mereri gratiam, cùm nemo bene illo vti possit, nisi per gratiam quæ non secundum debitum redditur, sed Deo gratis miserante donatur. Paruulos autem ita contendunt esse iam saluos, vt Saluatori audeant negare saluandos. Et hæc execrabilia dogmata tenentes & seminantes, adhuc insuper flagitant audientiam, cùm damnati debeant agere pœnitentiam.

A

B

C

Libri primi finis.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA DVAS EPISTOLAS PELAGIANORVM,

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. Aggreditur aliquis epistolæ refutationem.

IAM nunc aliam, non Iuliani tantũ, sed & communem cum pluribus Pelagianis episcopis, quam Thessalonicam miserunt, consideremus epistolam, eique Domino adiuuante, respondeamus, vt possumus. Quod opus nostrum ne longius fiat, quàm causæ ipsius necessitas postulat, quid opus est ea quoque refellere, quæ dogmatis eorum insidiosa venena non continent: sed tantum in auxilium suum; vel pro catholica fide contra Manichæorum, sicut loquuntur, profanitatem, consensionem Orientalium episcoporum videntur exposcere; nihil aliud nitentes, nisi vt horribili hæresi obiecta, cuius se aduersarios confingunt, lateant inimici gratiæ in laude naturæ. Quis enim eis hinc commouit aliquando quæstionem? Aut cui catholicorum propterea displicent, quia damnant eos quos prædixit Apostolus recessuros à fide, cauteriatam habentes conscientiam, prohibentes nubere, abstinentes à cibis, quos immundos putant, nec putantes à Deo cuncta esse condita? Quis eos aliquando negare compulit, quòd omnis creatura Dei bona sit, & nulla substantia sit; quam non summus fecerit Deus, nisi ipse Deus qui non est ab aliquo factus? Non ista in eis, quæ constat esse catholica, reprehenduntur atque damnantur. Impietatem quippe Manichæorum nimiam, stultam & noxiam, non solùm fides catholica detestatur; verumetiam hæretici omnes, qui non sunt Manichæi. Vnde & isti Pelagiani hoc bene faciunt, Manichæis anathema dicere, & eorum erroribus contradicere. Sed faciunt duo mala, quibus & ipsi anathematizandi sunt: Vnum, quòd catholicos Manichæorum nomine criminantur: alterum, quòd etiam ipsi hæresim noui erroris inducunt. Neque enim quia Manichæorum morbo non laborant, propterea fidei sanæ sunt. Non vnum pestilentiæ est genus, quemadmodum in corporibus, ita & in

1 Tim. 4.

Pelagiani Catholicos Manichæorum nomine criminantur.

mentibus. Sicut ergo medicus corporis non continuò pronunciasset à mortis periculo liberum, quem negasset hydropicum, si alio lethali morbo perspexisset ægrotũ: ita istis non ideo veritas gratulatur, quia Manichæi non sunt, si alio genere peruersitatis insaniunt: Quapropter aliud est quod anathematizamus cũ eis, aliud quod in eis. Detestamur enim cum eis, quod rectè displicet etiam ipsis; ita tamen vt detestemur in eis, vnde rectè displicent ipsi.

CAP. II. Confert Manichæos cum Pelagianis. Collat. 1. MANICHAEI dicunt, Deum bonum non omnium naturarum esse creatorem. Pelagiani dicunt, Deum non esse omnium ætatum in hominibus mundatorem, saluatorem, liberatorem. Catholica vtrosq. redarguit, & cõtra Manichæos defendens Dei creaturam, ne ab illo instituta negetur vlla natura; & contra Pelagianos, vt in omnibus ætatibus perdita requiratur humana natura. Collat. 2. Manichæi carnis concupiscentiam non tãquam accidens vitiũ, sed tanquam naturam ab æternitate malam vituperant. Pelagiani eam tãquam nullum vitium, sed naturale sit bonũ insuper laudant. Catholica vtrosq. redarguit, Manichæis dicẽs, nõ natura, sed vitium est: Pelagianis dicens, non à patre, sed ex mũdo est: vt eam velut malam valetudinem sanari vtrique permittant, desinẽdo illi tanquam insanabilem credere, istí tanquam laudabilem prædicare. Collat. 3. Manichæi negant homini bono ex libero arbitrio fuisse initium mali. Pelagiani dicunt etiam hominẽ malum sufficienter habere liberum arbitrium ad faciendum præceptũ bonum. Catholica vtrosq. redarguit, & illis dicens: Fecit Deus hominem rectũ. Eccl. 7. Et istis dicens: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Ioan. 8. Manichæi dicunt, animam particulam Dei, naturę malæ commixtione habere peccatũ. Collat. 4. Pelagiani dicunt, animã iustam non quidem particulã, sed creaturam Dei, etiã in ista corruptibili vita nõ habere peccatũ. Catholica vtrosq. redarguit, Manichæis dicens: Aut facite arborẽ bonã, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum: quod non diceretur homini, qui naturam facere non potest, nisi quia peccatũ non natura, sed vitiũ est: Pelagianis dicens: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Matth. 12. His morbis inter se cõtrariis Manichæi Pelagianiq. confligunt dissimili voluntate, simili vanitate; separati opinione diuersa, sed propinqui mente peruersa. Haeretici quatenus separati, quatenus coniuncti. Iam verò gratiam Christi simul oppugnant, baptismũ eius simul euacuant, carnem eius simul exhonorãt, sed etiam hæc modis causisq; diuersis. Collat. 5. Nam Manichæi meritis naturæ bonæ, Pelagiani autẽ meritis volũtatis bonæ, perhibent diuinitus subueniri. Illi dicunt, Debet hoc Deus laboribus mẽbrorum suorũ. Isti dicunt, debet hoc virtutibus seruorum suorũ. Vtrisq. ergo merces nõ imputatur secundũ gratiam, sed secundũ debitũ. Collat. 6. Manichæi lauacrũ regenerationis, id est, aquã ipsam dicunt esse superfluam, nec prodesse aliquid profano corde contendũt. Pelagiani autem quod in sacro baptismate ad expianda peccata dicitur, nihil opitulari infantibus nullum peccatũ habentibus asserũt. Ac per hoc in paruulis baptizandis, quantũ ad remissionẽ attinet peccatorum, Manichæi visibile destruũt elementũ: Pelagiani autẽ etiam inuisibile sacramentũ. Collat. 7. Manichæi carnẽ Christi exhonorant, partũ virginis blasphemando; Pelagiani autẽ carnem redimendorũ carni redemptoris æquando. Propterea quippe natus est Christus, non vtique in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, quia cæterorum hominũ nascitur caro peccati. Collat. 8. Manichæi ergo omnem carnem penitus detestantes, auferunt carni Christi perspicuam veritatem. Pelagiani verò nullam carnẽ peccati nasci asseuerãtes, auferunt carni Christi propriam dignitatem. Definant itaq. Pelagiani catholicis obiectare quod non sunt, nec ideo se velint haberi amabiles, quia odioso Manichæorũ aduersantur errori; sed merito se agnoscãt odibiles, quia suum nõ auersantur errorem. Possunt enim duo errores inter se esse contrarij, sed ambo sunt detestandi, quia sunt ambo contrarij veritati. Nam si propterea sunt diligendi Pelagiani, quia oderunt Manichæos; diligendi sunt & Manichæi, quia oderunt Pelagianos. Sed absit vt catholica mater propter alterorũ odium, alteros eligat amare, cùm monente atque adiuuante Domino debeat vtrosque vitare, & cupiat vtrosque sanare.

CAPVT III. Catilinia Pelagianorũ ad versus Romanæ ecclesiæ clericos. QVINETIAM Romanos clericos arguunt, scribentes *eos iussionis terrore perculsos non erubuisse præuaricationis crimen admittere, vt contra priorem sententiam suam, qua gestis catholico dogmati affuerant, postea pronũciarent malam hominum esse naturam.* Imò verò Pelagiani spe falsa putauerant, nouum & execrabile dogma Pelagianum vel Celestianum persuaderi quorundam Romanorum catholicis mentibus posse; quando illa ingenia quamuis nefando errore peruersa, non tamen contemptibilia, cùm studiosè corrigẽda potiùs, quàm facilè damnanda viderentur, aliquanto lenius, quàm seuerior postulabat ecclesiæ disciplina, tractata sunt. Tot enim & tantis inter Apostolicam sedem & Afros episcopos currentibus & recurrentibus scriptis ecclesiasticis, etiam gestis de hac causa apud illam sedem, Celestio præsente & respondente confectis; quænam tandem epistola venerandæ memoriæ papæ Zozimi, quæ interlocutio reperitur, vbi præceperit credi oportere sine vllo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquã omnino conscripsit. Sed cùm hoc Celestius in suo libello posuisset, inter illa duntaxat de quibus se adhuc dubitari & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenij, qui profectò si corrigeretur plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus eius catholicus dictus est, quia & hoc catholicæ mẽtis est; si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta ac demonstrata respuere. Non enim hæreticis, sed catholicis Apostolus loquebatur, vbi ait: Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus, & si quid aliter sapitis, id quoq. Deus vobis reuelabit. Hoc in illo factũ esse putabatur, quando se literis beatæ memoriæ papæ Innocentij, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, cõsentire respondit. Et hoc vt plenius & manifestiùs in illo fieret, expectabatur venturis ex Africa literis, in qua prouincia eius aliquanto calliditas euidentius innotuerat. Quæ Romam literę posteaquam venerunt, id continentes, non sufficere hominibus tardioribus & solicitioribus, quòd se generaliter Innocentij episcopi literis consentire fatebatur; sed apertè eum debere anathematizare, quæ in suo libello praua posuerat, ne si id non fecisset, multi parũ intelligẽtes, magis in libello eius illa fidei venena à sede Apostolica crederent approbata, propterea quòd ab illa dictum erat, eum libellum esse catholicum, quàm emendata, propter illud quòd se papæ Innocentij literis consentire ipse responderat. Tũc ergo cùm eius præsentia poscẽretur, vt certis ac dilucidis responsionibus, vel astutia hominis vel correctio diluesceret, & nulli ambigua remaneret, se subtraxit & negauit examini. Nec differendũ iam fuerat, sicut factũ est, quòd aliis prodesset, si nimium peruersorum pertinaciæ dementiæq. non posset. Sed si, quod absit, ita tũc fuisset de Celestio vel Pelagio in Romana ecclesia iudicatum, vt illa eorum dogmata, quæ in ipsis & cum ipsis papa Innocentius damnauerat, approbanda & tenenda pronunciarentur, ex hoc potius esset præuaricationis nota Romanis clericis inurenda. Nunc verò cùm primitùs beatissimi papæ Innocentij literæ episcoporum literis respondentes Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur

Celestius cum Pelagio iterũ excommunicantur.

CAPVT IIII. Acta in causa Celestij coram Zosimo Romano pontifice.

Epistola apud August. 91.

Celestius ab acerrimo ingenio.

Libellus fidei Celestij Zozimo pontifici oblatus, quo sensu catholicus dictus.

Phil. 3.

Celestius conuenit se literis Innocentij papæ, sed falsaliter, profitetur.

Literæ conciliij Africani ad Zozimũ pontificẽ, quibus doli & fraudes Celestij detegunturi.

Epistola 93. inter Augustinianas. Ioan. 6.

Celestius detectus sentiens suas fraudes subducit se Apostolicæ sedis examini.

conantur isti persuadere, damnauerũt; successor quoque eius sanctus papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de paruulis sentiunt, nunquam dixerit, nunquam scripserit: insuper etiam Celestium se purgare molientem ad consentiendum suprà dictis sedis apostolicæ literis crebra interlocutione cõstrinxerit; profectò quicquid interea lenius actum est cum Celestio, seruata dũtaxat antiquissimæ & robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, nõ approbatio exitiosissima prauitatis. Et quòd ab eodem sacerdote postea Celestius & Pelagius repetita authoritate damnati sunt, paululum intermissæ, iam necessariò proferendæ ratio seueritatis fuit, non præuaricatio prius cognitæ vel noua cognitio veritatis.

CAPVT IIII. Acta in causa Celestij coram Zosimo Romano pontifice. SED quid opus est nos de hac re loquendo diutius immorari, cùm extent hinc atque inde gesta & scripta directa, vbi possint cuncta illa quemadmodũ acta sint, vel cognosci vel recognosci? Interrogationibus enim sancti præcessoris tui, & Celestij responsionibus, quibus se beati papæ Innocentij literis consentire professus est, quis non videat quemadmodum sit Celestius colligatus, & vinculo saluberrimo obstrictus, ne vlterius defendere auderet in baptismate paruulorum nõ dimitti originale peccatum? Venerabilis quippe Innocentij episcopi de hac re ista sunt verba ad Carthaginiense concilium: *Liberum*, inquit, *arbitrium olim ille perpessus dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demersus, nihil quemadmodum exinde surgere posset inuenit: suáque in æternum libertate deceptus, huius ruina iacuisset oppressus, nisi cum pòst Christi pro sua gratia liberasset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem omne præteritum vitium sui baptismatis lauacro purgauit.* Quid ista sedis apostolicæ sententia clarius atque manifestius? Huic se Celestius consentire professus est, quando cùm illi à sancto præcessore tuo dictum esset: *illa omnia damnas quæ iactata sunt de nomine tuo?* Ipse respondit: *Damno secundum sententiam beatæ memoriæ præcessoris tui Innocentij.* Inter cætera autem quæ de nomine eius iactata fuerant, diaconus Celestio Paulinus obiecerat, quòd diceret, *peccatum Adæ ipsi soli obfuisse & non generi humano: & quòd infantes nuper nati, in eo essent statu in quo Adam fuit ante peccatum.* Proinde si obiecta Paulini secundum sententiam beati papæ Innocentij, veraci corde atque ore damnaret; quid ei remaneret deinceps vnde contenderet, nullum esse ex præterita primi hominis transgressione in paruulis vitium, quod per nouæ regenerationis purificationem sacro baptismate purgaretur? Sed illud se respondisse fallaciter nouissimo exitu ostendit, cùm se subtraxit examini, ne secundum Africana rescripta ipsa omninò de hac quæstione verba commemorare & anathematizare, quæ in libello suo posuit, cogeretur. Quid illud quòd idem Papa de hac ipsa causa etiam Numidiæ rescripsit episcopis, quia de vtroque concilio & de Carthaginiensi scilicet & Mileuitano scripta susceperat, nõne apertissimè de paruulis loquitur? Hæc enim eius verba sunt: *Illud verò, quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducauerint carnem filij hominis, & biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendũt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos credimus non nisi baptismate conferendum.* Quid ad hæc dicit ingratus, cui sedes Apostolica iam sua professione quasi correcto, benignissima lenitate pepercerat? Quid ad hæc dicit, vtrum post huius vitæ finem paruuli, etiam si dum viuunt non baptizentur in Christo, in vita æterna erunt, an non erunt? Si dixerit, erunt: quomodo ergo quæ de nomine eius iactata sunt secundum sententiam beatæ memoriæ Innocentij se damnasse respondit? Ecce beatæ memoriæ Innocentius papa, sine baptismo Christi, & sine participatione corporis & sanguinis Christi vitam nõ habere paruulos dicit. Si dixerit, non erunt: quomodo ergo non accipientes æternam vitam, vtique consequenter æterna morte damnantur, si nullũ trahunt originale peccatum? Quid ad hæc dicunt isti qui suas calumniosas impietates scribere audent, & Orientalibus episcopis mittere? Tenetur Celestius literis venerabilis Innocentij præbuisse consensum: Legũtur ipsę memorati antistitis literæ, scribẽtis non baptizatos vitam paruulos habere non posse. Quis autem negabit id esse cõsequens vt mortẽ habeant, qui non habẽt vitam? Vnde ergo in infantibus ista miserabilis pœna, si nulla originalis est culpa? Quomodo igitur ab istis fidei desertoribus & oppugnatoribus gratiæ, Romani clerici præuaricationis arguuntur sub episcopo Zosimo quasi aliud senserint in damnatione posteriore Celestij & Pelagij, quàm quod sub Innocẽtio in priore senserunt? Quia vtique cùm literis venerabilis Innocentij de paruulis, nisi baptizarentur in Christo, in æterna morte mansuris catholicæ fidei clareret antiquitas; profectò ecclesiæ Romanæ præuaricator potius esset, quicunque ab illa sententia deuiasset: quod Deo propitio, quoniam factum non est, sed ipsa constanter repetita Celestij & Pelagij damnatione seruata est; se intelligant esse vnde alios criminantur, & aliquando à fidei præuaricatione sanentur. Malam quippe hominum esse naturam, non dicit catholica fides, inquantum homo à creatore primitus institutus est; neque nunc quod in illa Deus creat, cùm homines ex hominibus facit, hoc est malum eius, sed quod ex illo vitio primi hominis trahit.

CAP. V. Respondet ad Pelagianorũ calumnias. I. IAM nunc illa videnda sunt, quæ in epistola sua nobis obiicientes, breuiter posuerunt, quibus hæc est nostra responsio: Peccato Adæ arbitrium liberum de hominũ natura perisse non dicimus, sed ad peccandũ valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem pięque viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonũ actionis, sermonis, cogitationis adiuta. II. Neminem nisi Dominum Deum dicimus nascentium conditorem nec à diabolo, sed ab ipso nuptias institutas: omnes tamen sub peccato nasci propter propaginis vitium, & ideo esse sub diabolo, donec renascantur in Christo. III. Nec sub nomine gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis Dei gratiam dicimus antecedi. Gratiæ nomine fatũ à catholicis asseri calumniantur Pelagiani. Si autem quibusdam omnipotentis Dei voluntatem placet fati nomine nuncupare, profanas quidem verborũ nouitates euitamus, sed de verbis cõtendere non amamus. Vnde autem hoc eis visum fuerit nobis obiicere, quòd fatum asseramus sub nomine gratiæ, cùm aliquanto attentius cogitarim, prius eorũ verba quæ cõsequuntur inspexi. Sic enim hoc nobis obiiciendum putarunt: *Sub nomine*, inquiunt, *gratiæ ita fatum asserunt, vt dicant: quia nisi Deus inuito & reluctanti homini inspirauerit boni & ipsius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum posset arripere.* Deinde aliquanto pòst, vbi ipsi quæ defendant, commemorant, quid de hac re ab eis diceretur, attẽdi. *Baptisma*, inquiunt, *omnibus necessarium esse ætatibus confitemur, gratiam quoque adiuuare vniuscuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, quia personarũ acceptio non est apud Deum.* Calumnia huius vertiæ occasio. Ex his eorum verbis intelleXi, ob hoc illos vel putare vel putari velle, fatũ nos asserere sub nomine gratiæ, quia gratiam Dei non secundum merita nostra dicimus dari, sed secundum ipsius misericordissimam volũtatem, qui dixit: Misereor, cui misertus ero; & misericordiam præstabo, cui misericors fuero. Exod. 33. Vbi consequenter adiunctũ est:

Igitur

Rom.9. Igitur non volentis, neq. currentis, sed miserentis est Dei. Posset etiã hinc quispiã similiter stultus fati assertorem Apostolũ putare vel dicere: verùm hic se isti satis aperiũt. Cùm enim propterea nobis calũniantur, dicẽtes nos fatũ gratiæ nomine asserere, quia nõ secũdum merita nostra dari dicimus Dei gratiã; proculdubiò confitentur, quòd ipsi eam secundũ nostra merita dari dicũt: ita cęcitas eorũ occultare ac dissimulare nõ potuit hoc se sapere atq. sentire, quod sibi obiectum Pelagius in episcopali iudicio Palæstino subdolo timore damnauit. Obiectũ quippe illi est ex verbis quidem discipuli sui Celestij, quòd etiã ipse diceret, *gratiam Dei secundum merita nostra dari*. Quod ille detestans, vel quasi detestãs, ore duntaxat anathematizare non distulit: sed sicut eius libri posteriores indicant, & istorum sectatorum eius nudata assertio; ficto corde seruauit, donec postea quod tũc metu texerat negantis astutia, etiam in literas proferret audacia. Et adhuc non reformidant, nec saltem verecundantur episcopi Pelagiani literas suas catholicis Orientalibus episcopis mittere, quibus nos assertores fati esse criminantur, quia non dicimus gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod Pelagius episcopos Orientales metuens, dicere non ausus, & damnare compulsus est.

CAPVT VI. *Retorquet fati criminationũ in aduersarios.*

ITANE verò filij superbiæ, inimici gratiæ Dei, ô noui hęretici Pelagiani, quisquis dicit, gratia Dei omnia hominis bona merita præueniri, nec gratiam Dei meritis dari, ne nõ sit gratia, si non gratis datur, sed debita merentibus redditur; fatũ vobis videtur asserere? Nónne etiã vosipsi qualibet intẽtione necessariũ baptismũ omnibus ætatibus dicitis? Nónne in hac ipsa epistola vestra istã de baptismo sentẽtiam, & de gratia iuxtà posuistis? Cur nõ vos baptismus qui datur infantibus, ipsa vicinitate cõmonuit quid sentire de gratia debeatis? Hæc enim verba sunt vestra: *Baptismá omnibus necessariũ esse ætatibus cõfitemur: gratiam quoq. adiuuare vniuscuiusq. bonũ propositũ, non tamen reluctãti studium virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deũ*. In his omnibus verbis vestris de gratia quod dixistis, interim taceo: de baptismate reddite rationẽ; cur illud dicatis omnibus esse ætatibus necessarium; quare sit necessariũ paruulis dicite; profectò quia eis boni aliquid cõfert, & idem aliquid nec paruum nec mediocre, sed magnũ est. Nã si eos negatis attrahere quòd in baptismo remittatur originale peccatũ, tamẽ regenerationis lauacro adoptari ex filiis hominum in filios Dei non negatis; imò etiã prædicatis: dicite ergo nobis quicunq. baptizati in Christo paruuli de corpore exierunt, hoc tam sublime donũ quibus præcedentibus meritis acceperunt? Si dixeritis, hoc eos parẽtũ pietate meruisse: Respõdebitur vobis: Cur aliquãdo piorũ filiis negatur hoc bonũ, & filiis tribuitur impiorũ? Nonnunquam enim de religiosis orta proles in tenera ætate atque ab vtero recentissimo præuenitur morte, antequam lauacro regenerationis abluatur: & infans natus ex inimicis Christi misericordia Christianorũ baptizatur in Christo, plangit baptizata mater non baptizatũ propriũ: & ab impudica expositum, baptizandum casta fœtum colligit alienũ. Hic certè merita parentũ vacant, vacant vobis fatentibus ipsorũ etiam paruulorũ. Scimus enim vos non de anima humana credere, quòd ante corpus terrenũ alicubi vixerit, & aliquid operata sit vel boni vel mali, vnde istam in carne differentiã mereretur. Quæ igitur causa huic paruulo baptismũ procurauit, illi negauit? An ipsi fatum habent, quia meritum non habent? aut in his est acceptio à Domino personarum? Nam vtrumq. dixistis, prius fatum, acceptionẽ postea personarũ: vt quoniam vtrumque refutandũ est, remaneat quod vultis aduersus gratiam introducere meritum. Respondete igitur de meritis paruulorum, cur alij baptizati, alij nõ baptizati de corporibus exeant, nec parentum meritis vel polleant vel careant tam excellenti bono, vt fiant filij Dei ex hominum filiis, nullis parẽtum, nullis meritis suis. Nẽpe reticetis, & vos ipsos potius in eo quod nobis obiicitis, inuenitis. Nam si vbi non est meritũ, consequenter esse dicitis fatum, & ob hoc in gratia Dei meritum hominis vultis intelligi, ne fatum cogamini confiteri; ecce vos potius asseritis fatum in baptismate paruulorum, quorum nullum esse fatemini meritum. Si autem in baptizandis paruulis, & nullum meritum omnino præcedere, & tamen fatum nõ esse conceditis, cur nos quando dicimus gratiam Dei propterea gratis dari, ne gratia non sit, & non tanquam debitam meritis præcedentibus reddi, fati assertores esse iactatis: non intelligentes iustificandis impiis sicut propterea merita non sunt, quia Dei gratia est; ita propterea non esse fatum, quia Dei gratia est; ita propterea non esse acceptionem personarũ, quia Dei gratia est? Fatum quippe qui affirmant, de siderum positione ad tempus quo concipitur quisq. vel nascitur, quas constellationes vocant, non solùm actus & euenta, verumetiam ipsas nostras voluntates pendere contendunt: Dei verò gratia non solùm omnia sidera & omnes cælos, verumetiã omnes angelos supergreditur. Deinde fati assertores & bona & mala hominũ fato tribuunt: Deus autem in malis hominum merita eorum debita retributione persequitur, bona verò per indebitam gratiam misericordi voluntate largitur, vtrumque faciens non per stellarum temporale cõsortium, sed per suæ seueritatis & bonitatis æternum altũmq. cõsilium. Neutrum ergo pertinere videmus ad fatum. Hic respondetis, hanc ipsam Dei beneuolentiã quã non merita sequitur, sed bona indebita gratuita bonitate largitur, fatũ potius esse dicendũ, cùm hanc Apostolus gratiam vocet, dicẽs: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non est ex vobis, sed Dei donũ est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Nónne attenditis, nónne perspicitis, non à nobis diuinæ gratiæ nomine fatum asseri, sed à vobis potius diuinam gratiam fati nomine nuncupari?

Meritorũ negatio non statuit fatum.

Fati nomine quid intelligatur.

Anthypophora. Vt infans vnus præ altero ad baptismi gratiam perueniat, non paternæ pietatis est meritum, sed gratia Dei.

CAPVT VII. *Refellit etiãnam de personarum acceptione.*

ITEM, quæ acceptio personarum ibi rectè dicitur, vbi ille qui iudicat relinquẽs causæ meritũ de qua iudicat alteri contra alterũ suffragatur, quia inuenit aliquid in persona quod honore vel miseratione sit dignum? Si autem quispiam duos habeat debitores, & alteri vellet dimittere debitum, alterum exigere; cui vult donat, sed neminem fraudat: nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est. Alioquin eis qui parum intelligunt, potest acceptio personarum videri, vbi vineæ Dominus operariis, qui vna hora illic opus fecerunt, tantum dedit, quantum illis qui pertulerũt pondus diei & æstus, æquales faciens in mercede, quorum tã magna distantia fuerat in labore. Sed quid respondit de hac velut acceptione personarum aduersus patremfamiliãs murmurantibus? Amice, inquit, non facio tibi iniuriam. Nónne ex denario cõuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: volo autẽ & huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Nempe hic tota iustitia est: Hoc volo: tibi, inquit, reddidi, huic donaui: neque vt huic donarem, tibi aliquid abstuli; aut quod debebam vel minui vel negaui. An nõ licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequã est, quia ego bonus sum? Sicut ergo hic nulla est acceptio personarum; quia sic alius gratis honoratur, vt alius debito nõ fraudetur: sic etiã cùm secundum propositum Dei vocatur alius, alius non vocatur: vocato datur gratuitum bonum, cuius boni est vocatio ipsa principium: non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo, quòd per vnum hominem peccatum intrauit in mundum. Et in illa quidem

Acceptio personarum non est, vbi iniquitas nũ est.

Diuina electio non habet personarum acceptionem, etiã si ex meritis non procedat.

quidem operariorum similitudine, vbi vnum denarium acceperunt qui vna hora, & qui duodecies tantũ laborauerunt, qui vtiq. secundum rationes humanas, sed vanas, pro quantitate laboris sui duodecim denarios accipere debuerunt, vtriq. in bono coæquati, non alij liberati, alij dãnati sunt: quia & illi qui plus laborauerunt, & quòd sic vocati sunt vt venirẽt, & sic pasti vt non deficerent, ab ipso patrefamiliãs habuerunt. Rom.9. Vbi autem dicitur, Ergo cui vult miseretur: & quem vult obdurat, qui facit aliud vas in honorem, aliud in cõtumeliam: bonũ quidem immeritò & gratis datur, quia ex eadem massa est cui datur: malũ verò merito & debitũ redditur, quia in massa perditionis malum malo non malè redditur, & ei cui redditur malum est, quia supplicium est: ei verò à quo redditur, bonũ est, quia rectè factum eius est. Nec vlla est acceptio personarum in duobus debitoribus, æqualiter reis, si alteri dimittitur, alteri exigitur, quod pariter ab vtroq. debetur. Sed vt id quod dicimus alicuius exempli manifestatione clarescat, constituamus aliquos ab aliqua meretrice geminos editos, atq. vt ab aliis colligerentur expositos: horũ sine baptismo expirauit vnus, alius baptizatus: quod hic fatũ aut fortuna fuisse dicamus, quæ omnino nulla sunt? quam personarũ acceptionẽ, quæ apud Deum nulla est, etiam si in istis vlla esse potuisset, qui vtiq. nihil habebant, vnde alter alteri præferretur, meritáque nulla propria, siue bona, quibus meretur alius baptizari; siue mala, quibus alius sine baptismate mori? An aliqua parentũ fuerunt vbi fornicator pater, meretrix mater? Sed qualiacunque illa fuerint, non vtiq. istis tam diuersa conditione moriẽtibus vlla diuersa, sed vtrique communia. Si ergo nec fatum, quia nullæ stellæ ista decernunt; nec fortuna, quia non fortuiti casus hæc agunt; nec personarum, nec meritorum diuersitas hoc fecerunt: quid restat quantũ ad baptizatũ attinet, nisi gratia Dei quæ vasis factis in honorem gratis datur: quantũ autem ad non baptizatũ, ira Dei, quæ vasis in cõtumeliam pro ipsius massæ meritis redditur. Sed in illo qui baptizatus est, gratiam Dei vos confiteri cogimus, & meritum eius nullum præcessisse conuincimus; de illo autem sine baptismate mortuo, cur ei defuerit sacramentũ, quod & vos fatemini omnibus ætatibus necessariũ, & quid isto modo in eo fuerit vindicatum, vos videritis qui non vultis esse originale delictum. Nobis in duobus istis geminis vnam proculdubiò habentibus causam, difficultatem quæstionis cur alius sic, alius verò sic mortuus est, velut nõ soluendo soluit Apostolus: Rom.9. Qui cùm & ipse de duobus geminis tale aliquid proposuisset, propter quos non ex operibus, quia nondum operati fuerant aliquid boni vel mali, sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori: Et, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: & huius profunditatis horrorem vsque ad hoc perduxisset, vt diceret: Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat: sensit cõtinuò quid moueret, & sibi verba contradicentis, quæ apostolica authoritate coërceret, opposuit. Ait enim: Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur: nam voluntati eius quis resistit? Respondítque ista dicenti: O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmẽtum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Deinde secutus tam magnum abditúmq. secretum, quantum aperiendum esse hominibus iudicauit, aperuit dicens: Si autem volens Deus ostendere iram, & demonstrare potẽtiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quę perfecta sunt in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam; hoc est gratiæ Dei non solùm adiutoriũ, verumetiam documentũ. Adiutorium scilicet in vasis misericordiæ; in vasis autem iræ documentũ: in eis enim ostendit irã, & demonstrat patientiam suam, quia tam potens est bonitas eius, vt bene vtatur etiam malis, & in eis notas facit diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ; quoniam quod ab iræ vasis exigit iustitia puniẽtis, hoc vasis misericordiæ dimittit gratia liberantis. Nec beneficiũ quod quibusdã gratis tribuitur, appareret, nisi Deus aliis ex eadem massa pariter reis iusto supplicio condemnatis, quid vtrisque deberetur, ostẽderet. Quis enim te discernit? ait idem Apostolus, homini tanquam de semetipso & de suo 1 Cor.4. proprio bono glorianti: Quis enim te discernit? vtiq. ab iræ vasis, à massa perditionis, quæ per vnum omnes misit in damnationem. Quis te discernit? Et tanquam respõdisset, discernit me fides mea, propositũ meum; meritum meum. Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi nõ acceperis? hoc est, quasi de tuo sit, vnde discerneris: Ergo ille discernit qui vnde discernaris impertit, pœnam debitam remouẽdo, indebitam gratiam largiendo: ille discernit, qui cùm tenebræ essent super abyssum, dixit: Fiat lux, & facta est lux: & diuisit, hoc est, Gen.1. discreuit inter lucem & tenebras. Nõ enim cùm solæ essent tenebræ quid discerneret inuenit; sed lucem faciendo discreuit vt iustificatis impiis dicatur: Fuistis Ephes.5. enim aliquando tenebræ, núc autem lux in Domino: ac sic qui gloriatur, nõ in seipso, sed in Domino glorietur. Ille discernit qui de nondũ natis neq. qui aliquid egerant boni aut mali, vt secundum electionẽ propositum eius maneret, non ex operibus, sed ex ipso vocante dixit: Maior seruiet minori: atq. idipsum commendans postea per Prophetam, Iacob, inquit, dilexi, Hier.9. Esau autem odio habui. electione quippe dixit, vbi Deus non ab alio factũ quod eligat inuenit, sed quod inueniat ipse facit, sicut de reliquiis Israël scriptũ est: Reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iã non est gratia. Propter quod profectò desipitis, qui dicente veritate, non ex operibus, sed ex vocãte dictũ est, vos dicitis ex futuris operibus, quæ Deus illũ facturũ esse præsciebat, Iacob fuisse dilectum: atq. ita contradicitis Apostolo dicenti, non ex operibus: quasi nõ posset dicere, non ex præsentibus, sed ex futuris operibus: sed ait, non ex operibus, vt gratiam commendaret: si autẽ gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia; gratia vtique, vt per illam fiant bona opera: ne si præcesserint bona opera, tanquam operibus redatur gratia, ac sic gratia iam non sit gratia. Sed vt vobis auferretur omnis vestræ caliginis latebra, propterea geminos tales proposui, qui neque parentum meritis iuuarentur, & ambo infantiæ primordio vnus baptizatus, alter sine baptismate morerentur; ne diceretis Deum, sicut de Iacob & Esau contra Apostolum dicitis, opera eorũ futura præscisse. Quomodo enim præsciuit ea futura, quę illis in infantia morituris, quia præscientia eius falli non potest, præsciuit potius non futura? Aut quid prodest eis qui rapiuntur ex hac vita, Sap.4. ne malitia mutet intellectum eorum, aut ne fictio decipiat animam eorum, si peccatum etiam quod nõ est factum, dictum, cogitatum, tanquam commissum fuerit, sic punitur? Quod si absurdissimum, insulsissimum, dementissimum est, quoslibet homines ex his peccatis, quorum nec reatum ex parentibus trahere, sicut dicitis; nec ea nõ solum committere, sed nec saltem cogitare potuerunt, esse damnandos: redit ad vos frater ille geminus baptizati non baptizatus, & tacitus quærit à vobis, vnde fuerit à fraterna felicitate discretus, cur illa infelicitate punitus, vt illo in Dei filium adoptato, ipse non acciperet omnibus ætatibus necessarium, sicut fatemini, sacramentum; sicquemadmodum nulla est fortuna vel fatũ, vel apud Deum acceptio

Cur non omnes Deus ex massa perditionis liberat.

Malac.1.

acceptio personarum, ita nullum est gratiæ sine meritis donum, nullum originale peccatum. Huic prorsus infanti linguam vestram vocémque submittitis, huic non loquenti quid loquamini non habetis.

CAPVT VIII. IAM nũc videamus vt possumus, hoc ipsum quod volunt præcedere in homine, vt adiutorio gratiæ dignus habeatur, ac sic gratia iam non sit gratia. Videamus tamen quid illud sit: *Sub nomine*, inquiunt, *gratiæ ita fatum asserunt, vt dicant, quia nisi inuito & reluctanti homini inspirauerit boni, & ipsam imperfecti cupiditatẽ, nec à malo declinare, nec bonum posit arripere*. Iam de fato & gratia quàm inania loquantur ostendimus; nũc illud est quod debemus aduertere, vtrum inuito & reluctanti homini Deus inspiret boni cupiditatem, vt iam non sit reluctans, non sit inuitus, sed consentiens bono, & volens bonum. Isti enim volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, vt huius cœpti meritum etiam perficiendi gratia consequatur, si tamen hoc saltem volunt. Pelagius enim facilius dicit impleri quod bonum est, si adiuuet gratia. Quo additamento, id est addendo facilius, vtique significat hoc se sapere, quod etiam si gratiæ defuerit adiutorium, potest, quamuis difficilius, impleri bonũ per liberum arbitrium. Sed istis quid in hac re sentiãt, non de illo authore huius hæresis præscribamus; permittamus eos cum suo libero arbitrio esse liberos, & ab ipso Pelagio; atque ista verba eorum, quæ in hac cui respondemus Epistola posuerunt, potius attendamus. Hoc enim nobis obiiciendum putarunt, quòd inuito & reluctanti homini Deum dicamus inspirare, non quanticunque boni, sed & ipsius imperfecti cupiditatem. Fortassis ergo ipsi eo modo saltem seruant locum gratiæ, vt sine illa putent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem: perfecti autem non facilius per illam posse, sed nisi per illam omnino non posse: verùm & sic gratiã Dei dicunt secundum merita nostra dari, quod in Oriente Pelagius Ecclesiasticis gestis damnari timendo damnauit. Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ veniat adiutorium; ac sic gratia Dei non gratis donabitur, sed secundum meritum nostrum dabitur. Dominus autem vt responderet futuro Pelagio, non ait, Sine me difficile potestis aliquid facere: sed ait, Sine me nihil potestis facere. Et vt responderet futuris etiam istis in eadem ipsa Euangelica sententia, nõ ait, Sine me nihil potestis perficere: sed, facere. Nam si perficere dixisset, possent isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod à nobis est, sed ad perficiendũ esse Dei adiutorium necessarium. Verùm audiant & Apostolum. Dominus enim cùm ait: Sine me nihil potestis facere: hoc vno verbo initium finémque cõprehendit. Apostolus verò tanquam sententiæ Dominicæ expositor apertius vtrumque distinxit, dicẽs: Quoniam qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet vsq. in diem Christi Iesu. Sed in Scripturis sanctis apud eundem Apostolum isto vnde loquimur, amplius inuenimus. Loquimur enim nunc de boni cupiditate, quã si volunt à nobis incipere, à Domino perfici, videant quid respondeant dicenti Apostolo: Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Cogitare, ait, aliquid, vtiq. bonum, minus est autem cogitare quàm cupere. Cogitamus quippe omne quod cupimus, nec tamẽ cupimus omne quod cogitamus, quoniam nonnunquã & quod non cupimus cogitamus. Cùm igitur minus sit cogitare quàm cupere, potest enim homo cogitare bonum, quod nondũ cupit; & proficiẽdo postea cupere, quod antea nõ cupiendo cogitauit: quomodo ad id quod minus est, id est, ad cogitandum aliquid boni nõ sumus idonei tãquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; & ad id quod est amplius, id est, ad cupiendũ aliquid boni sine diuino adiutorio idonei sumus ex libero arbitrio? Neq. enim & hic Apostolus ait, Non quia idonei sumus cogitare quod perfectum est, tanquam ex nobismetipsis, sed cogitare, ait, aliquid, cui contrarium est nihil. Vnde est illud Domini: Sine me nihil potestis facere. Ioan. 15.

Docet nec primam quidem boni cupiditatem seu desiderium inesse nobis ex nobismetipsis, sed ex gratia Dei.

Discipuli Pelagij ex parte à præceptoris doctrina recedunt.

Aliud cogitare, aliud cupere.

CAPVT IX. SED nimirum quod scriptum est, *Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ*: non bene intelligendo falluntur, vt existiment cor præparare, hoc est bonum inchoare sine adiutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere. Absit vt sic intelligant filij promissionis, tanquam cùm audierint Dominum dicentem: Sine me nihil potestis facere: quasi conuincant eum dicentes: Ecce sine te possumus cor præparare: aut cùm audierint à Paulo apostolo: Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: tãquam & ipsum cõuincant dicentes: Ecce idonei sumus ex nobismetipsis præparare cor, ac per hoc & boni aliquid cogitare. Quis enim potest bona cogitatione ad bonũ cor præparare? Absit vt sic intelligãt, nisi superbi sui arbitrij defensores, & fidei catholicę desertores. Ideo quippe scriptum est: Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ: quia homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor, homo præparat cor. In responsione autem linguæ, id est, in eo quod præparato cordi lingua diuina respondit, nihil operis habet homo, sed totum est à Domino Deo. Nam sicut dictum est: Hominis est præparare cor, & à Domino respõsio linguæ: ita etiam dictum est: Aperi os, & adimplebo illud. Quamuis enim nisi adiuuante illo sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire: tamen nos aperimus illius adiumento & opere nostro; implet autem illud Dominus, sine opere nostro. Nam quid est prępparare cor, & os aperire; nisi voluntatem parare? & tamen in eisdem literis legitur: Præparatur voluntas à Domino. Et, Labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Ecce Dominus admonet, vt præparemus voluntatem in eo quod legimus: Hominis est præparare cor: & tamen vt hoc faciat homo, adiuuat Deus, quia præparatur voluntas à Domino. Et aperit os, ita iubendo vt nemo possit nisi ipse id faciat adiuuando, cui dicitur: Labia mea aperies. Nũquid istorum aliqui ita desipiunt vt aliud os, aliud labia esse contendant, & mirabili vanitate hominem dicant os aperire, labia hominis Deum? Quanquam Deus illos & ab hac absurditate compescit, vbi ad Moysen famulum suum dicit: Ego aperiam os tuum, & instruam te quæ debeas loqui. In sententia ergo illa vbi dicitur: Aperi os, & adimplebo illud: quasi vnum videtur ad hominem pertinere, alterum ad Deum. In hac autem vbi dicitur: Ergo aperiam os tuum, & instruam te: vtrũque ad Dominũ. Quare hoc? Nisi quia in vno istorum cooperatur homini facienti, alterum solus facit. Quapropter multa Deus facit in homine bona, quę non facit homo; nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo. Proinde cupiditas boni non homini à Domino esset, si bonum non esset: si autem bonum est, non nisi ab illo nobis est, qui summè atque incõmutabiliter bonus est. Quid est enim boni cupiditas, nisi charitas de qua Ioannes Apostolus sine ambiguitate loquitur, dicens: Charitas ex Deo est. Nec initium eius ex nobis, & perfectio eius ex Deo; sed si charitas ex Deo, tota nobis ex Deo est. Auertat enim Deus hanc amẽtiam, vt in donis eius nos priores faciamus, posteriorem ipsum: quoniam misericordia eius præueniet me; & ipse est cui fideliter veracitérque cantatur, Quoniam præuenisti eum in benedictione dulcedinis; & quid hic aptius intelligitur, quàm ipsa de qua loquimur cupiditas boni? Tunc enim

Scripturas interpretatur ex quibus occasionem erroris Pelagiani hauserit. Prou. 16. Psal. 58. & 12. 2 Cor. 3. Prou. 8. secũdum 70. Psal. 50. Exod. 4. Psal. 20. *Multa facit Deus in homine bona, quę non facit homo: nulla verò facit homo quę non faciat Deus vt faciat homo.* 1 Ioan. 4.

enim bonum concupisci incipit, quando dulcescere cœperit: quando autem timore pœnæ, non amore iustitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum; nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impunè. Ergo benedictio dulcedinis, est gratia Dei, qua fit in nobis vt nos delectet & cupiamus, hoc est, amemus quod præcipit nobis; in qua si nos non præuenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. Si enim sine illo nihil possumus facere, profectò nec incipere, nec perficere; quia vt incipiamus, dictũ est: Misericordia eius præueniet me; vt perficiamus, dictũ est, Misericordia eius subsequetur me.

CAP. X. QVID est ergo quod in consequẽtibus vbi ea quæ ipsi sentiunt, commemorant, dicunt se confiteri, *gratiam quoque adiuuare vniuscuiusque bonum propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere?* Hoc quippe ita dicunt, velut homo à seipso sine adiutorio Dei habeat propositum bonum studiúmque virtutis, quo merito præcedente dignus sit adiuuari Dei gratia subsequente. Putant enim fortasse ita dixisse Apostolum: Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum, iis qui secundum propositũ vocati sunt: vt propositũ hominis vellet intelligi, quod propositum tanquam bonum meritum sequatur misericordia vocantis Dei: ignorantes ideo dictum esse, qui secũdum propositum vocati sunt, vt Dei, nõ hominis propositũ intelligatur, quo eos quos præsciuit & prædestinauit cõformes imaginis filij sui, elegit ante mũdi constitutionem. Non enim omnes vocati, secundũ propositum sunt vocati; quoniam multi vocati, pauci electi. Ipsi ergo secundum propositum vocati, qui electi ante constitutionem mũdi. De hoc proposito Dei dictum est & illud, quod iam commemoraui de geminis Esau & Iacob vt secundum electionem propositũ Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Maior seruiet minori. Hoc propositum Dei & illo cõmemoratur loco, vbi ad Timotheũ scribens ait: Collabora Euangelio secundum virtutem Dei saluos nos facientis & vocantis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secũdum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante sęcula ęterna, manifestata autem nunc per aduentum saluatoris nostri Iesu Christi. Hoc est ergo propositum Dei vnde dicitur: Omnia cooperatur in bonum; iis qui secundum propositum vocati sunt. Hominis autem propositum bonum adiuuat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset nisi præcederet gratia. Studiũ quoque hominis quod dicitur bonum, quamuis cùm esse cœperit, adiuuetur gratia, non tamen incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus: Gratias autem Deo qui dedit idem studium pro vobis in corde Titi. Si studium quisque vt pro aliis habeat Deus dat, vt pro seipso habeat, quis alius est datus? Quæ cùm ita sint, nihil in scripturis sanctis homini à Domino video iuberi, propter probandum liberum arbitrium; quod non inueniatur vel dari ab eius bonitate, vel posci propter adiutorium gratiæ demonstrandum. Nec omnino incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, nisi hoc in illo agat indebita & gratuita misericordia Dei. De qua suam cogitationem recolens quidam, sicut legimus in Psalmis: Nunquid obliuiscetur, inquit, misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas? Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dextræ excelsi. Cum ergo dixisset, nunc cœpi: non ait, hæc mutatio arbitrij mei: sed, dextræ excelsi. Sic itaque Dei gratia cogitetur, vt ab initio bonæ mutationis suæ vsque in finem cõsummationis, qui gloriatur in Domino glorietur. Quia sicut nemo potest bonum inchoare sine Domino, sic nemo perficere sine Domino. Sed hic sit huius voluminis terminus, vt legentis reficiatur intentio & ad sequentia reparetur.

Secundũ cuius propositũ vocantur electi, suum an Deĩ. Rom. 8. Matth. 22. *Secundũ propositũ vocati.* Rom. 9. Gen. 25. 2 Tim. 1. Rom. 8. Psal. 76

Libri secundi finis.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA DVAS EPISTOLAS PELAGIANORVM AD BONIFACIVM, LIBER TERTIVS.

CAP. I. ADHVC ea sequuntur quæ calumniosè nobis obiiciunt, nondum ea quæ ipsi sentiunt pertexere incipiũt. Sed ne prolixitas voluminum offenderet, hæc ipsa quæ obiiciunt in duos libros partiti sumus; quorum superiore finito, qui totius huius operis liber secundus est, hinc ordimur alterum, & eum tertium primo secundóque coniungimus.

CAP. II. LEGEM *veteris Testamenti nos* aiunt *dicere, non ob hoc datam fuisse, vt iustificaret obedientes, sed vt grauior fieret causa peccati*. Prorsus nõ intelligunt quid de Lege dicamus; quia id quod dicit Apostolus, quem non intelligunt, dicimus: Quis enim dicat non iustificari eos qui sunt legi obedientes, quando si non iustificarentur, non possent esse obedientes? Sed dicimus lege fieri, vt Deus quid fieri velit, audiatur: gratia verò fieri, vt legi obediatur. Non enim auditores legis, ait Apostolus, iusti sunt apud Deũ, sed factores legis iustificabuntur. Lex ergo auditores iustitiæ facit, gratia factores: Quod enim impossibile erat legi, ait idem Apostolus, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus filium suum in similitudinẽ carnis peccati; & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustitia legis impleretur in nobis, qui non secundũ carnẽ ambulamus, sed secundum spiritum. Ecce quod dicimus, orent vt aliquando intelligant, non litigent vt nunquam intelligant. Impossibile est enim legem impleri per carnem, hoc est per carnalem præsumptionem, qua superbi ignorantes Dei iustitiam, id est, quæ ex Deo est homini, vt sit iustus, & suam volentes constituere, tanquam per eorum non adiutum diuinitus arbitrium lex possit impleri, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ideo iustitia legis in eis impletur, qui non secundum carnem ambulant, id est, secundum hominem ignorantem Dei iustitiam, & suam volentem constituere, sed ambulant secundum spiritum. Quis autem ambulat secundum spiritum, nisi quisquis agitur Dei spiritu? Quotquot enim Dei spiritu aguntur, hi filij sunt Dei. Ergo litera occidit, spiritus autem viuificat. Nec litera malum est, quia occidit, sed malos prævaricatione conuincit. Lex enim sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Quod ergo bonum est, inquit, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Ecce quid est, litera occidit. Aculeus enim mortis est peccatum, virtus autem peccati lex. Auget quippe prohibendo peccati desideria & inde occidit, nisi subueniendo viuificet gratia. Ecce quod dicimus: Ecce vnde nobis obiiciunt, quòd *sic legem* dicamus *datam vt grauior sit causa peccati*, non audientes Apostolum dicentem: Lex enim iram operatur: vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Et: Lex præuaricationis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est. Et: Si data esset lex quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Hinc est quòd vetus testamentum ex monte Sina, vbi lex data

Quæstio Pelagianorum cõtra de vsu Legis. *Catholica de lege & gratia sententia.* Rom. 2. Rom. 8. *Legẽ impleri per carnem impossibile.* *Secũdũ spiritũ tantũ quis ambulet.* Rom. 8. 2 Cor. 3. Rom. 7. 1 Cor. 15. Rom. 4. Gal. 3.

Galat.4. data est in seruitutem generans quod est Agar. Nos autem, inquit, non sumus ancillæ filij, sed liberæ. Nõ sunt itaque liberæ filij qui legem acceperunt literæ, qua possent non solùm peccatores, verumetiam præuaricatores insuper demonstrari, sed qui spiritum gratiæ, quo lex ipsa sancta & iusta & bona possit impleri. Ecce quod dicimus: intendant, & non contendãt; illuminentur, & non calumnientur.

Rom.7.

CAPVT III. Quinta calumnia de effectu baptismi.

BAPTISMA *quoque*, inquiunt, *non verè homines nouos facere asserunt, id est, non plenam dare remissionem peccatorum, sed ex parte filios Dei fieri, ex parte autem filios seculi, id est, diaboli remanere contendunt.* Mentiuntur, insidiantur, tergiuersantur. Non hoc dicimus: Omnes enim homines qui sunt filij diaboli, etiam filios seculi; non autem omnes filios seculi etiam filios diaboli dicimus. Absit enim vt filios diaboli dicamus fuisse sanctos patres, Abraham, Isaac, & Iacob, & alios huiusmodi, quando per nuptias generabant; & eos fideles qui vsque nunc & deinceps adhuc generant. Non tamen possumus Domino contradicere dicenti: Filij seculi huius nubunt, & tradunt ad nuptias. Quidam ergo filij seculi huius sunt, & tamen filij diaboli non sunt. Quamuis enim diabolus sit author & princeps omnium peccatorum; non tamen filios diaboli faciunt quæcunque peccata. Peccãt enim & filij Dei: quoniam si dixerint se non habere peccatum, seipsos seducunt, & veritas in eis non est. Sed ea conditione peccant, qua sunt filij adhuc huius seculi: qua verò gratia sunt filij Dei, non vtique peccãt, quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat. Filios autẽ diaboli infidelitas facit, quod peccatum proprium vocatur, quasi solum sit si nõ exprimatur quale peccatum sit. Sicut Apostolus cùm dicitur, Si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus: quia pluribus est epistolis notior, & plus omnibus illis laborauit. Vnde quod ait Dominus de Spiritu sancto: Ipse arguet mundum de peccato: infidelitatem intelligi voluit. Hoc enim cùm exponeret ait, De peccato quidem, quòd non crediderunt in me. Et vbi ait: Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Non enim peccatum antea non habebant, sed ipsam voluit intelligi diffidentiam, qua nec præsenti & loquenti crediderunt; pertinentes ad eum, de quo dicit Apostolus: Secundum principem potestatis aëris, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. Ergo in quibus non est fides, filij sunt diaboli; quia non habent in interiore homine cur eis dimittatur quicquid hominis vel infirmitate vel ignorantia, vel omnino aliqua mala voluntate committitur. Illi autem filij Dei, qui vtique si dixerint se non habere peccatum, seipsos decipiunt, & veritas in eis non est. profectò, quod sequitur, cùm confitentur peccata sua (quod filij diaboli nõ faciunt, vel non secundum fidem quæ filiorũ Dei propria est faciunt) fidelis est & iustus qui dimittat eis peccata, & mundet eos ab omni iniquitate. Vt autẽ plenius intelligatur quod dicimus, audiatur ipse Iesus qui filiis Dei vtique loquebatur, dicens: Si autem vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester qui in cælis est, dabit bona petentibus se! Si enim filij Dei non essent, non eis diceret, Pater vester qui in cælis est. Et tamen eos malos esse dicit, & nosse bona dare filiis suis. Nunquid inde mali, vnde filij Dei? Absit. Sed inde mali, vnde adhuc filij seculi, iam tamen filij Dei facti pignore Spiritus sancti. Baptismus igitur abluit quidẽ peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorũ, siue originalia, siue addita, siue quæ ignoranter, siue quæ scienter admissa sunt: sed non aufert infirmitatẽ cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur: consentit autem, quando sicut homo in aliquo delicto præoccupatur, propter illud gaudens in actione gratiarum; propter hoc autem gemẽs in allegatione orationum. Ibi dicẽs: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Hic dicẽs; Dimitte nobis debita nostra. Propter illud dicens: Diligã te Domine virtus mea: propter hoc dicens: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Propter illud dicẽs: Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos: propter hæc dicens: Turbatus est præ ira oculus meus. Et innumerabilia, quibus diuinæ literæ plenæ sunt, quæ alternis vicibus, vel exultando de Dei bonis, vel mœrendo de nostris malis à filiis Dei dicuntur ex fide, quamdiu adhuc filij sunt etiam seculi pro vitæ huius infirmitate, quos tamen Deus à filiis diaboli non solũ lauacro regenerationis, sed ipsius etiam quę per dilectionẽ operatur, fidei probitate discernit; quia iustus ex fide viuit. Hæc est autẽ infirmitas cum qua vsq. ad corporis mortem defectu & profectu alternante cõtendimus: magníq. interest, quid vincat in nobis, donec regeneratione alia consumetur. De qua Dominus dicit: In regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim. Regenerationẽ quippe hoc loco ambigente nullo, nouissimã resurrectionem vocat. quam Paulus quoq. apostolus & adoptionẽ & redemptionẽ nuncupat, dicens: Sed etiam nosipsi primitias spiritus habentes & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus adoptionẽ expectantes, redemptionẽ corporis nostri. Nunquid non per lauacrum sanctũ regenerati, adoptati & redempti sumus? Et tamen restat regeneratio, adoptio, redemptio, quam in fine venturã nunc patienter expectare debemus, vt tunc filij huius seculi ex nulla parte iam simus. Quisquis igitur baptismati derogat, quod modò per illud percipimus, corrumpit fidem. Quisquis autẽ iam nũc ei tribuit quod quidem per ipsum, sed tamẽ postea accepturi sumus, amputat spem. Nam si à me quisquam quæsierit, vtrũ per baptismũ salui facti fuerimus, negare non potero, dicente Apostolo: Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis & renouationis Spiritus sancti. Sed si quæsierit, vtrũ per idem lauacrũ omni prorsus modo iam nos fecerit saluos: respondebo, non ita est. Idẽ quippe item dicit Apostolus: Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur nõ est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autẽ quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Salus ergo hominis in baptismate facta est, quia dimissum est quod peccatũ à parentibus traxit, vel quicquid etiam propriè ante baptismum peccauit. Salus verò hominis tanta esse poterit, vt peccare omnino non possit.

Aliud filij seculi, aliud filij diaboli.

Luca 20.

Non quamuis peccata filios diaboli faciũt.

1 Ioan. 1.

1 Ioan. 3. Cõsule Scholia.

1 Cor. 15.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

Ephes. 2.

Matth. 7.

Baptismus omnia delet peccata, non tamẽ omnem mox sanat infirmitatem.

QVIBVS ita se habentibus, ex his etiam illa quæ deinceps nobis obiiciunt refelluntur. Quis enim catholicus dicat, quod nos dicere iactitant, *Spiritum sanctum adiutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse:* nisi cùm vetus Testamentum sic intelligimus, quemadmodum Apostolus dixit, à monte Sina in seruitutem generans? Sed quia in eo præfigurabatur nouum, qui hoc intelligebant tunc homines Dei, secundum distributionem temporum, veteris quidẽ Testamenti dispensatores & gestatores, sed noui demonstrantur heredes. An verò illum ad Testamentum nouum negabimus pertinere, qui dicit: Cor mundũ crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis? Aut illum qui dicit: Posuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum nouum, hymnum Deo nostro? Vel illum ante Testamentum vetus, quod est à monte Sina, patrem fidelium, de quo dicit Apostolus: Fratres, secundum hominem dico, tamen hominis confirmatũ Testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dicit, & seminibus, tanquã in multis; sed tanquã in vno, sed se-

Psal. 115. Matth. 6. Psal. 17. & 6. & 24.

CAPVT IIII. Secta calumnia.

Gal. 4. Vetus testamentum figura noui.

Sancti veteris testamẽti tempore qui vixerunt, ad nouum pertinere testamentum.

Psal. 50. Psal. 39.

Gal. 3.

sed semini tuo quod est Christus. Hoc autem dico, inquit, testamentum cõfirmatum à Deo, quæ post quadringẽtos & triginta annos facta est lex non infirmat ad euacuandam promissionem. Si enim ex lege hæreditas, iam non ex promissione; Abrahæ autem per promissionem donauit Deus. Hic certè si quæramus vtrum hoc testamentum, quod dicit confirmatum à Deo, non infirmari à lege, quæ post quadringentos & triginta annos facta est, vtrum nouum, an vetus intelligendum sit: Quis respondere dubitet nouum, sed in Propheticis latebris occultatum, donec veniret tempus quo reuelaretur in Christo? Nam si dixerimus, vetus; quid erit illud à monte Sina in seruitutem generans? Ibi enim facta est lex post quadringentos & triginta annos. Qua lege hoc testamentum promissionis Abrahæ infirmari non posse cõfirmat, & hoc quod factum est ad Abraham, vult potius ad nos pertinere, quos vult esse filios liberæ, non ancillæ; hæredes ex promissione, non lege, cùm dicit: Si enim ex lege hęreditas, iam non ex promissione: Abrahæ autem per promissionẽ donauit Deus, vt quòd facta lex est post quadringẽtos & triginta annos, ad hoc subintrauerit, vt abundaret delictum, cùm per peccatũ præuaricationis conuincitur hominis superbia de sua iustitia præsumentis. Et vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia, per fidem iam humilis hominis in lege deficientis & ad Dei misericordiam fugientis. Ideò cùm dixisset, Si enim ex lege hęreditas, iam nõ ex promissione, Abrahæ autem per promissionem donauit Deus: tanquam ei diceretur, vt quid ergo postea facta est lex, subiunxit atque ait: Quid ergo lex? Cui mox interrogationi reddidit: Præuaricationis gratia proposita est, donec veniret semen cui promissum est. Hoc identidem ita dicit: Si enim qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides, & euacuata est promissio: Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Quod ait in illo testimonio: Si enim ex lege hæreditas, iam non ex promissione, Abrahæ autẽ per promissionem donauit Deus: hoc in isto ait, Si enim per legem hæredes sunt, exinanita est fides, & euacuata promissio: satis ostendit ad fidem nostram pertinere, quæ noui vtique est testamenti, quod per promissionem donauit Deus Abrahæ. Et quod ait in illo testimonio, Quid ergo lex? atque respondit, Præuaricationis gratia proposita est: hoc in isto subdidit similiter, Lex enim irã operatur. Vbi enim nõ est lex, nec prẽuaricatio. Siue igitur Abrahã, siue ante illũ iusti, siue post eũ vsque ad ipsum Moysen, per quẽ datũ est testamentum à monte Sina in seruitutem generans, siue cæteri prophetæ post eum & sancti homines Dei vsque ad Ioannem Baptistam, filij sunt promissionis & gratiæ secundum Isaac filium liberæ, non ex lege, sed ex promissione hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Absit enim vt Noë iustum & prioris temporis iustos, & quicunque ab illo vsque ad Abraham iusti esse potuerunt, vel conspicui vel occulti, negemus ad supernam Hierusalem, quæ mater nostra est, pertinere, quamuis anteriore tempore inueniantur esse quàm Sara, quæ ipsius liberæ matris prophetiam figuramque gestabat. Quanto euidentius ergo post Abraham, cui sic declarata est ipsa promissio; vt pater multarum gentium diceretur, quicunq; Deo placuerunt filij promissionis habendi sunt? Non enim ex Abraham, & deinceps iustorum generatio verior, sed prophetia manifestior reperitur. Ad testamentum autẽ vetus, quod est à monte Sina in seruitutem generans, quod est Agar, illi pertinent, qui cùm acceperint legem sanctam & iustam & bonam, putant sibi ad vitam, literam posse sufficere. Et ideo quã fiant factores legis, diuinam misericordiam non quærunt, sed ignorantes Dei iustitiã, & suam iustitiam volentes cõstituere, iustitię Dei nõ sunt subiecti. Ex hoc genere fuit illa multitudo, quæ aduersus Deũ in eremo murmurauit, & idolum fecit, & illa quæ iam in ipsa terra promissionis fornicata est post deos alienos. Sed hæc quoque in ipso vetere testamento valde reprobata est multitudo. Illi etiam quicunque ibi erant, sola quæ ibi Deus pollicetur terrena promissa sectantes, & quid pro nouo testamento ea ipsa significent ignorantes, eorum adipiscendorum amore & amittẽdorum timore, Dei præcepta seruabant; imò non seruabant, sed sibi seruare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, sed terrena cupiditas metusq; carnalis. Sic autẽ præcepta qui facit, proculdubio inuitus facit, ac per hoc in animo non facit: Mauult enim omnino non facere, si secundũ ea quæ cupit & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsa voluntate intus est reus, vbi ipse qui præcipit inspicit Deus. Tales erant filij terrenæ Hierusalem, de qua dicit Apostolus: Seruit enim cum filiis suis, pertinens ad testamentum vetus à monte Sina in seruitutem generans, quod est Agar. Ex ipso genere fuerunt, qui Dominum crucifixerunt, & in eadem infidelitate manserũt. Inde sunt adhuc etiã filij eorum in ingẽti multitudine Iudęorum, quamuis iam nouo testamẽto, sicut prophetatum est, per Christi sanguinem patefacto atq; firmato, & à flumine vbi baptizatus magisteriumque professus est, vsque ad terminos terræ Euangelio diffamato. Qui Iudæi secundum prophetias quas legunt per omnes sunt terras vbique dispersi, vt ex eorum quoque codicibus Christianæ non desit testimonium veritati. Et vetus igitur testamentũ Deus condidit, quia Deo placuit vsque ad plenitudinem tẽporis, promissis terrenis tanquàm in præmio constitutis promissa velare cælestia; & populo terrenis bonis inhianti, & propterea durũ cor habenti, quamuis spiritalem, tamẽ in tabulis lapideis legem dare. Exceptis quippe librorum veterum sacramẽtis, quæ sola significandi ratione præcepta sunt, (quanquã & in eis quia spiritaliter intelligenda sunt, rectè lex dicitur spiritalis:) cętera certè quæ ad pietatem bonosq; mores pertinẽtia, nõ ad aliquã significationẽ vlla interpretatione referenda, sed prorsus vt sunt dicta, facienda sunt: profectò illã Dei legem, non solum illi tunc populo, verumetiam nunc nobis ad instituendam rectè vitam necessariam nemo dubitauerit. Si enim Christus nobis abstulit illud grauissimum multarum obseruationum iugum, ne carnaliter circumcidamur, ne pecorũ victimas immolemus, ne sabbato septeno dierum volumine redeunte ab operibus etiã necessariis quiescamus, & cætera huiusmodi, sed ea spiritaliter intellecta teneamus, remotisque vmbris significantibus in rerum ipsarum quæ significantur luce vigilemus: nũquid propterea dicturi sumus, non ad nos pertinere quod scriptũ est, vt alienum quodcunq; perditũ quisquis inuenerit, reddat ei qui perdidit: & alia multa similia, quibus piè rectęq; viuere discitur: maximeq; ipsum decalogũ, qui duabus illis lapideis tabulis cõtinetur, excepta sabbati obseruatione carnali, quæ spiritalem sanctificationẽ quietemq; significat? Quis enim dicat non debere obseruare Christianos, vt vni Deo religionis obsequio seruiatur, vt idolũ non colatur, vt nomen Domini non accipiatur in vanum, vt parentes honorẽtur, ne adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia perpetrẽtur, ne vxor, ne omnino res vlla cõcupiscatur aliena? Quis est tam impius, qui dicat ideò se ista legis non custodire præcepta, quia est ipse Christianus, nec sub lege, sed sub gratia cõstitutus? Verùm hæc planè magna distantia est, quòd faciunt ista sub lege positi, quos litera occidit, terrenã felicitatem vel cupiditate adipiscendi vel timore amittendi: & ideò non verè faciunt, quoniam carnalis cupiditas, qua

Novum testamẽtũ veteri est antiquius, sed possemus, retentum.

Gal. 3.

Rom. 5.

Rom. 4.

Gratiæ baptismi tribuẽda etiam perfecta mortificatione omnium malorũ liberatio.

Tit. 3.

Rom. 8.

Fides nostra ad nouum pertinet testamentum.

Filiorum promissionis & gratiæ quãnulla sit semultitudo diffundat.

Gaudent dicere nullum temporis habere ei.

Gal. 4.

Qui Dei præcepta timore nõ amore faciunt, non seruant.

Gal. 5.

Cur Iudæi sumoti & per totum orbem dispersi. Etiam lex vetus à Deo.

Sacramenta veteris legis sola significandi ratione præcepta.

Rom. 7.

Decalogus ad vitam rectè instituendam etiam nobis datus.

Id tamen auẽdent dicere nullum temporis habere ei.

Genes. 17.

Veteris testamẽti filij qui.

Cupiditas carnalis, cupiditate non sanatur.

peccatum augetur, cupiditate alia non sanatur. Hi ad vetus pertinent testamentum, quod in seruitutem generat, quia facit eos carnalis timor & cupiditas seruos, non euangelica fides, spes & charitas liberos. Sub gratia verò positi quos viuificat spiritus, & fide ista faciunt, quæ per dilectionem operatur in spe bonorum,

Ioan. 6.

non carnalium, sed spiritualium; non terrenorum, sed cælestium; non tẽporalium, sed æternorum; præcipuè credentes in mediatorem per quem sibi nõ dubitant & spiritum gratiæ subministrari, vt bene ista

Veteres sancti noui testamenti filij.

faciant, & ignosci posse cùm peccant. Hi pertinent ad testamentum nouum filij promissionis, & regenerati à Deo patre & libera matre huius generis fuerũt antiqui omnes iusti, & ipse Moyses testamenti minister veteris, hæres noui: quia ex fide qua nos viuimus, vna eademque vixerunt, incarnationem, passionem, resurrectionemque Christi credentes futuram, quam nos credimus factam: vsque ad ipsum Ioannem Baptistam, tanquam præteritæ dispensationis limitem quendam, qui mediatorem ipsum non aliqua vmbra futuri, vel allegorica significatione, vel vlla prophetica prænunciatione venturum esse significans; sed

Ioan. 1.

digito demonstrans ait, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi: tanquam dicens, Quem multi iusti videre concupierunt, in quem venturũ ab ipsius humani generis initio crediderunt, de quo Abrahæ

Gala. 3. Genes. 22.

dictæ sunt promissiones, de quo scripsit Moyses, de quo lex & prophetæ sunt testes: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Ab hoc Ioanne & deinceps cœperunt de Christo fieri præterita vel præsentia, quæ ab illis omnibus anterioris temporis iustis

Veteres iusti & si non nomine, re tamẽ Christiani fuere.

credebantur, sperabantur, desiderabantur futura. Eadem igitur fides, & in illis qui nondum nomine, sed re ipsa fuerunt antea Christiani, & in istis qui non solùm

2. Cor. 4. Psal. 115.

sunt, verumetiam vocantur, & in vtrisq; eadem gratia per spiritum sanctum. Vnde dicit Apostolus: Habentes autem eundem spiritum fidei, secundũ quod scriptum est: Credidi propter quod locutus sum, & nos credimus propter quod & loquimur. Aliter itaq; dicitur iam obtinente loquendi consuetudine vetus

Matth. 11. Aliud proprie testamentum vetus, aliud instrumenti.

testamentum, lex & prophetæ omnes, qui vsque ad Ioannẽ prophetauerũt; quòd distinctius vetus instrumentum, quàm testamentum vocatur. Aliter autem sicut Apostolica appellat authoritas, siue hoc nomen

Veteris testamenti varie appellationes.

exprimens, siue significans. Exprimit enim vbi dicit, Vsque in hodiernum diem quamdiu legitur Moyses, idipsum velamẽ in lectione veteris testamenti manet.

2. Cor. 3.

Quod non reuelatur, quia in Christo euacuatur. Sic enim vtique vetus testamentum ad Moysi retulit ministerium. Item dicit: Vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ: idipsum significãs testamentum nomine literæ. Idem dicit alio loco: Qui &

Rom. 7.

2. Cor. 3.

idoneos nos fecit ministros noui testamenti non litera, sed spiritu: litera enim occidit, spiritus autem viuificat. Et hic per commemorationem noui, illud vtique vetus intelligi voluit. Multo autem euidentius, quamuis non dixerit, aut vetus, aut nouum, duo ipsa testamenta distinxit per duos filios Abrahæ, vnum de ancilla, alium de libera. quod iam superius commemorauimus. Quid enim expressius quàm vt diceret: Dicite mihi sub lege volentes esse, legem non au-

Gal. 4. Gen. 21.

distis? Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed ille quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autẽ de libera, per repromissionem: quæ sunt in allegoria. Hæc enim sunt duo testamenta, vnum quidem in monte Sina in seruitutem generans, quod est Agar. Sina enim mons est in Arabia, quæ coniuncta est huic quæ nunc est Hierusalẽ. Seruit enim cum filijs suis. Quæ autem sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Quid clarius, quid certius,

A quid ab omni obscuritate atque ambiguitate remotius promissionis filijs? Et paulo pòst: Nos autem fratres, inquit, secundum Isaac promissionis filij sumus. Itẽ paulo pòst: Nos aũt fratres, nõ sumus ancillæ filij, sed liberæ; qua libertate Christus nos liberauit. Eligamus igitur vtrũ antiquos iustos ancillæ filios dicamus, an liberæ?: Absit aũt vt ancillæ, ergo filij liberæ ad nouum pertinẽt testamentũ in Spiritu sancto, quẽ viuificantem literę occidenti opponit Apostolus. Nam quo pacto ad gratiam noui testamenti non pertinent hi, de quorum dictis & libris istos eiusdem gratiæ dementissimos & ingratissimos inimicos refellendo cõ-

Testamentum aliud est vetus, aliud nouum appelletur.

uincimus? Sed dicit aliquis: Quomodo vetus appellatur, quod post quadringentos & triginta annos factum est per Moysen; & nouum dicitur, quod ante tot annos factum est ad Abraham? Qui ex hoc non litigiosè, sed studiosè mouetur, intelligat primum, quia cùm ex anteriore tempore dicitur vetus, ex posteriore autẽm nouum: reuelationes eorum consideretur in his nominibus, non institutiones.

B Per Moysen quippe reuelatum est testamentum vetus, per quem data est lex sancta & iusta & bona, per

Rom. 7.

quam fieret non abolitio, sed cognitio peccati, qua conuincerentur superbi suam iustitiam volentes constituere, quasi diuino adiutorio non egentes, & rei facti literæ, confugerent ad gratiæ spiritum, non sua iustitia iustificandi, sed Dei, hoc est quæ illis esset ex

Rom. 3.

Deo. Nam sicut idem Apostolus loquitur, Per legem cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata per legẽ & Prophetas. Lex

Lex quomodo iustitiæ Dei testimonium perhibet.

quippe eo ipso quo in ea nemo iustificatur, testimonium perhibet iustitiæ Dei. Quòd in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide viuit. Sic ergo cùm lex non iustificat impium de præuaricatione conuictum, mittit ad iustificantem Deum, atque ita iustitiæ Dei perhibet testimonium.

Quomodo Prophetæ. 1. Cor. 1.

Propheræ verò testimonium perhibent iustitiæ Dei, præunciando Christum, qui factus est nobis sapien-

Hier. 9.

C tia à Deo & iustitia & sanctificatio & redemptio: vt quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Erat autem occulta ista lex ab initio, cùm homines iniquos natura ipsa conuinceret, alijs facientes quod sibi fieri noluissent. Reuelatio autem noui Testamenti in Christo facta est, cùm est manifestatus in carne, in quo apparuit iustitia Dei, id est, quę

Rom. 3.

hominibus ex Deo est. Sic enim ait: Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est. Ecce qua causa illud dicitur vetus Testamentum, quia priore; hoc au-

Appellationũ veteris & noui testamenti rationes duæ.

tem nouum, quia posteriore tempore reuelatum est. Deinde, quia Testamentum vetus pertinet ad homi- »
nem veterem, à qua necesse est hominem incipere: »
nouum autem ad hominem nouum, quo debet ho- »
mo ex vetustate transire, ideo in illo sunt promissa »
terrena, in isto promissa cælestia: quia & hoc ad »
Dei misericordiam pertinuit, ne quisquam vel ip- »
sam terrenam qualemcunque felicitatem, nisi à Do-

Seruilis Dei cultus qui. Liberalis cultus quis.

mino creatore vniuersitatis putet cuiquam posse cõ-

D ferri. Sed si propter illam colatur Deus, seruilis est cultus, pertinens ad filios ancillæ. Si autem propter ipsum Deum; vt in ęterna vita sit Deus omnia in omnibus, liberalis est seruitus, pertinens ad filios liberæ, quæ est mater nostra æterna in cælis, quæ prius tanquam sterilis apparebat, quando perspicuos filios non habebat. Nunc autem videmus quod de illa prophe-

Esa. 54. Conclusio. Spiritus sanctus etiam veteris testamẽti tempore, ipsis & sanctis omnibus, virtutis non tantum adiutor, sed & largitor fuit.

tatum est: Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis; quia multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum: id est, magis quàm illius Hierusalem, quæ legis quodam modo vinculo maritata est, & seruit cum filiis suis. Tempore igitur veteris Testamenti spiritum sanctum in eis, qui etiam tũc secundũ Isaac promissionis filij erant, non solùm adiu-

adiutorem, (quod isti suo dogmati sufficere existimant,) verumetiam largitorem dicimus fuisse virtutis: quod isti negãt, libero eam potius arbitrio tribuẽtes, contradicentibus illis patribus qui sciebãt ad Do-

Psal. 17.

minum veraci pietate clamare: Diligam te Domine virtus mea.

CAPVT V. *Septima calumnia, de prophetarum & Apostolorum iustitia.*

AIVNT etiam, *quòd omnes Apostoli vel prophetæ non plenè sancti definiantur à nobis, sed in comparatione peiorum minus eos malos fuisse dicamus, & hanc esse iustitiam cui Deus testimonium perhibet, vt quomodo dicit Prophe-*

Ezech. 16.

ta, Iustificatam Sodomam comparatione Iudæorum, sic etiã nos criminosorũ comparatione dicamus aliquos sanctos exercuisse virtutem. Absit vt ista dicamus. Sed aut nõ valent intelligere, aut nolunt aduertere, aut calumniandi studio dissimulant se scire quod dicimus. Audiant ergo, vel ipsi, vel potius ij quos idiotas & ineruditos decipere moliuntur. Nostra fides, hoc est, catholica fides iustos ab iniustis, non operum, sed ipsa fi-

Sine recta fide, nulla operum laudabilium copia prodest.

dei lege discernit, Quia iustus ex fide viuit. Per quam B discretionem fit, vt homo ducens vitam sine homicidio, sine furto, sine falso testimonio, sine appetitu rei vllius alienæ, parentibus honorẽ debitũ reddẽs, castus vsq; ad cõtinentiã ab omni omnino cõcubitu, etiã cõiugali, eleemosynarũ largissimus, iniuriarũ patientissimus, qui nõ solùm nõ auferat aliena, sed nec sua reposcat ablata, vel etiam venditis omnibus suis, erogatisq; in pauperes, nihil suũ propriũ possideat; cũ suis tamen istis velut laudabilibus moribus, si nõ in Deũ fidẽ rectam & catholicam teneat, de hac vita damnandus abscedat. Alius autem habens quidem opera bona ex

Orthodoxæ & catholicæ fidei quanta necessitas.

fide recta, quæ per dilectionem operatur: non tamen ita vt ille bene moratus, incontinentiam suam sustentat honestate nuptiarum, coniugij carnalis debitum & reddit & repetit, nec sola propagationis causa, verumetiam voluptatis, quamuis cum sola vxore con-

Quid coniugatis secundũ veniam consulat Apostolus. 1. Cor. 7. Matth. 6.

cumbit, quod coniugatis secundum veniam concedit Apostolus; iniurias tamen nõ patiẽter accipit, sed vlciscendi cupiditate fertur iratus; quamuis vt possit dicere: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, rogatus ignoscat: possidet rem familiarẽ, faciens inde quidẽ eleemosynas, sed non tam largas, quàm ille: nõ aufert aliena; sed quamuis ecclesiastico iudicio, non forensi, tamen repetit sua. Nempe iste qui moribus illo videtur inferior, propter rectam fidem quæ illi est in Deũ; ex qua viuit, & secundum quam in omnibus delictis suis se accusat; in omnib. bonis operibus Deum laudat; sibi tribuens ignominiam, illi gloriam, atque ab ipso sumens & indulgentiam peccatorum & dilectionem rectè factorũ, de hac vita liberandus, & in cõsortium cum Christo regnaturorum recipiẽdus emi-

Fides sine operibus neminẽ saluat.

grat. Quare, nisi propter fidem? Quæ licet sine operibus neminem saluat (ipsa enim est non reproba fides, quæ per dilectionẽ operatur:) tamen per ipsam etiam peccata soluuntur; quia iustus ex fide viuit: sine ipsa verò etiã quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.

Rom. 14.

Et fit propter hanc maximam differentiam, vt cũ dubitante nullo perseuerans virginalis integritas coniugali castitate sit potior; tamen mulier etiam bis nupta catholica, professæ virgini hæreticæ præferatur. Nec ita pręferatur, vt ista melior sit in Dei regno, sed vt illa ibi omnino nõ sit. Nam & ille quem velut melioribus

Catholica mulier bis nupta, hæreticæ virgini præferatur.

descripsimus moribus, si adsit ei fides recta, superat illum alterum, si ambo illic erũt. Si aũt fides ei desit; sic ab illo superatur, vt ipse ibi nõ sit. Cùm itaq; iusti omnes & antiquiores & Apostoli ex fide vixerint recta, quæ est in Christo Iesu Dño nostrò, moresq; tam sanctos cum fide habuerint, vt licet nõ tam perfectæ virtutis in hac vita esse potuerint, quàm post hanc vitam quæ futura est; tamẽ quicquid peccati ex humana infirmitate surrepserit, pietate ipsius fidei continuò dẽ-

August. tom. 7.

A leretur. Vnde fieri potest, vt in comparatione iniquorum, quos damnaturus est Deus, iustos eos fuisse dicẽdum sit, cùm per piam fidem tam in contrariũ ab illis impiis sint remoti, vt clamet Apostolus: Quæ pars fi-

2. Cor. 6.

deli cum infideli? Sed videlicet noui hæretici Pelagiani, religionis amatores, & laudatores videntur sibi esse sanctorum, si non audeãt dicere imperfectæ illos fuisse virtutis, cùm hoc confiteatur vas electionis, qui cõsiderans vbi adhuc esset, & quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam: Nõ quia iam acceperim; ait,

Phil. 3.

aut iam perfectus sim. Fratres, ego meipsum non arbitror apprehendisse. Et paulo pòst tamen, qui se negauerat esse perfectum; Quotquot ergo perfecti, inquit,

Perfectio hanc vitam.

hoc sapiamus: vt ostenderet secũdum istius vitæ modum esse quandam perfectionem, eiúque perfectioni hoc quoq; deputari, si se quisque nouerit nondũ esse perfectum. Quid enim excellentius in veteri populo sacerdotibus sanctis? Et tamen eis præcepit Deus sacrificium primitùs pro suis offerre peccatis. Et quid

Leuit. 9. & 16.

sanctius in nouo populo Apostolis? Et tamen præcipit eis Dominus in oratione dicere: Dimitte nobis debi-

Matth. 6.

ta nostra. Omnium igitur piorum sub hoc onere corruptibilis carnis, & in istius vitæ infirmitate gementium spes vna est, quòd aduocatum habemus apud pa-

1. Ioan. 2.

trẽ Iesum Christum iustũ, & ipse est exoratio peccatorum nostrorum.

CAPVT VI. *Octaua calumnia de peccato Christi.*

ISTVM aduocatum non habent illi, qui sunt à iustis (etiam si sola ista esset differentia) in contrarium longeque discreti. Quẽ iustũ aduocatum absit vt dicamus, sicut isti calumniantur, *carnis necessitate mentitum*, sed dicimus eum in similitudine carnis peccati de

Sup. lib. 1. cap. 12. Rom. 8.

peccato dãnasse peccatũ. Quod fortasse isti non intelligentes & calũniandi cupiditate cæcati, quàm diuersis modis peccati nomen in Scripturis sanctis poni solear ignorãtes, peccatum Christi affirmare nos iactãt. Dicimus itaq; Christũ, & nullũ habuisse peccatũ, nec in anima, nec in carne; & suscipiendo carnem in similitudine carnis peccati de peccato damnasse peccatũ. C Quod subobscurè ab Apostolo dictũ duobus modis soluitur: Siue quia rerum similitudines solent earum

Similitudines rerum nominibus appellantur quarũ similitudines sunt.

rerũ nominibus nũcupari, quarum similes sunt, vt ipsam similitudinem carnis peccati voluisse intelligatur Apostolus appellare peccatũ: Siue quia sacrificia pro peccatis peccata appellabantur in lege, quæ omnia figuræ fuerunt carnis Christi, quod est verum & vni-

Sacrificia dicta peccata, quo, & qu.

cum sacrificium pro peccatis, non solùm his quæ vniuersa in baptismate diluuntur; verumetiam his quæ pòst ex huius vitæ infirmitate surrepũt; propter quæ quotidie vniuersa in oratione ad Deũ clamat Ecclesia: Dimitte nobis debita nostra, & dimittuntur nobis per singulare sacrificium pro peccatis, quod Apostolus secundũ legẽ loquens, nõ dubitauit appellare pec-

2. Cor. 5.

catum. Vnde est etiam illud eius multo euidẽtius nec aliquo biuio cuiusquam ambiguitatis incertum. Obsecramus pro Christo reconciliari Deo: Eum qui non nouerat peccatũ, pro nobis peccatũ fecit, vt nos simus iustitia Dei in ipso. Nam quod superius commemorau, de peccato damnauit peccatum; quia non dictum D est, de peccato suo, potest quispiam sic intelligere, vt dicat eum de peccato Iudęorum damnasse peccatum: quia de peccato eorum, qui eum crucifixerunt, factũ est vt sanguinem suum in remissionem funderet pec-

Christus quo sensu factus peccatum.

catorum. Hoc verbo, vbi dicitur Deus ipsum Christum, qui non nouerat peccatum fecisse peccatum, non mihi conuenientius videtur intelligi, quã Christum factum sacrificium pro peccatis, & ob hoc appellatum esse peccatum.

CAPVT VII. *Nona calumnia de impleturis in futura vita.*

QVIS autẽ ferat eos obijcere nobis, *quòd post resurrectionem tales processus futuros esse dicamus, vt ibi incipiant homines, quæ hic noluerint, Dei mandata complere:* quoniam dicimus, ibi omnino nullum futurum

Notat calumnia de impletione præceptorum in futura vita.

esse peccatum, nec cum aliqua peccati cupiditate conflictum; tanquam ipsi audeant hoc negare? Sapientiam quoque & cognitionem Dei tunc perfici in nobis, & in Domino tantam exultationem, vt ea sit plena & vera securitas; quis negabit, nisi tam auersus sit à vero, vt ob hoc ad eam peruenire non possit? Verùm hæc non erunt in præceptis, sed in eorum quæ hic obseruanda sunt præmio præceptorum. Quorum quidem præceptorum contemptus illo non perducit ad præmium, sed hic studium præcepta seruandi gratia Dei tribuit. Quæ si quid etiam in eis præceptis minus seruatur, ignoscit; propter quod orando dicimus: &, Fiat voluntas tua: &, Dimitte nobis debita nostra. Hic ergò præceptum est, vt non peccemus: ibi præmium, non posse peccare. Hic præceptum est, vt desideriis peccati non obediamus: ibi præmium, vt desideria peccati non habeamus. Hic præceptum est, Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquando sapite: ibi præmium est, plena sapientia & perfecta cognitio. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, ait Apostolus, tunc autem facie ad faciem. Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Hic præceptum est: Exultate Deo adiutori nostro: &, Exultate iusti in Domino. Ibi præmium est, exultare perfectò & ineffabili gaudio. Postremò in præcepto positum est, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. In præmio autem: Quoniam ipsi saturabũtur. Vnde quæso saturabuntur, nisi quod esuriunt & sitiunt? Quis igitur ita, non solùm à diuino, sed à sensu quoque abhorret humano, qui dicat in homine tantam esse posse iustitiam, cùm ab illo esuritur & sititur; quanta erit, cùm ex illa saturabitur? Quando esurimus autem sitimusque iustitiam, si fides Christi vigilat in nobis, quid nos nisi Christum esurire ac sitire credendum est? Qui factus est nobis sapientia à Deo & iustitia & sanctificatio & redemptio, vt quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Et quia modò in eum non videntes credimus, ideo sitimus esurimusque iustitiam. Quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem. Quem cùm inuenerimus peruenientes vtique ad speciem, exultabimus gaudio inenarrabili, & tunc iustitia saturabimur, quia nunc ex desiderio dicimus, Saturabor cũ manifestabitur gloria tua. Quàm verò est, non dico impudens, sed insana superbia, nondum esse æquales angelis Dei, & putare se iam posse habere iustitiam æqualem angelis Dei: nec intueri tam magnum & spiritalem virum; qui vtique ipsam iustitiæ perfectionem esuriebat atque sitiebat, quàndo magnitudine reuelationum noluit extolli: nec tamen vt non extolleretur arbitrio suo voluntatiq́ue commissus est, sed accepit stimulum carnis angelum satanæ, qui eum colaphizaret? Propter quod Dominum ter rogauit, vt discederet ab illo. Et dixit ei Dominus, Sufficit tibi gratia mea: nã virtus in infirmitate perficitur. Quæ virtus, nisi ad quam pertinet non extolli? Et quis dubitat hoc ad iustitiam pertinere? Huius igitur iustitiæ perfectione sunt præditi angeli Dei, qui semper vident faciem patris, ac per hoc totius trinitatis, quia per filium vident in spiritu sancto. Nihil est autẽ ista reuelatione sublimius, nec tamẽ angelorum quisquam illa contemplatione lætantium necessarium habet angelum satanæ, quo colaphizetur, ne illum tanta magnitudo reuelationis extollat. Hanc perfectionem virtutis vtique nondum habebat apostolus Paulus, nondum æqualis angelis Dei; sed inerat illi extollendi se infirmitas, quæ per angelum etiam satanæ fuerat comprimenda, ne reuelationum magnitudine extolleretur. Quanquam itaque ipsum satanam elatio prima deiecerit, tamen summus ille

Perfecta futuræ vitæ iustitia nõ in præcepto erit, sed præceptorum hic obseruatorum præmio.

Matth 6.

1. Cor. 13.

Psal. 80. & 32.

Matth. 5.

Non potest tanta esse in hac vita iustitia, quanta in futura.

1. Cor. 1.

Hiere. 9.

Psal. 16.

2. Cor. 12.

Cõsule silhoëta.

A medicus, qui bene vti nouit etiam malis, de angelo satanæ adhibuit cõtra elationis vitium salubre, quamuis molestum medicamentum, sicut fieri consueuit antidotum, etiam de serpentibus contra venena serpentium. Quid est ergo, Sufficit tibi gratia mea, nisi ne deficiendo succumbas sub colapho angeli satanæ? Et quid est, Virtus in infirmitate perficitur: nisi quia in isto loco infirmitatis hactenus perfectio potest esse virtutis, vt in ipsa infirmitate præsente elatio reprimatur? Quæ vtique infirmitas, futura immortalitate sanabitur. Quomodo est enim dicenda sanitas plena, vbi etiam de angeli satanæ colapho adhuc est necessaria medicina? Ex quo factum est virtutem, quę nunc est in homine iusto, perfectam hactenus nominari, vt ad eius perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis & in veritate cognitio, & in humilitate confessio. Tunc enim est secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta ista parua iustitia,

Onpteazul.

Virtus nostra quomodo in hac vita perfecta.

B quando etiam quid sibi desit intelligit. Ideoque Apostolus & imperfectũm & perfectum se dicit. Imperfectum scilicet cogitando quantum illi ad iustitiam desit, cuius plenitudinem adhuc esurit ac sitit. Perfectum autem, quod & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & vt perueniat bene procedit. Sicut possumus dicere perfectum esse viatorem, cuius bene promouetur accessio, quamuis non perficiatur intentio, nisi fuerit facta peruentio. Propterea cùm dixisset, Secundum iustitiam, quæ in lege est, qui fuerim sine querela: mox addidit, Quæ mihi lucra fuerunt, hæc propter Christum damna esse duxi. Veruntamen & arbitror omnia damnum esse propter eminentem scientiam Christi Iesu Domini nostri, propter quem omnia non solùm detrimenta credidi, verum etiam stercora æstimaui esse vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo iustitia in fide. Ecce Apostolus secundum iustitiam quæ ex lege est, sine querela se fuisse non vtique mendaciter dicit, & tamen hęc quæ illi lucra fuerunt, abiicit propter Christum, & damna & detrimenta & stercora existimat; non solùm hæc, sed & cætera omnia quæ suprà commemorauit, propter non qualemlibet, sed eminentem, sicut ipse dicit, scientiam Christi Iesu Domini nostri, quam proculdubio adhuc in fide habebat, nondum in specie. Tunc enim erit eminens Christi scientia, quando fuerit ita reuelatus, vt quod creditur, videatur. Vnde alio loco ita dicit, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm Christus apparuerit, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria. Hinc & ipse Dominus, Qui diligit me, inquit, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo meipsum illi. Hinc Ioannes Euan-

Perfectus viator.

Philip. 3.

Col. 3.

Ioan. 14.

D gelista, Dilectissimi, inquit, filij Dei sumus, & nondũ apparuit quod erimus. Scimus aũt quia cũ apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Tunc erit eminẽs Christi sciẽtia. Nunc enim est quidem abscondita in fide, sed nondũ eminẽs apparet in specie. Abiicit ergo illa beatus Paulus præterita iustitiæ suæ tanquã detrimenta & stercora, vt Christum lucri faciat, & inueniatur in illo non habẽs suam iustitiam, quæ ex lege est. Neque enim lex illa Dei nõ est. Quis hoc nisi Marcion & Manichæus & aliæ similes pestes dixerint? Cùm ergo lex illa, vt dixi, Dei sit, iustitiam suam dicit esse quæ ex lege est. Quam iustitiam suam noluit habere, sed proiecit vt stercora. Cur ita? nisi quia hoc est, quod etiam superius demonstrauimus, eos esse sub lege, qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti? Putant enim se arbitrij sui viribus implere legem iubentem, & ista implicati superbia,

Y. Ioan. 3.

Iustitia quæ ex lege est, cur Paulus contempserit & abiecerit.

ad

ad gratiam non conuertuntur iuuantem. Sic eos litera occidit, aut apertè etiam sibi reos, non faciẽdo quod præcipit, aut putando se facere quod spiritali, quæ ex Deo est, non faciunt charitate: ita remanent aut apertè iniqui, aut fallaciter iusti; in aperta iniquitate euidenter elisi, in fallaci iustitia insipienter elati: ac per hoc miro quodam modo, sed tamẽ vero, iustitiam legis non implet iustitia, quæ in lege est, vel ex lege, sed quæ in spiritu gratiæ. Iustitia quippe legis impletur in eis, sicut scriptum est, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Secundum iustitiam verò quę in lege est, se fuisse sine querela in carne, non in spiritu, dicit Apostolus, & iustitiam quæ ex lege est, suam dicit fuisse, non Dei. Intelligendum est igitur iustitiam legis non impleri secundũ iustitiam, quæ in lege est, vel ex lege, id est secundum iustitiam hominis, sed secundum iustitiam quæ est in spiritu gratiæ. Ergo secundum iustitiam Dei, hoc est, quæ homini ex Deo est. Quod planius & breuius ita dici potest: iustitiam legis Dei non impleri cùm lex iubet, & homo quasi suis viribus facit, sed cùm spiritus adiuuat, & hominis non libera, sed Dei gratia liberata voluntas facit. Legis itaq; iustitia est iubere quod Deo placet, vetare quod displicet. In lege aũt iustitia est, seruire literæ, & extra eam nullum Dei adiutoriũ ad rectè viuendum requirere. Cùm enim dixisset, Non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi: addidit, quæ est ex Deo. Ipsa est ergo iustitia Dei, quam superbi ignorãtes, suam volunt constituere. Non enim propterea iustitia Dei dicitur, quoniam Deus iustus est, sed quia homini ex Deo est. Secundum hanc autem iustitiam Dei, hoc est, quę ex Deo nobis est, nunc fides operatur per dilectionem: id est, operatur quomodo peruenìat homo ad eum, in quem modò non videns credit, quẽ cùm viderit, tunc quod erat in fide per speculum in ænigmate, iam erit in specie facie ad faciem, tunc perficietur & ipsa dilectio. Nimis quippe insipienter dicitur, tantum amari Deum antequam videatur, quantũ amabitur cũ videbitur. Porrò si in hac vita pio nemine dubitante, quãto amplius diligimus Deũ, tanto sumus vtique iustiores; quis dubitet, piam veramq; iustitiam cùm fuerit dilectio Dei perfecta, tunc perfici? Tunc ergo lex ita vt nihil omnino desit, implebitur; cuius legis, secundum Apostolũ, plenitudo dilectio est. Ac per hoc cum dixisset, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidẽ Christi, quæ est ex Deo iustitia in fide: Deinde subiunxit, Ad cognoscẽdum eum, & virtutem resurrectionis eius, & cõmunicationem passionum eius. Hæc omnia nondum plena & perfecta in Apostolo erant, sed tanquã in via positus ad eorum plenitudinẽ perfectionẽque currebat. Nam quomodo iam perfectè cognouerat Christũ, qui dicit alio loco, Nũc scio ex parte, tunc autẽ cognoscam, sicut & cognitus sum? Et quomodo iam perfectè cognouerat virtutem eius resurrectionis, cui restabat eam plenius tempore resurrectionis carnis experiẽdo cognoscere? Et quomodo iam perfectè cognouerat communicationem passionum eius, nondum pro illo passionem mortis expertus? Denique addit & dicit, Si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum. Ac deinde ait, Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim. Quid ergo se confitetur nondum accepisse, & in quo nondum esse perfectum, nisi ex ea iustitia, quæ ex Deo est, quam concupiscens noluit suam habere, quę ex lege est? Hinc enim loquebatur, & hæc fuit causa vt hæc diceret, resistens inimicis gratiæ Christi, pro qua largienda crucifixus est Christus. Ex quorum genere etiam isti sunt. Nam ex quo loco suscepit hæc dicere, sic exorsus est: Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Nos enim sumus circun-

Rom. 8.

Iustitia legis iustitia in se ac lege.

Rom. 13.

Phil. 3.

1. Cor. 13.

Phil. 3.

A cisio, qui spiritu Deo seruimus, vel sicut nonnulli codices habent, qui spiritui Deo, vel spiritui Dei seruimus, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fidentes. Hinc manifestũ est aduersus Iudęos eum agere, qui carnaliter obseruãtes legem, & suam iustitiam volentes constituere, occidebantur litera, non viuificabantur spiritu, & in se gloriabantur, cùm apostoli & omnes promissionis filij gloriarentur in Christo. Deinde subiecit, Quanquã ego habeã fiduciã in carne. Si quis alius in carne putat se fiduciam habere, magis ego. Et enumerans omnia quæ secundum carnem habent gloriam ad illud terminauit, vbi ait: Secundum iustitiam quę in lege est, qui fuerim sine querela. Et cùm hęc sibi omnino damna & detrimenta & stercora fuisse dixisset, vt Christum lucrifaceret, adiecit: Et inueniar in illo non habens iustitiam meam, quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidẽ Christi, quæ est ex Deo. Huius ergo iustitiæ perfectionem, quæ non erit nisi in illa eminenti scientia Christi, propter quàm sibi dixit omnia damnum esse, nondum accepisse se confessus est, & propterea nondum esse perfectum. Sequor autem, inquit, si apprehendam, in quo & apprehensus sum à Christo Iesu. Tale est, apprehendam in quo & apprehensus sum: quale est, Cognoscam sicut & cognitus sum. Fratres, inquit, ego meipsum non arbitror apprehendisse. Vnum autem, quæ retro sunt, oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Ordo verborum est, Vnum autẽ sequor. De quo vno bene intelligitur & Dominus admonuisse Marthã, vbi ait: Martha Martha, solicita es, & turbaris circa plurima: porrò vnum est necessarium. Hoc iste volens apprehendere, tanquam in via constitutus, sequi se dixit ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Quis autem cũctetur cum hoc quod sequi se asseuerat apprehẽderit, tunc habiturũ eum iustitiã æqualem iustitiæ sanctorum angelorum, quorum neminẽm vtique ne magnitudine reuelationum extollatur, satanæ angelus colaphizat? Deinde admonens eos qui possent illius iustitiæ plenitudine iam se putare perfectos: Quotquot ergo, inquit, perfecti, hoc sapiamus: tãquam diceret, Si secundum hominis mortalis capacitatẽ pro huius vitę modulo perfecti sumus, ad ipsam perfectionem hoc quoque pertinere intelligamus, vt angelica illa quæ in Christi manifestatione nobis erit iustitia, nondum nos perfectos esse sapiamus. Et si quid aliter sapitis, inquit, hoc quoq; vobis Deus reuelabit. Quomodo, nisi ambulantibus & proficientibus in via rectę fidei, donec ista peregrinatio finiatur, & ad speciem veniatur? Vnde consequenter adiunxit: Veruntamen, inquit, in id quod peruenimꝰ, in eo ambulemus. Deinde concludit, vt caueantur illi, de quibus hic locus sermonis eius sumpsit exordium: Imitatores mei, inquit, estote fratres, & intendite eos qui sic ambulant, sicut & habetis formam nostram. Multi enim ambulant, de quibus sæpe dicebam vobis, nunc etiam flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis est interitus: & cætera. Illi ipsi sunt, de quibus incipiens dixerat, Videte canes, videte malos operarios: & sequentia. Omnes itaque sunt inimici crucis Christi, qui volentes constituere suam iustitiam, quæ ex lege est, id est, litera tantum iubente, non spiritu implente, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Si enim qui per legem hæredes sunt, exinanita est fides: Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est, ergo euacuatum est scandalum crucis. Ac per hoc illi inimici sunt crucis eius qui per legem dicunt esse iustitiam, ad quam iubere pertinet, nõ iuuare. Gratia verò Dei per Iesum Christum Dominum nostrum in spiritu sancto, adiuuat infirmitatem nostram. Quamobrem qui secundum iustitiam,

Phil. 3.

Vnum ut ipsa sanium.

Luc. 10.

1. Cor. 13.

Philip. 3.

Videbimus.

Rom. 4.

Gal. 2.

quæ in lege est, sine fide gratiæ Christi viuit, sicut se Apostolus sine querela vixisse commemorat, nullam veram putandus est habere iustitiam: non quia lex vera & sancta non est, sed quia obedire velle literæ iubēti, sine viuificante spiritu Dei, veluti ex viribus liberi arbitrij, iustitia vera non est. Iustitia verò, secundum quam iustus ex fide viuit, quoniam per spiritum gratiæ homini ex Deo est, vera iustitia est. Quæ licet non immeritò in aliquibus iustis pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur, parua tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas angelorum. Quam qui nōdum habebat, & propter illam, quæ iam inerat, perfectum: & propter istam, quæ adhuc deerat, imperfectum se esse dicebat. Sed planè minor ista iustitia facit meritum, minor illa fit præmium. Vnde qui istam non sequitur, illam non assequitur. Quocirca post resurrectionem hominis, futuram negare iustitiæ plenitudinem, & putare tātam futuram esse iustitiam in corpore vitæ illius, quanta esse potest in corpore mortis huius, dementiæ singularis est. Non autem illic incipere homines, quæ hic noluerint Dei mandata complere, verissimum est. Erit enim perfectissimæ plenitudo iustitiæ, non tamen hominum mandata sectantium, & ad eam plenitudinem proficiēdo nitentium: sed in ictu oculi, sicut ipsa futura est resurrectio mortuorum: quoniam illa perfectæ magnitudo iustitiæ, eis qui hic mandata fecerunt, præmium dabitur, non & ipsa facienda mandabitur. Sed ita dixerim, mādata fecerunt, vt ipsa mandata meminerimus pertinere ad orationem, in qua quotidie veraciter dicunt sancti filij promissionis, Fiat voluntas tua: Et, Dimitte nobis debita nostra.

Abac. 2.

Paulus quatenus perfectus, quatenus imperfectus.

Conclusio. Præ cuiusvitæ licet imperfecta iustitia plenitudinem perfectionémque futura meremur.

Matth. 6.

CAPVT VIII.

CVM igitur Pelagiani his atque huiusmodi veritatis testimonijs & vocibus vrgeantur, ne negent originale peccatum; ne gratiam Dei qua iustificamur, non gratis, sed secundū merita nostra dari dicant; ne in homine mortali quālibet sancto, & bene agente tantam dicāt esse iustitiam, vt ei non sit necessaria etiam post regenerationis lauacrum, donec istā vitam finiat, remissio peccatorum. Ergo cùm vrgentur ne ista tria dicant, & per hæc homines qui eis credūt à gratia saluatoris alienent, & elatos in superbiam, in iudicium diaboli præcipites ire persuadeant: immittunt aliarū nebulas quæstionum, in quibus eorum apud homines simpliciores, siue tardiores, siue sanctis literis minus eruditos impietas delitescat. Hę sunt nebulę de laude creaturę, laude nuptiarū, laude legis, laude liberi arbitrij, laude sāctorū, quasi quisquā nostrū ista vituperet, ac non potius omnia in honorē creatoris & saluatoris debitis laudibus prædicet. Sed neque creatura ita vult laudari, vt nolit sanari. Et nuptiæ quāto magis laudādæ sunt, tanto minus eis imputāda est pudenda carnis concupiscentia: quæ nō est à patre, sed ex mundo est. Quam profectò inuenerunt in hominibus nuptiæ, nō fecerunt: quia & illa in plurimis sine ipsis est; & ipsæ si nemo peccasset, sine illa esse potuerunt. Et lex sancta & iusta & bona; nec ipsa est gratia, & nihil ex ea rectè fit sine gratia, quia non est data quæ possit viuificare, sed præuaricationis causa posita est, vt conuictos concluderet sub peccato, & promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Et liberum arbitrium captiuatum non nisi ad peccatum valet, ad iustitiam verò nisi diuinitùs liberatum adiutumque, non valet. Ac per hoc & sancti omnes, siue ab illo antiquo Abel vsque ad Ioannem Baptistam, siue ab ipsis apostolis vsque ad hoc tempus, & deinceps vsque ad terminum seculi, in Domino laudandi sunt, non in seipsis, quia & illorum anteriorum vox est, In Dño laudabitur anima mea. Et istorum posteriorum vox est, Gratia Dei sum quod sum. Et ad omnes pertinet, Vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Et confessio com-

Pelagiani dissimulato de quo agitur argumento, alias quæstiones immittunt.

Nebulæ Pelagianorum, & calumniarum capita.

1. Ioan. 2.

Rom. 7.

Psal. 33. 1. Cor. 15. 1. Cor 1. 1. Ioan. 1.

munis est omnium, Si dixerimus, quia peccatū nō habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis nō est.

CAPVT IX.

Ostendit catholicorum sententiā inter Manichæi & Pelagianorum medā, vtramque refellere.

SED quoniam in his quinque rebus quas proposui, in quibus quærunt latebras, & de quibus connectunt calumnias, diuinis documentis produntur atque vincūtur, excogitauerūt Manichæorum detestabili nomine imperitosquos potuerint deterrere, ne aduersus eorum peruersissima dogmata aures accommodent veritati: quia scilicet Manichæi quinque istorum tria priora blasphemando condemnant; dicentes, neque humanam creaturam, neque nuptias, neque legem à summo & vero Deo esse instituta. Non aūt accipiunt quod veritas dicit, à libero arbitrio exordium sumpsisse peccatum, & ex illo esse omne vel angeli vel hominis malum: quia mali naturam semper malam & Deo coæternam nimis à Deo exorbitantes credere maluerunt. Sanctos quoque patriarchas & prophetas, quantis possunt execrationibus insectantur. Ecce vnde se putant hæretici noui Manichæorum nomine obiecto vim subterfugere veritatis, sed non subterfugiunt. Insequitur quippe illa, & simul Manichæos Pelagianosque subuertit. Homo enim dum nascitur, quia bonū aliquid est, inquantum homo est, Manichæum redarguit, laudatque creatorem: inquantū verò trahit originale peccatum, Pelagium redarguit, & habet necessarium saluatorem. Nam & quod sananda dicitur ista natura, vtrumq; repercutit: quia nec medicina opus haberet, si sana esset, quod est contra Pelagium: nec sanari posset omnino, si æternum atque immutabile malum esset, quod est contra Manichæum. Item quòd nuptijs, quas laudamus à Domino constitutas, concupiscentia carnis imputandam esse non dicimus, & contra Pelagianos est, qui eam in laudibus ponunt: & contra Manichæos, qui eam malæ naturæ tribuūt, cùm sit nostræ naturæ accidens malum, non Dei distinctione separandū, sed Dei miseratione sanandum. Item quòd dicimus legem sanctam, iustam, & bonā, non iustificandis impijs, sed conuincendis superbis, præuaricationis gratia positā; & cōtra Manichæos est, quia secundū Apostolū laudatur: & cōtra Pelagianos, quia secundū Apostolū, nemo ex lege iustificatur. Et ideò iustificandis eis, quos litera occidit, id est, quos lex bona præcipiens præuaricatione reos facit, spiritus gratiæ gratis opitulatur. Item quòd arbitriū sui in malū liberū dicimus, ad agendū bonū gratia Dei esse liberandū, cōtra Pelagianos est: quòd aūt dicimus ab illo exortum, quod antea nō erat malū, contra Manichæos est. Item quod sanctos patriarchas & prophetas debitis in Deo laudibus honoramus, aduersum est Manichæis: quòd verò & ipsis quamuis iustis & ideò placētibus propitiationem Dñi fuisse dicimus necessariam, aduersum est Pelagianis. Vtrosque igitur catholica fides sicut & cæteros hæreticos aduersarios inuenit, vtrosque diuinorum testimoniorum autoritate & luce veritatis conuincit.

Rom. 4.

CAPVT X.

Latebræ Pelagianorum inlecta obscura nec nitissaria de animæ origine quæstiones.

ADDVNT sanè ad latebrarū suarū nebulas Pelagiani, de origine animæ non necessariā quæstionē, ad hoc vt res manifestas, aliarū rerū obscuritate turbando, moliantur latendi locum. Aiunt enim *nos animarum traducem, cum peccati traduce contueri.* Quod vbi & quādo in eorum, qui defendunt aduersus istos catholicam fidem, vel sermonibus audierint, vel literis legerint, nescio. Quia etsi inuenio à catholicis de hac re aliquid scriptum; nondum contra istos fuerat veritatis suscepta defensio, neque id agebatur vt eis responderetur. Sed hoc dico, tam manifestum esse secundum Scripturas sanctas originale peccatum, atq; hoc dimitti lauacro regenerationis in paruulis, tanta fidei catholicæ antiquitate atque authoritate firmatum, tam clarè ecclesiæ celebritate notissimum; vt quicquid de animæ origine cuiuslibet inquisitione vel affirma-

tione disseritur, si contra hoc sit, verū esse non possit. Quapropter quisquis vel de anima, vel de quacunque re obscura id astruit, vnde hoc quod verissimum, fundatissimū, notissimum est, destruat siue sit ille filius, siue inimicus ecclesiæ, aut corrigēdus est, aut cauendus. Sed hic sit huius voluminis finis, vt aliud habeant quæ sequuntur exordium.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, CONTRA DVAS EPISTOLAS PELAGIANORVM AD BONIFACIVM, LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

POST hæc quæ tractauimus, quibusque respondimus, eadem repetunt, quorum redarguimus epistolā, sed diuerso modo. Nam prius ea proposuerunt nobis obijcientes, quę velut perperam sentiamus; postea verò quid ipsi sentiant exponētes, eadem à contrario reddiderunt, addentes duo quædam quæ non dixerant, id est, *baptismum se dicere omnibus ætatibus necessarium: & per Adam mortem ad nos transisse, non crimina.* Quæ suo loco & ipsa tractanda sunt. Proinde quia superiore libro, quem modū explicauimus, quinque rerum eos obtendere obstacula diximus, in quib. eorum dogmata inimica gratiæ Dei & catholicæ fidei delitescant, laude scilicet creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrij, laude sanctorum, commodius esse arbitror omnia quæ defendunt, quorum contraria nobis obijciunt, generatim distinguere, & quæ illorum ad quid istorum quinque pertineant demōstrare, vt dilucidior & probabilior ipsa distinctione possit esse nostra responsio.

Latebræ Pelagianorum quinque.

CAPVT II.

LAVDEM creaturæ, quod ad genus humanum attinet, vnde nunc quæstio est, his sententijs exequuntur, *quod nascentium conditor Deus sit, filijq; hominum opus sint Dei; & peccatum omne non de natura, sed de voluntate descendat.* Huic laudi creaturæ applicant, *quod omnibus ætatibus dicunt esse baptismū necessarium*, vt scilicet illa creatura in Dei filios adoptetur, nō quod aliquid ex parentibus trahat, quod sit lauacro regenerationis expiandum. Huic laudi adiungūt, & *quod Christum Dominū nulla dicūt macula peccati fuisse respersum, quantum attinet ad eius infantiam*, quia eius carnem ab omni peccati contagione purissimam, nō excellentia propria & gratia singulari, sed communione naturæ, quæ omnibus inest infantibus, asseuerant. Eo pertinet etiam quod *de animæ origine inserunt* quæstionem, sic animæ Christi coæquare moliētes omnes animas paruulorum, quas volunt esse similiter nulla peccati macula aspersas. Propter hoc etiam dicunt *ex Adam nihil mali transisse per cæteros, nisi mortem, quæ non semper est malum*, inquiunt, *cum & martyribus sit causa præmiorum: & vel bonam vel malam mortem dici faciat non resolutio corporum, quæ excitabuntur in omni genere hominum; sed meritorum diuersitas, quæ de humana libertate contingit.* Hæc scribunt in hac epistola de laude creaturæ. Nuptias verò secundum scripturas laudant, *quia Dominus in Euāgelio loquitur: Qui fecit ab initio masculum & fœminam fecit eos, & dixit, Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Quamuis hoc non in eo loco Euangelij, sed tamen in lege sit scriptum. Addunt etiam, *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Quæ verba Euangelica agnoscimus. In laude legis dicunt *veterem legem secundum Apostolum iustam & sanctam & bonam custodientibus mandata sua, ac per fidem iustè viuentibus, sicut prophetis & patriarchis omnibusq; sanctis, vitam potuisse conferre perpetuam.* In laude liberi arbitrij dicunt, *liberum arbitrium non perijsse, cum loquatur Dominus per prophetam. Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ edetis: si nolueritis & non audieritis, gladius vos comedet: Ac per hoc & gratiam vniuscuiusq; bonum propositum adiuuare, non tamē reluctanti studiu virtutis immittere, quia personarum acceptio non est apud Deum.* Laude sanctorum sese contegunt, dicentes *baptismā perfectè homines innouare. Siquidem Apostolus testis sit, qui per lauacrum aquæ ecclesiam de gentibus sanctam fieri immaculatamq; testatur. Sanctum quoque spiritum mentes bonas in antiquis adiuuisse temporibus, dicente Propheta, ad Deum, Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam. Omnes quoque Prophetas & Apostolos vel sanctos, tam noui quā veteris Testamenti, quibus Dominus testimonium perhibet, non in comparatione sceleratorum, sed regula virtutum iustos fuisse; in futuro autem tempore mercedem esse tam bonorum quam malorum. Cæterum neminem posse quæ hic contempserit, illic mādata persicere, quia dixerit Apostolus, Oportet nos manifestari ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis secundū quod gessit, siue bonū, siue malum.*

affirmatione disseritur, si contra hoc sit, verū esse non possit. Quapropter quisquis vel de anima, vel de quacunque re obscura id astruit, vnde hoc quod verissimum, fundatissimū, notissimum est, destruat siue sit ille filius, siue inimicus ecclesiæ, aut corrigēdus est, aut cauendus. Sed hic sit huius voluminis finis, vt aliud habeant quæ sequuntur exordium.

Esa. 8.

Rom. 2.

Ephes. 5.

Psal. 142.

2. Cor. 5.

Aperit quid his loquitur Pelagiani tē gant.

In his omnibus quicquid dicunt de laude creaturæ atque nuptiarum, ad hoc referre conantur, vt nō sit originale peccatum. Quicquid de laude legis & liberi arbitrij, ad hoc, vt gratia non adiuuet nisi meritum, ac si gratia iam non sit gratia. Quicquid de laude sanctorū, ad hoc, vt vita mortalis in sanctis videatur nō habere peccatum, nec sit eis necessarium pro dimittendis debitis suis precari Deum.

CAPVT III.

ISTA nepharia & dānabilia dogmata in hac tripertita diuisione, quisquis mēte catholica exhorret, illius quinq; partitæ latebras insidiasq; deuitet, atq; ita inter vtrunq; sit cautus, vt sic declinet Manichæū, ne se inclinet in Pelagiū; rursusq; ita se seiungat à Pelagianis, ne cōiungat Manichæis; aut si in alterutris iam tenetur, nec sic se à quibuslibet alteris seruet, vt in alteros irruat. Vidēturquippe inter se esse contrarij, quoniam quinque illa Manichei vituperando se manifestāt, Pelagiani laudādo se occultāt. Quapropter vtrosq; damnat atq; deuitat, quisquis secundū regulam catholicæ fidei sic in hominibus nascentibus de bona creatura carnis & animę glorificat creatorē, (quod nō vult Manichæus) vt tamen propter vitiū, quod in eos per peccatum primi hominis pertransijt, fateatur & paruulis necessarium saluatorem: (quod nō vult Pelagius): sic discernit malum pudendæ concupiscentiæ à bonitate nuptiarum, vt neque Manichæis similis vnde nascimur, culpet; neque Pelagianis similis vnde confundimur, laudet: sic legem per Moysēn sanctam & iustam & bonam à Deo sancto & iusto & bono datā esse defendit (quod contra Apostolum negat Manichæus) vt eam dicat & peccatum ostendere, non tamen tollere, & iustitiam iubere, nō tamen dare, (quod rursus contra Apostolum negat Pelagius:) sic asserit liberum arbitrium, vt non ex natura nescio qua semper mala; quæ nulla est, sed ex ipso arbitrio cœpisse dicat & angeli & hominis malum (quod euertit hæresim Manichæam) nec ideo tamen posse captiuā voluntatem, nisi Dei gratia respirare in salubrem libertatem, quod euertit hæresim Pelagianā: sic laudat in Deo sanctos homines Dei nō solùm ex manifestato in carne Christo & deinceps, verumetiam superiorum temporum, quos audent blasphemare Manichæi, vt tamen de ipsis plus credat ipsis confitentibus, quàm Pelagianis mētientibus. Sāctorū enim vox est, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.

Quid secundum catholicam fidem de singulis istis sentiendum.

1. Ioan. 1.

CAPVT IIII. De laude creatur.

HIS ita se habentibus, quid prodest nouellis hæreticis, inimicis crucis Christi & diuinæ oppugnatoribus gratiæ, quod à Manichæorum errore sani videntur, & alia sua pestilentia moriuntur? Quid eis prodest, quòd in laude creaturæ dicunt, Deum bonum nascentium condi-

cõditorem, per quem facta sunt omnia, eiusque opus esse filios hominum, quos Manichæi dicunt opus esse principis tenebrarũ, cũ inter vtrosq;, vel apud vtrosq; Dei creatura, quæ est in infantib⁹ pereat? Vtriq; enim nolũt eam Christi carne & sanguine liberari: illi quia ipsam carnem & sanguinem Christi, tanquã hæc omnino in homine vel ex homine, non susceperit, destruũt: isti autẽ, quia nullũ malũ inesse infantibus asserunt, vnde per sacramentũ carnis huius & sanguinis liberentur. Iacet inter illos in paruulis humana creatura institutione bona, propagatione vitiata, bonis suis confitens optimum conditorem, malis suis quærens misericordissimũ redemptorem, Manichæos habens bonorũ suorũ vituperatores; Pelagianos habens malorum suorum negatores, vtrosque persecutores. Et quamuis per infantiã loqui non valeat, specie tamẽ tacita & infirmitate abdita, impiam vanitatem vtrorumq; compellat, & illis dicens, ab eo qui bona creat, credite me creari, & istis dicens, ab eo qui me creauit, finite me sanari. Manichæus dicit, Nihil est huius infantis, nisi anima bona liberanda; cætera non ad Deum bonum, sed ad principem tenebrarum pertinent respuenda. Pelagianus dicit, Imò huius infantis nihil est liberandum, quia totum ostẽdimus saluum. Ambo mentiuntur. Sed mitior est iam carnis solius accusator, quàm qui in vniuersum conuincitur sæuire laudator. Sed neque Manichæus humanæ animæ subuenit, blasphemando authorem totius hominis Deum; nec Pelagianus humanæ infantiæ diuinã gratiam subuenire permittit, negãdo originale peccatũ. Deus ergo miseretur per catholicã fidẽ, quæ vtrãque derogãdo pernicie infantibus subuenit ad salutem,
1.Cor.3. Manichæis dicens, Audite Apostolũ clamãtem, Nescitis quia corpus vestrum templũ est in vobis Spiritus sancti? & Deum bonum creatorẽ credite corporum, quia non potest esse tẽplum Spiritus sancti opus principis tenebrarum. Pelagianis dicens, In iniquitatibus
Psal.50. C conceptus est, & in peccatis eum mater eius in vtero aluit, quem conspicitis paruulum. Quid eum tãquam ab omni noxa liberum defendendo non permittitis per indulgentiam liberari? Nemo mundus à sorde, nec infans cuius diei vnius vita sit super terram. Sinite miserum remissionem accipere peccatorum, per eum qui solus nec paruus nec magnus potuit habere peccatum. Quid eis igitur prodest, quòd dicunt *omne peccatum non de natura, sed de voluntate descendere*, & Manichæis malam naturam dicentibus causam esse peccati, huius sententiæ veritate resistere: quando nolẽtes admittere originale peccatum, cùm & ipsum sine dubio de primi hominis voluntate descendat, faciunt reos paruulos de corpore exire? Quid eis prodest
Iob.14. secundum 70. *baptismum omnibus ætatibus necessarium confiteri*: quod Manichæi dicunt in omni ætate superfluum, cùm isti dicant esse in paruulis falsum, quantum ad remissionem attinet peccatorum? Quid eis prodest, *quòd carnem Christi*, quam Manichæi nullam vel simulatam fuisse contendunt, aduersus eos isti nõ solùm veram, sed *& ipsam animam nulla peccati macula respersam fuisse* defendunt; cùm eius sic infantiæ cæreri ab eis coæquentur infantes, non impari puritate; vt & illa non videatur seruare istorum cõparatione propriam sanctitatem, & isti ex illa nullam consequantur salutem? In eo sanè quod dicunt, *per Adam mortẽ ad nos transisse, non crimina*, non habent aduersarios Manichæos: quia nec ipsi astruunt originale peccatum ex homine primo prius puro & recto corpore ac spiritu, & postea per arbitrium liberum deprauato, deinceps in omnes transisse cum morte & transire peccatum: sed carnem dicunt ab initio malam de malo corpore & à spiritu; & cum malo spiritu creatam: animam verò bonam partem scilicet Dei pro meritis inquinationis suæ per cibos & potum, in quibus antea colligata est, venire in hominem, atque ita per concubitum etiam carnis vinculo colligari. Ac per hoc Manichæi consentiunt Pelagianis, non crimen primi hominis trãsisse in genus humanum, neque per carnem, quam nunquam fuisse dicunt bonam, neque per animam, quam perhibent cum meritis inquinamentorum suorum, quibus polluta est ante carnẽ, venire in hominis carnem. Sed Pelagiani quomodo dicunt *solam mortem ad nos transisse per Adam?* Si enim propterea morimur, quia ille mortuus est; ille autem mortuus est, quia peccauit; pœnam dicunt transire sine culpa, & innocentes paruulos iniusto iudicio puniri trahendo mortem sine meritis mortis: Quod de vno solo mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu Catholica fides nouit, qui pro nobis mortem, hoc est, peccati pœnam sine peccato subire dignatus est. Sicut enim solus ideò factus est hominis filius, vt nos per illum Dei filij fieremus: ita solus pro nobis suscepit sine malis B meritis pœnam, vt nos per illum sine bonis meritis consequeremur gratiam. Quia sicut nobis non debebatur aliquid boni, ita nec illi aliquid mali. Cõmẽdans ergo dilectionem suam in eos, quibus erat daturus indebitam vitam, pati pro eis voluit indebitam mortem. Hanc singularem mediatoris prærogatiuam Pelagiani euacuare conantur, vt hoc iam non sit in Domino singulare, si Adam ita propter culpam mortem passus est debitam, vt paruuli ex illo nullam trahentes culpam, mortem patiãtur indebitam. Quamuis enim bonis conferatur per mortem plurimũ boni, (vnde nonnulli congruenter etiam de bono mortis disputauerunt) tamen & hinc quæ prædicanda est nisi misericordia Dei, quod in bonos vsus conuertitur pœna peccati? Sed hoc ideo dicunt isti, dum volunt ex verbis Apostoli in suũ sensum homines detorquere: Vbi enim ait Apostolus, Per vnum hominem pec- Rom.5.
catum intrauit in mundum, & per peccatum mors, C & ita in omnes homines pertransijt: ibi volunt intelligi non peccatum pertransisse, sed mortem. Quid est ergo quod sequitur, in quo omnes peccauerunt? Aut enim in illo vno homine peccasse dicit omnes Apostolus, de quo dixerat, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum: aut in illo peccato, aut certè in morte. Non enim mouere debet, quia non dixit, in qua, sed in quo omnes peccauerunt. Mors quippe in Græca lingua generis masculini est. Quodlibet ergo eligant: aut enim in illo homine peccauerunt omnes; & ideo dictum est, quoniam quando ille peccauit, in illo erant omnes: aut in illo peccato peccauerũt omnes, quia generaliter omnium factum est, quod nascẽtes tracturi erant omnes: aut restat vt dicant, quòd in illa morte peccauerint omnes. Sed hoc quemadmo- 1.Cor.15.
dum possit intelligi, non planè video. In peccato enim moriuntur omnes, non in morte peccãt: nam peccato præcedente, mors sequitur, non morte præcedente, D peccatum. Aculeus quippe mortis est peccatũ, id est, aculeus cuius punctione fit mors, nõ aculeus quo pũgit mors. Sicut venenum si bibitur, appellatur poculũ mortis, quòd eo poculo facta sit mors; nõ quòd morte sit poculum factum, aut à morte sit datum. Quòd si propterea non potest illis verbis Apostoli peccatũ intelligi, in quo omnes peccauerunt, quia in Græco, vnde translata est Epistola, peccatum fœmININO genere positum est; restat vt in illo primo homine peccasse omnes intelligantur: quia in illo fuerunt omnes quãdo ille peccauit, vnde peccatum nascendo trahitur, quod nisi renascendo non soluitur. Nam & sic sanctus Hilarius intellexit quod scriptum est, in quo omnes peccauerunt: ait enim, *In quo, id est, in Adam omnes peccauerunt.* Deinde addidit, *Manifestum in Adã omnes peccasse quasi in massa, Ipse enim per peccatũ corruptus,*

Nõ sola mors, sed & peccatum per Adam in nos transijt.

Solus Christus mortem sine peccato sustinuit.

Quid sit, In quo omnes peccauerũt.

θάνατος

ἁμαρτία.

Caussale sthia.

omnes

omnes quos genuit, nati sunt sub peccato. Hæc scribens A Hilarius sine ambiguitate commonuit, quomodo intelligendum esset, in quo omnes peccauerunt. Propter quid autem idem Apostolus dicit nos per Christum reconciliari Deo, nisi propter quod facti fuimus inimici? Et hoc quid est, nisi peccatum? Vnde & Pro-
Isa.59. pheta dicit, Peccata vestra separãt inter vos & Deum. Propter hanc ergo separationem mediator est missus, vt tolleret peccatum mundi, per quod separabamur inimici, & reconciliati ex inimicis efficeremur filij. Hinc vtique Apostolus loquebatur; hinc factum est vt interponeret quod ait, Per vnum hominem intrasse peccatum. Hæc enim sunt superiora verba eius.
Rom.5. Commẽdat autem, inquit, suam charitatem Deus in nobis, quoniã cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multò magis iustificati nũc in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Non solùm autem, sed & gloriã- B tes in Deo per Iesum Christũ Dñm nostrum, per quẽ & nunc reconciliationem accepimus. Deinde subiũgit: Propter hoc sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Quid tergiuersantur Pelagiani? Si omnibus necessaria est reconciliatio per Christum, per omnes trãsijt peccatũ, quo inimici fuimus vt opus reconciliari haberemus. Hæc reconciliatio est in lauacro regenerationis & Christi carne & sanguine, sine quo nec paruuli possunt habere vitam in semetipsis. Sicut enim fuit vnus
1.Cor.15. ad mortem propter peccatum, sic est vnus ad vitam
Rom.5. propter iustitiam. Quia sicut in Adam omnes moriũtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: & sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationem vitæ. Quis aduersus hæc Apostolica verba tanta duritia nefandæ impietatis obsurduit, vt his auditis mortem sine peccato in nos per C Adã transisse cõtendat, nisi oppugnatores gratiæ Dei,
Philip.3. inimici crucis Christi? Quorũ finis est interitus, si in hac obstinatione durauerint. Verùm hæc dixisse sufficiat, propter eorum illam versutiam serpentinã, qua volunt mentes corrumpere simplices, & auertere à catholicæ fidei castitate, veluti laude creaturæ.

CAPVT V. De laude Nuptiarum.

PORRO aũt de laude nuptiarum quid eis prodest, quod aduersus Manichæos, qui nuptias non Deo vero & bono assignant, sed principi tenebrarum, isti verbis verę pietatis obsistunt, dicentes, *quia Dominus in Euãgelio loquitur, Qui fecit ab initio masculum & feminam*
Matth.19. Gen.1. *fecit eos. Et dixit, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Quid eis hoc prodest per verum seducere ad falsum? Hoc enim dicunt, vt ab omni noxa liberi nasci credantur infantes, ac sic non eis opus sit reconciliari per Christum, non habentibus vllum originale peccatũ, propter quod reconciliatio necessaria est omnibus per vnum, qui sine peccato venit in mundum. Sic enim D inimicitiæ factæ sunt per vnum, per quem peccatum intrauit in mundum, quod catholicè creditur, pro saluanda natura hominum salua laude nuptiarum, quia nuptiarum laus est iusta copulatio sexuum, non iniqua defensio vitiorum. At per hoc cùm isti laudando nuptias à Manichæis homines ad seipsos volunt traducere; mutare illis morbum cupiunt, non sanare.

De laude legis.

Rursus in laude legis quid eis prodest, quod cõtra Manichæos verum dicunt, quando ex hoc ad illud volũt ducere, quod falsum contra catholicos sentiunt? Di-
Rom.7. cunt enim, *Legem etiam veterem secundum Apostolum, iustam & sanctam & bonam fatemur, quæ custodientibus mandata sua, ac per fidem iustè viuentibus, sicut Prophetis & Patriarchis, omnibusq; sanctis, vitam potuit conferre perpetuam.* Quibus verbis callidissimè positis legem contra gratiam laudant. Neque enim lex illa quamuis & iusta & sancta & bona omnibus illis hominibus Dei, sed fides quæ in Christo est, vitam potuit conferre perpetuam. Hæc enim fides per dilectionem operatur, non secundum literam quæ occidit, sed secundum spiritum qui viuificat, ad quam Dei gratiam lex de prẽuaricatione terrendo tanquam pædagogus perducit, vt sic cõferatur homini, quod conferre ipsa nõ potuit. Istis namque verbis eorum, quibus dicunt *legem Prophetis & Patriarchis omnibusq; sanctis mandata eius seruãtibus, vitam potuisse conferre perpetuam*, respondet Apostolus: Si per legẽ iustitia, Christus gra- Gal.2.
tis mortuus est. Si ex lege hæreditas, iam non ex pro- Rom.4.
missione. Si hi qui per legẽ heredes sunt, exinanita est fides, euacuata est promissio. Quia autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide viuit. Lex autem non est ex fide, sed Gala.3.
qui fecerit ea, viuet in illis. Quod ex lege testimoniũ commemoratum ab Apostolo propter vitam tempo- Qui fecerit ea, viuet in illis.
ralem intelligitur, propter cuius amittendæ timorem faciebant homines legis opera non ex fide, quæ transgressores legis eadem lege à populo iubebat occidi. Aut si altius intelligendum est, propter vitã æternam scriptum esse, Qui fecerit ea, viuet in illis: ideo sic expressum est legis imperium, vt infirmitas hominis in seipsa deficiens ad facienda quæ lex imperat, de gratia Dei potius ex fide quæreret adiutorium, cuius misericordia etiam fides ipsa donatur. Ita quippe habetur fides, sicut vnicuique Deus partitus est mensurã fidei. Si enim non à seipsis habent, sed accipiunt homines spiritum virtutis & charitatis & continentiæ: vnde dicit idem ipse doctor gentium: Non enim accepimus 2.Tim.1.
spiritum timoris, sed virtutis & charitatis & continen- 2.Cor.4.
tiæ: profectò accipitur etiam spiritus fidei, de quo dicit: habẽtes autem eundem spiritum fidei. Verum ergo dicit lex: Qui fecerit ea, viuet in illis. Sed vt faciat ea & viuat in eis, non lex quæ hoc imperat, sed fides est necessaria, quæ hoc impetrat. Quæ tamen fides vt hæc accipere mereatur ipsa gratis datur. Nusquã autem isti inimici gratiæ ad eandem gratiam vehementiùs oppugnandam occultiores moliũtur insidias, quã vbi legem laudant, quę sine dubitatione laudanda est. Legem quippe diuersis locutionum modis, & varie- Gratiã Dei, legem ipsam Pelagiani intelligunt.
tate verborum in omnibus disputationibus suis volũt intelligi gratiam, vt scilicet à Domino Deo adiutoriũ cognitionis habeamus, quo ea quæ facienda sunt nouerimus; non inspirationem dilectionis, vt cognita sancto amore faciamus, quæ propria gratia est. Nam scientia legis sine charitate inflat, non ædificat, secundũ eundem Apostolum apertissimè dicentẽ: Scic- 1 Cor 8.
tia inflat, charitas verò ædificat. Quæ sententia similis est ei qua dictum est: Litera occidit, spiritus viuificat. Quale est enim, scientia inflat: tale est, litera occidit. 2.Cor.3.
Et quale est, charitas ædificat: tale est, spiritus viuifi- cat: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Cognitio itaque legis facit superbum præuaricatorem, per donum autem charitatis delectat legis esse factorẽ. Non ergo legẽ euacuamus per fidem; sed legem statuimus, quæ terrendo ducit ad fidem. Ideo quippe lex irã operatur, vt territo atque conuerso ad iustitiam legis implendam, Dei misericordiam gratia largiatur, per Iesum Christum Dominum nostrũ, qui est Dei sapien- Prouerb.9. secundum 70.
tia, de qua scriptũ est: Legem & misericordiam in lin- 4.Reg.4.
gua portat: legem qua terreat, misericordiam, qua subuenat: legem per seruum, misericordiã per seipsum. Legẽ tanquã in baculo, quẽ misit Helisæus, ad filium Helisæi & baculi eius all goria.
viduæ suscitandũ, & nõ resurrexit. Si enim data esset lex, quę posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia. Gal.3.

Misericordiam verò tanquã in ipso Helisæo, qui figurã Christi gerẽs, mortuo viuificando magni sacramẽti velut noui testamenti significatione coniũctus est.

CAPVT VI. De laude liberi arbitrij.

ITEM quod aduersus Manichæos laudant liberum arbitrium, adhibentes propheticum testimonium: *Si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis: si autẽ nolueritis & nõ audieritis me, gladius vos consumet:* quid eis hoc prodest? quandoquidem non tam contra Manichæos defendunt, quàm contra catholicos extollunt liberum arbitrium. Sic enim volũt intelligi quod dictum est, si volueritis & audieritis me: tanquam in ipsa præcedente voluntate sit consequentis meritum gratiæ, ac sic gratia iam non sit gratia, quę non est gratuita, cũ redditur debita. Si autem sic intelligerẽt quod dictũ est, si volueritis; vt etiã ipsam bonam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo scriptum est, Præparatur voluntas à Domino: tãquam catholici vterentur hoc testimonio, & non solum hæresim veterem Manichæorum vincerent, sed nouã Pelagianorum contererent. Quid eis prodest, quòd in laude ipsius liberi arbitrij *gratiam dicunt adiuuare vniuscuiusque bonum propositum*? Hoc sine scrupulo acciperetur catholicè dictum, si nõ in bono proposito meritum ponerẽt, cui merito iam merces secundum debitum, non secundum gratiã redderetur: sed intelligerent & confiterentur etiam ipsum bonũ propositum, quod consequens adiuuat gratia, nõ esse potuisse in homine, si non præcederet gratia. Quomodo enim est hominis bonum propositum sine miserante prius Domino: cùm ipsa sit bona voluntas, quæ præparatur à Deo? Quod autem cum dixissent *gratiam quoque adiuuare vniuscuiusque propositũ bonum*, mox addiderunt, *non tamen reluctanti studium virtutis immittere:* posset bene intelligi, si non ab istis, quorum sensus notus est, diceretur. Reluctanti enim prius aditus diuinæ vocationis ipsa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo iam non reluctante spiritus virtutis accenditur. Veruntamen in omnibus quæ quisque agit secũdum Deum, misericordia eius præuenit eum. Quod isti nolunt, quia non esse catholici, sed Pelagiani volunt. Multum enim delectat impietatem superbam, vt etiam id quod cogitur confiteri à Dño datum, non sibi donatum videatur esse, sed redditum: vt scilicet filij perditionis non promissionis ipsi credãtur se bonos fecisse, & Deus iam bonis à seipsis effectis, pro isto eorum opere debitũ præmiũ reddidisse. Ita namque illis tumor ipse aures cordis obstruxit, vt non audiant, Quid enim habes quod non accepisti? Nõ audiãt, Sine me nihil potestis facere. Non audiãt, Charitas ex Deo est. Nõ audiant, Deus partitus est mensuram fidei. Non audiant, Spiritus vbi vult spirat. Et qui spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Non audiãt, Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Non audiãt quod Esdras scribit, Benedictus est Dominus patrum nostrorum, qui hoc dedit in cor regis clarificare domum suam, quę est in Hierusalem: Non audiant quod per Hieremiam dicit Dominus, Et timorem meum dabo in cor eorum vt à me nõ recedant, & visitabo eos vt bonos eos faciam. Maximeque illud per Ezechielem Prophetã, vbi prorsus Deus ostendit nullis se hominum bonis meritis prouocari, vt eos bonos faciat, id est, obedientes mandatis suis: sed potius hæc eis retribuere bona pro malis, propter se ipsum hoc faciendo, non propter illos. Ait enim, Hæc dicit Dominus Deus: Ego faciam domus Israel, sed propter nomen meum sanctum, quod prophanastis in gentibus, quo intrastis illuc, & sanctificabo nomen meum magnum, quod prophanatum est in gentibus, & prophanastis in medio eorum, & scient gentes, quia ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus, cùm sanctificatus fuero in vobis ante oculos eorum: & accipiam vos de gentibus, & congregabo vos ex omnibus terris, & inducã vos in terrã vestram, & aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & mũdabo vos, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo in vobis, & auferetur cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneũ, & spiritũ meũ dabo vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Et post aliquanta per eundem ipsum prophetam, Non propter vos, inquit, ego facio, dicit Dominus Deus, notum sit vobis, Confundimini & erubescite de vijs vestris domus Israel. Hæc dicit Dominus Deus, In die quo mundauero vos ab omnibus iniquitatibus vestris, cõstituam ciuitates, & ædificabuntur deserta, & terra exterminata præparabitur, pro eo quod exterminata est ante oculos omnis prætereuntis. Et dicent, Terra illa exterminata est, facta est sicut ortus voluptatis, & ciuitates desertæ & exterminatæ & effossæ, muniræ sederunt: Et scient gẽtes quæcunque relictæ fuerint in circuitu vestro, quia ego Dominus ædificaui destructas, plãtauique exterminatas. Ego Dominus locutus sum, & feci. Hæc dicit Dominus, Adhuc hoc inquiram domui Israel vt faciam eis: Multiplicabo eos sicut oues homines, sicut oues sanctas, sicut oues Hierusalem in diebus festis eius: Sic erunt ciuitates illæ desolatæ, plenæ ouibus hominum; & scient quia ego Dominus.

Quid remansit pelli morticinæ vnde possit inflari, & dedignetur quando gloriatur, in Domino gloriari? Quid ei remansit, quando quicquid dixerit se fecisse, vt eo præcedente hominis merito ab homine exorto Deus subsequenter faciat, quo dignus est homo: respondetur, reclamatur, contradicitur. Ego facio, sed propter nomen meum sanctum, non propter vos ego facio, dicit Dominus Deus? Nihil sic euertit Pelagianos, dicentes gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod quidem ipse Pelagius & si non corrigendo, tamen orientales iudices timendo damnauit. Nihil sic euertit hominum præsumptionem dicentium, nos facimus vt mereamur, cum quibus faciat Deus. Respondet vobis non Pelagius, sed ipse Dominus, Ego facio, & non propter vos, sed propter nomen meum sanctum. Quid enim potestis facere boni de corde non bono? Vt autem habeatis cor bonũ, Dabo, inquit, vobis cor nouum, & spiritum meum dabo vobis. Nũquid potestis dicere, Prius ambulauimus in iustificationibus eius, & iudiciũ eius obseruauimus, & fecimus vt digni essemus, quibus gratiam suam daret? Quid enim boni faceretis homines mali? Et quomodo ista bona faceretis, nisi boni essetis? Vt autẽ homines sint boni, quis facit, nisi ille qui dixit, Visitabo eos, vt eos bonos faciam? Et qui dixit, Spiritum meum dabo vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis? Itane nõdum euigilatis? Non auditis: Faciam vt ambuletis, faciam vt obseruetis; postremò, faciam vt faciatis? Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum est; nos obseruamus, nos facimus; sed ille facit vt ambulemus, vt obseruemus, vt faciamus. Hæc est gratia Dei bonos faciens nos, hæc misericordia eius præuertiens nos. Quid merentur deserta & exterminata, & effossa, quæ tamen ædificabuntur & operabuntur & munientur? Nunquid hæc pro meritis desertionis, exterminationis, effossionis suæ? Absit: Ista enim merita mala sunt, hæc munera bona. Reddũtur itaque malis bona. Gratuita ergo, nõ debita, & ideo gratia. Ego, inquit Dñs, Ego Dñs: Nónne te ista vox cõprimit, ô humana superbia, quæ dicis, ego facio vt merear à Dño ædificari atque plantari? Nónne audis, Non propter vos ego facio, Ego Dominus ædificaui destructas, plãtaui exterminatas. Ego Dominus locutus sum & feci: non

Esa. 1.

Prouerb. 8. secũdũm 70.

Reluctantes Dei gratia præuenit, vt volentes fiãt.

1. Cor. 4. 1. Ioan. 15. 1. Ioa. 4. Rom. 12. Ioan. 3. Rom. 8. Ioan. 6.

3. Esd. 8.

Hier. 32.

Ezech. 36.

non tamen propter vos, sed propter nomẽ meum sanctũ. Quis multiplicat sicut oues homines, sicut oues sanctas, sicut oues Hierusalem? Quis facit vt ciuitates illæ desolatæ plenæ sint ouium hominum, nisi ille qui sequitur & dicit: Et scient quia ego Dñs? Sed quibus ouibus hominibus implet, sicuti est pollicitus, ciuitates, vtrum quas inuenit, an quas facit? Psalmum interrogemus. Ecce respondet, audiamus: Venite adoremus & procidamus, ploremus ad Dominum qui fecit nos, quia ipse est Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & oues manus eius. Ipse igitur facit oues, quibus desolatas impleat ciuitates. Quid mirũ? Quãdoquidem illi vnicæ oui dicitur, hoc est Ecclesiæ, cuius membra sunt omnes oues homines: Quoniã ego sum Dominus qui facio te? Quid mihi obtendis liberum arbitrium, quod ad faciendam iustitiam liberum non erit, nisi ouis fueris? Qui facit igitur oues homines, ipse ad obedientiam pietatis, humanas liberat voluntates. Sed quare istos homines oues facit, & istos non facit, apud quem non est acceptio personarum? Ipsa est quæstio quam beatus Apostolus curiosius quã capacius proponentibus ait, O homo tu quis es vt respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti? Ipsa est quæstio quæ ad illam pertinet altitudinẽ, quam perspicere volens idem Apostolus, quodammodo expauit & exclamauit: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis cõsiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniã ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum. Non itaq; istã scrutari audeant inscrutabilem quæstionem, qui meritum ante gratiam, & ideo iam cõtra gratiam defendentes, priores volunt dare Deo, vt retribuatur eis: priores vtique dare quodlibet ex libero arbitrio, vt sit gratia retribuenda pro præmio, & sapienter intelligãt, vel fidelitter credant etiã quod se putant priores dedisse, ab illo ex quo sunt omnia, per quem sunt omnia, in quo sunt omnia percepisse. Cur autẽ iste accipiat, ille nõ accipiat, cũ ambo non mereãtur accipere, & quisquis eorũ acceperat, indebitè accipiat, vires suas metiantur, & fortiora se non scrutentur. Sufficiat eis scire, quòd nõ sit iniquitas apud Deum. Cùm enim nulla merita inuenisset Apostolus, quibus Iacob geminũ apud Deum præcederet fratrẽ: Quid ergo dicemus, inquit? Nunquid est apud Deum iniquitas? Absit. Moysi enim dicit, Miserebor, cui misertus ero; & misericordiam præstabo, cui misericors fuero. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Grata sit ergo nobis eius gratuita miseratio, etiam si hæc profunda insoluta sit quæstio. Quæ tamen hactenus soluitur, quatenus eam soluit idem Apostolus dicens: Si autem Deus volens ostendere iram & demõstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt, in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Ira quippe non redditur, nisi debita, ne sit iniquitas apud Deum: misericordia verò etiam cùm præbetur indebita, non est iniquitas apud Deũ. Et hinc intelligũt vasa misericordiæ, cũ gratuita illis misericordia præbeatur, quod iræ vasis cũ quibus est eis perditionis causa & massa cõmunis, ira debita & iusta repẽditur. Hæc iã satis sint aduersus eos, qui per arbitrij libertatem destruere volũt gratię largitorem.

CAPVT VII. De laude sanctorum.

QVOD verò laude sanctorum, nolunt nos affectu illius publicani esurire & sitire iustitiam, sed vanitate illius Phariſæi tanquam saturatos plenosq; ructare; quid eis prodest quòd aduersus Manichæos, qui baptisma destruunt, isti dicunt *baptismo perfectè homines innouari*, atque ad hoc Apostoli adhibent testimoniũ, *qui per lauacrũ aquæ Ecclesiam de gentibus sanctam fieri immaculatamq; testatur*, cùm superbo sensu atque perverso cõtra orationes ipsius Ecclesiæ suas exerant disputationes? Hoc enim propterea dicunt, vt credatur Ecclesia post sanctum baptismum, in quo fit omnium remissio peccatorum, vlterius non habere peccatum, cùm aduersus eos illa à solis ortu vsque ad occasum omnibus suis membris clamet ad Deum: Dimitte nobis debita nostra. Quid quòd etiã de seipsis in hac causa si interrogentur, quid respondeant non inueniunt? Si enim dixerint se non habere peccatum, respondet eis Ioannes quòd seipsos decipiãt, & veritas in eis non sit. Si aũt confiteantur peccata sua, cùm se velint esse Christi corporis membra, quomodo erit illud corpus, id est, Ecclesia in isto adhuc tẽpore perfecta, sicut isti sapiunt, sine macula & ruga, cuius membra non mendaciter confitentur se habere peccata? Quapropter & in baptismate dimittuntur cuncta peccata, & per ipsum lauacrũ aquæ in verbo exhibetur Christo Ecclesia sine macula & ruga. Quia nisi esset baptizata, infructuosè diceret, Dimitte nobis debita nostra: donec perducatur ad gloriã, vbi ei perfectius nulla insit macula & ruga. *Et spiritum sanctum* fatendum est *etiam antiquis temporibus* non solùm *mentes bonas adiuuasse*, quod & isti volũt, verùm etiam bonas eas fecisse, quod nolunt. *Omnes quoque Prophetas & Apostolos vel sanctos & Euangelicos & antiquos, quibus Deus testimoniũ perhibet, non in comparatione sceleratorum, sed regula virtutum iustos fuisse* non dubium est, quod aduersum est Manichęis, qui Patriarchas, Prophetasq; blasphemãt. Sed quod aduersum est & Pelagianis, interrogati omnes de seipsis cũ in hoc corpore degerent, vna voce concordissima responderent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. *In futuro aũt tempore* negandum non est *mercedem esse tam bonorum operum quàm malorum: & nemini præcipi quæ hic contempserit; illic mandata persicere:* sed planè istam saturitatem, vbi peccatum esse non possit, quę hic à sanctis esuritur, & sititur, hic sperari in præcepto, ibi percipi in præmio, eleemosynis & orationibus impetrantibus, vt quod hic minus impletũ fuerit mandatorum, fiat impunitum per indulgentiam peccatorum. Quæ cùm ita sint, desinant Pelagiani quinque istarũ rerum inuidiosissimis laudibus, id est, laude creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrij, laude sanctorum, quasi Manichæorum tendiculis fingere se homines velle eruere, vt possint eos suis retibus implicare, id est, vt negent originale peccatum, & paruulis inuideant Christi medici auxilium: & vt dicant, gratiam Dei secundũ merita nostra dari, ac sic gratia iam non sit gratia: & vt dicãt sanctos in hac vita non habuisse peccatum, ac sic euacuetur oratio quam sanctis tradidit, qui non habebat peccatum, & per quem sanctis orantibus dimittitur omne peccatũ. Ad hęc tria mala homines incautos & ineruditos quinq; illorũ bonorũ fraudulẽta laude seducũt. De quibus omnibus satis me existimo respõdisse eorũ crudelissimæ & impiissimæ & superbissimæ vanitati.

CAPVT VIII. Profert contra Pelagianos veterum Patrum testimonia.

SED quoniam dicũt *inimicos suos dicta nostra in veritatis odiũ suscepisse; & toto penitus Occidente non minus stultum quàm impium dogma esse susceptum; & simplicibus Episcopis sine congregatione synodi in locis suis sedentibus ad hoc cõfirmandum subscriptionem queruntur extortam;* cũ potius eorũ profanas vocum nouitates Ecclesia Christi & occidẽtalis & orientalis horruerit: ad eutam nostrã existimo pertinere, nõ solũ scripturas sanctas canonicas aduersus eos testes adhibere, quod iam satis fecimus: verũetiam de sanctorũ literis, qui eas antè fama celeberrima & ingenti gloria tractauerũt, aliqua documẽta proferre: nõ quò canonicis libris à nobis vllius disputatoris æquetur authoritas, tanquã omnino

Matth. 6.

1. Ioan. 1.

Ecclesia huius temporis non est sine macula & ruga.

1. Ioan. 1.

Psal. 94.

Cur Deus alios eligit, alios non eligit.

Rom. 2. & 9

Rom. 11.

Exod. 33.

Rom. 9.

CAPVT VII. De laude sanctorum. Luc. 18.

Ephes. 5.

Conclusio.

nino non sit quod melius seu verius ab aliquo catholico, quàm ab alio itidem catholico sentiatur: sed vt admoneantur, qui putant istos aliquid dicere, quemadmodũ de his rebus ante noua istorum vaniloquia, catholici antistites eloquia diuina secuti sint: & sciant à nobis rectam & antiquitus fundatam catholicam fidem aduersus recentem Pelagianorum hæreticorum præsumptionem perniciemq; defendi. Beatissimum, corona etiam martyrij gloriosissimum Cyprianum, nec Aphricanis atque occidentalibus tantum, verùm & orientalibus Ecclesijs fama prædicante, & scripta eius longè lateque diffundente notissimum, etiam ipse hæresiarches istorum Pelagius cum debito certè honore commemorat, vbi testimoniorum librũ scribens, eum asserit imitari, *hoc se dicens facere ad Romanũ, quod ille fecerit ad Quirinum.* Videamus ergo quid de originali peccato, quod per vnum hominem intrauit in mundum, senserit Cyprianus. In epist. De opere & eleemosynis ita loquitur: *Cum Dominus aduenientes sanasset illa, quæ Adam portauerat vulnera, & venena serpentis antiqui curasset, legem dedit sano & præcepit, ne vltra iam peccaret, ne quid peccanti grauius eueniret. Coarctati eramus, & in angustum innocentiæ præscriptione cõclusi: nec habebat, quid fragilitatis humanæ infirmitas atque imbecillitas faceret, nisi iterũ pietas diuina subueniens iustitiæ, & misericordiæ operibus ostensis, viam quandam tuendæ salutis aperiret; vt sordes postmodum quascunque contrahimus, eleemosynis abluamus.* Hoc testimonio duas istorum falsitates testis iste redarguit. Vnam, qua dicunt nihil vitiorum ex Adam trahere genus humanum, quod sit curandũ sanandumq́ue per Christum. Alteram, qua dicunt nullum post baptismum sanctos habere peccatum. Rursum in eadem Epistola: *Ponat,* inquit, *vnusquisque ante oculos suos diabolum cum suis seruis, id est, cũ populo perditionis ac mortis in mediũ prosilire, plebem Christi præsente ac iudicante ipso comparationis examine prouocare dicentem, Ego pro istis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucẽ pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam precio passionis & cruoris redemi, sed nec regnum illis cæleste promitto, nec ad paradisum restituta immortalitate denuò reuoco.* Respondeant Pelagiani, quando fuerimus in immortalitate paradisi, & quomodo inde fuerimus expulsi, vt ex eo Christi gratia reuocemur. Et cùm inuenire nequiuerint, quid hic pro sua peruersitate respõdeãt, attendant quemadmodum intellexerit Cyprianus quod ait Apostolus, In quo omnes peccauerunt, & Pelagiani hæretici noui de Manichæis veteribus hæreticis nulli catholico audeant irrogare calumniam, ne tam sceleratam etiam martyri antiquo Cypriano facere conuincãtur iniuriam. Hoc enim & in Epistola, cuius de Mortalitate titulus inscribitur, ita dicit: *Regnũ Dei fratres dilectissimi esse cœpit in proximo, præmium vitæ & gaudium salutis æternæ, & perpetua lætitia & possessio paradisi nuper amissa, mundo transeunte iam veniunt.* Hoc rursus in eadem: *Amplectamur,* inquit, *diem qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos, & laqueis secularibus exolutos paradiso restituat & regno.* Item in Epistola de Patientia, *Dei sententia cogitetur,* inquit, *quã in origine mundi statim & generis humani Adam præcepti immemor, & datæ legis transgressor accepit: tunc sciemus quàm patientes in illo seculo esse debeamus, qui sic nascimur vt pressuris istis & conflictationibus laboremus. Quia audisti,* inquit, *vocem mulieris tuæ, & manducasti ex illa arbore, ex qua sola præceperam tibi ne manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In tristitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos eijciet tibi, & edes pabulũ agri. In sudore vultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terra de qua sumptus es, quoniam terra es, & in terram ibis. Huius sententiæ vinculo colligati omnes & constricti sumus, donec morte expuncta de isto seculo recedamus.* Itemque in eadem: *Nam cũ in illa,* inquit, *prima trãsgressione præcepti firmitas corporis cum immortalitate discesserit, & cum morte infirmitas venerit; nec possit firmitas recipi, nisi cum recepta & immortalitas fuerit, oportet in hac fragilitate atque infirmitate corporis luctari semper & congredi. Quæ luctatio & congressio non nisi patientiæ potest viribus sustineri.* In Epistola autem quam scripsit ad Episcopũ Fidũ, cũ sexaginta sex coepiscopis suis, à quo fuerat consultus propter circũcisionis legem, vtrũ ante octauũ diem baptizari liceret infantẽ; hæc causa sic agitur, tanquam prouisione diuina tam longè futuros hereticos Pelagianos iam catholica cõfutaret Ecclesia. Neque enim qui cõsuluerat inde dubitabat, vtrũ nascentes traherent originale peccatum, quod renascendo diluerẽt. Absit enim, vt hinc aliquãdo fides Christiana dubitauerit. Sed ille dubitabat, vtrũ regenerationis lauacrũ, quo nõ dubitabat, soluendum originale peccatum, ante diẽ tradi deberet octauum. Ad quam consultationem, respondens beatiss. Cyprianus: *Quantum verò,* inquit, *ad causam infantum pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sunt constitutos baptizari non oportere, & considerãdam esse legẽ circumcisionis antiquæ, vt intra octauũ diem eum qui natus est baptizandum & sanctificandum non putares; longè aliud in concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim quod putabas esse faciendum, nemo consensit, sed vniuersi potius iudicauimus nulli hominum nato misericordis Dei gratiam denegãdam. Nam cùm Dominus in Euãgelio suo dicat, Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare; quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est.* Et paulò pòst: *Nec aliquis,* inquit, *nostrum id debet horrere, quod Dominus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans à partu nouus est, non ita est tamẽ, vt quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat osculari: quãdo in osculo infantis vnusquisq; nostrũm pro sua relligione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modò formato & recẽs nato quodammodo exosculamur, quando id quod Deus fecit amplectimur.* Item paulò pòst, *Cæterùm si homines,* inquit, *impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset, magis adultos & prouectos & maiores natu possent impedire peccata grauiora. Porrò autem si etiã grauissimis delictoribus, & in Deum multo antè peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quòd secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit. Qui ad remissam peccatorum accipiẽdam, hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.* Quid ad ista dicturi sunt gratiæ Dei, nõ solùm desertores, sed etiam persecutores? Quid ad ista dicturi sunt? Quo pacto nobis paradisi possessio redditur? Quomodo paradiso restituimur, si nunquam ibi fuimus? Aut quomodo ibi fuimus nisi quia in Adam fuimus? Et quomodo ad sententiã quæ in transgressorem dicta est, pertinemus, si noxam de transgressore non trahimus? Postremò si baptizandos etiam ante diem censet octauum, ne per contagium mortis antiquæ prima natiuitate contractum pereant animæ paruulorum, quomodo pereant si ex hominibus etiam fidelibus qui nascuntur, non tenentur à diabolo donec renascantur in Christo, & eruti de potestate tenebrarum in regnum illius transferantur? Et quis dicit nascentium nisi renascantur, animas perituras? Nempe ille qui sic laudat creatorem atque creaturam, opificem atque opus, vt humani sensus horrorem quo dedignantur homines recentes ab vtero paruulos osculari, creatoris ipsius interposita veneratione cõpescat & corrigat dicẽs, in illius ætatis osculo recentes Dei manus esse cogitandas. Nunquid

Cyprianus.

Pelagius Cyprianum imitatus, librum scripsit testimoniorum sed hæreticum, de quo plurimum Scholijs.

Rom 5.

Cypriani testimonium de originali peccato.

Ioan. 5.

Lib. 3. epist. 8.

Lib. de Mortalitate.

Lib. de Patientia.

Gen. 3.

ergo confitens originale peccatum, aut naturam damnauit, aut nuptias? Nunquid quoniam nascenti ex Adam reo adhibuit regenerationis purgationem, ideo Deum negauit nascentium conditorem? Nunquid quia mẽtuens animas cuiuslibet ætatis perire, etiã ante diem octauum liberandas esse sacramẽto baptismi cum collegarum concilio iudicauit, ideo nuptias accusauit, quandoquidẽ in infante siue de cõiugio, siue adulterio, tamen quia homo natus est, recentes Dei manus dignas etiam osculo pacis ostendit? Si ergo potuit sanctus Episcopus & martyr gloriosissimus Cyprianus peccatum originale in infantibus medicina Christi censere sanãdum, salua laude creaturæ, salua laude nuptiarum, cur nouitia pestilentia, cùm istum nõ audeat dicere Manichæum, catholicis qui ista defendunt, vt obtegat proprium, putat obijciendum crimen alienum? Ecce prædicatissimus tractator diuinorum eloquiorum, antequàm terras nostras vel tenuissimus odor Manichæi pestilentiæ tetigisset, sine vlla vituperatione diuini operis atque nuptiarum, cõfitetur originale peccatum, non dicens Christum vlla peccati macula aspersum, nec tamen ei comparans carnem peccati in nascentibus cæteris, quibus per similitudinem carnis peccati mundationis præstet auxilium: nec originis animarũ obscura quæstione terretur, quo minus eos, qui Christi gratia liberantur, in paradisum remeare fateatur. Nunquid ex Adam dicit in homines mortis conditionem sine peccati contagione trãsisse? Non enim propter corporis mortem vitandam, sed propter peccatum, quod per vnum intrauit in mundum, dicit per baptismum paruulis ab vtero quamlibet recentissimis subueniri.

CAPVT IX. Cypriani testimonia de gratia Dei.

IAM verò gratiam Dei quemadmodum aduersus istos prædicet Cyprianus, vbi de oratione Dominica disputat, euidenter apparet. Ait enim, *Dicimus: Sanctificetur nomen tuũ: non quòd optemus Deo vt sanctificetur orationibus nostris; sed quòd petamus à Deo vt nomen eius sanctificetur in nobis. Cæterum à quo Deus sanctificatur, qui ipse omnes sanctificat? Sed quia ipse dixit, Sancti estote, quoniã ego sanctus sum: id petimus & oramus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus.* Et alio loco in eadẽ Epistola: *addimus quoq;,* inquit, *et dicimus, Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra: nõ vt Deus faciat quod vult, sed vt nos facere possimus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quo minus quod velit faciat? Sed quia nobis à diabolo obsistitur, quo minus per omnia noster animus atque actus Deo obsequatur, oramus & petimus, vt fiat in nobis voluntas Dei. Quæ vt fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope eius & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia & misericordia tutus est.* Item alio: *Fieri autem petimus,* inquit, *voluntatem Dei in cælo & in terra, quod vtrunque ad consummationem nostræ incolumitatis pertinet & salutis. Nam cùm corpus è terra & spiritũ possideamus è cælo, ipsi terra & cælũ sumus, & in vtroque, id est, in corpore & spiritu, vt Dei voluntas fiat, oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus aduersus se inuicem quotidiana congressio, vt non quæ vultis, ipsa faciamus, dum spiritus cælestia & diuina quærit, caro terrena & secularia concupiscit. Et ideo petimus inter duo ista ope & auxilio Dei concordiam fieri, vt dum & in spiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est, anima seruetur. Quod apertè atq. manifestè Apostolus Paulus sua voce declarat: Caro,* inquit, *concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim inuicem aduersantur, vt non quæ vultis ipsa faciatis.* Et paulo pòst: *Potest & sic intelligi,* inquit, *fratres dilectissimi, vt quoniam mandat & docet Dominus etiam inimicos diligere, & pro his quoque qui nos persequuntur orare; precemur & pro illis qui adhuc terra sunt, & nec dum cælestes esse cœperunt, vt & circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem cõseruando & redintegrando perfecit.* Itemque alio: *Hũc aũt panẽ,* inquit, *dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum† absentes, & non communicantes, à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Et aliquanto pòst in eadem: *Quando autem rogamus,* inquit, *ne intentationem ueniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atque arroganter aliquid assumat, ne quis aut confessionis, aut passionis gloriam suam ducat, cùm Dominus ipse humilitatem docens dixerit: Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: vt dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo, quicquid suppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.* Item ad Quirinũ, in quo opere se Pelagius vult eius imitatorem videri, ait in libro tertio: *In nullo gloriandum, quando nostrũ nihil sit.* Cui proposito testimonia diuina subiungens, inter cetera posuit Apostolicũ illud, quo istorũ maximè ora claudẽda sunt, *Quid enim habes quod nõ accepisti? Si aũt accepisti, quid gloriaris, quasi nõ acceperis?* Item in Epistola De patientia: *Est enim nobis,* inquit, *cum Deo virtus ista cõmunis. Inde patiẽtia incipit, inde claritas & dignitas cauit sumit, origo & magnitudo patiẽtiæ Deo authore procedit.* Nũquid iste factus tã memorabilis Ecclesiarũ in verbo veritatis instructor, liberũ arbitriũ negat esse in hominibus, quia Deo totum tribuit quòd rectè viuimus? Nũquid legẽ Dei culpat, quando non ex ipso iustificari hominẽ significat, quãdoquidẽ quod illa iubet à Dño Deo precibus impetrandũ esse declarat? Nũquid sub nomine gratiæ fatũ asserit, quamuis dicat in nullo gloriãdum, quando nostrũ nihil sit? Nunquid sicut isti spiritũ sanctum adiutoriũ ita credit esse virtutis, tanquam ipsa virtus quẽ ad hoc adiuuatur, oriatur ex nobis: quando nostrũ nihil esse asserens, propter hoc Apostolũ dixisse commemorat: Quid enim habes quod nõ accepisti? virtutemq; excellentissimã, hoc est patientiam, non à nobis dicit incipere, ac deinde adiuuari spiritu Dei: sed ab ipso caput, ab ipsõ originem sumere? Postremò nec propositum bonũ nec studiũ virtutis, nec mentes bonas sine gratia Dei incipere & esse in hominibus cõfitetur, cũ dicit in nullo gloriandũ, quãdo nostrum nihil sit. Quid tam in libero arbitrio constitutũ, quàm quod lex dicit, non adorandũ idolũ, nec mœchãdum, non homicidiũ perpetrandũ? Ista aũt sunt atq; huiusmodi crimina; quæ si quisquã commiserit, à corporis Christi cõmunione remouetur. Et tamen si beatissimus Cyprianus his nõ cõmittẽdis existimaret nostrã sufficere voluntatẽ, nõ sic intelligeret quod in oratione Dñica dicimus: Panẽ nostrũ quotidianũ da nobis hodie, vt hoc nos petere asseueraret, ne intercedente aliquo grauiore delicto, dum absentes & nõ cõmunicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur. Respondeãt certè hæretici noui, quid bonorũ meritorũ præcedat in hominibus inimicis nomini Christiano. Nõ solũ enim non habẽt bonũ, sed habẽt etiã pessimũ meritũ. Et tamẽ etiam sic Cyprianus intelligit, quod in oratione dicimus: Fiat volũtas tua sicut in cælo & in terra: vt & pro ipsis qui propter hoc terra intelliguntur, oremus. Oramus ergo nõ solùm pro nolentibus, verumetiam pro repugnãtibus & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi vt fiant ex nolẽtibus volentes, ex repugnãtibus consentiẽtes, ex oppugnãtibus amãtes? A quo, nisi ab illo de quo scriptũ est, Præparatur volũtas à Deo? Discãt ergo esse catholici qui dedignantur, si quid mali non faciũt, & si quid boni faciunt, non in seipsis, sed in Domino gloriari.

ILLVD iam tertium videamus, quod non minus in istis

Manichæi Cypriano post feriores.

Cypriannus legit abstẽti.

Matt. 26.

Lib. 3 ad Quirinum contra Iudæos cap. 4.

1 Cor. 4.

Lib. de patiẽtia.

Matt. 6.

Leuit. 19.

Matt. 6.

Gal. 5.

Matt. 5.

Exod. 20.

Prog. secundum 70.

CAP. X.

Cypriani testimonia de iustitiæ nostræ imperfectione.

in istis omne Christi membrũ,& totũ eius corpus exhorret,quia contẽdũt esse in hac vita, vel fuisse iustos, nullum habentes omnino peccatum. Qua præsumptione apertissimè orationi Dominicæ contradicunt, in qua omnia membra Christi, Dimitte nobis debita nostra, veraci corde,& quotidianis vocibus clamant. Videamus ergo quid etiam in hoc Cyprianus in Dño gloriosissimus senserit,quid ad instruẽdas Ecclesias nõ vtiq; Manichæorũ,sed catholicorũ,nõ solùm dixerit, verũetiam literis memoriæq; mandauerit in Epistola, De opere & eleemosynis, agnoscimus. *Itaque fratres,* inquit, *dilectissimi, diuinæ indulgentiæ salubre munus, vt emundandis purgandisq; peccatis nostris, qui sine aliquo cõscientiæ vulnere esse nõ possumus, medelis spiritualib. vulnera nostra curemus. Neq; quisquàm sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, vt innocẽtia sua fretus medicinã nõ putet adhibendam esse vulneribus, cũ scriptũ sit: Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundũ se esse à peccatis? Et iterũ in Epistola Ioannes ponat & dicat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem nemo sine peccato esse potest, & quisquis se inculpatũ dixerit, aut superbus aut stultus est, cùm sciat non deesse sanatis quæd i postmodũ vulnera, dedit curandis denuò saluandisq; vulneribus remedia salutaria.* Rursus in eadem: *Et quoniã quotidie,* inquit, *deesse non potest quod peccetur in cõspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerunt, quibus posset peccata tergi.* Item in Epistola De mortalitate: *Cũ auaritia,* inquit, *nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est; cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus assidua & molesta luctatio est; obsessa mẽs hominis, & vndique diaboli infestatione vallata; vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido cõpressa est, succedit ambitio: si ambitio contẽpta est, ira exasperat, instat superbia, vinolẽtia inuitat, inuidia cõcordiã rumpit, amicitiã scelus abscindit: cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet: cõpelleris iurare quod nõ licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter diaboli laqueos diu stare, cum magis concupiscendum & optandũ ad Christũ subueniente velocius morte properare.* Item in ipsa: *Beatus,* inquit, *apostolus Paulus in Epistola sua ponit & dicit: Mihi viuere Christus est, & mori lucrũ: lucrũ putans maximum iam secularibus laqueis nõ teneri, iam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri.* Item de oratione Dominica exponens quod petimus dicentes: Sanctificetur nomen tuum: ait inter cętera: *Opus est enim nobis quotidiana sanctificatione, vt qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua repurgemus.* Rursus in eadem cùm exponeret, quod dicimus: Dimitte nobis debita nostra: *Quàm necessariè autem,* inquit, *quàm prouidenter & salubriter admonemur, quòd peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, vt dum indulgẽtia de Deo petitur, conscientiæ suæ animus recordetur. Et ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare. Sic denique & Ioannes in Epistola sua monet dicens: Si dixerimus quia peccatũ non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autẽ confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est qui nobis peccata dimittat.* Merito & ad Quirinum de hac re absolutissimã sententiam suam proposuit, cui testimonia diuina subiungeret; Neminẽ sine sorde & sine peccato esse: vbi etiam illa testimonia posuit, quibus confirmatur originale peccatum, quæ conãtur isti in nescio quos alios nouos sensus prauosque conuertere. Siue quod ait sanctus Iob: Neminem esse sine sorde, nec cuius sit vita diei vnius super terrã: siue quod in Psalmo legitur; In facinore conceptus sum, & in peccatis me mater mea in vtero aluit. Quibus testimonijs propter eos etiã qui iam in ætate maiori sunt sancti, quia

Matth. 6.

Lib. de Opere & eleemosynis.

Prou. 20.

1. Ioan. 1.

Lib. de Mortalitate.

Phil. 1.

Matth. 6.

1. Ioan. 1.

Lib. 3. cap. 54.

Iob 14. secundum 70.

Psal. 50.

A nec ipsi sunt sine sorde atque peccato, adiunxit etiam illud beatissimi Ioannis, quod multis & alijs locis sæpe commemorat, Si dixerimus quia peccatum non habemus: & cætera eiusdem sententiæ, quæ ab omnibus catholicis non tacentur aduersus istos, qui seipsos decipiunt, & in eis veritas non est. Dicant si audent Pelagiani hunc hominem Dei, Manichæorum errore peruersum, quia ita laudat sanctos, vt tamen fateatur neminem in hac vita ad tantam perfectionem pertinere iustitiæ, vt nullũ habeat omnino peccatum, sententiam suam testimoniorum canonicorũ perspicua veritate & diuina authoritate confirmans. Nunquid enim negat in baptismo vniuersa peccata dimitti, quia fatetur manere fragilitatem atque infirmitatẽ, vnde nos dicit peccare post baptismũ, & vsque in huius vitæ finem cum carnalibus vitiis indefinenter habere conflictum? Aut ideo non meminerat, quid de immaculata Ecclesia dixisset Apostolus, quia præcepit neminem sic sibi de puro atque immaculato pectore debere blandiri, vt innocentia sua fretus, medicinam non putet adhibendam esse vulneribus? Puto quòd concedãt noui hæretici huic homini catholico, scire, spiritum sanctum mentes bonas etiam antiquis temporibus adiuuisse, imò etiam, quod ipsi nolũt, nec mentes bonas eos nisi per spiritum sanctũ habere potuisse. Puto quòd *omnes Prophetas & Apostolos vel quoslibet sanctos, qui Domino quocunque tempore placuerunt, non in comparatione sceleratorum,* sicut nos isti dicere calumniantur, *sed regula virtutum,* sicut se dicere gloriantur, *iustos fuisse* nouerat Cyprianus, qui tamen dicit: Nemo esse sine peccato potest: & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est. Nec propter aliud intelligit scriptum: Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundũ se esse à peccatis? Puto quòd non ab istis docẽdus fuerat Cyprianus, quod optimè sciebat, *in futuro tempore mercedem esse bonorum operum, malorum autem supplicium; cæterùm neminem posse, quæ hic contempserit mandata perficere,* & tamen ipsum apostolũ Paulũ mandatorum diuinorũ nõ vtique contemptorẽ, non ob aliud intelligit, asseritq; dixisse, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum, nisi quia lucrum maximum computabat, iam post hanc vitam secularibus laqueis non teneri, iam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxiũ fieri. Sensit ergo beatissimus Cyprianus, atque in diuinarum Scripturarum veritate perspexit, etiam ipsorum Apostolorũ quamuis bonam, sanctam, iustamq; vitã, nonnullos nexus secularium laqueorũ fuisse perpessam, nonnullis peccatis & vitijs carnis obnoxiam, & ideo eos mortẽ desiderasse, vt his malis carerent, & vt ad illam, quæ ista non pateretur, nec iam in mandato facienda, sed in præmium percipienda esset, perfectam iustitiam peruenirẽt. Neque enim cùm venerit quod oramus dicẽtes: Veniat regnũ tuũ, non erit in illo Dei regno vlla iustitia, cùm dicat Apostolus: Nõ est enim regnũ Dei, esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Nempe ista tria inter cætera præcepta diuina præcipiuntur. Hic nobis præcipitur iustitia cùm dicitur: Facite iustitiã. Præcipitur pax cùm dicitur: Pacem habete inter vos. Præcipitur gaudium cùm dicitur: Gaudete in Domino semper. Negẽt ergo Pelagiani hęc futura in regno Dei, vbi sine fine viuemus, aut vsque adeo si videtur insaniant, vt iustitiam, pacẽ, gaudium, qualia sunt hic iustis, talia & illic futura esse contendant. Quòd etsi erunt, & non talia erunt, profectò eorum hic in præcepto curanda est actio, illic in præmio sperãda perfectio, vbi secularibus vllis laqueis non erunt retenti, nullisque peccatis & vitijs carnis obnoxij. Propter quod Apostolus, sicut hoc testimonium accepit Cyprianus, mori lucrum sibi esse dicebat. Perfectè diligemus Deum, cuius erit facie ad faciem

1. Ioan. 1.

Prouerb. 20.

Phil. 1.

Esa. 54. Mar. 9. Philip. 4.

B

C

D

Phil. 1.

ciem cõtemplatio. Perfectè diligemus & proximum, cùm manifestatis cogitationibus cordis nulla vllũ de vllo mali vllius possit solicitare suspicio.

CAPVT XI. Ambrosij contra Pelagianos testimonia, & primũ de originali peccato.

SED & iam gloriosissimo martyri Cypriano, ad istos cumulatius redarguendos beatissimũ addamus Ambrosium, quoniam & ipsum Pelagius ita laudauit, vt ne ab inimicis quidem in eius libris quod reprehenderetur, diceret inueniri. Quoniam ergo Pelagiani dicunt, non esse originale peccatum, cum quo nascãtur infantes, & catholicis qui eis pro antiquissima Ecclesiæ fide resistũt, hæresis Manichęæ crimẽ obiiciũt: respondeat eis de hac re homo Dei catholicus, & ab ipso Pelagio in veritate fide laudatus Ambrosius; qui cùm Esaiam prophetam exponeret, ait: *Idcirco Christus immaculatus, quia nec ipsa quidem nascendi soluta conditione maculatus est.* Et alio loco in eodem opere, loquẽs de apostolo Petro: *Ipse se,* inquit, *obtulit, quod antè putabat esse peccatum: lauari sibi non solùm pedes, sed & caput poscens: quòd ilico intellexisset lauacro pedum, qui in primo lapsi sunt homine, sordem obnoxiæ successionis aboleri.* Item in eodem opere: *Seruatum est igitur,* inquit, *vt ex viro & muliere, id est per illum corporũ commixtionem nemo videatur expers esse delicti; qui autẽ expers delicti, expers est etiã huiusmodi conceptionis.* Item contra Nouatianos scribẽs: *Omnes homines,* inquit, *sub peccato nascimur. Quorũ ipse ortus in vitio est, sicut habes lectũ dicente Dauid: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Itẽ in apologia prophetæ Dauid: *Antequã nascamur,* inquit, *maculamur cõtagione; & ante vsurã lucis, originis ipsius excipimus iniuriã, in iniquitate concipimur.* Item de Dño loquẽs: *Dignum etenim fuit,* inquit, *vt qui non erat habiturus corpore peccatum prolapsionis, nullum sentiret generationis naturale contagium. Meritò ergo Dauid flebiliter in se deploranit ipsa inquinamenta naturæ, & quòd prius incipieret in homine macula quàm vita.* Item de arca Noë: *Per vnum igitur,* inquit, *Dominum Iesum salus ventura nationibus declaratur, qui solus potuit iustus esse, cùm generatio omnis erraret, nisi esset natus ex virgine, qui generationis obnoxiæ priuilegio minimè teneretur. Ecce,* inquit, *in iniquitatibus cõceptus sum, & in delictis peperit me mater mea, dicit is qui iustus præ cæteris putabatur. Quẽ igitur iam iustum dixerim, nisi horum liberum vinculorum, quem naturæ communis vincula non teneãt?* Ecce vir sanctus, Pelagij quoque testimonio in fide catholica probatissimus, Pelagianos negantes originale peccatum tanta manifestatione redarguit, nec tamen cum Manichæis vel Deum nascentium conditorem negat, vel nuptias quas Deus instituit & benedixit, accusat.

In Esaiam, sed nõ extat.

Item. 13.

Lib. 1. de penit. cap. 2.

Psal. 50.

In lib. Apologiæ cap. 11.

Ibidem.

Psal. 50.

Pelagiani dicunt ab homine incipere meritum per liberum arbitrium, cui Deus subsequens gratiæ retribuat adiumentũ. Etiã hic eos refellat venerãdus Ambrosius dicens in expositione Esaiæ prophetæ: *Quia humana natura sine diuina ope imbecilla est, ad medendum Deum auxiliatorem requirit.* Item in libro qui inscribitur, De fuga seculi: *Frequens nobis,* inquit, *de effugiendo seculo isto sermo; atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus & solicitus affectus. Sed quod peius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum effusio mentẽ occupat, vt quod studeas vitare, hoc cogites animoq; voluas. Quod cauere difficile est homini, exuere aũt impossibile. Denique voti magis eam esse rem, quàm effectus, testatur Propheta dicendo: Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Non enim in potestate nostra est cor nostrum & nostræ cogitationes, quæ improuiso offusæ mentem animumq; confundunt, atque aliò trahunt quàm tu proposueris. Ad secularia reuocant, mundana inserunt, voluptaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoq; in tempore, quo eleuare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus ad terrena plerumque deijcimur. Quis autem tam beatus qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio diuino, qui fieri potest? Nullo profectò modo. Denique suprà eadem Scriptura dicit: Beatus vir cuius est auxilium eius abs te Domine, ascensus in corde eius.* Quid apertius & sufficientius dici potest? Sed ne Pelagiani fortè respondeant, eo ipso quo diuinum auxilium possit præcedere hominis meritum, idipsum meritum esse dicentes, quia orando fit dignus, cui gratia diuina subueniat: attẽdant quid idẽ vir sanctus dicat in expositione Esaiæ: Et *orare Deũ,* inquit, *gratia spiritalis est. Nemo enim dicit Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto.* Vnde & exponens Euangelium secundum Lucam, *Vides vtique,* inquit, *quia vbique Domini virtus studijs cooperatur humanis, vt nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino.* Nunquid quoniam hæc dicit vir tantus Ambrosius, & gratiã Dei sicut filio promissionis congruit, grata pietate commendat, ideo destruit liberum arbitrium: aut eam vult intelligi gratiam, quam diuersis locutionibus Pelagiani nolunt nisi legem videri, vt videlicet non ad faciendum quod cognouerimus, sed ad agnoscendum quid faciamus, nos Deus adiuuare credatur? Si hoc istum hominem Dei sapere existimãt, quid de ipsa lege dixerit, audiant in libro De fuga seculi: *Lex,* inquit, *os omnium potuit obstruere, non potuit mentem conuertere.* Item alio loco in eodem libro: *Lex,* inquit, *factum damnat, non aufert malitiam.* Videant fidelem & catholicum virum Apostolo consentire dicenti, Scimus autem, quia quæcũque lex loquitur, his qui in lege sunt, loquitur, vt omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus Deo, quia non iustificabitur ex lege omnis caro corã illo. Ex eo enim Apostolico sensu illa sumpsit & scripsit Ambrosius.

Ambrosij testimonia de gratia Dei.

In Esaiam.

Lib. de fuga seculi cap. 1.

Psal. 118.

Psal. 83.

In Esaiam.

1. Cor. 12.

Lib. 2. in cap. 3. Lucæ de Iesu baptizato.

Cap. 3.

Cap. 7.

Rom. 3.

Ambrosij testimonia de præsentis iustitiæ imperfectione.

Iam verò quoniam Pelagiani dicunt, iustos in hac vita ideo vel esse vel fuisse, quia sine vllo peccato vixerunt, intantum vt vita futura, quæ in præmio sperãda est, prouectior & perfectior esse non possit: etiam hic eis respondeat, eosque refutet Ambrosius. Nam exponens Esaiam prophetam propter id quod scriptum est, Filios genui & exaltaui, ipsi autem me spreuerunt: suscepit de generationibus quæ ex Deo sunt disputare, atque in ipsa disputatione cõmemorauit testimonium Ioannis, vbi ait: Qui natus est ex Deo, non peccat. Et eandem quæstionem difficillimam tractans: *Cùm in hoc mundo,* inquit, *nullus sit qui immunis sit à peccato, cùm ipse Ioannes dicat, Si dicimus quia non peccauimus, mendacem facimus illum; si autem ex Deo nati non peccant, & de his intelligimus qui in mundo sunt, innumeros necesse est æstimemus, qui per lauacri regenerationem Dei gratiam consecuti sunt. Sed tamen cùm dicat Propheta, Omnia à te expectant, vt des illis cibum in tempore, dante te his colligent sibi: Aperiente te manum tuam, vniuersa implebuntur bonitate: Auertente autẽ te faciẽ, turbabũtur: auferes spiritũ eorũ, & deficiẽt, & in puluerẽ suum cõuertentur: Emittes spiritũ tuum & creabũtur, & innouabis faciem terræ: possunt non de quocunque tempore videri dicta, sed de futuro, quo erit noua terra & nouum cælum. Turbabuntur ergo vt principium sumant, atque aperiente te manum tuam implebuntur vniuersa bonitate; quæ non facilè huius seculi est. Nam de hoc seculo Scriptura quid dicit? Non est qui faciat bonitatem, nõ est vsque ad vnum. Si igitur diuersæ generationes sunt, & hic introitus in hanc vitã receptor est delictorũ, intantũ vt spernatur etiã ipse qui genuit; alia autẽ generatio peccata nõ recipit, videamus ne qua sit post huius vitæ curriculũ nostra regeneratio, de qua dictũ est: In regenerationẽ cũ sederit filius hominis in throno gloriæ suæ. Sicut enim regeneratio lauacri dicitur, per quã deterſa peccatorũ collauione renouamur; ita regeneratio dici videtur, per quã ab omni corporeæ concretionis purificati labe, mũdo animæ sensu in vitã regeneramur æternam, eo quòd purior quædã qualitas sit regenerationis, quã lauacri istius; vt nõ solùm in a-*

Esa. 1

1. Ioan. 8.

In Esaiam.

Psal. 103.

Psal. 13.

Matt. 10.

Etus

ctus eius, sed ne in ipsas quidem cogitationes nostras aliqua cadat suspicio peccatorum. Item alio loco in eodem opere: *Videmus*, inquit, *impossibile esse, vt perfectè quis immaculatus esse possit in corpore constitutus; cùm etiã Paulus imperfectum se dicat. sic enim habet: Non quòd iam accepérim, aut iam perfectus sim. Et tamen post paulum ait; Quicunq; ergo perfecti sumus. Nisi fortè quia est perfectio alia in hoc mundo, alia post hanc vitam, illud perfectũ de quo dicit ad Corinthios: Cùm venerit quod perfectum est. Et alibi: Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Vt ergo perfectos secum multos ait Apostolus in hoc mundo sitos, qui, si ad perfectionem veram respicias, perfecti esse non poterãt, quia ipse dixit: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum: ita & immaculati sunt in hoc mundo, & immaculati erunt in regno Dei; cùm vtique si minutius discutias, immaculatus esse nemo possit, quia nemo sine peccato.* Item in ipso, *Videmus*, inquit, *dum in hac viuimus vita, quòd nos mundare debemus, & quærere Deũ, & incipere ab emundatione animæ nostræ, & quasi fundamenta constituere virtutis, vt perfectionem purificationis post hanc vitam mereamur adipisci.* Itemque in ipso: *Granatus autem & ingemiscens*, inquit, *quis non loquatur: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ita eodem magistro omnes varietates interpretationis absoluimus. Nam si omnis infelix qui se corporis implicatum molestijs recognoscit, vtique omne corpus infelix: neque enim felicẽ dixerim illum, qui confusus quibusdam mentis suæ tenebris conditionẽ suã nescit. Illud quoque non absurdum ad intellectum accessit. Si enim homo qui se cognoscit, infelix est, infelices profectò omnes; quia vnusquisque suam infirmitatem aut per sapiẽtiam recognoscit, aut per insipientiam nescit.* Itẽ in libro De bono mortis: *Operetur*, inquit, *mors in nobis, vt operetur & vita bona, vita post mortẽ: hoc est bona vita post victoriam, bona vita absoluto certamine; vt iã lex carnis, legi mentis repugnare non nouerit, vt iam nobis nulla sit cum corpore mortis contentio.* Rursus in eodem: *Ergo*, inquit, *quia iusti hanc remunerationem habent, vt videant faciem Dei, & vt lumen quod illuminat omnem hominem; ab hinc induamus huiusmodi studium, vt appropinquet anima nostra Deo, adhæreat illi desiderium nostrum, non separemur ab eo. Et hic quidem positi, meditando, legendo, quærendo copulemur Deo, cognoscamus eum, vt possumus. Ex parte enim hic cognoscimus, quia hic imperfecta, illic perfecta omnia: hic paruuli, illic robusti. Videmus*, inquit, *nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Tunc reuelata facie gloriam Domini speculari licebit, quam nunc animæ corporis huius concretis visceribus inuolutæ, & quibusdã carnis huius maculis & colluuionibus obumbratæ sincerè videre non possunt. Quis enim*, inquit, *videbit vultũ meum, & viuet? Et rectè: Nam si solis radios oculi nostri ferre non possunt, & si quis diutius è regione solis intenderit, cæcari solere perhibetur: si creatura creaturam sine fraude atque offensione sui non potest intueri, quomodo potest sine periculo sui vibrantem cernere vultũ creatoris æterni, corporis huius opertus exuuijs? Quis enim iustificatur in conspectu Dei, cùm vnius quoque diei infans mundus esse non possit, & nemo possit de sui cordis integritate & castimonia gloriari?*

Phil. 3. — 1. Cor. 13. — Ephe. 4. — 1. Cor. 13. — Exod. 33. — Iob 14. secundum 70. — Rom. 7. — De bono mortis cap. 3. — Ibidem cap. 11. — 1. Cor. 13.

CAPVT XII.

Hæresis Pelagiana multo post Ambrosium exorta.

NIMIS longum erit, si omnia velim commemorare, quæ sanctus Ambrosius aduersus hanc hæresim Pelagianorum tanto pòst exorturam, non eis quidẽ respondens, sed prædicãs catholicã fidẽ, atque in ea homines ædificans dixit & scripsit. Sed nec illa omnia cõmemorare potui vel debui, quæ gloriosissimus in Dño Cyprianus posuit in Epistolis suis, quibus demõstratur, quomodo sit hęc quam tenemus fides, veraque Christiana atque catholica, sicut per Scripturas sanctas antiquitùs tradita, sic à patribus nostris, & vsq; ad hoc tempus, quo isti eam conuellere tentauerunt, retenta atque seruata & deinceps propitio Deo retinẽda atque seruanda. Nam sic Cypriano & à Cypriano tradita hæc atque huiusmodi ex eius literis testimonia prolata testantur. Sic autem vsque ad tempora nostra seruata, ea quæ de his rebus antequã isti ebullire cœpissent, Ambrosius conscripsit, ostendunt, & quòd eorum profanas nouitates catholicę aures quę vbique sunt, horruerunt: sic porrò deinceps esse seruanda, satis salubriter istorum partim damnatio, partim correctio declarauit. Quodlibet enim mutire audeant aduersus sanam fidem Cypriani & Ambrosij; non eos puto in tam magnum proruptures furorem, vt memoratos & memorabiles homines Dei audeant dicere Manichæos. Quid est ergo quod rabiosa mentis cæcitate nunc iactant; *toto penitus Occidente non minus stultum, quàm impium dogma susceptum?* quandoquidem Domino miserante suamque Ecclesiam misericorditer gubernante, sic vigilauit catholica fides, vt non minus stultum quàm impium dogma, quemadmodũ Manichæorum, ita etiam non susciperetur istorum. Ecce sancti & docti viri fama totius Ecclesiæ contestante catholici, & creaturam Dei, & nuptias ab illo institutas, & legem per sanctum Moysen datam, & liberum arbitriũ naturæ hominis insitũ, & sanctos Patriarchas & Prophetas debitis ac congruis prædicationibus laudãt; quæ omnia iniquè Manichęi, partim negando, partim etiam detestando condemnant. Vnde apparet istos doctores catholicos longè à Manichæorum sensibus alienos; & tamen asserũt originale peccatum, asserunt gratiam Dei super liberum arbitrium, omne antecedere meritum, vt verè gratuitum diuinum præbeat adiutorium: asserunt sanctos ita iustè in hac carne vixisse, vt eis esset necessariũ, quo dimittuntur quotidiana peccata, orationis auxilium: perfectamque iustitiam, quæ non possit habere peccatum, in alia vita futuram eis, qui iustè hic vixerunt, præmium. Quid est ergo quod dicunt, *de simplicibus Episcopis, sine congregatione synodi in locis suis sedẽtibus, extorta subscriptio est?* Nũquid beatissimis & in fide catholica excellentissimis viris Cypriano & Ambrosio ante istos, aduersus istos extorta subscriptio est, qua eorũ impia dogmata tãta manifestatione subuertũt, vt quæ cõtra eos manifestiora dicamus, vix nos inuenire possimus? Aut verò cõgregatione synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquãdo nisi synodi cõgregatione dãnata sit: cùm potiùs rarissimæ inueniantur, propter quas dãnandas necessitas talis extiterit: multoq; sint atque incomparabiliter plures, quę vbi extiterunt, illic improbari dãnariq; meruerũt, atq; inde per cæteras terras deuitãdæ innotescere potuerũt. Verũ istorũ superbia, quę tantũ se extollit aduersus Deũ, vt nõ in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiã gloriã captare intelligitur, vt propter illos Oriẽtis & Occidẽtis synodus cõgregetur. Orbẽ quippe catholicũ, quoniã Dño eis resistente peruertere nequeũt, saltẽ cõmouere conãtur; cùm potius vigilantia & diligẽtia pastorali post factũ illis cõpetens, sufficiensque iudiciũ vbicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint, siue vt sanentur atq; mutẽtur, siue vt ab aliorũ salute atque integritate vitentur; adiuuante pastore pastorũ, qui oues perditam & in paruulis quærit, qui oues sanctas & iustas gratis facit, qui eas quãuis sanctificatas & iustificatas, tamen in ista fragilitate atque infirmitate pro quotidianis peccatis, sine quibus hic non viuitur, etiam cùm bene viuitur, quotidianam remissionem, & vt petant prouidenter instruit, & petentes clementer exaudit.

Pelagiani vniuersalem synodum Episcopis & Occidentis amabiunt.

Libri quarti contra duas epistolas Pelagianorum finis.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE ANIMA ET EIVS ORIGINE, LIBRI QVATVOR.

Ex lib. 2. Retract. cap. 56.

ODEM *tempore quidam Vincentius Victor in Mauritania Cæsariensi inuenit apud Hispanum quendam presbyterum Petrum, nõnullum opusculum meum, vbi quodam loco de origine animæ hominum singulorum, vtrum ex illa vna primi hominis, ac deinde ex parentibus propagentur; an sicut illi vni, sine vlla propagatione singulæ singulis dentur, me nescire confessus sum: veruntamen scire animam non corpus esse, sed spiritum. Et contra ista mea ad eundem Petrum scripsit ille duos libros, quos mihi de Cæsaria Renatus monachus misit. Quibus ego lectis, respõsione mea quatuor libros reddidi, vnum ad Renatum monachum, alterum ad presbyterum Petrum, & duos ad eundem Victorem. Sed ad Petrum quamuis habeat libri prolixitatem, tamen epistola est, quam nolui à tribus cæteris separari. In iis autem omnibus, in quibus multa necessaria disseruntur, defendi de origine animarum quæ singulis hominibus dantur, cunctationem meam; et multos errores atq; prauitates præsumptionis eius ostẽdi. Quem tamen iuuenem non præproperè detestandum, sed adhuc docendum quantã potui lenitate tractaui, & ab eo rescripta correctionis eius accepi. Huius operis liber ad Renatum sic incipit; Sinceritatem tuam erga nos. Ad Petrum autem sic; Domino dilectissimo fratri & compresbytero Petro. Duorum verò nouissimorum ad Vincẽtium Victorem, primus sic incipit; Quod mihi ad te scribendum putaui. Secundus autem sic; Accipe nunc iam de meipso.*

LIBRI PRIMI AD RENATVM

CAPVT PRIMVM.

INCERITATEM tuam erga nos Renate frater charissime, et fraternam beneuolentiam, ac mutuę dilectionis affectum, probatum quidem & antea tenebamus, verùm nũc probatiorem nobis amica diligentia demonstrasti, quòd mihi duos libros eius quidem hominis quem penitùs ignorabam, nec tamen ideo contemnendi, Vincentij Victoris, (sic enim prænotatum ibi nomen eius inueni) proximè præterita ætate misisti: quãuis mihi eò quòd absens fuissem, in autumni fine sint redditi. Quomodo enim tu charissimus meus posses vel deberes in meam non perferre notitiam, cùm in manus tuas venissent cuiuslibet hominis qualescunque literæ, licet ad alium scribentis, vbi tamen nomen commemoraretur & legeretur meum, ita vt contradiceretur verbis meis, quæ in quibusdam opusculis edidissem? Hoc itaque fecisti quod sincerissimus & dilectissimus amicus meus facere debuisti.

CAP. II. SED hinc angor paululum, quòd adhuc tuæ sanctitati minus quàm vellem cognitus sum, quandoquidem putasti me sic accepturum, quasi tu mihi iniuriã feceris, notum faciendo quod alius fecit. Quantum autẽ hoc absit ab animo meo, vide, vt nec ab illo quidem me passum iniuriam conquerar. Cùm enim aliter quædam quàm ego, superet, nunquid nam debuit reticere? Vnde mihi gratum esse debet, quòd ita non tacuit, vt id etiam legere possimus. Deberet quidem tãtum scribere potius ad me, quàm ad alterum de me; sed quòd mihi esset ignotus, non est ausus se mihi ingerere, in meorum refutatione dictorum. Nec consulendum me putauit, vbi sibi videtur minimè dubitandum, sed planè cognitam & certam tenere sentẽtiam. Obtemperauit autem amico suo, à quo se vt scriberet, dicit esse compulsum. Et si quid inter disputandũ, quod in meam contumeliam redundaret expressit, nõ eum conuiciantis voluntate crediderim, sed diuersa sentientis necessitate fecisse. Vbi enim mihi animus erga me hominis ignotus est & incertus, melius arbitror meliora sentire quàm inexplorata culpare. Fortassis enim amore mei fecit, sciens ad me peruenire posse quod scripsit; dum in eis rebus errare me non vult, in quibus se potius errare non putat. Et ideo debeo etiam eius habere gratam beneuolentiam; cuius me necesse est improbare sententiam: ac per hoc in eis quæ non rectè sapit, adhuc leniter corrigendus mihi videtur, non asperè detestãdus, præsertim quia, sicut audio, nuper catholicus factus est, quod ei gratulãdum est. Caruit enim Donatistarum vel potius Rogatistarũ diuisione & errore, quo antea tenebatur: si tamen catholicam veritatem sic vt oportet intelligat, vt verè de illius conuersione gaudeamus.

Vincẽtius hic Rogatista fuit

CAPVT III. HABET enim eloquium quo possit explicare quæ sentit. Vnde cum illo agendum est, eiq̃ue optandum vt recta sentiat, ne faciat esse delectabilia quæ sunt inutilia, & quæ diserta dixerit, vera dixisse videatur. Quamuis & in ipso eloquio habeat multa emendanda, & à nimia exundantia reprimẽda. Quod in illo tibi quoque vt viro graui, sicut tua indicant scripta, displicuit. Sed hoc vel facilè corrigitur, vel sine detrimẽto fidei à leuibus mentibus amatur, toleratur à grauibus. Habemus enim iam quosdam spumeos in sermone, sed in fide sanos. Non itaque desperandum est, etiã hoc in isto (quamuis sit tolerabile si permanserit) posse tamẽ & purgari & temperari, atque ad integrum & solidum vel perduci, vel reuocari modum: præsertim quia iuuenis esse perhibetur, vt quod minus habet peritia, suppleat diligentia; vt quod cruditas loquacitatis eructat, ætatis maturitas decoquat. Illud est molestum & periculosum vel perniciosum, si cùm laudatur eloquentia, persuadeatur insipientia; & in pretioso poculo bibatur pestifera potio.

CAPVT IIII. Errores aperit qui in his Vincentij libris commebãtur. Animã Deus ex nihilo, non ex seipso creauit.

VT enim iam incipiam demonstrare, quæ præcipuè sint in eius disputatione vitanda: Animam dicit à Deo quidem factam, nec Dei esse partẽ siue naturã; quod omnino verum est. Sed cùm eam non vult ex nihilo factam fateri, & aliam nullam creaturã vnde sit facta commemorat, atque ita illi dat authorem Deum, vt neque ex nullis extantibus, id est, ex nihilo, neque ex aliqua re, quæ non est quod Deus est, sed de seipso eam fecisse credatur, nescit eò se reuolui, quod declinasse se putat, vt scilicet nihil aliud anima quàm Dei natura sit; ac sic consequenter & de Dei natura fiat aliquid ab eodem Deo, cui faciendo materia de qua facit, sit ipse qui facit: ac per hoc & Dei sit natura mutabilis, & mutata in deterius, eiusdem ipsius Dei ab eodem ipso Deo natura damnetur. Quod pro tua fideli intelligentia quàm non sit opinandum, & quàm sit à corde catholico secludendum longeque fugiendum, vides. Ita quippe anima vel de flatu facta, vel Dei flatus factus est ipsa, vt non de ipso sit, sed ab ipso de nihilo creata sit. Neque enim sicut homo quando sufflat, non potest de nihilo flatum facere, sed quem de isto aere ducit, hunc reddit: ita Deo putandum est auras ali-

ras aliquas circumfusas iam fuisse, quarum exiguam quandam particulam spirando traheret, & respirando refunderet, quando in hominis faciem sufflauit, eique illo modo animam fecit. Quod & si ita esset, nec sic de ipso, sed de subiacenti re aliqua flabili posset esse quod flauit. Sed absit vt negemus omnipotentem de nihilo flatum vitæ facere potuisse, quo fieret homo in animam viuam: atque in eas contrudamur angustias, vt vel iam fuisse aliquid, quod ipse non esset, vnde flatum faceret opinemur; vel quod mutabile factum videmus, de seipso fecisse credamus. Quod enim de ipso est, necesse est vt eiusdem naturæ sit cuius ipse est, ac per hoc etiam immutabile sit: anima verò, quod omnes fatentur, mutabilis est. Non ergo de ipso, quia nõ est immutabilis sicut ipse. Si autem de nulla re alia facta est, de nihilo facta est proculdubiò, sed ab ipso.

Anima quoniam mutabilis est, facta esse de Deo, qui immutabilis est, non potest.

CAP. V.

QVOD verò eam non spiritum, sed corpus esse cõtendit, quid aliud vult efficere, quàm nos non ex anima & corpore, sed ex duobus vel etiam tribus constare corporibus? Cùm enim spiritu, anima, & corpore constare nos dicit, & omnia hæc tria corpora esse asserit, profectò ex tribus corporibus nos putat esse compactos. In qua opinione quãta eum sequatur absurditas, illi potius quàm tibi demõstrandum puto. Verùm iste tolerabilis error est hominis, qui nondum cognouit esse aliquid, quod cùm corpus non sit, corporis tamen quandam similitudinem gerere possit.

CAPVT VI.

ILLVD planè quis ferat, quod in secũdo libro, cùm quæstionem difficillimam soluere conaretur, de originali peccato, quatenus ad corpus animamque pertineat, si anima non de parentibus trahitur, sed à Deo noua insufflatur? Hãc ergo tam molestam & tam profundam nitens enodare quæstionem, *Merito*, inquit, *per carnem, priscam reparat habitudinem, quam visa fuerat paulisper amisisse per carnem, vt per eam incipiat renasci, per quam meruerat inquinari.* Cernis nempe hominem ausum suscipere, quod vires eius excedit, in tam immane præcipitium decidisse, vt diceret inquinari animam meruisse per carnem, cùm dicere nullo modo possit, vnde hoc meritum traxerit ante carnem. Si enim à carne incipit meritum habere peccati, dicat si potest, vnde ante peccatum suum carne meruerit inquinari. Nam hoc meritum quo in carnem peccatricẽ missa est, vt inquinaretur ex illa, profectò aut ex semetipsa habuit, aut, quod à vero multò amplius abhorret, ex Deo. Ex carne quippe meritum non potuit habere ante carnem, quo merito inquinanda mitteretur in carnem. Si ergo à semetipsa hoc meritum habuit, quomodo habuit, quæ ante carnem nihil mali fecit? Si autem hoc meritum ex Deo dicitur habuisse; quis hoc audiat, quis ferat, quis dici impunè permittat? Non enim hoc loco quæritur, quid meruerit, vt iudicaretur damnanda post carnem; sed quid meruerit ante carnem ita damnari, vt inquinanda mitteretur in carnem: explicet hoc si potest, qui est ausus dicere, inquinari animam meruisse per carnem.

CAPVT VII.

ITEM alio loco, cùm eandem quasi ipse implicuerat, velut explicandam proponeret quæstionem, tanquam ex persona aduersariorum ait: *Cur*, inquiũt, *Deus animam tam iniusta animaduersione mulctauit, vt in corpus eam peccati relegare voluerit, cùm consortio carnis peccatrix esse incipit, quæ peccatrix esse non potuit?* In huius quæstionis tanquam scopuloso gurgite, debuit vtique cauere naufragium, nec eò se committere, vnde se non erueret transeundo, sed fortè redeundo, id est pœnitendo. Nam de præscientia Dei se nititur liberare, sed frustra. Præscientia quippe Dei eos quos sanaturus est, peccatores prænoscit, non facit. Nam si eas animas liberat à peccato, quas innocentes & mundas implicuit ipse peccato, vulnus sanat quod intulit nobis, non quod inuenit in nobis. Auertat autem Deus, & omnino absit, vt dicamus quãdo lauacro regenerationis Deus mundat animas paruulorum, tunc eum mala sua corrigere quæ illis ipse fecit, cùm eas nullum habentes peccatum peccatrici carni, cuius originali peccato contaminarentur, admiscuit. Quas tamen iste accusans dicit inquinari meruisse per carnem, nec potest dicere vnde tantum mali meruerint ante carnem.

al. religare

Præscientia Dei non est causa peccatorum.

CAPVT VIII.

HANC ergo quæstionem frustra se putans de præscientia Dei posse dissoluere, adhuc se inuoluit & dicit: *Anima si peccatrix esse meruit, quæ peccatrix esse non potuit, tamẽ neque in peccato remansit, quia in Christo præfigurata, in peccato esse non debuit, sicut esse non potuit.* Quid est quod dicit, *peccatrix esse non potuit*, vel *in peccato esse non potuit*, nisi credo, si non veniret in carnem? Neque enim potuit originali peccato esse peccatrix, aut quoquo modo in originali peccato esse, nisi per carnem, si de parente nõ trahitur. Videmus ergo eam per gratiam liberari à peccato, sed non videmus vnde meruerit hærere peccato. Quid est ergo quod dicit: *Si peccatrix esse meruit, non tamen in peccato remansit?* Si enim ab illo quæram, cur non in peccato remanserit, rectissimè respondebit; quòd eam Christi gratia liberauerit. Sicut ergo dicit, vnde anima paruuli fuerit liberata peccatrix, sic etiam dicat vnde meruerit esse peccatrix. Sed quid dicit, cui hoc quod prolocutus est, contigit? Namque vt istam quæstionem sibi proponeret, ait: *Alia substruuntur opprobria querulis murmurationibus oblatrantium, & excussi quasi quodam turbine, identidem inter immania saxa collidimur.* Hoc si ego de illo dicerem, forsitan succenseret. Verba sunt eius: Quibus præmissis proposuit quæstionem, in qua ipsa saxa quibus collisus naufragauit, ostenderet. Ad hoc enim perductus est, & tam horrendis cautibus illisus, impulsus, infixus, vt eruere se nisi emendãdo quod dixit, omnino non possit, non valens ostendere quo merito anima sit facta peccatrix, quam dicere non timuit ante omne suum peccatum meruisse fieri peccatricẽ. Quis tam immane supplicium meretur sine peccato, vt in aliena iniquitate conceptus, antequam exeat de visceribus matris, iam nõ sit sine peccato? De hac autem pœna, paruulorum animas qui regenerantur in Christo nullis eorum præcedentibus meritis, gratuita liberat gratia: alioquin gratia iam non est gratia. Proinde iste homo valde intelligens, cui displicet in tanta profunditate, & si non docta, tamen cauta nostra cunctatio; dicat si potest, in hanc pœnam quo peruenerit anima merito, de qua pœna liberat gratia sine merito. Dicat, vt quod dixit, aliqua, si valuerit, ratione defendat. Non enim hoc exigerem, nisi ipse dixisset, quòd anima meruerit esse peccatrix. Dicat meritum eius, vtrum bonum fuerit, an malum? Si bonum, quo merito bono venit in malum? Si malum, vnde aliquod malum meritum ante omne peccatum? Item dico, Si bonum, non ergo eam gratis, sed secundum debitum liberat gratia, cuius præcessit meritum bonum: ac sic gratia iam non erit gratia. Si autem malum, quæro quod sit: an quod venit in carnem, quò non venisset, nisi apud quem non est iniquitas, ipse misisset? Nunquam igitur nisi se in peiora præcipitans, hanc suam sententiam molietur astruere, qua dixit quòd *anima meruit esse peccatrix.* Et de his quidem paruulis, quorũ in baptismo diluitur originale peccatum, inuenit qualitercunque quod diceret, quoniam præscientia Dei prædestinatis in vitam æternam nihil obesse potuisset, paulisper alieno inhærere peccato. Quod tolerabiliter diceretur, si non iste verbis suis implicaretur, dicens; *quòd meruerit anima esse peccatrix*; vnde se omnino non liberat, nisi hoc eum dixisse pœniteat.

Rom. IX.

CAPVT IX.

DE illis autem paruulis qui morte præueniuntur priusquam baptizentur in Christo, cùm respõdere voluisset,

luisset, ausus est eis promittere, non solùm paradisum, verumetiam regnum cælorum: non inueniẽs quà exiret, ne Deũ animas innocentes dicere cogeretur æterna morte damnare, quas nullo merito præcedẽte peccati, carni inserit peccatrici. Sed vtcunq; sentiẽs quid mali dixerit, sine vlla Christi gratia animas redimi paruulorum in æternam vitam regnumque cælorum, & in eis posse solui originale peccatum sine baptismo Christi, in quo fit remissio peccatorum. Videns ergo, in quam se profunditatem naufragosi gurgitis eiecerit, *Sanè*, inquit, *pro eis oblationes assiduas, & offerenda iugiter sanctorum censeo sacrificia sacerdotum.* Ecce aliud vnde nũquam exiturus est, nisi eum dixisse pœniteat. Quis enim offerat corpus Christi, nisi pro eis qui mẽbra sunt Christi? Ex quo autem ab illo dictum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare regnum Dei. Et alio loco, Qui perdiderit animã suã propter me, inueniet eam: nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo. Vnde & latro ille, non ante crucẽ Domini sectator, sed in cruce confessor, de quo nonnunquam præiudicium captatur, siue tentatur contra baptismatis sacramentum: à Cypriano sancto inter martyres computatur, qui suo sanguine baptizantur, quod plerisque non baptizatis feruẽte persecutione pronenit. Tanto nanque pondere appensum est, tantumque valuit apud eum qui hæc nouit appendere, quòd confessus est Dominum crucifixum, quãtum si fuisset pro Domino crucifixus. Tũc enim fides eius de ligno floruit, quando discipulorum marcuit; nisi cuius mortis terrore marcuerat, eius resurrectione reuiresceret. Illi enim desperauerũt de moriente; ille sperauit in commoriente. Refugerunt illi authorem vitæ, rogauit ille consortem pœnæ. Doluerunt illi tanquam hominis mortem, credidit ille regnaturum esse post mortem. Deseruerunt illi sponsorem salutis, honorauit ille socium crucis. Inuenta est in eo mensura martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt qui futuri erãt martyres. Et hoc quidem oculis Domini clarum fuit, qui non baptizato, tanquam martyrij sanguine abluto, tantam felicitatem statim contulit. Sed etiam nostrũ quis non consideret, quanta fide, quanta spe, quanta charitate mortem pro Christo viuẽte suscipere potuit, qui vitam in moriente quẽsiuit. Huc accedit, quia non incredibiliter dicitur latronẽ, qui tunc credidit iuxta Dominum crucifixum, aqua illa quę de vulnere lateris eius emicuit, tãquam sacratissimo baptismo fuisse perfusum. Vt omittam quòd cum antequam damnaretur, baptizatum non fuisse, quoniam nemo nostrum nouit, nemo conuincit. Verùm hæc vt volet quisque accipiat, dum tamen de baptismo non prescribatur saluatoris præcepto, huius latronis exemplo: & non baptizatis paruulis nemo promittat inter damnationem regnumq; cælorum, quietis vel felicitatis cuiuslibet atque vbilibet quasi medium locum. Hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promisit, quia nec damnationem metuit paruulis, quos nullum putat habere originale peccatum; nec sperat eis regnum cælorum, si non perueniunt ad baptismatis sacramentum. Iste autem cùm cõfiteatur paruulos originali obstrictos esse peccato, eis etiam regnum cælorum non baptizatis ausus est polliceri: quod nec illi ausi sunt, qui eos asserunt sine vllo prorsus esse peccato. Ecce qualibus se laqueis præsumptionis innectat, nisi eum talia scripsisse pœniteat.

Sacrificiũ corporis Christi non offerẽdum nisi pro membris Christi.

Iaco. 3.

Matth. 10.

Luce 23.

Martyrium pro Christo vicẽ suppleat baptismi.

Cypria. epist. ad Iubaianũ. Vide lib. 4. cõtra Donat. ca. 22. super Leuit. q. 84. & lib. 2. Retrac. c. 18. & 55.

Latronis cum Christo crucifixi fides & meritum.

CAP. X.

DE fratre autem sanctæ Perpetuæ Dinocrate, nec Scriptura ipsa canonica est, nec illa sic scripsit vel quicunque illud scripsit, vt illum puerum qui septennis mortuus fuerat, sine baptismo diceret fuisse defunctum: pro quo illa imminente martyrio creditur exaudita, vt à pœnis transferretur ad requiem. Nam ilLius ætatis pueri, & mentiri, & verum loqui, & confiteri, & negare iam possunt. Et ideo cùm baptizantur, iam & symbolum reddunt, & ipsi pro se ad interrogata respondent. Quis igitur scit, vtrum puer ille post baptismum persecutionis tempore à patre impio per idololatriam fuerit alienatus à Christo, propter quod in damnationem mortis ierit, nec inde nisi pro Christo morituræ sororis precibus donatus exierit?

Martyrij Perpetuæ precibus frater Dinocrates septennis à damnatione liberatus fertur.

CAPVT XI.

SED etiam si hoc isti concedatur, quod salua fide catholica & Ecclesiastica regula, nulla ratione conceditur, vt pro non baptizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium corporis & sanguinis Christi, tanquam per huiusmodi pietatem suorum, ad regnum cælorum quò peruenianr adiuuentur: quid responsurus est de tot milibus infantum, qui nascuntur ex impiis, nec in manus piorum aliqua vel diuina vel humana miseratione perueniunt, & de ista vita in illa tenerrima ætate, sine lauacro regenerationis abscedunt? Dicat si potest, vnde istæ animæ sic peccatrices fieri meruerunt, vt à peccato saltem nec postea liberẽtur? Si enim quæram, quare damnari mereantur si non baptizantur, rectè mihi respondetur, propter originale peccatum. Item si quæram vnde traxerint originale peccatum; iste respondebit, ex carne vtique peccatrice. Si ergo quæram, vnde damnari meruerint in peccatricem carnem, qui nihil mali fecerãt ante carnem; hic inueniat quid respondeat, & sic damnari ad alienorum peccatorum subeunda contagia, vt nec baptisma regeneret malè generatos, nec sacrificia expient inquinatos. Ibi enim & de talibus hi paruuli nati sunt, siue adhucusque nascuntur, vt eis nullo tali possit adiutorio subueniri. Hic certè omnis argumentatio deficit. Non enim quærimus, vnde animæ damnari meruerint post carnis consortium peccatricis: sed quærimus vnde animæ damnari meruerint ad subeundum carnis consortium peccatricis, nullum peccatum habentes ante carnis consortium peccatricis. Non est vt dicatur, Nihil eis obfuit alieni peccati paulisper communicata contagio, quibus in Dei præscientia fuerat parata redemptio. De his enim nunc loquimur, quibus ante baptismum de corpore exeũtibus redemptio nulla succurrit. Non est vt dicatur, Eas quas baptisma non abluit, sacrificia pro eis crebra mundabunt, quod præsciens Deus, paululum illas voluit alienis hærere peccatis, sine vllo exitio damnationis æternæ, & cum spe felicitatis æternæ. De his enim nunc loquimur, quarum natiuitas apud impios & ex impiis, nulla talia potuerit inuenire præsidia. Quæ quidem si adhiberi possent, proculdubiò non baptizatis prodesse non possent: sicut nec illa quæ de libro Machabæorũ commemorauit sacrificia, facta pro peccatoribus mortuis, eis aliquid profuissent, si circumcisi non fuissent. Inueniat ergo si potest iste quid dicat, cùm ab illo quæritur, quid meruerit anima sine vllo peccato, vel originali, vel proprio sic ad subeundum alienum peccatũ originale damnari, vt non ab illo valeat liberari: & videat quid eligat è duobus, vtrum dicat etiam eas animas morientum paruulorum, quæ hinc sine lauacro regenerationis abscedunt, & pro quibus nullum sacrificium corporis Dominici offertur, à nexu peccati originalis absolui; cùm Apostolus doceat, ex vno ire omnes in condemnationem, quibus vtique non subuenit gratia, vt per vnum eruantur in redemptionem: an dicat animas nõ habentes vllum vel proprium, vel originale peccatum, & omnimodo innocẽtes, simplices, puras à iusto Deo, cùm eas ipse non liberandas carni inserit peccatrici, æterna damnatione punirit.

Sacrificium corporis & sanguinis Christi pro non baptizatis offerri non potest.

2. Mach. 12. Sacrificium à Machabæo pro defunctis procuratum.

Rom. 5.

CAPVT XII.

EGO nihil istorum duorum dicendum esse confirmo, nec illud tertium, alibi peccasse animas ante carnem, vt damnari mererentur in carnem. Apostolus quippe apertissimè definiuit, nondum in carne natos nihil

nihil egisse boni, seu mali. Vnde constat paruulos vt remissione indigeant peccatorum, non nisi originale traxisse peccatum. Nec illud quartũ, eas animas paruulorum sine baptismate moriturorum, à iusto Deo in carnem peccatricem relegari atque damnari, quas præsciuit si ad ætatem peruenissent, in qua libero vterentur arbitrio, malè fuisse victuras. Hoc namque nec iste ausus est dicere, in tantis angustiis constitutus. Imò etiam contra istam vanitatem iam satis manifestè ac breuiter est locutus, vbi ait, *Iniustum Deum fuisse futurum, si non perfectis propriæ voluntatis operibus, vellet hominem iudicare non natum.* Hoc enim respondit, cùm tractaret quæstionem aduersus eos qui dicunt, Cur Deus hominem faciebat, quem vtpote præscius, sciebat futurum non bonum? Non natum enim iudicaret, si propterea creare noluisset, quia non bonum futurum esse præscisset. Et vtique sicut & huic visum est, de perfectis eius operibus debuisset hominem iudicare, non de præcognitis, nec fieri aliquando permissis. Nam si peccata, quæ si homo viueret commissurus esset, etiam non commissa damnantur in mortuo, nullũ beneficium collatum est illi, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum eius: quandoquidem iudicabitur secundum eam, quæ in illo fuerat futura, malitiam; nõ secundum eam, quæ in illo inuenta est, innocentiam. Et de nullo mortuo baptizato poterit esse securitas; quia & post baptismum, non qualitercunque peccare; verumetiam apostatare homines possunt. Quid si ergo qui baptizatus hinc raptus est, apostata erat futurus si viueret; nullum ne illi beneficium putabimus esse collatum, quod raptus est ne malitia mutaret intellectum eius; & propter Dei præscientiam, nõ sicut fidelé membrum Christi, sed sicut apostatam iudicandum esse censebimus? Quanto enim melius si peccata nõdum facta, nondum cogitata, sed præcognita & futura puniuntur, proiicerentur illi duo de paradiso ante peccatũ, ne in loco tam sancto & beatifico peccarent? Quid quod ipsa examinatur omnino præscientia, si quod præscitur non erit? Quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum? Quomodo ergo puniuntur peccata quæ nulla sunt, id est, quæ nec vitã ista nondum incipiente commissa sunt ante carnem, nec morte præueniente post carnem?

Non iudicãt Deus quemquam ob ea quæ facturus fuisset, si diuinus vixisset, sed ob facta tantùm. Sap. 4.

CAPVT XIIII.

Hoc itaque medium ex quo anima missa est in carnem, quousq; solueretur à carne, quoniã paruuli anima est, nec liberi arbitrij gessit ætatem, nõ inuenit vnde damnaretur non percepto baptismo, nisi originale peccatum. Ex hoc peccato iustè damnari animam nõ negamus, quia peccato supplicium lex iusta cõstituit. Sed ad hoc peccatum subeundũ, cur damnata sit quærimus, si nõ ex illa vna trahitur, quæ in generis humani primo patre peccauit. Quamobrem si Deus non damnat innocentes, nec facit nocentes quos perspicit innocentes; & si animas non liberat siue ab originalibus, siue à propriis peccatis, nisi in Ecclesia Christi baptismus Christi; & si animæ ante carnem nullum habuerunt omnino peccatum; & si peccata antequam committantur, & multo magis quæ nunquam commissa sunt, damnari iusta lege non possunt; nihil horum quatuor iste dicat. Et si potest explicet, paruulorũ animæ, quæ sine baptismo exeuntes in damnationem mittuntur, quo merito in carnem peccatricem quæ nihil peccauerunt, missæ sunt, vt illic inuenirent peccatum, propter quod merito damnarentur. Porrò si quatuor ista deuitans, quæ sana doctrina condemnat, id est, si non audeat dicere, vel sine vllo peccato existẽtes, à Deo fieri animas peccatrices, aut sine Christi sacramento in eis solui originale peccatum, aut eas alicubi peccasse, antequam mitterentur in carnem, aut ea quæ nunquam habuerunt in eis peccata damnari: Si hæc nobis dicere non audens, (quoniam non sunt vtique dicenda) dixerit paruulos non trahere originale peccatum, nec habere vnde damnentur, si non accepto sacramento regenerationis hinc exeant, in hæresim Pelagianam sine dubitatione damnabilem damnandus incurret. Quod ei ne contingat, quãto melius teneat de animæ origine cunctationem meam, ne audeat affirmare quod nec humana ratione comprehẽdit, nec diuina authoritate defendit; ne cogatur insipientiam profiteri, dum veretur ignorantiã confiteri.

CAPVT XIIII. Ostendit scripturas à Vincentio productas non cuncta, animas sic à Deo fieri, vt nõ ex propagine.

HIC fortè dicat sententiam suam diuina authoritate defendi, quoniam sanctarum Scripturarum testimoniis probare se existimat, animas à Deo, nõ ex propagine fieri, sed nouas singulis insufflari. Probet, si potest, & fatebor me didicisse ab illo, quod magna intentione quærebam. Sed quærat alia, ne fortassis inueniat; nam hoc istis testimoniis, quæ iam posuit, non probauit. Omnia quippe quæ hic adhibuit, ad aliquid certa sunt; ad hoc verò, quod de animę origine quæritur, demonstrãtur ambigua. Certum est enim Deum dedisse hominibus flatum & spiritum, dicente Propheta, *Sic dicit Dominus qui fecit cælum, & fundauit terram, & quæ sunt in ea, qui dat flatum populo super eam, & spiritum calcantibus eam.* Hoc testimonium iste in eam sententiam vult accipi quam defendit, vt quod ait, dat flatum populo, non ex propagine facere animas populo, sed nouas insufflare credatur. Audeat ergo dicere non ipsum nobis dedisse carnem, quia de parentibus origo carnis attracta est. Et vbi ait Apostolus de frumenti grano, Deus illi dat corpus quomodo voluerit; neget si audet de tritico triticum nasci, & herbam eius ex semine secundum genus. Quod si negare non audet, vnde igitur scit quomodo dictum sit, dat flatum populo; vtrum eum trahens de parentibus, an insufflans nouum? Vnde etiam scit vtrum repetitio sententiæ sit, qui dat flatum populo super eam, & spiritum calcantibus eam: vt de vna re vtrunque dictum intelligatur, & non animam vel spiritum, quo natura viuit humana, sed Spiritum sanctum significare voluerit? Si enim flatu non posset significari Spiritus sanctus, non Dominus post resurrectionem insufflasset discipulis, & dixisset, Accipite Spiritum sanctum. Neque scriptũ esset in Actibus Apostolorum, Factus est subitò de cælo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt illis linguæ diuisæ sicut ignis, qui & insedit super vnũquemque eorum, & impleti sunt omnes Spiritu sancto. Quid si hoc Propheta prænunciauit, dicens: Qui dat flatum populo super eam? Et tanquam exponens quid dixerit flatum, repetiuit atq; ait, & spiritum calcantibus eam. Tunc enim euidentissimè factum est, quando impleti sunt omnes spiritu sancto. Aut si nondum dicendus est populus, centum viginti homines, qui tunc in loco vno aderant; certè quãdo simul quatuor vel quinque milia crediderunt, & baptizati acceperunt spiritum sanctum, quis dubitauerit simul populum accepisse spiritum sanctum, & multitudinem quæ ambulabat in terra, id est, homines calcantes terram? Nam ille qui datur ad naturam hominis pertinens, siue ex propagine detur, siue nouus insufletur, (quorum nihil affirmandum esse dico, donec alterutrum sine vlla dubitatione clarescat) non datur calcantibus terrã, sed adhuc materno vtero inclusis. Dedit ergo flatum populo super terram, & spiritum calcantibus eam; quãdo multi simul credentes, simul repleti sunt spiritu sancto. Et ipse dat eum populo suo, & si non simul omnibus, sed suo cuique tempore, donec discedendo de hac vita, & succedendo in hanc vitam, vniuersus eiusdem populi numerus compleatur: vt hoc sanctæ scripturæ loco non aliud sit flatus, aliud spiritus, sed eiusdem sententiæ repetitio. Sicut non est alius qui habitat in cælis, & alius Dominus: nec aliud est irridere, & aliud subsannare, sed eadem sententia

Scriptura prima.

Esaiæ 42.

1. Cor. 15.

Flatu significatur interdũ Spiritus sanctus. Ioan. 20. Act. 2.

repetita

Psal. 2. repetita est, vbi legitur, Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos. Vel cùm dictũ est: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ. Non vtique aliud dixit hęreditatem, aliud possessionem; nec aliud gentes, aliud fines terræ: sed eiusdem sententiæ repetitio est. Et innumerabiles inueniet huiusmodi locutiones diuinorum eloquiorum, si aduertat quod legit. Quod autem Græcus dicit πνοὴν, hoc Latini variè interpretati sunt, aliquando flatum, aliquando spiritum, aliquando inspirationem. Nam hoc verbum habent codices Græci in isto prophetico testimonio, de quo nunc agimus, vbi dictũ est, Qui dat populo suo flatum super eam: hoc est πνοὴν. Ipsum verbum est & vbi homo animatus est, Et insufflauit Deus in faciem eius flatum vitæ. Sed ipsum verbum est & in Psal. vbi canitur: Omnis spiritus laudet Deum. Ipsum est in libro Iob, vbi scriptum est: Aspiratio autem omnipotentis est quæ docet. Noluit dicere flatus, sed aspiratio, cùm in Græco sit πνοὴ. Quod etiam in illis verbis Prophetæ, de quibus nunc disputamus, & certè hoc loco nescio, vtrum debeat dubitari spiritum sanctum esse significatum. Agebatur enim de sapientia vnde sit in hominibus, quia non ex numero annorum, sed spiritus, inquit, est in hominibus; aspiratio autem omnipotentis est quæ docet; vt intelligeretur ista repetitione, non se de spiritu hominis dixisse, quod ait, spiritus est in hominibus. Volebat enim ostendere vnde habeant sapientiam, quia non à seipsis; & repetendo id exposuit dicens, Aspiratio omnipotentis est quæ docet. Item alio loco in eodem libro, Intellectus, inquit, labiorum meorum pura intelligit. Spiritus diuinus qui fecit me, aspiratio autem omnipotentis, docet me. Et hic quod ait, aspiratio vel inspiratio, in Græco est πνοὴ, qui in illis Prophetæ verbis interpretatus est flatus. Quamobrem cùm temerè negetur de anima hominis, vel de spiritu hominis esse dictum, Qui dat flatum populo super eam, & spiritum calcantibus eam, (quamuis ibi & Spiritus sanctus multo credibilius possit intelligi,) qua tandem ratione audebit aliquis definire, animam vel spiritum, quo natura nostra viuit, loco illo voluisse significare prophetam: cùm profectò si apertissimè diceret, qui dat animam populo super terram, adhuc quærendum esset, vtrum eam Deus ex origine præcedentis generis ipse det, sicut ex origine præcedentis generis, ipse tamen dat corpus, non solùm homini aut pecori, sed etiam semini tritici, aut alicuius cæterorum quomodo voluerit: an verò nouam sicut homo primus accepit, insufflet. Sunt etiam qui hæc verba prophetica sic intelligant, vt quod ait, dedit flatum populo super eam, id est super terram, non nisi animam velint accipi flatum. Quod verò adiunxit, Et spiritum calcantibus eam: Spiritum sanctum significatum arbitrentur: illo scilicet ordine, quo & Apostolus dicit, Non primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale. Nam ex hac prophetica sententia etiam elegans ille sensus exculpitur, quod ita dixerit calcantibus eam, vt vellet intelligi, contemnentibus eam. Qui enim accipiunt spiritum sanctum, amore cælestium terrena contemnunt. Hæ omnes sententiæ non sunt contra fidem, siue vtrũque, id est, & flatum & spiritum qui pertinet ad humanam naturam, quisque intelligat; siue vtrumque dictum accipiat de Spiritu sancto; siue flatum ad animam, spiritum verò ad Spiritum sanctum referat. Sed si anima & spiritus hominis & hic intelligendus est, sicut non dubitandum est, quod eum Deus det; ita quærendum est adhuc vnde det, vtrum ex propagine, (sicut ipse quidem dat, sed tamen ex propagine dat corporis membra) an verò nouum, neque propagatum singulis insufflando distribuat: quod non ambigua, sicut iste facit, sed aliqua certissima volumus diuinorum eloquiorum authoritate defendi. Eadem ratione etiam quod dicit Deus, *Spiritus enim à me exiet, & omnem flatum ego feci*: de Spiritu quidem sancto accipiendum est quod ait, Spiritus à me exiet. De quo & Saluator ait, A patre procedit. Sed quod dictum est, Omnem flatum ego feci, de omni anima dictum negari nõ potest. Sed omne etiam corpus ipse facit. Quod autem ex propagine corpus humanum faciat, nullus ambigit. Ac per hoc de anima cùm eam constet ab illo fieri, vnde eam faciat, vtrum ex propagine sicut corpus, an insufflãdo sicut primam fecit; adhuc vtique requirendum est. Adiecit etiam tertium testimonium, quia scriptum est, *Qui fingit spiritum hominis in ipso*: Quasi hoc negetur: sed vnde eum fingat, hoc quæritur. Nam & corporalem hominis oculum quis nisi Deus fingit? Et puto quòd non extra fingat, sed in ipso, & tamen vt certum est, ex propagine. Cùm ergo & spiritum hominis in ipso fingat; quærendum est vtrum noua insufflatione, an tractum ex propagine. Nouimus etiam Machabæorum iuuenum matrem, fœcundiorem virtutibus quando filij passi sunt, quàm fœtibus quando nati sunt, eos sic fuisse adhortatam vt diceret, *Filij, nescio quomodo paruistis in ventrem meum. Neque enim ego spiritum & animam donaui vobis, nec singulis vobis vultus & membra formaui; sed Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, fecitq; hominum genus, & omnium inquirit actum, ipse vobis spiritum & animam reddet cum magna misericordia.* Nouimus hæc quidem, sed huic quomodo suffragentur ad id quod asserit, non videmus. Quis enim Christianorum neget Deum donare hominibus animam & spiritum? Sed eodem modo existimo istum negare non posse, Deum donare hominibus linguam, aurem, manum, pedem, omnesque corporis sensus & omnium formam naturamque membrorum. Quomodo enim hæc Dei dona esse negaturus est, nisi se obliuiscatur esse Christianum? Sed sicut constat ex propagine ab illo hæc fieri atque donari; ita quærendum est etiam, spiritus & anima hominis, vnde ab illo efficiatur, à quo efficiente donatur, vtrum ex parentibus, an ex nihilo, an quod iste affirmat, sed omnimodo cauendum est, ex aliqua flatus eius existente natura, non de nihilo creata, sed de ipso?

Psal. 150.

Iob 32.

Esa. 42.

1. Cor. 15.

Iob 33. iuxta 70.

Esa. 52. Secunda scriptura. Ioan. 15.

Zach. 12. Tertia scriptura.

Quarta.

2. Mach. 7.

CAPVT XV. CVM igitur scripturarum testimonia quæ commemorat, nequaquam doceant id quod persuadere conatur, (quod enim ad hanc quæstionem attinet, omnino non exprimunt) quid est quod dicit, *Animam ex flatu Dei constanter asserimus, non ex traduce, quia ex Deo datur?* Quasi corpus ex alio detur quàm ex illo à quo creatur, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: quamuis non ex eius natura, sed ex eius opificio. *Neque ex nihilo*, inquit, *quia ex Deo proficiscitur.* Hoc planè non adhuc quęrendum monemus, vtrum ita sit; sed prorsus verum nõn esse quod dicit, id est, quod anima nec ex traduce sit, nec ex nihilo. Hoc, inquam, verum non esse sine dubitatione firmamus. Vnum est enim è duobus, si ex traduce non est, ex nihilo est; ne ita sit ex Deo, vt naturæ sit Dei, quod omnino sacrilegum est credere. Sed adhuc vtrum non sit ex traduce certa testimonia flagitamus aut quærimus, non qualia iste posuit, quibus hoc quod quærimus non ostenditur. Qui vtinam in tanta profunditate quæstionis, quamdiu quid dicat ignorat, imitaretur Machabæorum matrem. Quæ cùm sciret de viro se filios concepisse, & à creatore omnium, siue secũdum corpus, siue secũdum animam & spiritum sibi creatos esse, ait tamen, Nescio quomodo paruistis in ventrem meum. Vellem iste diceret, quid ista nesciebat. Hæc enim quæ dixi, vtiq; sciebat, quomodo secundum corpus in eius vterum venerint, quia de viro eos se concepisse dubitare nõ poterat. Confitebatur etiam, quia & hoc

Rom. 11.

2. Mach. 7.

& hoc vtique sciebat; quòd Deus illis animam & spiritum dederit; quòd ipse illis vultus & membra formauerit. Quid ergo nesciebat? An fortè quod nescimus & nos, vtrum animam & spiritum, quem Deus illis sine dubio dedit, de parentibus traxerit; an nouum sicut homini primo insufflauerit? Sed siue hoc, siue aliud aliquid de naturæ humanæ institutione nesciebat, nescire se dicebat; non quod nesciebat, temerè defendebat. Nec tamen iste huic diceret; quod nobis dicere non erubuit: *Homo in honore positus non intellexit; comparatus est pecoribus insensatis, & similis factus est illis.* Ecce ista mulier dixit de filiis suis: Nescio quomodo paruistis in ventrem meum: nec tamen comparatur pecoribus insensatis. Nescio, dixit, & quasi quærerent ab ea, cur nesciret, adiunxit, Neque enim ego spiritum & animam donaui vobis. Ille ergo qui donauit, scit vnde fecerit quod donauit, vtrum ex propagine attraxerit, an nouum insufflauerit. Quod ego, inquit, nescio, nec singulis vobis vultus & membra formaui; ille scit qui formauit, vtrum simul cum anima formauerit, an verò iam formatis animam dederit. Quo ergo modo, vtrum illo an isto in eius ventrem venerint filij nesciebat; & illud tamen sciebat, totum quod dedit redituru̇m esse qui dedit. Sed eligat iste in naturæ humanæ tam profundo abditoq; secreto, quid mulier ista nescierit; tantum nõ iudicet mentientem, nec pecoribus insensatis comparet nesciẽtem. Quicquid erat quod illa nesciebat, profectò ad naturam hominis pertinebat, quod tamen sine culpa homo nesciebat. Quapropter dico etiã ego de anima mea nescio quomodo venerit in corpus meum, neque enim ego illam mihi donaui; scit ille qui donauit; vtrum illam de patre meo traxerit, an sicut primo homini nouam creauerit. Sciam etiam ego si ipse docuerit, quãdocunque voluerit. Nunc autem nescio, nec me pudet, vt istum, fateri nescire, quod nescio.

Infrà lib. 4. cap. 2. *Psal. 48.*

CAPVT XVI. DISCE, inquit, *ecce Apostolus docet.* Discam planè si Apostolus docet. Non enim nisi Deus per Apostolum docet. Sed quid est tandem quod docet Apostolus? *Ecce,* inquit, *cùm Athenienſibus loqueretur, hoc constanter exposuit, dicens: Cùm ipse det omnibus vitam & spiritum.* Quis enim hoc negat? *Sed intellige,* inquit, *quod ait Apostolus, Det,* inquit, *non dedit; ad infinitum & iuge tempus reuocans, non de præterito & perfectò pronũcians. Et quod sine cessatione dat, semper dat; sicut semper est ipse qui dat.* Verba eius posui, sicut in eorum quos misisti, secundo lib. eius inueni. Vbi primum vide quò progressus fuerit dum nititur affirmare quod nescit. Ausus est enim dicere, Deum non nunc solum atque in isto tantummodo seculo, sed per infinitum tempus sine cessatione, atque omnino semper animas nascentibus dare. *Semper,* inquit, *dat, sicut semper est ipse qui dat.* Quid Apostolus dixerit, quia satis apertum est, me intelligere, absit vt negem: quod autem iste dicit, debet etiam ipse intelligere contra fidem esse Christianam, atque vlterius cauere ne dicat. Cùm enim mortui resurrexerint, iam nemo nascetur, atque ideo tunc non dabit nascentibus animas, sed eas quas dat in isto seculo, cum corporibus iudicabit. Non ergo semper dat, quamuis ipse semper sit qui nunc dat. Nec tamen quoniã beatus Apostolus non dixit, dedit, sed det: inde conficitur quod vult iste conficere, non eum ex propagine animas dare. Ipse quippè dat, etiam si de propagine dat. Quia & corporis membra, & corporis sensus, & corporis formam, & corporis omnino substantiam ipse hominibus dat, quamuis ex propagine det. Neque enim quia Dominus ait, Si fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; nec ait, vestiuit, sicut primum quando instituit; sed ait, vestit, quod & nunc facit; ideo negabimus lilia de origine sui generis procreari. Quid si ergo sic etiam

Quinta scriptura. Act. 17. *Infrà lib. 3. cap. 6.* *Matth. 6.*

A anima & spiritus hominis & à Deo datur quamdiu datur, & tamen ex propagine sui generis datur? Quod ego nec defendo, nec refello. Sed si defendendum est, vel refellendum; perspicuis non ambiguis testimoniis id agendum esse commoneo. Nec propterea pecoribus insensatis sum comparandus, quia hoc me nondum scire pronuncio; sed potius cautis hominibus, quia nõn audeo docere quod nescio. Istum autem nõ ego vicissim quasi rependens maledictum pro maledicto, pecoribus comparo; sed tãquam filium moneo, vt quod nescit, se nescire fateatur; neque id quod nondum didicit, docere moliatur; ne comparetur non pecoribus, sed illis hominibus quos dicit Apostolus, Volentes esse legis doctores, non intelligẽtes, neque quæ loquuntur; neque de quibus affirmant. *1. Tim. 1.*

CAPVT XVII. NAM vnde est quòd ita scripturas de quibus loquitur, non curat aduertere, vt cùm legerit homines esse ex Deo, non eos etiam secundum corpus, sed tantum secundum animam & spiritum ex Deo esse contendat? Quod enim ait Apostolus, *Ex ipso sumus:* non vult iste ad corpus, sed tantum ad animam & spiritum esse referendum. Si ergo ex Deo non sunt corpora, falsum est quod scriptũ est, Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Deinde vbi dicit idem Apostolus, Sicut enim mulier ex viro, ita & vir per mulierem: exponat nobis iste quam propaginem significare voluerit, animæ, an corporis, an vtriusque? Sed non vult esse animas ex propagine. Restat ergo vt secundum ipsum, atque omnes qui animarum propaginem destruunt, corpus tantum masculinum & femininum significauerit Apostolus dicens: Sicut enim mulier ex viro, ita & vir per mulierem; quia mulier ex viro facta est, vt etiam vir per mulierem postea nasceretur. Si ergo hæc Apostolus dicens, non etiam animas & spiritus, sed tantum corpora vtriusque sexus volebat intelligi, cur continuò subiunxit, Omnia autem ex Deo: nisi quia & corpora ex Deo? Ita quippè ait, Sicut enim mulier ex viro, ita & vir per mulierem, omnia autem ex Deo. Eligat ergo iste vnde sit dictum. Si de corporibus, profectò & corpora ex Deo sunt. Quid est ergo quod vbicunque iste in scripturis legit ex Deo, quando de hominibus agitur, non & corpora, sed tantum animas & spiritus vult intelligi? Si verò quod dictum est, Omnia autem ex Deo: & de corpore vtriusque sexus, & de anima ac spiritu dictum est, ergo secundum omnia est mulier ex viro. Mulier enim ex viro, vir per mulierem, omnia autem ex Deo. Quæ omnia? nisi de quibus loquebatur, id est, & ille vir ex quo mulier, & illa mulier quæ ex viro, & ille vir qui per mulierem? Neq; enim ille vir per mulierem, ex quo viro mulier; sed vir qui natus est postea ex viro per mulierẽ, quemadmodum hodieq; nascuntur. Ac per hoc si cùm ista diceret Apostolus, de corporibus loquebatur, proculdubio corpora vtriusque sexus ex Deo. Porrò si non vult esse ex Deo hominum nisi animas & spiritus, profectò etiam secundum animam & spiritum mulier ex viro, & nihil iam relinquetur eis, qui cõtra animarum propaginem disputant. Si autem ita diuidit, vt dicat mulierem ex viro esse secundum corpus; ex Deo autem secundum animam & spiritum, quomodo erit verum quod ait Apostolus, Omnia autem ex Deo; si mulieris corpus ita est ex viro, vt non sit ex Deo? Quapropter vt Apost. potius verum loquatur, quàm iste Apostolo præferatur; mulier ex viro est, siue secũdum solum corpus, siue secundum totum, quo constat humana natura: (nihil enim horum tanquam certum affirmamus, sed quid horum verũ sit adhuc quærimus) & vir per mulierẽ, siue ex parte tota hominis natura ducatur, quẽ per mulierem nascitur, siue sola caro; vnde adhuc quæstio est: omnia tamen ex Deo, vnde nulla quæstio est, id est, & corpus & anima & spiritus, & viri

Act. 17. *Rom. 11.* *1. Cor. 11.* *1. Cor. 11.* *August. dictus duce anima nihil certi definire ausus. al. patre.*

viri & mulieris. Et si enim non ex Deo nata vel tracta sunt, vel manarunt, ita vt eius naturæ sint, tamen ex Deo sunt. A quo enim creata, condita, facta sunt, ab illo habent, vt sint. *Sed dicendo,* inquit, *Apostolus: Et ipse dat omnibus vitam & spiritum: deinde addendo, fecitq; ex vno sanguine omne genus hominum; animam & spiritum originaliter retulit ad authorem, corpus ad traducem.* Imò verò qui non vult temerè animarum negare propaginem, antequam liquidò clareat, vtrum ita an non ita sit, habet quod in istis verbis Apostoli intelligat: Ex vno eum sanguine dixisse, ex vno homine, à parte totum significante locutionis modo. Si enim ipsi licet intelligere à parte totum quod scriptum est, Et factus est homo in animam viuam; vt illic intelligatur & spiritus de quo scriptura ibi tacuit: cur aliis non liceat sic accipere quod dictum est, Ex vno sanguine: vt illic & anima & spiritus possit intelligi, quoniã homo significatus nomine sanguinis, non solùm constat ex corpore, verumetiam ex anima & spiritu? Sicut enim qui propaginem defendit animarum, non hinc istum debet opprimere, quia de primo homine scriptum est, In quo omnes peccauerunt: non enim dictum est, in quo omnium caro peccauit, sed omnes dictum est, id est, omnes homines; cùm homo non sola sit caro. Sicut ergo hinc iste nõ debet opprimi, quia fortè ita dictum est, omnes homines, vt secundum solam carnem intelligerentur: sic iste non hinc debet premere defensores propaginis animarum, quia dictum est, omne genus hominum ex vno sanguine, tanquam propterea sola caro pertineat ad propaginem. Si enim hoc est verum, quod isti asserunt, vt non sit anima ex anima, sed caro ex carne sit tãtum, ita dictum est ex vno sanguine, vt non totus homo significaretur à parte, sed tantum vnius hominis caro. Illud verò quod dictum est, in quo omnes peccauerunt, sola omnium hominum caro intelligenda est, quæ inde transfusa est, à toto partem significante scriptura. Si autem illud est verum, quod totus homo ex toto homine propagatur, id est, corpus, anima & spiritus, ibi proprie dictum est, in quo omnes homines peccauerunt: hic autem tropicè ex vno sanguine totum significatur à parte, id est, totus homo, qui ex anima constat, & carne, vel potius, vt iste amat loqui, ex anima & spiritu & carne. Nam & ex parte totum, & ex toto partem diuina eloquia significare consueuerunt. Ex parte enim totum significatum est, vbi legitur, Ad te omnis caro veniet: quia ex carne intelligitur totus homo. Ex toto autem pars cùm dicitur Christus sepultus, cùm sola eius caro sepulta sit. Iam illud quod in hoc Apostoli testimonio positum est, quia ipse dat omnibus vitam & spiritum, secundum superiorem disputationem puto quod néminem moueat. Ipse enim dat. Sed adhuc quærimus vnde det, vtrum ex noua insufflatione, an ex propagine. Ipse quippè dare etiam carnis substantiam rectissimè dicitur, quam tamẽ dare ex propagine nõ negatur.

Act. 17. *Gen. 1.* *Rom. 5.* *Synecdoche in scriptura sacra. Psal. 64.*

CAPVT XVIII. *Sexta scriptura. Gen. 2.* NVNC videamus illud de Genesi testimonium, vbi facta mulier de latere viri, adducta est ad eum, & dixit: *Hoc nunc os ex oßibus meis, & caro de carne mea.* Hoc quippè putat iste, *quòd dicere debuerit Adam, anima ex anima mea, vel spiritus de spiritu meo, si etiam hoc de illo tractum esset.* Sed illi qui propaginem asserunt animarum, hinc se putant inuictius suam munire sentẽtiam; quia cùm scriptum sit, detraxisse Deum costam de latere viri, camque ædificasse in mulierem, non est additum, quod in eius faciem sufflauerit flatũ vitæ: ideo, inquiunt, quia iam de viro fuerat animata. Nam si nõ fuisset, nequaquam nos, inquiunt, sancta scriptura huius rei cognitione fraudasset. Ad illud verò quod ait Adam, *Hoc nunc os ex oßibus meis, & caro de carne mea:* nec ait, spiritus vel anima de spiritu meo, vel de anima mea: sic ab eis responderi potest, quemadmodum superius demonstratum est, vt à parte totum intelligatur hoc dictum, os & caro mea; sed quæ animata fuerint detracta, non mortua. Neque enim hoc omnipotentem facere potuisse, ideò negandum est, quia nullus hominum potest aliquid cum anima de humana carne præcidere. Nam quod Adam secutus adiunxit, Hæc vocabitur mulier, quia de viro suo sumpta est: cur non ait potius, vnde opinio confirmaretur istorũ, quoniam de viro suo caro eius sumpta est? Hic vtique illi qui contrà sentiunt, possunt dicere, quia nõ est scriptum carnem mulieris, sed mulierẽ de viro sumptam suo, totam debere accipi cum anima & spiritu. Nam etsi anima sexu caret, non tamen quando appellantur mulieres, excepta anima eas necesse est intelligi. Alioquin non ita se admonerẽtur ornare: non intortis crinibus, aut auro, vel margaritis, aut veste pretiosa, sed quod decet, inquit, mulieres, promittentes pietatem per bonam conuersationem. Vtique pietas intus est in anima vel in spiritu, & tamen mulieres appellatæ sunt etiam vt se intus ornarent, vbi nullus est sexus. Cùm itaque isti sic inter se alternante sermone certauerint; ego inter eos sic iudico, vt ne incognitis fidant, & temerè audeant affirmare quod nesciunt, vtrosque commoneã. Si enim scriptum esset, insufflauit flatum vitæ in faciem mulieris, & facta est in animam viuam: nec sic esset iam consequens, vt non propagaretur ex parentibus anima, nisi etiam de filio eorum hoc scriptum similiter legeretur. Fieri enim potuit, vt membrum non animatum de corpore extractum indigeret animari; filij verò anima ex patre per matrem propaginis transfusione traheretur. Cùm verò tacitum est, occultatum est, non negatum, sed neque affirmatum. Ac per hoc si cubi fortè nõ tacitum est, clarioribus documentis est astruẽdum. Vnde nec illi qui defendunt animarum propaginem, ex eo quod nõ sufflauit Deus in faciem mulieris, aliquid adiuuãtur: nec illi qui eam negant, ideò quia non dixit Adam, anima de anima mea, debẽt sibi persuadere quod nesciunt. Sicut enim, eadem non soluta, sed manente quæstione potuit tacere scriptura, quòd mulier Deo sufflãte sicut vir eius acceperit animam; sic eadem non soluta, sed manente quæstione potuit tacere scriptura, vt Adam non diceret, anima de anima mea. Ac per hoc si primæ mulieris anima ex viro est, à parte totum significatũ est, vbi legitur, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, cùm tota ex viro, non caro sola sit sumpta. Si autem non est ex viro, sed eam Deus insufflauit sicut viro, à toto pars significata est, vbi legitur, De viro suo sumpta est, cùm caro eius non tota sit sumpta. Quapropter cùm his testimoniis, quod ad hanc rem pertinet, vtique ambiguis, non soluatur hæc quæstio; illud tamen scio, sic argumentari homines, qui ex hoc putant animam mulieris non esse de anima viri, quia nõ est dictum, anima de anima mea; sed, caro de carne mea: quemadmodum argumentantur Apollinaristæ, vel quicunque sunt alij, aduersus animam Domini. Quam propterea negant, quia scriptum legunt; Verbum caro factum est. Si enim & anima, inquiunt, ibi esset, debuit dici: Verbũ homo factũ est. Sed istis propterea dicitur, carnis nomine solere scripturã totũ hominem nuncupare, sicut ibi, Et videbit omnis caro salutare Dei: non enim caro sine anima aliquid videre potest. Quia plurimis aliis sanctarũ scripturarum locis, non solùm carnem, verumetiam animam humanam, id est, rationalem inesse homini Christo, sine vlla ambiguitate monstratur. Vnde & isti, à quibus animarum propago defenditur, possunt accipere à parte totum esse dictum; Os de ossibus meis, & caro de carne mea; vt illic intelligatur & anima, quemadmodum verbum carnem factum non sine anima accipimus: si quemadmodum alia testimonia docent, habere humanam

1. Tim. 2. *Apollinaristarum argumẽta, quo Christũ probabant anima carnisse.* *Ioan. 1.* *Esai. 40.* *Luc. 3.* *Gen. 2.*

manam animam Christum; ita & isti aliquibus non ambiguis testimoniis propaginem astruerent animarum. Pari vice admonemus etiam hos, qui animarum propaginem destruunt, vt nouas à Deo sufflari animas certis documentis asserant; & tunc illud quod dictum est, Os ex ossibus meis, & caro de carne mea, non tropicè à parte totum, vt simul intelligatur & anima; sed propriè de sola carne dictum esse defendant.

CAPVT IX. QVÆ cùm ita sint, video librũ istum iam esse claudendum. Omnia quippè, quæ mihi maximè necessaria videbantur, continet. Quibus hi qui legerint, sciant se cauere debere, ne huic homini, cuius duos libros mihi misisti, in hoc consentiant, vt credant animas sic ex flatu Dei esse, vt non sint ex nihilo. Hoc enim qui credit, etsi verbis neget, re ipsa clamat animas Dei habere substantiam, & ipsius genus esse, nõ munere, sed naturã. Nam de quo quisque naturæ suæ originem ducit, de illo naturæ suæ genus ducere negari sobriè nullo pactò potest. Iste autem ita sibi est ipse contrarius, vt *genus Dei esse animas* dicat, *non natura sed munere*, & tamen *non factas ex nihilo, sed ex illo* dicat *originem ducere*: ac sic eas, quod prius negauerat, ad Dei naturã reuocare non dubitat. Animarum autem nouarum sine propagine insufflationem, defendi quidem minimè prohibemus, sed ab eis qui potuerint aliquid inuenire, vel in canonicis libris, quod non sit ambiguum dissoluendæ huic obligatissimæ quæstioni; vel in ratiocinationibus suis, quod non sit contrarium catholicæ veritati; non à talibus qualis iste apparuit; qui non inueniendo quid diceret, & deliberationem suam nolendo suspendere, vires suas omnino non metiens nè taceret, ausus est dicere, *inquinari animam meruisse per carnem; & esse meruisse animam peccatricem*, cuius nullũ meritum, seu bonum seu malum ante carnem potuit inuenire. Et *paruulis sine baptismo de corpore exeuntibus, solui posse originale peccatum; & offerendum pro eis sacrificium corporis Christi*; qui Christo non sunt incorporati per eius sacramenta in eius Ecclesia: *eosq; sine lauacro regenerationis de hac vita emigrantes, non ad requiem tantum ire, sed ad regnum cælorum posse etiam peruenire.* Et alia multum absurda, quæ omnia colligere, atque in isto libro digerere, longum visum est. Absit ergo vt animarum propago si falsa est, à talibus refellatur; & animarum nouarum insufflatio si vera est, à talibus defendatur. Quamobrem quicunque volunt defendere, quòd dicuntur animæ nouæ nascentibus insufflari, non de parentibus trahi, aliquid illorum quatuor quæ suprà commemorauì, caueant omnimodo. Hoc est: Ne dicant à Deo fieri animas peccatrices, per alienum originale peccatum. Ne dicant paruulos, qui sine baptismo exierint, peruenire posse ad vitam æternam regnumq; cælorum, originali peccato per quodlibet aliud resoluto. Ne dicant animas peccasse alicubi ante carnem, & hoc merito in carnem peccatricẽ fuisse detrusas. Nè dicant peccata, quæ in eis inuenta non sunt, quia præscita sunt, meritò fuisse punita, cùm ad eam vitam, vbi ea committerent, permissæ non fuerint peruenire. Nihil ergò istorum quatuor dicentes, quoniam quodlibet eorum falsum atque impium est; inueniant etiam scripturarum de hac re certissima testimonia, & hanc sententiam suam, non solùm me nõ vetante, verumetiam fauente & gratias agente, defendant. Si autem non inueniunt certissimam de hac re authoritatem diuinorum eloquiorum, & aliquid illorum quatuor per inopiam dicere compelluntur; cohibeant se, ne per ipsam inopiam etiam paruulorum animas non habere originale peccatum secũdum Pelagianam hæresim olim damnabilem, nuperrimeque damnatam, dicere compellantur. Melius est enim homini fateri se nescire quod nescit, quàm in hæresim vel damnatam incurrere, vel nouam condere, dum temerè audet defensare quod nescit. Alia huius hominis falsa & absurda, in quibus non tam periculosè, verumtamen à tramite veritatis exorbitat, quoniam multa sunt, & ad ipsum etiam, si Dominus voluerit, aliquid de libris eius volò scribere, ibi forsitan omnia, vel si omnia non potero, plurima ostendam.

Animarum propaginem defendi, non prohibet Augustinus.

Quid te-ne debeant, qui negant animas propagari.

CAPVT X. ISTVM autem librum, quem ad te potius, qui curã & fidei nostræ, & existimationis meæ, vt verus catholicus & bonus amicus fideliter benigneq; gessisti; quã ad alium quenquam scribendum putaui, tu legendum dabis vel describendum quibus potueris, vel quibus dãdum esse iudicaueris. In quo istius iuuenis præsumptionem ita reprimendam & redarguendam putaui, vt tamen eum diligam; nec damnari, sed emendari velim: Atq; ita proficere in domo magna, quæ est Ecclesia catholica, quò eum misericordia diuina perduxit, vt sit in illa vas in honore sanctificatum, vtile Domino, ad omne opus bonum semper paratũ, & bene viuendo, & sana docendo. Porrò autem si ipsum oportet vt diligam, sicut facio, quantò magis te frater, cuius erga me beneuolẽtiam, & cuius catholicam fidem cautam & sobriam optimè noui. Vnde factum est, vt eos libros qui tibi displicuerunt, & in quibus nomen meũ aliter quàm velles positum comperisti, describendos mihiq; mittendos verè fraterna planeq; sincera dilectione curares. Tantum ergo abest vt hinc tuæ charitati succenseam, quia fecisti; vt potius nisi fecisses, integro iure amicitiæ succensere deberem. Ago itaque vberes gratias. Quẽadmodum autem acceperim factum tuum, hinc manifestiùs indicaui, quòd hũc ad te librũ mox vt illos legi, sine aliqua dilatione conscripsi

2. Tim. 2.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE ANIMA ET EIVS ORIGINE, AD PETRVM PRESBYTERVM EPISTOLA, SIVE LIBER SECVNDVS.

CAP. I. DOMINO dilectissimo fratri & compresbytero Petro, Augustinus Episcopus in Domino salutem. Peruenerunt ad me duo libri Vincẽtij Victoris, quos ad sanctitatem tuam scripsit, mittente mihi eos fratre nostro Renato, homine quidem laico, sed pro sua fide & eorum quos diligit, prudenter religioseque solicitò. Quibus lectis, vidi hominem in sermone quidem non solùm vsque ad sufficientiam, verumetiam vsque ad redundantiam profluentem; sed in rebus, de quibus loqui voluit, nondum sicut oportet instructum; quod si ei fuerit Domino donante collatum, poterit esse vtilis pluribus. Habet enim non minimum facultatis, qua possit explicare atque ornare quæ sentit, si prius det operã recta sentire. Valde quippe sunt noxia praua diserta, quia hominibus minus euiditis, eò quòd diserta sint, videntur & vera. Quomodo autem eosdem libros ipse acceperis, nescio. Verumtamen si verum est quod audiui, diceris eis recitatis ita exiluisse lætitia, vt caput iuuenis illius senex, & laici presbyter osculatus, *didicisse te quod ignorabas*, gratias egeris. Vbi quidem non improbo humilitatem tuam, imò verò etiam laudo quòd honorasti doctorem tuũ nec hominem, sed ipsam quæ tibi per illum loqui dignata est veritatem; si tamẽ potueris demõstrare, quid per illum veritatis acceperis. Vellem itaque rescriptis tuis, quid te docuerit, me doceres: Absit enim vt erubescam à presbytero discere, si à laico tu non erubuisti prædicanda & imitanda humilitate vera didicisse.

Praua disserte dicta valde sunt noxia.

PROINDE frater dilectissime, quid ab eo didiceris, nosse cupio, vt si iam id sciebã, gratuler pro te; si autem nesciebam, discam per te. Itanè tu ignorabas duo quæ-

quædã esse, animã & spiritum, secũdum id quod scriptũ est, Absoluisti à spiritu meo animã meã: & vtrũq; ad naturam hominis pertinere, vt totus homo sit spiritus & anima & corpus? Sed aliquãdo duo ista simul nomine animæ nũcupari, quale est illud: Et factus est homo in animam viuã. Ibi quippè & spiritus intelligitur. Itemque aliquando vtrunq; nomine spiritus dici, sicuti est, Et inclinato capite tradidit spiritum: vbi & anima necesse est intelligatur, & vtrunque vnius esse substãtiæ. Puto quòd ista iam sciebas. Si autem nesciebas, nõ te aliquid quod magno periculo nesciatur, didicisse scias. Et si quid hinc subtilius disputãdum est, melius cũ ipso agitur cuius iam nouimus & eloquiũ: vtrum cùm dicitur; anima, ita vt simul intelligatur & spiritus, vtrunq; anima sit, spiritus autẽ aliquid animæ sit, an, sicut ei visum est; à parte totum appelletur hoc nomine, siue etiã vtrunq; spiritus sit: pars verò eius sit quæ propriè dicitur anima, an & hoc à parte totũ vocetur, quando ita dicitur spiritus, vt simul intelligatur & anima; sic enim huic placet. Verùm ista, vt dixi, & subtiliter disserũtur, & sine vllo vel certè sine magno periculo nesciuntur. Itẽq; alios esse corporis, alios autem animæ sensus, miror si iste te docuit: & tu homo id ætatis & honoris anteqũã istum audires, vnũ atque idẽ putabas esse, quo albũ nigrumq; discernitur, quo nobiscũ videt etiam passeres: & quo iustũ atq; iniustũ diiudicatur, quo videbat Tobias, etiã carnis luminibus perditis. Hoc si ita est, profectò quando audiebas vel legebas, Illumina oculos meos ne vnquam obdormiã in morte; non nisi carnis oculos cogitabas: aut si hoc obscurum est, certè quando illud Apostoli recolebas; Illuminatos oculos cordis vestri; nos sub fronte & supra buccas cor habere credebas? Absit vt de te hoc sentiã. Neq; hoc te igitur iste docuit. Aut si fortè ante eius doctrinã, quã modò te inuenisse lætaris, animæ naturã Dei putabas esse portionẽ, hoc planè cum horrendo periculo falsum esse nesciebas. Et si ab isto didicisti, quòd anima portio Dei non sit, age Deo gratias quantas potes, quòd non antequam hoc didicisti, de corpore existi. Exisses enim magnus hæreticus, & blasphemator horrendus. Nullo tamen modo etiam id de te existimauerim, quòd homo catholicus, neque contemptibilis presbyter, animæ naturam portionem Dei sentiebas esse. Vnde fateor dilectioni tuæ, timeo ne fortè hoc te iste docuerit, quod potius sit contrarium ei fidei quam tenebas.

Iob 7. secundum 70.

Gen. 2.

Deu. 19.

Tobiæ 4.

Psal. 12.

Ephes. 1.

CAPVT III. SICVT enim arbitror, te nunquã in catholica animam credidisse Dei esse portionẽ, vel vllo modo animæ & Dei eandẽ esse naturã: ita metuo ne fortè consenseris huic homini, *quòd animam Deus non de nihilo fecerit, sed ita ex ipso sit, vt ab ipso emanauerit.* Hoc enim etiam verbum iste posuit inter cætera, quibus in hac quæstione ad immane præcipitiũ exorbitauit. At verò hoc si te docuit, nolo me doceas. Imò etiam volo, vt quod didiceras, ipse dediscas. Parum est enim nõ credere neq; dicere, quòd pars Dei sit anima. Neq; enim & filium vel Spiritũ sanctũ partem Dei esse dicimus, & tamen dicimus patrẽ & filiũ & Spiritũ sanctũ vnius eiusdemque esse naturę. Parũ est ergo vt non dicamus animã esse partẽ Dei; sed hoc etiã opus est, vt dicamus non eam & Deũ vnius eiusdemq; esse naturæ. Vnde ille rectè quidẽ ait, *genus Dei esse animas, munere, nõ natura*, ac per hoc non omniũ, sed fidelũ. Sed rursus ad id quod declinauerat deuolutus est, & Deũ atq; animam eiusdẽ dixit esse naturæ, nõ quidẽ his verbis, sed aperta manifestaq; sentẽtia. Cùm enim animã ita esse dicit ex Deo, vt eam nec ex alia natura, nec ex nihilo, sed ex semetipso creauerit; quid persuadere conatur, nisi id quod aliis verbis negat, animam scilicet eiusdẽ cuius Deus est, esse naturæ? Omnis quippè natura vel Deus est, qui nullũ habet authorẽ, vel ex Deo est, quia ipsum habet authorẽ. Sed quæ habet authorẽ Deum ex quo est, aliqua facta non est, aliqua facta est. Porrò quæ facta nõ est, & tamen ex ipso est, aut genita est ab illo, aut procedit ex illo. Quæ genita est, filius est vnicus; quę procedit, Spiritus sanctus; & hęc trinitas vnius est eiusdẽq; naturæ. Nã hæc tria vnũ sunt, & singulum quodq; Deus, & simul omnia vnus Deus, immutabilis, sempiternus, sine tẽporis vllo initio, sine termino. At verò illa natura quæ facta est, creatura nũcupatur, creator autẽ Deus, illa scilicet trinitas. Creatura ergo ita esse dicitur ex Deo, vt non ex eius natura facta sit. Ex illo enim propterea dicitur, quia ipsum authorem habet vt sit; nõ ita, vt ab illo nata sit, vel processerit; sed ab illo creata, condita, facta sit; partim ex nulla alia, id est, omnino ex nihilo, sicut cælũ & terra, vel potius vniuersæ mũdanę molis vniuersã cum mũdo concreata materia: partim verò ex alia iã creata atq; existente natura, sicut vir ex limo, mulier ex viro, ex parẽtibus homo: creatura tamen omnis ex Deo, sed creante vel ex nihilo vel ex aliquo, non autẽ gignente vel producẽte de seipsõ. Si hæc cum catholico loquor, magis cõmonens quã docẽs. Neq; enim esse tibi arbitror noua, vel audita quidẽ & antea, non tamẽ credita: sed, vt existimo, sic legis epistolã meã, vt hic agnoscas etiam fidem tuã, quę nobis in catholica Ecclesia, Dño donante, cõmunis est. Si ergo hæc, vt dicere cœperã, cum catholico loquor, vnde obsecro credis esse animã, non vniuscuiusq; nostrũm dico, sed primã primo illi homini datã? Si ex nihilo, & factã tamẽ insufflatãq; à Deo, id credis quod ego. Si autẽ ex aliqua alia creatura, quæ vnde anima fieret, tanquã materies subiacebat artifici Deo, sicut puluis, vnde fieret Adã; vel costa eius, vnde Eua; vel sicut aquæ, vnde pisces & volucres; vel sicut terra, vnde animalia quæq; terrestria; nõ est catholicum, nõ est verũ. Quòd si neq; ex nihilo, neq; ex alia quacũque creatura, sed ex semetipso Deũ, hoc est, ex natura sua fecisse vel facere animas, quod absit, existimas; hoc quidẽ ab isto didicisti, sed non tibi gratulor neq; blandior; longè quippè cum illo à fide catholica exorbitasti. Tolerabilius enim, quod quidẽ falsum est, tamẽ, vt dixi, tolerabilius, ex aliqua alia creatura, quã quidem iam fecerat Deus, quã ex Dei natura animam conditã crederes; vt quòd est mutabilis, quòd peccat, quòd fit impia, quòd eriã si impia perdurauerit in fine, sine fine dãnabitur, non ad Dei naturã cum horrenda blasphemia referretur. Abiice frater, abiice obsecro istam nõ planè fidem, sed execrãdæ impietatis errorẽ; ne homo grauis, seductus à iuuene, & à laico presbyter, cùm istã catholicam fidem esse arbitraris, de numero fidelium, quod à te auertat Dominus, eximaris. Non enim tecum sic agendum est, vt cum illo: aut ea venia tuus iste tam horrendus, quàm iuuenis illius, licet ab illo ad te transierit, error est dignus. Ille ouili catholico sanandus nuper accessit, tũ in catholicis pastoribus deputaris. Nolumus ita curetur quæ venit ab errore ad Dominicum gregem, vt prius pestifera contagione disperdat ouis vlcerosa pastorem. Quòd si dicis, hoc me ille non docuit, nec huic errori eius vllo modo, quamlibet diserti & ornati sermonis illectus suauitate consensi: ago ingentes Deo gratias. Sed quæro, vnde illi caput exosculatus, vt dicitur, gratias egeris, te didicisse, quod vsque ad auditam disputationem illius ignorabas: aut si falsum est, hoc te fecisse atque dixisse, hoc ipsum peto nobis intimare digneris, vt inanis rumor tuis literis refellatur. Si autem verum est, illa humilitate te homini egisse gratias gaudeo quidem, si te illud non docuit, quod superius quàm sit detestandum cauendumque monstraui.

Sup. lib. 1. ca. 4. & infrà lib. 3. cap. 3. 4. & 5.

Creatura quomodo ex Deo.

Omnis natura vel Deus ipse, vel ex Deo est.

ET non reprehendo quòd gratus fueris tãta humilitate doctori, si aliquid aliud disputante illo, verum atque vtile didicisti. Sed hoc quid sit inquiro. An fortè CAPVT XIII.

animam non ſpiritum eſſe, ſed corpus? Non quidem magnum doctrinæ Chriſtianæ arbitror eſſe detrimẽtum iſta neſcire: Etſi de corporum generibus ſubtiliter diſputetur, hoc maiore difficultate quàm vtilitate perdiſcitur. Si autem Dominus voluerit, vt ad illum ipſum iuuenem ſcribam, ſicut deſidero, ibi ſciet fortaſſe dilectio tua, etiam hoc quàm non te docuerit, ſi tamen id te ab illo didiciſſe lætaris. Sed ne quid fortè aliud ſit quod conſtat eſſe vtile, & ad fidem neceſſariũ pertinere, peto reſcribere non grauerſis. Nam illud, quod rectiſſimè & valde ſalubriter credit, iudicari animas cùm de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari, atque in ipſa qua hic vixerũt, carne torqueri; ſiue †gloriari; hoc itáne tándem ipſe neſciebas? Quis aduerſus Euangelium tanta obſtinatione mentis obſurduit, vt in illo paupere qui poſt mortem ablatus eſt in ſinum Abrahæ, & in illo diuite, cuius infernus cruciatus exponitur, iſta non audiat, vel audita non credat? Sed nunquid te docuit, quomodo anima ſine corpore de digito pauperis aquæ ſtillam deſiderare potuerit, cùm ipſe confeſſus ſit, alimenta corporea non niſi propter fulciendas ruinas corruptibilis corporis ſui, animam quærere? Verba eius iſta ſunt: *Nunquid quia anima*, inquit, *aut cibum quærit aut potum; ad ipſam tranſire credimus paſtũ?* Et paulo poſt: *Vnde intelligitur*, inquit, *& probatur, non ad animã pertinere ciborum ſuſtentacula, ſed ad corpus; cui etiam præter cibum procuratur ſimili ratione veſtitus; vt illi neceſſarius videatur paſturæ ſuggeſtus, cui competit & ipſos habere veſtitus.* Hãc ille ſententiam ſuam ſatis euidenter expoſitam, nonnulla etiam ſimilitudine illuſtrans, adiecit, atque ait: *Quid autem putamus inquilinum quemquam ſuæ habitationi proſpicere? Nonne ſi eam ſenſerit aut tecto tremere, aut nutare pariete, aut labare fundamine, deſtinas quærit, ſtrues congerit, quibus imminentem poſſit ruinam ſedulò diligenter fulcire, ne ſub periculo manſionis diſcrimen videatur impendere manſori? Ita ergo & animam recognoſce*, inquit, *carni ſuæ deſiderare cibum, ex qua ipſum concipit ſine dubio deſiderium.* Hæc nempe ille iuuenis ſua ſerioſa verbis luculentiſſimis & ſufficientiſſimis explicauit, aſſerens non animæ requiri alimenta ſed corpori, cura quidem illius, ſed tanquam habitãtis in domo, & moribundæ carnis imminentes ruinas prouida refectione fulcientis. Et illud ergo explicet tibi, quid anima illa diuitis ruiturũ deſtinare cupiebat, quæ mortale corpus iam vtique non habebat, & tamen ſitiebat, & aquæ ſtillam de digito pauperis requirebat.

For coronari.

Luc. 16.

CAP.

HABET vbi ſe exerceat iſte doctor ſenum: Quærat, & inueniat, ſi potuerit, cui rei anima illa apud inferos humidum alimẽtum, vel tam exiguum mendicaret, cùm ruinoſo habitaculo iam careret. Incorporeum ſanè Deum eſſe quòd credit, gratulor eum hinc ſaltem à Tertulliani deliramentis eſſe diſcretum. Ille quippe ſicut animam, ita etiã Deum corporeum eſſe contendit. A quo iſte in hoc diſſentiens, mirabiliora perſuadere molitur, Deum incorporeum, nõ de nihilo facere, ſed de ſemetipſo flatum exhalare corporeum. O doctrinam cui omnis ætas aures ſurrigat, quę homines annoſos, quæ denique presbyteros mereatur habere diſcipulos! Legat legat in cõcione quod ſcripſit, notos atque ignotos, doctos atque indoctos recitaturus inuitet. Seniores cùm iunioribus conuenite, quod neſciebatis diſcite, quod nunquam audieratis audite. Ecce iſto docente, nõ aliunde quod aliquo modo eſt, nec ex eo quod omnino non eſt, Deus flatum creat; ſed ex eo quod ipſe eſt, cùm ſit incorporeus, corpus ſufflat. Naturã ergo ſuam antequam mutetur in peccati corpore, ipſe mutat in corpus. An dicit quòd ex ſua natura non mutat aliquid cùm flatum facit? Non ergo eum de ſeipſo facit: non enim aliud eſt ipſe, aliud natura eius. Quis hoc inſaniſſimus opinetur? Quòd ſi dicit ita Deum de ſua natura facere flatum, vt ipſe integer maneat; non inde quæſtio eſt, ſed vtrum quod non aliunde, nec de nihilo, ſed de illo eſt, non hoc ſit quod ille, id eſt, eiuſdem naturæ & eſſentiæ. Nam & filio genito integer manet, ſed quia eum genuit de ſeipſo, non aliud genuit quàm id quod ipſe eſt. Excepto enim quòd hominem aſſumpſit, & verbum caro factum eſt, alius eſt quidem verbum Dei filius, ſed non eſt aliud: hoc eſt, alia perſona eſt, ſed non diuerſa natura. Et vnde hoc, niſi quia non creatus ex alio, vel ex nihilo, ſed natus ex ipſo eſt, non vt melior quàm erat eſſet, ſed omnino vt eſſet, & quod eſt ille, vnde natus eſt, eſſet: hoc eſt, vnius eiuſdemque naturæ, æqualis, coæternus, omnimodo ſimilis, pariter immutabilis, pariter inuiſibilis, pariter incorporeus, pariter Deus, hoc omnino quod pater, niſi quod filius eſt ipſe, non pater? Si autem manet quidem ipſe integer Deus, nec tamen de nullo, vel de alio, ſed de ſeipſo diuerſum aliquid in deterius creat, & de incorporeo Deo corpus emanat; abſit vt hoc catholicus animus bibat. Non enim eſt fluentum fontis diuini, ſed figmentum cordis humani.

Tertul. lib. de anima. Vide Auguſt. hereſ 86. & epiſt. 157.

Dei filius, alius à patre, non aliud.

CAPVT VI.

IAM verò quàm ineptè laboret animam quam putat eſſe corpoream, vindicare à paſſionibus corporis, diſputans de animæ infantia, de paralyticis & oppreſſis animæ ſenſibus, de amputatis membris corporis abſque animæ ſectione, non tecum, ſed cum illo potius agere debeo. Illi quippe inſudandum eſt, vt rationem reddat dictorum ſuorum, ne de opere iuuenis velle fatigare videamur grauitatem ſenis. Quod autem ſimilitudines morum qui reperiuntur in filiis, nõ ex animæ ſemine venire diſputat; conſequens eſt quidem vt hoc ſentiant quicunque animæ propagincm deſtruunt: ſed nec illi qui hanc aſtruũt, ibi conſtituũt pondus aſſertionis ſuæ. Vident enim & filios parẽtũ diſſimiles moribus. Quod ideò fieri putãt, quia & ipſe vnus homo plerunque ſuis moribus alios mores diſſimiles habet, non vtique anima altera accepta, ſed vita in melius, vel in deterius commutata. Ita dicunt non eſſe impoſſibile, vt anima non habeat eos mores, quos habet ille à quo propagata eſt, quãdoquidem ipſa vna nunc alios, aliàs alios habere mores poteſt. Quare ſi hoc te credis ab iſto didiciſſe, quòd anima non ſit ex traduce, vtinam id verè didiciſſes, me tibi docendum libentiſſimè traderem. Sed aliud eſt diſcere, aliud videri ſibi didiciſſe. Si ergo te didiciſſe arbitraris quod adhuc neſcis, non planè didiciſti, ſed temerè credidiſti quod libẽter audiſti, & ſurrepſit tibi falſiloquium per ſuauiloquium. Quod non ideò dico, quia falſum eſſe iam certus ſim, animas potius inſufflari nouas, quàm de origine parentum trahi; hoc enim adhuc ab eis qui docere id poſſunt, exiſtimo requirendum: ſed quia iſte de hac re ita diſſeruit, vt non ſolùm eam, quæ adhuc diſcutiẽda eſt, non ſolueret quæſtionem; verumetiam talia diceret quę falſitatis non habeant dubitationem. Cùm enim vellet probare dubia, auſus eſt dicere ſine dubio reprobanda.

CAPVT VII.

AN verò tu reprobare dubitabis, quod cùm de anima loqueretur, *Non vis*, inquit, *animam ex carne peccati cõtrahere valetudinem, ad quam viciſsim ſanctificationem videas tranſire per carnem, vt per ipſam reparet ſtatum, per quam perdiderat meritum? Aut nunquid quia baptiſmo corpus abluitur, non tranſit ad animam vel ſpiritum, quod creditur conferri per baptiſmum? Meritò ergo per carnem, priſcam reparat habitudinem, quam viſa fuerat pauliſper amiſiſſe per carnem, vt per eam incipiat renaſci, per quam meruerat inquinari.* Vide in his verbis, quantum iſte tuus errauerit doctor. Dixit *animam per carnem reparare ſtatum, per quam perdiderat meritum.* Habuit ergo anima aliquẽ ſtatum & aliquod meritum bonum ante

ante carnem, quod vult eam reparare per carnem, quando caro lauacro regenerationis abluitur. Vixerat itaque alicubi ante carnem in ſtatu & merito bono; quem ſtatum & quod meritum perdidit cũm veniſſet in carnem: Dixit *eam per carnem reparare habitudinem priſcam, quam viſa fuerat pauliſper amiſiſſe per carnem.* Habuit ergo ante carnem habitudinem antiquã; (hoc eſt enim priſcam) & iſta qualis eſſe potuit, niſi beata atque laudabilis habitudo? *Quam reparari per ſacramentum baptiſmatis* aſſeuerat; cùm eam nolit ex illa originem trahere per originem, quam conſtat in paradiſo aliquando fuiſſe felicem. Quomodo igitur alio loco *animam* ſe dicit *conſtanter aſſerere, non ex traduce, neque ex nihilo, neque per ſemetipſam, neque ante corpus?* Ecce iſto loco vult animas ante corpus alicubi viuere tam beatè, vt eadem illis per baptiſmum beatitudo reddatur. Et tanquam ſui rurſus oblitus adiungit & dicit: *Vt per eam*, id eſt per carnem *incipiat renaſci, per quam meruerat inquinari.* Superius meritum ſignificauerat bonum perditum fuiſſe per carnem; nunc autem ſignificat malum meritum, quo factum eſt vt veniret vel mitteretur in carnem, dicendo; *Per quam meruerat inquinari.* Si enim meretur inquinari, non eſt vtique meritum bonum. Dicat quid peccauit, antequam per carnem inquinaretur, vt per carnem inquinari mereretur. Dicat ſi poteſt, quod nullo modo poteſt, quia inuenire hic quid verũm dicat, omnino non poteſt.

A

B

CAPVT VIII. Sup. lib 1. ca. 8. & infrà lib. 3. c. 8.

ITEM aliquanto pòſt ait: *Anima itaque ſi peccatrix eſſe meruit, quæ peccatrix eſſe non potuit, tamen neque in peccato remanſit, quia in Chriſto præfigurata, in peccato eſſe non debuit, ſicut eſſe non potuit.* Rogo te frater, putáſne iſta ſaltem poſtea legiſti & conſideraſti; & quid in recitante laudaueris, vel vnde poſt recitationem gratias egeris, cogitaſti? Quid eſt obſecro te, *anima itaque ſi peccatrix eſſe meruit, quæ peccatrix eſſe non potuit?* Quid eſt *meruit*, & *non potuit*, cùm mereri hoc non potuiſſet, niſi peccatrix fuiſſet; non autem fuiſſet niſi eſſe potuiſſet, vt ante omne malum meritum peccans, inde ſibi meritum faceret, vnde ad alia peccata, deſerente Domino, peruenirẽt? An ideo dixit, *quæ peccatrix eſſe non potuit*, quia niſi in carnem veniret, peccatrix eſſe non poſſet? Quid ergo meruit vt eò mitteretur vbi peccatrix eſſe poſſet, quò niſi veniſſet, alibi peccatrix eſſe non poſſet? Dicat quid meruit: Si enim meruit eſſe peccatrix, aliquid iam peccauerat, vnde mereretur iterũm eſſe peccatrix. Sed hæc fortaſſis obſcura eſſe videantur, aut obſcura eſſe iactentur, cùm ſint apertiſſima. Neque enim dicere debuit, *quòd anima meruerit peccatrix eſſe per carnem*, cuius nec bonum nec malum meritum reperire potuit ante carnem.

C

CAPVT IX. Sup. lib. 1. ca. 9. & 10. & infrà lib. 3. c. 9. & 10.

SED ad manifeſtiora veniamus. Dum enim magnis coarctaretur anguſtiis, quomodo animæ originalis peccati vinculo teneantur obſtrictæ, ſi non ex illa trahunt originem quæ prima peccauit, ſed eas puras ab omni contagione & propagatione peccati, peccatrici carni creator inſufflat; ne dicatur illi quòd ſic inſufflando eas Deus efficit reas: primo de præſcientia Dei hanc opinionem munire tentauit, *quòd eis præparauerit redemptionem.* In cuius redemptionis ſacramento paruuli baptizãtur, vt abluatur originale peccatum quod de carne traxerunt; quaſi facta ſua Deus emẽdet, quòd eas inſontes fecerat inquinari. Sed poſteaquam ventum eſt, vt de illis loqueretur quibus tali non ſubuenitur auxilio, & antequam baptizentur, expirant: *In hoc*, inquit, *loco non me quaſi authorem ſpondeo, ſed aliquid de exemplo coniicio. Habendam dicimus de infantibus iſtiuſmodi rationem; qui prædeſtinati baptiſmo, vitæ præſentis, antequam renaſcantur in Chriſto, præuentuntur occiduo.* Legimus enim, inquit, *de talibus ſcriptum: Raptus eſt ne malitia mutaret illius intellectum, aut ne fictio deciperet animam eius: Propter hoc properauit de medio iniquitatis illum educere; placita enim Deo erat anima eius. Et conſummatus in breui, repleuit tempora longa.* Quis iſtum dedignetur habere doctorem? Ergòne paruuli quos plerunque volunt homines baptizari, & dum curritur, antè moriuntur, ſi retardarentur, in iſta paululum vita, vt baptizati continuò morerentur, malitia mutaret intellectum illorum, & fictio deciperet animam eorum: & ne hoc eis contingeret, ſubuentum illis eſt, vt antè raperentur quàm baptizarentur? In ipſo ergo baptiſmate mutarentur in peius, & fictione deciperẽtur, ſi poſt baptiſma raperentur. O admiranda atque ſectanda doctrina! Sed hoc de veſtra prudentia qui adfuiſtis, cùm recitaret, iſte præſumpſit, & de tua maximè ad quem ſcripſit, & cui recitatos libros tradidit, vt credituros vos eſſe confideret, de non baptizatis infantibus eſſe ſcriptum, quod de omnium ſanctorum immaturis ætatibus ſcriptum eſt, cum quibus malè actum ſtulti arbitrantur, ſi de hac vita celeriter rapti fuerint, nec ad annos quos homines pro magno diuino munere ſibi exoptant, peruenire potuerint. Quale eſt autem, dicere, *infantes prædeſtinatos baptiſmo vitæ præſentis antequam renaſcantur in Chriſto, occiduo præuenirí*; velut aliqua vis fortunæ, ſiue fati, ſiue cuiuſlibet rei, non permittat Deum quod prædeſtinauit impleré? Et quomodo ipſe illos rapit, quia placuerunt ei? An eos ipſe prædeſtinat baptizari, & ipſe quod prædeſtinauit, non ſinit fieri?

D

CAP. X. Infrà lib. 3. cap. 11.

SED attende quid adhuc audeat, cui diſplicet in tãta huius profunditate quæſtionis, cautior quàm ſcientior noſtra cunctatio. *Auſim dicere*, inquit, *iſtos peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, non tamen vt cæleſte inducantur in regnum: ſicut latroni confeſſo quidem; ſed non baptizato, Dominus non cælorum regnum tribuit, ſed paradiſum; cùm vtique tam maneret: Qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum. præcipuè quia multæ eſſe manſiones apud patrem ſuum Dominus profitetur; in quibus deſignantur merita multa & diuerſa manſorum, vt hic non baptizatus perducatur ad veniam, baptizatus ad palmam, quæ eſt parata per gratiam.* Cernis hominem, eas manſiones quæ ſunt apud patrem, à regno ſeparare cælorũ, vt etiam non baptizatis abundent loca ſempiternæ felicitatis. Nec videt cùm iſta dicit, ita ſe nolle baptizati cuiuſpiam paruuli manſionem à cælorũm regno ſeparare, vt ipſam Dei patris domum, vel aliquas partes eius inde ſeparare non timeat. Neque enim Dominus Ieſus in vniuerſitate creaturæ, vel in qualibet vniuerſitatis parte; ſed in domo patris mei dixit, manſiones multæ ſunt. Quomodo ergo erit in Dei patris domo non baptizatus, cùm Deum patrem habere non poſſit niſi renatus? Non ſit ingratus Deo, qui eum dignatus eſt à Donatiſtarum vel Rogatiſtarum diuiſione liberare, vt ipſam domum Dei patris quærat diuidere, & aliquam eius partem extrà regnum cælorum ponere, vbi nõ baptizati valeant habitare. Et quo pacto ipſe regnum cælorum ſe intraturum eſſe præſumit, de quo regno in quanta vult parte, domum ipſius regis excludit. Sed de latrone illo qui iuxta Dominum crucifixus ſperauit in Dominum etiã crucifixum, & de fratre ſanctæ Perpetuæ Dinocrate argumẽtatur, quòd etiã non baptizatis dari poſſit indulgentia peccatorum, & ſedes aliqua beatorum; quaſi quiſquam cui non credere nefas eſſet, huic indicauerit, quòd non fuerint baptizati. De quibus tamen in eo libro quem ſcripſi ad fratrem noſtrum Renatum, plenius quid mihi videretur expoſui, quod tua dilectio poterit noſſe, ſi non ſpreueris legere; nam ille petenti non poterit denegare: æſtuat tamen iſte, atque horrendis ſuffocatur anguſtiis.

Ioan. 3. Ioan. 14.

Luc. 23.

Sup. lib. 1. ca. 9. & 10.

CAPVT XI.

ATTENTIVS enim fortaſſe quàm tu quid mali dicat attendit, præter Chriſti ſcilicet baptiſmum ſolui in par-

in paruulis originale peccatum. Denique vt aliquatenus in hac causa vel serò ad Ecclesiæ sacramenta confugiat, *pro his sanè*, inquit, *oblationes assiduas, & offerenda iugiter sanctorum censeo sacrificia sacerdotum.* Habeto istum, si placet, etiam censorem, si parum fuerat habere doctorem, vt sacrificium corporis Christi, etiã pro his offeras, qui Christo non sunt incorporati. Rem quippe tam nouã, atq; à disciplina ecclesiastica & à regula veritatis alienã, cum libris suis auderet inserere, nõ ait, puto; non ait, existimo; non ait, arbitror; non ait, saltem suggero, vel dico; sed, *censeo*: vt scilicet si offenderemur nouitate seu peruersitate sententiæ, terreremur authoritate censuræ. Videris tu frater, quomodo sustinere possis ista docentem. Catholici tamẽ qui sanum sapiunt sacerdotes, quibus & te oportet adiungi, absit vt acquiescant istum audire censentem, quem potius optant resipiscentem, ac dolentem quòd ista senserit: imò verò etiam quòd scripserit, correctione salu-
2. Mach. 12. berrima pœnitentem. *Sed hoc*, inquit, *exemplo Machabeorum in prælio cadentium astruo faciendum, qui cùm furtim de interdictis offerrent, atque in ipso certamine cecidissent, à sacerdotibus*, ait, *inuenimus hoc initum consilium fuisse, vt quorum animas ex vetito reatus obstrinxerat, sacrificiorum oblatio repararet.* Ita istud dicit, quasi pro incircuncisis illa oblata legerit sacrificia, sicut hæc nostra pro non baptizatis censuit offerenda. Circuncisio quippe fuit illius temporis sacramentum, quod præfigurabat nostri temporis baptismum.

Sic & supra lib. 1. c. 9. & 3. c. 12. Et infra hoc 3. c. 12.

CAPVT XIII. Infra lib. 3. cap. 13.

VERVNTAMEN iste in sui comparatione qualis posterius apparuit, tolerabilius adhuc errat. Nam velut pœnituerit eum; (non quòd debuit pœnitere, id est, quòd ausus fuerit asserere non baptizatis relaxari originale peccatum, atque indulgẽtiam dari omnium peccatorum, vt in paradisum, hoc est, locum tantæ felicitatis mittantur, & beatas mansiones in domo patris habere mereantur) sed illud eum potius pœnituerit, quòd eis minoris beatitudinis extra regnum cælorum concesserit sedes; adiunxit atque ait: *Aut si fortè quispiam reluctetur, latronis animæ vel Dinocratis interim temporariè collatum paradisum; nam superesse illis adhuc in resurrectione præmium regni cælorum: quanquam sententia illa principalis obsistat, quia qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum; tamen teneat etiam meum in hac parte non inuidentis assensum, modò misericordiæ præscientiæq; diuinæ & effectum amplificet & affectum.* Hæc verba in secundo eius libro lecta descripsi. Nunquid in hac causa, erroris audaciam, temeritatem, præsumptionem habere quispiam posset ampliorem? Ipse sententiam Dominicam recordatur, ipse commemorat, ipse suis literis interponit, ipse dicit, *quamquam sententia illa principalis obsistat, quia qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*: & audet tamen suæ censuræ leuare ceruicem, contra sententiam principalem. *Teneat*, inquit, *etiam meum non inuidentis assensum*, qui dicit animas non baptizatorum temporariè mereri paradisum. Propter has enim, latronem atque Dinocratem, tanquam præscribendo vel potius præiudicando commemorat: in resurrectione autem in meliora transferri & regni cælorum percipere præmium, *quanquam sententia*, inquit, *principalis obsistat.* Iam ergo ipse considera quæso te frater, qui sis cui piam præbet assensum aduersus authoritatem sententiæ principalis, quam sententiam merebitur princi-
Vide epi. 157. Sedis Apostolicæ authoritas. pes? Nouellos hæreticos Pelagianos iustissimè conciliorum catholicorum, & sedis apostolicæ damnauit authoritas, eo quòd ausi fuerint non baptizatis paruulis dare quietis & salutis locum, etiam præter regnum cælorum. Quod ausi non fuissent, nisi negarent eos habere originale peccatum, quod opus esset absolui per baptismatis sacramentum. Iste autem sicut catholicus, dicit, paruulos originali obstrictos esse peccato, & tamen eos ab huiusmodi vinculo sine lauacro regenerationis absoluit, & post mortem in paradisum misericors mittit; post resurrectionem verò etiam in regnum cælorum misericordior introducit. Talis sibi 1. Reg. 15. Saul misericors visus est, quando pepercit regi quem Deus præcepit occidi. Sed merito inobediens misericordia, vel misericors inobedientia reprobata atque damnata est: vt caueat homo ne ab illo misericordiam mereatur homo, contra eius sententiam, à quo factus est homo. Intonat per os proprij corporis veritas: Si quis non fuerit renatus ex aqua & spiritu, non potest Ioan. 3. introire in regnum Dei. Atque vt ab hac sententia exceptos martyres faciat, quibus contigerit antè pro Martyrium vice baptismatis. Christi nomine occidi, quam Christi baptismate dilui, dicit alio loco, Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Et ne cuiquam qui non renatus fuerit Christianæ fidei lauacro, promittatur peccati originalis abolitio, clamat Apostolus, per vnius de- Rom. 5. licium in omnes homines in condemnationem. Contra quam condemnationẽ Dominus vnum esse ostendens salutis auxilium, Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Cuius mysterium credulitatis in paruulis per eorum responsionem à quibus gestantur, impletur; ne si factum non fuerit, eant ex vno omnes in condemnationem. Et tamen contra tam manifestas voces, quas concinit veritas, procedit in medium magis vecors quàm misericors vanitas, & dicit: Non solùm non eunt in damnationem paruuli, etsi nullum eos Christianæ fidei lauacrum à vinculo originalis peccati absoluat; verumetiam felicitate paradisi post mortem interim perfruuntur, post resurrectionem verò etiam regni cælorum felicitatem possidebunt. Hæc iste contra catholicam fundatissimamque fidem nunquid dicere auderet, si quæstionem soluendam de animæ origine, vires suas excedentem suscipere non auderet?

Infantibus nõ baptizatis post mortẽ paradisum, post resurrectionẽ regnum cælorum Vincẽtius iste pronuntiat.

CAPVT XIIII. Sup. lib. 1. cap. 7.

HORRENDIS est enim coarctatus angustiis ab eis qui dicunt, *Cur Deus animam tam iniusta animaduersione mulctauit, vt in corpus eam peccati relegare u. uerit; cùm consortio carnis peccatrix esse incipit, quæ peccatrix esse non potuit?* Vtique enim dicunt, non potuit anima esse peccatrix, nisi eam Deus miscuisset carnis consortio peccatricis. Qua ergo iustitia id fecerit Deus, cùm iste inuenire non posset; maximè propter æternam damnationem morientium paruulorum, quibus non baptizatis expiatum non fuerit originale peccatum: cur itaque Deus iustus & bonus, paruulorum animas quibus præsciuit non subuenturum Christianæ gratiæ sacramentum, ab omni noxa propaginis liberas, mittendo in corpus quod ex Adam trahitur, vinculo peccati originalis obstrinxerit, atque isto modo reas æternæ damnationis effecerit, cùm inuenire non posset: nec vellet dicere etiam ipsas ex illa vna originem trahere peccatricem; maluit per naufragium miserabile exire, quàm temerarium cursum velis depositis, & remis suæ disputationis inhibitis, prouida deliberatione frenare. Viluit quippe iuueni senilis nostra cunctatio, quasi huic molestissimæ ac periculosissimæ quæstioni magis fuerit impetus eloquẽtiæ, quàm consilium prudentiæ necessarium. Et præuidit hoc etiam ipse, sed frustra. Nam hæc sibi velut ab aduersariis propositurus obiecta, *Ex hinc alia*, inquit, *substruuntur opprobria querulis murmurationibus oblatrantium, & excussi quasi quodam turbine, identidem inter immania saxa collidimur.* His prædictis quæstionem supradictam scopulosissimam sibi proposuit, vbi à fide catholica naufragauit, nisi refecerit pœnitendo quod fregit. Illum ergo turbinem atq; illa saxa deuitans, nauem illis cõmittere nolui. Et de hac re ita scripsi, vt rationẽ potius cun-

Sup. lib. 1. cap. 8.

tius cunctationis meæ, quàm temeritatẽ præsumptionis ostenderem. Quod opusculum meum cùm apud te inuenisset, irrisit, seque illis cautibus animosiore impetu quàm cõsultiore commisit. Sed quò eum præfidentia ista perduxerit, puto quòd nunc videas. Vberius autem ago Deo gratias, si & antea iam videbas. Cùm enim nollet cohibere præcipitem cursum, propter ancipitem excursum, miserabilem inuenit incursum, asserens Deum paruulis sine Christiana regeneratione defunctis, & modò paradisum, & postea regnum conferre cælorum.

CAPVT XIIII. SCRIPTVRARVM verò testimonia quæcunque posuit, quibus animas Deum non ex illius primæ propagine attrahere, sed sicut ipsam primã suas quibusq; singulis insufflare, velut probare conatus est, ita sunt, quod ad istam quæstionem attinet, incerta & ambigua; vt etiam aliter accipi, quàm ipse vult, facillimè
Sup. lib. 1. ca. 14. & seq. possint. Quod iam in eo libro quem scripsi ad amicũ nostrum, cuius commemorationem superius feci, satis, quantũ existimo, demonstraui. Testimonia quippe ipsa quæ adhibuit, vbi legitur Deus animas, vel dare, vel facere, vel fingere: vnde illas det, vel vnde faciat si-
Esa. 42. & 52. Zach. 12. ue fingat, nõ ostendũt; vtrũ ex propagine illius primæ, an insufflando sicut ipsam primam. Iste autem ex eo ipso quòd legitur, animas Deus dare, siue facere, siue fingere, iam putat animarum negatam esse propaginem: cùm Deus, eadem Scriptura teste, etiam corpora det, siue faciat, siue fingat, quæ tamen ab illo ex propagine seminis dari, fieri, fingi nemo ambigit. Item quod
Acto. 17. Genes. 2. scriptum est, ex vno sanguine Deum fecisse omne genus hominum; vel quod ait Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: quia neque ibi dictum est, ex vna anima; neque hic, anima de anima mea, putat negari animas filiorum ex parentibus, vel illius mulieris ex viro: quasi verò si non ex vno sanguine, sed ex vna anima diceretur, aliud quàm totus homo intelligeretur, nec corporis propagatio negaretur. Sic etiam si dictum esset, anima de anima mea: non vtique negaretur caro, quam de illo exemptam fuisse constabat. A parte enim totum, sicut etiam à toto partem plerunque Scriptura significat. Nam certè si non ex vno sanguine, sed ex vno homine, illo loco scriptũ esset institutum esse genus humanum, vnde iste adhibuit testimonium, non præiudicaret istis qui negant animarum propaginem, quamuis non sola anima, nec sola caro, sed vtrunque sit homo. Responderent enim à toto partem, id est, ab homine solam hominis carnẽ, Scripturam significare potuisse. Sic ergo & ij qui defendunt animarum propaginem, illud quod dictum
Rom. 5. est, ex vno sanguine, per sanguinem scilicet hominẽ, id est, à parte totũ significatum esse contendunt. Sicut enim videtur illos iuuare quod dictum est, ex vno sanguine, nec dictum est ex vno homine; sic videtur & istos iuuare quod dictum est: Per vnũ hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt: nec dictum est, in quo omnium caro peccauit. Itemque sicut illos videtur iuuare quod dictum est, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quia pars est dicta, nõ totum: sic iterum istos, quod ibi continuò sequitur, Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est. Debuit enim dici, aiunt, quoniam de viro suo caro eius sumpta est: si non tota mulier, id est, cum anima, sed sola caro sumeretur ex viro. Porrò autem vtrisque auditis, qui sine studio partium iudicat, videt profectò, nec contra istos qui propaginem animarum defendunt proferenda illa testimonia vbi pars nominatur; quia potuit Scriptura significare illic à parte totum: sicut verbum caro factum est, cùm legimus, non vtique carnem solam, sed hominem totum intelligimus. Nec contra illos qui propaginem animarum destruunt, ista proferenda, vbi non pars hominis, sed totum commemoratur; quia potuit ibi Scriptura à toto partem significare, sicut sepultum confitemur Christum, cùm eius caro sola sepulta sit. Ac per hoc propaginem animarũ nec temerè astruendam, nec temerè destruendam dicimus, sed admonemus alia testimonia esse quærenda, quę non inueniantur ambigua.

CAP. XV.

QVAMOBREM quid te iste docuerit, & vnde gratias egeris, nondum scio. Manet quippe illa quæstio sicut erat, in qua queritur de animarum origine, vtrum illas Deus ex propagine illius vnius quam primo insufflauit homini; an ex flatu suo sicut primo homini, det, faciat, fingat hominibus, quas eum dare, facere, fingere, fides Christiana non dubitat. Quam quæstionem iste cùm soluere conaretur, nec vires suas intueretur, destruens animarum propaginem, & asserens eas puras ab omni contagione peccati, non de nihilo, sed de seipso insufflare creatorẽ, & naturam Dei mutabilitatis opprobrio, quod necesse non fuerat, infamauit: & dum vult reddere rationem, ne Deus credatur iniustus, si puras ab omni peccato animas, etiam illas quas Christiana regeneratione non redemit, vinculo peccati originalis innectit; ea dixit quæ te nolo docuerit. Tantum enim salutis & felicitatis non baptizatis paruulis tribuit, quantum nec Pelagiana hæresis potuit. Et tamen de tot milibus paruulorum qui nascuntur ex impiis, & inter impios moriuntur, non quibus homines per baptismum cùm velint, subuenire non possunt, sed de quibus baptizandis nemo potuit vel poterit cogitare, nec quisquam pro eis obtulit vel oblaturus est sacrificium, quod iste etiam pro non baptizatis censuit offerendum, quid diceret non inuenit. De quibus si fuerit interrogatus, eorum animæ quid meruerint, vt illas Deus nec abluẽdas baptismo, nec expiandas Christi corporis & sanguinis sacrificio, & in æternum damnandas carni inserat peccatrici; aut omnino hærebit, & ei nostra cunctatio vel serò placebit; aut simul pro omnibus paruulis, qui toto orbe terrarum sine Christiano baptismate moriuntur, etiam eorum nominibus tacitis, quoniam nesciuntur in Ecclesia Christi, non incorporatis corpori Christi, offerendum corpus Christi esse censebit.

CAPVT XVI.

ABSIT à te frater, vt hæc tibi placeant; absit vt ista vel didicisse gaudeas, vel docere præsumas; alioquin longè melior inuenietur ipse quàm tu. Quia in exordio primi sui libri modestè atque humiliter prælocutus est, dicẽs: *Cùm tibi parere desidero, notam præsumptionis incurri.* Et paulò post: *Quandoquidem*, inquit, *nec*
Infra lib. 3. cap. 4. *mihi ipse sim credulus, ea quæ dixero posse probari; studeaq; semper etiam propriam sententiam non tueri, si improbabilis detegatur, & sit mihi cordi proprio iudicio damnato, meliora magis & quæ sunt veriora sectari. Nam vt est optimi propositi laudandiq; consilij, facilè ad veriora traduci; ita improbi obstinatiq; iudicij est, nolle citius ad tramitem rationis inflecti.* Hæc quippe ille si veraciter dixit, atque vt locutus est sentit, magnæ profectò spei animum gerit. Item in fine libri secundi: *Nec putes*, inquit, *ad inuidiam tuam forsitan reuocandum, quod in tua doctorum meorum constituam potestate iudicium. At ne fortè cuiusquam curiosi lectoris obtutus, inter illitas fibras elementorum vestigia remanentia solicitent & offendant, contextam paginæ seriem pollice seuero discerpe: meq; huius censionis experte puni atramento quæ indigna eloquia significauerunt; ne hac occasione & tuum erga me iudicium, aut mihi vehementer indulges, & meæ quæ latebant ineptiæ rideantur.* ISTO igitur cùm ille suos libros & initio præmuniuerit, & termino communiuerit, atque tuis humeris imposuerit onus religiosum, correctionis & emendationis suæ; hoc apud te inueniat quod petiuit, vt emendes eum iustus in misericordia, & CAPVT X.

arguas

Psal. 140. arguas eum; oleum autem peccatoris quo impinguetur caput eius, absit à manibus atque oculis tuis, id est, assentatio indecens adulantis, & deceptoria lenitudo blandientis. Quòd si emendare negligis, cùm videas emendandum, aduersus charitatem facis. Si autem tibi emendandus propterea nõ videtur, quia putas eum rectè ista sensisse, aduersus veritatem sapis. Et ideo ille melior, qui emendari est paratior, si nõ defuerit emẽdator: quàm tu, si vel sciens irridenter contemnis errantem, vel nesciens pariter sectaris errorem. Omnia itaque in eisdem libris ad te scriptis & tibi traditis sobriè vigilanterque considera, & plura quàm ego, inuenies fortasse culpanda. Et quæcunque ibi sunt approbãda atq; laudanda, si quid in eis reuera forsitan ignorabas, atque isto differente didicisti, euidenter profitere quid illud sit; vt de hoc te gratias egisse, non de his quæ illic improbanda tam multa sunt, omnes nouerint, qui vel recitante illo, tecum simul audierunt, vel eosdem postea libros legerunt: ne in eius ornato eloquio tanquam in pretioso poculo te inuitante, & si non bibente, venenum bibant, si tu quid inde biberis, & quid non biberis nesciunt, & propter laudem tuam omnia illic bibenda salubriter arbitrantur. Quamuis & audire & legere, & quæ dicta sunt haurire memoria, quid est nisi bibere? Sed prædixit Dominus de fidelibus suis, quòd & si mortiferum quid biberint, nõ eis nocebit. Ac per hoc qui cum iudicio legunt, & secundum regulam fidei approbanda approbant, & improbant improbanda; etiam si commendant memoriæ quæ improbanda dicuntur, nulla venenata sentẽtiarum prauitate læduntur. Hæc me grauitatem & religionem tuam, siue mutua, siue præuia charitate monuisse vel commonuisse minimè pœnitebit; Domino miserante, quomodolibet accipies, quod tibi prærogandum putaui. Agam verò ei vberes gratias, de cuius misericordia saluberrimum est fidere, si ab eis prauitatibus & erroribus, quos ex libris huius hominis ostẽdere his literis potui, alienam atque integram fidem tuam, vel inuenerit epistola ista, vel fecerit.

Audire, legere, & quæ dicuntur haurire memoria, bibere quoddam est.

Matth. 16. Librorum im probatorum lectio quibus possit non obesse.

LIBRI II. FINIS.

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, DE ANIMA ET EIVS ORIGINE, AD VINCENTIVM VICTOREM, LIBER III.

CAP. I.

QVOD mihi ad te scribendum putaui, hoc prius cogites fili dilectissime Victor volo, si te contemnerem, nequaquam id me fuisse facturum. Nec ideo tamẽ humilitate nostra sic abutaris, vt propterea te existimes approbatum, quia cernis non fuisse contemptum. Non enim sequendum, sed corrigẽdum te diligo. Et quoniam nec corrigi posse despero, nolo mireris me contemnere non posse quem diligo. Si enim te antequam nobis communicares, diligere debui, vt esses catholicus; quanto magis te iam communicãtem diligere debeo, ne sis nouus hæreticus, & vt sis talis catholicus, cui resistere nullus possit hæreticus. Quantũ enim apparet ex donis ingenij, quæ iam tibi largitus est Deus, profectò sapiens eris, si te non esse crediderit: atque vt sis, ab illo qui facit sapientes, piè, supplicìter, instanterque poposcẽris; & malueris errore nõ decipi, quàm errantium laudibus honorari.

CAPVT II.

PRIVS me in libris tuis titulus tui nominis pro te solicitum reddidit. Cùm enim quis esset Vincentius Victor, ab eis qui te nouerant, & fortè aderant, requisissem, audiui te fuisse Donatistam, vel potius Rogatistam, nuper autem communicasse catholicæ. Et cùm gauderem tantum, quantum de his solemus, quos ab illo errore liberatos esse cognoscimus; imò verò etiam multo amplius, quòd ingenium tuum quo delectabar in literis tuis, videbam non remansisse apud aduersarios veritatis: additum est à referẽtibus, quòd me inter illa gaudia contristaret, ideò te cognominari voluisse Vincẽtium, quòd Rogãti successorem, qui hoc nomine appellatus est, adhuc tãquam magnum & sanctum virum animo teneas; & ob hoc illius nomen, tuum volueris esse cognomen. Nec defuerunt qui dicerent etiam hoc à te fuisse iactatum, quòd ipse tibi nescio qua visionẽ apparuerit, atque ad hos conficiendos libros, de quibus tecum agere isto nostro opusculo instituì, sic adiuuerit, vt ea tibi scribenda quantum ad res ipsas, rationesq; attinet, ipse dictaret. Quod si verum est, iam te illa dicere potuisse non miror, quæ si patienter auscultes admonitioni meæ, & eos libros catholica mente consideres atque pertractes, te dixisse proculdubiò pœnitebit. Ille quippe qui se, sicut eum prodit Apostolus, transfigurat in angelum lucis; in eum tibi est transfiguratus, quem tu fuisse, vel esse tanquam lucis angelum credis. Et eo quidem modo minus ad decipiendos catholicos valet, quando se non in lucis angelos, sed in hæreticos transfigurat. Sed te ab eo falli iam catholicum nollem. Crucietur ergo te didicisse quæ vera sunt, quanto magis lætatus fuerat, se tibi persuasisse quæ falsa sunt. Vt autem non diligas hominem mortuum, cuius dilectio tibi obesse potest, prodesse illi non potest; hoc breuiter intuearis admoneo; quòd vtique ille non est sanctus & iustus, si tu hæreticorum Donatistarum vel Rogatistarum laqueos euasisti. Si autem illum sanctum & iustum arbitraris, tu communicando catholicis interisti. Profectò enim te catholicum fingis, si animo illud es, quod erat ille quem diligis. Et nosti quàm terribiliter scriptum sit, quòd Spiritus sanctus disciplinæ fugiet fictum. Si autẽ veraciter communicans, non te catholicũ fingis, quid adhuc hæreticum mortuum sic diligis, vt eius velis te iactare adhuc nomine, cuius iam non teneris errore? Nolumus te habere tale cognomentum, tanquam sis hæretici mortui monumentum. Nolumus talem titulum habere librum tuum, qualem falsum esse diceremus, si in eius sepulchro legeremus. Non enim Vincentium Victorem scimus esse, sed victum; & vtinam fructuosè, sicut te vinci volumus veritate. Astutè autem putaris, & callidè, cùm libros tuos quos credi cupis illo tibi reuelante dictatos, appellas Vincentij Victoris, non tam Vincentium te quàm illum vocari voluisse Victorem, velut tibi reuelando quæ scriberes, vicisset errorem. Vt quid tibi ista fili? Esto potius verus, non fictus catholicus, ne te fugiat Spiritus sanctus, & nihil tibi possit prodesse Vincentius in quem se ad te fallendum transfigurauit malignissimus spiritus: eius quippe sunt illa, qualibet tibi fraude persuasa. Quæ si admonitus pia humilitate & catholica pace correxeris, errores fuisse iudicabuntur studiosissimi iuuenis, emendari potius quàm in eis remanere cupientis. Si autem pro eis tibi etiam contentionem, quod absit, persuaserit peruicacem, iam tanquam hæretica dogmata cum suo necesse erit authore damnari: cura scilicet pastorali & medicinali, priusquã per incautũ vulgus serpant dira cõtagia, cùm dilectionis nõ veritate sed nomine, salubris negligitur disciplina.

Vincentij nomen & ideo hic semper fuit. Extat ad hũc August. epist. quæ est numero 48.

2. Cor. 11.

CAPVT III.

SI quæris quænam illa sint, poteris quidem legere mea scripta ad fratres nostros Renatum Dei seruum, & presbyterum Petrũ, ad quem tu eadem ipsa de quibus nunc agimus, scribenda existimasti, *eius*, vt asseris, *voluntati petentis obtemperans*. Dabunt enim tibi vt legas proculdubiò si volueris, & ingerẽt etiã non petẽti. Verũtamen etiam hic quę maximè in eisdẽ libris tuis, & in

Sap. 1.

Non decet Christianos improbanda hominum assumere cognomenta.

Recensetur omnes qui fuerunt in libris Vincentij.

Primus error. Infra lib. 1. c. 4. & lib. 2. cap. 3.

& in fide tua emendari cupiam, non tacebo. Primum est, quòd animam nõ ita vis à Deo esse factam, vt eam ex nihilo fecerit, sed ex semetipso: vbi non putas esse consequens, vt naturæ sit Dei, quia profectò quàm sit impium & ipse cognoscis. Qua impietate vt careas, ita oportet vt dicas animę authorem Deum, vt ab illo facta sit, non de illo. Quod enim de illo est, sicut vnigenitus filius, eiusdem naturæ cuius & ille est. Vt autem anima eiusdem naturæ non sit cuius est ille, facta est quidem ab illo, sed non de illo. Aut ergo dic vnde, aut fatere de nihilo. Quid est quòd dicis, *eam particulam esse quandam halitus naturæ Dei?* Nunquid nam ipsum halitum naturę Dei, cuius halitus est ista particula, negas eiusdem cuius Deus est esse naturæ? Si negas, ergo de nihilo & istum halitum fecit Deus, cuius halitus animam vis esse particulam. Aut si nõ de nihilo, dic vnde illum fecerit Deus? Si de seipso, ergo ipse est, quod absit, materies operis sui. Sed dicis: *Cùm de seipso halitũ vel flatum facit, ipse integer manet:* quasi non & ignis lucernæ integer maneat, cùm de illa altera accenditur, & tamen eiusdem, non alterius sit naturæ.

CAPVT IIII.

SED, inquis, *cùm à nobis vter inflatur, non aliqua portio nostræ naturæ, vel qualitatis infunditur; cùm hic ipse spiritus haustus quo vter impletus extenditur, sine aliqua nostri diminutione egeratur.* His verbis tuis adhuc addis & immoraris, & inculcas similitudinem quasi necessariam, qua intelligamus quomodo Deus sine suæ naturæ aliquo detrimento, & de seipso animam faciat, & facta de ipso, non ea sit quod ipse. Dicis enim: *Nũquid animæ nostræ est portio vtris inflatio, aut homines fingimus cùm vtres inflamus, aut detrimentum nostri in aliquo patimur, cùm flatus nostros in diuersa partimur? Sed nullum patimur detrimentum, cùm ex nobis ad aliquid transmittimus flatum; & manente in nobis plena flatus proprij qualitate & integra quantitate, nullum nos meminimus damnum ex vtris inflatione sentire.* Ista similitudine, quæ satis elegans & congruens tibi videtur, quantũ fallaris attẽde. Deum quippe dicis incorporeum, non de nihilo à se factam, sed de seipso animã sufflare corpoream: cùm flatum nos licet corporeum subtiliorem tamen emittamus, quàm nostra sint corpora, nec eum de anima nostra, sed de hoc aẽre per viscera corporis exhalemus. Pulmones namq; anima, cuius nutu mouentur etiam cætera corporis membra, ad hunc aẽreũ spiritum ducendum atque reddendũ, sicut folles mouet. Præter enim alimenta solida & fluxa, vnde est cibus & potus, hoc tertium nobis Deus alimentum circumfudit aurarum, quas ita carpimus, vt sine cibo & potu diu esse possimus; sine hoc autem alimento tertio, quod aura nobis, quæ vndique circumsistit, spirantibus & respirantibus exhibet, nec exiguo temporis spatio possimus viuere. Sicut autem cibus & potus nõ solùm ingerendi, verumetiam per meatus ad hoc institutos egerendi sunt, ne vtroque lædant, vel non intrando, vel non exeundo; ita hoc tertium flabile alimentum, quia in nobis manere nõ sinitur, nec immorando corrumpitur, sed egeritur mox vt ingeritur; nõ alios, sed eosdẽ meatus, id est, os, aut nares, aut vtrũq;, & quà intraret, & quà exiret accepit. In seipso tibi proba ipse quod dico: Emitte spiritum flando, & vide vtrum dures, si non receperis. Recipe respirando, & vide quas patiaris angustias, si nõ rursus emiseris. Hoc igitur facimus, quando vtrẽ, sicut dicis, inflamus, quod facimus vt viuamus. Nisi quod tunc paulo plus ducimus, vt paulo plus emittamus, & spiritum flabilem, id est, ventum in vtrem implendum & extendendum nõ quietè spirandi & respirandi, sed anhelandi impetu coarctemus. Quomodo ergo dicis, *nullum patimur detrimentum, cùm ex nobis ad aliquid trãsmittimus flatum, & manente in nobis plena flatus proprij qualitate & integra quantitate, nullum nos meminimus damnum ex vtris inflatione sentire?* Apparet, te fili, si aliquando vtrem inflasti, non aduertisse quid egeris. quod enim inflando amittis, statim recipiendo nõ sentis. Sed potes hoc facillimè discere, si hoc potius velis, quã tua dicta, † quia iam dicta sunt, non inflans vtrem, sed inflatus ipse defendere, & auditores tuos quos veris rebus ædificare debes, inani strepitu ventosi sermonis inflare. In hac causa non te ad magistrũ mitto, sed ad teipsum. Emitte flatum in vtrem, & os claude continuò, naresque detine, & sic saltem senti verum esse quod dico. Cùm enim cœperis angustias intolerabiles perpeti, quid cupies ore aperto naribusque recipere, si quando sufflasti, nihil te existimas amisisse? Vide in quo malo sis, nisi hauriendo resumas quod effundẽdo reddideras. Vide, illa insufflatio qualia damna & detrimenta fecisset, nisi ea respiratio reparasset. Nisi enim quod impenderis ad vtrem implendum, ad te itidem alendum, aditu patefacto redierit; quid tibi non solùm vnde illum inflare, sed vnde tu possis viuere, remanebit? Hęc debuisti considerare cùm scriberes, & non ista similitudine vtrium inflatorum vel inflandorum introducere nobis Deum, aut ex alia natura quę iam erat, sicut nos ex isto circumfuso aẽre flatum facimus, animas flare; aut certè, quod abhorret ab ista similitudine, & abundat impietate, Deum sine vllo quidem sui detrimento, sed tamen de sua natura mutabile aliquid vel proferre, vel, quod est peius, tanquam sui operis materies ipso sit, facere. Vt ergo aliquam de nostro flatu ad hãc rem adhibeamus similitudinem, id potius est credendum: quòd sicut nos non de natura nostra, sed quia omnipotentes nõ sumus, de isto aẽre circumfuso quem trahimus & reddimus, cùm spiramus & respiramus, flatũ facimus quãdo sufflamus, nec viuentem nec sentientem, quamuis nos viuamus atq; sentiamus: ita Deum non de sua natura, sed quia sic omnipotẽs est, vt possit creare quod vult, etiam ex eo quod omnino non est, id est, de nihilo flatum facere posse viuentem atque sentientem; sed planè cùm sit immutabilis ipse, mutabilem facit.

Pulmones follium vtres.

Præter cibum & potum, tertium est alimentum auratum.

al. quæ

CAP. V.

QVID autem sibi vult, quod huic similitudini addendum putasti & exemplum de beato Heliseo, quiã flando in eius faciem mortuum suscitauerit? Itane tu flatum Helisei fuisse putas animam pueri? Nõ vsque adeò te à vero exorbitare crediderim. Si ergo anima illa quæ viuenti ablata fuerat vt moreretur, eadem ipsã illi vt reuiuisceret reddita est; quid ad rẽ pertinet quod dixisti, *nihil Heliseo fuisse diminutum*, quasi ab illo aliquid trãsisse vnde viueret, credatur in puerum? Quod si propterea dictum est, quia flauit & integer mansit; quid opus erat vt hoc de Heliseo mortuum resuscitante diceres, quod de quouis flante & neminem suscitante dicere nihilominus posses? Incautè sanè locutus es, cùm absit vt credas flatum Helisei factum fuisse † reuiuiscentis animam pueri; quod primum Dei factum, ab istius Prophetæ facto hoc distare voluisti, quòd ille semel, iste ter flauerit. Dixisti quippe *Heliseum in faciem defuncti filij illius Sunamitis, ad instar primęuæ originis insufflasse. Et cùm emortua membra,* inquis, *in vigorem pristinum redanimata, per halitum Prophetæ diuina virtus accenderet; nihil Heliseo fuerit imminutum, per cuius flatum corpus emortuum † rediuiuam animam reciperet & spiritum: nisi quòd semel Dominus in faciem hominis inflauit & vixit; tertiò Heliseus in faciem mortui aspirauit & reuixit.* Sic sonãt tua verba ista, quasi flandi tantum numerus interfuerit, vt non quod fecit Deus, etiã Propheta fecisse credatur. Et hoc ergo emendãdum est. Tam multum quippe interfuit inter illud opus Dei, & hoc Helisei, vt ille flauerit flatum vitæ, quo fieret homo in animam viuẽtem: iste autẽ flauerit flatum, neq; sentientem neq; viuentem, sed aliquid significandi gratia figurãtem. Deniq; vt puer iste reui-

4. Reg. 4. secundum 70.

al. reuiuiscentem

al. rediuiuę animæ reciperet spiritum.

reuiuiscereat, non eum animãdo Propheta fecit, sed eũ amãdo vt hoc Deus faceret impetrauit. Quòd autem illum ter sufflasse dicis, aut memoria, sicut fieri solet, aut mendositas codicis te fefellit. Quid plura? Non sunt tibi ad hoc astruendum aliqua exempla & argumenta quærenda, sed potius emendanda & mutanda sententia. Noli ergo credere, noli dicere, noli docere, quòd non de nihilo, sed de sua natura fecerit animam Deus, si vis esse catholicus.

CAPVT VI. Secundus Vincentij error. Sup. lib. 1. cap. 16.

NOLI dicere, nec credere, nec docere, *per infinitum tempus atq; ita semper Deum animas dare, sicut semper est ipse qui dat*, si vis esse catholicus. Erit enim tempus quando non dabit animas Deus, cùm tamen esse ipse nõ desinat. Poterat quidem sic accipi, quod aisti, *semper dat*, vt intelligeretur sine cessatione dare, quãdiu homines generant & generantur, sicut dictum est de quibusdam: Semper discentes, & ad veritatis sciẽtiam nunquam peruenientes. Non enim sic accipitur quod hic positum est, semper, velut nunquam desinãt discere; cùm proculdubiò non discant, quando in hoc corpore destiterint viuere, vel cùm cœperint supplicio gehennalis ignis ardere. Sed tu non permisisti sic accipi verbum tuum, cùm dixisti, *semper dat*, quandoquidem id ad infinitum tempus reuocandum putasti. Et parum hoc fuit. Sed tanquam quæreretur abs te, vt apertius explicares quomodo dixeris, *semper dat*, addidisti atque dixisti: *Sicut semper est ipse qui dat*. Hoc sana & catholica fides omnino condemnat. Absit enim vt credamus, quòd animas Deus semper det, sicut semper est ipse qui dat. Sic enim semper est ipse, vt nunquam ipse esse desistat. Animas autem nõ semper dabit, sed eas finito generationis seculo, nõ iam nascentibus quibus dandæ sint, proculdubio dare cessabit.

2. Tim. 6.

CAPVT VII. Tertius error. Sup. lib. 2. cap. 7. n. 9.

NOLI credere, nec dicere, nec docere, *animam meritum aliquod perdidisse per carnem, tanquam boni meriti fuerit ante carnem*, si vis esse catholicus. Nõdum enim natos Apostolus nihil egisse dicit boni vel mali. Vnde ergo anima potuit ante carnem habere meritum bonum, vbi nihil egerat boni? An fortè audebis eam dicere ante carnem bene vixisse, quam nõ pores ostendere vel fuisse? Quomodo ergo dicis, *non vis animam ex carne peccati contrahere valetudinem, ad quam vicissim sanctificationem videas transire per carnem, vt per ipsam reparet statum, per quem perdiderat meritum?* Hæc dogmata quibus putatur anima ante carnem habuisse aliquem statum bonum & meritum bonum, si fortè nescis, exceptis antiquis hæreticis, etiam recentius in Priscillianistis iam catholica damnauit Ecclesia. Noli credere, noli dicere, noli docere, *animam per carnem reparare habitudinem priscam & per illam renasci, per quam meruerat inquinari*, si vis esse catholicus. Vt enim omittam in eo quod dixisti, *meritò ergo per carnem, priscam reparat habitudinem, quam visa fuerat paulisper amisisse per carnem, vt per eam incipiat renasci per quam meruerat inquinari*; tam in proximo tu ipse tibiipsi extitisti contrarius, vt homo qui paulo antè dixeras, animam per carnem reparare statum per quam perdiderat meritũ, vbi nullo modo potest nisi bonum meritum intelligi, quod vis vtiq; per carnem in baptismate reparari: rursus eam diceres inquinari meruisse per carnẽ, vbi iam non potest bonum sed malum meritum intelligi. Vt ergo id omittam; prorsus vel bonum, vel malum meritum credere habuisse animam ante carnem, catholicum non est.

Quartus error. Sup. lib. 1. ca. 6. & lib. 2. cap. 7.

CAPVT VIII. Quintus error. Sup. lib. 1. c. 8. & lib. 2. cap. 8.

NOLI credere, nec dicere, nec docere, *quòd anima meruerit esse peccatrix ante omne peccatum*, si vis esse catholicus. Valde enim malum meritum est, meruisse fieri peccatricem. Et vtique tam malũ meritum nullo modo habere potuit ante omne peccatum, præsertim priusquam veniret in carnem, quando meritum nec malum potuit habere, nec bonum. Quomodo igitur dicis, *Anima itaque si peccatrix esse meruit, quæ peccatrix esse non potuit, tamen neque in peccato remansit, quia in Christo præfigurata in peccato esse non debuit, sicut esse non potuit.* Attende quid dicas, & desiste iam dicere. Quomodo enim meruit, & quomodo non potuit esse peccatrix? Quomodo, quæso te, peccatrix esse meruit, quæ malè non vixit? Quomodo, quęso te, peccatrix facta est, quæ peccatrix esse non potuit? Aut si non potuit, ideò dicis, quia præter carnem non potuit: quomodo ergo meruit esse peccatrix, quo merito in carnẽ mitteretur; quandoquidem ante carnem non potuit esse peccatrix, vnde mali aliquid mereretur?

CAPVT IX Sextus error. Sup. lib. 1 ca. 9. & 10 & lib. 2. c. 9. & 10. Lucæ 23.

NOLI credere, noli dicere, noli docere, *infantes antequam baptizentur morte præuentos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum*, si vis esse catholicus. Exempla enim quæ te fallunt, vel de latrone qui Dominum est confessus in cruce, vel de fratre sanctæ Perpetuæ Dinocrate, nihil tibi ad huius erroris sententiam suffragantur. Latro quippe ille, quamuis potuerit iudicio diuino inter eos deputari, qui martyrij confessione purgantur, tamen etiam vtrum non fuerit baptizatus, ignoras. Nam vt omittam quod creditur, aqua simul cum sanguine exiliente de latere Domini, iuxtà confixus potuisse perfundi, atque huiusmodi sanctissimo baptismate dilui; quid si in carcere fuerat baptizatus, quod & pòst persecutionis tempore nonnulli clanculo impetrare potuerunt? Quid si & antequam teneretur? Neque enim propterea illi publicæ leges parcere poterant, quantum attinet ad corporis mortem, quoniam diuinitùs remissionem acceperat peccatorum. Quid si iam baptizatus in latrocinij facinus & crimen incurrerat, & non expers baptismatis, sed tanquam pœnitens accepit scelerum veniã quæ baptizatus admisit; quandoquidem pietas tam fidelis, & Domino in animo eius, & nobis in eius verbis apparuit? Nam si eos, de quibus non scriptum est, vtrũ fuerint baptizati, sine baptismo de hac vita recessisse contendimus, ipsis calumniamur Apostolis, qui præter apostolum Paulum quãdo baptizati fuerint ignoramus. Sed si ipsos baptizatos esse per hoc nobis innotescere potuit, quod beato Petro Dominus ait: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet: quid de aliis, de quibus vel tale nihil legimus dictum, de Barnaba, de Timotheo, de Tito, de Sila, de Philemone, de ipsis Euangelistis Marco & Luca, de innumerabilibus cæteris: quos absit vt baptizatos esse dubitemus, quamuis non legamus? Dinocrates autem septennis puer, in quibus annis pueri cùm baptizantur, iam symbolum reddunt & pro se ipsi ad interrogata respondent; cur non tibi visus fuerit baptizatus potuisse ab impio patre ad gentilium sacrilegia reuocari, & ob hoc fuisse in pœnis, de quibus sorore orante liberatus est, nescio. Neque enim & ipsum vel nunquam fuisse Christianum, vel catechumenum defunctum fuisse legisti? Quanquam ipsa lectio non sit in eo canone Scripturarum, vnde in huiusmodi quæstionibus testimonia proferenda sunt.

Publicæ leges puniunt peccata etiam diuinitus remissa.

Apostoli baptizati. Ioan. 13.

Dinocrates frater S. Petrina.

CAP. X. Septimus error. Sup. lib. 2. cap. 9.

NOLI credere, nec dicere, nec docere, *quos Dominus prædestinauit ad baptismum, prædestinationi eius eripi posse, & antè defungi quàm in eis fuerit quod omnipotens prædestinauit impletum*; si vis esse catholicus. Nescio enim quę hic potestas contra potestatem Dei cafibus datur, quibus irruentibus quod ille prædestinauit fieri non finatur. Hic error quanta errantem voragine impietatis absorbeat, exaggerare non opus est; cùm prudentem virum & corrigi paratum breuiter admonuisse sufficiat. Tua quippe ista sunt verba: *Habẽdam dicimus*, inquis, *de infantibus istiusmodi rationem, qui prædestinati baptismo, vitæ præsentis, antequam renascantur in Christo, præueniuntur occiduo.* Ergóne prædestinati baptismo vitæ præsentis antequam ad Deum perue-

perueniant, præueniuntur occiduo, & prædestinaret Deus quod futurum non fuisse præsciuit? aut hoc futurum non fuisse nesciuit, vt eius aut prædestinatio frustraretur, aut præscientia falleretur? Vides quanta hinc dici possent, nisi quod paulo antè dixi tenerem, vt hinc te breuiter admonerem. Noli credere, nec dicere, nec docere, *de infantibus qui priusquam renascantur in Christo, præueniuntur occiduo, scriptum esse: Raptus est ne malitia mutet intellectum illius, aut ne fictio decipiat animã eius, propter hoc properauit de medio iniquitatis illum educere. Placita enim erat Deo anima eius, & consummatus in breui expleuit tempora longa:* si vis esse catholicus. Hoc enim ad illos omnino non pertinet, sed ad eos potius qui baptizati & piè viuentes, diu non permittuntur hìc viuere, non annis, sed sapientiæ gratia consummati. Iste verò error quo putatur hoc de paruulis antequam baptizentur moriẽtibus esse dictum, ipsi sacrosancto lauacro intolerabilẽm facit iniuriam, si paruulus qui baptizatus rapi poterat, propterea prius rapitur, ne malitia mutet illius intellectum, aut ne fictio decipiat animam eius: quasi in eodem baptismo hæc esse malitia credatur, & fictio qua in peius mutetur & decipiatur, si non antè rapiatur. Deinde quoniam placita erat Deo anima eius, properauit de medio iniquitatis illum educere, ita vt nec paululum remoraretur, vt quod in eo prædestinarat, impleret: sed contra suam prædestinationem facere maluit, tãquam festinans, ne quod ei placuerat in non baptizato, exterminaretur in baptismo: tanquam moriturus infans ibi pereat, quò currendum est cum illo ne pereat. Quis ergo hęc verba scripta in libro Sapientię, de paruulis sine baptismate mortuis dicta esse crederet, diceret, scriberet, recitaret, si ea sicut oportuerat, cogitaret?

Ottauus error. Supra lib. 2. cap. 9. Sap. 4.

CAPVT X. Nonus error. Supra lib. 2. cap. 10.

NOLI credere, nec dicere, nec docere, *aliquas mãsiones esse extra regnũ Dei, quas esse Dominus dixit in domo patris sui:* si vis esse catholicus. Non enim ait, sicut hoc testimonium ipse posuisti, *multæ mansiones sunt apud patrem meum.* Quòd si ita dixisset, non alibi essent intelligendę quàm in domo patris eius. Sed apertè ait: In domo patris mei mãsiones multæ sunt. Quis itaq; audeat aliquas partes domus Dei separare à regno Dei; vt cùm reges terræ non tantùm in domo sua, nec tantùm in patria sua, sed longè latéque etiam trans mare regnare inueniantur; rex qui fecit cælum & terram, nec in tota domo sua regnare dicatur? Sed fortè dicas, omnia quidem pertinere ad Dei regnum, quia regnat in cælis, regnat in terris, in abyssis, in paradiso, in inferno, (vbi enim non regnat, cuius vbique summa potestas est?) sed aliud esse regnum cælorum, quò fas non est accedere, nisi lauacro regenerationis ablutos, propter Dominicam veram, fixamq; sententiam: aliud autem esse regnum terrarum, vel aliarum creaturę partium, vbi possunt esse aliquæ mãsiones domus Dei, quamuis pertinentes ad regnum Dei, non tamen ad regnum cælorum, vbi excellẽtius & beatius est regnum Dei: ita fieri, vt nec aliquæ domus Dei partes atque mansiones à regno Dei nefariè separẽtur; & tamen non omnes in regno cælorum mansiones præparentur: atque in iis quæ in regno cælorum non sunt, possint feliciter habitare, quibus eas etiã non baptizatis Deus dare voluerit; vt in regno Dei sint, quamuis in regno cælorum, quia baptizati non sunt, esse non possint. Hoc qui dicunt, videntur quidem sibi dicere aliquid, quia Scripturas negligenter attendunt, & quomodo regnum Dei dicatur, vnde oramus dicẽtes, Veniat regnum tuum; non intelligunt: quia regnum Dei dicitur, vbi cum illo fidelis familia eius beatè & sempiternè tota regnabit. Nam secũdum potestatem quæ illi super omnia est, etiam nunc vtique regnat. Quid ergo est quod oramus vt veniat, nisi vt cum illo regna-

Ioann. 14.

Occupatio.

Ioann. 3.

Matth. 6.

Regnum Dei vbi intelligatur.

re mereamur? Sub eius autem potestate etiam illi erunt, qui pœna æterni ignis ardebunt. Nunquid nam ob hoc etiam ipsos in regno Dei futuros dicturi sumus? Aliud est enim regni Dei muneribus honorari, aliud regni Dei legibus coërceri. Vt autem tibi manifestissimè appareat, non esse regnum cælorum distribuendum baptizatis, & alias partes regni Dei dandas quibus tibi visum est, non baptizatis; ipsum Dominũ audi, qui non ait: Si quis non renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum cęlorum; sed non potest, inquit, intrare in regnum Dei. Nam verba eius de hac re ista sunt ad Nicodemum: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Ecce non hìc dixit regnum cælorum: sed, Dei. Et cùm respondisset Nicodemus atque dixisset: Quomodo potest homo nasci cùm senex sit? nũquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci? Eandem Dominus sententiam planiùs apertiúsq; repetens ait: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnũ Dei. Ecce nec hìc dixit regnum cælorum, sed regnum Dei. Quod enim dixerat, Nisi quis natus fuerit denuò, hoc quid esset exposuit dicens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu. Et quod dixerat, non potest videre, hoc exposuit dicendo, non potest introire. Illud autem quod dixerat, regnum Dei, non alio nomine repetiuit. Nec nunc opus est quærere atque disserere, vtrum regnum Dei, regnumque cęlorum cum aliqua differentia sit intelligendum: an res vna sit duobus appellata nominibus. Sufficit quòd non potest introire in regnum Dei, qui non fuerit lauacro regenerationis ablutus. Mãsiones autem aliquas constitutas in domo Dei separare à regno Dei, quàm sit à veritate deuium, puto quòd iam intelligas. Et ideo quòd putasti, in aliquibus mãsionibus, quas Dominus multas esse dixit in domo patris sui, mansuros quosdam etiam non renatos ex aqua & spiritu, vt fidem catholicã teneas, admoneo, si permittis, emendare non differas.

Ioann. 3.

CAPVT XI. Decimus error. Supra lib. 1. cap. 11. Lib. 2. ca. 13. 2. Matth. 7.

NOLI credere, nec dicere, nec docere *sacrificium Christianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum*; si vis esse catholicus. Quia nec illud quod de Machabæorum libris commemorasti sacrificium Iudæorum, pro eis qui non circuncisi de corpore exierunt, ostendis oblatum. In qua tua sententia tam noua, & contra Ecclesiæ totius authoritatem disciplinamque prolata, verbo etiam insolentissimo vsus es, dicens: *Pro his sinè oblationes assiduas, & offerenda iugiter sanctorum censeo sacrificia sacerdotum:* vt te homo laicus sacerdotibus Dei nec discendo subderes, nec saltẽ simul quærendo miseres, sed censendo præponeres. Aufer tibi ista fili: non sic in via, quam Christus humilis seipsum esse docuit, ambulatur. Nullus cum hoc tumore per angustam portã eius ingreditur.

CAPVT XII. Vndecimus error. Supra lib. 2. cap. 12.

NOLI credere, nec dicere, nec docere *aliquos eorũ qui sine baptismo Christi ex hac vita emigrauerint, interim non ire in regnum cælorum, sed in paradisum; postea verò in resurrectione mortuorum etiam ad regni cælorum beatitudinem peruenire*; si vis esse catholicus. Hoc enim eis dare nec Pelagiana hæresis ausa est, quæ opinatur paruulos non trahere originale peccatũ: quos tu quãuis sicut catholicus cum peccato nasci fatearis, nescio qua tamen peruersioris nouitate opinionis, sine baptismate salutari, & ab hoc peccato cum quo nascuntur, absolui, & in regnum cælorum asseris introduci. Neque consideras, in hac causa quanto deterius sapias quàm Pelagius. Ille quippe Dominicam sententiam pertimescens, qua non baptizati in regnum cælorum non permittuntur intrare, licet eos quos ab omni peccato liberos credit, nõ illò audet paruulos mittere. Tu verò sic cõtemnis quod dictũ est, Si quis non renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest intrare in regnum Dei:

Ioann. 3.

Dei: vt excepto errore quo audes à regno Dei paradisum separare, quibusdam quos reos nasci, sicut catholicus, credis, sine baptismate mortuis, & illius reatus absolutionem, & regnum cælorũ non dubites insuper polliceri: quasi cõtra Pelagium in originali peccato astruẽdo, tunc esse possis catholicus verus, si cõtra Dominum fueris in destruenda eius de baptismo sententia hæreticus nouus. Nos te dilectissime non sic volumus hæreticorum esse victorem, vt error vincat errorem, &, quod est peius, maior minorem. Dicis enim: *Aut si fortè quispiam reluctetur, latronis animæ vel Dinocratis interim temporariè collatum esse paradisum, nam superesse illis adhuc in resurrectione præmium regni cælorũ: quanquam sententia illa principalis obsistat, quia qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum; tamen teneat etiam meum in hac parte nõ inuidentis assensum, modò misericordiæ præscientiæq; diuinæ & effectum amplificet, & affectum.* Hæc verba tua sunt, vbi te confiteris consentire dicenti, quibusdam non baptizatis sic temporariè collatũ esse paradisum, vt supersit illis in resurrectione præmium regni cælorum, contra sententiam principalem, qua constitutũ est, non intraturum in illud regnum, qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. Quã sententiam principalem timens violare Pelagius, nec illos sine baptismo in regnum cælorum credidit intraturos, quos nõ credidit reos. Tu autem & originalis peccati reos paruulos confiteris, & tamen eos sine lauacro regenerationis absoluis, & in paradisum mittis, & postea etiam regnum cælorum intrare permittis.

CAPVT XIIII. Supr. lib. 2. cap. 16.

HÆC & huiusmodi, si & alia forsitan in tuis libris attentior & otiosior inuenire potueris, sine vlla dilatione iam corrige, si animum catholicum geris, id est, si veraciter prælocutus es, dicens, *quòd tibiipsi credulus non sis ea probari posse quæ dixeris; & quòd semper studeas etiam propriam sententiã non tueri, si improbabilis detegatur; & sit tibi cordi, proprio iudicio damnato, meliora magis & quæ sunt veriora sectari.* Modò proba charissime, nõ te fallaciter ista dixisse, vt de tua indole non solùm ingeniosa, verum etiam cauta, pia, modesta, gaudeat catholica ecclesia, non de contentiosa pertinacia hæretica exardescat insania. Nunc est vt ostendas quanta post hæc bona verba quæ tua commemoraui, sinceritate pectoris dixeris, quod cõtinuò subiecisti. *Nam vt est*, inquis, *optimi propositi, laudandiq; consilij facilè ad veriora traduci; ita improbi obstinatiq; iudicij est, nolle citius ad tramitem rationis inflecti.* Esto igitur optimi propositi laudandiq; consilij, & facilè ad veriora traducere. Nec sis improbi obstinatiq; iudicij, vt nolis citius ad tramitem rationis inflecti. Si enim hæc liberaliter elocutus es, si non in labiis ista sonuisti, sed intus & germanitus in corde sensisti, in tuæ correctionis tanto bono etiam moras odisti. Parum quippe tibi fuit dicere, *improbi obstinatiq; esse iudicij, nolle ad tramitem rationis inflecti*, nisi adderes *citius*: vt hinc ostenderes quàm sit execrandus, qui bonum hoc nunquam facit; quandoquidem qui tardiùs facit, tanta tibi videtur seueritate culpandus, vt meritò improbi iudicij obstinatique dicatur. Audi ergo teipsum, túque potissimum & maximè eloquij tui fructibus vtere, vt citiùs te ad rationis tramitem grauitate mentis inflectas, quàm te inde minus eruditè parúmque consultè lubrico ętatis auerteras. Nimis longũ est omnia quæ in tuis libris, vel potius in teipso volo emendari, pertractare atque discutere, & saltem breuẽ tibi de singulis corrigendis reddere rationem. Nec ideo tamen te cõtemnas, vt arbitreris ingenium & eloquium tuum parui esse pendẽdum. Nec sanctarũ scripturarum memoriã in te paruam esse cognoui, sed eruditio minor est, quàm tantę indoli laborique congruebat. Itaque te nec amplius quàm oportet tibi tribuendo vanescere volo, nec rursus te abiiciendo ac desperãdo frigescere. Vtinam tua scripta tecum legere possem, & colloquendo potius, quàm scribendo, quæ sint emendanda monstrarẽ. Faciliùs hoc negotium peragereturnostra inter nos sermocinatione, quàm literis: quæ si scribenda esset, multis voluminibus indigeret. Verùm ista capitalia, quæ certo etiam numero cõprehendere volui, instãter admoneo, ne corrigere differas, & ea prorsus à fide & prędicatione tua facias aliena: vt quanta tibi facultas est disputandi, munere Dei vtaris vtiliter ad ædificationem, non ad destructionẽ sanæ salubrisq; doctrinę.

CAPVT XV. Repetit summatim errores Vincẽtij quos in eius libris deprehẽderat.

SVNT autem ista de quibus vt potui, iam differui, sed breuiter ea repetendo percurram. Vnum est, *quòd animam non ex nihilo, sed de seipso Deũ fecisse* dixisti. Alterum *per infinitum tempus, atque ita semper Deum animas dare, sicut semper est ipse qui dat.* Tertium, *animã meritum aliquod perdidisse per carnẽ, quod habuerit ante carnem.* Quartum, *animam per carnem reparare habitudinẽ priscam, & per eãdem carnem renasci, per quam meruerat inquinari.* Quintum, *quòd anima meruerit esse peccatrix ante omne peccatum.* Sextum, *infantes antequam baptizẽtur, morte præuentos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum.* Septimum, *quos Dominus prædestinauit ad baptismum, prædestinationi eius eripi posse, & antè defungi, quàm in eis fuerit quod omnipotẽs prædestinauit impletum.* Octauum, *de infantibus qui priusquam renascantur in Christo, præueniuntur occiduo, scriptum esse: Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius:* & cætera quæ in eam sententiã in Sapientiæ libro leguntur. Nonum, *aliquas mansiones esse extra regnum Dei, earum quas Dominus esse dixit in domo patris sui.* Decimũ est, *sacrificium Christianorum pro eis qui non baptizati de corpore exierint, offerẽdum.* Vndecimum, *aliquos eorum qui sine baptismo Christi ex hac vita emigrauerint, interim non ire in regnũ, sed in paradisum; postea verò in resurrectione mortuorum, etiam ad regni cælorum beatitudinem peruenire.* Hæc interim vndecim multum apertéq; peruersa, & fidei catholicæ aduersa, nunc iam nihil cuncteris extirpare atque abiicere ab animo, à verbo, à stylo tuo: si vis vt te non solùm ad altaria transisse catholica, sed verè catholicum esse gaudeamus. Nam hæc si pertinaciter singula defendantur, tot hæreses facere possunt, quot opiniones esse numerantur. Quocirca considera quàm sit hoc horrendum, vt omnes sint in vno homine, quæ damnabiles essent in singulis singulę. Sed si tu pro eis nulla contentione pugnaueris, imò verò eas fidelibus verbis & literis expugnaueris; laudabilior eris censor in teipsum; quàm si quemlibet alium recta ratione reprehenderes; & mirabilior eorum emendator, quàm si nunquã illa sensisses. Adsit Dominus tuæ menti, & tantam spiritui tuo spiritu suo facilitatem humilitatis, lucem veritatis, dulcedinem charitatis, pacem pietatis infundat, vt victor tui animi malis esse in veris, quàm cuiuslibet contradicentis in falsis. Absit autem vt te arbitreris hæc opinando à fide catholica recessisse, quamuis ea fidei sint aduersa catholicæ; si corã Deo, cuius in nullius corde oculus fallitur, veraciter te dixisse resipiscis, *non te tibiipsi esse credulum probari ea quæ dixeris posse: ac studere te semper etiam propriam sententiam non tueri, si improbabilis detegatur; eo quòd sit tibi cordi, proprio damnato iudicio, meliora magis & quæ sint veriora sectari.* Iste quippe animus etiam in dictis per ignorantiam non catholicis, ipsa est correctionis præmeditatione ac præparatione catholicus. Sed iste sit modus huius voluminis, vbi requiescat paululum lector, vt ad ea quæ sequuntur, eius intentio ab alio renouetur exordio.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

Pertinacia hæreticum facit.

Supra lib. 1. cap. 16. & lib. 3. ca. 14.

LIBRI TERTII FINIS.

DIVI

D. AVRELII AVGVSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI,

DE ANIMA ET EIVS ORIGINE, AD VINCENTIVM VICTOREM, LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Infrà cap. 2. & 12.

ACCIPE nunc iam etiam de meipso quæ tibi dicere cupio, si possim, hoc est, si ille donauerit, in cuius manu sunt & nos & sermones nostri. Reprehendisti enim me bis numero exprimens etiam meum nomen. Et cùm te in principio libri tui imperitiæ tuæ admodum conscium, & doctrinæ adminiculo destitutum; me verò vbi nominasti, doctissimum ac peritissimum dixeris: tamen quibus in rebus tibi visus es nosse, quod ego vel nescire me fateor, vel quamuis nesciam scire præsumo: libertate qua oportebat, non tantum senem iuuenis, & Episcopum laicus, verumetiam hominem tuo iudicio doctissimum & peritissimum non dubitasti reprehendere. Ego autem & me doctissimum ac peritissimum nescio, imò verò me non esse certissimè scio: & fieri posse nõ ambigo, vt aliquid imperito & indocto cuipiam scire cõtingat, quod aliquis doctus & peritus ignorat; & in hoc te planè laudo, quòd veritatem etsi nũquam percepisti, certè quam putasti, homini prætulisti; ideo quidem temerè, quia existimasti scire te quod nescis; sed ideo liberè, quia personam non veritus, elegisti aperire quòd sentis. Vnde te intelligere oportet, quanto esse nobis debeat cura maior, Dominicas oues reuocare ab erroribus; si & ouibus turpe est, vitia pastorum si qua cognouerint, eisdem occultare pastoribus. O si illa reprehenderes mea, quæ iusta reprehensione sunt digna! Neque enim negare debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint iusto iudicio, & nulla temeritate culpari. Ex quibus si aliqua reprehenderes, illic & tibi fortassis ostenderem, qualem te esse, in quibus non perperam reprehenderes, vellem, neque tibi iuniori maior, & præpositus subdito, correctionis exemplum, quanto humilius, tanto salubrius exhiberem. Sed ea in me reprehendisti, quæ non corrigere humilitas; sed partim fateri, partim defendere veritas cogit.

CAPVT II. Quæ Vincentius in Augustino reprehendenda putauit.

HAEC autem sunt: Vnum, quòd de origine animarum, quæ post primum hominem datæ sunt, vel dantur hominibus, non sum ausus aliquid definire, quia fateor me nescire: alterum, quòd animam scire me dixi spiritum esse, non corpus. Sed in hoc altero duo reprehendisti. Vnum, quòd non eam crederem corpus esse. Alterum, quòd eam spiritum crederem. Tibi enim videtur & corpus esse animam, & non esse spiritum. Audi igitur purgationẽ meam contra reprehensionem tuam, & ex hac occasione qua me tibi purgo, in teipso disce quæ purges. Recole verba libri tui, vbi me primitus nominasti: *Scio*, inquis, *plerosque & facilè peritissimos viros, insuper & consultos tenuisse silentiũ, aut nihil expressius elocutos, cùm definitionem disputationibus suis inchoata expositione subtraherent; sicuti nunc nuper apud te Augustini doctissimi viri prædicatique Episcopi comprehensum literis lectitaui: modestius quidem, vt reor, ac verecundius huiusce rei arcana rimantes, intra seipsos tractatus sui deuorasse iudicium, neque se posse ex hinc aliquid determinare professos. Sed mihi crede, satis superq; videtur absurdum atque incongruum rationi, vt homo ipse expers sui sit, aut is qui rerum omnium creditur adeptus esse notitiam, sibiipsi habeatur ignotus. Quid autem differt homo à pecore, si nescit de sua qualitate naturáque disquirere atque disserere; vt merito in illum conueniat quod scriptum est; Homo cùm esset in honore, non intellexit, assimilatus est iumentis, & comparatus est eis. Nam cùm Deus bonus nihil non ratione condiderit; ipsúmque hominem animal rationale, intellectus capacem, rationis compotem, sensuq; vinacem, qui omnia rationis expertia prudenti ordinatione distribuat, procreauerit: quid tam inconuenienter dici potest, quàm vt eum sola sui notione fraudauerit? Et cùm sapientia mundi, quæ sese vsque ad veri cognitionem superuacua quidem inuestigatione protendit, quia scire nequit per quem licet quæ sunt vera cognosci; aliqua tamen vicina, imò affinia veritati tentauerit super animæ naturã despicere: quàm indecens atque pudendum est, religiosum quemquam de hoc ipso aut nihil sapere, aut penitus sibi interdixisse ne sapiat.* Ista tua nostræ ignorantiæ disertissima & luculentissima castigatio, omnia quæ ad naturã hominis pertinent, sic te scire compellit, vt si eorum aliquid ignoraueris, non meo, sed tuo iudicio pecoribus compareris. Quamuis enim nos insignius videaris attingerẽ, eo quod dixisti: *Homo cùm esset in honore, non intellexit*; quia in quo tu non es, honore sumus Ecclesiæ; tamen etiam tu in eo es honore naturæ, vt pecoribus præferaris; quibus secundum tuum iudicium cõparandus es, si aliquid eorum quæ ad naturam tuam constat pertinere, nesciueris. Neque enim eos aspersisti hac reprehensione tantummodo, qui hoc nesciunt quod ego nescio, hoc est, humanæ animæ originem (quam quidem non penitus nescio; scio enim Deum flauisse in faciem primi hominis, factúmque esse hominem in animam viuam; quod tamen nisi legissem, per meipsum scire non possem.) Sed dixisti: *Quid autem differt homo à pecore, si nescit de sua qualitate naturaq; disquirere atque disserere?* Quod sensisse ita videris, tanquam de vniuersa sua qualitate atq; natura sic homo disquirere atque disserere debeat, vt nihil eum sui lateat. Quod si ita est, iam te pecoribus comparabo, si mihi non responderis tuorum numerum capillorum. Si autem quantumcunque proficiamus in hac vita, aliqua nos ad naturam nostram pertinentia nescire cõcedas; quæro id quantum quatenusque concedas, nõ fortè & hoc ibi sit quod animæ nostræ non omnimodo scimus originem: quamuis quod ad salutem pertinet fidei, diuinitùs animam datam, camque non eius cuius Deus est esse naturæ, remotis ambagibus nouerimus. An fortè hactenus putas naturam suam cuique nesciendam, quatenus eam tu nescis; hactenus sciendam, quatenus eã tu scire potueris, vt si paulo amplius te quis nesciierit, eum pecoribus compares, quòd sciẽtior illo esse potuisti: atque ita si quis eam paulo plus te scierit, eadem iustitia te ille pecoribus comparabit? Dic ergo quatenus nobis naturã nostram nescire concedas, vt à pecoribus salua sit nostra distantia. Et considera tamẽ ne plus à pecoribus distet, qui eius aliquid nescire se scit, quàm qui se putat scire quod nescit. Natura certè tota hominis est spiritus, anima & corpus. Quisquis ergo à natura humana corpus alienare vult, desipit. Medici tamen qui appellantur anatomici, per membra, per venas, per neruos, per ossa, per medullas, per interiora vitalia etiam viuos homines quãdiu inter manus rimantium viuere potuerunt, difficiẽdo seruati sunt, vt naturam corporis nossent. Nec tamen nos quia ista nescimus, pecoribus compararunt. Nisi fortè dicturus es, eos pecoribus comparandos qui animę naturam, non qui corporis nesciunt. Non ergo ita prełoqui debuisti. Neque enim aisti: Quid differt homo à pecore, si nescit de animæ suæ qualitate atque natura: sed aisti; *si nescit de sua qualitate naturaq; disquirere atque disserere.* Qualitas vtique nostra, & natura nostra cum corpore computatur, quamuis de his quibus cõstamus singillatim singulis disseratur. Verùm ego quàm multa possim de hominis natura scientissimè disputare, si explicare velim, plura volumina implebo, multa me tamen ignorare confiteor.

A B C D

Genes. 2.

Medici Anatomici.

for. disseccando.

Psal. 48.

CAPVT III.

TV autem quò vis pertinere quod in superiore libro de flatu

de flatu hominis disputauimus? Vtrum ad animæ natura, quia ipsa id agit in homine; an ad corporis, quod ab ea mouetur vt id agat; an ad huius aëris, cuius reciprocatu id agere declaratur; an potius ad omnia tria, ad animam scilicet quæ corpus mouet, & ad corpus quod motu flatum recipit atque reddit, & ad auram istam vndique circumfusam, quę intrando alit, releuat exeundo. Et tamen hoc literatus, homo atque facundus vtique nesciebas, quando credebas, dicebas & scribebas, & in conuentu multitudinis congregatæ legebas, & de natura nostra vtrem inflari, & naturam nostram inde minus nihil habere: cùm hoc vnde faciamus, facillimè posses, non diuinas & humanas paginas perscrutando, sed in te aduertendo nosse cùm velles. Quomodo igitur tibi committam vt me doceas de origine animarum, quod me nescire cõfiteor; qui quod tuis naribus atque ore sine intermissione facis, vnde facias ignorabas? Et præstet Dominus vt à me commonitus, cedas potius quàm resistas tam in promptu positæ atque apertissimæ veritati. Nec de vtre inflando sic interroges pulmones tuos, vt eos aduersus me habere malis inflatos, quàm eis acquiescere te docentibus, & responsum tibi verum, non loquendo & altercando, sed spirando & respirando reddentibus. Proinde ignorantiam meam de origine animarum te corripientem atque obiurgantem non molestè ferrem, imò insuper & gratias magnas agerem, si eam mihi non solùm duris percuteres conuiciis, sed veris etiam excuteres dictis. Si enim me posses docere quod nescio non solùm te verbis, sed & pugnis cædentem deberem patientissimè sustinere.

CAPVT IIII. NAM fateor dilectioni tuæ, quãtum attinet ad istã quæstionem, vnũ de duobus valde cupio nosse si possim, vel de animarum origine, quod ignoro; vel vtrum pertineat ad nos hoc nosse cùm hic viuimus. Quid si enim ex illis rebus est de quibus nobis dicitur, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quę præcepit tibi Dominus, illa cogita semper? Verum hoc nosse cupio, aut ab ipso Deo sciẽte quod creat, aut etiam ab aliquo docto sciente quod dicat, non ab homine nesciente quod anhelat. Infantiam suam quisq. non recolit, & putas hominem nisi Deo docente posse cognoscere, vnde in matris vtero viuere cœperit, præsertim si vsqueadeò illum adhuc lateat humana natura, vt non solùm quid intus habeat, verumetiam quid ad eam forinsecus accedat, ignoret? Itáne dilectissime tu me docebis aut quenquam vnde homines nascẽtes animentur, qui nesciebas adhucusquè vnde viuentes sic alantur, vt illo alimento paululum subtracto continuò moriantur? Tu me docebis aut quemquam, vnde homines animentur, qui nesciebas adhucusque vnde vtres quando inflantur, impleantur? Vtinam quemadmodum nescis vnde origo sit animarum; sic ego saltẽ scirem vtrum mihi in hac vita sciendum esset. Si enim ex illis est altioribus, quæ inquirere scrutarique prohibemur, timendum est ne hoc non ignorando, sed quærendo peccemus. Neque enim propterea non esse de illis altioribus putare debemus, quia non ad Dei naturam pertinet, sed ad nostram.

Non ad solam Dei naturam pertinent, quæ scrutari prohibemur.

CAPVT V. QVID quòd nonnulla in operibus Dei, quàm ipse Deus inquantũ cognosci potest, difficilius cognoscũtur? Nam didicimus Deum esse trinitatem, quot autẽ animalium genera crearit, saltem terrestrium, quæ in arcam Noë intrare potuerunt, adhucusque nescimus. Nisi hoc tu iam fortè didicisti. In libro etiam Sapientiæ scriptum est: Si enim tantum potuerunt valere vt possent æstimare seculum, quomodo eius Dominum non facilius inuenerũt? An quia hoc intra nos est, ideo non altius nobis est? Interior enim est animæ nostræ natura quàm corpus. Quasi verò corpus ipsum non facilius nosse potuerit anima extrinsecus per oculos ipsius corporis, quàm intrinsecus per seipsam. Quid enim est in intestinis corporis vbi non est ipsa? Et tamẽ etiam quęque interna atque vitalia oculis corporis inquisiuit, & quicquid ex eis discere potuit, per oculos corporis didicit. Et certè ibi erat etiam quando illa nesciebat. Et cùm viscera intrinsecus nostra non possint sine anima viuere, facilius ea potuit anima viuificare quàm nosse. An fortè ad eius cognitionẽ altius illa est corpus eius quàm ipsa; & ideo si velit inquirere atque disserere, quando semen hominis conuertatur in sanguinem, quando in solidã carnem, quando ossa durari, quando incipiant medullari: quot sint genera venarũ atque neruorum, quibus discursibus & anfractibus vniuersum corpus illæ irrigent, illi alligent; vtrũ in neruis deputanda sit cutis; vtrum in ossibus dentes, distãt enim quòd medulla carent; & quid ab vtrisque differãt vngues, quoniã his duritia similes sunt; præcidi autẽ & crescere, commune illis est cum capillis: quisnã sit vsus venarũ, non sanguinis, sed aëris, quas arterias vocant: hæc atque huiusmodi de natura corporis sui, si anima nosse desideret, tunc dicendum est homini, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: si autem de sua origine quod nescit, inquirat, non est altius neq. fortius, quàm vt id possit apprehendere: & absurdum existimas atque incongruum rationi, vt nesciat anima, vtrum nam diuinitus insufflata sit, an de parẽtibus tracta, cùm hoc iam præteritum non meminerit, & inter illa deputet, quæ irreuocabiliter, sicut infantiam, & cętera recentis ab vtero ætatis oblita est, si tamen cum sensu eius aliquo factum est quando factum est: nec putas absurdum atque incõgruum, vt corpus sibi subditum nesciat, & quod non est de præteritis eius, sed de præsentibus prorsus ignoret, vtrum venas moueat vt viuat in corpore; neruos autem, vt membris corporis operetur: & si ita est, cur neruos non moueat, nisi velit; pulsus autem venarum etiam si nolit, sine intermissione agat: de qua parte corporis cæteris dominetur, quod ἡγεμονικὸν vocant, vtrum de corde, an de cerebro, an dispertitis de corde motibus, de cerebro sensibus, an de cerebro & sensibus & voluntariis motibus, de corde autem non voluntariis venarum pulsibus: & si de cerebro illa duo facit, cur sentiat, & si nolit, membra verò nõ moueat nisi velit? Cùm igitur hæc in corpore nisi ipsa non faciat, cur nescit quod facit, vel vnde facit? Nec ei turpe est ista quòd nescit, & turpe esse existimas, si nesciat vnde vel quomodo facta sit, cùm seipsa non fecerit? Anima verò, nulli sciunt quomodo hæc, & vnde agat in corpore; ideo ad altiora ac fortiora id pertinere non putas?

Quæstiones de corporis natura.

Dentes quid ab ossibus distent.

CAPVT VI. AT ego hinc tibi maiorem moueo quæstionem, cur paucissimi nouerint vnde agant, quod omnes agunt? Fortasse dicturus es, Quia illi didicerunt artem anatomicam vel empiricam, quas medicinalis continet disciplina, quam pauci assequuntur. Cæteri verò ista discere noluerunt, cùm potuissent si vtique voluissent. Vbi omitto dicere, cur multi conentur discere ista, nec possint: quia tardo, quod multum mirum est, impediuntur ingenio, ea discere ab aliis, quæ aguntur ab eis ipsis, & in eis ipsis. Sed hæc ipsa est maxima quęstio, cur arte non mihi opus sit, vt esse in cælo solem sciam, & lunam, & alia sidera; & arte mihi opus sit, vt sciam quando digitum moueo, vnde incipiam, à corde, an à cerebro, an ab vtroque, an à neutro: & doctore non egeam, vt sciam quid sit tam longè altius super me; ab alio autem homine discere expectem, vnde agatur à me quod agitur in me. Nam cùm in corde cogitare dicamur, & quod cogitamus, nullo alio homine sciente sciamus; ipsum tamen cor vbi cogitamus, nesciemus in qua parte corporis habeamus, nisi ab alio discamus qui nescit quod cogitamus. Nec ignoro cùm audimus, vt ex toto corde diligamus

Qui toto corde Deum diligere iubeamur.

ligamus Deum, non hoc dici de illa particula carnis nostræ quæ sub costis lãtet; sed de illa vi qua cogitationes fiunt. Quæ meritò appellatur hoc nomine, quia sicut motus non cessat in corde, vnde se pulsus diffundit vsquequaque venarum; ita non quiescimus aliquid cogitando versare. Veruntamen cùm omnis sensus ab anima insit corpori, cur etiam in tenebris, & oculis clausis, sensu corporis qui vocatur tactus, membra forinsecus nostra numeremus; ipsius autem animæ interiore præsentia, qua cunctis quæ viuificat atq; animat, præsto est, nulla intrinsecus nostra viscera nouerimus, non medicos empiricos, nec anatomicos, nec dogmaticos, nec methodicos, sed hominem scire arbitror neminem. Et quisquis fuerit conatus hæc discere, non frustra ei dicetur: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Neque enim altiora sunt quàm potest nostra statura contingere, sed quàm potest nostra coniectura comprehendere; & fortiora quàm potest vis humani ingenij penetrare, & tamen non est cælum cæli, non dimensio siderum, non modus maris atque terrarum, non infernus inferior. Nos sumus qui nos comprehẽdere non valemus. Nos modulum scientiæ nostræ altiores fortioresque superamus. Nos non possumus capere nos, & certè non sumus extra nos. Nec ideo comparandi pecoribus, quia id quod sumus non penitus inuenimus: & comparandos nos pecoribus putas, si quod fuimus obliti sumus, si tamen id aliquando noueramus. Neque enim nunc anima mea trahitur ex parentibus, aut insufflatur à Deo. Vtrum liberum fecerit, tunc fecit quando me creauit, non etiam nunc de me, vel in me facit. Actum illud atque transactum est, nec præsens mihi est nec recens. Ne id quidem scio vtrum id scierim, oblitusque sim, an verò nec tunc quando factum est, id sentire ac nosse potuerim.

Ecclesi. 3.

CAPVT VII. ECCE modò dũ sumus, dum viuimus, dum nos viuere scimus, dũ meminisse nos, & intelligere & velle certissimi sumus; qui nos naturæ nostræ magnos cognitores esse iactamus, quid valeat memoria nostra, vel intelligẽtia, vel voluntas, omnino nescimus. Amicus quidam meus iam inde ab adolescẽtia, Simplicius nomine, homo excellentis mirabilisq; memorię, cùm interrogatus esset à nobis, quos versus Virgilius in omnibus libris supra vltimos dixerit, continuò, celeriter, memoriterque respondit. Quæsiuimus etiam superiores vt diceret, dixit. Et credidimus eum posse retrorsum recitare Virgilium. De quocunque loco voluimus, petiuimus vt faceret, fecit. Prosa etiã de quacunque oratione Ciceronis, quam memoriæ cõmendauerat, id eum facere voluimus, quantum voluimus sursum versus secutus est. Cùm admiraremur, testatus est Deum, nescisse se hoc posse ante illud experimentum; ita quantum ad memoriam attinet, tunc se eius animus didicit; & quandocunque discere, nisi tentando & experiendo posset? Et vtique antequam tentaret, idem ipse erat. Cur se igitur nesciebat? Sæpe nos præsumimus aliquid memoria retenturos, & cùm id putamus, non scribimus; nec nobis postea cùm volumus venit in mentem, nosque pœnitet credidisse vẽturum, vel literis non illigasse ne fugeret; & subitò rursus cùm id non quęramus, occurrit. Nunquid nos non eramus, quando id cogitabamus? nec tamen hoc sumus quod fuimus, quando id cogitare non possumus. Quid est ergo quod nescimus? Quomodo subtrahimur negamurque nobis? Itaque nescio quomodo proferimur ad nos, reddimurque nobis, quasi alij simus, & alibi simus, quãdo quærimus, nec inuenimus quod in memoria nostra posuimus: neq; nosipsi ad nosipsos veluti alibi positos peruenire possimus, & tunc perueniamus quando inuenimus. Vbi enim quærimus nisi apud nos? & quid quærimus nisi nos? quasi non simus

Simplicij cuiusdam insignis memoria.

Memoria fiducia.

Memoriæ insondabilis thesaurus.

in nobis, & aliquò recesserimus à nobis. Nónne attendis, & exhorrescis tantam profunditatem? Et quid est hoc aliud quàm nostra natura, nec qualis fuit, sed qualis nunc est? Et ecce magis quæritur quàm comprehẽditur. Sæpe mihi propositam quæstionem putaui me intellecturum, si inde cogitarem. Cogitaui, nec potui. Sæpe non putaui, & tamen potui. Vires itaque intelligentiæ meæ non sunt mihi vtique cognitæ, & credo quia nec tibi. Sed me contemnis forsitan confitẽtem, & propter hoc quoque pecoribus comparabis. Ego autem monere, vel si non dignaris, certè admonere non desinam, vt agnoscas potius communem infirmitatẽ, in qua virtus perficitur, ne pro cognitis incognita præsumendo, ad veritatẽ peruenire non possis. Puto enim esse aliquid, quod & tu intelligere quæris, nec potes, nec tamen quæreres, nisi te posse sperares. Ac per hoc & tu vires intelligẽtiæ tuæ nescis, qui naturæ tuæ sciẽtiã profiteris, nec mecum ignorantiã confiteris. Quid dicam de volũtate, vbi certè liberũ à nobis prædicatur arbitriũ? Nempe beatissimus apostolus Petrus volebat pro Dño animam ponere. Planè volebat. Neque enim Deũ id pollicendo fallebat, sed quantas vires haberet, voluntas ipsa nesciebat. Proinde vir tantus qui filium Dei esse cognouerat, se latebat. Scimus nos itaque aliquid velle, seu nolle; sed voluntas nostra etiã cùm bona est, quantum valeat; quantas vires habeat, quibus tentationibus cedat, quibus non cedat, si nos non fallimus, fili dilectissime nescimus.

Vires intelligentiæ suæ nulli satis cognitæ.

Iohann. 13. Non metuebatur apostolus Petrus velle se dicẽs animam pro Domino ponere.

CAPVT VIII. VIDE igitur quàm multa non præterita, sed præsentia de natura nostra, nec tantũ quod ad corpus, verumetiam quod ad interiorem hominẽ pertinet ignoremus, nec tamen pecoribus comparemur. Et tu, quia præteritam originem animę meę non omnino nescio; sed non plenè scio, nam scio mihi datam esse à Deo, nec tamen esse de Deo, tanto me cõuicio dignum putasti. Et quãdo possum de natũra spiritus & animæ nostræ commemorare omnia quæ nescimus? Vbi potius exclamare debemus ad Deum, quod ille exclamauit in Psalmo: Mirificata est scientia tua ex me, inualuit, nõ potero ad illam. Cur enim adiecit, ex me, nisi quia ex seipso quàm incomprehensibilis esset Dei scientia coniiciebat, quandoquidem seipsum comprehendere non valebat? Rapiebatur Apostolus in tertium cęlum, & audiebat ineffabilia verba, quę non licet homini loqui, & vtrũ in corpore hoc illi accidisset, an extra corpus, nescire se dicit, nec à te comparari pecoribus pertimescit. Sciebat se spiritus eius esse in tertio cęlo, esse in paradiso, & vtrum esset in corpore nesciebat. Et vtique tertium cęlum & paradisus non erat ipse apostolus Paulus; corpus verò eius & anima atque spiritus eius ipse erat. Ecce sciebat magna, alta atque diuina quę ipse nõ erat; & hoc nesciebat quod ad naturam ipsius pertinebat. Quis in tanta occultarum rerum scientia, tantam sui ipsius ignorantiam non miretur? Quis postremò crederet, nisi qui non fallit, hoc diceret: Quid oremus sicut oportet nescimus; vbi esse nostra maximè debet intentio, vt nos in ea quæ antè sunt extendamus: & me, si in eis quæ retrò sunt, aliquid de mea origine oblitus sum, pecoribus comparas, cùm audias eundem Apostolum dicentem: Quæ retrò oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu?

Psal. 138.

2. Cor. 12.

Roman. 8.

Philip. 3.

CAPVT IX. AN fortè etiam hoc quia dixi, Quid oremus sicut oportet nescimus: irridendum me arbitraris, & irrationalibus similem animantibus iudicas? Et fortè tolerabilius. Cùm enim recto sanoque iudicio futura nostra preteritis preferamus, & oratio nobis non propter quod fuimus, sed quod erimus sit necessaria, multo est vtique molestius nescire quid oremus, quàm quẽadmodum exorti fuerimus. Sed veniat tibi in mẽtem

vbi hoc legeris, vel relegẽdo recole: & noli in me huius cõuicij lapidẽ iacere, ne ad quem non vis, perueniat. Ille ipse quippe doctor gentium Apostolus dixit:
Roman. 8. Quid enim oremus sicut oportet, nescimus. Quod non tantùm verbo docuit, sed suo quoque demonstrauit exemplo: Nam contra vtilitatem & salutis suæ
2. Cor. 12. perfectionem nesciens orabat vt discederet ab eo stimulus carnis, quem sibi datum dixit, ne magnitudine reuelationum suarum extolleretur. Et quia illum Dominus diligebat, non fecit quod ignoranter petebat.
Spiritus sanctus quo sensu dictus Deũ pro nobis interpellare. Sed tamen vbi ait, Quid enim oremus sicut oportet, nescimus; mox adiunxit: Sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autẽ scrutatur corda, scit quid spiritus sapiat, quia secundum Deum interpellat pro sanctis: id est, interpellare facit sanctos. Ille vtique spiritus, quem Deus misit in corda
Galat. 4. Roman. 8. nostra, clamantem abba pater, & in quo clamamus abba pater: vtrumque enim dictum, & accepisse nos spiritum clamantem, abba pater, & in quo clamemus, abba pater; vt exponeretur quomodo dixit clamantem, hoc est, clamare facientem, vt ipso faciente clamemus. Doceat ergo & hoc me quando voluerit, si hoc mihi expedire nouit, vt sciam vnde secundum animam originem ducam. Sed ille hoc me doceat spiritus, qui altitudinem Dei scrutatur, non homo qui spiritum nescit, vnde vter inflatur. Absit tamen vt ego hinc te pecoribus comparem. Non enim hoc quia non poteras, sed quia non aduerteras, nesciebas.

CAP. X. VERVM tu fortasse quamuis altiora sint, quæ de animarum origine requiruntur, quàm est vnde ducimus, & reddimus flatum: tamẽ eadem altiora de scripturis sanctis te didicisse confidis, de quibus per fidem didicimus, quæ nulla possent humana ingenia inuestigare. Nam longè vtique præstantius est, nosse resurrecturam carnem, ac sine fine victuram, quàm quicquid in ea medici scrutando discere potuerunt, quod
Præstantius est nosse carnem resurrecturam, & sine fine victuram, quàm quicquidde eius natura medici docere potuerunt. nullo sensu anima percipit, cùm præsentia sua vegetet cuncta quæ nescit. Et longè est melius, nosse animam, quæ in Christo renata & renouata fuerit, in æternum beatam futurã, quàm quicquid de illius memoria, intelligentia, voluntate nescimus. Hæc autem quæ dixi præstantiora atque meliora nullo modo nosse valeremus, nisi diuinis crederemus eloquiis. His ergo eloquiis fidere te fortassis existimas, ne de origine animarum sententiam definitam proferre cuncteris. Primum si ita esset, non ipsi humanæ naturæ tribuere debuisti, quod scit homo de sua qualitate atque natura disquirere atque differere, sed Dei muneri. Dixisti enim: *Quid differt homo à pecore, si hoc nescit?* Quid igitur opus est aliquid legere vt hoc sciamus, si eo ipso quo à pecore distamus, iam hoc scire debemus? Sicut enim nihil mihi legis vt me viuere sciam, (habet enim natura mea vt hoc nescire non possim:) ita & si illud scire naturæ est, cur mihi de hac re profers quibus credam testimonia Scripturarum? Nunquid soli distant à pecore qui eas legunt? Nónne ita creati sumus vt distemus à pecoribus, & antequam ad aliquas literas peruenire possimus? Quid est quæso quod tantum naturæ nostræ arrogas, vt eo ipso, quo distat à pecore, iam norit de origine animarũ disquirere atque differere; & rursus eam sic facis huius cognitionis expertem, vt hoc scire humanitus nequeat, nisi diuinis testibus credat?

CAPVT XI. DEINDE & in hoc falleris: Nam diuina testimonia, quæ ad istam quæstionem soluendam referre voluisti, non id aperiunt. Aliud est quod illa demõstrant, sine quo verè non possumus piè viuere, quòd scilicet animarũ nostrarũ Deum habeamus datorẽ, creatorẽ, formatorẽ. Sed quomodo id faciat, vtrum nouas eas
Supra lib. 1. cap. 14. & sequent. flando, an de parentibus trahendo, non exprimunt, nisi de illa vna quam primo homini dedit. Lege diligẽter quod scripsi ad fratrem nostrum Dei seruum Renatum: ibi enim quia id ostendi, non fuit necesse & hîc scribere. Velles autem me definire quod ipse definisti, vt in tales angustias contruderer, in quales ipse contrusus, aduersus catholicam fidem tot & tanta locutus es, vt eas si fideliter atque humiliter recolas atq; consideres, videas profectò quantum tibi profuisset, si scisses nescire quod nescis, & quantum tibi prosit, si vel nunc scias. Nam si intelligentia tibi placet in natura hominis, quoniam si reuera eam non haberet, nihil quantum ad animas pertinet, à pecoribus distaremus, intellige quid non intelligas, ne totum non intelligas; & noli despicere hominem, qui vt veraciter intelligat quod non intelligit, hoc se non intelligere intelligit. Vnde autẽ dictum sit in sacro Psalmo: Homo in honore cùm esset, non intellexit, comparatus Psal. 48.
est pecoribus insensatis, & similis factus est illis: lege, & intellige, vt hoc opprobrium humiliter potius ipse caueas, quàm superbè alteri obiicias. De his enim dictum est, qui istam vitam solam deputant vitam, secundum carnem viuentes, & post mortem nihil sperantes, veluti pecora: non de his, qui neque negant se scire quod sciunt, & confitentur se nescire quod nesciunt, & potius intelligunt hanc infirmitatem suam, quàm de sua virtute confidant. Non itaque displiceat præsumptioni tuæ iuuenili meus senilis timor, fili. Ego enim si hoc quod de animarum origine quærimus, nec Deo, nec aliquo spiritali homine docente, scire potuero, paratior sum defendere, quàm rectè etiam hoc Deus, sicut alia multa, nos scire noluerit; quàm temerè dicere quod aut ita sit obscurum, vt hoc non solùm ad aliorum intelligẽtiam perducere nequeam, sed nec ipse intelligam: aut certè etiam hæreticos adiuuet, qui propterea persuadere conantur ab omni noxa puras esse animas paruulorum, ne scilicet eadẽ noxa in authorem Deum recurrat & redeat, quòd insontes animas, quibus nec lauacrum regenerationis subuenturum esse præsciuit, dando carni peccatrici, esse compulerit peccatrices, nulla baptismatis gratia subuentura, qua liberentur à damnatione perpetua. Quandoquidem innumerabiles animæ infantum antequam baptizentur, de corporibus exeunt. Absit enim vt hoc volẽs diluere, dicam quæ ipse dixisti: *quòd anima per carnem meruerit inquinari & esse peccatrix, nullum habens antè peccatum, quo rectè id meruisse dicatur. Et quòd etiam sine baptismo originalia peccata soluantur. Et quòd regnum quoque cælorũ non baptizatis in fine tribuatur.* Hæc atque huiusmodi venena fidei nisi timerem dicere, fortasse de hac re definire aliquid non timerem. Quanto meliùs igitur non separatim de anima disputo & affirmo quod nescio, sed quod apertissimè Apostolum video docuisse, simpliciter teneo. Ex
Roman. 5. vno homine omnes homines ire in cõdemnationem qui nascuntur ex Adam, nisi ita renascantur in Christo, sicut instituit vt renascantur, antequam corpore moriantur, quos prædestinauit ad æternam vitam misericordissimus gratię largitor: qui est & illis quos prędestinauit ad æternam mortem, iustissimus supplicij retributor, non solùm propter illa, quæ volentes adiiciunt, verumetiam si infantes nihil adiiciant, propter originale peccatum. Hæc est in illa quæstione definitio mea, vt occulta opera Dei habeant suum secretũ, salua fide mea.

Prædestinatio ad malum.

CAPVT XII. NVNC iam, quantum Dominus donare dignatur, etiã ad illud debeo respondere, vbi de anima loquens, nomẽ meum iterasti atque dixisti: *Non enim, sicut Augustinus peritissimus Episcopus profitetur, incorpoream & eandem spiritum esse permittimus.* Prius itaque vtrum anima incorporea, sicut ego dixi, an corporea, sicut tu, existimanda sit, disputemus. Deinde vtrum etiam ipsa secũdum Scripturas nostras dicatur spiritus, quamuis etiam

CAPVT XII. Duo capita disputationis libri 4. videlicet vtrum anima corporea sit, & vtrum secundũ Scripturas spiritus appellatur.

etiam propriè spiritus nuncupetur, non vniuersa, sed aliquid eius. Ac primum scire vellem, corpus quid esset definias. Si enim non est corpus nisi quod membris carnalibus constat, nec terra erit corpus, nec cælum, nec lapis, nec aqua, nec sidera, nec si quid huiusmodi est. Si autem corpus est quicquid maioribus & minoribus suis partibus, maiora & minora spatia locorum obtinentibus, constat; corpora sunt etiam ista quæ commemoraui: corpus est aër, corpus est lux ista
Corpus quid sit. Prior quæstio, vtrum anima corporea sit. 1. Cor. 15. visibilis, & omnia, sicut dicit Apostolus, corpora cælestia, & corpora terrestria. Sed vtrum tale aliquid sit anima, scrupulosissimè ac subtilissimè quæritur. Verũtamen tu, vnde tibi maximè gratulor, Deum corpus non esse confirmas. Sed me rursus solicitum facis vbi dicis: *Si anima caret corpore, vt sit, sicut quibusdam placet, caßæ inanitatis, aëreæ futilisq; substantiæ.* His enim tuis verbis videris credere, omne quod caret corpore, inanis esse substantiæ. Quod si ita est, quomodo Deum audes dicere carere corpore, nec times ne sequatur inanis eum esse substantiæ? Porrò si & corpore caret Deus, quod iam confessus es, & eũ inanis esse substãtiæ, absit vt dicas: Non ergo inanis substãtiæ est, quicquid corpore caret. Et ideo qui incorpoream dicit esse animam, non est consequens vt eam velit videri inanis futilisque substantiæ, quia & Deum qui non est inane aliquid, simul incorporeum confitetur. Vides autem quantum interfit inter id quod dico, & quod tu me existimas dicere. Ego enim nec aëreæ substantiæ animam dico, alioquin corpus esse confiteor. Aër enim corpus est secundum omnes qui de corporibus cùm loquuntur, quid loquantur sciunt. Tu autẽ propter id quod incorpoream dixi animam, non solùm cassæ inanitatis, sed ob hoc aëream me putasti eam dixisse substantiam, cùm & corpus eam nõ esse dixerim quod est aër, & quod aëre impletur, inane esse nõ possit. Quod nec vtres tui te admonere potuerunt. Quid enim aliud in eos, nisi aër, quando inflantur, arctatur? Qui vsqueadeò inanes non sunt, vt eadem plenitudine etiam pondera sufferant. Quòd si fortè aliud tibi videtur esse flatus; aliud aër; cùm aër motus ipse sit flatus, quod & flabello agitato doceri potest: certè vasa quælibet concaua quæ putas inania, vt plena esse cognoscas, ab ea parte qua implentur, deprime in aquã, & vide quòd nihil humoris possit intrare repellente aëre, quo plena sunt. Cùm autem ore sursum versus collocantur, siue ex latere, tunc recipiunt liquorem, si quis infunditur vel ingreditur, exeunte atque euadẽte aëre, quà exitus patet. Hoc præsenti facilius posset demonstrari facto quàm scripto. Sed non est hic diutius immorandum, cùm siue intelligas aëris naturam esse corpoream, siue non intelligas; me tamen putare non debes vel aëream dixisse animam, sed omnino incorpoream: quod & tu esse confiteris Deum, quẽ dicere non audes inane esse aliquid, sed negare nõ potes omnipotentis & immutabilis esse substantiæ. Cur ergo metuimus, ne sit cassæ inanitatis anima, si sit incorporea, cùm Deum incorporeum fateamur esse, nec eum cassæ inanitatis esse dicamus? Sic itaque potuit incorporeus Deus incorpoream creare animam, quemadmodum viuens viuentem, quamuis immutabilis mutabilem, & omnipotens longè imparem.

Flatus & vetus nihil aliud quàm aër motus.

CAPVT XIII. 1 Thess. 5. CVR autem animam nolis esse spiritum, sed corpus eam velis esse, non video. Si enim propterea spiritus non est, quia distinctè Apostolus nominauit spiritum dicens; Et integer spiritus vester, & anima & corpus: eadem causa est, cur ea non sit corpus, quia distinctè nominauit & corpus. Si autem affirmas quòd & anima corpus sit, quamuis distinctè corpore nominato; permitte vt etiam spiritus sit, quamuis distinctè spiritu nominato. Multo enim magis tibi debet videri anima spiritus esse quàm corpus, quia spiritum & animam vnius fateris esse substantiæ, vniùs autẽ substantiæ animam corpúsque esse non dicis. Quo igitur pacto corpus est anima, cùm eius & corporis sit diuersa natura; & spiritus non est anima, cùm eius & spiritus sit vna eadémque natura? Quid quòd ista tua ratione etiam spiritum corpus esse cogeris dicere? Alioquin si spiritus corpus non est, & anima corpus est, non sunt spiritus & anima vnius eiusdémque substãtiæ. Tu autem vtrumque quamuis duo quædam sentias, vnã fateris habere substantiam. Ergo & spiritus corpus est, si anima corpus est; neq. enim aliter possunt vnius eiusdémque esse naturę. Proinde secundum te, illud quod ait Apostolus, Spiritus vester & anima & corpus: tria sunt corpora, sed ex his duo, anima & spiritus vnius naturæ sunt corpora: corpus autem illud, quod etiam dicitur caro, diuersæ naturæ est. Et ex his tribus, vt opinaris, corporibus, quorum vnũ diuersæ, duo verò sunt vnius eiusdémque substantiæ, constat totus homo, vna quædam res, atque vna substantia. Ista cùm asseras, non vis tamen vt duæ res vnius eiusdémque substantiæ, id est, anima & spiritus habeant vnum spiritus nomen: cùm duæ res non vnius eiusdémque, sed imparis diuersæque substantiæ, id est, anima & corpus habeãt vnum sicut putas, corporis nomen.

CAPVT XIIII. SED hoc omitto, ne de nominibus inter nos sit potius controuersia, quàm de rebus. Quisnam sit homo interior videamus, vtrum anima, an spiritus, an vtrũque. Sed sicut te scripsisse video, hominem interiorẽ animam dicis. De hac enim loquebaris, cùm diceres: *Et gelante substantia quæ comprehendi non poterat, efficeret corpus aliud intra corpus naturæ suæ vi & spiramine conglobatum, exindéque inciperet homo interior apparere, quem veluti in forma vaginæ corporalis inclusum, ad similitudinem sui delineauit exterioris hominis habitudo.* Deinde infers, *flatus ergo Dei animã fecit, imò flatus ex Deo anima factus est, effigiata substantialis, & secundum naturam suam corporea, & sui corporis similis, imaginiq; cõformis.* Post hæc incipiẽs loqui de spiritu, *Hæc,* inquis, *anima quæ ex flatu Dei haberet originẽ, sine sensu proprio atque intellectu intimo esse non potuit, quod est spiritus.* Sicut ergo video, interiorem hominem vis esse animam; intimum, spiritum, tanquam & ipse interior sit animæ, sicut illa corpori. Ita fit, vt quemadmodũ corpus per interiora concaua sua recipit aliud corpus, quod est anima, sicut putas: sic & anima credenda sit habere interiora inania, qua corpus tertium receperit spiritum; atque ita totus homo cõstet ex tribus, exteriore, interiore, intimo. Itáne nondum respicis, quanta te absurdissima consequantur, cùm animam conaris asseuerare corpoream? Deinde dic mihi: Quis eorum renouabitur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius qui creauit illum? Interior, an intimus? Apostolus quidem præter interiorem & exteriorẽ, non video quòd sciat alium interioris interiorem, id est, Colos. 3.
totius hominis intimum. Sed elige quem volueris, qui renouetur secundum imaginem Dei, quomodo hanc recipiet, qui iam sumpsit exterioris imaginẽ? Si enim per mẽbra exterioris cucurrit interior & gelauit: (hoc enim etiam verbo vsus es, tanquam figmentum fusile fieret ex forma lutea, quæ de puluere facta est) quomodo eadem manente forma, quę impressa illi est vel expressa de corpore, potest reformari ad imaginem Dei? An duas habebit imagines, à summo quidẽ Dei, ab imo autem corporis; sicut in nummo dicitur caput & nauia? An fortè dicis quòd anima ceperit imaginẽ corporis, & spiritus capiat imaginem Dei: tãquam illa contigua corpori, & ille sit Deo, ac sic ad imaginem Dei homo ille intimus, non iste interior reformetur? Sed frustra hoc dicis. Nam si & ille intimus ita est per animæ omnia mẽbra diffusus, vt illa per corporis; iam etiam ipse per animam cepit imaginẽ corporis, sicut illa

illa eum forma formauit; ac per hoc nõ habet vbi capiat imaginem Dei, manente in se ista imagine corporis; nisi quemadmodum nummus, vt dixi, aliter ex inferiore, aliter ex parte superiore formetur. Ad ista te absurda quando de anima cogitas, carnalis cogitatio corporum, velis nolis, compellit. Sed Deus, vt etiã ipse rectissimè confiteris, nõ est corpus; quomodo igitur capiat eius imaginem corpus? Obsecro te, frater, vt non conformeris huic seculo, sed reformeris in nouitate mentis tuæ, nec sapias secundum carnem, quoniam mors est.

Corpus, Dei imaginem nõ capit.

CAPVT XV.

SED, inquis, *Si anima caret corpore, quid est quod apud inferos diues ille cognoscit? Certè*, inquis, *nouerat Lazarum, non nouerat Abraham. Vnde illi tanto antè tempore defuncti Abrahæ prouenit agnitio?* Hæc dicẽs, si agnitionẽ hominis non putas prouenire sine corporis forma; vt noueris teipsum credo quòd assiduè speculum attendis, ne si fueris oblitus faciem tuam, non te possis agnoscere. Rogo te quem magis hominum nouit homo quàm seipsum, & cuius faciem potest videre minus quàm suam? Quis autem potest cognoscere Deum, quem tu quoque incorporeum esse nõ dubitas, si præter corporis formam, sicut putas, non potest cognitio prouenire, id est, si corpora possunt sola cognosci? Quis autem Christianus de tam magnis difficillimisque rebus disputans, animum in verba diuina tam negligenter intendat, vt dicat, *si incorporea est anima, necesse est careat forma*? Oblitus es te formam legisse doctrinæ? Ergo corporea est forma doctrinæ. Oblitus es scriptum esse de Christo Iesu antequam hominem fuisset indutus, quòd in forma Dei erat? Quomodo ergo dicis, *si incorporea est anima, necesse est careat forma*, cùm audias formam Dei, quem non esse corporeum confiteris, & ita loqueris tanquam forma nisi in corporibus esse non possit? Dicis etiam *cessare illic nomina, vbi non distinguitur forma, & nihil illic agere appellationem nominum, vbi nulla est designatio personarum.* Hinc volens probare Abrahæ animam fuisse corpoream, quia dici potuit pater Abraham. Iam diximus etiam vbi corpus nullum est, esse formam. Si autem appellationem nominum nihil putas agere, vbi non sunt corpora, numera ista nomina quæso te: Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, lõganimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, cõtinentia: & dic mihi vtrum res ipsas nõ agnoscas, quarum ista sunt nomina, vel sic agnoscas velut aliqua lineamenta corporum videas. Ecce vt alia taceam, dic mihi quam figuram, quæ membra, quem colorẽ charitas habeat, quæ certè, si ipse inanis non es, inane aliquid tibi videri non potest. *Cuius auxilium imploratũ est*, inquis, *corporeus vtique visus est atque formatus.* Audiant te homines, & Dei nemo imploret auxilium, quia nemo eum potest videre corporeum.

Rom. 6.

Philip. 2.

Gal. 5.

CAPVT XVI.

DENIQVE dicis, *Membra illic animæ describuntur, vt verè sit corpus:* & vis *per oculum totum caput intelligi, quia dictus est leuasse oculos suos, per linguam fauces, per digitum manum, quia dictum est, Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam.* Tamen ne per membrorum nomina de Deo tibi corporeo præscribatur, dicis *per hæc incorporeas intelligendas esse virtutes*, quia Deum rectissimè defendis non esse corporeum. Quid igitur causæ est, cur nomina ista membrorum in Deo tibi corpus non faciant, in anima faciant? An verò quando de creatura hæc dicuntur, propriè accipienda sunt; quando autem de creatore, tropicè atque translatè? Pennas itaq. corporeas daturus es nobis, quoniam non creator, sed creatura, id est, homo dicit: Si assumpsero pennas meas sicut columba. Porrò si propterea linguam habebat diues ille corpoream, quoniam dixit, refrigeret linguam meam: in nobis quoque adhuc in carne vi-

Luca 16.

Psal. 138.

A uentibus, manus habet ipsa lingua corporeas, quia scriptum est: Mors & vita in manibus linguę. Puto etiam nõ tibi videri, vel esse creaturam, vel corpus esse peccatum. Cur ergo habet faciẽm? An non audis in Psalmo, Non est pax ossibus meis, à facie peccatorũ meorum? Quòd verò *illum Abrahæ sinũ* existimas *esse corporeum, & per ipsum* asseris *totũ corpus eius agnosci*, vereor ne in re tanta iocularitèr atque irridenter, nõ seriò grauitérque agere credaris. Neq. enim vsqueadeò desiperes, vt arbitrareris corporeum sinum vnius hominis ferre tot animas, imò, vt secundum te loquar, ferre tot corpora bene meritorũ, quot illuc angeli sicut Lazarum perferũt. Nisi opinaris fortasse illam vnã animam solã, ad eundem sinum peruenire meruisse. Si non iocaris, & errare pueriliter non vis, sinũ Abrahæ intellige, remotam sedem quietis atque secretam, vbi est Abrahã. Et ideò Abrahæ dictũ, non quòd ipsius tantum sit, sed quòd ipse pater multarum gentium sit positus, quibus est ad imitãdũ fidei principatũ propositus. Sicut Deũ Abrahã, & Deũ Isaac, & Deũ Iacob, se Deus vocari voluit, cùm sit innumerabiliũ Deus.

Prou. 18.

Psal. 37.

Sinus Abrahæ quid.

Gen. 17.

Exod. 3.

B NEQVE hæc ita me disserere existimes, tanquam negem fieri posse, vt anima mortui sicut dormiẽtis, in similitudine corporis sui sentiat, seu bona, seu mala: nam & in somnis quãdo aliqua dura & molesta perpetimur, nos vtique sumus, & nisi euigilãtibus nobis illa prætereant, pœnas grauissimas pẽdimus. Sed corpora esse credere, quibus hac atq. illac quasi ferimur & volitamus in somnis; hominis est qui parum vigilanter de rebus talibus cogitauit: his quippe visorũ imaginibus, maximè anima probatur non esse corporea; nisi velis & illa corpora dicere, quæ præter nosipsos tã multa videmus in somnis, cælum, terram, mare, solẽ, lunam, stellas, fluuios, montes, arbores, animalia. Hæc qui corpora esse credit, incredibiliter desipit: sunt tamen corporibus omnino simillima. Ex hoc genere sunt etiam, quæ † alia significantia diuinitùs demonstrantur, siue in somnis, siue in ecstasi: quæ vnde fiant, id est, quænam sit velut materies eorũ, quis indagare potest aut dicere? Proculdubiò tamẽ spiritalis est, non corporalis. Namque huiusmodi species velut corporum, nõ tamẽ corpora, & vigilãtium cogitatione formantur, & profunditate memoriæ continentur, & ex eius abditissimis sinibus, nescio quo mirabili & ineffabili modo cùm recordamur prodeunt, & quasi ante oculos prolata versantur. Tam multas igitur & tam magnas corporum imagines, si anima corpus esset, capere cogitãdo vel memoria retinendo non posset. Secundum tuam quippe definitionem, *corporea substantia sua corpus hoc exterius nõ excedit.* Qua igitur magnitudine, quæ nulla illi est, imagines tam magnorũ corporum & spatiorum atq. regionum capit? Quid ergo mirũ si & ipsa sibi in sui corporis similitudine apparet, & quando sine corpore apparet? Neque enim cũ suo corpore sibi apparet in somnis, & tamẽ in ea ipsa similitudine corporis sui, quasi per ignota loca & nota discurrit, & lætà sentit multa vel tristia. Sed puto quòd nec tu audeas dicere figuram illam corporis atq. mẽbrorum, quam sibi habere videtur in somnis, verum corpus esse. Nam isto modo erit verus mõs, quem sibi videtur ascẽdere, & corporea domus, quam sibi videtur intrare; & arbor vera lignũmq. verum habens corpus, sub qua sibi videtur iacere; & aqua vera, quam sibi videtur haurire, & omnia in quibus quasi corporibus versatur, corpora erunt, si & ipsa corpus est, quæ simili imagine inter cuncta illa versatur.

al. aliqua.

CAPVT XVII.

DE conscriptis visionibus martyrum dicendum est aliquid, quoniam tu etiam inde testimoniũ adhibendum putasti. Nempe sancta Perpetua visa sibi est in somnis, cum quodam Ægyptio in virum conuersa luctari. Quis autẽ dubitet in illa similitudine corporis, animam

S. Perpetua visa sibi est in somnis cum quodã Ægypto in virum conuersa luctari.

animam eius fuisse non corpus, quod vtique in suo feminco sexu manens, sopitis sensibus iacebat in stratis, quando anima eius in illa virilis corporis similitudine luctabatur? Quid hic dicis? Verúmne erat corpus illã viri similitudo, an non erat corpus, quamuis haberet similitudinẽ corporis? Elige quid velis. Si corpus erat, cur non seruabat vaginæ suæ formam? Neq. enim in illius feminę carne virilia repererat genitalia, vnde ita posset sese coarctãdo, &, vt tu loqueris, *gelando* formari. Deinde obsecro te, cùm corpus dormientis adhuc viueret, quando eius anima luctabatur, in sua vagina erat, vtique omnibus membris viuẽtis inclusa, & in eius corpore suã formã, de quo fuerat formata, seruabat: nondum quippe artus illos, sicut fit in morte, reliquerat, nõdum membra ex membris formata ex formãtibus cogẽte vi mortis extraxerat: vnde igitur erat virile animæ corpus, in quo sibi luctari cum aduersario videbatur? Si autem nõ erat corpus, & tamen erat aliquid simile corporis, in quo sanè verus labor aut vera lætitia sentiretur, iámne tandem vides, quemadmodum fieri possit, vt sit in anima similitudo quædã corporis, nec ipsa sit corpus? Quid si tale aliquid apud inferos geritur, & in eis se nõ corporibus, sed corporũ similitudinibus animæ cognoscunt? Cùm enim tristia patimur, quamuis in somnis, & si membrorum corporeorum sit illa similitudo, non membra corporea, non est tamẽ pœnæ similitudo, sed pœna: sic etiam vbi læta sentiuntur. Sed quoniam sancta Perpetua nondum erat mortua, non vis hinc tibi fortasse præscribi, cùm valde ad rem pertineat, cuius esse naturæ existimes illas similitudines corporum quas habemus in somnis; & tota causa ista finita sit, si eas & similes corporibus, & non esse corpora cõfiteris. Verũtamen Dinocrates frater eius mortuus erat, hunc vidit cum illo vulnere quod viuus habuit, & vnde est perductus ad mortem. Vbi est quod tãtis conatibus laborasti, cùm ageres de præcisione membrorũ, ne simul cõcidi anima putaretur? Ecce vulnus erat in anima Dinocratis, quòd eam vi sua, quando erat in eius corpore, exclusit è corpore. Quomodo ergo anima secundum tuam opinionem, *quando membra corporis præciduntur, ab ictu se subtrahit, & in alias partes densando se colligit, ne aliqua pars eius vulnere corporis amputetur*, etiam si dormienti atq. nescienti membrorum aliquid præcidatur? Tantã quippe illi tribuisti vigilantiã, vt etiam visis occupata somniorum, si plaga irruerit ignoranti, qua caro feriatur, se illa prouidẽter pernicitérq. subducat, ne possit feriri atq. vexari siue cõcidi: nec attendis homo prudens, quòd si se anima inde subduceret, nec illa percussio sentiretur. Sed inueni quod potueris, quid inde respõdeas, quomodo anima partes suas arripiat & recondat introrsus, ne vbi præciditur seu percutitur corporis membrum, amputetur & ipsa atq. vexetur. Dinocratem aspice, & dic cur eius anima non se subtraxerit ab eo corporis loco, qui mortifero vulnere vastabatur, ne in illa fieret quod in eius facie etiam post mortem ipsius corporis appareret? An fortè etiam tibi placet, vt istas potius similitudines corporum quàm corpora esse credamus, vt quomodo apparet quasi vulnus, quod non est vulnus; ita quod non est corpus, quasi corpus appareat? Nam si anima vulnerari potest ab eis qui vulnerant corpus, nihilne metuẽdum est, ne possit occidi ab eis qui occidũt corpus? Quod Dominus apertissimè fieri non posse testatur. Et tamen anima Dinocratis mori nõ potuit, vnde corpus eius est mortuum: & quasi vulnerata visa est, sicut corpus fuerat vulneratum, quoniam corpus non erat, sed habebat in similitudine corporis etiam similitudinem vulneris. Porrò autem si in non vero corpore vera miseria fuit animæ, quæ significabatur adumbrato corporis vulnere, de qua sororis sanctæ orationibus meruit li-

A berari; iam illud quale est, dicere quòd *anima formam de corpore accipiat, & cum incremento corporis protendatur & crescat?* Et non attendis quàm monstruosa euadat anima iuuenis siue senis, si eius brachium præcidatur infantis. *Contrahit enim se*, vt dicis, *animæ manus, ne ipsa etiam cum manu corporis amputetur, & in alias se partes corporis densando concludit.* Ac per hoc illud animæ brachium quàm breue corporis fuit vndẽ cœperat formam; tam breue seruabitur vbicunque seruetur; quia perdidit formam, cuius incremento posset pariter crescere. Exit ergo anima iuuenis aut senis, qui manũ, cùm esset paruus, amisit, habẽs quidem duas manus, quia vna refugiens non est amputata cum corpore, sed alteram iuuenilem vel senilem, alteram verò sicut primùm fuerat, infantilem. Tales animas, crede mihi, non forma corporis facit, sed erroris deformitas fingit. Non mihi videris ab isto errore posse erui, nisi Deo adiuuante diligenter consideraueris visa somniantium, & inde cognoueris esse quasdam quę non sint corpora, sed similitudines corporum. Quamuis enim & ea quæ similia corporibus cogitamus, ex eo genere sint, tamẽ, quod ad mortuos attinet, aptior coniectura de dormientibus ducitur. Neque enim frustra eos, qui mortui sunt, appellat sancta scriptura dormientes, nisi quia est quodammodo consanguineus lethi sopor.

B

1 Thess. 4.

Virg. Aeneid. 6.

CAPVT XIX.

PROINDE si anima corpus esset, & corporea esset figura in qua se videt in somnis, eo quòd de corpore eius fuisset expressa, nullus hominum mẽbro corporis amputato, sicut eo caret, ita sine illo se videret in somnis, sed potius semper integrum, eo quòd animæ ipsius nihil fuerit amputatum. Cùm verò aliquãdo se integros videant, aliquando autem sicut sunt, ex quacunque parte truncatos, quid aliud ista res docet, nisi animam sicut aliarum rerum quas sentit in somnis, ita & corporis, modò sic, modò sic, non veritatem C sed similitudinem gerere? Gaudium verò eius siue tristitia, delectatio vel offensio, siue sit in corporibus, siue in corporũ similitudinibus, vera est. Tu ipse nõne dixisti, verèque dixisti, *alimenta & vestimenta non esse animæ, sed corpori necessaria?* Cur ergo aquæ stillam desiderauit apud inferos diues? Cur Samuel sanctus post mortem, vt ipse quoque commemorasti, † solito vestimento vestitus apparuit? Nunquid ille ruinas animæ, sicut carnis, per humoris alimentum reficere cupiebat? Nunquid iste de corpore vestitus exierat? Sed in illo vera erat molestia qua cruciabatur in anima; non tamen verum corpus, cui quæreret alimenta. Et iste sic potuit apparere vestitus, vt non corpus esset, sed similitudinem corporis haberet & anima & habitus. Neque enim se anima sicut in membra corporis, ita & in vestimenta porrigit & coarctat, vt etiã inde formetur. Post mortem verò quam vim cognitionis corruptibilibus exoneratæ corporibus animæ accipiant etiam non bonæ, vt vel pariter malas, vel etiam bonas valeant interioribus sensibus intuiri & cognoscere, siue in ipsis non corporibus, sed similitudinibus corporum, siue in bonis aut in malis affectionibus mentis, in quibus nulla sunt quasi lineamenta membrorum, quis valeat indagare? Vnde est & illud, quòd patrem Abraham diues ille, cùm in tormentis esset, agnouit, cui figura corporis eius non erat nota; cuius corporis similitudinem quamuis incorpoream potuit anima retinere. Quis autem rectè dicat se aliquem hominẽ cognouisse, nisi inquãtum potuit eius vitam voluntatémque cognoscere, quæ vtique moles non habet vel colores? Sic enim & nosipsos certius quàm ceteros nouimus, quia nobis conscientia nostra nota est & voluntas; quam planè videmus, & in ea tamen aliquam corporis similitudinem non videmus. Hanc in alio quamuis præsente non cernimus, etiam

Luca 16.

1 Reg. cd. 28.

al. solido.

Luca 16.

D

cuius absentis faciē nouimus, recolimus, cogitamus. Nostram verò faciem eo modo nosse, recolere, cōgitare non possumus; & tamen nosipsos nobis magis quàm illum cognitum verissimè dicimus: ita clarum est, vbi sit potior hominis veriórque notitia.

CAPVT XX. CVM ergo aliud sit in anima, quo corpora vera sentimus, quod facimus quinque sensibus corporis; aliud quo præter ipsos similia corporibus non corpora cernimus, vbi & nosipsos non aliter quàm similes corporibus contuemur: aliud quo nec corpora nec similitudines corporum, sicut fidem, spem, charitatem, sine vllis coloribus & tumoribus eorúmque similitudinibus, certius sanè firmiúsque conspicimus; vbi magis esse & quodammodo familiarius habitare debemus, vbi renouari in agnitionem Dei, secundum imaginē eius qui creauit nos, nónne in hoc quod tertio loco posui? Ibi enim certè neque vllum sexum, neque vllā sexus similitudinem gerimus. Nam illa masculinę vel femininæ animæ forma, membris virilibus muliebribúsque distincta, si non corporis similitudo, sed corpus est, velis nolis est masculus, velis nolis est femina, quęcunque aut masculus apparet aut femina. Sed tamen secundum tuam opinionem & corpus est anima, & viuum corpus est, & habet mammas protumidas & propendulas, & non habet barbam, & habet vuluam & genitalia quæ habent feminæ corporis membra, & non est femina. Ergóne non dicam vera constantius, & habet oculum, & habet linguam, & habet digitū, & habet cætera similia corporis membra, & hæc tota est corporis similitudo, non corpus: cùm hoc quod ego dico probet apud se quisque, cùm corpora imaginatur absentium; probet certè, cùm figuras & suam & alias suorum recolit somniorum: à te autem huius monstri, vbi & verum est & viuum est, & femineum corpus est, & femineus non est sexus, nullum in natura rerum proferatur exemplum? Quod enim de phœnice loqueris, ad rem de qua agitur omnino non pertinet. Resurrectionem quippe illa significat corporū, non sexum destruit animarum; si tamen, vt creditur, de sua morte renascitur. Sed arbitror quòd tuum sermonem parum putaueris fore plausibilem, si nō multa de phœnice more adolescentium declamares. Nūquid enim sunt in eius corpore genitalia masculina, & non est masculus; vel feminina, & non est femina? Tu autem attende quid dicas, quid astruere, quid persuadere coneris. Animam dicis per cuncta mēbra diffusam gelādo riguisse, & à vertice vsque ad ima vestigia, ā medullis intimis vsque ad superficiem cutis, totam totius accepisse corporis formam: ac per hoc accepit in femineo corpore quicquid habēt femineorū viscerum feminæ, & verū hoc est corpus, & hæc vera sunt membra, & tamen non est femina. Cur obsecro te, in vero & viuo corpore omnia sunt membra feminea, & nō est femina? In vero & viuo corpore membra sunt masculina, & non est masculus? Quis ista credere, dicere, docere præsumat? An quia non generāt animę? Ergo nec muli & mulæ sunt masculi & feminæ. An quia nec concumbere poterunt sine carneis corporibus animæ? Sed hoc aufertur & his qui castrantur. Et tamen cùm eis adimatur & opus & motus, nō adimitur sexus, figura quantulacunque masculinorum manēte membrorum. Nemo vnquam masculū negauit eunuchum. Quid quòd apud te animæ etiam eunuchorum testes integros habent, & si cuiquam genitalia prorsus tota tollantur, tota in eius anima secundū opinionem tuam, & omnino integra permanebunt? Nouit enim se subtrahere, sicut dicis, cùm ea pars carnis cœperit execari, vt ea forma quæ inde sumpta est, quando illud vnde sumpta est amputatur, non pereat, sed quamuis infusa gelauerit, motu tamen celerrimo rapiatur, & interius recōdatur vt salua seruetur. Et tamen nō sit masculus apud inferos, masculinorum genitalium secum auferens totum, qui cùm illa in corpore non haberet, masculus fuit propter eorum solū locum. Falsa sunt hæc fili: si non vis vt sit in anima sexus, non sit & corpus.

Fidem, spem, & charitatem in corde nostro conspicimus.

Phœnix de sua morte renascens, resurrectionis corporum typum gerit.

CAPVT XXI. NON omnis similitudo corporis corpus est: Dormi & videbis; sed cùm euigilaueris, vigilāter discerne quod videris. In somnis enim tibi velut corporeus apparebis. Neque id corpus tuū, sed anima tua, nec verū corpus, sed similitudo corporis erit. Iacebit enim corpus tuū, ambulabit ipsa. Silebit lingua corporis tui, loquetur illa. Clausi erūt oculi tui, videbit illa. Et vtique viuentia iacebūt tui corporis mēbra, non mortua. Ac per hoc nondū extracta est velut de vagina sua, gelata illa forma sicut putas animæ tuæ, & in ea tamen tota atque integra cernitur similitudo carnis tuæ. Ex hoc genere similitudinū corporaliū, quæ nō corpora sicut corpora apparent, sunt omnia quę sanctos libros legēs in propheticis etiam visionibus non intelligis: quibus significantur ea quæ gerūtur in tēporibus, vel præsenti, vel præterito, vel futuro. Falleris autē in eis, nō quia sunt ipsa fallacia, sed quia non ea sicut accipiēda sunt accipis. Vbi enim visæ sunt animæ martyrū, in eadem reuelatione visus est & agnus quasi occisus, habens cornua septē. Ibi equi, aliáq. animalia, sicut oportuit figurata. Ibi postremò & stellę ceciderunt, & cælū plicatū est vt liber, nec tamen tunc concidit mūdus. Ista itaque omnia si sapienter accipimus, quāuis dicamus visa veracia, non tamen vera dicimus corpora. Prolixioris autem sermonis est, de isto genere similitudinū corporalium diligentissima disputatio, vtrū & angeli, seu boni, seu mali sic appareant, quando specie hominum, vel quorūlibet corporum apparent, an habeant aliqua vera corpora, & in ipsorum potius veritate videantur; an verò in somnis vel in ecstasi, in istis cernātur non corporibus, sed similitudinibus corporum, vigilantibus autem vera cernenda, & si opus est, etiam tangenda ingerāt corpora. Sed ista in hoc libro requirenda & pertractanda esse non arbitror. Nunc de anima incorporea satis dictum sit. Quam si corpoream mauis credere, prius tibi definiendum est quid sit corpus: ne fortè cùm de re ipsa inter nos cōstet, incassum de nomine laboremus. Quanta te tamen absurda secuta sint tale corpus in anima cogitantem, qualia sunt quæ ab omnibus eruditis corpora nūcupantur, id est, quæ per distantiam longitudinis, latitudinis, altitudinis, locorum occupant spatia, minora minoribus sui partibus, & maiora maioribus, puto quòd iam prudenter aduertas.

Visiones propheticæ.

Apoc. 6. ibid. 5. Cap. 6. & 9.

Visa veracia non vera corpora.

CAPVT XXII. RESTAT ostendere quemadmodū, quāuis & propriè dicatur spiritus, non vniuersa anima, sed aliquid ipsius, sicut Apostolus dicit, & integer spiritus vester, & anima & corpus: vel illud multo expressius in lib. Iob: Absoluisti animā meam à spiritu meo: tamen & vniuersa anima appelletur hoc nomine, quāuis multo magis hæc quæstio nominū videatur esse, non rerum. Cùm enim cōstet esse aliquid in anima, quòd propriè spiritus nominetur, quo excepto propriè nominatur & anima, iam de rebus ipsis nulla cōtentio est; præsertim quia illud etiam ego dico propriè vocari spiritū, quod & tu dicis, id est, quo ratiocinamur & intelligimus, quando ita distinctè ista dicuntur, quemadmodū Apostolus ait: Et integer spiritus vester & anima & corpus. Hunc autem spiritū etiam mentē videtur appellare, cùm dicit: Mente seruio legi Dei, carne autē legi peccati. Nā ipsa sententia est: Et caro concupiscit aduersus spiritū, & spiritus aduersus carnem: vt quod ibi dicit, mentem; hoc intelligatur hic spiritum dicere: non sicut existimas *vniuersam mentem vocari, quæ constat ex anima & spiritu*, quod vbi legeris, nescio. mētem quippe nostram, nisi rationale & intellectuale nostrum

Tranſit ad ſecundam quæſtionem de anima, vtrum ſpiritus appelletur.

1 Theſſ. 5. Iob 7. ſecund. 70.

Quid propriè in homine ſpiritus.

Rom. 7. Gal. 5.

Mens quid.

le nostrum dicere non solemus, ac per hoc quod ait idem Apostolus, Renouamini autem spiritu mentis vestræ; quid aliud dicit, nisi renouamini mente vestra? Sic enim spiritus mentis nihil est aliud quàm mens, quomodo corpus carnis nihil aliud potest esse quàm caro: nam & hoc scriptum est, In expoliatione corporis carnis, vbi carnem corpus carnis appellat. Dicit sanè & alio modo spiritum hominis, quem prorsus à mente discernit. Si enim orauero lingua, inquit, spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est. Verùm nunc non de isto spiritu loquimur, qui à mente distinctus est. Habet iste suam eandemque difficilem quæstionem. Multis enim modis atque in diuersis significationibus scripturæ diuinæ spiritum nominant. Sed de quo nunc agimus, quo ratiocinamur, intelligimus, sapimus; constat inter nos sic eum etiam propriè spiritum nuncupari, vt non sit vniuersa anima, sed aliquid eius. Tamen animam etiam spiritum esse si propterea negas, quia eius intelligentia distinctè dicitur spiritus; poteris negare vniuersum semen Iacob appellari Israël, quoniam, excepto Iuda, etiam distinctè appellatus est Israël in tribubus decē, quæ in Samaria tunc fuerunt. Sed quid opus est hîc diutius immorari?

Ephes. 4.

Spiritus mentis quid. Coloſſ. 2. Corpus carnis qui.

1. Cor. 14.

3 Reg. 12.

CAPVT XXIII. IAM nunc vnde faciliùs ostendamus, attende eam quę anima est, etiam spiritum dici, cùm audis vel legis Domino moriēte, quod scriptū est, Et inclinato capite tradidit spiritum: ita vis intelligi, tanquam à parte significauerit totum, non quòd ea quæ anima est, possit & spiritus nūcupari. At ego vt possim expeditiùs probare quæ dico, teipsum testem citius & commodiùs adhibebo. Sic enim spiritum definisti, vt pecora appareant non spiritum, sed animam habere. Irrationalia quippe ideo dicuntur, quòd vim non habeant intelligentiæ atque rationis. Vnde cùm hominem ipsum admoneres suam nosse naturam, ita locutus es: *Nam cùm Deus bonus nihil non ratione condiderit, ipsumq; hominem animal rationale, intellectus capacem, rationis compotem, sensuq; viuacem, qui omnia rationis expertia prudēti ordinatione distribuat, procreauerit.* His tuis verbis satis asseruisti, quod omnino verissimū est, hominem esse cōpotem rationis, atque intelligentiæ capacem, quod vtique non sunt animalia rationis expertia. Vnde & testimonio diuino eos qui non intelligunt, pecoribus comparasti, non vtique habentibus intellectum. Quod & alio loco scriptum est, Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Quæ cùm ita sint, attende etiam quibus verbis spiritum definieris atque descripseris, cùm illum ab anima distinguere nitereris. *Hæc anima*, inquis, *quæ ex flatu Dei habet originem, sine sensu proprio atque intellectu intimo esse non potuit, quod est spiritus.* Et paulo pòst: *Et quamuis anima*, inquis, *animet corpus, tamen quòd sentit, quòd sapit, quòd viget, spiritus sit necesse est.* Item paulo pòst: *Aliud erit*, inquis, *anima, & aliud spiritus, sapientia & sensus animæ.* His verbis satis indicas, quid esse spiritum hominis sentias, id est, rationale nostrum quo sentit atque intelligit anima; non sicut sentit corporis sensibus, sed sicut est ille intimus sensus, ex quo est appellata sententia. Hinc autem pecoribus sine dubitatione præponimur, eo quòd sunt illa rationis expertia. Non habent itaque spiritum pecora, id est, intellectum, & rationis ac sapientiæ sensum, sed animam tantùm. Nam & de illis dictum est: Producant aquæ repentia animarum viuentium, & producat terra animam viuentem. Vt ergo plenissimè ac planissimè noueris eam quæ anima est, more diuinorum eloquiorum etiam spiritum dici, appellatur pecoris spiritus. Et vtique non habent pecora illum spiritū, quem tua dilectio discernēs ab anima definiuit. Vnde manifestum est, quòd generali vocabulo anima pecoris rectè potuit sic vocari, sicut legitur in

Genes. 1.

Etiam pecorū animas Scriptura spiritus appellat.

libro Ecclesiastæ: Quis scit, spiritus filiorum hominis si ascēdat ipse sursum, & spiritus pecoris si descendat ipse deorsum in terram? Itemque in diluuij vastitate ita scriptum est: Et mortua est omnis caro, quæ mouebatur super terram, volatilium, pecorum, & iumentorū, & ferarū, & omnis serpens qui mouetur super terram, & omnis homo, & omnia quæcunque habent spiritum vitæ. Vbi remotis omnibus dubitationis ambagibus, generale nomen animæ esse intelligimus spiritum. Cuius quidem nominis significatio tam latè patet, vt etiam Deus vocetur spiritus. Et iste flatus aēreus quāuis sit corporeus, appellatur in Psalmo spiritus tempestatis. Quapropter & eam, quæ anima est, etiam spiritum nuncupari puto, quòd admonitus his, quæ commemoraui, diuinarū testimoniis paginarum, vbi & anima pecoris, cui non est intellectus, appellata legitur spiritus, non negabis vlteriùs. Quocirca si & illa quæ de anima incorporea disputata sunt, capis & sapis, non est vnde tibi displiceam, quòd eam me scire dixi non corpus esse, sed spiritum: quia & corpus non esse monstratur, & generali nomine spiritus nuncupatur.

Eccles. 3. Genes. 8. Ioann. 4. Psal. 54.

CAPVT XXIIII. Cōclusio, qua vndecim vmentij errores iterū repetit. Verba iam habes suprà lib. 2. cap. 16. Cap. vltimo.

QVAMOBREM si hos ad te libros impensa dilectione conscriptos, repensa dilectione sumis & legis; si in principio primi tui libri audis & teipsum, *& studes*, sicut dixisti, *tuam sententiam non tueri, si improbabilis detegatur*: illa præcipuè vndecim caue de quibus te in libro superiore commonui. Ne *animā sic dicas ex Deo, vt eam non de nulla, nec de alia, sed de sua natura creauerit: Aut quòd per infinitum tempus, atque ita semper animas det, sicut semper est ipse qui dat: Aut animam meritum aliquod perdidisse per carnem, quod habuerit ante carnem: Aut animam per carnem reparare habitudinem priscam, pérque ipsam carnem renasci, per quam meruerat inquinari: Aut quòd anima ante omne peccatum meruerit esse peccatrix: Aut infantes sine regeneratione baptismatis mortuos, ad indulgentiam peruenire originalium peccatorum: Aut quos Dominus prædestinauit ad baptismū, prædestinationi eius eripi posse, & antè defungi, quàm in eis quod omnipotens prædestinauit impleri: Aut de his qui priusquam baptizentur expirant, dictum esse quod scriptum est: Raptus est ne malitia mutaret illius intellectum;* atque ad hunc sensum cætera pertinentia: *Aut earum aliquas mansiones extra regnum Dei esse, quas multas dixit in domo patris sui Dominus esse: Aut sacrificium corporis & sanguinis Christi, pro his qui non baptizati de corpore exierint, offerendum: Aut aliquos eorum qui sine baptismate Christi moriūtur, in paradisum interim recipi, ac postmodum & regni cælorum beatitudinem consequi.* Hæc præcipuè caue fili, nec cognominari Vincentius delecteris, si vis esse victor erroris. Nec te quando aliquid nescis, existimes scire; sed vt scias, disce nescire. Neque enim aliquid in occultis Dei operibus ignorando, sed temerè incognita pro cognitis astruendo, & falsa pro veris proferendo ac defendendo, peccatur. Ignorātiam verò meam, vtrum animę hominum nouæ fiant, an de parentibus, (quas tamē à creatore Deo non de ipsius substantia fieri dubitare fas non est) aut non debere reprehendi, aut ab eo debere, à quo potest docēte auferri: & habere in se animas corporum similitudines incorporeas: ipsas autem non esse corpora: & salua distinctione animæ & spiritus, etiam vniuersaliter animam spiritum nuncupari, puto quòd persuaserim charitati tuę. Si autem persuadere non potui, vtrū tamen ea dixerim quæ persuadere debuerim, qui legēte potius iudicabunt. Si qua sanè alia quæ plurima in tuis libris emendanda mihi videntur, scire fortè desideras, venire tibi non sit onerosum; non tanquam discipulo ad magistrum, sed primæuo ad grandæuū, forti ad infirmū. Et si enim non eos edere debuisti, maiore tamē & veriore gloria quisque correctus sua confessione reprehen-

Ecclesi. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Sapient. 4. 9. 10. 11.

prehenditur, quàm cuiuslibet errantis ore laudatur. Quamuis in eorundem recitatione librorum auditores & laudatores tuos non omnes ista quæ sana doctrina improbat, vel antè sensisse, vel ad ea tibi consensisse crediderim: sed acie mentis, ipso tuæ recitationis impetu cursuque perstricta, hæc parum aduertere potuisse; aut certè etiam illos qui aduertere potuerunt, non in te rerum liquidissimam veritatem, sed verborum affluentiam, & ingenij facultatem indolemque laudasse. Plerunque enim laudatur, prædicatur & amatur eloquium in spe iuuenis; etsi nondum habeat maturitatem fidemque doctoris. Quapropter vt & tu rectè sapias, & alios non tantummodo delectare possit, verumetiam ædificare quod loqueris; curam te oportet gerere de sermonibus tuis, remotis plausibus alienis.

LIBRI QVARTI ET VLTIMI DE ANIMA ET EIVS ORIGINE FINIS.

DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

AD EVTROPIVM ET PAVLVM EPISCOPOS, LIBER DE PERFECTIONE IVSTITIÆ HOMINIS, CONTRA CELESTII DEFINITIONES SEV RATIOCINATIONES.

AD LECTOREM.

Libro contra Collatorem, cap. 43.

MOLVMINIS *huius beatus Augustinus in Retractationum libris non meminit, ideo fortasse quòd inter epistolas habuerit. Nam nisi fallitur Prosper, scriptū fuit non solùm ante libros de Prædestinatione sanctorum, & perseuerātia dono, verumetiam ante librum De correptione & gratia, cuius tamen in Retractationibus diserte mentionem facit; non taciturus sanè nec de altero, si eum inter libros reposuisset. Errant autem qui Augustinum eius meminisse arbitrantur in exordio libri De Spiritu & litera: agit enim ibi de secundo libro De peccatorum meritis & remissione; cuius idem est quidem argumentum, sed quem se ait ad ipsum elaborasse Marcellinum, cùm alter ille scriptus sit Paulo & Eutropio Galliarum episcopis. Esse tamen Augustini nihil dubium est: nam præter Prosperi authoritatem, citat eundem frequenter & Beda in suis super Pauli epistolas collectaneis. Refellit autem hic Augustinus quasdam Celestij argutias seu ratiocinationes, quibus adstruere conabatur, posse nos in hac corruptibili vita ad eam venire iustitiæ perfectionem, vt sine omni prorsus viuamus peccato: ostendens neminem id vnquam assecutum, vel assecuturum, ne per gratiam quidem quam Deus hic præcipuis etiam sanctis suis præstare sit solitus; cùm Pelagius & Celestius libero id etiam tribuerent arbitrio. Cæterùm ordinis rationem in Scholiis redditam inuenies.*

Lib. 2. ca. 67.

CAPVT PRIMVM.

SANCTIS fratribus & coepiscopis, Eutropio & Paulo Augustinus. Charitas vestra, quæ in vobis tanta est, & tam sancta, vt etiam iubenti seruire delectet, petiuit vt definitionibus, quę dicuntur Celestij esse, respondeam. Sic enim prænotata est eadem chartula quam dedistis, *Definitiones, vt dicitur, Celestij*: quæ prænotatio credo, quòd non illius, sed eorum sit qui hoc attulerunt de Sicilia, vbi Celestius non esse perhibetur. Sunt enim multi talia garrientes, &, sicut ait Apostolus, ipsi errantes, & alios in errorem mittentes: ex illius tamen hæc esse doctrina vel etiam quorundam sectatorum eius, & nos possumus arbitrari. Nam neque istæ breues definitiones, vel potius ratiocinationes ab illius abhorrent ingenio, quod in opere alio eius inspexi, cuius eum esse constat authorem: & non frustra istos fratres qui hæc attulerunt, in Sicilia existimo audisse, quòd ipse docuerit ista vel scripserit. Vellem autem si possem, ita obtemperare vestræ fraternæ beneuolentiæ, vt etiam ego tam breuiter respon-

2. Timoth. 3.

B derem. Sed nisi & illa commemorem quibus respondeo, quis poterit quemadmodum responderim iudicare? Conabor tamen quantum valuero, adiuuantibus me apud Domini misericordiam etiam orationibus vestris, vt non vltra quàm necesse est meus sermo procurrat.

CAPVT II. Ratiocinatio prima.

ANTE *omnia*, inquit, *interrogandus est qui negat hominem sine peccato esse posse; quid sit quodcunque peccatum, quod vitari potest, an quod vitari non potest. Si quod vitari non potest, peccatum non est: si quod vitari potest; potest homo sine peccato esse, quod vitari potest. Nulla enim ratio vel iustitia patitur saltem dici peccatum, quod vitari nullo modo potest.* Respondemus, vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Intantum enim sana non est, inquantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet; dum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ vult homo faciat.

Galat. 5.

C *Iterum*, ait, *quærendum est, peccatum voluntatis, an necessitatis est? Si necessitatis est, peccatum non est: si voluntatis est, vitari potest.* Respondemus quod suprà; & vt sanemur inuocamus eum, cui dicitur in Psalmo, De necessitatibus meis educ me. *Iterum*, inquit, *quærendum est, quid sit peccatum; naturale an accidens. Si naturale, peccatum non est: si autem accidens est, & recedere potest; & quod recedere potest, vitari potest; & quod vitari potest, potest homo sine eo esse quod vitari potest.* Respondetur, naturale non esse peccatum; sed naturæ, præsertim vitiatæ, vnde facti sumus natura filij iræ: parumque esse ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adiuta sanetur gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. *Iterum*, ait, *quærendum est, quid est peccatum; actus an res. Si res est, necesse est vt authorem habeat; & si authorem habere dicitur, iam alter præter Deum rei alicuius author induci videbitur: at si hoc dici impium est, confiteri necesse est peccatum omne actum esse, non rem. Si igitur actus est, imò quia verè actus est, vitari potest.* Respondemus, peccatum quidem actum dici & esse, non rem. Sed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus est, non res. Quoniam res, pes ipse vel corpus vel homo est, qui pede vitiato claudicat, nec tamen vitare potest homo claudicationem, nisi habeat sanatum pedem. Quod etiā in interiore homine fieri potest, sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Ipsum sanè vitium quo claudicat homo, nec pes est, nec

Ratiocinat. 2.

Psal. 24.

Ratiocinat. 3.

Ephes. 2.

Ratiocinat 4.

nec corpus, nec homo, nec ipsa claudicatio; quæ vtiq. non est quando non ambulat, cùm tamen insit vitium quo fit claudicatio quando ambulat. Quærat ergo quod eidem vitio nomen imponat; vtrum rem velit dicere, an actum, an rei potius qualitatem malam, qua deformis actus existit. Sic & in homine interiore animus res est, rapina actus est, auaritia vitium est; id est, qualitas secundū quam malus est animus, etiā quando nihil agit vnde auaritiæ suæ seruiat, etiam quando audit, Non concupisces; séque vituperat, & tamē auarus manet; sed per fidem renouatur; id est, sanatur de die in diem, nec tamen nisi gratia Dei per Iesum Christū Dominum nostrum.

Exod. 20.

1 Cor. 4.

CAPVT III. Ratiocin. 5.

ITERVM, inquit, *quærendum est; vtrúmne debeat homo sine peccato esse. Proculdubiò debet. Si debet, potest; si non potest, ergo nec debet. Et si non debet homo esse sine peccato, debet ergo cum peccato esse, & iam peccatū non erit, si illud haberi debere constiterit. Aut si hoc etiam dici absurdū est, consiteri necesse est, debere hominem sine peccato esse, & cōstat eum non aliud debere quàm potest.* Respondetur eadē similitudine qua superiùs iam respōdimus. Cùm enim videmus claudum qui sanari potest, rectè vtique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione: & si debet, potest: nec tamen cùm vult continuò potest, sed cùm fuerit adhibita curatione sanatus, & medicina adiuuerit voluntatem. Hoc fit in interiore homine, quod ad peccatum attinet tanquam ad eius claudicationem, per eius gratiam, qui venit non vocare iustos, sed peccatores: quia nō est opus sanis medicus, sed malè habentibus. *Iterum*, ait, *quærendum est; vtrum præceptum sit homini sine peccato esse. Aut enim non potest, et præceptum non est: aut quia præceptum est, potest. Nam cur præciperetur, quod fieri omnino non posset?* Respondetur: Consultissimè homini præcipi, vt rectis passibus ambulet, vt cùm se nō posse perspexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem, gratia Dei est per Iesum Christū Dominum nostrum. *Iterum*, ait, *quærendū est; an velit Deus hominem sine peccato esse. Proculdubio vult, & proculdubiò potest. Quis enim tam demens est, vt vel dubitet fieri posse quod Deum velle non dubitat?* Respondetur: Si nollet Deus hominem sine peccato esse, non mitteret filium suū sine peccato, qui sanaret homines à peccatis. Hoc fit in credentibus & proficientibus renouatione interioris hominis de die in diem, donec fiat perfecta iustitia tanquam sanitas plena. *Iterum*, ait, *quærendum est: quomodo vult Deus hominem esse; cum peccato, an sine peccato? Proculdubiò non vult esse cum peccato. Quanta hæc impietatis blasphemia sit, cogitandum est, vt dicatur hominem posse esse cum peccato, quod Deus non vult; & negetur posse esse sine peccato, quod Deus vult: quasi aliquem ad hoc Deus creauerit vt posit esse quod nolit, & non posit esse quod velit, & vt contra suam magis quàm vt secundum suam existeret voluntatem.* Iam superiùs responsum est; sed addendum video, quòd spe salui facti sumus. Spes autem quę videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Tunc ergo erit plena iustitia, quando plena sanitas; tunc plena sanitas, quando plena charitas. Plenitudo enim legis charitas. Tunc autem plena charitas, quando videbimus eum sicuti est. Neque enim erit quod addatur ad dilectionē, cùm fides peruenerit ad visionem.

Matth. 9.

Ratiocin. 6.

Ratiocin. 7.

Ratiocin. 8.

Rom. 8.

Rom. 13.
1 Ioan. 3.

CAPVT IIII. Ratiocin. 9.

ITERVM *quærendum est*, inquit, *per quid efficitur homo cum peccato, per naturæ necessitatem, an per arbitrij libertatem? Si per naturæ necessitatem, culpa caret; si per arbitrij libertatem, quærendum est à quo ipsam arbitrij libertatem acceperit: proculdubiò à Deo. Deus autem quod dedit, certè bonum est, negari enim non potest. Qua igitur ratione bonum probatur, si magis ad malum quàm ad bonum pronū est? Magis enim ad malum quàm ad bonum pronum est, si homo per illud potest esse cum peccato, & non potest esse sine peccato.* Respondetur: Per arbitrij libertatem factum vt esset homo cum peccato, sed iam pœnalis vitiositas subsecuta, ex libertate fecit necessitatē. Vnde ad Deū fides clamat, De necessitatibus meis educ me: Sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere; vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credētibus à liberatore promittitur: Si vos, inquit, filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. Hinc alia scriptura dicit, A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Sicut ergo non est opus sanis medicus, sed malè habentibus; ita non est opus liberis liberator, sed seruis, vt ei dicat gratulatio libertatis, Saluasti de necessitatibus animam meam. Ipsa enim sanitas est vera libertas, quæ non perisset, si bona permansisset voluntas. Quia verò peccatiit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est permaneat beatè viuendi voluntas; ita vt sit etiam bene viuendi & nunquam peccandi voluntaria felíxque necessitas. *Proinde*, inquit; *Deus bonum hominem fecit, & præterquam quòd illum bonum fecit, bonum ei insuper vt faceret imperauit. Quàm impium, vt confiteamur hominem malum esse, quod nec factus est, nec ei præceptum est; & negemus eum bonum posse esse, quod factus est; & quod ei vt faceret imperatum est.* Respondemus: Quia ergo non seipse homo, sed Deus bonum hominem fecit, Deus eum, non seipse vt sit bonus reficit, dum volentem, credentem, inuocantem liberat à malo, quod sibiipse fecit. Hoc autem fit, dum gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum renouatur homo interior de die in diem, vt ad sempiternam, non pœnam, sed vitam resurgat homo exterior in nouissimo die.

Psal. 24.

Ioan. 8.

2 Pet. 2.

Matth. 9.

Psal. 30.

Peccantes secuta est peccatum habendi dura necessitas.

Ratiocin. 10.

CAP. V. Ratiocin. 11.

ITERVM, ait, *quærendum est; quot modis constat omne peccatum? Duobus, ni fallor; si aut illa fiant quæ prohibentur, aut illa non fiant quæ iubentur. Tam certè omnia illa quæ prohibita sunt, vitari possunt, quàm quæ præcepta sunt, perfici. Nam frustra aut prohiberetur aut iuberetur, quod vel caueri vel impleri non posit. Et quomodo negabimus posse esse hominem sine peccato; cùm consiteri necesse sit, eum tam omnia illa quæ vetātur posse cauere, quàm quæ imperantur efficere?* Respondetur, Multa esse in Scripturis sanctis diuina præcepta, quæ omnia commemorare nimis operosum est. Sed Dominus qui verbū consummans, & breuians fecit super terram, in duobus præceptis dixit legem prophetásque pendere; vt intelligeremus quicquid aliud diuinitùs præceptum est, in his duobus habere finem, & ad hæc duo esse referendum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuum tanquam teipsum. In his, inquit, duobus præceptis tota Lex pēdet & Prophetę. Quicquid ergo Dei lege prohibemur, & quicquid iubemur facere, ad hoc prohibemur & iubemur, vt duo ista compleamus. Et fortè generalis prohibitio est, Non concupisces; & generalis iussio, Diliges. Vnde breuiter & apostolus Paulus quodam loco vtrúque complexus est. Prohibitio enim est, Nolite conformari huic seculo: iussio autem, Sed renouamini in nouitate mentis vestræ. Illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere; illud ad continentiam, hoc ad iustitiam; illud ad declinandum à malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiscendo enim vetustate expoliamur, & nouitate induimur diligendo. Sed nec quisquam potest continens esse, nisi Deus det; & charitas Dei diffundatur in cordibus nostris, non per nosipsos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Hoc autem fit de die in diem

Non concupisces, generalis est prohibitio. Diliges, generalis iussio. Rom. 12.

Sap. 8.
Rom. 5.

diem in iis qui volendo & credendo & inuocãdo proficiunt, & præterita obliuiscentes, in ea quæ antè sunt extenduntur. Ad hoc enim lex ista præcipit, vt cùm in his implendis homo defecerit, nõ se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam cõfugiat fatigatus, ac sic eum lex terrendo, ad Christum diligendum pædagogi perducat officio.

Philip. 3. Legis officiũ.

CAPVT VI.

ITERVM *quærendum est*, inquit: *Quomodo non potest homo sine peccato esse, voluntate an natura? Si natura, peccatum non est; si voluntate, perfacile potest voluntas voluntate mutari.* Respondemus admonentes esse cogitandum quanta sit ista præsumptio, qua dicitur non solùm posse (quod quidem adiuuante gratia Dei negandum non est) sed etiam *perfacile posse voluntatem voluntate mutari*, cùm dicat Apostolus; Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur, vt non ea quæ vultis faciatis. Non enim ait; Hæc inuicem aduersantur, vt quæ potestis facere, nolitis: sed, vt non ea quæ vultis faciatis. Cur ergo concupiscentia carnis (quæ vtique culpabilis atque vitiosa est, nihilque est aliud quàm desiderium peccati, quod idem Apostolus præcipit, ne regnet in nostro mortali corpore; vbi satis ostendit esse tamen in nostro mortali corpore, quod permittendum non sit vt regnet.) Cur ergo ista concupiscentia non mutata est ea voluntate, quam voluntatem satis euidenter expressit Apostolus dicens, vt non ea quæ vultis faciatis; si facilè potest voluntas voluntate mutari? Nec sanè isto modo naturam, siue animæ, siue corporis, quam Deus creauit & quæ tota bona est, accusamus; sed eam dicimus propria voluntate vitiatam, sine Dei gratia non posse sanari. *Iterum*, ait, *quærendum est: Si non potest homo sine peccato esse, cuius culpa est, ipsiũ sine hominis, an cuiuslibet alterius? Si ipsius hominis, quomodo culpa hominis est, si hoc non est quod esse non potest?* Respondetur ideo esse culpam hominis, quod non est sine peccato; quia sola hominis volũtate factum est, vt ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non possit. *Iterum*, ait, *quærendum est: Si natura hominis bona est, quod nullus negare nisi Marcion aut Manichæus audebit; quomodo igitur bona est, si malo ei carere non est possibile? Omne enim peccatum malum esse quis dubitet?* Respondemus: Et naturam hominis bonam esse, & eam malo carere posse. Nam ideo clamamus, Libera nos à malo; quod non perficitur, quamdiu corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Sed hoc agitur gratia per fidem, vt aliquando dicatur, Vbi est mors contentio tua, vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum, virtus verò peccati lex: quoniã lex prohibẽdo auget peccati cupiditatem, nisi diffundat spiritus charitatem; quæ plena & perfecta tunc erit, cùm videbimus facie ad faciem. *Et hoc*, inquit, *dicendum est. Certè iustus est Deus, negari enim non potest. Imputat autem Deus homini omne peccatum. Et hoc quoque confitendum puto, quia neque peccatum est quicquid nõ imputabitur in peccatum. Et si est aliquod peccatum quod vitari non possit, quomodo iustus Deus dicitur, si imputare cuiquam creditur, quod vitari non possit?* Respondemus, iam olim contra superbos esse clamatum; Beatus cui non imputauit Dominus peccatum. Non enim imputat his qui fideliter ei dicunt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et iustè non imputat, quia iustum est quod ait; In qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis. Peccatum est autem, cùm vel non est charitas quæ esse debet; vel minor est quàm debet; siue hoc voluntate vitari possit, siue non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adiuuatur.

Ratiocin. 12. Concupiscẽtia carnis, aliud nihil quàm peccati est desiderium. Gal. 5. Rom. 6. Ratiocin. 13. Ratiocin. 14. Matth. 6. Sap. 9. 1 Cor. 15. Lex quare virtus peccati Apostolo dicta Ratiocin. 15. Psal. 31. Matth. 6. Matth. 7.

POST hoc ille qui ista conscripsit, introducit personam suam quasi cum altero disputantem, & facit se interrogari, & quasi ab interrogante sibi dici, *Da mihi hominem sine peccato.* Et respondet, *Do tibi qui esse possit.* Et rursus ab interrogante dicitur ei, *Quis est?* Et respondet, *Ipse tu. Quod si dixeris*, inquit, *ego esse non possum; respondendum est, cuius culpa est? Quod si dixeris, mea; dicendum est, Et quomodo tua est, si ipse sine peccato esse non potes?* Iterum facit se interrogari & dici sibi: *Tu ipse sine peccato es, qui dicis hominem sine peccato esse posse?* Et respondet; *non sum sine peccato. Cuius culpa est? Quod si dixerit*, inquit, *tua est, respondendum est: Quomodo mea, si esse non possum?* Nos respondemus nullum cum eis de his verbis esse debere conflictum, quia non est ausus dicere hominem esse sine peccato, vel aliquem, vel seipsum; sed tantummodo esse posse, respondit; quod neque nos negamus. Quando autem possit, & per quẽ possit, hoc quæritur. Si enim modo est, non omni animæ fideli positæ in corpore mortis huius orandum est, & dicendum: Dimitte nobis debita nostra; cùm iam in sancto baptismo vniuersa fuerint dimissa præterita. Quisquis autem membris fidelibus Christi hoc non esse orandum persuadere conatur, nihil aliud quàm seipsum Christianum non esse profitetur. Porrò si per seipsum potest homo esse sine peccato, ergo Christus gratis mortuus est: Non autem gratis Christus mortuus est, nõ igitur potest homo esse sine peccato, etiãsi velit, nisi adiuuet gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quod vt perficiatur, & nunc in proficientibus agitur, & omnimodo implebitur contentione mortis absumpta; & charitate quæ credendo & sperando nutritur, videndo & obtinendo perfecta.

CAPVT VII. Ratiocin. 16. Matth. 6. Gal. 2. Matth. 6. Gal. 5. Aliud exire, aliud liberari de corpore mortis huius. Vita æterna merces nulli redditur, nisi qui eius in hac vita meritum sibi præparauerit. Matth. 5. 2 Cor. 5. Habac 2. Vita huius iustitia.

DEINDE instituit diuinis testimoniis agere quod intendit. Quod quale sit, diligentius aduertamus. *Testimonia*, inquit, *quibus probatur præceptum esse homini vt absque peccato sit.* Ad hoc respondemus: Non vtrum præceptum sit quæritur, quod valde manifestum est; sed ipsum quod præceptum esse constat, vtrum in corpore mortis huius possit impleri, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ volumus faciamus. De quo corpore mortis huius, non omnis liberatur qui finit hanc vitam, sed qui in hac vita susceperit gratiam, & ne in vanum suscipiat bonis operibus egerit. Aliud est enim exire de hoc corpore, quod omnes homines dies vitæ huius vltimus cogit; aliud est autem liberari de corpore mortis huius, quod sola Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum, sanctis & fidelibus eis impertit. Post hanc autem vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum à quibus in hac vita eiusdem mercedis meritum comparatur. Non enim ad saturitatem iustitiæ, cùm hinc exierit quisque perueniet, nisi ad eam cùm hic est, esuriendo & sitiendo cucurrerit. Beati quippe qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Quamdiu ergo peregrinantes à Domino per fidem ambulamus, non per speciem (vnde dictum est, Iustus ex fide viuit) hæc est nostra in ipsa peregrinatione iustitia, vt ad illam perfectionem plenitudinémque iustitiæ, vbi in specie decoris eius iam plena & perfecta charitas erit, nunc ipsius cursus rectitudine & perfectione tendamus, castigando corpus nostrum & seruituti subiiciendo, & eleemosynas in dandis beneficiis, & dimittendis quę in nos sunt commissa peccatis, hilariter & ex corde faciendo, & orationibus indefinenter insistendo; & hoc faciendo in doctrina sana, qua ædificatur fides recta, spes firma, charitas pura. Hæc est nunc nostra iustitia qua currimus, esurientes & sitientes ad perfectionem plenitudinémque iustitiæ, vt ea postea saturemur. Vnde Dominus in Euangelio cùm dixisset, Nolite facere iustitiam

iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis; ne istum nostrum cursum fine humanæ gloriæ metiremur; non est in expositione iustitiæ ipsius executus, nisi tria ista, ieiunium, eleemosynas, orationes: Ieiunio scilicet vniuersam corporis castigationem significans: eleemosynis omnem beneuolentiam & beneficentiam, vel dandi, vel ignoscendi: oratione insinuans omnes regulas sancti desiderij: vt quoniam in castigatione corporis frenatur concupiscentia, quæ non frenari, sed omnino esse non debet, nec erit in illa perfectione iustitiæ, vbi nullum erit omnino peccatum, & sæpe in vsu rerum etiam concessarum atque licitarum exerit immoderationem suam: in ipsa verò beneficentia qua iustus consulit proximo, quædam fiunt quæ obsint cùm prodesse putata sint; & aliquando per infirmitatem, vel cùm minus sufficitur necessitatibus aliorum, vel parum in eis proficit quod benignitatis ac laboris impenditur, surrepit tædium, quo fuscetur hilaritas, in qua datorem diligit Deus. Surrepit autem tanto magis, quanto minus quisque, & tanto minus, quanto magis profecerit. His atque huiusmodi consideratis, meritò in oratione dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: si tamen quod dicimus, faciamus, vt vel ipsi etiam diligantur inimici; vel si quisquam adhuc in Christo paruulus hoc nondum facit; pœnitẽti tamen, quod in eum quisque peccauit, & veniam petenti ex intimo cordis ignoscat, si vult vt eius orationem pater cælestis exaudiat. In qua oratione si contentiosi esse nolumus, satis nobis propositum speculum est, vbi inspiciatur vita iustorum qui ex fide viuunt, & perfectè currunt, quamuis sine peccato non sint. Vnde dicunt, Dimitte nobis; quia nondum quò curritur peruenerunt. Hinc dicit Apostolus, Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim: fratres, ego me non arbitror apprehendisse; vnum autem, quæ retrò sunt oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus: id est, quotquot perfectè currimus, hoc sapiamus, quòd nondum perfecti sumus, vt illic perficiamur quò perfectè adhuc currimus: vt cùm venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur; id est, non iam ex parte sit, sed ex toto: quia fidei & spei iam res ipsa non quæ credatur & speretur, sed quæ videatur teneaturque succedet. Charitas autem quæ in his tribus maior est, non auferetur, sed augebitur & implebitur, contemplata quod credebat, & quod sperabat indepta. In qua plenitudine charitatis præceptũ illud implebitur, Diliges Dñm Deũ tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua. Nã cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro sine anima concupiscit, quamuis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit iustus sine vllo omnino peccato, quia nulla lex erit in membris eius repugnans legi mentis eius; sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum, quod est primum summumque præceptum. Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergo curramus, vt comprehendamus. Omnes enim qui rectè currunt, comprehendent; non sicut in agone theatrico, omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam. Curramus credendo, sperando, desiderando; curramus corpus castigando, & eleemosynas in dandis bonis malisque ignoscendis, hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires vt adiuuentur orando, & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis.

Iustitia Christiana. tribus comprehensa, ieiunio, eleemosynis, & oratione. 2. Cor. 9. Matth. 6. Inimico omni saltem paruitenti & veniam petenti, ex animo ignoscendum. Philip. 3. 1. Cor. 13. 1. Cor. 9. A B C

CAPVT IX.

HIS præmissis ea testimonia quæ posuit iste cui respondemus, tanquam nos ea protulerimus, diligenter audiamus. *In Deuteronomio, Tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo. Item illic, Et non erit inconsummatus in filiis Israel. Item Saluator in Euangelio, Estote perfecti, quia pater vester qui in cælis est, perfectus est. Item Apostolus ad Corinthios secunda, De cætero fratres gaudete, perfecti estote. Item ad Colossenses, Corripientes omnem hominem, & docentes in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo. Item ad Philippenses, Omnia facite sine murmuratione & hæsitatione, vt sitis irreprehensibiles & simplices, sicut filij Dei immaculati. Item ad Ephesios, Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cælestibus in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius. Item ad Colossenses, Et vos cùm essetis aliquando alienati & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliati in corpore carnis eius per mortem eius, exhibere vos sanctos & immaculatos & irreprehensibiles. Item ad Ephesios, Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, vt sit sancta & immaculata. Item ad Corinthios prima, Sobrij estote, & iusti, & nolite peccare. Item in epistola sancti Petri, Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrij, perfecti sperate in eam quæ offertur vobis gratiam, quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ concupiscentiis, sed secundum eum qui vocauit vos sanctum, & ipsi sancti in omni conuersatione sitis, quia scriptum est, Sancti eritis, quia ego sanctus sum. Vnde & beatus Dauid dicit, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Et alibi, Et ero immaculatus cum eo. Et alibi, Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Item apud Salomonem, Diligit Dominus sancta corda, accepti sunt autem illi omnes immaculati.* Horum testimoniorum aliqua currentes exhortantur, vt perfectè currant; aliqua ipsum finem commemorant quò currendo pertendant. Ingredi autem sine macula non absurdè etiam ille dicitur, non qui iam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata veniialia non negligens mundare eleemosynis. Ingressum quippe, hoc est, iter nostrum quo tendimus ad perfectionem, munda mundat oratio. Munda est autem oratio vbi veraciter dicitur, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus; vt dum non reprehenditur, quod non imputatur, sine reprehensione, hoc est, sine macula noster ad perfectionem cursus habeatur: in qua perfectione cùm ad eam peruenerimus, iam non sit omnino quod ignoscendo mundetur.

Deut. 18. Matth. 5. 2. Cor. 13. Coloss. 1. Philip. 2. Ephes. 1. Coloss. 1. Ephes. 5. 1. Cor. 5. 1. Pet. 1. Leuit. 19. Psal. 14. Psal. 17. Psal. 118. Prouerb. 12. Ingredi sine macula quid dicatur. Peccata damnabilia & veniialia. Matth. 6. D

CAP. X.

DEINDE iste adhibet testimonia quibus ostendat, non esse grauia diuina præcepta. Quis autem nesciat, cùm præceptum sit generale charitas, quia finis præcepti est charitas, & plenitudo legis est charitas, non esse graue quod diligendo fit, non timendo? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere; sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam non solùm non prementem onere ponderum, verumetiam subleuantem vice pennarum. Quæ tamen charitas vt habeatur, etiam tanta quanta in corpore mortis huius haberi potest; parum est nostræ voluntatis arbitrium, nisi adiuuet gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Diffunditur quippe in cordibus nostris, quod sæpe dicendũ est, non per nosipsos, sed per Spiri-

1. Tim. 1. Roman. 12. Quibus grauia sint vel non sint Dei præcepta. Roman. 5.

Gratia non esse Dei præcepta, cur Scriptura commemoret.

spiritum sanctũ qui datus est nobis. Nec aliam ob cau A sam Scriptura commemorat non esse grauia diuina præcepta, nisi vt anima quæ illa grauia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta Domini qualia commendantur, leuia scilicet atque suauia; & oret gemitu voluntatis, vt impetret

Psal. 118. donum facultatis. Qui enim dicit, Fiat cor meum immaculatum; &, Itinera mea dirige secundum verbum tuum; &, Ne dominetur mihi omnis iniqui-

Matth. 6. tas; &, Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra; &, Ne nos inferas in tentationem; & cætera huiusmodi quæ commemorare longum est; hoc vtique orat, vt

Præceptum libere arbitrij est argumentum; Oratio gratiæ.

præcepta Dei faciat: quæ vt fierent nec iuberetur, si nihil ibi nostra voluntas ageret; nec oraretur, si sola sufficeret. Commendantur ergo non esse grauia; vt cui grauia sunt, intelligat nondum se accepisse donũ, quo grauia non sint; nec arbitretur ea se perficere,

2. Cor. 9. quando ita facit, vt grauia sint. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nec tamen cùm ea grauia sentit, desperando frangatur, sed ad quærendum, petendum, pulsandumque cogatur. Audiamus ergo & in his testimoniis quæ deinde posuit, Deum sua præcepta non grauia commendantem: *Quòd Dei mandata*, inquit, *non modò impossibilia non sint, verùm ne grauia quidem.*

Deut. 30. *In Deuteronomio; Et conuertetur Dominus Deus tuus epulari in te super bonis, sicut epulatus est super patres tuos, si audieritis vocem Domini Dei vestri, custodire & facere omnia mandata eius & iustitias, & iudicia quæ scripta sunt in libro legis huius: si conuersus fueris ad Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Quia mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, non est graue, neque longè à te est: non est in cælo, vt dicas, Quis ascendet in cælum, & accipiet illud nobis, & audientes faciamus? Non est trans mare, vt dicas, Quis transfretabit mare & accipiet illud nobis, & audiẽtes faciamus? Iuxta te est enim verbum in ore tuo, in corde, & in manibus tuis facere illud.*

Matth. 11. *Item Dominus in Euangelio, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Item in*

1. Ioan. 5. *epistola sancti Ioannis; Hæc est charitas Dei, vt mandata eius obseruemus, & mandata eius grauia non sunt.* His auditis legitimis & Euangelicis & Apostolicis testimoniis ædificemur ad gratiam, quam non intelligunt, qui ignorantes Dei iustitiam & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Si enim non intelligunt illud ex Deuteronomio, quemadmodum

Roman. 10. apostolus Paulus commemorauerit, vt corde credatur ad iustitiam, ore autem fiat confessio ad salutem;

Matth. 9. quia non est opus sanis medicus, sed malè habentibus; isto certè Ioannis apostoli testimonio quod ad istam sententiam posuit vltimum, vbi ait, Hæc est charitas Dei vt mandata eius seruemus, & mandata eius grauia non sunt; debent vtique commoneri, charitati D Dei non esse graue mandatum Dei, quæ non nisi per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, nõ per arbitrium humanæ voluntatis; cui plus dando quàm oportet, ignorant iustitiam: Deique quæ tamen charitas tunc perfecta erit, cùm pœnalis timor omnis abscesserit.

CAPVT XI. Proponuntur Scripturæ, quas sibi à Catholicis obiectas Cælestius aliis Scripturis conatur eludere. Prima Scriptura. Iob 14. secundum 70 Iob 12. secundum 70.

POST hæc proposuit testimonia quæ contra eos dici solent, nec ea soluit; sed commemorando quasi contraria, quæstiones arctiùs illigauit. Ait enim: *Testimonia Scripturarũ quæ ediuerso ponẽda sunt his, qui arbitrij libertatem, vel non peccandi possibilitatem imperitè existimant se Scripturarum authoritate posse destruere. Obicere enim solent*, inquit, *quòd sanctus Iob dixerit, Quis mundus est à peccato? Nec infans, cuius est vnius diei vita super terram.* Deinde quasi respondet huic testimonio aliis testimoniis, *quòd ipse Iob dixerit, Iustus enim vir & sine querela, factus sum in derisum.* Non intelligens posse dici hominem iustum, qui perfectioni iustitiæ plurimum accessit, ita vt ei proximus fieret; quod multos etiam in hac vita potuisse, in qua ex fide viuitur, non negamus. Hoc & illo testimonio confirmatur, quod iste consequẽter adiunxit ab eodem Iob dictũ, Iob 13. secundum 70. *Ecce ipse proximus sum iudicio meo, scio quia iustus inueniar.* Psal. 36. Hoc enim est iudiciũ, de quo alibi dicitur, Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum velut meridiem. Denique non dixit, ibi sum, sed proximus sum. Quòd si iudiciũ suum illud intelligi voluit, non quo ipse iudicauit, sed quo in fine est iudicandus; iusti in illo iudicio inuenientur omnes, qui non fallaciter dicunt, Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6. sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Per hanc enim dimissionem iusti inuenientur, eo quòd ea quæ hîc habebãt peccata, eleemosynis deleuerunt. Vnde Dns dicit, Date eleemosynam, & ecce omnia mun- Lucæ 11.

B da sunt vobis. Denique hoc dicetur iustis in regnum promissum ituris, Esuriui enim, & dedistis mihi man- Matth. 25. ducare: & cætera huiusmodi. Sed aliud est, esse sine Esse sine peccato, & sine querela quid differant. peccato, quod de solo in hac vita vnigenito dictum est; aliud esse sine querela, quod de multis iustis etiam in hac vita dici potuit: quoniam est quidã modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista humana conuersatione, iusta querela esse non possit. Quis enim iustè queritur de homine, qui nemini malè vult, & quibus potest fideliter consulit, nec contra cuiusquam iniurias tenet libidinem vindicandi, vt veraciter dicat, Sicut & nos Matth. 6. dimittimus debitoribus nostris. Et tamẽ eo ipso quod verum dicit, Dimitte, sicut & nos dimittimus; sine peccato se non esse declarat. Inde est quod dicit, *Nihil iniquum erat in manibus meis, sed munda oratio mea.* Iob 16. Hinc enim erat mũda oratio, quia veniam non iustè petebat qui veraciter dabat, & quòd dicit de Domino, Multas enim contritiones meas fecit sine cau- Iob 5.

C sa: non ait, nullas fecit cum causa; sed, multas sine cau sa. Non enim propter multa peccata eius, factæ sunt Iob quæretã ta passiu. ei multæ contritiones; sed propter probationem patiẽtiæ. Nam propter peccata sine quibus, vt alibi con Iob 6. fitetur, non fuit, pauciora se pati debuisse iudicat. Itẽ quod dicit, *Vias enim eius custodiui, & non declinaui à* Iob 23. *mãdatis eius, neque discedam.* Custodit vias Dei, qui nõ Custodire vias Domini quis dicatur. sic exorbitat, vt eas relinquat, sed in eis currẽdo profi- cit: & si aliquando vt infirmus offendit aut titubat; proficit autem minuendo peccata, donec perueniat vbi sine peccato sit. Nõn enim aliter potest eo modo proficere, nisi custodiendo vias eius. Declinat autem Declinare & discedere à viis Domini, quid. à mandatis Domini atque discedit apostata, non ille qui etiam si habeat peccatũ, confligendi tamen cum eo perseuerantiam non relinquit, donec eò perueniat vbi nulla cum morte cõtentio remanebit. In isto ergo conflictu induimur ea iustitia qua hîc ex fide viuitur, & ea quodammodo loricamur. Assumimus quoq; D iudicium, quod etiam contra nos pro nobis facimus, quando peccata nostra accusando damnamus: vnde scriptum est, Iustus ipse sui accusator est in primordio Prouerb. 18. sermonis. Hinc item dicit, *Iustitia vestitus eram, & circumdedi mihi iudicium, sicut chlamydem:* Iob 29. nam & ista vestis belli magis solet esse quàm pacis, vbi adhuc expugnatur concupiscentia, non vbi erit plena sine aliquo prorsus hoste iustitia, nouissima inimica morte destru- cta. Quod autem iterum ait idem sanctus Iob, *Non e-* Iob 27. *nim reprehendit me cor meum in omni vita mea:* tunc nos in ista vita in qua ex fide viuimus, non reprehẽdit cor Reprehendere, quel non reprehendere quãdo nos cor nostrum dicatur. nostrum, si eadem fides qua corde creditur ad iustitiã, non negligit reprehendere peccatum nostrum. Vnde dicit Apostolus, Non enim quod volo facio bonũ, sed Roman. 7. quod odi malum hoc ago. Bonum est enim non concupiscere, & hoc bonũ vult iustus, qui ex fide viuit; & tamen facit quod odit, quia concupiscit, quamuis

post

Eccl. 18. post concupiscentias suas non eat. Quod si fecerit, tũc verè ipse fecit vt cedat, vt cõsentiat, vt desiderio peccati obediat. Tunc enim cor eius reprehẽdit, quia ipsum reprehendit, non illud peccatum eius, quod habitat in membris eius. Cùm verò non sinit regnare peccatum in suo mortali corpore ad obediendum desideriis eius, nec exhibet membra sua arma iniquitatis peccato; inest quidem peccatum in membris eius, sed non regnat, quia non obeditur desideriis eius. Et ideo dum quod non vult agit, id est, non vult concupiscere & cõcupiscit; cõsentit legi, quia bona est. Hoc enim vult & ipse quod lex, quia vult & ipse non con-

Exod. 20. cupiscere; & lex dicit, Nõ concupisces. In hoc quoniã vult, quod & lex vult, proculdubiò cõsentit legi: concupiscit tamen, quia non est sine peccato; sed iam non ipse operatur illud, sed id quod in illo habitat peccatũ. Ideo non ipsum reprehendit cor eius in omni vita eius; hoc est in fide eius, quia iust⁹ ex fide viuit: & ideo

Rom. 7. fides ei⁹ est vita eius. Scit enim quia nõ habitat in carne eius bonũ, vbi habitat peccatum; sed non ci cõsentiendo viuit ex fide, qua inuocat Deum vt adiuuetur pugnans contra peccatum; quod vt omnino ibi nõ sit,

Idem.

adiacet ei velle, sed perficere bonum non adiacet: nõ facere bonum non adiacet, sed perficere. Nam in eo quòd non consentit, bonum facit; & in eo quòd odit concupiscentiã suã, bonũ facit; & in eo quòd eleemosynas facere non cessat, bonum facit; & in eo quòd illi qui in eum peccat ignoscit, bonũ facit; & in eo quòd petit sibi dimitti debita sua, & veraciter dicit, quòd dimittit etiam ipse debitoribus suis, & orat vt non inferatur in tentationẽ, sed liberetur à malo, bonũ facit:

Bonum quando perficiatur.

ei tamen perficere bonum non adiacet, quod tũc erit quãdo illa cõcupiscentia quæ habitat in mẽbris eius, nulla erit. Non ergo eum reprehendit cor eius, quando reprehendit peccatum quod habitat in membris eius, & non habet quam reprehendat infidelitatem eius. Ita nec in vita sua, id est in fide sua, à corde suo reprehẽditur, & sine peccato nõ esse cõuincitur. Quod C

Iob 14. & ipse Iob de se confitetur vbi dicit; Nihil te latuit peccatorum meorũ. Signasti iniquitates meas in sacculo, & annotasti si quid inuitus trãsgressus sum. Testimonia ergo quæ posuit de verbis sancti viri Iob, nos sicut potuimus, quemadmodum sint accipienda mõstrauimus. Nec tamen ille soluit, quod eundem Iob dixisse proposuit; Quis enim mundus est à peccato?

Iob 14. secundum 70.

Nec infans cuius est diei vnius vita super terram.

CAPVT XII. Secunda scriptura. Psal. 115.

ITERVM *proponere solent*, inquit, *Omnis homo mendax.* Neque hoc contra seipsum à seipso propositum soluit, sed commemorando alia velut contraria testimonia, apud eos qui non intelligunt sanctam Scripturam; diuina eloquia in lite dimisit. Ait enim; *Quibus*

Num. 24. secundum 70. Iob 1.

respondendum est, quod in Numeri libro scriptum est, Homo verax. Et de sancto Iob legitur ita; Erat vir habitans in regione Austide, nomine Iob, verax, sine crimine, iustus; Dei cultor, abstinens se ab omni re mala. Miror quòd au- D sus est ponere hoc testimonium, vbi dictum est, absti-

Cap. 2.

nens se ab omni re mala, cùm hoc ab omni peccato vellet intelligi; cùm superius dixerit, peccatum actum esse, non rem. Reminiscatur ergo quia etiam si actus

Abstinere ab omni re mala, quis dicatur.

sit, res potest dici. Abstinet se autem ab omni re mala, qui peccato, sine quo non est, vel nunquam omnino cõsentit; vel si aliquando premitur, nõ opprimitur, sicut luctator fortior; & si aliquando tenetur, nõ ideo perdit quo superior inuenitur. Legitur sanè homo sine crimine, legitur sine querela; at nõ legitur sine peccato, nisi filius hominis, vnus idémque Dei filius vnicus. *Item*, inquit, *apud ipsum Iob; Et miraculum tenuit veracis hominis. Item apud Salomonem de Sapientia; Viri*

Eccl. 15. *mendaces non erunt illius memores; viri autem veraces inuenientur in illa. Item in Apocalypsi; Et in ore ipsorum nõ est inuentum mendacium; sine macula sunt.* Ad hæc &

Apoc. 14.

nos respondemus, admonentes, quomodo dicendus sit homo verax per Dei gratiam atque veritatem, qui per seipsum sine dubio mendax est. Vnde dictum est; Omnis homo mendax. Hoc, testimonium sonat de sapientia quod ipse posuit. Viri autem veraces inuenientur in illa: qui proculdubiò non in illa, sed in seipsis inuenientur esse mendaces. Sicuti est, fuistis ali- Eph. 5. quando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Cùm diceret, tenebræ, non addidit in Domino: cùm autem dixisset, lux, addidit vtique in Domino; quia in seipsis lux esse non possent; vt qui gloriatur in Domino glo- 1 Cor. 1. rietur. Illi verò in Apocalypsi propterea tales dicti sunt, quòd non sit inuentum in ore eorum mendacium; quia non dixerunt se non habere peccatũ; quod 1 Ioan. 1. si dicerent, seipsos deciperent, & veritas in eis non esset. Porrò si veritas in eis non esset, inueniretur in ore eorum mendacium. Quòd si propter inuidiam, cùm essent sine peccato, dicerent, se non esse sine peccato; B hoc ipsum esset mendacium, falsúmq; esset quod dictum est: Non est inuentum in ore ipsorum mendacium. Ideo ergo sine macula sunt, quia sicut ipsi dimiserunt debitoribus suis, sic illis Deo dimittẽte mũdati sunt. Ecce nos, vt valuimus, exposuimus quomodo accipienda essent testimonia, quæ pro sua causa commemorauit. Ipse autem quomodo sit accipiendum quod scriptum est; Omnis homo mendax; omnino nõ Psal. 113. soluit, nec soluere poterit; nisi correcto errore, quo credit hominem sine adiutorio gratiæ Dei, per solam propriam voluntatem posse esse veracem.

Omnis homo mendax ex seipso, verax ex Dei gratia. Psal. 115.

CAPVT XIII. Tertia scriptura. Psal. 13.

SIC aliam quæ sequitur quæstionẽ proposuit, nec soluit; imò verò auxit, & difficiliorem reddidit, propo- nendo, aduersum se prolatũ testimonium; *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum:* & quasi contraria testimonia referẽdo, quibus ostenderet esse homines qui faciunt bonum: quod quidẽ ostẽdit. Sed aliud est, non facere bonum; aliud, nõ esse sine peccato, etiã si homo faciat multa bona. Quapropter ea testimonia quæ posuit, non sunt contra illud quod dicitur, nõ esse in hac vita hominem sine peccato. Ipse autem nõ ostendit quemadmodum dictum sit; Nõ est qui faciat bonum, non est vsque ad vnũ. *Ait enim sanctus Dauid,* inquit, *Spera in Domino, & fac bonitatẽ.* Hoc præceptũ Psal. 36. est, non factum. Quod præceptum non vtique faciebãt de quibus dictum est; Non est qui faciat bonũ, nõ est vsque ad vnum. Ait *etiam dixisse sanctum Tobiam; Noli timere fili, pauperem vitam gerimus, sed multa bona* Tob 4. *habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bona.* Verissimè tunc erunt homini multa bona cùm recesserit ab omni peccato. Tunc enim ei nulla erunt mala, vt non opus habeat dicere; Libera nos à malo. Quamuis & nunc omnis qui pro- Matth. 6. ficit recta intentione proficiens, recedit ab omni peccato, & tanto inde fit longinquior, quãto plenitudini iustitiæ perfectionique propinquior: quia & ipsa concupiscentia, quod est peccatum habitans in carne nostra, & si manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen nõ desinit in proficiẽtibus. Aliud est ergo recedere ab omni peccato, quod nunc in opere est; aliud, recessisse ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit. Sed tamen & qui iam recessit, & qui adhuc recedit, non est negandus facere bonũ. Quomodo ergo dictum est; *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad* Psal. 13. *vnum:* quod ille proposuit & nõ solutum reliquit; nisi Non est qui faciat bonum, de quibus intelligendum. quia populum quendam Psalmus ille culpat, in quo nec vnus erat qui faceret bonum, dum volunt remanere filij hominum, & non esse filij Dei, cuius gratia homo fit bonus, vt faciat bonum? De illo enim bono dictum hic debemus accipere, quod ibi ait: Deus de cælo respexit super filios hominum, vt videat si est intelligens aut requirens Deum. Hoc ergo bonũ, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, nõ erat vsq.

Aliud recedere, aliud recessisse ab omni peccato.

K ad

ad vnum; sed in eo genere hominum quod prædestinatum est ad interitum. Super hos enim respexit Dei præscientia, protulítque sententiam.

CAPVT XIIII. Quinta scriptura. Luc. 18.

ITEM *dicũt*, inquit, *illud quod Saluator ait: Quid me dicis bonũ? Nemo bonus, nisi solus Deus.* Hác itẽ propositionẽ omnino nõ soluit; sed oppositit velut ex aduerso alia testimonia, quib' probaret esse & hominẽ bonũ: Dixit enim *esse respondendũ quod idẽ Dominus alibi ait; Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Et iterũ; Qui solem suũ oriri facit super bonos & malos. Et alibi scriptum est*, inquit, *Bona bonus creata sunt ab initio. Et iterum: Qui sunt boni, erunt habitatores terræ.* Cui sic respondendum est, vt & illud intelligatur quomodo dictum sit, Nemo bonus, nisi vnus Deus. Siue quia omnia quæ creata sunt, quãuis ea Deus fecerit bona valde, creatori tamen cõparata, nec bona sunt; cui cõparata, nec sunt. Altissimo quippe & proprio modo quodam de seipso dixit, Ego sum qui sum: sicut dictũ est, Nemo bonus, nisi vnus Deus. Quemadmodum de Ioanne dictũ est, Non erat ille lumen; cùm Dñs eum esse dicat lucernam; sicut discipulos, quibus dixit, Vos estis lumen mũdi. Nemo accẽdit lucernã & ponit eã sub modio: sed in cõparatione luminis illius, quod est verum lumen, illuminans omnẽ hominem venientẽ in hunc mundũ; non erat ille lumẽ. Siue quia ipsi etiã filij Dei comparati sibiipsis quales in illa perfectione æterna futuri sunt, ita boni sunt, vt adhuc & mali sint. Quod de illis dicere non auderẽ; (Quis enim audeat dicere malos esse, quorũ pater est Deus) nisi ipse Dominus diceret, Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quãto magis pater vester, qui in cælis est, dabit bona petẽtibus se? Cùm ait vtique, pater vester, filios Dei esse iã monstrãuit; quos tamẽ adhuc malos esse non tacuit. Ille tamen non soluit, quomodo & isti boni sint; & nemo sit bonus, nisi vnus Deus: vnde est ille admonit' qui interrogauerat quid boni faceret, vt illum quæreret cuius gratia bonus esset; cui bonum esse, hoc est ipsum esse; quia incõmutabiliter bonus, non potest omnino malus esse.

Matth. 12. Matth. 5. Eccl. 39. Prou. 2. Bonus quomodo solus Deus. Exo. 3. Ioan. 1. Lux & lumen. Ioan. 5. Matth. 5. Ioan. 1. Matth. 7. Deo bonum esse, est ipsum eius esse.

CAPVT XV. Quinta scriptura. Prou. 20.

ITEM *dicunt*, inquit; *Quis gloriabitur castum se habere cor?* Et ad hoc respondit multis testimoniis, volens ostendere posse esse in homine castum cor: nec tamen dicit quomodo accipiendum sit, quod proposuit contra se dici; Quis gloriabitur castum se habere cor; ne Scriptura diuina in hoc testimonio, & in his per quæ respondit, sibi ipsa aduersaria videatur. Nos autẽ huic respondẽtes dicimus ideo secutum esse, quis gloriabitur castum se habere cor, quoniam præcessit, cùm rex iustus sederit in throno. Quantalibet enim iustitia sit præditus homo; cogitare debet ne aliquid in illo quod ipse non videt inueniatur esse culpãdum; cùm rex iustus sederit in throno, cuius cognitionem fugere delicta nõ possunt, nec illa de quibus dictum est, Delicta quis intelligit? Cùm ergo rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castũ se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Nisi fortè isti qui volũt in sua iustitia, nõ in ipsius iudicis misericordia gloriari. Tamen etiam illa vera sunt quæ respondendo subiecit, quod *saluator ait in Euangelio, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: Et quod Dauid dicit, Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde. Et alibi, Bene fac Domine bonis & rectis corde. Item apud Salomonem; Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. Item illic, Auerte te à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Item in Epistola Ioannis, Si cor nostrum nos non reprehẽdat, fiduciam habemus ad Deum, & quæcunque petierimus, accipiemus ab eo.* Hoc enim agitur voluntate, credendo, sperando, diligẽdo, corpus castigando, eleemosynas faciendo, iniurias ignoscendo, instanter orando, & proficiendi vires precando, veracitérque dicendo, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus; & ne inferas nos in tentationem, sed libera nos à malo. Hoc prorsus agitur vt cor mundetur, & peccatũ omne tollatur, & ꝓ rex iustus cùm in throno sederit, occultum inuenerit minúsque mundatũ, eius misericordia remittatur, vt Deo vidẽdo totũ sanũ mũdúmque reddatur. Iudicium enim sine misericordia; sed illi qui non fecit misericordiam. Superexaltat autẽ misericordia iudicio. Quod si non esset, quæ spes esset? Quãdoquidem cùm rex iustus sederit in throno, quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Tunc ergo per eius misericordiam iusti plenè perfectéque mundati, fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Tunc plena atq. perfecta erit Ecclesia, non habens maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, quia tũc etiã erit verè gloriosa. Cùm enim non tantum ait, vt exhiberet sibi Ecclesiam nõ habentẽ maculam aut rugam; sed addidit, gloriosam: satis significauit, quando erit sine macula & ruga aut aliquid huiusmodi, tunc vtique quando gloriosa. Nõ enim modò in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permixtione hominum pessimorum, in tantis opprobriis impiorũ dicendum est eam esse gloriosam, quia reges ei seruiunt, vbi est periculosior maiórque tentatio; sed tunc potius gloriosa erit, quando fiet quod idẽ ait Apostolus, Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Cùm enim Dñs ipse secundùm formã serui, per quã se mediator coniunxit Ecclesiæ, non fuerit glorificatus nisi resurrectionis gloria (vnde dictum est, Spiritus nõ erat datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus) quomodo dicenda est ante resurrectionẽ suam, Ecclesia eius esse gloriosa? Mundat ergo eam nunc lauacro aquę in verbo abluẽs peccata præterita, & pellens ab ea dominationem malorum angelorum: deinde perficiens eius sanitates, facit eam occurrere in illam gloriosam, sine macula & ruga. Quos enim prędestinauit, illos & vocauit; & quos vocauit, ipsos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit. In hoc mysterio dictũ arbitror, Ecce eiicio dęmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die cõsummor; id est perficior. Dixit enim hoc ex persona corporis sui, quod est Ecclesia Dei: ponẽs pro distinctis ordinatísque tẽporibus, quod & in sua resurrectione significauit in triduo. Puto autem interesse inter rectũ corde, & mundum corde. Nã & rectus corde in ea quæ antè sunt extenditur, ea quæ retrò sunt obliuiscens; vt recto cursu, id est recta fide atque intentione perueniat, vbi habitet mundus corde. Sicut illa singula reddenda sunt singulis, vbi dictũ est: Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mũdo corde. Innocens manibus ascendet, & mundus corde stabit. Illud in opere est, illud in fide. Et illic magis intelligendum quod dictũ est, Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia. Tũc enim erit verè bona substantia, id est veræ diuitiæ, cùm transierit tota paupertas, id est cùm cõsummata fuerit omnis infirmitas. Nunc verò auertat se homo à delicto, cùm proficiendo inde discedit, & renouetur de die in diem, & dirigat manus in opera misericordiæ, & ab omni delicto mundet cor suũ, misereatur: vt quod restat, per veniã dimittatur. Hoc enim salubriter & sine vana inaniq. iactãtia bene intelligitur, in eo quod dixit sanctus Ioãnes; Si cor nostrum nos nõ reprehendat, fiduciam habemus ad Deum; & quæcunque petierimus ab eo accipiemus. Hoc enim videtur isto loco admonuisse, ne cor nostrũ nos in ipsa oratione & petitione reprehendat; hoc est ne fortè cùm cœperimus dicere, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus: compungamur nõ facere quod dicimus, aut etiã nõ audeamus dicere quod non facimus, & fiduciam petendi amittamus.

Psal. 18. Matth. 5. Psal. 23. Psal. 124. Eccl. 13. Eccl. 32. 1 Ioan. 3. Corde rectus & mundus qui differant. Psal. 23. Eccl. 13. Ioan. 3.

ITEM

CAPVT XVI. Quinta scriptura. Eccl. 7.

ITEM sibi opposuit testimoniũ sanctarũ Scripturarum, quod eis dici solet, *Quia non est homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet.* Et quasi respondit aliis testimoniis, quia *Dominus de sancto Iob ait, Nunquid considerasti seruũ meũ Iob? Non enim est ei similis quisquã in terris, homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo.* Vnde iam superius disseruimus. Nec tamen ipse ostẽdit nobis quomodo & Iob, si hæc verba ita intelligenda sunt, sine vllo peccato fuerit in terra, & verũ si quod scriptum esse dixit, Nõ est homo iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet.

Iob 1. Iac. 2.

CAPVT XVII. Sexta scriptura. Psal. 142.

ITEM *dicũt*, inquit, *quia nõ iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuẽs.* Et huic testimonio quasi respõdit ad nihil aliud, nisi vt Scripturę sanctæ inter se litigare videantur: quarũ cõcordiã nos debemus ostẽdere. Ait enim, *Quibus respondendũ est quod de sancto Zacharia & Elisabeth Euangelista testatur, dicens, Erant autẽ Zacharias & Elisabeth vxor eius iusti ambo in cõspectu Domini, & in omnibus mandatis incedentes & iustificationibus Domini sine querela.* Qui iusti ambo vtique legerant inter ipsa mandata, quemadmodũ sua peccata mundarent. Nam Zacharias, quod de omni sacerdote ex hominibus accepto in Epistola ad Hebræos dicitur, etiam pro suis peccatis vtique hostias offerebat. Quomodo autem intelligendum sit quod dicitur, sine querela, iam suprà satis, quantum opinor, ostendimus. *Et beatus*, inquit, *Apostolus ait, Vt simus sancti & immaculati in conspectu eius.* Hoc agitur, vt hoc simus; si immaculari intelligendi sunt, qui omnino sine peccato sunt. Si autẽ immaculati sunt qui sunt sine crimine, etiã in hac vita fuisse atq. esse negare non possumus: quia non ideo sine vllo peccato est aliquis, quoniã nõ habet maculã criminis. Vnde & Apostolus cùm ministros eligeret ordinandos, nõ ait, si quis sine peccato; quod inuenire non posset: sed ait, Si quis sine crmine, quod vtique posset. Nec tamen ipse ostendit quemadmodum secundum suã causam debeamus accipere, quod scriptũ est: *Quoniã non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Aperta quippe sentẽtia est de superiore versu illustrius declarata, Non intres, inquit, in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuens. Iudicium timet, quia misericordiã desiderat, quæ superexaltat iudicio. Hoc est enim ne intres in iudicium cum seruo tuo, noli me iudicare secundũ te qui es sine peccato, quia nõ iustificabitur in cõspectu tuo omnis viuẽs: quod de hac vita dictum sine difficili quæstione intelligitur. Et quod ait, non iustificabitur; ad illam perfectionẽ iustitiæ retulit quæ in hac vita non est.

Eph. 5. Luca 1. Hebr. 5. Cap. 11. Ephes. 1. Immaculati esse qui dicuntur. Tit. 1. In conspectu Dei quomodo homo iustificetur.

CAPVT XVIII. Septima scriptura. 1 Ioan. 5.

ITEM *dicunt*, inquit, *si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nõ est.* Et huic euidentissimo testimonio quasi cõtrariis testimoniis respondere conatus est, quòd *idem sanctus Ioannes in eadem Epistola dicat; Hoc autem dico fratres, vt nõ peccetis. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & nõ potest peccare. Itẽ illic; Qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio Dei conseruat eum, & malignus non tanget eum. Itẽ illic*, inquit, *vbi de saluatore ait, Quoniã ille apparuit, vt peccata tolleret. Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui peccat, non vidit eum nec cognouit eũ. Itẽ illic, Charissimi, nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est: & omnis qui habet spem hanc in eum, sanctificat se, sicuti & ipse sanctus est.* Et tamẽ cùm hæc omnia testimonia vera sint, verum est & illud quod proposuit, & non soluit, *Quòd si dixerimus quia peccatũ non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est.* Ac per hoc, secundũ id quòd ex Deo nati sumus, in eo qui apparuit vt peccata tolleret, id est in Christo manemus, & non peccamus; hoc est autem, quòd homo interior renouatur de die in diẽ. Secundũ autẽ quòd de homine illo nati sumus, per quẽ peccatum intrauit in mũdũ, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertransiit, sine peccato non sumus: quia sine illius infirmitate nondũ sumus, donec illa renouatione, quæ fit de die in diẽ, quoniam secundũ ipsam ex Deo nati sumus, infirmitas tota sanetur, in qua ex primo homine nati sumus, & in qua sine peccato non sumus, cuius reliquiis in homine manẽtibus interiore, quamuis de die in diẽ minuãtur in proficiẽtibus, si dixerimus quia peccatũ nõ habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quomodo enim verum est, Omnis qui peccat non vidit eum, neque cognouit eũ: cùm secundum visionem & cognitionẽ quæ erit in specie, nemo eum in hac vita videat atque cognoscat; secundũ autẽ visionẽ atque cognitionem quæ est in fide, multi sunt qui peccent; certè ipsi apostatæ, qui tamen in eum aliquando crediderunt: vt de nullo eorũ dici possit, secundũ visionẽ & cognitionẽ quæ adhuc in fide est, nõ vidit eũ neq. cognouit eũ? Sed intelligẽdum arbitror, quia renouatio perficiẽda videt & cognoscit; infirmitas verò absumẽda non videt, neque cognoscit eum. In cuius quantiscunque reliquiis constitutis interius, si dixerimus quia peccatũ nõ habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Cùm ergo per gratiã renouationis filij Dei simus, tamen propter reliquias infirmitatis nõdũ apparuit quod erimus, scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniã videbimus eum sicuti est. Tũc peccatum nullum erit, quia infirmitas nec interior nec exterior vlla remanebit; & omnis qui habet hanc spem in eum, sanctificat seipsum sicut & ipse sanctus est. Sanctificat enim se non per seipsum, sed credendo in illum & inuocãdo illum qui sanctificat sanctos suos. Cuius sanctificationis perfectio, quæ nunc proficit & crescit de die in diem, omnes infirmitatis reliquias ablatura est.

1 Ioan. 3. Omnis qui peccat quomodo non videtur neque cognouerit Deum. 1 Ioan. 1. Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quo sensu dictum. 1 Ioan. 1. 1 Ioan. 3.

CAPVT XIX. Octauaa scriptura. Rom. 9. 1 Cor. 7.

ITEM *dicunt*, inquit, *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quibus respondẽdum esse dicit, *quod idem Apostolus alibi de quodã ait, Quod vult faciat. Itẽ* inquit *ad Philemonẽ de Onesimo, Quẽ ego volueram apud me detinere, vt pro te mihi ministraret; sed sine cõsilio tuo nihil volui facere, vt nõ quasi ex necessitate bonum tuũ esset, sed voluntarium. Itẽ in Deuteronomio, Vitã & mortem dedit ante faciem tuã, bonũ & malũ, elige vitam vt viuas. Item apud Salomonem, Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu cõsilij sui: adiecit ei præcepta & mandata; si voles, præcepta seruabunt te, & in posterum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam & ignẽ, ad quod vis porrige manum tuã. Ante hominem bonum & malum, vita & mors, paupertas & honestas à Domino Deo sunt. Itẽ apud Esaiã: Et si volueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis; si autẽ nolueritis nec obaudieritis me, gladius vos comedet: Os enim Domini locutũ est hæc.* Hic verò quantũlibet isti se obtegant, aperiũtur. Declarant enim se contra Dei gratiã vel misericordiam disputare, quã volumus impetrare cùm dicimus, Fiat volũtas tua sicut in cælo, ita & in terra: vel, Ne nos inferas in tẽtationẽ, sed libera nos à malo. Vt quid enim ista orando tanto gemitu petimus, si volentis hominis & currentis, & non miserentis est Dei? Non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas nõ implẽt quod agit, nisi diuinitũs adiuuetur. Hæc est fidei sanitas quę nos facit quęrere, vt inueniamus petere vt accipiamus, pulsare vt aperiatur nobis. Contra istam qui disputat, cõtra seipsum claudit ostium misericordiæ Dei. Nolo plura dicere de re tanta, quia melius eã committo fideliũ gemitibus quàm sermonibus meis.

Deut. 30. Eccl. 15. Esai. 1. Matth. 6.

Videte tamẽ obsecro quale sit, ideo volenti & currenti misericordiam Dei non esse necessariam, quę illum etiam præuenit, vt curreret; quia de quodam ait Apostolus, *Quod vult faciat.* Ibi vt arbitror, vbi sequi-

Ecce.7. tur & dicit, Nõ peccat, si nubat. Quasi pro magno habendũ sit, velle nubere, vbi de adiutorio diuinæ misericordiæ operosiùs disputatur. Aut verò etiã ibi ,pdest aliquid velle, nisi Deus prouidẽtia, qua gubernat omnia, marem feminámq. coniungat. Aut quoniã *ad Philemonẽ scripsit Apostolus, vt nõ quasi ex necessitate bonum eius esset, sed voluntariũ*: quasi aliter sit volũtariũ bonũ, nisi cũ Deus operatur in nobis, & velle & operari pro bona voluntate. Aut quia *in Deuteronomio scriptũ est,*
Deut.30. *Vitã & mortẽ dedit ante faciẽ hominis, bonũ & malũ*; & admonuit vt eligeret vitã: quasi & ipsa admonitio nõ de misericordia veniat; vel aliquid ,pdesset eligere vitã, nisi Deus eligendi charitatẽ inspiraret, & electã habere præstaret. De quo dictũ est, Quoniam ira in indig-
Psal.29. natione eius, & vita in voluntate eius. Aut quia dictũ
Eccl.15. est, *Si voles præcepta, seruabunt te*: quasi nõ debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle nõ posset. Positis ante hominẽ igne & aqua, quò vult quidẽ porriget manũ; sed altior est qui vocat altius quàm omnis humana cogitatio: quandoquidẽ initiũ corrigendi cor fides est, sicut scriptum est, Venies & pertrãsibis ab initio fidei: &
Cant.4.secũdũm 70. Rom.12. Ioan.6. quisq. ita eligit bonũ, sicut vnicuiq. Deus partitus est mensurã fidei. Et nemo potest ad me venire, ait princeps fidei, nisi pater meus qui misit me, traxerit eum. Quod de fide dictũ esse qua in eũ creditur, satis euidẽter postea explanat, vbi dicit, Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: sed quidã sunt ex vobis qui nõ credũt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent credẽtes, & quis eum traditurus esset, & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest ad me venire, nisi fuerit ei datũ à patre meo. Magnum autẽ aliquid pro sua causa se inuenisse arbitratus est apud Esaiam prophetã, quia Deus dixit: *Si volueritis & audieritis me,*
Esa.1. *quæ bona sunt terræ manducabitis; si autẽ nolueritis & nõ audieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutũ*
Promissa Dei conditionata. Gal.3. *est hæc*. Quasi non lex tota huiusmodi conditionibus plena sit: aut ob aliud superbis præcepta ista data sint, nisi quia lex præuaricationis gratia posita est, donec
Rom.5. veniret semen cui promissum est. Vnde subintrauit vt abundaret delictũ, & vbi abũdauit delictũ, superabũdauit gratia: id est, vt acciperet homo præcepta, superbè de suis viribus confidens, in quibus deficiens & factus etiã præuaricator, liberatorẽ saluatorẽq; requireret; atq. ita eũ timor legis humilẽ factũ, tanquã pædagogus ad fidẽ gratiãmq. perduceret. Ita multiplicatis
Psal.15. infirmitatibus postea acceleruerunt, quibus sanandis opportunè Christus aduenit. In cuius gratiã etiam iu-
Antiqui iusti & ipsi per Christi gratiam saluati. sti antiqui crediderũt, eadem ipsa gratia eius adiuti, vt gaudẽtes eũ prænoscerent, & quida etiam prænunciarent esse venturũ: vel in illo populo Israël sicut Moyses, & Iesus Naue, & Samuel, & Dauid, & cęteri tales; vel extra ipsum populũ, sicut Iob; vel ante ipsum populũ, sicut Abrahã, sicut Noë, & quicunque alij sunt, quos vel cõmemorat vel tacet diuina Scriptura. Vnus
2 Tim.2. enim Deus, & vnus mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus, sine cuius gratia nemo à cõdemnatione liberatur, siue quã traxit ex illo, in quo omnes peccauerunt, siue quam postea suis iniquitatibus addidit.

CAP. XX. QVALE est autem quod iste posuit in extremo: *Si quis dixerit, potest fieri, vt homo vel verbo non peccet? Respõdendũ est*, inquit, *Si vult Deus, potest: vult enim Deus, ergo potest*. Item ait: *Si quis dixerit, fieri potest, vt homo cogitatione non delinquat? Respondendum est, Si vult Deus, potest: vult enim Deus, ergo potest*. Videte quemadmodum noluit dicere, si Deus adiuuet, potest; cui dicitur,
Psal.17. Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Non vtiq. ad corporalia bona capessenda & mala cauenda, sed ad gerendam perficiendámq. iustitiam; propter quod dicimus, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à
Matth.6. Adiuuatur nemo nisi qui & ipse aliquid agit. malo. Nec adiuuatur, nisi qui & ipse aliquid agit; adiuuatur autẽ si inuocat, si credit, si secundũ propositũ vocatus est: quoniam quos antè præsciuit & prædestinauit conformes imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus; quos autẽ prædestinauit, illos Rom.8.
& vocauit; quos autẽ vocauit, illos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Currimus ergo Cursus profectus est. cùm proficimus, dũ sanitas nostra in proficiẽtibus currit: sicut etiã cicatrix currere dicitur, quãdo bene vulnus diligẽtérq. curatur, vt ex omni parte perfecti sine vlla simus omnino infirmitate peccati, quod non solũ vult Deus, verumetiã vt impleatur facit atq. adiuuat. Et hoc nobiscũ agit gratia Dei per Iesum Christũ Dominũ nostrũ, nõ solũ præceptis, sacramẽtis, exẽplis; sed & Spiritu sancto, per quẽ latenter diffunditur charitas in cordibus nostris, qui interpellat gemitibus inenarrabilibus, donec in nobis perficiatur sanitas, & Deus sicut videndus est in æterna veritate monstretur.

QVISQVIS ergo fuisse vel esse in hac vita aliquẽ CAPVT XXI. hominẽ, vel aliquos homines putat, excepto vno mediatore Dei & hominũ, quibus necessaria non fuerit Consusio operis. remissio peccatorũ; cõtrarius est diuinæ Scripturę, vbi Apostolus ait, Per vnum hominẽ peccatũ intrauit in Rom.5.
mundũ, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines pertrãsiit, in quo omnes peccauerũt: & necesse est, vt impia contẽtione asserat, esse posse homines, qui sinẽ mediatore Christo liberante atq. saluante sint liberi saluiq. à peccato, cùm ille dixerit, Non est opus sanis Matth.9.
medicus, sed malè habẽtibus; non veni vocare iustos, sed peccatores. Quisquis autẽ dicit, post acceptam remissionẽ peccatorum ita quenquã hominẽ iustè vixisse in hac carne, vel viuere, vt nullum habeat omnino peccatũ, cõtradicit apostolo Ioanni qui ait, Si dixeri- 1 Ioan.5.
mus, quia peccatũ nõ habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Nõ enim ait, habuimus; sed, habemus. Quod si quis asserit de illo peccato esse di- Occupatio.
ctũ, quod habitat in carne mortali nostra secundũ vitiũ quod peccãtis primi hominis voluntate contractũ est, cuius peccati desideriis ne obediam⁹, Paulus apo- Rom.6.
stolus præcipit: non autẽ peccare, qui eidem peccato quãuis in carne habitãti, ad nullũ opus malũ omnino cõsentit vel facti, vel dicti, vel cogitati, quãuis ipsa cõcupiscentia moueatur, quæ alio modo peccati nomẽ accepit, quod ei cõsentire peccare sit, nobisq. moueatur inuitis: subtiliter quidẽ ista discernit; sed videat qd agatur de Dñica oratione, vbi dicimus, Dimitte nobis Matth.6.
debita nostra. Quod, nisi fallor, nõ opus esset dicere, si nunquã, vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione eiusdẽ peccati desideriis aliquantulũ cõsentiremus, sed tantũmodo dicendũ esset, Ne nos inferas in tẽtationẽ, sed libera nos à malo. Nec Iacobus apostolus diceret, In multis offendimus omnes. Non enim Iac.3.
offendit, nisi cui mala concupiscẽtia cõtra iustitiæ rationẽ appetẽdo seu vitando, faciendũ vel dicendũ vel Non ipsa in tentatio concupiscentia, sed consensus peccatum est. cogitandum aliquid, quod nõ debuit, siue fallens, siue præualens persuadet. Postremò si excepto illo capite nostro, sui corporis saluatore, asseruntur vel fuisse, vel esse in hac vita aliqui homines iusti sine aliquo peccato, siue nunquã consentiendo desideriis eius, siue quia pro nullo peccato habendũ est, quod tantũ est, vt hoc pietati nõ imputet Deus, (quãuis aliter sit beatus sine peccato, aliter autẽ beatus, cui non imputat Dñs peccatum) nõ nimis existimo reluctandũ. Scio enim qui- Consule Scholia.
busdã esse visum, quorũ de hac re sententiã nõ audeo reprehendere, quanquam nec defendere valeam. Sed planè quisquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationẽ: (negat autẽ hoc qui contendit ad nõ peccandum gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem) ab autibus omnium remouendũ, & ore omnium anathematizandum esse non dubito.

Finis libri de perfectione iustitiæ.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
LIBER DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO, AD VALENTINVM ET CVM ILLO MONACHOS.

Argumentum ex lib.2. Retractationum, cap.66.

PRopter eos, qui cùm defenditur Dei gratia putantes negari liberum arbitriũ, sic ipsi defendũt liberum arbitrium, vt negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari; scripsi librum, cuius titulus est, De gratia & libero arbitrio. Ad eos autem scripsi monachos Adrumetinos, in quorum monasterio de hac re cœperat esse contentio, ita vt me consulere aliqui eorum cogerentur. Hic liber sic incipit:

CAP. I. PROPTER eos qui liberũ hominis arbitrium sic prædicant & defendunt, vt Dei gratiam qua vocamur ad eum, & à nostris malis meritis liberamur, & per quã bona merita cõparamus, quibus ad vitam perueniamus æternam, negare audeant & conẽtur auferre; multa iam disseruimus, literísq. mandauimus, quantũ nobis Dominus donare dignatus est. Sed quoniã sunt quidam qui sic gratiã Dei defendũt, vt negent hominis liberũ arbitrium; aut quãdo gratia defenditur, negari existiment liberũ arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestrã charitatem, Valentine frater, & cæteri qui simul Deo seruitis, compellente mutua charitate curaui. Nunciatũ est enim mihi de vobis fratres, ab aliquibus qui in vestra cõgregatione sunt, & ad nos inde venerunt, per quos & ista direximus, quòd de hac re dissensiones in vobis sint. Itaque, dilectissimi, ne vos perturbet huius quęstionis obscuritas, moneo vos primũ, vt de iis quæ intelligitis, agatis Deo gratias; quicquid est autem quò peruenire nondũ potest vestræ mentis intentio, pacem inter vos & charitatẽ seruãtes, à Domino vt intelligatis orate. Et donec vos ipse perducat ad ea quæ nondũ intelligitis, ibi ambulate quò peruenire potuistis. Hoc admonet apostolus Paulus, qui cùm dixisset nõdum se esse perfectum, paulo pòst ait:
Philip.3. Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus, id est, ita nos esse perfectos, vt nondum ad perfectionem quæ nobis sufficit venerimus: continuóque subiunxit, Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit: verũtamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. Ambulando quippe in quod peruenimus; & quò nõdum peruenimus, peruenire poterimus, Deo nobis reuelãte si quid aliter sapimus, si ea quæ iam reuelauit, non relinquamus.

CAPVT II. Probat inesse nobis liberum arbitrium. Commemoro, pro commonefacio. REVELAVIT autẽ nobis per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberũ voluntatis arbitriũ. Quomodo autẽ reuelauerit cõmemoro vos, non humano eloquio, sed diuino. Primum, quia ipsa diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberũ voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa premia peruenire. Ideo enim data sunt, vt homo excusationem de ignorantia non haberet: sicut Dominus dicit
Ioan.15. in Euãgelio de Iudæis: Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatũ non haberent. Nunc autẽ excusationem nõ habẽt de peccato suo. De quo peccato dicit, nisi de illo magno, quod præsciebat eorum futurum quando ista dicebat, id est, quo cum fuerant occisuri? Neque enim nullũ habebant peccatũ, antequã Christus venisset in carne ad eos. Itẽ dicit Apostolus: Re-
Rom.1. uelatur ira Dei de cælo in omnem impietatẽ & iniustitiam hominũ eorum, qui veritatẽ in iniquitate detinent; quia quod notũ est Dei, manifestũ est in illis; Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim eius à creatura mũdi per ea quæ facta sunt, intellecta cõspiciũtur, sempiterna quoq. virtus eiº ac diuinitas, vt sint inexcusabiles. Quomodo dicit inexcusabiles, nisi de illa excusatione qua solet dicere humana superbia: Si scissem, fecissem; ideo nõ feci, quia nesciui. Aut, si scirem, facerem; ideo non facio, quia nescio? Hęc eis ex- Per legis cognitionem tollitur excusatio quam adferunt homines in peccatis suis. cusatio tollitur, quãdo præceptũ datur, vel scientia nõ peccandi manifestatur. Sed sunt homines qui etiã de ipso Deo se excusare conantur, quibus dicit apostolus Iacobus: Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo Iacob.1.
tentor. Deus enim intentator malorũ est: ipse autem neminẽ tentat. Vnusquisq. verò tentatur à cõcupiscẽtia sua abstractus & illectus. Deinde cõcupiscẽtia cùm conceperit, parit peccatũ. Peccatũ verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Item de ipso Deo se excusare volentibus, respondet liber Prouerbiorũ Sa- Prou.19.
lomonis: Insipientia viri violat vias eius, Deum autẽ causatur in corde suo. Et liber Ecclesiasticus dicit: Ne Eccl.15.
dixeris quia propter Deum recessi, quæ enim odit ne facias: Ne dixeris quia ipse me induxit: non enim opus habet viro peccatore. Omne execramẽtum odit Dominus, & nõ est amabile timẽtibus eum. Ipse ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu consilij sui. Si volueris conseruabis mandata, & fidem bonã placiti. Apponet tibi ignem & aquã, ad quodcunque volueris extende manũ tuã. In cõspectu hominis vita & mors, & quodcũq. placuerit dabitur ei. Ecce apertissimè videmus expressum liberũ humanæ voluntatis arbitriũ. Quid illud quòd tam multis locis omnia mãdata sua custodiri & fieri iubet Deus? Quomodo iubet si non est liberũ arbitrium? Quid beatus ille, de quo Psalmus Psal.1.
dicit, quòd in lege Domini fuit volũtas eius: nónne satis indicat volũtate sua hominẽ in lege Dei cõsistere? Deinde tam multa mandata quæ ipsam quodãmodo nominatim conueniũt voluntatẽ, sicut est, Noli vinci Rom.12.
à malo: & alia similia, sicut sunt, Nolite fieri sicut e- Psal.21.
quus & mũlus, quibus non est intellectus. Et, Noli re- Prouerb.1.
pellere consilia matris tuæ. Et, Noli esse sapiens apud Prouerb.3.
teipsum. Et, Noli deficere à disciplina Domini. Et, Noli negligere legem. Et, Noli abstinere benefacere egenti. Et, Noli fabricare in amicum tuum mala. Et, Noli intendere fallaci mulieri. Et, Noluit intelligere vt bene ageret. Et, Noluerunt accipere disciplinam. & innumerabilia talia in veteribus libris diuinorum eloquiorum quid ostendunt, nisi liberũ arbitriũ volũtatis humanæ? In libris etiam nouis Euangelicis & Apostolicis quid aliud ostẽditur, vbi dicitur: Nolite vo- Matth.6.
bis condere thesauros in terra. Et, Nolite timere eos Matth.10.
qui occidunt corpus. Et, Qui vult venire post me, ab- Matth.16.
neget semetipsum. Et, Pax in terra hominibus bonæ Luc.2.
voluntatis. Et quod dicit apostolus Paulus: Quod vult 1 Cor.7.
faciat, nõ peccat si nubat: qui autẽ statuit in corde suo non habens necessitatem, potestatẽ autem habẽs suæ voluntatis, & hoc statuit in corde suo seruare virginẽ suam, bene facit. Item dicit: Si autem volens, hoc fa- 1 Cor.9.
cio, mercẽdem habeo. Et alio loco: Sobrij estote iu- 1 Cor.15.
ste, & nolite peccare. Et iterum: Vt quemadmodum 2 Cor.8.
promptus est animus volũtatis, ita sit & perficiendi. Et ad Timotheũ dicit: Cùm enim in deliciis egerint 1 Tim.5.
in Christo, nubere volunt. Et alibi: Sed & omnes qui 2 Tim.3.
piè voluerit viuere in Christo Iesu, persecutionem pa-

1 Tim. 4. tiétur. Et ipsi Timotheo: Noli negligere gratiam quæ in te est. Et ad Philemonem: Ne bonum tuũ velut ex
Ephes. 6. necessitate esset, sed ex voluntate. Seruos etiam ipsos monet, vt dominis suis ex animo seruiant cum bona
Iac. 2. voluntate. Item Iacobus: Nolite itaque errare fratres mei, & nolite in personarũ acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi, & nolite detrahere de al-
1 Ioan. 2. terutro. Item Ioannes in Epistola sua: Nolite diligere mũdum: & cętera huiusmodi. Nẽpe vbi dicitur: Noli hoc, & noli illud, & vbi ad aliquid faciendũ vel non faciendum in diuinis monitis opus volũtatis exigitur, satis liberũ demonstratur arbitriũ. Nemo ergo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque, cùm peccat. Neque cùm aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate. Quãdo enim volens facit, tũc dicendum est opus bonũ, tunc sperãda
Matth. 6. est boni operis merces ab eo, de quo dictum: Qui reddet vnicuique secundum opera sua. Qui ergo nouerunt diuina mandata, aufertur eis excusatio, quam solent homines habere de ignorantia.

CAPVT III. Quod nec ignorãtia excusset, vt à pœna liberet. Rom. 2.

SED nec ipsi sine pœna erũt qui legẽ Dei nesciũt. Qui enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: qui autẽ in lege peccauerunt, per legem iudicabũtur. Quod mihi nõ videtur Apostolus ita dixisse, tanquã pejus aliquid significauerit esse passuros, qui legẽ nesciũt in peccatis suis, quàm illos qui sciũt. Peius enim videtur esse perire, quàm iudicari. Sed cùm hoc de gẽtibus & de Iudæis loqueretur, quia illi sine lege sunt, isti autẽ legem acceperũt; quis audeat dicere Iudæos qui in lege peccant, non esse perituros cùm in Christũ non crediderunt, quandoquidem de illis dictum est, per legem iudicabũtur? Sine fide enim Christi nemo liberari potest, ac per hoc ita iudicabuntur vt pereãt. Nam si peior est conditio nescientiũ quàm sciẽtium legẽ Dei, quomodo verũ erit quod Dominus in Euãgelio ait: Seruus qui nescit voluntatẽ dñi sui, & facit
Luca 12. digna plagis, vapulabit pauca: seruus autem qui scit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multa. Ecce vbi ostẽdit grauius peccare hominem scientem quàm nescientẽ, nec tamen ideo confugiẽdũ est ad ignorãtię tenebras, vt in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim nescisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: Noluit intelligere vt bene ageret. Sed & illa ignorantia quæ non est eorum qui scire nolũt, sed eorum qui tanquàm simpliciter nesciũt, neminem sic excusat, vt sempiterno igne non ardeat: si propterea nõ credidit, quia non audiuit omnino quod crederet; sed fortassis vt mitius ardeat: non enim sine causa dictũ est: Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt. Et illud quod ait Apostolus: Cùm venerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorãt Deum. Verũtamen vt habeamus & ipsam scientiã, ne dicat vnusquisque, nesciui, non audiui, nõ intellexi, volũtas conuenitur humana, vbi dicitur: Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: quamuis peior appareat, de
Prou. 29. quo dictũ est: Verbis non emendabitur seruus durus: si enim & intellexerit, non obaudiet. Quando autem dicit homo: Nõ possum facere quod præcipitur, quoniam concupiscentia mea vincor, iam quidẽ de ignorantia non habet excusationem, nec Deum causatur in corde suo; sed malũ suũ in se cognoscit & dolet: cui
Rom. 12. tamen dicit Apostolus, Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Et vtique cui dicitur, noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis eius conuenitur: velle enim & nolle propriæ voluntatis est.

CAPVT IIII. Trãsit ad gratiæ contra Pelagianos tractationem.

SED metuendum est ne ista omnia diuina testimonia, & quæcunque alia sunt quæ sine dubitatione sunt plurima, in defensione liberi arbitrij sic intelligantur, vt ad vitam piam & bonam conuersationem, cui merces æterna debetur, adiutorio & gratię Dei locus non relinquatur: & audeat miser homo quãdo bene viuit & bene operatur, vel potius bene viuere & bene operari sibi videtur, in seipso non in Domino gloriari, & spem rectè viuendi in seipso ponere, vt sequatur eum maledictum Hieremiæ Prophetæ dicentis: Maledictus homo qui spem habet in homine, & Hier. 17.
firmat carnem brachij sui, & à Domino discedit cor eius. Intelligite fratres hoc propheticum testimonium: quia enim non dixit Propheta: Maledictus homo qui spem habet in seipso, posset alicui videri ideo dictum esse: Maledictus homo qui spem habet in homine; vt nemo habeat spem in altero homine, sed in se. Vt ergo ostenderet sic se admonuisse hominem, vt nec in seipso haberet spem, propterea cùm dixisset: Maledictus homo qui spẽ habet in homine: mox addidit: & firmat carnẽ brachij sui: Brachiũ pro potẽtia Brachium pro operandi potestate.
posuit operandi. In nomine autem carnis intelligenda est humana fragilitas: ac per hoc firmat carnem Caro, pro fragilitate humana.
brachij sui, qui potentiam fragilem atque inualidam, id est, humanam sibi sufficere ad bene operandum putat, nec adiutorium sperat à Domino. Propter hoc enim subiecit: Et à Domino discedit cor eius. Talis est hæresis Pelagiana, non antiqua, sed ante non multum tempus exorta: contra quam hæresim cùm fuisset diutius disputatum, etiam ad concilia episcopalia nouissima necessitate peruentum est; vnde vobis non quidem omnia, sed tamen aliqua legenda direxi. Nos ergo ad bene operandum spem non habeamus in homine, firmantes carnem brachij nostri, nec à Domino
discedat cor nostrum; sed ei dicat: Adiutor meus esto, Psal. 26.
ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. Proinde charissimi, sicut superioribus testimoniis Scripturarum probauimus sanctarum, ad bene viuendum & rectè agendum esse in homine liberum voluntatis arbitrium: sic etiam de gratia Dei, sine qua Probat necessitatem esse libero arbitrio gratiam Dei.
nihil boni agere possumus, quę sint diuina testimonia videamus. Ac primum de ipsa vestra professione aliquid dicam: neque enim congregaret vos ista societas Castitatis in monasteriis professio.
in qua continenter viuitis, nisi voluptatem coniugalem contemneretis. Hinc autem Domino loquenti cùm dixissent discipuli: Si talis est causa homini cum Matth. 19.
vxore, non expedit nubere: respondit eis, Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Nunquid non liberum arbitrium Timothei est exhortatus Apostolus dicens: Contine teipsum? Et in hac re po- 1 Tim. 5.
testatem voluntatis ostendit: vbi ait, Non habens necessitatem; potestatem autem habens suæ voluntatis, 1 Cor. 7.
vt seruet virginem suam: & tamen non omnes capiũt verbum hoc, sed quibus datum est: quibus enim non est datum, aut nolunt, aut non implent quod volunt: quibus autem datum est, sic volunt vt impleant quod volunt. Itaque vt hoc verbum; quod non ab omnibus Quibus datur, sic volunt vt impleant.
capitur, ab aliquibus capiatur & Dei donum est, & liberum arbitrium. De ipsa quoque pudicitia coniugali nempe Apostolus ait: Quod vult faciat, non peccat si nubat; & tamen etiam hoc Dei donum est, dicente Scriptura: A Domino iungitur mulier viro. Ideo do- Prou. 19.
ctor gentium & pudicitiam cõiugalem, per quam nõ fiunt adulteria, & perfectiorem continentiam, per quam nullus concubitus quæritur, sermone suo commendans: & hoc & illud donum Dei esse monstrauit, scribẽs ad Corinthios, & admonens coniuges ne se inuicem fraudent: quos cùm admonuisset, adiecit: Vellem autem omnes homines esse sicut & mei- 1 Cor. 7.
psum: quia vtique ipse ab omni concubitu continebat. Et continuò subiunxit: Sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic. Nunquid tam multa quæ præcipiuntur in lege Dei, ne fornicationes & adulteria committantur, indicant aliud quàm liberum arbitrium? Neque enim præciperentur, nisi homo haberet propriam voluntatem,

qua diuinis præceptis obediret: & tamen Dei donum est, sine quo seruari castitatis præcepta nõ possunt. Vnde ait ille in libro Sapientię: Cùm scirem quia
Sapient. 8. nemo esse potest continẽs nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum. Vt autem
Iacobi 1. ista non seruentur castitatis sancta mãdata, vnusquisque tentatur à cõcupiscentia sua abstractus & illectus. Vbi si dixerit, volo seruare, sed vincor à concupiscentia mea: respondet Scriptura libero eius arbitrio, quod
Rom. 12. iam superius dixi: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum: quod tamen vt fiat, adiuuat gratia, quæ nisi adiuuerit, nihil lex erit nisi virtus peccati. Augetur enim concupiscentia, & maiores vires accipit lege prohibente, nisi adiuuet spiritus gratiæ. Hoc est quod
1 Cor. 15. dicit ille ipse doctor gentium: Aculeus autem mortis est peccatum, virtus verò peccati lex. Ecce vnde dicit homo: Volo legis seruare mandatum, sed virtute cõcupiscentiæ meę vincor. Et cùm voluntas eius conuenitur & ei dicitur: Noli vinci à malo; quid ei prodest nisi gratia succurrente fiat? Quod ipse Apostolus secutus adiunxit; nam & cùm dixisset, virtus peccati lex; continuò subiecit: Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Ergo & victoria qua peccatũ vincitur, nihil aliud est quàm donum Dei, in isto certamine adiuuantis liberum arbitriũ. Propter quod dicit & cælestis magister,
Matth. 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Ergo vnusquisque contra suam concupiscentiam dimicans
Intrare in tẽtationem. oret, ne intret in tentationem: id est, ne sit ab illa abstractus & illectus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanę, nisi à Domino victoria concedatur oranti, ne intret in
Oratio euidẽs est gratiæ documentum. tentationem. Quid verò euidentius quàm Dei ostenditur gratia, vbi quod oratur, accipitur? Si enim dixisset Saluator noster, Vigilate ne intretis in tentationem, admonuisse videretur tãtummodo hominis voluntatem: cùm verò addidit, & orate, ostendit Deum adiuuare, ne intretur in tentationem. Dictum est libero arbitrio; Fili noli deficere à disciplina Domini:
Prouer. 3. & Dominus dicit; Ego rogaui pro te Petre, ne deficeret fides tua. Homo ergo gratia iuuatur, ne sine causa
Luca 22. voluntati eius iubeatur.

CAP. V. Matth. 1.

CVM dicit Deus, Conuertimini ad me, & conuertar ad vos: vnum horum videtur esse nostræ voluntatis, id est, vt conuertamur ad Deum; alterum verò ipsius gratiæ, id est, vt etiam ipse conuertatur ad nos, vbi possunt putare Pelagiani suam obtinere sententiam, qua dicunt gratiam Dei secundum merita
Conciliũ Palæstinũ contra Pelagium. nostra dari. Quod quidem in Oriente, hoc est, in prouincia Palæstina, in qua est ciuitas Hierusalem, cùm ipse Pelagius ab Episcopis audiretur, affirmare non ausus est. Nam inter cætera quæ illi obiecta sunt, & hoc obiectum est, quòd diceret *gratiam Dei secundum merita nostra dari*; quod sic alienum est à catholica doctrina, & inimicum gratiæ Christi, vt nisi hoc obiectum sibi anathematizasset, ipse inde anathematizatus exisset. Sed fallaciter eum anathematizasse posteriores eius indicant libri, in quibus omnino nihil aliud defendit, quàm gratiam Dei secundum merita nostra dari. Talia ergo de Scripturis colligunt, quale est hoc vnum quod paulo antè dixi: Conuertimini ad me & conuertar ad vos, vt secundum meritum conuersionis nostræ ad Deum, detur gratia eius, in qua ad nos & ipse conuertitur. Nec attendunt qui hoc sentiunt, quia nisi donum Dei esset etiam ipsa ad Deum
Psal. 79. nostra conuersio, non ei diceretur: Deus virtutum
Psal. 84. conuerte nos. Et, Deus tu conuertens viuificabis nos. Et, Conuerte nos Deus sanitatum nostrarum. & huiusmodi alia, quę commemorare longum est. Nam
Venire ad Christum. & venire ad Christum, quid est aliud nisi ad eum credendo conuerti, & tamen ait: Nemo potest ve- Ioan. 1.
nire ad me, nisi datum fuerit ei à patre meo? Item quod scriptum est in libro secundo Paralipomenõn:
Dominus vobiscum, cùm vos estis cum eo, & si quæ- 2 Par. 15.
sieritis eum, inuenietis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos: manifestat quidem voluntatis arbitrium. Sed illi qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, ista testimonia sic accipiunt, vt dicant meritũ nostrum in eo esse quòd sumus cum Deo; eius autem gratiam secundum hoc meritum dari, vt sit & ipse nobiscum. Item meritum nostrum in eo esse quòd quærimus eum; & secundum hoc meritum dari eius gratiam, vt inueniamus eum.
Et in libro primo quod dictum est, Et tu Salomon fili 1 Par. 28.
mi cognosce Deum, & serui ei in corde perfecto, & anima volente: quia omnia corda scrutatur Dominus, & omnem cogitationem mentium nouit: si quæsieris eum, inuenietur tibi, & si dimiseris eum, repellet te in perpetuum: declarat voluntatis arbitrium. Sed illi in eo ponunt meritum hominis, quod dictum est, Inuenietur tibi: & omnino laborant quantum possunt, ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari: hoc est, gratiam non esse gratiam. Quibus enim secundum meritum redditur, non imputatur merces secundum gratiam, sed secundum debitum, sicut apertissimè dicit Apostolus. Meritum enim fuit quidem in apostolo Paulo, sed malum, quando
persequebatur Ecclesiam: Vnde dicit, Non sum ido- 1 Cor. 15.
neus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Cùm ergo haberet hoc meritum malum, redditum est ei bonum pro malo; ideóque secutus adiũxit: Sed gratia Dei sum quod sum. Arq. vt ostenderet & liberum arbitrium, mox addidit, Et gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboraui. Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur & in aliis, quibus dicit, Rogamus ne in vacuum 2 Cor. 6.
gratiam Dei suscipiatis. Vt quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, vt propriam perderent voluntatem? Tamẽ ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuò cùm dixisset, Gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboraui: subiunxit atque ait: Non ego autem, sed gratia Dei mecum: id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Vt autem de cælo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione conuertere-
tur, gratia Dei erat sola, quia merita eius erant magna, sed mala. Denique & alibi dicit ad Timotheum: Col- 2 Tim. 1.
labora Euangelio secundum virtutem Dei saluos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secũdum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu. Item merita sua, sed mala commemorans dicit: Fui- Tit. 3.
mus enim stulti & nos aliquando & increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, abominabiles, inuicem odio habentes. Quid istis tam malis meritis nisi pœna vtique debebatur? Sed Deo reddente bona pro malis, per gratiam quæ non secundum merita nostra datur, factum est quod deinde subiunxit, & dicit: Cùm autem benignitas & humanitas illuxit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem ditissimè effudit super nos, per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati ipsius gratia, hæredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ.

CAPVT VI.

HIS & talibus testimoniis diuinis probatur gratiam Dei non secundum merita nostra dari, quando-
quidem non solum nullis bonis, verumetiam mul-

tis meritis malis præcedentibus videmus datam, & quotidie dari videmus. Sed planè cùm data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona, per illam tamen: nam si se illa subtraxerit, cadit homo non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter nec quando cœperit homo habere merita bona, debet sibi tribuere illa, sed Deo, cui dicitur in Psalmo: Adiutor meus esto, ne derelinquas me: dicendo, ne derelinquas me, ostendit quia si derelictus fuerit, nihil boni valet ipse per se; vnde & ille ait: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Putauerat enim suum fuisse bonum, quod ei sic abundabat vt non moueretur: sed vt ostenderetur illi cuius esset illud bonum, de quo tanquam suo cœperat gloriari, paululum gratia Dei deserente admonitus dicit: Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ideo necessarium est homini, vt gratia Dei non solùm iustificetur impius, id est, ex impio fiat iustus, cùm redduntur ei bona pro malis, sed etiam cùm fuerit iam iustificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam ne cadat. Propter hoc scriptum est in Cantico canticorum de ipsa Ecclesia: Quæ est ista quæ ascendit dealbata, incumbens super fratruelem suum? Dealbata est enim quæ per seipsam alba esse non posset. Et à quo dealbata est, nisi ab illo, qui per Prophetam dicit: Si fuerint peccata vestra vt phœnicium, sicut niuem dealbabo? Quando ergo dealbata est, nihil boni merebatur: iam verò alba facta, bene ambulat; sed si super eum à quo dealbata est, perseueranter incumbat: Propter quod & ipse Iesus super quem incumbit dealbata, dixit discipulis suis: Sine me nihil potestis facere. Ergo redeamus ad apostolum Paulum, quem certè inuenimus sine vllis meritis bonis, imò cum multis meritis malis, Dei gratiam consecutum reddentis bona pro malis: videamus quid dicat sua iam propinquante passione, scribens ad Timotheũ: Ego enim iam immolor, inquit, & tempus resolutionis meæ instat: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Ista vtique iam merita sua bona commemorat; vt post bona merita consequatur coronam, qui post merita mala cõsecutus est gratiam. Denique attendite quid sequatur: Superest, inquit, mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Cui redderet coronam iustus iudex, si non donasset gratiam misericors pater? Et quomodo esset ista corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia quæ iustificat impium? Quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur? Sed cùm dicũt Pelagiani hanc esse solam, non secundum merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur: illam verò quæ datur in fine, id est æternã vitam, meritis nostris præcedentibus reddi: respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus: Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur: Dona sua coronat Deus, non merita tua; si tibi à te ipso, non ab illo sunt merita tua: hæc enim si talia sunt, mala sunt; quæ mala sunt, non coronat Deus; si autem bona sunt, Dei dona sunt: quia sicut dicit apostolus Iacobus: Omne datũm optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Vnde dicit & Ioannes præcursor Domini nostri: Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit ei datum de cælo: vtique de cælo, vnde etiam venit Spiritus sanctus, quando Iesus ascendit in altum, captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus.

Habemus ergo & merita bona.

Psal. 26.

Psal. 29.

Cant. 8.

Esaia 1.

Ioan. 15.

2. Tim. 4.

Solam peccatorũ remissionem, Dei gratiam quæ non secundũ merita nostra detur, Pelagiani agnoscunt.

1 Cor. 4.

Coronat in nobis Deus dona sua, non merita nostra, id est, quæ ex nobis ipsis habeamus. Iac. 1.

Ioan. 3.

Ephes. 4.

CAPVT VII. Si ergo Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Proinde consideremus ipsa merita apostoli Pauli, quibus dixit coronam redditurum iudicem iustum, & videamus vtrum merita ipsius tanquam ipsius, id est ex ipso ei comparata, an dona sint Dei. Bonum, inquit, certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Primo ista bona opera, si non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent. Attendite itaque quid de ipsis cogitationibus dicat; ait enim scribens ad Corinthios: Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, tanquam à nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Deinde singula inspiciamus: Bonum, inquit, certamen certaui. Quæro qua virtute certauerit, vtrum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? Sed absit vt tantus doctor ignorauerit legem Dei, cuius vox est in Deuteronomio: Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc, sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem. Quid autem prodest bonum certamen, nisi sequatur victoria? Et quis dat victoriam, nisi ille de quo dicit ipse: Gratias Deo qui dat nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum. Et alio loco cùm commemorasset testimonium de Psalmo: Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oues occisionis: subiecit atque ait: Sed in his omnibus superuincimus per eum qui dilexit nos: non ergo per nos, sed per eum qui dilexit nos. Deinde dixit: Cursum consummaui, sed ille hoc dixit, qui alio loco dicit: Igitur non volentis neq. currentis, sed miserẽtis est Dei. Quæ sententia nullo modo potest etiam sic conuerti vt dicatur, non miserentis Dei, sed volentis & currentis est hominis: quisquis enim hoc ausus fuerit dicere, apertè se ostendit Apostolo contradicere. Postremò dixit: Fidem seruaui, sed ille hoc dixit, qui alibi ait: Misericordiam consecutus sum vt fidelis essem. Non enim dixit, Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram, sed vt fidelis essem: hinc ostendens etiam ipsam fidem haberi nisi Deo miserante non posse, & esse donum Dei. Quod apertissimè docet, dicẽs: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Possent enim dicere, ideo accepimus gratiam, quia credimus, tanquam sibi fidem tribuentes, gratiam Deo: propter hoc Apostolus cùm dixisset, per fidem, & hoc, inquit, non ex vobis; sed Dei donum est. Rursus ne dicerent se suis operibus donum tale meruisse, continuò subiecit: Non ex operibus, ne fortè quis extollatur: non quia negauit, aut euacuauit opera bona, cùm dicat Deum vnicuique reddere secundum opera eius: sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiæ, à quo est ipsa fides, de qua dictum est: Iustus ex fide viuit. Homines autem non intelligentes, quod ait Apostolus, arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis: putauerunt cum dicere sufficere homini fidem, etiam si malè viuat & bona opera non habeat. Quod absit vt sentiret vas electionis: qui cùm dixisset quodam loco: In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, mox addidit: Sed fides quæ per dilectionem operatur. Ipsa est fides quæ fideles Dei separat ab immundis dæmonibus: nam & ipsi, sicut dicit apostolus Iacobus, credunt & contremiscunt, sed non bene operantur. Non ergo habent istam fidem ex qua iustus viuit, id est, quæ per dilectionem operatur, vt reddat ei Deus vitam æternam secundum opera eius. Sed quia & ipsa bona opera nobis

Rom. 9.

Apostoli sententiam, Non volẽtis neque currentis, sed miserentis est Dei, non posse conuerti.

2. Tim. 4.

1. Tim. 1.

Ephes. 2.

Rom. 1.

Sic & hodie multi Apostolum intelligũt & interpretantur.

Act. 2.

Gal. 5.

Iacobi 2.

ex Deo sunt, à quo nobis & fides est, & dilectio, propterea idem ipse doctor gentium, etiam ipsam vitam æternam, gratiam nuncupauit.

CAPVT VIII. Vita æterna quomodo & merces sit, & gratia.

Rom. 4.

Rom. 11.

Rom. 6.

Respondes quæstioni.

Ioan. 15.

Non ex operibus quo sanctũ saluari nos nuget Apostolus.

Psal. 50.

2. Cor. 5.

Iustificatio, tantũ est gratia; vita æterna & merces & gratia.

Psal. 61.

Apoc. 22.

CAPVT IX. Vita æterna gratia pro gratia. Ioan. 1.

Rom. 6.

SED nascitur inde non parua quæstio, quę Domino donante soluenda est. Si enim vita æterna bonis operibus redditur, sicut apertissimè dicit Scriptura; Quoniam Deus reddet vnicuiq. secũdum opera eius: quomodo gratia est vita æterna, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, ipso Apostolo dicente: Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Et iterum: Reliquiæ, inquit, per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Et mox addidit: Si autem gratia, iam nõ ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Quomodo est ergo gratia vita æterna, quæ ex operibus sumitur? An fortè vitam æternam non dixit Apostolus gratiam? Imò verò sic dixit, vt negari omnino non possit, nec intellectorem acutum, sed tantummodo intentum desiderat auditorem. Cùm enim dixisset: Stipendiũ peccati mors; continuò subdidit: Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. Ista ergo quęstio nullo modo mihi videtur posse dissolui, nisi intelligamus & ipsa bona opera nostra quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere; propter illud quod ait Dominus Iesus: Sine me nihil potestis facere. Et ipse Apostolus cùm dixisset: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur: vidit vtiq. putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola sufficiat: & rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sibi ipsi sufficiant, mox itaque addidit: Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Quid est hoc, quòd cùm Dei gratiam cõmendans dixisset, nõ ex operibus, ne fortè quis extollatur: cur hoc dixerit rationem reddens; ipsius enim sumus, inquit, figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis? Quomodo ergo non ex operibus, ne fortè quis extollatur? Sed audi & intellige, non ex operibus dictũ, tanquam tuis ex teipso tibi existẽtibus; sed tanquã his in quibus te Deus finxit, id est, formauit & creauit. Hoc enim ait: Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, non illã creatione qua homines facti sumus; sed eã de qua ille dicebat, qui vtique iam homo erat: Cor mundum crea in me Deus. & de qua dicit Apostol°: Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt: Ecce facta sunt noua, omnia autẽ ex Deo. Fingimur ergo, id est, formamur & creamur in operibus bonis, quæ nõ præparauimus nos, sed præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Itaq; fratres charissimi, si vita bona nostra nihil aliud est quàm Dei gratia; sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur tantummodo gratia est, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia, vt verum sit quoniam verum est, quia reddet vnicuique Deus secundum opera eius.

VTRVM autẽ legerimus in Scripturis sanctis, gratiam pro gratia, forsitan quæritis; sed habetis Euangelium secundũ Ioannem tanta luce clarissimum, vbi Ioãnes Baptista de Domino Christo dicit: Nos omnes ex plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia. Ex eius itaq. plenitudine accepimus pro modulo nostro tanquam particulas nostras, vt bene viuamus: sicut Deus partitus est mensuram fidei, quia vnusquisq. proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic, & ipsa est gratia; sed insuper accipiemus & gratiam pro gratia, quando nobis vita æterna reddetur, de qua dixit Apostolus: Gratia autem Dei vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro: cùm prius dixisset, Stipendium peccati mors. Meritò enim stipendium, quia militiæ diabolicæ mors æterna tanquam debitum redditur. Vbi cùm posset dicere, & rectè dicere: Stipendium autẽ iustitiæ vita æterna: maluit dicere: Gratia autẽ Dei vita æterna: vt hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad æternã vitam, sed pro sua miseratione perducere. De quo in Psalmo dicit homo eius animæ suę: Qui coronat te in miseratione & misericordia. Nunquid nõ corona bonis operibus redditur? sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictum est: Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate, ideo dixit Psalmus: Coronat te in miseratione & misericordia: quia eius miseratione bona operamur, quibus corona redditur. Non enim, quia dixit, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona volũtate; ideo liberũ arbitriũ abstulisse putãdus est. Quod si ita esset, nõ superius dixisset: Cũ timore & tremore vestrã ipsorũ salutẽ operamini. Quãdo enim iubetur vt operẽtur, liberũ eorũ conuenitur arbitriũ: sed ideo cũ timore & tremore, ne sibi tribuẽdo quòd bene operãtur, de bonis tanquã suis extollãtur operibus. Tanquã ergo interrogaretur Apostolus, & diceretur ei, quare dixisti, Cum timore & tremore? horũ verborũ rationem reddidit, dicẽs: Deus est enim qui operatur in vobis. Si enim timetis & tremitis, non extollimini tanquam de vestris operibus bonis, quia Deus est qui operatur in vobis. Itaque, fratres, debetis quidem per liberum arbitrium non facere mala, & facere bona, hoc enim nobis lex Dei præcipit in libris sanctis, siue veteribus, siue nouis.

Rom. 4.

Rom. 11.

Philip. 2.

Rom. 6.

Ioan. 15.

Gal. 2.

Legis præuaricatio, quid.

Rom. 7.

Literæ vetustas quid. Nouitas spiritus quid.

Exod. 20.

SED legamus & adiuuante Domino intelligamus Apostolum dicentem: Quia non iustificabitur ex lege omnis caro coram ipso: per legem enim cognitio peccati. Cognitio dixit, non consumptio. Quando autem cognoscit homo peccatum, si non adiuuat gratia vt cognitum caueatur, sine dubio lex iram operatur. Quod alio loco ipse Apostolus dicit; ipsius enim verba sunt: Lex iram operatur. Hoc autem dixit, quia ira Dei maior est in præuaricatore, qui per legem cognoscit peccatum, & tamen facit: talis quippe homo præuaricator est legis; sicut & in alio loco dicit: Vbi enim lex non est, nec præuaricatio est. Propter hoc & alibi ait: Vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ: legem volens intelligi literæ vetustatem, nouitatem verò spiritus quid nisi gratiam? Et ne putaretur accusasse legem vel reprehendisse: continuò sibi opposuit quæstionem, & ait: Quid ergo dicemus: Lex peccatum est? Absit. Deinde subiunxit: Sed peccatum non cognoui, nisi per legem: hoc est quod dixerat, per legem cognitio peccati. Nam concupiscentiam, inquit, nesciebam, nisi lex diceret: Nõ concupisces: occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscẽtiam: sine lege enim peccatum mortuum erat, ego autem aliquando viuebam sine lege: aduenienteautem mandato, peccatum reuixit: ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatũ quod erat in vita, hoc esse in mortem: peccatũ enim occasione accepta per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Itaque lex quidẽ sancta, & mandatũ sanctũ & iustũ & bonũ. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonũ mihi operatum est mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Et ad Galatas dicit: Scientes autem quoniam non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Domini nostri Iesu Christi: & nos in Christo credidimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, quoniam ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.

Gal. 2.

CAPVT XI. *Dei gratiam quia iuuamur ad non peccãdum, Pelagiani legem esse contendunt.*

QVID est ergo quòd vanissimi homines & peruer- A
sissimi Pelagiani legem dicunt esse Dei gratiã, qua iu-
uamur ad non peccandum? Quid est miseri quod di-
cunt, qui sine vlla dubitatione tanto Apostolo cõtra-
dicunt? Ille dicit peccatum vires aduersus hominem
accepisse per legem, & eum per mandatum quamuis
sanctum & iustum & bonum, tamen occidere, & per
bonum operari ei mortem, de qua nõ liberaretur, nisi
viuificaret spiritus eũ, quem litera occiderat: sicut alio
loco dicit, Litera occidit, spiritus autem viuificat. Et
istí indociles contra lucem Dei cæci, & contra vocem
Dei surdi, occidentem literam viuificare dicũt, & vi-
uificanti spiritui contradicunt. Ergo, fratres, vt ipsius
potius Apostoli verbis vos moneam, debitores su-
mus non carni vt secundum carnem viuamus: si e-
nim secundum carnem vixeritis, moriemini: si au-
tem spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis.
Hæc dixi, vt Apostolicis verbis liberum arbitrium ve-
strum à malo deterrerem, & exhortarer ad bonum:
nec tamen ideo debetis in homine, hoc est, in vobis- B
ipsis, non in Domino gloriari, quando non secundum
carnem viuitis, sed spiritu actiones carnis mortificatis.
Vt enim non se extollerent quibus ista dicebat, existi-
mãtes se suo spiritu tanta hæc bona opera facere pos-
se, non Dei; propterea cùm dixisset, Si autem spiritu
actiones carnis mortificaueritis, viuetis; cõtinuò sub-
iecit: Quotquot enim spiritu Dei agũtur, hi filij sunt
Dei. Quando ergo spiritu actiones carnis mortificatis
vt viuatis, illum glorificate, illum laudate, illi gratias
agite cuius spiritu agimini vt ista valeatis, vt vos filios
Dei esse monstretis: quotquot enim spiritu Dei agũ-
tur, hi filij sunt Dei.

Rom. 8.

CAPVT XII.

QVOTQVOT ergo adiuncto solo adiutorio legis,
sine adiutorio gratiæ confidentes in virtute sua, suo
spiritu aguntur, nõ sunt filij Dei. Tales sunt de quibus
idem dicit Apostolus, quòd ignorantes Dei iustitiam, C
& suam volentes cõstituere, iustitiæ Dei nõ sunt sub-
iecti. De Iudæis hoc dixit, qui de se præsumentes gra-
tiam repellebãt, & in Christum propterea non crede-
bant. Suam verò iustitiam dicit eos volẽtes constitue-
re, quæ iustitia est ex lege, non quia lex ab ipsis consti-
tuta, sed in lege quæ ex Deo est, suam iustitiam cõsti-
tuerũt, quando eandem legem suis viribus se implere
posse credebant; ignorantes Dei iustitiam, nõ qua iu-
stitia Deus iustus est, sed quæ iustitia est homini ex
Deo. Et vt sciatis hanc illum eorum dixisse iustitiam,
quæ est ex lege, hanc autem Dei quæ homini est ex
Deo, audite quid alio loco dicat, cùm de Christo lo-
queretur: Propter quem omnia, inquit, nõ solùm de-
trimenta esse credidi, verũetiam vt stercora existima-
ui esse, vt Christũ lucrifaciam, & inueniar in illo non
habens meam iustitiã quæ ex lege est, sed eam quæ est
per fidem Christi, quæ est ex Deo. Quid est autẽ, Nõ
habens meam iustitiam quæ ex lege est; cùm sua non D
esset lex ipsa, sed Dei: nisi, quia suam dixit iustitiam,
quamuis ex lege esset, quia sua voluntate legem se
posse putabant implere sine adiutorio gratiæ, quæ est
per fidẽ Christi? Ideo cùm dixisset, Non habẽs meam
iustitiam quæ ex lege est; secutus adiunxit, Sed eam
quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo. Hanc igno-
rabant, de quibus ait: Ignorantes Dei iustitiam, id est,
quę est ex Deo, (hanc enim dat non litera occidẽs, sed
viuificans spiritus) & suam volẽtes cõstituere, quam
dixit ipse ex lege iustitiam, cùm diceret, Non habens
meam iustitiam quæ ex lege est: iustitiæ Dei non sunt
subiecti, hoc est, gratiæ Dei non sunt subiecti: sub lege
enim erant, non sub gratia; & ideo eis dominabatur
peccatum, à quo non fit homo liber lege, sed gratia.
Propter quod alibi dicit: Peccatum enim vobis non
dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia:
non quia lex mala est, sed quia sub illa sunt quos reos
facit iubendo, non adiuuando. Gratia quippe adiuuat
vt legis quisque sit factor, sine qua gratia sub lege po-
situs tantummodo erit legis auditor. Talibus itaq. di-
cit: Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. Gal. 5.

Rom. 12. Eph. 2. Eph. 1. Philip. 1. 1 Cor. 4. Rom. 10. 2 Thess. 3. Gal. 2. Matth. 5. Matth. 18. Luce 19. Psal. 94. Ezech. 11. 1 Cor. 3. Ezech. 36. Matth. 6. Sup. cap. 7.

Suam iustitiã qui constituere velle dicantur.

Dei iustitia quæ homini ex Deo, alia est ab ea quæ iustitia est Deus.

Philip. 3.

Iustitia ex lege.

Rom. 6.

CAPVT XIII.

QVIS ita sit surdus aduersus Apostolicas voces,
quis ita desipiat, imò insaniat nesciens quid loquatur,
vt audeat dicere, legem esse gratiam, cùm clamet qui
sciebat quid loqueretur, Qui in lege iustificamini, à
gratia excidistis? Si autem lex non est gratia, quia vt
ipsa lex fiat, non potest lex adiuuare, sed gratia, nun-
quid natura erit gratia? Nã & hoc Pelagiani ausi sunt
dicere, gratiam esse naturam, in qua sic creati sumus
vt habeamus mentem rationalem qua intelligere va-
leamus, facti ad imaginem Dei, vt dominemur pisci-
bus maris, & volucribus cæli, & omnibus pecoribus
quæ repunt super terram. Sed nõ hæc est gratia, quam
commendat Apostolus per fidem Iesu Christi. Hanc
enim naturam etiam cum impiis & infidelibus certũ
est nobis esse communem; gratia verò per fidem Iesu
Christi eorũ tantũmodo est, quorũ est ipsa fides. Non
enim omnium est fides. Denique sicut eis qui volẽtes
in lege iustificari, à gratia exciderunt, verissimè dicit:
Si ex lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est: sic
& his qui gratiam quam commendat & percipit fides
Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur: Si ex
natura iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Iam
hic enim erat lex, & non iustificabat; iam hic erat &
natura, & non iustificabat; ideo Christus non gratis
mortuus est, vt & lex per illum impleretur, qui di-
xit: Non veni soluere legem, sed adimplere: & natu-
ra per Adam perdita, per illum repararetur; qui dixit
venisse se quærere & saluare quod perierat, in quem
venturum antiqui etiam patres crediderunt, qui dili-
gebant Deum. Dicunt etiam gratiam Dei quæ data
est per fidem Iesu Christi, quæ neque lex est neq. na-
tura, ad hoc tãtum valere, vt peccata præterita dimit-
tantur, non vt futura vitentur, vel repugnantia supe-
rentur. Sed si hoc verum esset, vtiq. in Oratione Do-
minica cùm dixissemus, Dimitte nobis debita nostra,
sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: non adde-
remus, Et ne nos inferas in tentationẽ. Illud enim di-
cimus vt peccata dimittantur, hoc autẽ vt caueantur,
siue vincantur: quod à patre qui in cælis est, nulla ra-
tione peteremus, si virtute voluntatis humanæ hoc
possemus efficere. Cõmoneo autem charitatẽ vestrã,
& multum exhortor, vt beati Cypriani librum quem
scripsit De oratione Dominica, diligenter legatis, &
quãtum vos Dominus adiuuerit, intelligatis, memo-
riæq; mandetis. Ibi videbitis quemadmodum sic allo-
quatur liberum arbitrium eorum, quos conscriptione
sui sermonis ædificat, vt ostendat tamen ea quæ im-
plenda iubentur in lege, in oratione esse poscenda.
Quod vtique vanissimè fieret, si ad illa agenda sine
diuino adiutorio voluntas humana sufficeret.

Vt nec lex, sic nec ipsa natura est gratia qua Christiani sumus.

Quatenus facti sumus ad imaginẽ Dei.

2 Thess. 3.

Si ex lege vel natura iustitia, Christus gratis mortuus.

Gratiam Dei per Iesum Christum Pelagiani in sola præteritorum peccatorum remissione constituunt, non futurorum vitatione.

CAPVT XIIII.

SED cùm fuerint conuicti non defensores, sed in-
flatores & præcipitatores liberi arbitrij, quia neque
scientia diuinæ legis, neque natura, neq. sola remissio
peccatorum est illa gratia, quæ per Iesum Christum
Dominum nostrũ datur, sed ipsa facit vt lex impleatur,
vt natura liberetur, peccatum non dominetur.
Cùm ergo in his conuicti fuerint, ad hoc se conuer-
tunt, vt quocunque modo conentur ostendere gra-
tiam Dei secundum merita nostra dari. Dicunt e-
nim, *etsi non datur secundum merita bonorum operum,*
quia per ipsam bene operamur; tamen secundum meri-
ta bonæ voluntatis datur: quia bona voluntas, in-
quiunt, *præcedit orantis, quam præcesset voluntas cre-*
dentis, vt secundum hæc merita, gratia sequatur exaudien-
tis Dei. Iam quidem de fide, hoc est de voluntate cre-
dentis superiùs disputaui, vsqueadeò eam demon-
strans ad gratiam pertinere, vt Apostolus non diceret,

Argumentum Pelagianũ.

Fidem Dei donum esse.

Miseri-

Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram; sed A
diceret, Misericordiam consecutus sum, vt fidelis es-
sem. Sunt & alia testimonia, in quibus est quod ait:
Sapite ad temperantiam, sicut vnicuique Deus parti-
tus est mensuram fidei. Et quod iam commemorauit:
Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis,
sed Dei donum est. Et illud quod scripsit ad Ephe-
sios, Pax fratribus & charitas cum fide à Deo patre,
& Domino Iesu Christo. Et illud, vbi ait, Quia vobis
donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in
eum, sed etiam vt patiamini pro eo. Vtrumque ergo
ad Dei gratiam pertinet, & fides credentium, & to-
lerantia patientium, quia vtrumque dixit esse dona-
tum: & illud maxime, vbi dicit, Habentes eundem
spiritum fidei: non enim ait, scientiam fidei; sed, spi-
ritum fidei: quod propterea dixit, vt intelligeremus,
quia fides & non petita conceditur, vt ei petenti alia
cõcedantur. Quomodo enim inuocabunt, inquit, in
quem non crediderunt? Ergo spiritus gratiæ facit vt
habeamus fidem, vt per fidem impetremus orando,
vt possimus facere quæ iubemur: ideo ipse Apostolus
assiduè Legi præponit fidem, quoniam quod lex iu-
bet, facere non valemus, nisi per fidem rogando im-
petremus, vt facere valeamus. Nam si fides liberi est
tantummodo arbitrij, nec datur à Deo, propter quid
pro eis qui nolunt credere, oramus vt credant? Quod
prorsus faceremus inaniter, nisi rectissimè crederemus,
etiam peruersas & fidei contrarias voluntates,
omnipotentem Deum ad credendum posse conuer-
tere? Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur
vbi dicitur, Hodie si vocem eius audieritis, nolite ob-
durare corda vestra. Sed nisi posset Deus etiam duri-
tiam cordis auferre; non diceret per Prophetam, Au-
feram ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum:
quod de nouo Testamento fuisse prædictum, satis A-
postolus ostendit, vbi ait: Epistola nostra vos estis, scri-
pta non atramento, sed spiritu Dei viui; non in tabu-
lis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quod nõ C
ideo dictum putemus, vt carnaliter viuãt qui debent
spiritaliter viuere: sed quia lapis sine sensu est, cui
comparatum est cor durum, cui nisi carni sentienti
cor intelligens debuit comparari? Sic enim hoc dici-
tur per Ezechielem prophetam: Et dabo eis, inquit,
cor aliud, & spiritum nouum dabo eis, & euellam
cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor car-
neum, vt in præceptis meis ambulent, & iustificatio-
nes meas obseruent, & faciant eas: & erunt mihi in
populum, & ego ero eis in Deum, dicit Dominus.
Nunquid ergo possumus nisi absurdissimè dicere, bo-
num meritum bonæ voluntatis in homine præcessis-
se, vt auelleretur ab eo cor lapideum: quandoquidem
ipsum cor lapideum non significat nisi durissimam
volũtatem, & aduersus Deum omnino inflexibilem?
Vbi enim præcedit bona voluntas, iam non est cor v- D
tique lapideum. Nam & alio loco per eundem Pro-
phetam Deus manifestissimè ostendit, non propter
eorum aliqua bona merita, sed propter nomen suum
ista facere, vbi ait, Ego facio domus Israël, sed pro-
pter nomen meum sanctum quod profanastis in gen-
tibus, quò intrastis illuc: & sanctificabo nomen meũ
magnum quod profanatum est in gentibus, quod
profanastis in medio eorum, & scient gentes quia
ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus, cùm san-
ctificatus fuero in vobis ante oculos eorum: & acci-
piam vos de gentibus, & congregabo vos ex omnibus
terris, & inducam vos in terram vestram, & aspergam
vos aqua munda, & mundabimini ab omnibus im-
mũditiis vestris, & ab omnibus idolis vestris mũdabo
vos: & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum
dabo in vobis: & auferetur cor lapideum de carne ve-
stra, & dabo vobis cor carneum, & spiritum meum
dabo in vobis: & faciam vt in iustificationibus meis
ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Quis
ita sit cæcus vt non videat, quis ita lapideus vt non
sentiat istam gratiam non secundum merita bonę vo-
luntatis dari, Domino dicente atque testante: Ego
facio domus Israël, sed propter nomen meum san-
ctum? Quare enim dixit, Ego facio, sed propter no-
men meum sanctum: nisi ne illi putarent propter bo-
na merita sua fieri, quod non erubescunt dicere Pela-
giani? Non solùm autem bona merita eorum nulla,
verumetiam mala merita præcessisse demonstrat, di-
cendo, sed propter nomen meum sanctum, quod pro-
fanastis in gentibus. Quis non videat horrendum
malum esse, nomen sanctum Domini profanare? Et
tamen propter ipsum nomẽ meum, inquit, quod pro-
fanastis vos, ego faciam vos bonos, non propter vos:
& sanctificabo, inquit, nomen meum magnum, quod
profanatum est in Gentibus, quod profanastis in
medio eorum. Sanctificate se dicit nomen suum,
quod superius dixerat sanctum. Hoc est ergo quod
oramus in Oratione Dominica, dicentes, Sanctifice-
tur nomen tuum: vt sanctificetur in hominibus, quod
per seipsum sine dubio semper est sanctum. Denique
sequitur: Et scient omnes gentes quoniam ego sum
Dominus, dicit Adonai Dominus, cùm sanctificatus
fuero in vobis. Cùm ergo ipse semper sit sanctus, san-
ctificatur tamen in eis quibus largitur gratiam suam,
auferendo ab eis cor lapideum, per quod nomen Do-
mini profanauerunt.

1 Tim. 1. Rom. 12. Eph. 2. Eph. 1. Philip. 1. 1 Cor. 4. Rom. 10. 2 Thess. 3. Psal. 94. Ezech. 11. 1 Cor. 3. Ezech. 36. Matth. 6. Ezech. 18. Ezech. 15. secũdum 70.

Vt nec lex, sic nec ipsa natura est gratia qua Christiani sumus.

Quatenus facti sumus ad imaginẽ Dei.

Si ex lege vel natura iustitia, Christus gratis mortuus.

Gratiam Dei per Iesum Christum Pelagiani in sola præteritorum peccatorum remissione constituunt, non futurorum vitatione.

Argumentum Pelagianũ.

Fidem Dei donum esse.

Sup. cap. 7.

Dei nomen quomodo sanctificetur.

Si voluerit, conseruabis mandata, quæ sensu dictum.

CAPVT XV.

NE autem putetur nihil ibi facere ipsos homines
per liberum arbitrium, ideo in Psalmo dicitur, Nolite
obdurare corda vestra. Et per ipsum Ezechielẽ: Proii-
cite à vobis omnes impietates vestras quas impiè egi-
stis in me, & facite vobis cor nouum & spiritũ nouũ,
& facite omnia mandata mea. Vt quid moriemini do-
mus Israël, dicit Dominus, quia nolo mortem moriẽ-
tis, dicit Adonai Dominus, sed conuertimini & viue-
tis? Meminerimus Deum dicere, sed conuertimini &
viuetis: cui dicitur, Conuerte nos Deus. Memineri-
mus Deum dicere: Proiicite à vobis omnes impieta-
tes vestras: cùm ipse iustificet impium. Meminerimus
ipsum dicere, Facite vobis cor nouum & spiritum no-
uum: qui dicit, Dabo vobis cor nouũ, & spiritum no-
uum dabo in vobis. Quomodo ergo quod dicit, facite
vobis; hoc dicit, dabo vobis? Quare iubet, si ipse da-
turus est? Quare dat, si homo facturus est; nisi quia dat
quod iubet, cũ adiuuat vt faciat cui iubet? Semper est
autem in nobis voluntas libera, sed nõ semper est bo-
na. Aut enim à iustitia libera est, quando seruit pecca-
to, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando
seruit iustitiæ, & tunc est bona. Gratia verò Dei sem-
per est bona, & per hanc fit vt sit homo bonæ volun-
tatis, qui prius fuit volũtatis malæ. Per hanc etiam fit,
vt ipsa bona voluntas quæ iam esse cœpit, augeatur: &
tam magna fiat vt possit implere diuina mandata quæ
voluerit, cùm valde perfectéque voluerit. Ad hoc
enim valet quod scriptum est: Si volueris, conserua-
bis mandata: vt homo qui voluerit & non potuerit,
nondum se plenè velle cognoscat, & oret vt habeat
tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda
mandata. Sic quippe adiuuatur vt faciat quod iube-
tur: tunc enim vtile est velle, cùm possumus; & tunc
vtile est posse, cùm volumus: nam quid prodest, si
quod non possumus, volumus; aut si quod possumus,
nolumus?

CAPVT XVI. *Nõ iubet Deus quod scit non posse ab homine fieri.*

MAGNVM aliquid Pelagiani se scire putant,
quando dicunt: *Non iuberet Deus quod sciret non posse*
ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iubet ali-
qua quæ non possumus, vt nouerimus quid ab illo
petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando
impetrat quod lex imperat. Denique ipse qui dixit:

Fides impetrat, quod lex imperat.

Si

Si volueris, conseruabis mandata: in eodem libro Ecclesiastico aliquãto pòst dicit: Quis dabit in ore meo custodiam, & super labia mea signaculum astutum, ne fortè cadã ab eo, & lingua mea perdat me? Iã certè mandata acceperat: Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Cùm ergo verum sit quod dixit, Si volueris, conseruabis mandata: quare quærit in ore suo dari custodiam, similis ei qui dicit in Psalmo: Pone Domine custodiam ori meo? Quare nõ ei sufficit mandatum Dei & voluntas sua; quãdoquidem si voluerit, conseruabit mandata? Quàm multa Dei mandata sunt contra superbiam? iam nouit ea, si voluerit, conseruabit ea. Quare ergo paulo pòst dicit, Domine pater & Deus vitæ meæ, elationem oculorũ ne dederis mihi? Iam dixerat ei lex: Non concupisces: velit ergo & faciat quod iubetur; quoniam si voluerit, conseruabit mandata. Quare sequitur & dicit, Cõcupiscentiam auerte à me? Contra luxuriã Deus quàm multa mandauit? faciat ea, quia si voluerit, conseruabit mandata. Quid est quod clamat ad Deũ, Ventris appetitio & concubitus ne apprehendat me? Si hæc ei præsenti diceremus, rectissimè nobis responderet & diceret: Ex ista oratione mea qua hæc à Deo peto, intelligite quomodo dixerim, Si volueris, conseruabis mandata. Certum est enim nos mãdata seruare si volumus; sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est vt tantum velimus, quantum sufficit vt volẽdo faciamus. Certum est nos velle cùm volumus, sed ille facit vt velimus bonum, de quo dictũ est, quod paulo antè posui, Præparatur voluntas à Domino; de quo dictum est; A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet: de quo dictum est; Deus est qui operatur in vobis & velle. Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Cùm dicit, faciam vt faciatis: quid aliud dicit, nisi auferam à vobis cor lapideum, vnde non faciebatis; & dabo cor carneum, vnde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, vnde non faciebatis, & dabo cor obediens vnde faciatis? ille facit vt faciamus, cui dicit homo, Pone Domine custodiam ori meo: hoc est enim dicere, fac vt ponam custodiam ori meo: quod beneficium Dei iam fuerat consecutus, qui dixit: Posui ori meo custodiam.

Eccl. 22. — Psal. 33. — Psal. 140. — Eccl. 23. — Dei mandata si volumus, seruamus, quo sensu rectè dicatur. — Prou. 8. secũdum 70. — Psal. 36. — Phil. 2. — Ezech. 36. — Psal. 140. — Psal. 38.

CAPVT XVII.

QVI ergo vult facere Dei mandatum & non potest, iam quidem habet voluntatẽ bonam, sed adhuc paruam & inualidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna vtique voluntate, hoc est, magna charitate fecerunt: de qua charitate ipse Dominus ait, Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vnde & Apostolus dicit: Qui diligit proximum, legem impleuit: nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, nõ concupisces; & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur; Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi, malum non operatur: plenitudo ergo legis, dilectio. Ipsam charitatem apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negauit. Timor enim non est in charitate, sicut ait Ioannes euangelista in Epistola sua, sed perfecta charitas foras mittit timorem: & tamen quamuis parua & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino; Animam meam pro te ponam; putabat enim se posse quod se velle sentiebat. Et quis istam etsi paruam dare cœperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem; & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse vt velimus, operatur incipiens,

Magna voluntas, magna charitas. Ioan. 15. — Rom. 13. — Exod. 30. — 1 Ioan. 4. — Ioan. 13. — Gratia operãs & cooperans.

A qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum perficiet vsque in diem Christi Iesu. Vt ergo velimus, sine nobis operatur; cùm autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo vt velimus, dictum est: Deus est enim qui operatur in vobis & velle. De cooperante illo cùm iam volumus, & volendo facimus; Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur ad bonum. Quid est omnia, nisi & ipsas terribiles sæuásque passiones? Sarcina quippe illa quæ infirmitati grauis est, leuis efficitur charitati. Talibus enim Dominus dixit esse suam sarcinam leuem: qualis Petrus fuit quando passus est pro Christo, non qualis fuit quando negauit Christum. Istam charitatem, id est, diuino amore ardentissimam voluntatem commendans Apostolus, dicit: Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius, sicut scriptum est; Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oues occisionis? Sed in his omnibus superuincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Et alio loco dicit: Adhuc supereminentiorem viam vobis demonstro: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatẽ autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & si sciero omnia sacramenta, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero omnia mea pauperibus, & si tradidero corpus meum vt ardeam; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Charitas magnanima est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non dehonestatur, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia suffert, charitas nunquam cadit. Et paulo pòst: Manet, inquit, fides, spes, charitas, tria hęc, maior autem horum charitas: sectamini charitatem. Item dicit ad Galatas: Vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem seruite inuicem: Omnis enim lex in vno sermone impletur, in eo quòd diliges proximum tuum sicut teipsum: hoc est quod ad Romanos ait, Qui diligit alterum, legẽ impleuit. Item dicit ad Colossenses: Super omnia autem hæc charitatem, quæ est vinculum perfectionis. Et ad Timotheum, Finis, inquit, præcepti est charitas: & adiungens qualis charitas, De corde, inquit, puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Ad Corinthios autem dicit: Omnia vestra cum charitate fiant. satis ostẽdit etiam ipsas correptiones, quas asperas & amaras sentiunt qui corripiuntur, cum charitate esse faciendas. Vnde & alibi cùm dixisset, Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes: mox subiunxit: Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Ergo & quando corripiuntur inquieti, non malum pro malo, sed potius bonum redditur. Hæc autem omnia quæ nisi charitas operatur? Et apostolus Petrus, Ante omnia, inquit, mutuam inter vos charitatem perpetuò habentes, quia charitas cooperit multitudinem peccatorum. Dicit etiam apostolus Iacobus; Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas; Diliges

Philip. 2. — Philip. 2. — Rom. 8. — Sarcina passionũ infirmitati grauis, charitati levis efficitur. — Ibidem. — Psal. 43. — 1 Cor. 13. — Gal. 5. — Rom. 13. — Colos. 3. — 1 Tim. 1. — 1 Cor. 16. — Correptio cum charitate facienda. — 1 Thess. 5. — Via correptis bonum pro malo redditur. — 1 Pet. 4. — Iac. 2.

Leuit. 19. liges proximum tuum tanquam teipsum; bene facitis. Item Ioannes Apostolus: Qui diligit, inquit, fratrem suũ, in lumine manet. Et alio loco: Qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum: quia hæc est annunciatio quam audituimus ab initio, vt diligamus inuicem. Itémque alibi: Hoc est, inquit, mandatum illius, vt credamus nomini filij eius Iesu Christi, & diligamus inuicem. Et iterum: Hoc, inquit, mãdatum habemus ab ipso, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Et paulo pòst: In hoc, inquit, cognoscimus, quia diligimus filios Dei cùm Deũ diligimus, & præcepta eius facimus: hæc est enim dilectio Dei, vt præcepta eius seruemus, & præcepta eius grauia non sunt. Et in Epistola secunda scriptum est: Nõ quasi præceptum nouum scribam tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus inuicem. Dicit etiam ipse Dominus Iesus in duobus præceptis dilectionis Dei & dilectionis proximi, totam legem Prophetásque pendere. De quibus duobus præceptis in Euangelio secundum Marcum scriptum est: Et accessit vnus de scribis qui audierat illos perquirẽtes; & videns quoniã illis bene responderit, interrogauit eum: Quod est primum omnium mandatum? Iesus autem respondit ei: Primum omnium mandatum est: Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est: &, Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota ánima tua, & ex tota mente tua: hoc est primum mandatum. Secundum autem simile illi: Diliges proximum tuum tanquam teipsum: maius horum aliud non est mandatum. Dicit etiam in Euangelio secundum Ioannẽ: Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.

1 Ioan. 2. — 1 Ioan. 3. — 1 Ioan. 4. — 1 Ioan. 5. — Mar. 12. — Deut. 6. — Ioan. 13.

CAPVT XVIII.

HÆc omnia præcepta dilectionis, id est charitatis, quæ tanta & talia sunt; vt quicquid se putauerit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene. hæc ergo præcepta charitatis inaniter darentur hominibus, non habẽtibus liberum volũtatis arbitrium: sed quia per legem dantur & veterem & nouam, quamuis in noua venerit gratia quę promittebatur in vetere, lex autẽ sine gratia litera est occidens, in gratia verò spiritus viuificãs, vnde est in hominibus, charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sed eat ergo inter nos iudex Apostolus Ioannes, & dicat nobis: Charissimi, diligamus inuicem. In his verbis Ioannis cùm se illi extollere cœperint & dicere, Vt quid nobis hoc præcipitur, nisi quia ex nobis habemus vt inuicem diligamus: sequitur continuò idem Ioannes, confundens eos & dicens, quia dilectio ex Deo est. Non itaque ex nobis, sed ex Deo est. Cur ergo dictum est, diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est: nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, vt quærerer Dei donum? Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, vt addi sibi quæreret vnde quod iubebatur impleret. Cùm dicitur, diligamus inuicem, lex est: cùm dicitur, quia dilectio ex Deo est, gratia est. Sapientia quippe Dei legem & misericordiam in lingua portat. Vnde scriptum est in Psalmo: Etenim benedictionem dabit qui legem dedit. Nemo ergo vos fallat fratres mei, quia nos non diligeremus Deum, nisi nos prior ipse diligeret. Idem Ioannes apertissimè hoc ostendit & dicit: Nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos. Gratia nos facit legis dilectores, lex verò ipsa sine gratia, non nisi præuaricatores facit. Et quod discipulis suis dicit Dominus: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: nihil aliud indicat nobis. Si enim nos prius dileximus, vt hoc merito nos ipse diligeret, prius illum nos elegimus, vt ab illo eligi mereremur. Sed ipse qui veritas est, aliud dicit, & huic vanitati hominum apertissimè contradicit: Non vos me elegistis, inquit. Si ergo non elegistis, sine dubio nec dilexistis: quomodo enim eum eligerent quem non diligerent? Sed ego, inquit, vos elegi. Nunquid non & ipsi postea elegerunt eum, & omnibus bonis huius sęculi prætulerunt? Sed quia electi sunt, elegerunt: non quia elegerunt, electi sunt. Eligentium hominum meritum nullum esset, nisi eos eligentis gratia Dei præueniret. Vnde & Apostolus benedicens Thessalonicenses, Vos, inquit, Dominus multiplicet, & abundare faciat in charitate in inuicem & in omnes. Hanc benedictionem dedit, vt nos inuicem diligeremus, qui legem dederat vt inuicem diligamus. Denique alio loco ad eosdem, quia sine dubio in quibusdam eorum iam erat, quod eis vt esset optauerat: Gratias, inquit, agere debemus Deo semper pro vobis fratres, sicut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, & abundat charitas vniuscuiusque vestrûm in inuicem. Hoc dixit, ne fortè de tanto bono quod ex Deo habebãt, tanquam ex seipsis id habentes extollerentur. Quòd ergo supercrescit fides vestra, inquit, & abundat charitas vniuscuiusq. vestrum in inuicem, gratias agere debemus Deo pro vobis, non ita vos laudare tanquam hoc habeatis ex vobis. Et ad Timotheum dicit: Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & charitatis & continentiæ. In quo sanè Apostoli testimonio cauere debemus, ne nos arbitremur non accepisse spiritum timoris Dei, quod sine dubio magnum est Dei donũ: de quo dicit Propheta Esaias: Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & spiritus timoris Domini: non quo timore Petrus Christum negauit, sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Dominus Christus: Eum timete qui habet potestatem & animam & corpus perdere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Hoc autem dixit, ne illo timore negaremus eum, quo turbatus est Petrus. Hunc enim auferri voluit à nobis, cùm prius dixit: Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant. Huius timoris non accepimus spiritum, sed virtutis & charitatis & continentiæ. De quo spiritu idem ipse ad Romanos ait: Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non itaque per nos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis, ipsa charitate fit, quam Dei donum esse manifestat, vt tribulatio non auferat, sed potius operetur patientiam. Ad Ephesios etiam: Pax, inquit, fratribus & charitas cum fide. Magna bona; sed dicat vnde? A Deo, inquit, patre & Domino Iesu Christo. Ergo hæc magna bona, non sunt nisi Dei dona.

Litera occidit, lex est sine gratia: spiritus vinificãs ipsa gratia. — 1 Ioan. 4. — Ioan. 15. — Electio dilectio. — Apostoli quia electi erant, Christum elegerunt, non quia elegerunt electi. — 1 Thess. 3. — 2 Thess. 1. — 2 Tim. 1. — Spiritus timoris magnum Dei donum. — Esa. 11. — Luc. 12. — Rom. 5. — Eph. 6.

CAPVT XIX.

SED non est mirum, si lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehendunt. In Ioanne lux dicit: Ecce qualem dilectionem dedit nobis pater, vt filij Dei vocemur & simus. Et in Pelagianis tenebræ dicunt; Dilectio nobis ex nobis est. Quam si veram, id est, Christianam dilectionem haberent, scirent & vnde haberẽt; sicut sciebat Apostolus qui dicebat: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo data sunt nobis. Ioannes dicit: Deus dilectio est. Et Pelagiani etiam ipsum Deum nõ ex Deo, sed ex semetipsis habere se dicunt: & cùm scientiam legis ex Deo nobis esse fateantur, charitatem ex nobis ipsis volunt. Nec audiunt Apostolum dicentem: Scientia inflat, charitas autem ædificat. Quid est ineptius, imò verò quid est amentius,

1 Ioan. 3. — Prou. 3 secũdum 70. — Psal. 83. — 1 Ioan. 4. — Ioan. 15. — 1 Cor. 8. — 1 Ioan. 4. — 1 Cor. 8.

amentius, & ab ipsa sanctitate charitatis alienius, quàm confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine charitate inflat: & ex nobis esse charitatem, quæ facit vt scientia inflare non possit? Item cùm dicat Apostolus: Supereminentē scientiæ charitatem Christi: quid est insanius quàm putare ex Deo esse scientiam, quæ subdenda est charitati; & ex hominibus charitatem, quæ supereminet sciētiæ? Fides autem vera & doctrina sana ambas esse dicit ex Deo, quia scriptum est: A facie eius scientia & intellectus procedit. Et scriptum est: Charitas ex Deo est. Et legimus: Spiritum scientiæ & pietatis; legimus, Spiritum virtutis & charitatis & continentiæ: sed maius est donum charitas quàm scientia: nam scientia quando est in homine, charitas est necessaria, ne infletur: charitas autem non æmulatur, non agit perperam; non inflatur.

Ephes. 3. — Prou. 2. secundum 70. — 1 Ioan 4. — Esa. 11. — 2 Tim. 1. — 2 Cor. 8. — 1 Cor. 13.

CAP. XX. SATIS me disputasse arbitror aduersus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnāt, qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cùm bona fuerit adiuuatur: & sic disputasse, vt nō magis ego, quàm diuina ipsa scriptura vobiscum locuta sit euidentissimis testimoniis veritatis: quæ Scriptura diuina si diligenter inspiciatur, ostendit non solùm bonas hominum voluntates quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas in actus bonos, & in æternum dirigit vitam; verumetiā illas quæ conseruant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate vt eas quò voluerit, quando voluerit faciat inclinari, vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerēdas, sicut ipse iudicat occultissimo quidem iudicio, sed sine vlla dubitatione, iustissimo. Nam inuenimus aliqua peccata etiam pœnas esse aliorum peccatorū, sicut sunt vasa iræ, quæ perfecta dicit Apostolus in perditionem: sicut est induratio Pharaonis, cuius & causa dicitur ad ostendendam in illo virtutem Dei: sicut est fuga Israëlitarum à facie hostium de ciuitate Gai: in animo enim factus est timor, vt fugerent, & hoc factum est vt vindicaretur peccatum eo modo, quo fuerat vindicandum: vnde dicit Dominus ad Iesum Naue: Non poterunt filij Israël subsistere à facie inimicorum suorum. Quid est, Non poterunt subsistere? Quare non subsistebant per liberū arbitrium, sed per timorem turbata voluntate fugiebant; nisi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult, in formidinem conuertit iratus? Nunquid nō hostes Israëlitarum aduersus populum Dei quem ducebat Iesus Naue, sua voluntate pugnauit? Et tamen dicit Scriptura, quia per Dominum factum est confortari cor eorum, vt obuiam irent ad Israël ad bellum, vt exterminarentur. Nunquid non sua voluntate homo improbus filius Gemini maledicebat regi Dauid? Et tamen quid ait Dauid, plenus vera & alta & pia sapientia? Quid ait illi qui maledicentem percutere voluit? Quid mihi, inquit, & vobis filij Saruiæ, dimittite eum vt maledicat, quia Dominus dixit illi maledicere Dauid. Et quis dicet ei, Quare fecisti sic? Deinde Scriptura diuina plenam sententiam regis velut ab alio initio repetendo commendans, Et dixit, inquit, Dauid ad Abisai & ad omnes pueros eius: Ecce filius meus qui exiit de vtero meo quærit animam meam, quanto magis hic filius Gemini? Sinite illum vt maledicat, quoniam dixit illi Deus, vt videat Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto eius in die isto. Quomodo dixerit Dominus huic homini maledicere Dauid, quis sapiens & intelliget? Non enim iubendo dixit vbi obedientia laudaretur, sed quòd eius voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatum iudicio suo iusto & occulto inclinauit, ideo dictum est, dixit ei Dominus. Nam si iubenti obtemperasset Deo, laudandus potius quàm puniēdus esset, sicut ex hoc peccato postea nouimus esse punitū. Nec causa tacita est, cur ei Dominus isto modo dixerit maledicere Dauid, hoc est, cor eius malum in hoc peccatum miserit vel dimiserit: vt videat, inquit, Dominus humilitatem meam, & retribuat mihi bona pro maledicto eius in die isto. Ecce quomodo probatur Deum vti cordibus etiam malorum ad laudem atq. adiumentum bonorum. Sic vsus est Iuda tradente Christū: sic vsus est Iudęis crucifigētibus Christum. Et quanta inde bona præstitit populis credituris? Qui & ipso diabolo vtitur pessimo, sed optimè ad exercendam & probandā fidem & pietatem bonorū, non sibi, qui omnia scit antequam fiant, sed nobis quibus erat necessarium, vt eo modo ageretur nobiscū. Nunquid non sua voluntate Absalon elegit consilium quod sibi oberat? Et tamen ideo fecit, quia exaudierat Dominus eius patrem orātem, vt hoc fieret. Propter quod Scriptura ait: Et Dominus mandauit dissipare cōsilium Achitophel bonum, vt inducat Dominus super Absalon omnia mala. Bonum consilium dixit, quod ad tempus proderat causæ, quia pro ipso erat contra patrem eius, contra quem rebellauerat vt posset eum opprimere, nisi Dominus consilium dissipasset quod dederat Achitophel, agendo in corde Absalon, vt tale consilium repudiaret, & aliud quod ei non expediebat, eligeret.

Rom. 9. — Exo. 7. — Iosue 7. — Iosue 11. — 2 Reg. 16. — 2 Reg. 17.

CAPVT XXI. QVIS non ista iudicia diuina cōtremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorū hominum quicquid vult, reddens eis tamen secundū merita eorum? Roboam filius Salomonis respuit consilium salubre seniorū quod ei dederant, ne cum populo durè ageret; & verbis coæuorū suorū potius acquieuit, respondendo minaciter quibus leniter debuit. Vnde hoc, nisi propria voluntate? Sed hinc ab eo recesserunt decem tribus Israël, & aliū regem sibi constituerunt Hieroboam, vt irati Dei volūtas fieret, quod etiam futurum esse prædixerat. Quid enim Scriptura dicit? Et nō audiuit rex plebē, quoniam erat cōuersio à Domino, vt statueret verbū suum quod locutus est in manu Ahiæ Silonitæ de Hieroboam filio Nabath. Nēpe sic factū est & illud per hominis voluntatem, vt tamen cōuersio esset à Domino. Legite libros Paralipomenon, & inuenietis in secūdo libro scriptū: Et suscitauit Dominus super Ioram spiritum Philistiim & Arabum qui finitimi erant Æthiopibus, & ascenderunt in terram Iuda, & dissipauerunt eam, & ceperunt omnem substantiā, quæ in domo regis inuenta est. Hic ostenditur Deum suscitare hostes eis terris vastādis, quas tali pœna iudicat dignas. Nunquid tamen Philistiim & Arabes in terram Iudæam dissipandam, sine sua voluntate venerunt, aut sic venerunt sua voluntate, vt mendaciter scriptum sit, quòd Dominus ad hoc faciendum eorum spiritum suscitauit? Imò vtrunque verum est, quia & sua voluntate venerunt, & tamen spiritum eorum Dominus suscitauit. Quod etiam sic dici potest, & eorum spiritū Dominus suscitauit, & tamē sua voluntate venerunt. Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino iniustè aliquid velle non nouit. Quid est quod homo Dei dixit ad Amasiam regem, Non veniat tecum exercitus Israel, non est enim Dominus cū Israël & omnibus filiis Ephrem: quoniam si putaueris obtinere in illis, in fugam conuertet te Deus ante inimicos, quoniam virtus est Deo vel adiuuare vel in fugam vertere? Quomodo virtus Dei alios iuuat in bello dando eis fiduciam, alios immisso timore vertit in fugam, nisi quia ille qui in cælo & in terra omnia quęcunq. voluit fecit, etiam in cordibus hominū operatur? Legimus quid dixerit Ioas rex Israël, mittens nūcium ad Amasiam regem, volentem pugnare cum illo. Nam post aliqua dixit: Nunc sede in domo tua.

3 Reg. 12. — 3 Reg. 11. — 2 Par. 20. — 2 Par. 25. — 4 Reg. 14.

Quid

4 Reg. 14. Quid prouocas in malum, & cadis tu & Iuda tecum? Deinde Scriptura subiunxit: Et non audiuit Amasias, quoniam à Deo erat vt traderetur in manus eius, quoniam quæsierunt deos Edom. Ecce Deus idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operatus est in eius corde, cui vtique iustè irascebatur, vt admonitionem salubrem non audiret, sed ea contempta iret in bellum, vbi cum suo exercitu caderet. Per Ezechielem prophetam dicit Deus: Et Propheta si errauerit & locutus fuerit, ego Dominus seduxi Prophetam illum, & extēdam manum meam super eum, & exterminabō eum de medio populi mei Israël. In libro Hester scriptum est, quæ mulier ex populo Israël in terra captiuitatis facta fuerat vxor alienigenæ regis Assueri. Ergo in eius libro scriptum est, quòd cùm haberet necessitatem interueniendi pro populo suo, quem rex vbicunque in regno eius esset, iusserat trucidari, orauit ad Dominum: cogebat enim eam magna necessitas, vt præter iussum regis, & præter ordinem suum ad illum auderet intrare. Et videte quid Scriptura dicat: Et intuitus est eam tanquam taurus impetu indignationis suæ, & timuit regina, & conuersus est color eius per dissolutionem, & inclinauit se super caput delicatæ suæ quæ præcedebat eam: & cōuertit Deus, & transtulit indignationem eius in lenitatem. Scriptū est in Prouerbiis Salomonis: Sicut impetus aquæ, sic cor regis in manu Dei, quocunque voluerit, declinabit illud. Et in Psalmo centesimo quarto legitur dictū de Ægyptiis, quid eis fecerit Deus: Et conuertit cor eorum vt odissent populum eius, vt dolum facerent in seruos eius. In literis etiam Apostolicis videte quæ scripta sunt, in Epistola Pauli apostoli ad Romanos: Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam. Item paulò pòst: Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Item paulò pòst: Sicut non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt. Et ad Thessalonicenses in epistola secunda ait de quibusdam: Pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt vt salui fierent, & ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati. His & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum, iudicio vtique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autē iusto. Fixum enim debet esse & immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc quando legitis in literis veritatis à Deo seduci homines, aut obtundi vel obdurari corda eorū, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, vt iustè ista paterentur: ne incurratis in illud prouerbiū Salomonis, Insipientia viri vīolat vias eius, Deum autem causatur in corde suo. Gratia verò non secundū merita hominū datur, alioquin gratia iam nō est gratia: quia ideo gratia vocatur, quia gratis datur. Si autē potens est, siue per angelos, vel bonos vel malos, siue quocunque alio modo operari etiam in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut creuit per propriam volūtatem: quid mirum est si per Spiritum sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est vt ipsa corda essent ex malis bona?

Exech. 14. — Hester 15. — Prouerb. 12. — Rom. 1. — 2 Thess. 2. — Rom. 9. — Prouer. 19. — Malitia originaliter ab Adam tracta.

CAPVT XXII. SED suspicentur homines quælibet merita bona, quæ putant præcedere, vt iustificentur per Dei gratiam, non intelligentes cùm hoc dicunt, nihil aliud quàm se negare gratiam: sed, vt dixi, quod volunt de maioribus suspicentur, de paruulis certè Pelagiani quid respondeant non inueniunt, quorum nec voluntas vlla est in accipienda gratia, cuius voluntatis meritum præcessisse dicant, & insuper eos etiam cum fletu reluctari videmus, quando baptizantur, & diuina sacramenta percipiunt. Quod eis ad magnum impietatis peccatum imputaretur, si iam libero vterentur arbitrio: & tamen hæret etiam in reluctantibus gratia, apertissimè nullo bono merito præcedente, alioquin gratia iam non esset gratia. Et aliquando filiis infidelium præstatur hæc gratia, cùm occulta Dei prouidentia in manus piorum quomodocunque perueniunt; aliquando autem fidelium filij non eam cōsequuntur, aliquo impedimento existente, ne possit periclitantibus subueniri. Fiunt verò ista per occultam Dei prouidentiam, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ: quod vt Apostolus diceret, quid prædixerit intuemini. Agebat enim de Iudæis & Gentibus cùm scriberet ad Romanos, id est, ad gentes, & ait: Sicut enim aliquando vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis in illorum incredulitate: ita & hi nunc non crediderunt in vestra misericordia, vt & ipsi misericordiam consequantur: conclusit enim Deus omnes in infidelitate, vt omnium misereatur. Et cùm attendisset quid dixerit, admirans sententiæ suæ certam quidem veritatem, sed magnam profunditatem, quomodo concluserit Deus omnes in infidelitate, vt omnium misereatur, quasi faciens mala vt venirent bona, mox exclamauit atque ait: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Hæc enim inscrutabilia iudicia, & inuestigabiles vias peruersi homines non cogitantes, & proclues ad reprehendendum, non idonei ad intelligendum, putabant & iactitabant Apostolum dicere, Faciamus mala vt veniant bona. Quod absit vt Apostolus diceret; sed homines non intelligentes hoc putabant dici, quando audiebāt quod dixit Apostolus, Lex autem subintrauit vt abūdaret delictum; vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia. Sed vtiq. gratia id agit, vt iam fiant bona ab eis qui fecerunt mala, non vt perseuerent in malis, & reddi sibi existiment bona. Non itaque debent dicere, Faciamus mala vt veniant bona; sed, fecimus mala, & venerunt bona; iam faciamus bona, vt in futuro seculo recipiamus pro bonis bona, qui in hoc seculo recipimus pro malis bona. Propter quod scriptum est in Psalmo: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Prius itaq. non ideo venit filius hominis in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum; hoc propter misericordiam: postea verò propter iudicium venturus est iudicare viuos & mortuos; quamuis & in hoc tempore ipsa saluatio non fiat sine iudicio, sed occulto, ideo ait: In iudicium veni in hunc mundum: vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.

Rom. 11. — Rom. 5. — Ibidem. — Psal. 100. — Ioan. 3. — Ioan. 9.

CAPVT XXIII. AD occulta ergo Dei iudicia reuocate, quando videritis in vna causa quam certè habent omnes paruuli, hæreditarium malum trahētes ex Adam, huic subueniri vt baptizetur: illi non subueniri, vt in ipsa obligatione moriatur: illum baptizatum in hac vita relinqui, quem præsciuit Deus impium futurū: istū verò baptizatū rapi ex hac vita, ne malitia mutet intellectū eius; & nolite in istis dare iniustitiā vel insipientiā Deo, apud quem iustitiæ fons est & sapientiæ. Sed sicut vos exhortatus sum ab initio sermonis huius, in quod peruenistis, in eo ambulate, & si quid aliter sapitis, hoc quoq. vobis Deus reuelabit; & si non in hac vita, certè in altera: nihil est enim occultū quod nō reuelabitur. Quando ergo auditis dicentē Dominum, Ego Dominus seduxi Prophetam illum: & quod ait Apostolus,

Sap. 4. — Supra cap. 1. — Phil. 3. — Matth. 10. — Exech. 14.

Cum

Rom. 9. Cuius vult miseretur, & quem vult obdurat; in eo quem seduci permittit vel obdurari, mala eius merita credite; in eo verò cuius miseretur, gratiam Dei non reddentis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter & indubitanter agnoscite. Nec ideo auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus: Ego induraui Pharaonem, vel induraui, vel indurabo cor Pharaonis. Exod. 8. Non enim propterea ipse Pharao non indurauit cor suum. Nam & hoc de illo legitur, quando ablata est ab Ægyptiis cynomyia, dicente Scriptura: Et ingrauauit Pharao cor suum & in isto tempore, & noluit dimittere populum. Ac per hoc & Deus indurauit per iustum iudicium, & ipse Pharao per liberum arbitrium. Certi ergo estote, quia non erit inanis labor vester, si in bono proposito proficientes perseueretis vsque in finem. Deus enim qui modò illis quos liberat non reddit secundum opera eorum, tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Reddet omnino Deus & mala pro malis, quoniam iustus est; & bona pro malis, quoniam bonus est; & bona pro bonis, quoniam bonus & iustus est. Tantummodo mala pro bonis non reddet, quoniam iniustus non est. Reddet ergo mala pro malis, pœnam pro iniustitia; & reddet bona pro malis, gratiam pro iniustitia; & reddet bona pro bonis, gratiam pro gratia.

A Repetite assiduè librum istum, & si intelligitis, Deo gratias agite: vbi autem non intelligitis, orate vt intelligatis: dabit enim vobis Dominus intellectum. Cap. xxiiii. Mementote scriptum esse: Si quis vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Iacobi 1. Ipsa est sapientia desursum descendens, sicut ipse apostolus Iacobus dicit. Illam verò sapientiam repellite à vobis, & orate vt non sit in vobis quam detestatus est, vbi ait: Iacobi 3. Quod si zelum amarum habetis, & contentiones in vobis sunt, non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio est, ibi inconstantia & omne opus prauũ. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia & fructibus bonis, inæstimabilis, sine B simulatione. Quid boni ergo non habebit qui hanc sapiẽtiam postulatit & impetrarit à Domino? Et hinc intelligite gratiam, quia si ex nobis esset ista sapiẽtia, desursum non esset, nec ab ipso qui nos creauit Deo postulanda esset. Fratres, orate & pro nobis, vt temperanter & piè & iustè viuamus in hoc seculo, expectantes illam beatam spem, & manifestationem Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, cui est honor & gloria & regnum cum patre & spiritu sancto in secula seculorum, Amen.

B. AVGVSTINI EPISTOLÆ
DVÆ, VNA CVM LIBRO
SVPERIORI TRANSMISSÆ.

Domino dilectissimo, & in Christi membris honorando fratri Valentino, & fratribus qui tecum sunt, Augustinus in Domino salutem.

Venerunt ad nos duo iuuenes, Cresconius & Felix, de vestra congregatione se esse dicentes, qui nobis retulerunt, monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatũ, eo quòd quidam in vobis sic gratiam prædicent, vt negent hominis esse liberum arbitrium; & quod grauius est, dicant, quòd in die iudicij non sit vel redditurus Deus vnicuique secundũ opera eius. Etiam hoc tamen indicauerunt, quòd plures vestrûm non ita sentiant, sed liberũ arbitrium adiuuari fateantur per Dei gratiã, vt recta sapiamus atq. faciamus; vt cùm venerit Dominus reddere vnicuique secundum opera eius, inueniat opera nostra bona, quæ præparauit Ephes. 2. Deus vt in illis ambulemus. 1 Cor. 1. Hoc qui sentiunt, bene sentiunt. Obsecro itaque vos fratres, sicut Corinthios obsecrauit Apostolus, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Ioan. 3. Primò enim Dominus noster Iesus Christus, sicut scriptum est in Euangelio Ioannis apostoli, non venit vt iudicaret mundum, sed vt saluaretur mundus per ipsum. Postea verò, sicut scripsit apostolus Paulus, iudicabit Deus mundum quandò venturus est, sicut tota Ecclesia in Symbolo confitetur, iudicare viuos & mortuos. Rom. 2. Si igitur non est Dei gratia, quomodo saluat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum? Proinde librum vel epistolam meam, quam secum ad nos supradicti attulerunt, secundam hanc fidem intelligite, vt neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis, vt à Dei gratia separetis, tanquam sine illa vel cogitare aliquid vel agere secundum Deum vlla ratione possimus, quod omnino nos possumus. Ioan. 15. Propter hoc enim Dominus cùm de fructu iustitiæ loqueretur, ait discipulis suis, Sine me nihil potestis facere. Vnde supradictam epistolam ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ presbyterum contra nouos hæreticos Pelagianos noueritis esse conscriptam, qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, vt qui gloriatur, non in Domino, sed in seipso glorietur, hoc est, in homine, non in Domino. Quod prohibet Apostolus, dicens, 1 Cor. 1. & 2 Cor. 10. Nemo glorietur in homine. Et alio loco, Qui gloriatur, inquit, in Domino glorietur. Illi verò hæretici seipsos à seipsis iustos fieri putantes, quasi hoc eis non dederit Deus, sed ipsi sibi, non vtic. in Domino, sed in semetipsis 1 Cor. 4. gloriantur. Talibus enim dicit Apostolus, Quis enim te discernit? Quod ideo dicit, quia de massa illius perditionis quæ facta est ex Adam, non discernit hominem, vt eum faciat vas in honorem, non in contumeliam, nisi Deus. Sed quoniam homo carnalis & inaniter inflatus cùm audisset, Quis enim te discernit, posset respondere, vel voce vel cogitatione, & dicere, Discernit me fides mea, discernit me oratio mea, discernit me iustitia mea. Mox Apostolus occurrit cogitationibus eius, & dixit, Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Sic autem gloriantur quasi non acceperint, qui à seipsis iustificari putant; ac per hoc in semetipsis, nõ in Domino gloriantur. Propter quod ego in hac epistola quæ ad vos peruenit, probaui per testimonia sanctrarũ Scripturarũ, quæ ibi potestis inspicere, & bona opera nostra, & pias orationes, & rectam fidem nullo modo in nobis esse potuisse, nisi hæc acceperimus ab illo, de quo dicit apostolus Iacobus, Iacobi 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Nec quisquam dicat meritis operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei suæ, sibi traditam Dei gratiam

gratiam, & putetur verum esse quod illi hæretici dicunt; *gratiam Dei secundum merita nostra dari*, quod omnino falsissimum est: non quia nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum (alioquin quomodo iudicabit Deus mundum?) sed misericordia & gratia Dei conuertit hominem; de qua Psalmus dicit, Deus meus misericordia eius præueniet me: vt iustificetur impius, hoc est, ex impio fiat iustus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit quando iudicabitur mundus. Multa erant quæ vobis mittere cupiebam; quibus lectis, totam ipsam causam quæ conciliis episcopalibus acta est aduersus eosdem Pelagianos hæreticos, diligentius & plenius nosse possetis; sed festinauerunt fratres qui ex numero vestro ad nos venerunt, per quos vobis non rescripsimus ista, sed scripsimus. Nullas enim ad nos vestræ charitatis literas attulerunt; tamen suscepimus eos, quoniam simplicitas eorum satis indicabat, nihil illos nobis potuisse confingere. Ideo autem festinauerunt, vt apud vos agerent Pascha, quò possit adiuuante Domino tam sanctus dies vestram pacem quàm dissensionem potius inuenire. Melius autem facietis (quod multum rogo) si ipsum à quo dicunt se fuisse turbatos, ad me mittere non grauemini. Aut enim non intelligit librum meum, aut fortè ipse non intelligitur, quando difficillimam quæstionem & paucis intelligibilem soluere atque enodare conatur. Ipsa est enim quæstio de gratia Dei, quæ fecit, vt homines non intelligentes, putarent apostolum Paulum dicere, Faciamus mala vt veniant bona. Vnde apostolus Petrus in secunda epistola sua, Quapropter, inquit, charissimi, hæc expectantes satagite, inuiolati & immaculati apud eum reperiri in pace, & Domini nostri patientiam salutem existimantes. Sicut & dilectissimus frater noster Paulus secundum eam quæ data est ei sapientiam scripsit vobis, vt & in omnibus epistolis loquens, in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles homines peruertunt, sicut & cæteras scripturas ad proprium suum interitum. Cauete ergo quod tantus Apostolus tam terribiliter dicit, & vbi sentitis vos non intelligere, interim credite diuinis eloquiis, quia & liberum est hominis arbitrium, & gratia Dei, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti potest ad Deum, nec proficere in Deo. Et quod piè creditis, vt etiam sapienter intelligatis orate. Et ad hoc ipsum enim, id est, vt sapienter intelligamus, est vtique liberum arbitrium. Nisi enim libero arbitrio intelligeremus atque saperemus, non nobis præciperetur dicente scriptura, Intelligite ergo qui insipientes estis in populo; & stulti aliquando sapite. Eoipso quippe quo præceptum & imperatum est, vt intelligamus atque sapiamus; obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. Sed si posset hoc ipsum sine adiutorio Dei gratiæ fieri per liberum arbitrium, vt intelligeremus atque saperemus, non diceretur Deo, Da mihi intellectum vt discam mandata tua. Neque in Euangelio scriptum esset, Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas. Nec Iacobus apostolus diceret, Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Potens est autem Dominus, qui & vobis donet & nobis, vt de vestra pace & pia consensione, nunciis celerrimis gaudeamus. Saluto vos, non solùm meo nomine, sed etiam fratrum qui mecum sunt, & rogo vt pro nobis concorditer atque instanter oretis. Sit vobiscum Dominus.

Merita in nobis seu bona seu mala. Psal. 78. Rom. 3. 2. Petri 3. Psal. 93. Psal. 118. Luce 24. Iaco. 1.

ALTERA EIVSDEM EPISTOLA.

Domino dilectissimo & in Christi membris honorando fratri Valentino, & fratribus qui tecum sunt, Augustinus in Domino salutem.

Cresconium Felicem & alium Felicem Dei seruos, qui ex vestra congregatione ad nos venerunt, nobiscum egisse Pascha nouerit charitas vestra. Quos ideò tenuimus aliquanto diutius, vt instructiores ad vos redirent, aduersus nouos hæreticos Pelagianos, in quorum errorem cadit, qui putat aliquo merito humano gratiam Dei dari, quæ sola hominem liberat per Dominum nostrum Iesum Christum. Sed rursum qui putat, quando ad iudicium Dominus venerit, non iudicari hominem secundum opera sua, qui iam per ætatem vti potuit libero voluntatis arbitrio, nihilominus in errore est. Soli enim paruuli, qui nondum habent opera propria, vel bona vel mala, secundum solum originale peccatum damnabuntur, quibus per lauacrum regenerationis non subuenit gratia saluatoris. Cæteri autem omnes qui iam vtentes libero arbitrio, sua propria peccata originali peccato insuper addiderunt, si de potestate tenebrarum per gratiam Dei non eruuntur, nec transferuntur ad regnum Christi, non solùm secundum originis, verumetiam secundum propriæ voluntatis merita, iudicium reportabunt. Boni verò etiam ipsi quidem, non solùm secundum suæ bonæ voluntatis merita præmium consequentur, sed etiam ipsam bonam voluntatem per Dei gratiam consecuti sunt, ac sic impletur quod scriptum est: Ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Rom. 7. De qua difficillima quæstione, hoc est, de voluntate & gratia, non opus habui etiam in hac epistola diutius disputare, quoniam & aliam iam eis dederam, tanquam citius rediturus. Et scripsi ad vos etiam librum, quem si, adiuuante Domino, diligenter legeritis, & viuaciter intellexeritis, nullas existimo inter vos de hac re dissensiones vlteriùs iam futuras. Portant autem secum & alia, quæ vobis dirigenda esse credidimus, quibus cognoscatis quemadmodum catholica Ecclesia, in Dei misericordia Pelagianæ hæresis venena repulerit. Quod enim scriptum est ad Papam Innocentium Romanæ vrbis episcopum, de concilio prouinciæ Carthaginiensis, & de concilio Numidiæ, & aliquanto diligentius à quinque episcopis, & quæ ipse ad tria ista rescripsit: item quod Papæ Zosimo de Africano concilio scriptum est, eiusque rescriptum ad vniuersos totius orbis episcopos missum: & quod posteriori concilio plenario totius Africæ contra ipsum errorem breuiter constituimus, & suprà memoratum librum meum, quem modò ad vos scripsi: hæc omnia & in præsenti legimus cum ipsis, & per eos misimus vobis. Legimus eis etiam librum beatissimi martyris Cypriani de oratione Dominica, & ostendimus quemadmodum docuerit omnia quæ ad mores nostros pertinent, quibus rectè viuimus, à patre nostro qui in cælis est, esse poscenda, ne de libero præsumentes arbitrio, à diuina gratia decidamus. Vbi etiam demonstrauimus quomodò admonuerit idem gloriosissimus martyr, etiam pro inimicis nostris, qui nondum in Christum cre-

Intelligit librum præcedentẽ, videlicet de gratiã & lib. arbit. Epist. 90. Epist. 92. Epist. 95. Epist. 91. 93. & 96. Non extant.

ſtum crediderunt,nos vt credant orare debere. Quod vtique inaniter fierẽt, niſi eccleſia crederet etiam malas atque infideles hominum voluntates, per Dei gratiam in bonum poſſe conuerti. Sed hunc librum ſancti Cypriani, quia dixerunt etiam illic apud vos eſſe, non miſimus. Meam quoque epiſtolam ad Sixtum Romanæ eccleſiæ presbyterum datam, quam ſecum ad nos attulerunt, legimus cum eis, & oſtendimus aduerſus eos eſſe conſcriptam qui dicunt,gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari,hoc eſt aduerſus eoſdem Pelagianos. Quantum ergo potuimus, egimus cum iſtis & veſtris & noſtris fratribus, vt in fide ſana Catholica perſeuerent; quæ neque liberum arbitrium negat,ſiue in vitam malam ſiue in bonam; neque tantum ei tribuit, vt ſine gratia Dei valeat aliquid, ſiue vt ex malo conuertatur in bonum, ſiue vt in bono perſeueranter proficiat, ſiue vt ad bonum ſempiternum peruenia t, vbi iam non timeat ne deficiat. Vos quoque chariſſimi,etiam in hac epiſtola exhortor, quod nos omnes exhortatur Paulus, Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad temperantiam, ſicut vnicuique Deus partitus eſt menſuram fidei. Attendite quid per Salomonem moneat Spiritus ſanctus: Rectos cursus, inquit, fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dexteram, neque in ſiniſtram; auerte autẽ pedem tuum à via mala. Vias enim quæ à dextris ſunt, nouit Dominus; peruerſæ verò ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt. Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, itinera autem tua in pace producet. In his verbis ſanctæ Scripturæ conſiderate, fratres, quia ſi non eſſet liberum arbitrium, non diceretur, Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, ne declines in dextram, neque in ſiniſtram. Et tamen ſine Dei gratia ſi poſſet hoc fieri, non poſteà diceretur, Ipſe autem rectos faciet curſus tuos,& itinera tua in pace producet. Nolite ergo declinare neque in dextrã, neque in ſiniſtram: quamuis laudentur viæ quæ à dextris ſunt, & vituperentur quæ ſunt à ſiniſtris. Hoc eſt enim propter quod addidit, Auerte autem pedem tuum à via mala; hoc eſt, à ſiniſtra. Quod manifeſtat in ſequentibus, dicens, Vias enim quæ à dextris ſunt, nouit Dominus; peruerſæ verò ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt. Eas vtique vias ambulare debemus, quas nouit Dominus, de quibus in Pſalmo legitur, Nouit Dominus viam iuſtorum, & via impiorum peribit. Hanc enim non nouit Dominus, quia ſiniſtra eſt. Sicut dicturus eſt etiam illis ad ſiniſtram conſtitutis, Non noui vos. Quid eſt autem quod ille non nouit,qui vtique nouit omnia,ſiue bona hominum, ſiue mala? Sed quid eſt, Non vos noui; niſi tales vos ego non feci? Quemadmodum illud, quod dictum eſt de ipſo Domino Ieſu Chriſto, quia non nouerat peccatum, quid eſt, niſi quia non fecerat? Ac per hoc quod dictum eſt, Vias quæ à dextris ſunt nouit Dominus; quomodo intelligẽdum eſt, niſi quia ipſe fecit vias dextras, id eſt, vias iuſtorum, quæ ſunt vtique opera bona, quæ præparauit Deus, ſicut dicit Apoſtolus, vt in illis ambulemus. Vias autem ſiniſtras peruerſas, id eſt, vias impiorum, non vtique nouit, quia non eas ipſe fecit in homine, ſed homo ſibi. Propter quod dicit: Odiui autem ego peruerſas vias malorum, ipſæ ſunt à ſiniſtris. Sed reſpondetur nobis, Cur ergo dixit, Ne declines in dextram neque in ſiniſtram; cùm potius dicere debuiſſe videatur, Tene dexteram, & ne declines in ſiniſtram? Si bonæ ſunt viæ quæ à dextris ſunt, cur putamus, niſi quia ita viæ ſunt bonæ quæ à dextris ſunt, vt in dexteram tamen declinare non ſit bonum? Declinare quippe ille eſt intelligendus in dexteram, qui bona ipſa opera quæ ad vias dexteras pertinent, ſibi vult aſſignare, non Deo. Et ideo cùm diximſſet, Vias enim quæ à dextris ſunt nouit Dominus, peruerſæ autem ſunt quæ à ſiniſtris ſunt, tanquam diceretur ei, Quomodo ergo non vis vt declinemus ad dexteram, ſecutus adiunxit, Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, itinera autem tua in pace producet. Sic ergo intellige, quod tibi præceptum eſt, Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige, vt noueris cùm hoc facis, à Domino Deo tibi præſtari vt hoc facias, & non declinabis ad dexteram, quamuis ambules in viis dextris, non confidens in virtute tua, & ipſe erit virtus tua,qui rectos faciet curſus tuos, & itinera tua in pace producet. Quapropter dilectiſſimi quicunque dicit, Voluntas mea mihi ſufficit ad facienda opera bona, declinat in dexteram. Sed rurſus qui putant bonam vitam eſſe deferendam, quando audiunt ſic Dei gratiam prædicari, vt credatur & intelligatur voluntates hominum ipſas ex malis bonas facere, ipſas etiam quas fecerit cuſtodire, & propterea dicunt, Faciamus mala vt veniant bona, in ſiniſtram declinant. Ideo vobis dixit, Non declinetis in dexteram neque in ſiniſtram; hoc eſt, non ſic defendatis liberum arbitrium, vt ei bona opera ſine Dei gratia tribuatis; nec ſic defendatis gratiam, vt quaſi de illa ſecuri, mala opera diligatis: quod ipſa gratia Dei auertat à vobis. Talium quippe verba ſibi proponens Apoſtolus, ait, Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato vt gratia abundet? Atque his verbis hominum errantium & Dei gratiam non intelligentium, reſpondit vt debuit, dicens, Abſit. Si enim mortui ſumus peccato,quomodo viuemus in eo? Nihil potuit dici breuius & melius. Quid enim nobis gratia Dei vtilius confert in hoc præſenti ſeculo maligno, niſi vt moriamur peccato? Ac per hoc ipſi gratiæ inuenietur ingratus, qui propter illam vult viuere in peccato, per quam morimur peccato. Deus autem qui diues eſt in miſericordia, det vobis & ſanum ſapere, & vſque in finem proficienter in bono propoſito permanere. Hoc pro vobis, hoc pro nobis, hoc pro omnibus qui vos diligunt, & pro eis qui vos oderunt, inſtanter in pace fraterna & vigilanter orate, vt Deo viuatis.

Epiſtola 105.
Rom. 12.
Prouerb. 4.
Pſalm. 1.
Matth. 7.
2. Cor. 5.
Epheſ. 2.
Rom. 3.
Rom. 6.

DIVI

DIVI AVRELII AVGVSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI, DE CORREPTIONE ET GRATIA, AD VALENTINVM, ET CVM ILLO MONACHOS, LIBER VNVS.

Argumentum ex libro 2. Retractationum, cap. 67.

RVRSVS *ad eoſdem ſcripſi alterũ librum, quem De correptione & gratia, prænotaui, cùm mihi nunciatũ eſſet dixiſſe ibi quendam, neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit; ſed pro illo vt faciat, tantummodo orandum. Hic liber ſic incipit:*

CAPVT I.

LECTIS literis veſtris, Valentine frater dilectiſſime,& qui ſimul ſeruitis Deo, quas per fratrẽ Florum, & eos qui cum illo ad nos venerunt, miſit charitas veſtra, egi Deo gratias, quòd veſtram in Domino pacẽ, & in veritate conſenſionem, & in charitate flagrantiam, veſtro nobis reddito ſermone cognoui. Quòd autem ad ſubuerſionem quorundam apud vos molitus eſt inimicus, Deo miſerante, & eius inſidias in ſuorum ſeruorũ prouectum mirabili bonitate vertente, ad hoc potius valuit, vt nulli veſtrũm deſtruerentur in peius, ſed nonnulli inſtruerentur in melius. Non itaque opus eſt omnia identidem retractare, quæ ſufficienter vobis pleno libro diſputata tranſmiſimus, quem quomodo ſuſceperitis reſcripta indicant veſtra. Veruntamẽ ſemel lectum nullo modo arbitremini ſatis vobis innoteſcere potuiſſe. Si ergo eum fructuoſiſſimum habere vultis, non vos pigeat relegendo habere notiſſimum, vt dilucidiſſimè ſciatis quibus & qualibus quæſtionibus ſoluendis atq; ſanandis, non ibi humana, ſed diuina occurrat authoritas, à qua recedere non debemus, ſi volumus peruenire quò tendimus. Dominus autem ipſe non ſolùm oſtendit nobis, à quo malo declinemus, & quod bonũ faciamus, quod ſolùm poteſt legis litera; verumetiam adiuuat nos, vt declinemus à malo, & faciamus bonum, quod nullus poteſt ſine ſpiritu gratiæ: quæ ſi deſit, ad hoc lex adeſt, vt reos faciat & occidat. Propter quod dicit Apoſtolus: Litera occidit, ſpiritus autem viuificat. Qui ergo legitimè lege vtitur, diſcit in ea malum & bonum, & non confidens in virtute ſua cõfugit ad gratiam qua præſtante declinet à malo, & faciat bonum. Quis autem confugit ad gratiam, niſi cùm à Domino greſſus hominis diriguntur, & viam eius volet? Ac per hoc & deſiderare auxiliũ gratiæ, initium gratiæ eſt; de quo ait ille, Et dixi, nunc cœpi: hęc eſt immutatio dexteræ excelſi. Liberum itaque arbitrium, & ad malum & ad bonum faciendum confitendum eſt nos habere: ſed in malo faciendo liber eſt quiſque iuſtitiæ, ſeruusque peccati; in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus ab eo qui dixit, Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Nec ita vt cùm quiſque fuerit à peccati dominatione liberatus, iam non indigeat ſui liberatoris auxilio; ſed ita potius, vt ab illo audiens, Sine me nihil poteſtis facere; dicat ei & ipſe, Adiutor meus eſto, ne derelinquas me. Hanc fidem quæ ſine dubio vera & prophetica & apoſtolica & catholica fides eſt, etiam in fratre noſtro Floro inueniſſe me gaudeo: vnde hi potius corrigendi ſunt, quos quidem propitio Deo correctos eſſe iam exiſtimo, qui cum non intelligebant.

2. Cor. 3.
Legitimus legis vſus.
Pſal. 36.
Ibidem.
Deſiderare gratiam initium gratiæ eſt.
Pſal. 76.
Ioan. 8.
Ioan. 15.
Pſal. 26.

CAPVT. II.

INTELLIGENDA eſt enim gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qua ſola homines liberantur à malo, & ſine qua nullum prorſus ſiue cogitando, ſiue volendo & amando, ſiue agẽdo faciunt bonum; non ſolùm vt monſtrante ipſa quid faciendum ſit ſciant, verumetiam vt præſtante ipſa faciant cum dilectione quod ſciunt. Hanc quippe inſpirationem bonæ voluntatis atque operis, poſcebat Apoſtolus eis quibus dicebat: Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali, non vt nos probati appareamus, ſed vt vos quod bonum eſt, faciatis. Quis hoc audiat & non euigilet, atq; fateatur à Domino Deo nobis eſſe, vt declinemus à malo, & faciamus bonum? Quandoquidem non ait Apoſtolus, monemus, docemus, hortamur, increpamus; ſed ait, Oramus ad Deum, ne quid faciatis mali, ſed quod bonum eſt faciatis. Et tamen etiam loquebatur eis, & faciebat illa omnia quæ commemorauit: monebat, docebat, hortabatur, increpabat. Sed ſciebat hæc omnia non valere, quæ plantando & rigando faciebat in aperto, niſi eum prò illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto. Quoniam ſicut idem doctor gentium dicit: Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Non ſe itaque fallant qui dicunt, *Vt quid nobis prædicatur atque præcipitur, vt declinemus à malo, & faciamus bonũ, ſi hoc nos non agimus, ſed id velle & operari Deus operatur in nobis:* ſed potius intelligant ſi filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi, vt quod agendum eſt agant, & cùm egerint, illi à quo aguntur gratias agant: aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant, & ad hoc eis oſtenditur quid agere debeant, vt quando id agunt ſicut agendum eſt, id eſt, cum dilectione & delectatione iuſtitiæ, ſuauitatem quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum ſuum; accepiſſe ſe gaudeant. Quando autem non agunt, ſiue omnino non faciendo, ſiue non ex charitate faciendo; orẽt vt quod nondum habent, accipiant. Quid enim habebunt, quod non accepturi ſunt; aut quid habent, quod non acceperunt?

2. Cor. 13.
1. Cor. 3.
Phil. 2.

CAPVT III. Correptio nulla negligenda.

ERGO, inquiunt, *præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus qui nobis præſunt, & vt faciamus orent pro nobis; non autem nos corripiant & arguant, ſi non fecerimus.* Imò omnia fiant, quoniam doctores Eccleſiarum Apoſtoli omnia faciebant, & præcipiebant quæ fierent; & corripiebant, ſi non fierent; & orabant vt fierent. Præcipit Apoſtolus dicens; Omnia veſtra in charitate fiant. Corripit dicens: Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quia iudicia habetis vobiſcum. Quare enim non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis & fraudatis, & hoc fratribus. An neſcitis, quia iniuſti regnum Dei non poſſidebunt? Audiamus & orantem: Vos autem, inquit, Dominus multiplicet & abundare faciat in charitate in inuicem, & in omnes. Præcipit, vt habeatur charitas; corripit, quia non habetur charitas; orat, vt abundet charitas. O homo in præceptione cognoſce quid debeas habere; in correptione cognoſce, tuo te vitio non habere; in oratione cognoſce, vnde accipias quod vis habere.

1. Cor. 16.
1. Cor. 6.
1. Theſſ. 3.
Vſus præcepti, correptionis, & orationis.

CAPVT IIII.

QVOMODO, inquit, *meo vitio non habetur, quòd non accepi ab illo, à quo niſi detur, non eſt omnino alius vnde tale ac tantum munus habeatur?* Patimini me paululum fratres mei, non aduerſum vos, quorum rectũ eſt cor cum Deo, ſed aduerſus eos qui terrena ſapiunt, vel aduerſus ipſas humanas cogitationes, pro cæleſtis & diuinæ gratiæ veritate certare. Hoc enim dicunt, qui in ſuis malignis operibus ab huius gratiæ prædica-

toribus corripi nolunt. *Præcipe mihi quid faciã; & si fe-*
cero, age pro me gratias Deo, qui mihi vt facerem dedit. Si
autẽ non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus
est vt det quod nõ dedit: id est ipsam, qua præcepta eius fiãt,
fidelem Dei & proximi charitatem. Ora ergo pro me vt hãc
accipiã, & per hanc ex animo cum bona voluntate, quæ præ-
cipit faciã. Rectè autem corriperer, si eam mea culpa non ha-
berem: hoc est, si eam possem mihi dare vel sumere ipse, nec
facerem; vel si dante illo accipere noluissem. Cùm ergo &
Prouerb. 8. Sec. 70. *ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia*
vides me eius præcepta facere nolle; & non potius ipsum ro-
gas, vt in me operetur & velle?

CAPVT V. Correptionis necessitas & utilitas.

Ad hæc respõdemus: Quicunque Dei pręcepta iam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiẽdus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demõstrari; non vis vt fe tiantur, fiatq; tibi vtilis dolor, quo medicũ quæras; non vis tibi tuipse ostẽdi, vt cùm deformẽ te vides; reformatorem desideres, eiq̃ue supplices ne in illa remaneas fœditate. Tuum quippe vitiũ est quòd malus es, & maius vitiũ corripi nolle, quia malus es: quasi laudanda vel indifferenter habenda sint vitia, vt neq; laudẽtur neq; vituperẽtur: aut verò nihil agat timor correpti hominis vel pudor, vel dolor; aut aliud agat cùm salubriter stimulat, nisi vt rogetur bonus, & ex malis qui corripiuntur, bonos faciat qui laudentur. Quod enim vult pro se fieri qui corripi non vult, & dicit, ora potius pro me; ideò corripiẽdus est vt faciat etiã ipse pro se. Dolor quippe ille quo sibi displicet; quãdo sentit correptionis aculeum, excitat eum in maioris orationis affectũ: vt Deo miserante, incremẽto charitatis adiutus desinat agere pudenda & dolẽda, & agat laudãda atque grataṇda. Hæc est correptionis vtilitas, quæ nunc maior, nunc minor pro peccatorũ diuersitate salubriter adhibetur, & tũc
Correptio salubris, quãdo est salubris, quando supernus medicus respicit. Non
Matth. 26. enim aliquid proficit, nisi cùm facit vt peccati sui quẽque pœniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit Apostolum Petrũ negantẽ; & fecit flentem? Vnde & apo-
2. Tim. 2. stolus Paulus posteaquã dixit, cum modestia corripiẽdos esse diuersa sentiẽtes, protinus addidit: Ne quãdo det eis Deus pœnitentiã ad cognoscẽdam veritatem; & resipiscant de diaboli laqueis. Cur autẽ isti qui corripi nolunt, dicunt: *Tantum præcipe mihi & ora pro me, vt quod præcipis faciam?* Cur non potius secundũ suum prauum sensum & ista duo respuunt, & dicunt: Nec vt præcipias mihi, nec vt ores pro me volo? Quis enim hominũ ostenditur orasse pro Petro, vt daret ei Deus pœnitentiã qua se negasse Dominum fleret? Quis hominum Paulum diuinis præceptis ad fidem Christianam pertinẽtibus eruditit? Cùm ergo audiretur prædicans Euangeliũ, & dicens, Notum enim vobis facio,
Galat. 2. fratres, Euangeliũ quod euangelizatum est à me, quia non est secundũ hominẽ: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Christi Iesu: responderetur ei; Quid nobis molestus es, vt abs te accipiamus atque discamus, quod tu nõ ab homine accepisti neque didicisti? Potens est ille qui tibi dedit, sic & nobis dare quomodo tibi. Porrò si hoc nõ audent dicere, sed patiuntur sibi Euangeliũ ab homine prædicari: quãuis etiam possit non per hominẽ homini dari, concedant etiã corripi se debere à præpositis suis, à quibus Christiana gratia prædicatur: quãuis non negetur, Deum posse quem velit, etiã nullo homine corripiente corrigere, & ad dolorem salubrem pœnitẽtiæ occultissima & potentissima medicinæ suę potestate perducere. Et sicut non est ab oratione cessandum pro eis quos corrigi volumus, etiã si nullo hominum orante pro Petro, Dominus respexit eum, & fecit eum suum peccatũ flere: ita non est negligenda correptio, quãuis Deus quos voluerit etiam non correptos, facit esse correctos. Tunc autem correptione

A proficit homo, cùm miseretur atque adiuuat, qui facit quos voluerit etiam sine correptione proficere. Sed quare isti sic, illi aliter, atque alij aliter diuersis & innumerabilibus modis vocentur vt reformentur, absit vt dicamus iudicium luti esse debere, sed figuli.

CAPVT VI. 1. Cor. 4.

APOSTOLVS, inquiunt, *ait, Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Cur ergo corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accepimus?* Qui hæc dicunt, extra culpam se videri volunt, in hoc quòd non obediunt Deo: quia vtique ipsa obedientia munus eius est; quæ necesse est vt insit ei cui charitas inest, quę sine dubio ex Deo est, & dat eam pater filiis suis. *Hanc*, inquiunt, *non accepimus; quid itaque corripimur, quasi nos eam nobis dare possimus, & nostro arbitrio dare nolimus?* Nec attendunt si nondũ regenerati sunt, primam esse causam, cur obiurgati quòd sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere, quia fecit Deus hominẽ rectũ ab initio humanæ
B creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima prauitas quã Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine in qua eũ Deus primitus fecit, sua mala voluntate decidens, prauus effectus est. An verò ideo prauitas ista corripienda non est in homine, quia non eius propria qui corripitur, sed cõmunis est omnibus? Imò verò corripiatur & in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cuiusquam non est, quòd ab ea nullus immunis est. Peccata quidẽ ista originalia ideo dicuntur aliena, quòd ea singuli de parentib. traiunt: sed non sine causa dicuntur & nostra, quia in illo vno omnes, sicut dicit Apostolus, peccauerũt. Corripiatur ergo origo damnabilis, vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur; si tamen qui corripitur filius est promissionis, vt strepitu correptionis forinsecus insonante atque flagellãte, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur & velle. Si autem iam regeneratus & iustificatus in malam vitã sua
C voluntate relabitur, certè iste non potest dicere, non accepi, quia acceptã gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio. Qui si correptione cõpunctus salubriter ingemit, & ad similia bona opera vel etiam meliora reuertitur; nempe hic apertissimè vtilitas correptionis apparet. Sed per hominẽ correptio siue ex charitate sit, siue non sit, tamẽ vt correpto prosit, non nisi per Deum fit. An adhuc & iste nolẽs corripi, potest dicere: *Quid ego feci qui non accepi*, quẽ cõstat accepisse, & sua culpa quod acceperat amisisse? *Pũssum*, inquit, *possum omnino, quãdo me arguis, quod ex bona vita in malam mea voluntate relapsus sum, dicere adhuc, Quid ego feci qui non accepi: accepi enim fidem quæ per dilectionem operatur; sed in illa vsque in finem perseuerantiã non accepi: an quisquã dicere audebit istam perseuerantiam non esse donum Dei, & hoc tam magnum bonum ita esse nostrum, vt quisquis id habuerit, non ei pũsit Apostolus dicere, Quid enim habes quod non accepisti, quoniam hoc sic habet vt non acceperit?* Ad hæc nos negare quidem non possumus etiam
D perseuerantiam in bono proficientem vsque in finem, magnum esse Dei munus; nec esse nisi ab illo, de quo scriptum est, Omne datum optimum & omne donũ perfectum desursum est, descendẽs à patre luminũm. Sed non ideò est eius qui non perseuerauerit, negligẽda correptio, ne fortè det illi Deus pœnitentiam, & resipiscat de diaboli laqueis. Correptionis quippe vtilitati hanc sententiam subiunxit Apostolus dicẽs, sicut suprà commemoraui: Cùm modestia corripientẽ diuersa sentientes, nequando det illis Deus pœnitentiam. Nam si dixerimus istam perseuerãtiam tam laudabilem tamq̃ue felicem sic esse hominis, vt ei non sit ex Deo: illud primitus euacuamus, quod ait Dominus Petro, Rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Quid enim ei rogauit, nisi perseuerantiam vsque in finem? Quæ profectò

Cur iustè corripiuntur qui non obediunt Deo, tametsi gratiam obediendi nondũ acceperint.

Originale peccatũ quomodo alienũ, & nostrum. Rom. 5.

Perseuerantia omnis Dei donum est. Iacob. 1.

2. Cor. 13. profectò si ab homine homini esset, à Deo poscenda non esset. Deinde cùm dicit Apostolus, Oramus autẽ ad Deum ne quid faciatis mali; proculdubio perseuerãtiam eis orat ad Deum. Neque enim nihil mali facit qui bonum deserit, & à quo declinare non debet, inclinatur in malum, non perseuerans in bono. Illo
Phil. 1. etiam loco vbi dicit, Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in omni prece mea pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, super communione vestra in Euangelio à prima die vsque nunc, confidens hoc ipsum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Quid aliud eis quàm perseuerantiam in bono vsque in finem, de Dei miseratione promittit? Itémq. vbi di-
Colos. 4. cit, Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est seruus Christi Iesu, semper certãs pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei: quid est, vt stetis, nisi vt perseueretis? Vnde dictum est de diabolo, In veritate non stetit; quia fuit ibi, sed non permansit. Nam vtique isti in fide iam stabant. Nec aliud oramus cùm oramus, vt qui stat, stet, nisi vt perseueret. Item Iudas apostolus cùm dicit, Ei autem qui potens
Iud. 18. est conseruare vos sine offensione, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia: nónne apertissimè ostendit donum Dei esse, in bono perseuerare vsque in finem? Quid enim aliud donat qui conseruat sine offensione, vt constituat ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia, nisi perseuerãtiam bonam? Quid est etiam quod in Apostolorum
Act. 13. Actibus legimus, Audientes autem gẽtes gauisæ sunt, & exceperunt verbum Domini, & crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternam. Quis in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseuerantiæ dono? Quandoquidem qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Qua salute, nisi æterna? Cùm verò in
Matth. 6. oratione Dominica Deo patri dicimus, Sanctificetur nomen tuum: quid aliud dicimus, quàm vt nomen eius sanctificetur in nobis? Quod cùm iam per lauacrum regenerationis effectum sit, quare quotidie à fidelibus poscitur, nisi vt in eo quod factũ est in nobis, perseueretur à nobis? Nam & beatus Cyprianus hoc
C sic intelligit: exponens quippe eandem orationem, *Dicimus*, inquit, *sanctificetur nomen tuũ; non quòd optemus Deo, vt sanctificetur orationibus nostris; sed quòd petamus à Deo vt nomen eius sanctificetur in nobis? Cæterùm à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia*
Leuit. 19. *ipse dixit, Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum; id petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus.* Ecce gloriosissimus martyr hoc sentit, quod in his verbis quotidie fideles Christi petunt, vt perseuerẽt in eo quod esse cœperunt. Nullo autem dubitante, quisquis à Domino vt in bono perseueret, precatur; donum eius esse talẽ perseuerantiam confitetur.

CAPVT VII.

QVAE cùm ita sint, corripimus tamen eos, iusteq. corripimus, qui cùm bene viuerent, non in eo perseuerarunt. Ex bona quippe in malam vitam sua volun-
D tate mutati sunt, & ideo corripiũtur; & si nihil eis correptio profuerit, sed in vita perdita vsque ad mortem perseuerauerint, etiam diuina in æternum damnatione sunt digni. Nec se excusabunt dicentes, sicut hic modò dicunt, *quare corripimur*; ita tunc, quare damnamur, quãdoquidem vt ex bono reuerteremur ad malum, perseuerantiam non accepimus qua permaneremus in bono? nullo modo hac excusatione à iusta damnatione se liberabũt. Si enim, sicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione quę facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi; & tamẽ ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se au-
Rom. 10. disse Euangelium Christi, cùm fides ex auditu sit: quãto minus se liberabunt qui dicturi sunt, perseuerantiã

A non accepimus. Iustior enim videtur excusatio dicentium, non accepimus audientiam; quàm dicentium, non accepimus perseuerantiam: quoniam potest dici, homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perseuerares si velles: nullo modo autem dici potest, id quod non audieras, crederes si velles. Ac per hoc & qui Euangelium non audierunt; & qui eo audito in melius commutati perseuerantiam non acceperunt; & qui Euangelio audito venire ad Christum, hoc est in eum
Ioan. 6. credere noluerunt, (quoniam ipse dixit, Nemo venit ad me, nisi ei datum fuerit à patre meo) & qui per ętatem paruulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lauacro regenerationis absolui, quo tamen non accepto mortui perierunt; non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex vno in condemnationem. Discernũtur autem non meritis suis, sed per gratiam mediatoris, hoc est in sanguine secundi Adam iustificati
1. Cor. 4. gratis. Itaque cùm audimus, Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? ab illa perditionis massa quæ facta est per primũ Adam, debemus
B intelligere neminem posse discerni, nisi quòd hoc donum habet quisquis habet, quod gratia Saluatoris accepit. Hoc autem Apostolicum testimonium tam ma-
Lib. 3. testimoniorum, titulo seu cap. 4. gnum est, vt beatus Cyprianus ad Quirinum scribens, ipsum subiecerit illi titulo, in quo ait, In nullo esse gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quicunque ergo ab illa originali damnatione ista diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & procuratur eis audiendum Euangelium: & cùm audiunt credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, vsque in finẽ perseuerant: & si quando exorbitant, correpti emendantur, & quidam eorum etsi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt: & nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate, periculis huius vitæ, mortis celeritate subtrahũtur. Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo, ante constitutionẽ mundi per electionem gratiæ. Si autem gratia, iam non ex
Rom. 11. operibus, alioquin gratia iam nõ est gratia. Non enim sic sunt vocati, vt non essent electi: propter quod dictum est, Multi sunt vocati, pauci verò electi: sed quo-
Matth. 20. niam secundum propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem, vt dictum est gratiæ, non præcedẽtium meritorum suorum; quia gratia illis est
Omne meritum, gratia est. omne meritum. De talibus dicit Apostolus, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in
Rom. 8. bonum, his qui secundum propositum vocati sunt: quoniam quos antè præsciuit, & prædestinauit cõformes imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinauit, illos & vocauit; quos autem vocauit, ipsos & iustificauit; quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit. Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt: electi sunt autem, quia
Rom. 9. secũdum propositum vocati sunt; propositum autem non suum, sed Dei. De quo alibi dicit, vt secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operi-
Ephes. 1. bus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori: & alibi, Non secundum opera nostra, inquit, sed secundum suum propositum & gratiam. Cùm ergo audimus, Quos autem prædestinauit, illos & voca-
Rom. 8. uit; secundum propositũ vocatos debemus agnoscere, quoniam inde cœpit, dicens, Omnia cooperatur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt: ac deinde subiunxit, Quoniam quos antè præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Atque his præmissis subdidit, Quos autem prædestinauit, illos & vocauit. Eos itaque vult intelligi, quos secundum propositum
Duplex vocatio. vocauit; ne putentur in eis esse aliqui vocati & non

Matth. 20. electi, propter illam Dominicam sententiam, Multi vocati, pauci electi. Quicunque enim electi, sine dubio etiam vocati; non autem quicunque vocati, consequenter electi. Illi ergo electi, vt sæpè dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atque præsciti. Horum si quisquã perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus: horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus cui congruebat. Ab illo quippe electus est, qui nouit bene vti etiam malis, vt per eius opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. Cùm itaque audimus, nónne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est: illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum; illum ad effundẽdum sanguinem suum. Meritò sequitur vox ad regnũ electorum, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo nõ & cum illo nobis omnia donauit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis condemnat? Christus Iesus qui mortuus est, magis autẽ qui & resurrexit, qui est in dextra Dei, qui & interpellat pro nobis? Quàm fortis autem perseuerantiæ vsque in finem munus acceperint, sequantur & dicant: Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut scriptũ est: Quia propter te mortificamur tota die; æstimati sumus vt oues occisionis. Sed in his omnibus superuincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angelus, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neq. altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Isti significati sunt ad Timotheum, vbi cùm dictum fuisset Hymenæum & Philetum fidẽ quorundam subuertere, mox additum est: Firmũ autem fundamẽtum Dei stat, habens signaculum hoc, Sciuit Dominus qui sunt eius. Horum fides, quæ per dilectionẽ operatur, profectò aut omnino non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur, & deleta quæ intercurrerat iniquitate, vsque in finem perseuerantia deputatur. Qui verò perseueraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & cõuersatione lapsuri sunt, vt tales eos vitæ huius finis inueniat; proculdubiò nec illo tempore, quo bene pieq. viuunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientia Dei & prędestinatione discreti, & ideò nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi; sed in eis vocati, de quibus dictum est, Multi vocati; non in eis de quibus dictum est, pauci verò electi. Et tamen quis neget eos electos, cùm credũt & baptizantur, & secundũ Deum viuunt? Planè dicuntur electi à nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos nouit non habere perseuerantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare, vt præsciret esse casuros.

Electorum & prædestinatorum perit neutio.

Ioan. 6.

Electio per misericordiam & per iudicium.

Rom. 8.

Psalm. 43.

2. Tim. 2.

Galat. 5.

Matth. 20.

CAPVT VIII. Perseuerantia cui vni detur, alteri non detur, inscrutabile.

Hic si à me quæratur, cur eis Deus perseuerãtiam non dederit, quibus eam qua Christianè viuerent, dilectionem dedit; me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicẽtem Apostolum, O homo, tu quis es qui respõdeas Deo? Et, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quantum itaque nobis iudicia sua manifestare dignatur, gratias agamus; quantum verò abscondere, non aduersus eius consilium murmuremus, sed hoc quoque nobis saluberrimum esse credamus. Tu autem quisquis inimicus eius gratiæ sic interrogas, ipse quid dicis? Bene, quod te non negas esse Christianum, & catholicum iactas. Si ergo confiteris donum Dei esse perseuerare in bono vsque in finem; cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quòd mecum pariter nescis, & ambo hic inscrutabilia iudicia Dei penetrare non possumus. Aut si ad liberũ arbitrium hominis, quod non secũdum Dei gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis vt perseueret in bono quisque, vel non perseueret, non Deo donãte si perseueret, sed humana volũtate faciente; quid moliturus es contra verba dicentis, Rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua? An audebis dicere etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam vsque in finem perseuerare noluisset: quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset vt vellet. Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat, voluntas ipsa deficeret: & permãsuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino, ideò pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogauit ergo ne fides eius deficeret; quid aliud rogauit nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur volũtatis. Voluntas quippe humana non libertate cõsequitur gratiam; sed gratia potius libertatem, & vt perseueret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem. Mirandum est quidẽ, multúmq. mirandum, quòd filiis suis Deus quibusdam quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseuerantiam; cùm filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertita gratia sua, faciat filios suos. Quis hoc non miretur? Quis hoc non vehemẽtissimè stupeat? Sed etiam illud non minus mirum est, & tamen verum, atque ita manifestum, vt nec ipsi inimici gratiæ Dei quomodo id negent valeant inuenire; quod filios quosdam amicorum suorum, hoc est regeneratorum bonorumque fidelium, sine baptismo hinc paruulos exeuntes, quibus vtique si vellet, huius lauacri gratiam procuraret, in cuius potestate sunt omnia, alienat à regno suo, quo parẽtes mittit illorum; & quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, & per hoc lauacrum introduci in regnum, à quo eorum parentes alieni sunt; cùm & illis malum, & istis bonum meritum nullum sit paruulis, ex eorum propria voluntate. Certè hic iudicia Dei, quoniam iusta & alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari. In his est & illud de perseuerantia, de qua nunc disputamus. De vtrisque ergo exclamemus, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius! Nec miremur nos vestigare non posse inuestigabiles vias eius. Vt enim alia innumerabilia taceam, quæ aliis dantur, aliis non dantur hominibus à Domino Deo, apud quem nõ est acceptio personarum, nec tribuuntur ista meritis voluntatum, (sicut sunt celeritates, vires, bonæ valetudines, & pulchritudines corporũ, ingenia mirabilia, & multarum artium capaces naturæ mentium: vel quę accedunt extrinsecus, vt est opulentia, nobilitas, honores, & cætera huiusmodi, quæ quisque vt habeat, non nisi in Dei est potestate: vt non immorer etiam in baptismate paruulorum, quod nullus istorum potest dicere, sicut illa, ad regnum Dei non pertinere, cur illi paruulo detur, illi non detur, cùm sit vtrunque in potestate Dei, & sine illo sacramẽto nemo intret in regnũ Dei.) Vt ergo hæc taceam vel relinquam, illos ipsos intueãtur de quibus agitur. De his enim disserimus, qui perseuerantiam bonitatis non habẽt, sed ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeant

Libertas Christiana gratiã sequitur, non antecedit.

Exẽpla quedam obstupẽdorum iudiciorum Dei.

Lucæ 22.

Prouerb. 8. sec. 70.

Rom. 11.

Rom. 2.

deant si possunt, cur illos Deus, cùm fideliter & piè viuerent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Vtrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nesciuit? Nempe nihil horum nisi peruersissimè atque insanissimè dicitur. Cur ergo non fecit? Respondeant qui nos irrident, quando in rebus talibus exclamamus: Quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Neque enim hoc non donat Deus quibus voluerit, aut verò Scriptura illa mentitur, quæ de morte velut immatura hominis iusti ait: Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius. Cur igitur hoc tam magnum beneficiũ aliis dat, alijs non dat Deus, apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum, & in cuius potestate est quandiu quisque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta est super terram? Sicut ergo coguntur fateri donum Dei esse vt finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum; cur autem alis donetur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono perseuerantiam secundum Scripturas, de quibus testimonia multa iam posui, fateantur nobiscum; & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure aduersus Deum dignentur ignorare nobiscum.

Sapient. 4.

Roman. 11.

Sapient. 4.

Rom. 9. & 2

Iob 7.

CAPVT IX.

Nec nos moueat, quòd filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseuerantiam. Absit enim vt ita esset, si de illis prędestinatis essent, & secundum propositum vocatis, qui verè sunt filij promissionis. Nam isti cùm piè viuunt, dicuntur filij Dei; sed quoniam victuri sunt impiè, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præscientia Dei. Sunt enim filij Dei, qui non dum sunt nobis, & sunt iam Deo; de quibus ait Euangelista Ioannes, quia Iesus moriturus erat pro gente; nec tantùm pro gente, sed etiam vt filios Dei dispersos congregaret in vnum: quod vtique credendo futuri erant per Euangelij prædicationem; & tamẽ antequam esset factum, iam filij Dei erant in memoriali patris sui inconcussa stabilitate conscripti. Et sunt rursus quidam qui filij Dei propter susceptã vel temporaliter gratiã dicuntur à nobis, nec sunt tamẽ Deo. De quibus ait idem Ioannes, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Quod si fuissent ex nobis, permãsissent vtique nobiscum. Non ait, ex nobis exierũt; sed quia non manserunt nobiscum, iam non sunt ex nobis; verùm ait, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: hoc est, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis. Et tanquam ei diceretur, vnde id ostendis? Quod si fuissent, inquit, ex nobis, permansissent vtiq. nobiscum. Filiorum Dei vox est: Ioannes loquitur in filiis Dei loco prǫcipuo cõstitutus. Cùm ergo filij Dei dicunt de his qui perseuerantiam non habuerunt, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; & addũt, quòd si fuissent ex nobis, permãsissent vtique nobiscũ: quid aliud dicunt, nisi non erant filij, etiam quando erãt in professione & nomine filiorum? non quia iustitiam simulauerunt, sed quia in ea non permanserunt. Neque enim ait, Nam si fuissent ex nobis, veram non fictam iustitiam tenuissent vtique nobiscum: sed, si fuissent, inquit, ex nobis, permansissent vtique nobiscum. In bono illos volebat proculdubiò permanere. Erant itaque in bono, sed quia in eo non permanserunt, id est, non vsque in finem perseuerauerunt, non erãt, inquit, ex nobis: & quando erant nobiscum; hoc est, non erãt ex numero filiorum, & quando erant in fide filiorum: quoniã qui verè filij sunt, præsciti & prædestinati sunt conformes imaginis filij eius, & secũdum propositum vocati sunt vt electi essent. Non enim perit filius promissionis, sed filius perditionis. Fuerunt ergo isti ex multitudine vocatorum; ex electorum autem paucitate non fuerunt. Igitur filiis suis non prædestinatis Deus perseuerantiam non dedit; haberent enim eam si in eo filiorum numero essent: & quid haberẽt quod non accepissent, secundum apostolicam veramq. sententiam? ac per hoc tales filij filio Christo dati essent, quemadmodum ipse dicit ad Patrem, vt omne quod dedisti mihi, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hi ergo Christo intelliguntur dari, qui ordinati sunt in vitam æternam. Ipsi sunt illi prædestinati, & secundum propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam; quoniam sic est ordinatus, & ideò Christo datus vt non pereat, sed habeat vitam æternam. Et rursus quos dicimus inimicos eius, vel paruulos filios inimicorum eius, quoscunque eorum sic regeneraturus est, vt in ea fide quæ per dilectionem operatur, hãc vitam finiant; iam & antequam hoc fiat, in illa prædestinatione sunt filij eius, & dati sunt Christo filio eius, vt non pereant, sed habeant vitam æternam. Denique ipse Saluator, Si manseritis, inquit, in verbo meo, verè discipuli mei estis. Nunquid in his computandus est Iudas, qui non mansit in verbo eius? Nunquid in his computandi sunt illi, de quibus Euangelium sic loquitur, vbi Dominus cùm commendasset manducãdam carnem suam, & bibendum sanguinem suum, ait Euangelista, Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaũ. Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciẽs autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarẽt de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quicquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt: sciebat enim ab initio Iesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eũ, & dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo venit ad me, nisi fuerit ei datũ à Patre meo. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabãt. Nunquid non & isti discipuli appellati sunt loquente Euangelio, & tamen non erant verè discipuli, quia non manserũt in verbo eius, secundum id quod ait, Si mãseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis. Quia ergo non habuerũt perseuerantiam, sicut non verè discipuli Christi, ita nec verè filij Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, & ita vocabãtur. Appellamus ergo eos & electos Christi discipulos & Dei filios, quia sic appellãdi sunt, quos regeneratos piè viuere cernimus; sed tunc verè sunt quod appellantur, si manserint in eo propter quod sic appellantur. Si autem perseuerantiam non habent, id est in eo quod cœperunt esse non manent, non verè appellantur quod appellantur, & non sunt: apud eum enim hoc non sunt cui notum est quod futuri sunt, id est ex bonis mali. Propter hoc Apostolus cùm dixisset, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum: sciens nõnullos diligere Deum, & in eo bono vsque in finẽ nõ permanere, mox addidit, his qui secũdũ propositũ vocati sunt. Hi enim in eo quod diligunt Deum, permanent vsque in finẽ; & qui ad tẽpus inde deuiant, reuertũtur vt vsq. in finẽ perducant, quod in bono esse cœperunt. Ostendens autem quid sit secundum propositum vocari, mox addidit ea quæ iam suprà posui, Quoniam quos antè prǫsciuit, & prǫdestinauit conformes imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, illos & vocauit, scilicet secundũm propositũ: quos autẽ vocauit, ipsos & iustificauit; quos autẽ iustificauit, ipsos & glorificauit. Illa omnia iam facta sunt, præsciuit, prædestinauit, vocauit, iustificauit: quoniam & omnes iam præsciti ac prædestinati sunt, & multi iam vocati atque iustificati. Quod autẽ posuit in fine, illos & glorificauit, (siquidem illa gloria est hic intelligenda

Filij Dei quidam secundũ præsentẽ iustitiam, quidã secundum Dei præscientiam.

Ioan. 11.

1. Ioan. 2.

Reprobi verã habent ad tẽpus iustitiam, etiamsi in ea non perseuerent.

Ioan. 17.

1. Cor. 4.

Ioan. 6.

Dati Christo qui intelligantur.

Ioan. 8.

Ioan. 8.

Discipuli Christi duobus modis dicti.

Ioan. 2.

Rom. 8.

Secũdum propositum vocari, quid.

Colos. 2. genda, de qua idem dicit, Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria:) nondum factum est, quamuis & illa duo, id est vocauit & iustificauit, non in omnibus facta sint, de quibus dicta sunt. Adhuc enim vsque in finem seculi multi vocandi & iustificandi sunt; & tamen verba præteriti tẽporis posuit de rebus etiam futuris, tanquam iam fecerit Deus, quæ iam vt fierent ex æternitate disposuit. Ideo de illo dicit & Propheta Esaias, qui fecit quæ futura sunt. Quicunque ergo in Dei prouidentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, iam filij Dei sunt, & omnino perire non possunt. Hi verè veniunt ad Christum; quia ita veniunt quomodo ipse dicit, Omne quod dat mihi Pater ad me veniet; & eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Et paulo pòst, Hæc est, inquit, voluntas eius qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi nõ perdam ex eo. Ab illo ergo datur etiam perseuerantia in bono vsque in finem: neque enim datur, nisi eis qui non peribunt, quoniam qui non perseuerant peribũt. Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, vsque adeò prorsus omnia, vt etiam si qui eorum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Discunt enim in ipsa via iusta cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando tãquam de sua virtute fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua, nõ mouebimur in æternum; propter quod eis dicitur, Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, ne quãdo irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Neque enim ait, & ne veniatis ad viam iustam; sed, ne pereatis, inquit, de via iusta: quid ostendens, nisi eos esse commonitos, quia iam ambulant in via iusta, vt in timore Deo seruiant, id est non altum sapiant, sed timeant? quod significat, non superbiant, sed humiles sint: vnde & alibi dicit, Non alta sapiẽtes, sed humilibus consentientes: exultent Deo, sed cum tremore, in nullo gloriantes, quãdo nostrum nihil sit, vt qui gloriatur, in Domino glorietur: Ne pereant de via iusta, in qua iam ambulare cœperũt, dum sibi hoc ipsum assignant, quod in ea sunt. His verbis vsus est & Apostolus, vbi ait, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Et ostendens quare cum timore & tremore, ait, Deus est enim, inquit, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Non enim habebat hunc timorem & tremorem, qui dicebat in abundantia sua, non mouebor in æternum: sed quia filius erat promissionis, nõ perditionis, expertus Deo paululum deserente quid esset ipse, Domine, inquit, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutẽ, auertisti faciem tuam à me, & factus sum eõturbatus. Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior, tenuit viam iam videns & confitens in voluntate sua, Deum decori eius prestitisse virtutem, quod sibi ipsi tribuens & de se præsumens, in tali abũdantia quã præstiterat Deus, non de illo qui eam præstiterat dicebat, non mouebor in æternum. Factus est ergo conturbatus, vt se inueniret, & humiliter sapiens, non solùm æternæ vitæ, verumetiam in hac vita piæ conuersationis & perseuerantiæ, in quo spes habenda esset, addisceret. Hæc vox & apostoli Petri esse potuit: dixerat quippe & ipse in abundantia sua, Animam meam pro te ponam; sibi festinando tribuẽs, quod ei fuerat à Domino postea largiendum. Auertit autem ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus, ita vt eum mori pro illo metuens, ter negaret. Sed rursus cõuertit ad eum faciem suam Dominus, & culpam lachrymis diluit. Quid est enim aliud, Respexit eum; nisi faciẽ suam quam paululum ab illo auerterat, reuocauit ad eum? Factus ergo fuerat conturbatus. Sed quia didicit non de seipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo qui diligentibus eum omnia cooperatur in bonũ; quia secũdum propositum vocatus erat, vt nemo eum posset eripere de manu Christi, cui datus erat. Nemo ergo dicat, non esse corripiendum qui exorbitat de via iusta, sed ei reditum & perseuerãtiam à Domino tantùm esse poscendam: nemo prudens & fidelis hoc dicat. Si enim secundum propositũ vocatus est iste, proculdubiò illi etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Vtrum autem sic sit vocatus, quoniam qui corripit nescit, faciat ipse cum charitate quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendũ, facturo Deo aut misericordiam, aut iudicium. Misericordiam quidem, si à massa perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, & nõ est inter vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ, quæ præparauit Deus in gloriam. Iudicium verò, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus.

Præteriti pro futuri rẽponis verbis cur Scriptura vtatur. Esa. 45. sec. 70.

Ioann. 6.

Psalm. 29. Psalm. 2.

Seruiendum Domino in timore, & exultandum in tremore quid, & quare. Roman. 12.

Hier. 9.

Philip. 2.

Ab exemplo Danidis Psalm. 29.

Ab exemplo B. Petri. Ioan. 13.

Luce 22. Petrum quo sensu Christus respexerit.

CAP. X.

B HINC exoritur alia quæstio non sanè contemnenda, sed in adiutorio Domini, in cuius manu sunt & nos & sermones nostri, aggredienda atque soluenda. Quæstio. An primo homini datum fuerit perseuerantiæ donum. Queritur enim à nobis, quantum attinet ad hoc donũ Dei, quod est in bono perseuerare vsque in finẽ, quid de ipso primo homine sentiamus, qui certè sine vllo vitio factus est rectus. Nec dico, si perseuerãtiam non habuit, quomodo sine vitio fuit, cui tam necessarium Dei donum defuit. Huic namque interrogationi facilè respondetur, eum perseuerãtiam non habuisse; quia in eo bono, quo sine vitio fuit non perseuerauerit: cœpit enim habere vitium ex quo cecidit, & si cœpit, antequam cœpisset, vtique sine vitio fuit. Aliud est enim non habere vitium, & aliud est in ea bonitate, in qua nullum vitium est, non manere. Eo quippe ipso quod non dicitur nunquam sine vitio fuisse; sed dicitur sine vitio non permansisse, proculdubiò demonstratur sine vitio fuisse, in quo bono non permãsisse culpatur. Sed illud magis quærendum operosiusque tractandum est, Quæstio altera. Quomodo peccauerit Adam non perseuerando, si perseuerãtiæ donum non accepit. C quomodo respondeamus eis, qui dicunt: Si in illa rectitudine in qua sine vitio factus est, habuit perseuerantiam, proculdubiò perseuerauit in ea. Et si perseuerauit, vtique non peccauit, nec illam suam rectitudinem Deumque deseruit. Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse, veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseuerantiam, & si non habuit, non vtique accepit. Quomodo enim & accepisset perseuerãtiam, & non perseuerasset? Porrò si propterea non habuit quia non accepit, quid ipse non perseuerãdo peccauit, qui perseuerantiam non accepit? Neque enim dici potest ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratiæ largitate. Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa antequã peccasset, ex quo tracta est origo vitiata. Quapropter Responsio. saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum dominumque rerum omnium qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura esse præsciuit, & sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiã de malis bene facere, quàm mala esse non sinere; sic ordinasse angelorum & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset suæ gratiæ beneficium iustitiæque iudicium. Denique Angeli quidã, quorum princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt. Refugiẽtes tamen eius bonitatem qua beati fuerunt, non potuerunt eius effugere iudicium, per quod miserrimi effecti sunt. Cæteri autem per ipsum liberum arbitriũ Angeli per liberum arbitrium stetunt. in veritate steterũt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerũt. Si enim nos de Scripturis sanctis nosse potuimus sanctos Angelos iã nullos esse casuros, quanto magis hoc ipsi reuelata sibi sublimius veritate nouerunt? Nobis quippe beata sine fine

De sua perseuerantia sunt securi. Matth. 22. fine vita promissa est, & æqualitas angelorum. Ex qua A promissione certi sumus, cùm ad illam vitam post iudicium venerimus, non inde nos esse lapsuros: quod si de seipsis angeli nesciunt, non æquales, sed beatiores erimus. Veritas autem nobis eorum promisit æqualitatem. Certum est igitur hoc eos nosse per speciem, quod nos per fidem; nullam scilicet iam ruinam cuiusquam sancti angeli futuram. Diabolus verò & angeli eius, etsi beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant; erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summę beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent, id est, vt magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere vlterius omninò non possent, & hoc de se certissimè nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant; sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine vllo vitio fruebãtur. Nam si suum casum futurum nossent æternumque supplicium, beati vtique esse non possent, quos huius tanti mali metus iam tunc miseros esse compelleret. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quamuis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miserum fieri in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum liberũ arbitrium manere voluisset, profectò sine vllo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illã merito huiusmodi permãsionis, beatitudinis plenitudinem, quã & sancti angeli sunt beati, id est vt cadere non posset vlterius, & hoc certissimè sciret. Nam neque ipse posset etiam in paradiso beatus esse; imò ibi non esset, vbi esse miserum non deceret, si eum sui casus præsciẽtia timore tanti mali miserum faceret. Quia verò per liberum arbitrium Deum deseruit, iustum iudiciũ Dei expertus est, vt cum tota sua stirpe quæ in illo adhuc posita, tota cum illo peccauerat, damnaretur. Quotquot enim ex hac stirpe gratia Dei liberantur, à damnatione vtique liberantur, qua iam tenentur obstricti: vnde etiam si nullus liberaretur, iustum Dei iudicium nemo iustè reprehenderet. Quòd ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo verò numero liberantur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ sunt agendæ quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.

Damones ante lapsum quodammodo beati.

Beatitudinis plenitudo.

Damones futuri casus sui fuerũt ignari.

Primus homo per liberũ suum debitũ stare & ipse potuit.

Primus homo futuri casus sui præscius non fuit.

Hier. 9.

CAPVT XI. Distinctio gratiæ ante & post lapsum data.

QVID ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris acceperat. Neque enim ea bona & ille suis meritis comparauerat, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. Sancti verò in hac vita ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum, Libera nos à malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit, istos à reatu & hæreditario & proprio, illius agni sanguis absoluit. Ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti cùm dicunt, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum: quoniã in eis caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille verò nulla tali rixa à seipso aduersus seipsum tẽtatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent isti: & quæ potentior quàm Dei vnigenitus filius, æqualis Patri, & coæternus pro eis homo factus, & sine vllo vel originali vel proprio peccato ab hominibus peccatoribus crucifixus? Qui quamuis die tertio resurrexit, nunquam moriturus vlterius; pertulit tamen pro mortalibus mortem, qui mortuis præstitit vitam, vt redempti eius sanguine, tãto ac tali pignore accepto dicerent, Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo nõ & cum illo omnia nobis donauit? Deus ergo naturam nostram, id est, animam rationalem carnemque hominis Christus suscepit, susceptione singulariter mirabili vel mirabiliter singulari, vt nullis iustitiæ suæ præcedentibus meritis filius Dei sic esset ab initio quo esse homo cœpisset, vt ipse & verbum quod sine initio est, vna persona esset. Neque enim quisquam tanta rei huius & fidei cæcus est ignorantia, vt audeat dicere, quamuis de Spiritu sancto & virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene viuendo, & sine peccato bona opera faciendo meruisse, vt esset Dei filius, resistente Euangelio atque dicẽte, Verbum caro factum est. Nam vbi hoc factum est, nisi in vtero virginali, vnde fuit initium hominis Christi? Itemque virgine requirente, quomodo fieret quod ei per angelum nunciabatur, angelus respondit, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Propterea, inquit, non propter opera, quę nõdum nati vtique nulla sunt; sed propterea quia Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Ista natiuitas profectò gratuita coniunxit in vnitate personæ hominem Deo, carnem verbo. Istam natiuitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt. Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in vnitatem personę à verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cũm ista susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret. Per hunc mediatorem Deus ostendit eos quos eius sanguine redemit, facere se ex malis deinceps in æternum bonos, quem sic suscepit, vt nunquam esset malus, ne ex malo factus semper esset bonus. Istam gratiam non habuit homo primus, qua nũquam vellet esse malus: sed sanè habuit in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset; sed eam tamẽ per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio; quoniam liberum arbitriũ ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono: quod adiutoriũ si homo ille per liberum non deseruisset arbitriũ, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adiutorium quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet; nõ quo fieret vt vellet. Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam; sed hæc potẽtior est in secũdo Adam. Prima est enim qua fit, vt habeat homo iustitiam si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscẽtem, voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parua erat qua demonstrata est etiam potẽtia liberi arbitrij; quoniam sic adiuuabatur, vt sine hoc adiutorio in bono non maneret, sed hoc adiutorium si vellet desereret. Hæc autem tanto maior est, vt parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa, vel apprehẽdere bonum, vel permanere in bono si velit; nisi etiam efficiatur vt velit. Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectũ. Dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet; vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Posset ergo permanere si vellet, quia non deerat

Matth. 6. Adam ante lapsum Christi sanguine non indiguit.

Rom. 7.

Galat. 5.

Hæc fuit postea Nestorianorum hæresis.

Ioann. 1.

Luce 1.

Primus homo ex eo quod in creatione acceperat, potuisset perseuerare.

Potentior est gratia quam Christiani accipiunt, quã quæ Adæ fuit collata.

Dona gratiarum Adæ in creatione collata.

deerat adiutorium per quod posset, & sine quo non posset perseueranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò eius culpa est; cuius meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt angeli sancti, qui cadẽtibus aliis per liberum arbitriũ, per idem liberum arbitriũ steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tãtam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimũ sit semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adiutorium vel angelo vel homini quumprimũ facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidissent. Adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nũc autem quibus deest tale adiutorium, iam pœna peccati est: quibus autem datur, secundũm gratiam datur, non secundum debitum, & tãto amplius datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solùm adsit, sine quo permanere non possumus, etiam si velimus; verumetiam tantum ac tale sit, vt velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseueranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verumetiam velle quod possumus. Quod non fuit in homine primo; vnum enim horum in illo fuit, alterũ non fuit. Namque vt reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat: vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omnino nõ posset: & acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset; nã si habuisset, perseuerasset. Posset enim perseuerare etiã si vellet: quod vt nollet, de libero descendit arbitrio, quod tunc ita liberum erat, vt bene velle posset & malè. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quãdo non poterit seruire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est & angelis sanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur, factum est donũ gratiæ, quæ merces meriti futura erat.

Liberimum tunc erit arbitrium, cùm peccato seruire non poterit.

CAPVT XII. *Posse non peccare, mori bonum deserere; & non posse peccare, mori, bonum deserere, qui differant.*

QVAPROPTER bina ista quid inter se differant, diligenter & vigilanter intuendum est; posse non peccare, & non posse peccare; posse non mori, & non posse mori; bonum posse non deserere, & bonũ non posse deserere. Potuit enim non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere. Nunquid dicturi sumus, non potuit peccare qui tale habebat liberum arbitrium? Aut non potuit mori, cui dictum est, Si peccaueris, morte morieris? Aut non potuit bonum deserere, cùm hoc peccando deseruerit, & ideo mortuus sit? Prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare; nouissima erit multo maior, non posse peccare. Prima immortalitas erat posse non mori; nouissima erit multo maior, nõ posse mori. Prima erat perseuerantiæ potestas, bonum posse non deserere; nouissima erit felicitas perseuerantiæ, bonum non posse deserere. Nunquid quia erunt bona nouissima potiora atque meliora, ideò fuerunt illa prima vel nulla vel parua? Item quę ipsa adiutoria distinguẽda sunt. Aliud est adiutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus viuere, nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit vt viuat qui mori voluerit. Ergo adiutorium alimentorum est, sine quo non fit, nõ quo fit vt viuamus. At verò beatitudo quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adiutorium est enim non solùm sine quo non fit, verumetiã quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adiutorium & quo fit est, & sine quo non fit. Quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt vt homo viuat, sed tamen sine illis non potest viuere. Primo itaque homini qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere; datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitriũ perseuerare non posset. Nunc verò sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adiutorium perseuerantiæ datur; sed tale vt eis perseuerãtia ipsa donetur, non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verumetiã vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Non solùm enim dixit, Sine me nihil potestis facere; verumetiam dixit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis eis non solùm iustitiam, verumetiam in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Christo enim sic eos ponente vt eant & fructum afferant, & fructus eorũ maneat; quis audeat dicere, forsitan non manebit? Sine pœnitentia sunt enim dona & vocatio Dei; sed vocatio eorum qui secundum propositũ vocati sunt. Pro his ergo interpellante Christo ne deficiat fides eorum; sine dubio non deficiet vsque in finem; ac per hoc perseuerabit vsque in finem, nec eam nisi manentem vitæ huius inueniet finis. Maior quippe libertas est necessaria aduersus tot & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseuerantiæ munita atque firmata, vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus; hoc sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium libero vsus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. Isti autem non dico terrente mundo, sed sæuiente ne starent, steterũt in fide, cùm videret ille bona præsentia quæ fuerat relicturus; isti futura quę accepturi fuerant non viderẽt. Vnde hoc, nisi donante illo à quo misericordiam consecuti sunt vt fideles essent; à quo acceperunt spiritum non timoris, quo persequentibus cederent, sed virtutis & charitatis & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta inuitantia, cuncta cruciantia superarent? Illi ergo sine peccato vllo data est, cum qua conditus est, voluntas libera, & eam fecit seruire peccato: horum verò cùm fuisset voluntas serua peccati, liberata est per illum, qui dixit, Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis. Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, vt quamuis quamdiu hic viuunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisque nonnulla surrepant, propter quę dicant quotidie, Dimitte nobis debita nostra; non tamen vltrà seruiant peccato quod est ad mortem, de quo dicit Ioannes Apostolus: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. De quo peccato quoniam non expressum est, possunt multa & diuersa sentiri: ego autem dico id esse peccatum, fidem quę per dilectionem operatur, deserere vsque ad mortem. Huic peccato vltrà non seruiunt, non prima conditione, sicut ille, liberi, sed per secundum Adam Dei gratia liberati; & ista liberatione habentes liberum arbitrium quo seruiant Deo, non quo captiuentur à diabolo. Liberati enim à peccato serui facti sunt iustitiæ, in qua stabunt vsque in finem, donante sibi illo perseuerantiam, qui eos præsciuit & prædestinauit, & secundum propositum vocauit & iustificauit & glorificauit; quoniam illa quæ his promisit, etiam futura iam fecit, cui promittenti credidit Abraham, & deputatum est illi ad iustitiam. Dedit enim gloriã Deo plenissimè credens, sicut scriptum est, quia quæ promisit, potens est & facere. Ipse ergo illos bonos facit, vt bona faciant. Neque enim propterea eos promisit Abrahæ, quia præsciuit à seipsis bonos futuros. Nam si ita est, non suum, sed eorum est quod promisit. Non autem sic credidit Abraham; sed, non est infirmatus in fide, dans gloriam Deo, & plenissimè credens, quia quæ promisit Deus, potens est & facere.

Perseuerantia adiutorium quale sit primo homini datum.

Maior nunc & potentior sanctorũ, quã Adæ in primo statu libertas.

Adiutorium sine quo aliquid non fit, & quo aliquid fit.

Peccatum ad mortem, quidã.

Non

Non ait, quæ præsciuit, potens est promittere; aut, quæ prædixit, potens est ostendere; aut, quæ promisit, potens est præscire; sed, quæ promisit, potẽs est & facere. Ipse ergo eos facit perseuerare in bono, qui facit bonos. Qui autem cadunt & pereunt, in prædestinatorũ numero non fuerunt. Quamuis ergo de omnibus regeneratis & piè viuentibus loqueretur Apostolus, dicens, Tu quis es qui iudices seruum alienum? suo domino stat aut cadit: continuò tamen respexit ad prædestinatos, & ait, Stabit autem; & ne hoc sibi arrogarent, Potens est enim Deus, inquit, statuere eum. Ipse itaque dat perseuerantiam, qui statuere potens est eos qui stant, vt perseuerantissimè stent; vel restituere qui ceciderint; Dominus enim erigit elisos. Vt ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseuerantiam primus homo, sed perseuerare vel non perseuerare, in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tantæ bonitati & bene viuendi facilitati, perseuerandi committeretur arbitrium: Deo quidem præsciente quid esset facturus iniustè; præsciente tamen, non ad hoc cogente; sed simul sciẽte quid de illo ipse faceret iustè. Nunc verò posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuãda remansit infirmitas. Placuit enim Deo quo maximè humanæ superbiã præsumptionis extingueret, vt non glorietur omnis caro coram ipso, id est, omnis homo. Vnde autem non glorietur caro coram ipso, nisi de meritis suis? quæ quidem potuit habere, sed perdidit: & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium, propter quod non restat liberandis nisi gratia liberãtis. Ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipso. Non enim gloriantur iniusti, quia non habent, vnde; nec iusti, quia ex ipso habent vnde; nec habent gloriam suam nisi ipsum, cui dicunt, Gloria mea & exaltans caput meum. Ac per hoc ad omnem hominem pertinet quod scriptũ est, Vt nõ glorietur omnis caro coram ipso. Ad iustos autẽ illud, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc etiam Apostolus apertissimè ostendit, qui cùm dixisset, vt non glorietur omnis caro coram ipso; ne putarent sancti sine gloria se remansisse; mox addidit, Ex ipso autem vos estis in Iesu Christo, qui factus est nobis sapiẽtia à Deo & iustitia, & sanctificatio & redemptio, vt quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hinc est quod in hoc loco miseriarum, vbi tentatio est vita humana super terram, virtus in infirmitate perficitur: quæ virtus, nisi vt qui gloriatur, in Domino glorietur? Ac per hoc nec de ipsa perseuerantia boni voluit Deus sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solùm dat adiutorium quale primo homini dedit, sine quo non possint perseuerare si velint; sed in eis etiam operatur & velle: vt quoniam non perseuerabũt, nisi & possint & velint, perseuerandi eis possibilitas & voluntas diuinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, vt ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur vt velint: nam si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent; aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent. Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo quamuis infirma, non tamẽ deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Ita factũ est, vt voluntas hominis inualida & imbecilla, in bono adhuc paruo perseueraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis & sana, in bono ampliore non perseuerauerit, habens virtutẽ liberi arbitrij; quãuis non defuturo adiutorio Dei, sine quo non posset perseuerare si vellet; non tamen tali quo in illo Deus operaretur vt vellet. Fortissimo quippe dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis seruauit, vt ipso donante inuictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere inuictissimè nollent. Dicente ergo Christo, Rogaui pro te ne deficiat fides tua, intelligamus ei dictum, qui ædificatur super petram. Atque ita homo Dei non solùm quia misericordiam cõsecutus est vt fidelis esset; verumetiam quia fides ipsa non deficit; qui gloriatur, in Domino glorietur.

Rom. 14.

Ioan. 15.

Psalm. 145.

Rom. 11.

Ioan. 8.

Matth. 6.

1. Ioan. 5.

Psalm. 3.

1. Cor. 1. Ibidem & 2. Cor. 10.

Hier. 9.

Iob 7.

Diuina gratia potentia in imbecilla hominis voluntate inter tot aduersa, gubernante ac sustentãte.

Lucæ 22.

CAPVT XIII. *Certus est ita electorum numerus, vt ei nec addi quisquam, nec detrahi possit. Psalm. 59.*

HÆC de his loquor, qui prædestinati sunt in regnũ Dei, quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis; non de his, qui cùm annunciasset & locutus esset, multiplicati sunt super numerum. Ipsi autem vocati dici possunt, non autem electi, quia non secũdum propositum vocati. Certum verò esse numerum electorum, neque augendum neque minuendum, quamuis & Ioannes Baptista significet, vbi dicit, Facite ergo dignum fructum pœnitentiæ: & nolite dicere apud vosmetipsos, Patrem habemus Abrahã. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahę: vt ostendat sic istos esse amputandos si non fecerint fructum, vt non desit numerus qui promissus est Abrahæ: tamen apertius in Apocalypsi dicitur, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim alius non est accepturus nisi iste perdiderit; certus est numerus. Quòd autem etiam perseueraturis sanctis sic ista dicuntur, quasi eos perseueraturos habeatur incertum; non aliter hæc audire debent, quibus expedit non altum sapere, sed timere. Quis enim ex multitudine fidelium quamdiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorũ se esse præsumat; quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per satanæ angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus. Hinc & Apostolis dicebatur, Si manseritis in me; dicente illo qui illos vtique sciebat esse mansuros. Et per Prophetam, Si volueritis & audieritis me; cùm sciret ipse in quibus operaretur & velle. Et similia multa dicuntur. Nam propter huius vtilitatẽ secreti, ne fortè quis extollatur, sed omnes etiam qui bene currunt timeãt, dum occultum est qui peruenianㄴt: propter huius ergo vtilitatem secreti credẽdum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseuerandi vsque in finem; in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquandiu fideliter ac iustè viuere, & postea cadere, neque de hac vita priusquàm hoc eis contingat, auferri. Quorum si nemini contigisset, tamdiu haberẽt homines istum saluberrimum timorem, quo vitium elationis opprimitur, donec ad Christi gratiam qua piè viuitur, peruenirent, deinceps iam securi nunquam se ab illo esse casuros. Quæ præsumptio in isto tentationum loco non expedit, vbi tanta est infirmitas, vt superbiam possit generare securitas. Denique etiam hoc erit; sed tunc, quod iam est in angelis, etiam in hominibus erit, quando vlla superbia esse non poterit. Numerus ergo sanctorum per Dei gratiam Dei regno prędestinatus, donata sibi etiam vsque in finem perseuerãtia, illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus seruabitur, adhærente sibi misericordia Saluatoris sui, siue cùm conuertuntur, siue cùm prœliantur, siue cùm coronantur. Nam & tunc esse illis Dei misericordiam necessariam sancta Scriptura testatur, vbi sanctus Dauid de Domino Deo suo dicit animæ suæ, Qui coronat te in misera-

Apoc. 3.

Occupatio.

Nemo de salute & prædestinatione sua certus & securus. 2. Cor. 12.

Ioan. 15.

Esaiæ 1.

Quo consilio Deus perseuerantiã, etiã non perseueraturos, in adepta iustitia, interdum permittat.

Quantũ præsumptionis et elationis periculum.

Etiam in iudicio necessaria nobis erit misericordia Dei. Psalm. 102.

tione

tione & misericordia. Dicit etiam Iacobus apostolus, Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam; vbi ostendit etiam in illo iudicio, in quo iusti coronantur, iniustique damnantur, alios cum misericordia, alios sine misericordia iudicandos. Propter quod etiam mater Machabæorum filio suo dicit, Vt in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiã. Cùm enim rex iustus, sicut scriptum est, sederit in throno, non aduersabitur ante eum omne malum. Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Ac per hoc etiam ibi Dei misericordia necessaria est, qua fit beatus, cui non imputauit Dominus peccatum: sed tunc pro bonorum operum meritis iusto iudicio etiam ipsa misericordia tributur. Cùm enim dicitur, Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam; manifestatur in his in quibus inuenisitur bona opera misericordiæ, iudicium cum misericordia fieri; ac per hoc etiam ipsam misericordiam meritis bonorum operum reddi. Non sic est nunc, quando non solùm nullis bonis, sed etiam multis malis operibus præcedentibus, misericordia eius præuenit hominem, vt liberetur à malis, & quæ fecit, & quæ facturus fuerat, nisi Dei gratia regeneraretur; & quæ passurus fuerat in æternum, nisi eruereturà potestate tenebrarum, & transferretur in regnum filij charitatis Dei. Veruntamen quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur; sine vlla dubitatione confitendum est ideò gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Rectè quippe ipsa intelligitur, quę in Euangelio legitur, Gratia pro gratia, id est pro his meritis quæ contulit gratia. Hi verò qui non pertinẽt ad hunc prædestinatorum numerum, quos Dei gratia siue nondum habentes vllum liberum suæ voluntatis arbitrium, siue cum arbitrio voluntatis, ideo verè libero, quia per ipsam gratiam liberato, perducit ad regnum: Hi ergo qui non pertinent ad istum certissimũ & felicissimum numerum, pro meritis iustissimè iudicantur: aut enim iacent sub peccato quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum; aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, sed non liberatum; liberum iustitiæ, peccati autem seruum, quo voluuntur per diuersas noxias cupiditates, alij magis, alij minus; sed omnes mali, & pro ipsa diuersitate diuersis suppliciis iudicandi. Aut gratiam Dei suscipiunt; sed temporales sunt, nec perseuerant, deserunt & deserũtur. Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseuerantiæ dono, iudicio Dei iusto & occulto.

Iacob. 2.
2. Mach. 7.
Prouerb. 20.
Psalm. 32.
Misericordia in extremo iudicio, pro bonorum operum meritis iusto iudicio piis retribuetur.
Vita æterna bonorum operum merces eàm fit, gratia quomodo dicatur Apostolo.
Rom. 6.
Rom. 1.

CAPVT XIIII. PATIANTVR ergo homines se corripi quando peccant, nec de ipsa correptione contra gratiam argumententur, nec de gratia cõtra correptionem; quia & peccatis iusta pœna debetur, & ad ipsam pertinet iusta correptio quæ medicinaliter adhibetur, etiam si salus ægrotantis incerta est. Vt si is qui corripitur, ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum; si autẽ non pertinet, sit correptio pœnale tormentum. Sub isto ergo incerto ex charitate adhibenda est, cuius exitus ignoratur; & pro illo cui adhibetur, orandum est vt sanetur. Cùm autẽ homines per correptionem in viam iustitiæ seu veniunt seu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris atque arbustulis operante dat incrementum Deus, cui volenti salũ facere nullum hominis resistit arbitriũ? Sic enim velle & nolle in volentis, aut nolentis est potestate; vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De

Correptioni conuingenda oratio.

his enim qui faciũt quæ non vult, facit ipse quæ vult. Et quod scriptum est, quòd vult omnes homines saluos fieri, nec tamen omnes salui fiunt, multis quidem modis intelligi potest, ex quibus in aliis opusculis nostris aliquos cõmemorauimus: sed hic vnum dicam; ita dictum est, Omnes homines vult saluos fieri, vt intelligantur omnes prædestinati; quia omne genus hominum in eis est, sicut dictum est Pharisæis, Decimatis omne olus; vbi non est intelligendum nisi omne quod habebant: neque enim omne olus quod erat in toto terrarum orbẽ, decimabant. Secundum istum locutionis modum, dictũ est, Sicut & ego omnibus per omnia placeo. Nunquid enim qui hoc dixit, placebat etiam tam multis persecutoribus suis? Sed placebat omni generi hominum quod Christi cõgregabat Ecclesia, siue iam intus positis, siue introducẽdis in eam. Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cęlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit. Nisi fortè (vt ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israëlitarum subdere se memorato viro, siue non subdere, quod vtique in eorum erat positum voluntate, vt etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Sic enim scriptum est, Et dimisit Samuël populum, & abiit vnusquisque in locum suum; & Saul abiit in domum suam in Gabaa; & abierunt potentes quorum tetigit Deus corda cum Saul. Et filij pestilentes dixerunt, Nunquid saluabit nos hic? Et inhonorauerunt eum, & non attulerunt ei munera. Nunquid aliquis dicturus est, non iturũ fuisse cum Saul quenquam eorum, quorum tetigit corda Deus vt irent cum illo; aut isse aliquem pestilentium, quorum vt hoc facerent corda non tetigit? Item de Dauid, quem Dominus in regnum successu prosperiore constituit, ita legitur, Et ambulabat Dauid proficiens, & magnificabatur, & Dominus erat cum illo. Hoc cùm præmissum fuisset, paulo pòst dictum est, Et Spiritus induit Amasai principem inter triginta, & dixit, Tui sumus Dauid, & tecum futuri filij Iesse. Pax tibi, & pax adiutoribus tuis, quia auxiliatus est tibi Deus. Nunquid ille posset aduersari voluntati Dei, & non potius eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per Spiritum suũ quo indutus est, vt hoc vellet, diceret & faceret? Item paulo pòst ait eadem Scriptura, Omnes hi viri bellatores, dirigentes aciem corde pacifico venerunt in Hebron, vt constituerent Dauid super omnem Israël: sua voluntate vtique isti constituerunt regem Dauid. Quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt corde pacifico; & tamẽ hoc in eis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur. Propter quod præmisit Scriptura, Et ambulabat Dauid proficiens, & magnificabatur, & Dominus omnipotens erat cum illo. Ac per hoc Dominus omnipotens qui erat cum illo, adduxit istos vt eum regem constituerent. Et quomodo adduxit? Nunquid corporalibus vllis vinculis alligauit? Intus egit, corda tenuit, corda mouit, eosque volũtatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo cùm voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas; quis alius facit vt salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, vt cælesti constituatur in regno?

1. Timoth. 2. Omnes homines quomodo Deus saluos fieri velit. Consule Scholia.
Luca 11.
1. Cor. 10.
1. Reg. 10.
1. Par. 11.
1. Par. 12.

CAPVT XV. CORRIPIANTVR itaque à præpositis suis subditi fratres correptionibus de charitate venientibus, pro

pro culparum diuersitate diuersis, vel minoribus vel ampliorib us: quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit episcopale iudicium, qua pœna in Ecclesia nulla maior est, potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere atque proficere. Neque enim scimus quid contingat sequenti die: aut ante finem vitæ huius de aliquo desperandum est, aut cõtradici Deo potest ne respiciat & det pœnitentiam, & accepto sacrificio spiritus contribulati cordisq. contriti, à reatu quamuis iustæ damnationis absoluat, damnatumque ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam; ab illo, cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandã. Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat; sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri. Hoc quippe fit, cùm singulos quosque vt occurrerint, cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, vt iustificati ex fide pacem habeant ad Deum, quam prædicabat etiam Apostolus, cùm dicebat, Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo, reconciliari Deo. Quid est enim ei reconciliari, nisi pacem ad illum habere, propter quam pacem etiam ipse Dominus Iesus dixit discipulis, In quamcunque domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra; sin autem, ad vos reuertetur? Cùm hanc euangelizant pacem, de quibus prædictum est, Quàm speciosi pedes eorum qui annunciant pacem, qui annunciãt bona! nobis quidem tunc incipit esse quisque filius pacis, cùm obedierit & crediderit huic Euangelio, & ex fide iustificatus pacẽ ad Deum habere cœperit; secundum autem prædestinationem Dei, iam filius pacis erat. Neque enim dictum est, Super quem requieuerit pax vestra, fiet filius pacis; sed, Vbi fuerit, inquit, filius pacis, requiescet super eum pax vestra. Iam ergo & antequam illi annũciaretur hæc pax, filius pacis ibi erat, sicut eum nõuerat atque præsciuerat non Euãgelista, sed Dominus. Ad nos ergo qui nescimus quisnam sit filius pacis, aut non sit, pertinet nullum exceptum facere; nullũmq; discernere; sed velle omnes saluos fieri quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum est ne perdamus eam, si ille cui prędicamus, non est filius pacis ignorantibus nobis. Ad nos enim reuertetur, id est, nobis proderit hæc prædicatio, non & illi: si autem super eum pax prædicata requieuerit, & nobis, & illi. Quia ergo nos qui salui futuri sint nescientes, omnes quibus prædicamus hanc pacẽ saluos fieri velle Deus iubet, & ipse in nobis hoc operatur, diffundẽdo istam charitatem in corda nostra per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Potest etiam sic intelligi, quòd omnes homines Deus vult saluos fieri, quoniã nos facit velle, sicut misit spiritum filij sui clamantem, Abba pater, id est, nos clamare facientem. De ipso quippe spiritu, alio loco dicit, Accepimus spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, qui efficit vt clamemus. Si ergo clamantem spiritum rectè dixit Scriptura, à quo efficitur vt clamemus; rectè etiam & volentẽ Deum, à quo efficitur vt velimus: ac per hoc quia & corripiendo nihil aliud debemus agere, nisi vt ab ista pace quæ est ad Deum non recedatur, aut ad eam qui recesserat, reuertatur, nos agamus sine desperatione quod agimus. Si filius pacis est quem corripimus, requiescet super eum pax nostra; sin autem, ad nos reuertetur: Quamuis itaque etiam dum quorundam fides subuertitur, firmum Dei fundamentũ stet, quoniam sciuit Dominus qui sunt eius, non tamen ideo nos pigri & negligentes esse debemus in corripiendis, qui corripiendi sunt. Neque enim frustrà dictum est, Corrumpunt mores bonos colloquia mala: &, Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Non argumentemur contra ista præcepta salubremque terrorem dicentes; & corrumpant bonos mores colloquia mala, & pereat infirmus, quid ad nos? Firmum fundamẽtum Dei stat, & nemo perit nisi filius perditionis.

Excommunicatione pœna maior in Ecclesia non est.
Excommunicationis causa.
Quoniam incertum nobis est quos Deus saluare decreuerit, omnium & singulorũ debemus procurare saluũ voto, prædicatione, & correptione, 2. Cor. 5.
Luca 10.
Esaiæ 52.
1. Cor. 15.
1. Cor. 8.

CAPVT XVI. ABSIT vt ista garrientes, securos nos in hac negligentia esse debere credamus. Verum est enim, quia nemo perit, nisi filius perditionis; sed ait Deus per Ezechielem prophetã, Ille quidem in peccato suo morietur, sanguinem verò eius de manu speculatoris inquiram. Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes saluos fieri velle debemus; omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio: Dei est autem illis eam facere vtilem, quos ipse præsciuit & prædestinauit conformes imaginis filij sui. Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat; cur nõ etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat? Neq; enim dilectionis viscera maiora gestamus quàm beatus Apostolus, qui dicit, Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Vbi intelligendum est tunc potius malum pro malo reddi, si corripiẽdus non corripitur, sed prauia dissimulatione negligitur. Dicit enim, Peccantes coram omnibus corripe, vt cæteri timorem habeant. Quod de his peccatis accipiendũ est quæ non latent, ne contra Domini sententiam putetur locutus. Ille enim dicit, Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum. Veruntamẽ & ipse seueritatem correptionis eousque perducit, vt dicat, Si nec ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et quis magis dilexit infirmos, quàm ille qui pro omnibus est factus infirmus, & pro omnibus ex ipsa est infirmitate crucifixus? Quæ cùm ita sint, nec gratia prohibet correptionem, nec correptio negat gratiã: & ideò sic est præcipienda iustitia, vt à Deo gratia quã id quod præcipitur fiat, fideli oratione poscatur; & hoc vtrunque ita faciẽdum est, vt neque iusta correptio negligatur. Omnia verò hæc cùm charitate fiant, quoniam charitas nec facit peccatum, & cooperit multitudinem peccatorum.

Ioan. 17.
Ezech. 3.
1. Thess. 2.
Correptionẽ non malum, sed bonum pro malo reddit. 1. Timoth. 5.
Publicè publica tantùm corripienda peccata. Matth. 18.
1. Petri 5.

Alia interpretatio loci Apost. Qui vult omnes homines saluos fieri. 1. Timoth. 2. Galat. 4. Rom. 8.

LIBRI DE CORRECTIONE ET GRATIA, FINIS.

DIVI

IN DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, AD PROSPERVM ET HILARIVM LIBROS II. QVORVM

ALTER EST DE PRÆDESTINATIONE SANCTORVM,

ALTER DE DONO PERSEVERANTIÆ,

PRÆFATIO.

POSTQVAM in Gallias allati fuere libri quidam Augustini contra Pelagianos scripti, non paucorum illic animos offenderunt; non modò de communi doctorum vulgo, sed quorundam etiam presbyterorum ac episcoporum qui & pietate & eruditione celebres & commendati habebantur: adeo vt multi quoque Augustini doctrinæ fauentes, eorum authoritatem reueriti, à meliore sententia reuocarentur aut eam certè profiteri publicè non auderent. Verùm alij quidam cordatiores firmioresq;, inter quos præcipui Prosper Regiensis & Hilarius Arelatensis episcopus, sentientes eos Pelagiani erroris vel incautos negotium agere, quosdam verò rem non intellectam imperitè calumniari; fortiter se iis opposuere. Quibus cùm per omnia satisfacere non possent, re ad Augustinum relata rogant vt quæ in eius libris, præsertim de correptione & gratia quosdam suorum offendebant, clarius disertiusq; explicare dignaretur. Ea verò quæ sint ex subiectis vtrinsque epistolis cognoscere licebit. Hac occasione scripsit Augustinus sequentes libros duos, alterum de prædestinatione sanctorum, alterum de dono perseuerantiæ. Sed adeò nec his quidem satisfactum hominibus illis fuit, vt Augustini doctrinam ac libros magis etiam magisq; auersarentur multa in eis imperitè malitioséque calumniantes. Unde factum vt aduersus eorum reprehensiones B. Prosper defuncto iam Augustino varios ediderit apologiarum libellos; cuius generis sunt præter alios, ad capitula Gallorum, ad obiectiones Vincentianas, ad excerpta Genuensium, & aduersus Collatorem responsiones. Quibus cùm eorum inscitiam & calumnias clarissimè coarguisset, vt erubescere iam meritò etiam deberent, maiores tamen postea motus concitarunt, nec Prospero iam & Hilario parcentes; vt coacti fuerint ad apostolicam sedem confugere, quam eo tempore Cælestinus pontifex gubernabat. Is rem totam ab eis edoctus ad Galliæ episcopos quosdam literas mittit, quibus B. Augustinum & doctrinam eius tuetur ac prædicat, obtrectatores eius grauiter coarguit, Episcopis mandat vt eis silentium imponant. Sed ne sic quidem prorsus quieuere. Quia enim pontifex libros eos quos illi tam odiosè traducebant, videlicet de correptione & gratia, de prædestinatione sanctorum, de perseuerantiæ dono nominatim non expresserat, titulis eos suis designans, post Cælestini mortem aiebant non eos fuisse approbatos, nec propter illos commendatum authorem, sed pro anteriorum scriptorum meritis, laudationem istam in eum fuisse collatam; vt testis est Prosper sub finem libri contra Collatorem. Quo comperto Leo pontifex qui tertius à Cælestino Xisto in Pontificatu successerat, in Arausicana ciuitate concilium celebrari iussit, quod est eius nominis secundum, in quo renouata & iteratò confirmata est catholica & apostolica, eademq; Augustini de gratia & libero arbitrio doctrina, canonibus ipsis ex B. Augustini libris passim decerptis. Quæ omnia in appendice reperire licebit. Cæterum quòd horum duorum librorum in Retractationibus suis non meminerit Augustinus, inde factum, quòd cùm hæc scriberet, iam eos haberet in manibus necdum perfectos, quemadmodum ipsemet infrà testatur libro secundo, cap. 11. & 21.

Lib. 4. resp. cap. 21. qui est contra Collat. cap. 21.

D. PROSPERI EPISTOLA AD AVGVSTINVM DE RELIQVIIS PELAGIANÆ HÆRESEOS IN GALLIA SVBOLESCENTIBVS.

DOMINO beatissimo Papæ, ineffabiliter mirabili, incomparabiliter honorando, præstantissimo patrono, Augustino Prosper. Ignotus quidẽ tibi facie, sed iam aliquatenus, si reminiscaris, animo ac sermone cõpertus: nam per sanctum fratrem meum Leontium diaconum misi Epistolas & recepi: nunc quoque beatitudini tuæ scribere audeo, non solùm salutationis vt tunc studio, sed etiam fidei, qua Ecclesia viuit, affectu. Excubante enim pro vniuersis membris corporis Christi vigilantissima industria tua, & aduersus hæreticarum doctrinarũ insidias veritatis virtute pugnante; nullo modo mihi verendũ putaui, ne onerosus tibi, aut importunus essem in eo, quod ad multorum salutẽ, ac perinde ad pietatem tuam pertinet: cũ potius reum futurũ esse me crederem, si ea quæ valde perniciosa esse intelligo, ad speciale patronum fidei non referrem. Multi ergo seruorũ Christi qui in Massiliensi vrbe consistunt, in sanctitatis tuæ scriptis quæ aduersus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quicquid in eis de vocatione electorũ secundum Dei propositum disputasti. Et cùm aliquandiu tarditatẽ suã culpare maluerint, quàm non intellecta reprehendere, quidamq; eorum lucidiorem super hoc atque apertiorẽ beatitudinis tuæ expositionem voluerint postulare; euenit ex dispositione misericordiæ Dei, vt cùm quosdam intra Africam similia mouissent, librum de correptione & gratia, plenũ diuinæ authoritatis emitteres. Quo in notitiam nostrã insperata opportunitate delato, putauimus omnes querelas resistentium sopiendas: quia vniuersis quæstionibus, de quibus consulenda erat sanctitas tua, tam plenè illic absoluteq; responsum est; quasi hoc specialiter studueris, vt quæ apud nos erant turbata, componeres. Recensito autem hoc beatitudinis tuæ libro, sicut qui sanctam atque apostolicam doctrinæ tuæ authoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresq; sunt facti: ita qui persuasionis suæ impediebantur obscuro, auersiores quàm fuerant, recesserunt. Quorum tam abrupta dissensio primùm propter ipsos metuenda est, ne tam claris tamq; egregiis in omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat: deinde ne simpliciores quique apud quos horũ magna est de probitatis contemplatione reuerentia, hoc tutissimũ sibi æstiment, quod audiunt eos, quorum authoritatẽ sine iudicio sequuntur, asserere. Hæc enim ipsorum definitio ac professio est; Omnẽ quidem hominem in Adam peccante, peccasse; & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione saluari: vniuersis tamen hominibus propitiationẽ quæ est in sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositã, vt quicunq; ad fidẽ & ad baptismum accedere voluerint, saluì esse possint. Qui autem crediturì sunt, quive in ea fide quæ deinceps per Dei gratiam sit inuãda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deũ, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præuiderit. Ideoq; omnẽ hominem ad credendũ & ad operandum diuinis institutionibus admoneri, vt de apprehendenda vita æterna nemo desperet, cùm voluntariæ deuotioni remuneratio sit paratà. Hoc autem propositum vocationis Dei quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & reijciendorum dictum facta discretio, vt secundum quod præuidit creatori, alij vasa honoris, alij vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam

Massiliẽsium quidam Augustini libris non intellectis offensi.

Massiliẽsium sententia partim catholica, partim cum Pelagianis cõsentiens.

curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem temporis adferre: eo quòd vtraque parte superfluus labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud ergà eos quàm Deus definiuit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem: cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio. Remoueri itaq; omnem industriã, tolliq; virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine, fatalem quandã induci necessitatem; aut diuersarum naturarũ dici Dominum conditorẽ, si nemo aliud possit esse quàm factus est. Atque vt breuius ac plenius quod opinantur exponã: quicquid in libro hoc ex contradicentium sensu sanctitas tua sibi opposuit; quicquid etiam in libris contra Iulianum ab ipso sub hac quæstione obiectum, potentissimè debellasti; hoc totum ab istis sanctis intentiosissimè conclamatur. Et cùm contra eos scripta beatitudinis tuæ, validissimis & innumeris testimoniis diuinarum Scripturarum instructa proferimus, ac secundum formam disputationum tuarum, aliquid etiam ipsi quo concludantur astruimus, obstinationẽ suam vetustate defendunt; & ea, quæ de Epistola apostoli Pauli Romanis scribentis, ad manifestationem diuinæ gratiæ præuenientis electorum merita proferuntur, à nullo vnquã Ecclesiasticorum ita esse intellecta, vt nunc sentiuntur, affirmant. Cumq; vt ipsi ea exponant secũdum quorum velint sensa deposcimus, nihil se profitentur inuenisse quod placeat, & de his taceri exigunt, quorum altitudinem nullus attigerit. Eò postremò peruicacia tota descendit, vt fidem nostram ædificationi audientium contrariam esse definiant, ac sic etiam si vera sit, non promendam; quia & perniciosè non recipienda tradantur, & nullo periculo quæ intelligi nequeant, conticentur. Quidam verò horum intantum à Pelagianis semitis non declinant, vt cùm ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præueniat merita humana, cogantur; ne si meritis redditur, frustra gratia nominetur: ad conditionem hanc velint vniuscuiusq; hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem liberi arbitrij, & rationalem, gratia creatoris instituat, vt per discretionem boni & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius possit suam dirigere voluntatem: atq; ad hanc gratiam qua in Christo renascimur, peruenire per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando: vt ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene vsus, ad istam saluantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit peruenire. Propositum autem vocantis gratia in hoc omnino definiunt, quòd Deus constituerit nullum in regnũ suum, nisi per sacramentum regenerationis assumere, & ad hoc salutis donum omnes homines vniuersaliter, siue per naturali, siue per scriptam legem, siue per Euangelicam prædicationem vocari. Vt & qui voluerint, fiant filij Dei, & inexcusabiles sint qui fideles esse noluerint: quia iustitia Dei in eo sit, vt qui non crediderint pereant; bonitas in eo appareat, si nemo nem repellat à vita, sed indifferenter vniuersos velit saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Iam hic proferũt testimonia, quibus diuinarum Scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio, aut faciant quæ iubẽtur, aut negligant: & consequens putant, vt quia præuaricator ideo dicitur non obediisse, quia noluit; fidelis quoque non dubitetur ob hoc deuotus fuisse, quia voluit: & quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum; pariq; momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutes mouere, quem bona appetentem gratia Dei foueat, mala sectantem damnatio iusta suscipiat. Cumq; inter hæc innumerabilium illis multitudo obijcitur parvulorum, qui vtique excepto originali peccato, sub quo omnes homines similiter in primi hominis damnatione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nullas proprias actiones, non sine Dei iudicio secernuntur; vt ante discretionem boni ac mali de vsu vitæ istius auferendi, alij per regenerationem inter cælestis regni assumantur hæredes; alij sine baptismo inter mortis perpetuæ transeũt debitores: tales aiũt perdi, talesq; saluari, quales futuros illos in annis maioribus si ad actiuã seruarentur ætatẽ, scientia diuina præuiderit. Nec considerant se gratiam Dei, quam comitẽ, non præuiam humanorũ volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundũ suam phantasiam, non negãt esse præuentas. Sed in tantũ quibuscunq; cõmentitis meritis electionẽ Dei subijciant, vt quia præterita non extant, futura quæ non sint futura, confingãt; nouoq; apud illos absurditatis genere, & non agẽda præscita sint, & præscita non acta sint. Hãc sanè de humanis meritis præscientiã Dei, secũdũ quã gratia vocãtis operetur, multo sibi rationabilius videtur astruere, cùm ad carũ nationũ cõtemplationẽ ventum, quæ vel in præteritis seculis dimissæ sunt ingredi vias suas, vel nũc quoque adhuc in veteris ignorãtiæ impietate deperẽt, nec vlla eis aut Legis aut Euãgelij illuminatio coruscauit: cùm tamẽ inquãtũ prædicatoribus ostiũ apertũ est, & via facta est, gentiũ populus qui sedebat in tenebris et in vmbra mortis, lucẽ viderit magnã; & qui quondã non populus, nũc autẽ populus Dei sit; & quorũ aliquãdo non misertus est, nunc autẽ misereatur, præuisos inquiũt à Domino credituros: & ad vnãquang, gentẽ ita dispensata tẽpora ac ministeria magistrorum, vt exortura erat bonarum credulitas voluntatum. Nec vacillare illud, quòd Deus omnes homines velit saluos fieri, & in agnitionẽ veritatis venire; quandoquidẽ inexcusabiles sint, qui & ad vnius veri Dei cultum potuerint instrui intelligentia naturali; & Euangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recepturi. Pro vniuerso autem humano genere mortuũ esse Dominũ nostrum Iesum Christum, & neminem prorsus à redemptione sanguinis eius exceptum, etiam si omnem hanc vitam alienissima ab eo mente pertrãseat: quia ad omnes homines pertineat diuinæ misericordiæ sacramẽtũ; quo ideo plurimi non renouẽtur, quia quod nec renouari velle habeãt, præuisũ est. Itaq; quantũ ad Deũ pertinet, omnibus paratã vitã æternã: quantũ autem ad arbitrij libertatẽ, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint, & auxiliũ gratiæ merito credulitatis acceperint. In istã verò talis gratiæ prædicationẽ hi, quorũ cõtradictione offendimur, cùm prius meliora sentiẽt, ideo se vel maximè cõtulerunt, quia si profiterẽtur ab ea omnia bona merita præueniri, & ab ipsa vt possint esse donari; necessitate cõcederent Deũ secundũ propositũ, & consilium voluntatis suæ, occulto iudicio, & opere manifesto, aliud vas cõdere in honorẽ, aliud in cõtumeliã; quia nemo nisi per gratiam iustificetur, & nemo nisi in præuaricatione nascatur. Sed refugiũt istud fateri, diuinoq; ascribere operi sanctorũ merita formidant; nec acquiescũt prædestinatũ electorũ numerum, nec augeri posse, nec minui; ne locum apud infideles ac negligentes cohortantiũ incitamẽta non habeant; ac superflua sit industriæ ac laboris indictio, cuius studiũ cessante electione frustrandum sit. Ita demũ enim posse vnũquenq; ad correctionẽ, aut ad profectum vocari, si se sciat sua diligentia bonũ esse posse, & libertatem suã ob hoc Dei auxilio inuandã, si quod Deus mãdat, elegerit. Ac sic cùm in his qui tempus acceperũt liberæ volũtatis, duo sint quæ humanã operẽtur salutẽ, Dei scilicet gratia et hominis obedientia; priorẽ volunt obedientiã esse quàm gratiã, vt initiũ salutis ex eo qui saluatur, nõ ex eo credendũ sit stare qui saluat; & volũtas hominis diuinæ gratiæ sibi pariat opem, nõ gratia sibi humanã subijciat voluntatẽ. Quod cùm peruersissimũ esse reuelãte Dei misericordia, & instruẽte nos tua beatitudine noueritis, possumus quidẽ ad nõ credendũ esse cõstãtes, sed ad authoritatẽ talia sentiẽtiũ nõ sumus pares: quia multũ nos et vitæ meritis antecellũt, et aliqui eorũ adepto nuper summo sacerdotij honore supereminẽt: nec facilè quisquã præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tãtis superiorũ disputationib. ausus est cõtraire. Ex quo nõ solũ his qui eos audiũt, verũetiã ipsis qui audiũtur, cũ dignitatib. creuit periculũ; dũ et multos reuerẽtia eorũ, aut inutili cohibe silẽtio, aut incuriosũ ducit aßẽsu: et saluberri-

Aliorum sententia magis adhuc Pelagianizans.

Esaia 9. & Matt. 4. Osee 2. & Rom. 9. 1. Timoth. 2.

mum

Reliquiæ istæ Pelagianæ hæresos, quàm perniciosæ.

mum ipsis videtur, quod penè nullius contradictione reprehenditur. Vnde quia in istis Pelagianæ prauitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur; si diuinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiuuetur quia voluit, non ideo quia adiuuatur velit; si originaliter malus receptionem boni non à summo bono, sed à semetipso inchoare malè creditur; si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donauerit: tribue nobis in hac causa Papa beatissime, pater optime, quantum donante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ obsecro, vt quæ in istis quæstionibus obscuriora, & ad percipiendum difficiliora sunt, quàm lucidissimis expositionibus digneris aperire. Ac primum, quia plerique non putant Christianam fidem hac dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione patefacias. Deinde quomodo per istam præoperantem & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tum vtrum præscientia Dei ita secundum propositum maneat, vt ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita; an per genera causarum, & species personarum ista varientur: vt quia diuersæ sunt vocationes, in his qui nihil operaturi saluantur, quasi solùm Dei propositum videatur existere; in his autem qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum: an verò vniformiter, licet diuidi præscientia à proposito temporali distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa proposito: & sicut nihil sit quorumcunque negotiorum, quod non scientia diuina præuenerit; ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non Deo authore defluxerit. Postremò quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum qui cohortandi sunt impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent. Illud etiam qualiter diluatur, quæsumus patienter insipientiam nostram ferendo demonstres, quod retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par inuenitur & vna sententia; qua propositum & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt; vt ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuscuiusque præuiderit, & sub ipso gratiæ adiutorio in qua futurus esset voluntate & actione præscierit. Quibus omnibus enodatis, & multis insuper quæ altiore intuitu ad causam hanc pertinentia magis potes videre discussis; credimus & speramus non solùm tenuitatem nostram disputationum tuarum præsidio roborandam; sed etiam ipsos quos meritis atque honoribus claros caligo istius opinionis obscurat, defecatissimum lumen gratiæ recepturos. Nam vnum eorum præcipuæ authoritatis & spiritalium studiorum virum, sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum, sciat beatitudo tua admiratorem sectatoremque in aliis omnibus tuæ esse doctrinæ; & de hoc quod in querelam trahit, iampridem apud sanctitatem tuam sensum suum per literas velle conferre. Sed quia vtrum hoc facturus, aut quo fine sit facturus, incertum est, & omnium nostrum fatigatio prouidente hoc præsenti seculo Dei gratia, in tuæ charitatis & scientiæ vigore sperat; adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis. Necessarium & vtile est etiam quæ scripta sunt scribere, ne leue existimetur quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant esse quod non dolet, nec vulnus superducta cute sentiunt; sed intelligant peruenturum ad sectionem, quod habuerit perseuerantem tumorem. Gratia Dei & pax Domini nostri coronet te in omni tempore, & ambulantem de virtute in virtutem glorificet in æternum Domine Papa beatissime, ineffabiliter mirabilis, incomparabiliter honorande, præstantissime patrone.

HILARIVS ARELATENSIS.

AVGVSTINO, DE EODEM ARGVMENTO.

DOMINO beatissimo ac toto affectu desiderando, & multum in Christo suscipiendo patri Augustino Hilarius. Si cessantibus contradicentium quæstionibus gratæ sunt plerunque studiosorũ inquisitiones, vt etiam illa quæ absque periculo ignorarentur, ediscant; arbitror gratiorem fore sedulitatem nostræ relationis, quæ dum indicat secundum quorundam prosecutiones quædam aduersantia veritati, non tam sibi quàm illis qui turbantur & turbant, per consilium sanctitatis tuæ satagit prouideri, Domine beatissime ac toto affectu desiderande, & multum in Christo suscipiende pater. Hæc sunt itaque quæ Massiliæ, vel aliis etiam locis in Gallia ventilantur. Nouum & inutile esse prædicationi, quòd quidam secundum propositum eligendi dicantur, vt id nec arripere valeant nec tenere, nisi credendi voluntate donata; excludi putant omnem prædicandi vigorem, si nihil quod per eum excitetur, in hominibus remansisse dicatur. Consentiunt omnem hominem in Adam perisse, nec inde quenquam posse proprio arbitrio liberari: sed id conueniens asserunt veritati, vel congruum prædicationi, vt cum prostratis, & nunquam suis viribus surrecturis annunciatur obtinendæ salutis occasio; eo merito quo voluerint & crediderint, à suo morbo se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius sanitatis suæ consequantur effectum. Cæterùm ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quenquam sibi sufficere posse consentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & supplici voluntate, vnumquenque ægrotum velle sanari. Quod enim dicitur, Crede & saluus eris; vnum horum exigi asserunt, aliud offerri; vt propter id quod exigitur si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. Vnde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate conditoris concessum est; & nullam ita deprauatam vel extinctam putant, vt non debeat, vel possit se velle sanari; propter quod vel sanetur quis à sua, vel si noluerit cum sua ægritudine puniatur. Nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat; non autem quicquam ipsa iam valeat: nam illa testimonia vt est illud; Sicut vnicuique partitus est mensuram fidei: & similia, ad id volunt valere, vt adiuuetur qui cœperit velle; non vt etiam donetur vt velit; reiectis ab hoc dono aliis pariter reis, & qui possent similiter liberari, si ea quæ pariter indignis præstatur credendi voluntas, etiam ipsis similiter præstaretur. Si autem aiunt, dicatur vel talem omnibus remansisse, quà vel contemnere quis valeat, vel obedire; de compendio putant rationem reddi electorum vel reiectorum, in eo quod vnicuique meritum propriæ voluntatis adiungitur. Cùm autem dicitur eis, quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur; vel nunc prædicetur quod aliquando penè omnibus, sicut nunc aliquibus gentibus non prædicatum sit: dicunt id præscientiæ esse diuinæ, vt eo tempore, & ibi, & illis veritas annun-

Massiliensium & aliorum quorundam in Galliis de prædestinatione sententia.

Rom. 12.

ciaretur, vel annuncietur, quando & vbi prænoscebatur esse credenda. Et hoc non solùm aliorum catholicorum testimoniis, sed etiam sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur. Vbi tamen eandem gratiam non minore veritatis perspicuitate docueris, vt est illud quod dixit sanctitas tua in quæstione contra Porphyrium, de tempore Christianæ religionis, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri. Vel illud de libro in Epistola ad Romanos: Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit? Cui sanè inquisitioni, inquis, sic respõdet, vt intelligamus spiritalibus viris, etiam non secundùm terrenum hominem viuentibus, patere posse prima merita fidei & impietatis; quomodo Deus præscientia eligat credituros, & damnet incredulos: nec illos ex operibus eligens, nec istos ex operibus damnans; sed & illorum fidei præstans, vt bene operentur, & istorum impietatem deserendo obdurans, vt malè operentur. Et iterum in eodem libro superius: Aequales omnes sunt ante meritũ, nec potest in rebus omnimodo æqualibus electio nominari, quoniam spiritus sanctus non datur nisi credentibus. Non quidem Deus elegit opera quæ ipse largitur, cùm dat Spiritum sanctum, vt per charitatem bona operemur; sed tamen elegit fidem, quia nisi quis credat, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est Spiritum sanctum, per quem infusa charitate bonum possit operari. Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia, quæ ipse donaturus est; sed fidem elegit in præscientia; vt quem crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, vt bona operando etiam æternam vitam consequeretur. Dicit enim Apostolus; Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Nusquam autem dictũ est, Deus credit omnia in omnibus. Quòd enim credimus, nostrum est; quòd autem operamur, illius: & cætera in eodem opere, quæ se acceptare & probare testantur, tanquam conuenientia Euangelicæ veritati. Cæterùm præscientiam & prædestinationem, vel propositum ad id valere contendunt, vt eos præscierit, vel prædestinauerit, vel proposuerit eligere qui fuerant credituri. Nec de hac fide posse dici; Quid habes quod non accepisti? cùm in eadem natura remanserit, licet vitiata, quæ prius sana ac perfecta donata sit. Quòd autem dicit sanctitas tua, neminem perseuerare, nisi perseuerandi virtute percepta; hactenus accipiunt; vt quibus datur ineriti licet; præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur; quod ad hoc tantum liberum asserunt, vt velit vel nolit admittere medicinam. Cæterùm & ipsi abominari se & damnare testantur; si quis quicquam virium in aliquo remansisse quo ad sanitatem progredi possit, existimet. Nolunt autem ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se volunt, vbi eis quantum putant ad obtinendum vel amittendum, euidens est qualecunque initium voluntatis. Illud etiam testimonium quod posuisti; Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius; tanquam non canonicum definiunt omittendum. Vnde illam præscientiam sic accipiunt, vt propter fidem futuram intelligendi sint præsciti: nec cuiquam talem dari perseuerantiam à qua non permittatur preuaricari, sed à qua possit sua voluntate deficere & infirmari: Asseruntinutilem exhortandi consuetudinem, si nihil in homine remansisse dicatur quod correptio valeat excitare: quod quidem inesse naturæ sic se dicere confitentur, vt hoc ipso quod ignoranti veritas prædicatur, ad beneficium præsentis gratiæ referendum sit. Nam si sic prædestinati sunt, inquiunt, ad vtramque partem, vt de aliis ad alios nullus possit accedere, quò pertinet tanta extrinsecus correptionis instantia? Si ab homine, & si non fides integra, saltem vel dolor compunctæ infirmitatis exoritur, aut periculum demonstratæ mortis horretur? Nam si non potest timere quis vnde terretur, nisi ea voluntate quæ sumitur, non ex eo culpandus quod nunc non vult; sed in eo & cum eo, qui sic aliquando noluit, vt eam damnationem cum suis posteris mereretur incurrere, vt nunquam recta, semper autem praua vellet appetere. Si autem est qualiscunque dolor qui ad exhortationem corripientis oriatur; hanc ipsam dicunt causam propter quam vel reiiciatur alius, vel alius assumatur: atque ita non opus esse partes constitui, quibus nec adiiciendum sit aliquid, nec detrahendum. Deinde molestè ferunt, ita diuidi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, vt ille acceperit perseuerantiam, non qua fieret vt perseueraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseuerare non posset: nunc verò sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adiutorium perseuerantiæ detur; sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur; non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verumetiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. His verbis sanctitatis tuæ ita mouentur, vt dicant quandam desperationem hominibus exhiberi. Si enim aiunt, ita Adam adiutus est, vt & stare posset in iustitia, & à iustitia declinare; & nunc ita sancti iuuantur, vt declinare non possint; (siquidem eam acceperunt volendi perseuerantiam, vt aliud velle non possint) vel sic quidam deseruntur, vt aut nec accedant, aut si accesserint & recedant: ad illam voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis vel comminationis vtilitatem, quæ & persistendi & desistendi obtinebat liberam potestatem; non ad hanc, cui nolle iustitiam ineuitabili necessitate coniunctum est: præter illos qui sic concreati sunt his, qui cum vniuersa massa damnati sunt, vt exciperentur per gratiam liberandi. Vnde in hoc solo volunt à primo homine omnium distare naturam, vt illum integris viribus voluntatis iuuaret gratia volentem, sine qua perseuerare non poterat; hos autem amissis & perditis viribus credentes tantum, non solùm erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes. Cæterùm quicquid libet donatum sit prædestinatis, id posse & amittere & retinere propria voluntate contendunt. Quod tunc falsum esset, si verum putarent eam quosdam perseuerantiam percepisse, vt nisi perseuerantes esse non possint. Inde est quod & illud pariter non accipiunt, vt eligendorum reiiciendorumq; esse definitum numerum velint: atque illius sententiæ expositionem, non eam quæ à te est deprompta suscipiant; id est, vt non nisi omnes homines saluos fieri velit, & non eos tantum qui ad sanctorum numerum pertinebunt; sed omnes omnino, vt nullus habeatur exceptus. Nec hoc timendum, quòd quidam eo inuito perire dicantur: sed quomodò aiunt, non vult à quoquam peccari vel deseri iustitiam, & tamen iugiter illa deseritur contra eius voluntatem, committuntur q; peccata; ita eum saluari velle omnes homines, nec tamen omnes homines saluari. Testimonia etiam Scripturæ quæ de Saule vel de Dauid posuisti, non pertinere putant ad quæstionem, quæ de exhortatione versatur. Alia autem ad id referunt, vt ex his eam gratiam accipiant commendari, qua vnusquisque post voluntatem iuuatur; vel ad ipsam vocationem, quæ præstatur indignis. Hoc enim & illis locis tuorum opusculorum & aliorum quæ persequi longum est, se demonstrare testantur. Paruulorum autem causam ad exemplum maiorum non patiuntur adferri. Quam & tuam sanctitatem dicunt eatenus attigisse; vt incertum esse volueris, ac potius de eorum pœnis malueris dubitari. Quod in libro tertio De libero arbitrio ita positum meministi, vt hanc eis occasionem potuerit exhibere. Hoc etiam de aliorum libris, quorum est in Ecclesia authoritas, faciunt quod perspicit sanctitas tua non parum posse iuuare contradictores, nisi maiora, aut certè vel paria proferantur à nobis. Non enim ignorat prudentissima pietas tua, quanto plures sint in Ecclesia, qui au-

Epist. 49. quæst. 2.

Rom. 9.

In expositione quarundam propositionum epist. ad Rom. propos. 62.

Propos. 60.

1. Cor. 12.

1. Cor. 4.

Eorundem de perseuerantiæ dono contra Augustinum sententia.

Sap. 4.

Sup. de correp. & gratia, ca. 11. & 12.

Ibid. c. 13.

Cap. 14.

1. Tim. 2.

Ibidem.

Ibidem.

1. Reg. 10.

1. Par. 12.

Cap. 23.

thoritate nominum in sententia teneantur, aut à sententia transferantur. Ad summam, fatigatis omnibus nobis, ad id prosecutio eorum, vel potius querela conuertitur, consentientibus etiam his qui hanc definitionem improbare non audent, vt dicant: Quid opus fuit huiuscemodi disputationis incerto tot minus intelligentium corda turbari? Neque enim minus vtiliter sine hac definitione aiunt, tot annis à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris & tuis & aliorum, cùm contra alios, tum maximè contra Pelagianos, catholicam fidem fuisse defensam. Hæc mi pater & alia interminabiliter plura, vt summa mea vota confitear, per me deferre maluissem; vel quia hoc non merui, saltem prolixiore tempore omnia; quibus mouentur, collecta dirigere: vt quicquid de hac re contradicitur quatenus refelli, vel si id non potest, tolerari deberet, audirem. Sed quia neutrum ex voto prouenit, malui quomodo potui hæc comprehensa dirigere; quàm penitus de tanta quorũdam contradictione reticere. Sunt ex parte tales personæ, vt his consuetudine Ecclesiastica laicos summam reuerentiam necesse sit exhibere. Quod quidem ita curauimus Deo iuuante seruare, vt cùm opus fuit non taceremus, quæ ad quæstionis huius assertionem exiguitas nostrarum virium suggerebat. Sed nunc summatim quantum festinatio perlatoris admisit, hæc velut commonendo suggessi. Tuæ sanè prudentiæ est dispicere quid facto opus sit, vt talium & tantorum superetur vel temperetur intentio. Cui ego iam parum prodesse existimo te reddere rationem; nisi & addatur authoritas, quam transgredi infatigabiliter contentiosa corda non possint. Sed planè illud tacere non debeo, quòd se dicant tuam sanctitatem hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari. Tuum erit decernere, quomodo sit in hoc eorum contradictio toleranda. Nec mireris quòd aliter vel aliqua in hac Epistola addidi, quantum puto; quæ in superiore non dixeram: talis est enim nunc eorum definitio, præter illa quæ per festinationem aut oblitionem fortasse præterij. Libros, cùm editi fuerint, quos de vniuerso opere tuo moliris, quæso habere mereamur; maximè vt per eorum authoritatem, si qua tibi in tuis displicent, à dignitate tui nominis iam non trepidi sequestremus. Librum etiam de Gratia & libero arbitrio non habemus: superest vt cum quia vtilem quæstioni confidimus, mereamur accipere. Nolo autem sanctitas tua sic me arbitretur hæc scribere, quasi de iis quæ nunc edidisti, ego dubitem. Sufficiat mihi pœna mea, quòd à præsentiæ tuæ deliciis exulatus, vbi salubribus tuis vberibus nutriebar, non solùm absentia tua crucior, verumetiam peruicacia quorundam, qui non tantùm manifesta respuunt, sed etiam non intellecta reprehendunt. Cæterùm hac suspicione in tantum careo, vt potius infirmitatem meam, qua tales parum patienter fero, notabilem putem. Qualiter autem ad hæc consulendum iudices, vt dixi, tuæ sapientiæ derelinquo. Nam ad me hoc pertinere credidi; pro ea quam Christo vel tibi debeo charitate, vt quæ in quæstionem veniunt, non tacerem. Quicquid pro ea gratia quam in te pusilli cum magnis miramur, volueris aut valueris, gratissimè accipiemus tanquam à nobis charissima, & reuerendissima authoritate decretũ. Sanè quia vrgente perlatore, timui ne vel non omnia; vel hæc ipsa minus dignè conscius mearum virium, possem dirigere, egi cum viro, tum moribus tum eloquio & studio claro, vt quanta posset collecta suis literis intimaret; quas coniunctas his destinare curaui. Est enim talis qui etiam præter hanc necessitatem, dignus tuæ sanctitatis notitia iudicetur. Sanctus Leontius diaconus cultor tuus, cum meis parentibus multum te salutat. Memorem mei paternitatem tuam Dominus Iesus Ecclesiæ suæ annis pluribus donare dignetur domine pater. Et infrà: Sciat sanctitas tua, fratrem meum, cuius maximè causa hinc discessimus, cum matrona sua ex consensu perfectam Deo continentiam deuouisse. Vnde rogamus sanctitatem tuam, vt orare digneris, quo hoc ipsum in eis Dominus confirmare, & custodire dignetur.

Retractationũ libros intelligit.

Hilarius Augustini fuisse videtur discipulus.

Prosperum intelligere videtur, cuius præcedit epistola.

Continentiæ perpetuæ votum mutuo inter coniugatos consensu initum.

DIVI AVRELII AVGVSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI,
AD PROSPERVM ET HILARIVM, LIBER PRIMVS,
QVI EST DE PRAEDESTINATIONE SANCTORVM.

ARGVMENTVM.

Docet potissimùm hoc libro Augustinus, Fidei non modò incrementum, sed initiũ quoque ipsum Dei esse donum, eóque prædestinationem ex meritis tanquam nostris esse non posse.

CAP. I. Philip. 3.

DIXISSE quidem Apostolum scimus in Epistola ad Philippenses; Eadẽ scribere vobis, mihi quidem non pigrum, vobis autem tutum est. Idem tamen scribens ad Galatas cũ se satis apud eos egisse perspiceret, quod illis per ministerium sermonis sui necessarium esse cernebat; De cætero, inquit, laborem mihi nemo præstet; vel, sicut in plerisque codicibus legitur, Nemo mihi molestus sit. Ego autem quamuis me molestè ferre confitear, quòd diuinis eloquiis quibus Dei gratia prædicatur, (quę omnino nulla est, si secundum merita nostra datur,) tam multis manifestisque non ceditur; vestrum tamẽ studium, fraternamque dilectionem filij charissimi Prosper & Hilari, qua eos qui tales sunt, ita non vultis errare, vt post tot libros de hac re atque Epistolas meas, adhuc me desideretis hinc scribere; tantũ amo, quantum non possum dicere; & tãtum me amare, quãtum debeo, non audeo dicere. Quapropter ecce rescribo vobis, & licet iam non vobiscum, tamẽ etiam per vos adhuc ago, quod me satis egisse credebam. Consideratis enim literis vestris videre mihi videor eos fratres pro quibus geritis piam curam, ne teneant poeticam sententiam, qua dictum est; Spes sibi quisque; & in illud incurrant quod non poeticè, sed propheticè dictũ est; Maledictus omnis qui spem habet in homine; eo modo esse tractandos, quo tractauit Apostolus quibus ait; Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Adhuc quippe in quæstione caligant de prædestinatione sanctorum. Sed habent vnde si quid aliter in ea sapiunt, hoc quoque illis reuelet Deus, si in eo ambulent in quod peruenerũt. Propter quod Apostolus cùm dixisset, Si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit: veruntamẽ, inquit, in quod peruenimus, in eo ambulemus. Peruenerunt autem isti fratres nostri, pro quibus solicita est pia charitas vestra; vt credant cum Ecclesia Christi, peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanũ, nec ab isto malo nisi per iustitiam secundi hominis aliquem liberari. Peruenerunt etiam, vt præueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque vt ad nullũ opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quenquam sufficere posse consentiant. Retenta ergo ista in quæ peruenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore

Gal. 6.

Hier. 17.

Philip. 3.

Quatenus à Pelagianis recesserint Massilienses ob quos ista scribuntur.

fore discernunt. Proinde si in eis ambulent & orent eum qui dat intellectum, siquid de prædestinatione aliter sapiunt, ipse illis hoc quoque reuelabit: tamen etiam nos impendamus eis dilectionis affectum ministeriumque sermonis, sicut donat ille quem rogamus, vt in his literis ea quę illis essent apta & vtilia diceremus. Vnde enim scimus ne fortè Deus noster id per hanc nostram velit efficere seruitutem, qua eis in Christi libera charitate seruimus?

CAP. II.

PRIVS itaque fidem qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere; si tamẽ diligentius id facere possumus, quam in voluminibus tot tantisq; iam fecimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui diuina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, vt nouerimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum eius ex Deo; tanquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantum augeatur in nobis eo merito, quo cœpit à nobis. Non ergo receditur ab ea sentẽtia, quam Pelagius ipse in Episcopali iudicio Palæstino, sicut eadem gesta testantur, damnare compulsus est, *gratiam Dei secundum merita nostra dari*; si non pertinet ad Dei gratiam quod credere cœpimus; sed illud potius quod propter hoc nobis additur, vt plenius perfectiusq; credamus: ac per hoc, initium fidei nostræ priores damus Deo, vt retribuatur nobis & supplementũ eius, & si quid aliud fideliter poscimus. Sed contra hæc cur non potius audimus; Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniã ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Et ipsum igitur initium fidei nostræ, ex quo nisi ex ipso est? Neque enim hoc excepto ex ipso sunt cætera, sed ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Quis autem dicat eum qui iam cœpit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Vnde fit, vt iam merenti cætera dicantur addi retributione diuina, ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari. Quod obiectũ sibi Pelagius ne damnaretur, ipse damnauit. Quisquis igitur hanc damnabilem vult ex omni parte vitare sententiam; veraciter intelligat dictum quod Apostolus ait; Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, verumetiam vt patiamini pro eo. Vtrúque enim ostendit Dei donum, quia vtrunque dixit esse donatum. Nec ait vt plenius & perfectius credatis in eum; sed, vt credatis in eum. Nec seipsum misericordiam consecutum dixit vt fidelior, sed vt fidelis esset; quia sciebat non se initium fidei suæ priorem dedisse Deo, & retributum sibi ab illo eius augmentum, sed ab eo se factum fidelem, à quo & Apostolus factus est. Nam scripta sunt etiam fidei eius initia, suntque Ecclesiastica celebri lectione notissima. Auersus quippe à fide quam vastabat, eiúque vehementer aduersus, repentè est ad illam gratia potentiore conuersus: conuertente illo cui hoc ipsum facturo per Prophetam dictum est: Tu conuertens viuificabis nos: vt non solum ex nolente fieret volens credere, verumetiam ex persecutore persecutionem in eius fidei, quam persequebatur, defensione pateretur. Donatum quippe illi erat à Christo, non solùm vt crederet in eum, verumetiam vt pateretur pro eo. Et ideo commẽdans istam gratiam, quæ non datur secundum aliqua merita, sed efficit omnia bona merita, Non quia idonei sumus, inquit, cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Attendant hic, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptũ, & ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare quã credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitauerit esse credendum. Quamuis enim raptim, quamuis celerrimè credendi voluntatem quædam cogitationes anteuolent, moxque illa ita sequatur, vt quasi coniunctissima comitetur; necesse est tamen vt omnia quæ creduntur, præueniente cogitatione credantur: quanquam & ipsum credere, nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare. Non enim omnis qui cogitat, credit; eũ ideo cogitent plerique, ne credant: sed cogitat omnis qui credit, & credendo cogitat, & cogitãdo credit. Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus; si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; profectò nõ sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione nõ possumus, sed sufficientia nostra qua credere incipiamus, ex Deo est. Quocirca sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiẽdum quodcunque opus bonum; quod iam isti fratres, sicut vestra scripta indicant, verum esse consentiunt; vnde in omni opere bono, & incipiendo & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est: quoniam fides si non cogitetur, nulla est; & non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Cauendum est fratres dilecti à Deo, ne homo se extollat aduersus Deum, cùm se dicit facere quod promisit Deus. Nónne fides gentiũ promissa est Abrahæ, & ille dans gloriam Deo, plenissimè credidit; Quoniam quod promisit, potens est & facere. Ipse ergo fidem gẽtium facit, qui potens est facere quod promisit. Porrò si operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris vt credamus, nunquid metuendum est, ne totum facere non possit: & ideo homo sibi primas eius vindicat partes, vt nouissimas ab illo accipere mereatur? Videte si aliud agitur isto modo, nisi vt gratia Dei secundum merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia iam non sit gratia. Redditur nanq; hoc pacto debita, non donatur gratis; debetur enim credenti, vt à Domino ipsa fides augeatur, & sit merces fidei cœptæ, fides aucta: nec attenditur cùm hoc dicitur, non secundum gratiam, sed secundum debitum istam mercedem credentibus imputari. Cur autem non totum tribuatur homini, vt qui sibi potuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit augeat, omnino non video: nisi quia resisti nõ potest diuinis manifestissimis testimoniis, quibus & fides, vnde pietatis exordium sumitur, donum Dei esse monstratur: quale est illud, quòd vnicuique Deus partitus est mensuram fidei. Et illud: Pax fratribus & charitas cum fide à Deo patre & Domino Iesu Christo: & cætera talia. Nolens ergo his tam claris testimoniis repugnare, & tamen volens à seipso sibi esse quod credit; quasi componit homo cum Deo, vt partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi; & in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum.

Fidem fidei initium ex Dei nobis esse donũ.

Rom. 11.

Philip. 2.

1. Tim. 1.

Abac. 9.

Psal. 84.

1. Corinth. 3.

Credere, est cum assensione cogitare.

Rom. 4.

Rom. 12.

Rom. 1.

CAP. III.

NON sic pius atque humilis doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimũ loquor, qui dixit *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Quod vt ostenderet, adhibuit Apostolum testem dicentem: Quid autem habes quod non accepisti? Si autẽ accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Quo præcipuè testimonio etiam ipse conuictus sum cùm similiter errarem, putans fidem qua in Deũ credimus, non esse donũ Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illã nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia præueniri, vt per illã nobis daretur quod posceremus vtiliter; nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Vt autem prædicato nobis Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante Episcopa-

Lib. 3 ad Quirinum cap. 4.

1. Corinth. 4.

Augustinus fatetur se non rectè aliquando de gratia Dei sensisse.

tum meum scripta. In quibus est illud quod commemoratis in literis vestris, vbi est expositio quarundam propositionum ex Epistola quæ est ad Romanos. Denique cùm mea cuncta opuscula retractarẽ, eamque retractationẽ stylo prosequerer, cuius operis iam duos absolueram libros, antequam scripta vestra prolixiora sumpsissem, cùm ad hunc librum retractandum in primo volumine peruenissem, sic inde locutus sum.

Respondet ad locum suprà. In epistola Hilarij quæstio. ex libro expositionum quarundam propositionum epistolæ ad Ro.

Item disputans, inquam, quid elegerit Deus in nondũ nato, cui dixit seruiturum esse maiorem; & quid in eodem maiore similiter nondum nato reprobauerit; de quibus propter hoc commemoratur, quamuis longè postea prolatum, propheticum testimonium, Iacob dilexi, Esau autem odio habui; ad hoc perduxi ratiocinationem, vt dicerem; Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia quæ ipse daturus est; sed fidem elegit in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritũ sanctum daret, vt bona operando, etiam æternam vitam consequeretur. Nondum diligentius quæsieram, nec adhuc inueneram qualis sit electio gratiæ; de qua idem dicit Apostolus; Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Quæ vtique non est gratia, si eam vlla merita præcedunt; ne iam quod datur non secundum gratiam, sed secundum debitum reddatur potius meritis, quàm donetur. Proinde quod continuò dixi; Dicit enim idem Apostolus: Idem Deus qui operatur omnia in omnibus; nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus; ac deinde subiunxi: Quod ergo credimus, nostrum est; quod autem bonum operamur, illius est qui credentibus dat Spiritum sanctum: profectò non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem spiritu. Vtrunque ergo nostrum est, propter arbitrium voluntatis; & vtrunque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis. Neque enim sola charitas, sed, sicut scriptum est; Charitas cum fide à Deo patre, & Domino Iesu Christo. Et quod paulo pòst dixi; Nostrum est enim credere & velle; illius autem, dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris; verum est quidem, sed eadem regula, & vtrunque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem; & vtrunque nostrum, quia non fit nisi volentibus nobis. Ac per hoc quod etiam postea dixi; Quia neque velle possumus, nisi vocemur; & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster; nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat. Ac deinde subiunxi; Manifestum est ergo non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse quod bene operamur; omnino verissimum est. Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum Dei: Non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantum electorum. Itaque quod paulo pòst dixi; Sicut enim in his quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, vt per munus Dei bene operẽtur; sic in his quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, vt per ipsam pœnam etiam malè operentur: verissimè dixi, sed fidei meritum etiam ipsum esse donum Dei, nec putaui quærendum esse, nec dixi. Et alio loco; Cuius enim miseretur, inquam, facit eum bene operari; & quem obdurat relinquit eum vt malè operetur. Sed & illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, & ista obduratio præcedenti iniquitati. Quod quidem verum est, sed adhuc quærendum erat, vtrum & meritum fidei misericordia Dei præueniat: id est, vtrum ista misericordia ideo tantummodo fiat in homine, quia fidelis est; an etiam facta fuerit vt fidelis esset. Legimus enim dicente Apostolo; Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem: non ait, quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem, sed data est etiam vt esset fidelis. Rectissimè itaque alio loco in eodem libro dixi; Quoniam si non ex operibus, sed misericordia Dei & vocamur vt credamus, & credentibus præstatur, vt bene operemur, non est gentibus ista inuidẽda misericordia: quamuis minus ibi diligenter de illa, quæ per Dei propositum fit vocatione tractauerim.

Cap. 23. Malac. 1. Rom. 11. 2. Corinth. 12. Ephes. 6. Prou. 8. secundum 70. 2. Tim. 1.

CAP. IIII.

VIDETIS certè quid tunc de fide atque operibus sentiebam, quamuis de commendanda Dei gratia laborarem: in qua sententia istos fratres nostros esse nũc video; quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curauerũt proficere mecum. Nam si curassent, inuenissent istam quæstionem secundum veritatem diuinarum Scripturarũ solutam, in primo libro duorum quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, sancti Ambrosij successorem, in ipso exordio Episcopatus mei; nisi fortè non eos nouerunt. Quod si ita est, facite vt nouerint. De hoc primo duorum illorum libro, in secundo Retractationum primũ locutus sum, qui sermo meus ita se habet: Librorum, inquam, quos Episcopus elaboraui, primi, duo sunt ad Simplicianum Ecclesiæ Mediolanensis antistitem, qui beatissimo successit Ambrosio, de diuersis quæstionibus: quarum duas ex Epistola Pauli apostoli ad Rom. in primum librum contuli. Harum prior est de eo quod scriptũ est; Quid ergo dicemus, Lex peccatum est? Absit; vsque ad illud vbi ait; Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christũ Dominum nostrum. In qua illa Apostoli verba; Lex spiritalis est, ego autẽ carnalis sum: & cætera, quibus caro cõtra spiritũ confligere ostenditur, eo modo exposui tanquam homo describatur adhuc sub lege, nondũ sub gratia constitutus. Longè enim postea, etiam spiritalis hominis (& hoc probabilius) esse posse illa verba cognoui. Posterior in hoc libro quæstio est ab eo loco vbi ait; Nõ solùm autem, sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri: vsq; ad illud vbi ait; Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semẽ, sicut Sodoma fuissemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus. In cuius quæstionis solutione elaboratũ est quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, sed vicit Dei gratia. Nec nisi ad illud potuit peruenirí, vt liquidissima veritate dixisse intelligatur Apostolus; Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris, quasi nõ acceperis? Quod volens etiam martyr Cyprianus ostendere, hoc totũ ipso titulo definiuit, dicens *in nullo gloriandum, quãdo nihil nostrum sit.* Ecce quare dixi superius, hoc Apostolico præcipuè testimonio etiam meipsum fuisse conuictum; cùm de hac re aliter saperẽ, quam mihi Deus in hac quæstione soluenda, cũ ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, reuelauit. Hoc igitur Apostoli testimonium vbi ad reprimẽdam hominis inflationem dixit; Quid enim habes quod non accepisti? non sinit quẽquam fidelium dicere, habeo fidẽ quam non accepi; reprimiturq; omnino his Apostolicis verbis tota huius responsionis elatio. Sed ne hoc quidem potest dici; Quamuis non habeam perfectam fidem, habeo tamen eius initium quo in Christum primitùs credidi; quia & hic responderur: Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?

Simplicianus episcopus Mediolanensis. Lib. 2. Retract. cap. 1. Roman. 7. Roman 9. 1. Corinth. 4. 1. Corinth. 1.

ILLVD verò quod putãt de hac fide ideo nõ posse dici; Quid enim habes quod non accepisti; *quia in eadem natura remansit, licet vitiata, quæ prius sana ac perfecta donata sit;* nihil ad id quod volunt valere intelligitur, si cur hoc Apostolus dixerit cogitetur: agebat enim, ne quisquam gloriaretur in homine, quoniam dissensiones exortæ fuerant inter Corinthios Christianos, ita vt vnusquisque diceret; Ego quidem sum Pauli, alius autem, ego Apollo; alius verò, ego Cephę; & inde ventũ est, vt diceret; Stulta mũdi elegit Deus, vt confundat sapientes; & infirma mũdi elegit Deus, vt cõfundat fortia; & ignobilia mũdi & contẽptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt tanquam sint, vt quæ sunt

CAP. V. Supra ipse. Hilarij 1. Corinth. 4.

sunt euacuet, vt non glorietur coram Deo omnis caro. Hic certè contra humanam superbiam, satis clara est Apostoli intentio, ne in homine quisquam glorietur, ac per hoc nec in seipso. Denique cùm dixisset, vt non glorietur coram Deo omnis caro; vt ostenderet in quo debeat homo gloriari, mox addidit; Ex ipso autem, inquit, vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapiẽtia à Deo, & iustitia & sanctificatio & redemptio; vt quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur; inde peruenit ista eius intentio, vt postea increpans dicat, Adhuc enim carnales estis: cùm enim sint inter vos æmulatio & contentio, nónne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Cùm enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli, alius autem, ego Apollo; nónne homines estis? Quid ergo est Apollo, quid autem Paulus? Ministri per quos credidistis; & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementũ dedit. Itaq; neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. Videtísne nihil agere Apostolum, nisi vt humilietur homo, & exaltetur Deus solus? Quandoquidem in eis qui plantãtur & qui rigantur, nec ipsum plãtatorem & rigatorem dicit esse aliquid, sed qui incrementum dat Deus: quamuis & hoc ipsum quod ille plantat, hic rigat, nõ ipsis, sed Domino tribuat dicens, Vnicuique sicut Dominus dedit, ego plantaui, Apollo rigauit. Hinc ergo in eadem intentione persistens, ad hoc venit vt diceret, Itaque nemo glorietur in homine. Iam enim dixerat: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Post hæc & alia nonnulla quæ his connectuntur, perducitur illuc eadem ipsa eius intentio, vt dicat, Hæc autem fratres transfigurauí in me & Apollo propter vos; vt in nobis discatis, ne supra quàm scriptum est, vnus pro altero infletur aduersus alterum. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? In hac Apostoli euidentissima intentione, qua contra humanam superbiã loquitur, ne quisquam in homine, sed in Domino glorietur: dona Dei naturalia suspicari, siue ipsam totam perfectamq; naturam, qualis in prima conditione donata est, siue vitiatæ naturæ qualescunque reliquias; nimis, quantum existimo, absurdũ est. Nunquid enim per hæc dona quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus? Hic autem prius dixit, Quis enim te discernit? & deinde addidit, Quid autem habes quod non accepisti? Posset quippe dicere homo inflatus aduersus alterum; discernit me fides mea, iustitia mea, vel si quid aliud. Talibus occurrens cogitationibus bonus doctor, Quid autem habes, inquit, quod nõ accepisti? A quo, nisi ab illo qui te discernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi? Si autem & accepisti, ait, quid gloriaris quasi non acceperis? Nunquid quæso agit aliud, nisi vt qui gloriatur, in Domino glorietur? Nihil autem huic sensui tam contrarium est, quàm de suis meritis sic quenquã gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei: sed gratia quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est & bonis & malis. Sit ergo gratia naturæ attributa, qua sumus animãtia rationalia, discernimurq; à pecoribus; sit etiam gratia naturæ attributa, qua in ipsis hominibus à deformibus pulchri, vel ingeniosi discernuntur à tardis, ac si quid eiusmodi est. Sed non se ille quem coërcebat Apostolus aduersus pecus inflabat, nec aduersus hominem alterum, de aliquo naturali munere quod inesse posset & pessimo; sed aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonã, sibi non Deo tribuens inflabatur, quando audire meruit, Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Vt enim sit naturæ, fidem posse habere: nunquid & habere? Non enim omnium est fides, cùm fidem

Hier. 9. 1. Cor. 3. Gratia Dei ea propriè est quæ bonos à malis discernit. 1. Cor. 1. 1. Cor. 4.

posse habere sit omnium. Non autem ait Apostolus, quid autem potes habere quod non accepisti, vt posses habere; sed ait, Quid autem habes quod non accepisti? Proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum; habere autem fidẽ, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium. Illa itaque natura in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominẽ; ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem. Ac per hoc vbi dicitur, Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? quisquis audet dicere, habeo ex meipso fidem, non ergo accepi; profectò contradicit huic apertissimę veritati: non quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino. Ideò ad ipsam quoq; fidem, quæ in voluntate est, pertinet. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?

1. Thes. 3. Posse habere fidẽ vel charitatem, naturæ est hominum; habere autem, gratiæ fidelium. Prouerb. 8. secundum 70.

CAPVT VI.

MVLTI *audiunt verbum veritatis; sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi.* Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino; discernendum est vtique quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio. Quod quærebat Israël, ait Apostolus, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est: cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant, vsque in hodiernum diem. Et Dauid dicit, Fiat mensa eorum in laqueum & in scandalum & in retributionem illis: obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Ecce misericordia & iudicium, misericordia in electione quæ consecuta est iustitiam Dei; iudicium verò in cæteros qui excæcati sunt: & tamen illi quia voluerunt, crediderunt; illi quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt. Electio quippe ista gratiæ est, non vtique meritorum. Superius enim dixerat, Sic ergo & in hoc tempore, reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia. Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio; non præcessit eorum aliquid quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo enim saluos fecit eos. Cæteris autem qui excæcati sunt, sicut ibi nõ tacitum est, in retributione factum est. Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Inuestigabiles sunt autem viæ eius. Inuestigabiles igitur sunt, & misericordia qua gratis liberat, & veritas qua iustè iudicat.

Rom. 11. Esai. 6. Psal. 68. Psal. 55.

CAPVT VII.

SED forsitan dicant, Ab operibus fidem distinguit Apostolus; gratiam verò non ex operibus esse dicit; nõ autem dicit, quòd nõ sit ex fide. Ita verò est; sed ipsam quoq; fidem opus Dei dicit esse Iesus, & hanc vt operemur iubet. Dixerunt enim ad eum Iudæi, Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Respondit Iesus & dixit eis, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quẽ misit ille. Sic ergo distinguit Apostolus ab operibus fidẽ, quemadmodum in duobus regnis Hebrẽorum distinguitur Iudas ab Israël, eùm & ipse Iudas sit Israël. Ex fide autem ideo dicit iustificari hominẽ, non ex operibus; quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cętera, quæ propriè opera nuncupantur; in quibus iustè viuitur. Nam dicit etiam ipse, Gratia salui estis facti per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est: id est, & quod dixi per fidem, non ex vobis, sed Dei donum est. Etiam fides, non ex operibus, inquit, ne fortè quis extollatur: solet enim dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cuius acceptæ sunt eleemosynæ & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo inuocabat, in quem non crediderat? Sed si pos-

Ioan. 6. Ex fide iustificari nos cur potius dixerit Apostolus, quã ex operibus. Ephes. 2. Act. 10. Rom. 10.

set sine fide Christi esse saluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus apostolus Petrus: quamuis nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam. Et dicitur nobis, *fides est à nobis, cætera à Domino ad opera iustitiæ pertinentia:* quasi ad ædificium non pertineat fides, quasi ad ædificium, inquam, non pertineat fundamentum. Quòd si in primis & maximè pertinet, in vanum laborat prædicando ędificans fidem, nisi eam Dominus miserãdo intus ædificet. Quicquid igitur & antequam in Christum crederet, & cùm credidisset, bene operatus est Cornelius; totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur.

Psal. 126.

Fides ædificij spiritualis fundamentum.

CAPVT VIII. Ioan. 6.

PROINDE ipse vnus magister & Dominus cùm dixisset quæ suprà commemoraui, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille; in eodem ipso sermone suo paulo pòst ait, Dixi vobis, quia & vidistis me & non credidistis. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet. Quid est, ad me veniet, nisi credet in me? Sed vt fiat, pater dat. Item paulo pòst, Nolite, inquit, murmurare inuicem; nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: & ego eum resuscitabo in nouissimo die. Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Quid est, omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me; nisi, nullus est qui audiat & discat à patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audiuit à patre & didicit, venit; profectò omnis qui nõ venit, non audiuit à patre, nec didicit: nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim vllus audiuit ac didicit, & non venit; sed omnis, vt ait veritas, qui audiuit à patre & didicit, venit. Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua pater auditur, & docet vt veniatur ad filium. Ibi est & ipse filius, quia ipse est verbum eius per quod sic docet, nec agit cum carnis aure, sed cordis. Simul est & ibi spiritus patris & filij; neq; enim ipse non docet, aut separatim docet: inseparabilia quippe didicimus esse opera trinitatis. Et ipse est vtique Spiritus sanctus, de quo Apostolus dicit; Habentes autem eundem spiritum fidei. Sed ideo patri hoc potissimum est attributum, quia de ipso est genitus vnigenitus, & de ipso procedit Spiritus sanctus: vnde longum est enucleatius disputare, & de trinitate, quæ Deus est, laborem nostrum in quindecim libris ad vos iam existimo peruenisse. Valde, inquam, remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur & docet. Multos venire videmus ad filiũ, quia multos credere videmus in Christum; sed vbi & quomodo à patre audierint hoc & didicerint, nõ videmus. Nimium gratia ista secreta est, gratiam verò esse quis ambigat? Hæc itaque gratia quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur. Quãdo ergo pater intus auditur, & docet vt veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit. Sic quippe facit filios promissionis & vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Cur ergo non omnes docet, vt veniant ad Christum; nisi quia omnes quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, iudicio non docet: quoniam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat; sed miseretur, bona tribuens; obdurat, digna retribuens. Aut si & ista, vt quidam distinguere maluerunt, verba sunt eius cui Apostolus ait; Dicis itaq; mihi; vt ipse dixisse accipiatur, Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, & quæ sequuntur: id est, Quid adhuc conqueritur; nam voluntati eius quis resistit? Nunquid responsum est ab Apostolo, O homo, falsum est quod dixisti? Non. Sed responsum est, O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem facere massa, & sequentia quæ optimè nostis: & tamen secũdum quendam modum, omnes pater docet venire ad suum filium. Non enim frustrà scriptum est in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Quod testimonium cùm præmisisset, tunc subdidit, Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Sicut ergo integrè loquimur cùm de aliquo literarum magistro, qui in ciuitate solus est, dicimus; omnes iste hic literas docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit, quicunque ibi literas discit: ita rectè dicimus, omnes Deus docet venire ad Christum: nõ quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit. Cur autem non omnes doceat, aperuit Apostolus quantum aperiendũ iudicauit: quia volens ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ quæ perfecta sunt in perditionem, & vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Hinc est quòd verbum crucis pereuntibus stultitia est; his autem qui salui fiunt, virtus Dei est. Hos omnes docet venire ad Christum Deus, hos omnes vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Nam si & illos quibus stultitia est verbum crucis, vt ad Christum venirent docere voluisset, procul dubiò venirent & ipsi. Non enim fallit aut fallitur qui ait, Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Absit ergo vt quisquam non veniat, qui à patre audiuit & didicit. *Quare*, inquiunt, *non omnes docet?* Si dixerimus, quia nolunt discere quos non docet, respondebitur nobis: Et vbi est quod ci dicitur, Domine tu conuertens viuificabis nos? Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Ecclesia secũdum præceptum Domini pro persecutoribus suis? Nam sic etiam voluit intelligi sanctus Cyprianus quod dicimus, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra; hoc est, sicut in eis qui iam crediderunt & tanquam cælum sunt; ita & in eis qui non credunt, & ob hoc adhuc terra sunt. Quid ergo oramus pro nolentib. credere, nisi vt Deus in illis operetur & velle? De Iudæis certè Apostolus ait, Fratres, bona voluntas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deum pro illis fit in salutem. Orat pro nõ credentibus, quid, nisi vt credant? Non enim aliter consequuntur salutem. Si ergo fides omnium Dei præuenit gratiam; nunquid eorum fides pro quibus oratur vt credant, Dei præuenit gratiam? Quandoquidem hoc pro eis oratur, vt non credentibus, id est fidem non habentibus, fides ipsa donetur. Cùm igitur Euangelium prædicatur, quidam credunt, quidam nõ credunt: sed qui credunt prædicatore forinsecùs insonante, intus à patre audiũt atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt: hoc est, illis datur vt credant, illis non datur; quia nemo, inquit, venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. quod apertius postea dicitur. Nam post aliquantum cùm de carne sua manducanda & bibendo sanguine suo loqueretur, & dicerent etiam quidam discipulorum eius, Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis, Hoc vos scandalizat? Et paulo pòst, Verba, inquit, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt; sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Et mox Euãgelista, Sciebat enim, inquit, ab initio Iesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum, & dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ergo trahi à patre ad Christum, & audire ac discere à patre, vt veniat ad Christum, nihil aliud est, quàm donũ accipere à patre, quo credat in Christum. Neque enim audientes Euangelium à non audientibus, sed credentes à non credentibus discernebat qui dicebat, Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à

2. Cor. 4.

Diuina gratiæ potentia et energia.

Exech. 11.

Rom. 9.

Omnes docent à Deo ad Christum vt veniant, quo sensu recte dicatur.

Simile.

1. Cor. 1.

1. Tim. 2.

Psal. 84.

Matth. 5.

Serm. 6. super orat. Dominic.

Matth. 6.

Rom. 10.

Ioan. 6.

Trahi, audire, & discere à patre, quid.

tum à patre meo. Fides igitur & inchoata & perfecta, donum Dei est; & hoc donum quibusdã dari, quibusdam non dari omnino nõ dubitet qui nõ vult manifestissimis sacris literis repugnare. Cur autem nõ omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit ex vno omnes esse in condemnationem, sine dubitatione iustissimam; ita vt nulla Dei esset iusta reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Vnde cõstat magnam esse gratiam, quòd plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur agnoscunt; vt qui gloriantur, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed in Domino gloriẽtur. Cur autem istum potiùs quàm illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Melius enim & hic audimus aut dicimus, O homo, tu quis es qui respõdeas Deo; quàm dicere audeamus quasi nouerimus quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid iniustum velle non potuit.

Fidei donum cur non omnibus detur.

Hier. 9.

Rom. 11.

Rom. 9.

CAPVT IX. Epist. est 49. quæst. 2.

ILLVD autem quod in opusculo meo quodam contra Porphyrium sub titulo, De tempore Christianæ religionis, me dixisse recolitis; ita dixi, vt hanc diligentiorem & operosiorem disputationem de gratia præterirem, non sanè omissa significatione, quòd eam loco illo explicare noluissem, quæ posset aliàs vel ab aliis explicari. Nam ita locutus sum inter cætera, respondens propositæ quæstioni: cur Christus post tam longa tempora venerit. *Proinde*, inquam, *cùm Christo non obiciant, quòd eius doctrinam non omnes sequuntur, (sentiunt enim & ipsi, nequaquam hoc rectè obiici posse, vel sapientiæ philosophorum, vel etiam numini deorum suorum) quid respondebunt si excepta illa altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, vbi fortassis aliud diuinum consilium longè secretius latet, sine præiudicio etiam aliarum fortè causarum, quæ à prudentibus inuestigari queunt, hoc solùm eis breuitatis gratia, in huius quæstionis disputatione dicamus; tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam; quando sciebat & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturí. His enim temporibus & his locis quibus Euangelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat; quales non quidem omnes, sed tamen multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis, credere voluerunt: quales etiam nunc multos videmus, cùm tanta manifestatione de illo compleantur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humana astutia resistere, quàm tam claræ atque perspicuæ, tamq; sublimi & sublimiter diffamatæ, diuinæ cedere authoritati. Quandiu paruus & infirmus est intellectus hominis, diuinæ debet accedere veritati. Quid ergo mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis nouerat, vt eis apparere vel prædicari meritò nollet; quos nec verbis, nec miraculis suis crediturosesse præsciebat? Neque enim incredibile est tales tunc fuisse omnes, quales ab eius aduentu vsque ad hoc tempus tam multos fuisse atque esse miramur; & tamen ab initio generis humani, aliàs occultius, aliàs euidentius, sicut congruere temporibus diuinitùs visum est, nec prophetari destitit, nec qui in eum crederent, defuerunt: & ab Adam vsque ad Moysen, & in ipso populo Israël, quæ speciali quodam mysterio gens prophetica fuit; & in aliis gentibus antequam venisset in carne. Cùm enim nonnulli commemorentur in sanctis Hebraicis libris, iam ex tempore Abrahæ, nec de stirpe carnis eius, nec ex populo Israël, nec aduentitia societatè in populo Israël; qui tamen huius sacramenti participes fuerunt: cur non credamus etiam in cæteris hac atque illac gentibus alios atque alios fuisse, quamuis eos commemoratos in eisdem authoritatibus non legamus? Ita salus religionis huius, per quam salam veram, salus veraciterque promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanæ vsque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudicium prædicatur; ac August. tom. 7.*

Etiam extra gentem Iudaicam quidam olim post Abraham saluati, vt Iob, Naaman Syrus & alij.

CAPVT X.

PROINDE ipse vnus magister & Dominus cùm dixisset quæ suprà commemoraui, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille; in eodem ipso sermone suo paulo pòst ait, Dixi vobis, quia & vidistis me & non credidistis. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet. Quid est, ad me veniet, nisi credet in me? Sed vt fiat, pater dat. Item paulo pòst, Nolite, inquit, murmurare inuicem; nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: & ego eum resuscitabo in nouissimo die. Est scriptum in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à patre, & didicit, venit ad me. Quid est, omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me; nisi, nullus est qui audiat & discat à patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audiuit à patre & didicit, venit; profectò omnis qui nõ venit, non audiuit à patre, nec didicit: nam si audisset & didicisset, veniret. Neque enim vllus audiuit ac didicit, & non venit; sed omnis, vt ait veritas, qui audiuit à patre & didicit, venit. Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua pater auditur, & docet vt veniatur ad filium. Ibi est & ipse filius, quia ipse est verbum eius per quod sic docet, nec agit cum carnis aure, sed cordis. Simul est & ibi spiritus patris & filij; neq; enim ipse non docet, aut separatim docet: inseparabilia quippe didicimus esse opera trinitatis. Et ipse est vtique Spiritus sanctus, de quo Apostolus dicit; Habentes autem eundem spiritum fidei. Sed ideo patri hoc potissimum est attributum, quia de ipso est genitus vnigenitus, & de ipso procedit Spiritus sanctus: vnde longum est enucleatius disputare, & de trinitate, quæ Deus est, laborem nostrum in quindecim libris ad vos iam existimo peruenisse. Valde, inquam, remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur & docet. Multos venire videmus ad filiũ, quia multos credere videmus in Christum; sed vbi & quomodo à patre audierint hoc & didicerint, nõ videmus. Nimium gratia ista secreta est, gratiam verò esse quis ambigat? Hæc itaque gratia quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur. Ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur. Quãdo ergo pater intus auditur, & docet vt veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit. Sic quippe facit filios promissionis & vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Cur ergo non omnes docet, vt veniant ad Christum; nisi quia omnes quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, iudicio non docet: quoniam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat; sed miseretur, bona tribuens; obdurat, digna retribuens. Aut si & ista, vt quidam distinguere maluerunt, verba sunt eius cui Apostolus ait; Dicis itaq; mihi; vt ipse dixisse accipiatur, Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat, & quæ sequuntur: id est, Quid adhuc conqueritur; nam voluntati eius quis resistit? Nunquid responsum est ab Apostolo, O homo, falsum est quod dixisti? Non. Sed responsum est, O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti? An

ITEM quod dixi, *salutem religionis huius nulli vnquam defuisse qui dignus fuit, & dignum non fuisse cui defuit*, si discutiatur & quæratur vnde quisque sit dignus, non desunt qui dicant, voluntate humana; nos autem dicimus, gratia vel prædestinatione diuina. Inter gratiam porrò & prędestinationem hoc tantum interest, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò iam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus, Non ex operibus, ne fortè quis extollatur; ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis: gratia est. Quod autem sequitur, Quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prędestinatione prędściẽtia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus. Vnde dictũm est, Fecit quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcunq; peccata; quia & si sunt quædam quæ ita peccata sunt, vt pœnæ etiam sint peccatorum, vnde dictum est, Tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt; non ibi peccatum Dei est, sed iudicium. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, vt dixi, præparatio; gratia verò est ipsius prędestinationis effectus. Quando ergo promisit Deus Abrahæ in semine eius fidem gẽtium, dicens, Patrem multarum gentium posui te: vnde dicit Apostolus: Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines; quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colẽdum Deũ, ipse facit vt illi faciant quæ præcepit; non illi faciunt, vt ipse faciat quod promisit: alioquin vt Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. Non autem sic credidit Abraham, sed credidit dans gloriam Deo; quoniam quæ promisit potens est & facere: non ait, prædicere; non ait, præscire, nam & aliena facta potest prædicere atque præscire; sed ait, potens est & facere: ac per hoc facta non aliena, sed sua. An fortè opera bona gentium Deus promisit Abrahæ in semine ipsius, vt hoc promitteret

Prædestinatio & gratia quid differant. Ephes. 2.

Præscientia & prædestinatio quid distent. Esa. 45. secundum 70.

Gen. 17.

Rom. 4.

quod ipse facit; non autem promisit fidem gentium, quam sibi homines faciunt, sed vt promitteret quod ipse facit, illam præsciuit homines esse facturos? Non quidem loquitur sic Apostolus; filios quippe promisit Deus Abrahæ, qui fidei eius vestigia sectarentur; quod apertissimè dicit. Sed si opera gentium promisit, non fidem; profectò quoniam non sunt bona opera nisi ex fide, (Iustus enim ex fide viuit; & omne quod non est ex fide, peccatum est; & sine fide impossibile est placere Deo) nihilominus vt impleat quod promisit Deus, in hominum est potestate. Nisi enim homo faciat quod Deo non donante ad hominem pertinet, non faciet ipse quod donet; hoc est nisi habeat homo fidem ex seipso, non implet Deus quod promisit, vt opera iustitiæ dentur ex Deo. Ac per hoc vt promissa sua Deus possit implere, non est in Dei, sed in hominis potestate. Quod si veritas & pietas nos credere vetat; credamus cùm Abraham, quoniã quæ promisit, potens est & facere. Promisit autem filios Abrahæ, quod esse non possunt, si non habeant fidem: ergo ipse donat & fidem.

Habac.2. Rom.4. Heb.11. Rom.4.

CAPVT XI. SANE cùm Apostolus dicat, Ideò ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio; miror homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei. *Sed incerta est mihi*, inquis, *de meipso voluntas Dei.* Quid ergo? Tuane tibi voluntas de te ipso certa est, nec times? Qui videtur stare, videat ne cadat. Cùm igitur vtraque incerta sit, cur non homo firmiori quàm infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit? *Sed cùm dicitur*, inquiunt, *Si credideris, saluus eris; vnum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur, in hominis; quod offertur, in Dei est potestate.* Cur non vtrunque in Dei est, & quod iubetur, & quod offertur? Rogatur enim vt det quod iubet; rogant credẽtes, vt sibi augeatur fides: rogant pro non credentibus, vt eis donetur fides, vt & in suis incrementis, & in suis initiis Dei donum sit fides. Sic autem dicitur, Si credideris, saluus eris; quemadmodum dicitur, Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Nam & hic ex his duobus vnum exigitur, alterum offertur. Si spiritu, inquit, facta carnis mortificaueritis, viuetis. Vt ergo spiritu facta carnis mortificemus, exigitur; vt autem viuamus, offertur. Num igitur placet, vt facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur; quoniam exigi audimus à nobis præmio vitæ si hoc fecerimus, oblato? Absit, vt hoc placeat participibus & defensoribus gratiæ. Pelagianorum est error iste damnabilis; quorum mox Apostolus ora obstruxit, adiungens, Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: ne facta mortificare nos carnis, non per Dei, sed per nostrum spiritum crederemus. De quo Dei spiritu etiam ibi loquebatur, vbi ait, Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult. Inter quæ omnia sicut scitis, nominauit & fidem. Sicut ergo quamuis donum Dei sit, facta carnis mortificare; exigitur tamen à nobis proposito præmio vitæ: ita donum Dei est & fides, quamuis & ipsa cùm dicitur, Si credideris, saluus eris; proposito præmio salutis exigatur à nobis. Ideò enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrãtur, vt intelligatur quòd & nos ea facimus, & Deus facit vt illa faciamus, sicut per prophetam Ezechielem apertissimè dicit: quid enim apertius quàm vbi dicit, Ego faciam vt faciatis? Locum ipsum Scripturæ fratres charissimi attendite, & videbitis illa Deum promittere facturum se vt faciant, quæ iubet vt fiant. Nõ sanè ibi tacet etiam merita eorum, sed mala, quibus se ostendit reddere pro malis bona; hoc ipso quòd eos facit habere deinceps opera bona, cùm ipse facit, vt faciant diuina mandata.

1.Cor.10. Sup. in epist. Hilarij. Rom.10. Rom.8. 1.Cor.12. Ezech.36.

A B C D

SED omnis hęc ratio qua defendimus gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, verè esse gratiam; id est, non secundum merita nostra dari, quãuis euidentissimè diuinorum eloquiorum testimoniis asseratur; tamen apud eos, qui nisi aliquid sibi assignent, quod priores dent vt retribuatur eis, ab omni studio pietatis reprimi se putant; laboratur aliquando in ætate maiorum, iam vtentium voluntatis arbitrio; sed vbi venitur ad paruulos, & ad ipsum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum assertio meritorum: quia nec illi vllis bonis præcedentibus meritis discernuntur à cæteris, vt pertineant ad liberatorem hominum; nec ille vllis humanis præcedentibus meritis, cùm & ipse sit homo, liberator factus est hominum. Quis enim audiat quòd dicuntur paruuli pro suis futuris meritis in ipsa infantili ætate baptizati exire de hac vita; & ideò alij non baptizati in eadẽ ætate mori, quia & ipsorum præscita sunt merita futura, sed mala; non eorũ vitam bonam vel malã Deo remunerante vel damnante? Sed nullum Apostolus quidem limitem fixit, quem transgredi non debeat hominis, vt mitius loquar, incauta suspicio. Ait enim, Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Gessit, inquit, non adiunxit, vel gesturus fuit. Sed vnde hoc talibus viris in mentem venerit nescio, vt futura quę non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita paruulorum. Cur autem dictum est, secundum ea quæ per corpus gessit hominem iudicandum, cùm gerantur multa solo animo, non per corpus, nec per vllum corporis membrũ, & plerunque tam magna, vt talibus cogitationibus pœna iustissima debeatur: sicuti est, vt alia taceam, quòd dixit insipiens in corde suo, non est Deus? Quid est ergo, secundum ea quæ per corpus gessit; nisi secũdum ea quæ gessit eo tempore quo in corpore fuit, vt per corpus intelligamus corporis tempus? Post corpus autem nemo erit in corpore, nisi resurrectione nouissima, non ad vlla merita comparanda, sed ad recipienda pro bonis meritis premia, vel pro malis luenda supplicia. Hoc autem medio tempore inter depositionem & receptionem corporis, secundum ea quæ gesserunt per corporis tempus, siue cruciantur animæ, siue requiescunt. Ad quod tempus corporis pertinet etiam quod Pelagiani negant, sed Christi Ecclesia confitetur, originale peccatum: quo siue soluto per Dei gratiam, siue per Dei iudicium non soluto, cùm moriuntur infantes, aut merito regenerationis transeunt ex malis ad bona, aut merito originis transeunt ex malis ad mala. Hoc catholica fides nouit, in hoc etiam nonnulli hæretici sine vlla contradictione consentiunt. Iudicari autem quenquam non secundũ merita quæ habuit quamdiu fuit in corpore, sed secũdum merita quæ fuerat habiturus si diutius fuisset in corpore; vnde opinari potuerint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestræ indicant literæ, mirans & stupens reperire non possum; nec credere auderem, nisi vobis non credere non auderem: sed spero ad futurum Deum, vt commoniti citò videant, ea quæ dicuntur futura fuisse peccata, si per Dei iudicium in non baptizatis possunt iure puniri, etiam per Dei gratiam baptizatis posse dimitti. Quicunque enim dicit puniri tantum posse Deo iudicante futura peccata, dimitti autem Deo miserante non posse, cogitare debet quantam Deo faciat gratiæque eius iniuriam: quasi futurum peccatum prænosci possit, nec possit ignosci. Quod si absurdum est, magis ergo futuris si diu viuerent peccatoribus, cùm in parua ætate moriuntur, lauacro quo peccata diluuntur, debuit subueniri.

CAPVT XII. Sup. in epist. Prosperi. Nemínem indicari secundũ ea opera quæ, si diutius egisset, facturus fuerat. Rom.14.

QVOD

CAPVT XIII. QVOD si forsitan dicunt, pœnitentibus peccata dimitti; & ideò istos non baptizari in paruula ætate morientes, quia præsciti sunt pœnitentiam si viuerent non acturi: eos autem qui baptizantur, & paruuli de corporibus exeunt, Deum præscisse acturos pœnitentiam fuisse si viuerent: Attendant & videant, si ita est, non iam in paruulis sine baptismate morientibus peccata originalia vindicari, sed sua cuiusque futura si viuerent: itemque baptizatis non originalia dilui, sed sua futura si viuerent, quoniam non possent nisi in maiore ætate peccare: sed alios acturos pœnitentiam, alios non acturos fuisse præuisos; ideò alios baptizatos, alios sine baptismo exisse de hac vita. Hoc si auderent Pelagiani, non iam laborarent negando originale peccatum, quærere paruulis extra regnum Dei nescio cuius suæ felicitatis locum: maxime quãdo conuincuntur non eos habere posse vitam æternam, quia non manducauerunt carnem, nec biberunt sanguinem Christi; & quia in eis, qui nullum habent omnino peccatum, falsus est baptismus qui in remissionem traditur peccatorum. Dicerent enim prorsus nullum esse originale peccatum, sed pro suis futuris, si viuerent, meritis vel baptizari vel non baptizari eos qui de corpore soluuntur infantes; & pro suis futuris meritis eos vel accipere vel non accipere corpus & sanguinem Christi, sine quo vitam prorsus habere non possunt; & in vera remissione peccatorum baptizari, quamuis nullum ex Adam traherent: quoniam remittuntur eis futura peccata, de quibus illos Deus pœnitentiam præsciuit acturos. Ita facillimè agerent atque obtinerent causam suam, qua negant esse originale peccatum, & gratiam Dei non dari nisi secundum merita nostra contendunt. Sed quia hominum futura, quæ non sunt futura, proculdubio nulla sunt merita, & hoc videre facillimum est; ideò nec Pelagiani hoc dicere potuerunt, & multò magis nec isti dicere debuerunt. Dici enim non potest quàm molestè feram, quod viderunt Pelagiani esse falsissimum & absurdissimum; hoc non vidisse istos, qui nobiscum errorem illorum hæreticorum catholica authoritate condemnant.

Iob 7. secundũ LXX. Rom.11. Ibidem. Sup. in epist. Hilarij.

A B C

CAPVT XIIII. SCRIPSIT librum De mortalitate Cyprianus, multis ac penè omnibus qui Ecclesiasticas literas amant laudabiliter notum; in quo propterea dicit non solum non esse fidelibus inutilem mortem, verumetiam vtilem reperiri; quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitatem constituit. Sed quid prodest si etiam futura, quæ commissa non sunt, peccata puniuntur? Ait tamen ille copiosissimè atque optimè, peccandi pericula nec deesse in ista vita, nec superesse post istam. Vbi & illud testimonium ponit de libro Sapientiæ, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Quod à me quoq; positum, fratres istos ita respuisse dixistis, tanquam non de libro canonico adhibitum; quasi & excepta huius libri attestatione res ipsa non clara fit, quàm volumus hinc doceri. Quis enim audeat negare Christianus, iustum, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurum? Quilibet hoc dixerit, quis homo sanæ fidei resistendum putabit? Item si dixerit, iustum, si à sua iustitia recesserit in qua diu vixit, & in ea fuerit impietate defunctus, in qua non dico vnum annum, sed vnum diem vixerit, in pœnas iniquis debitas hinc iturum, nihil sibi præterita sua iustitia profutura: huic perspicuæ veritati quis fidelium contradicit? Porrò si quæratur à nobis, vtrum si tunc esset mortuus quando erat iustus, pœnas esset inuenturus an requiem; nunquid requiem respondere dubitabimus? Hæc est tota causa cur dictum est, à quocunque sit dictum, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Dictum est enim secundum pericula vitæ huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit quod futurum erat, non quod futurum non erat; id est, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtrahereturtur incerto; non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. De hac quippe vita legitur in libro Iob, Nunquid non tentatio est vita humana super terram? Sed quare aliis concedatur, vt ex huius vitæ periculis dum iusti sunt auferantur; alij verò iusti donec à iustitia cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur; quis cognouit sensum Domini? Et tamen hinc intelligi datur, etiam illis iustis, qui bonos piosque mores vsque ad senectutis maturitatem, & diem vitæ huius vltimum seruant, non in suis meritis, sed in Domino esse gloriãdum; quoniam qui vitæ breuitate rapuit iustum ne malitia mutaret intellectum eius, ipse in quantacunque vitæ longitudine custodit iustum, ne malitia mutet intellectum eius. Cur autem hic tenuerit casurum iustum, quem priusquam caderet hinc posset auferre, iustissima omnino, sed inscrutabilia sunt iudicia eius. Quæ cùm ita sint, non debuit repudiari sententia libri Sapientiæ; qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiæ Christi, tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis, vsq; ad extremos laicos fideles, pœnitentes, catechumenos, cum veneratione diuinæ authoritatis audiri. Certè enim si de diuinarum scripturarum tractatoribus qui fuerunt ante nos, proferrem defensionem huius sententiæ, quam nunc solito diligentius atque copiosius contra nouum Pelagianorum defendere vrgemur errorem; hoc est, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, & gratis dari cui datur, quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: iusto autem iudicio non dari cui non datur, quia non est iniquitas apud Deum. Si huius ergo sententiæ defensionem ex diuinorum eloquiorum nos præcedentibus catholicis tractatoribus promerem; profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquiescerent: hoc enim significastis literis vestris. Quid igitur opus est, vt eorum scrutemur opuscula, qui priusquàm ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad soluendum quęstione versari; quod proculdubiò facerent, si respondere talibus cogerentur? Vnde factum est, vt de gratia Dei quid sentirent, breuiter quibusdam scriptorum suorum locis & transeunter attingerent; immorarentur verò in eis, quæ aduersus alios inimicos Ecclesiæ disputabant, & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo viuo & vero pro adipiscenda vita æterna & vera felicitate seruitur: frequentationibus autem orationum simpliciter apparebat Dei gratia quid valeret; non enim poscerentur à Deo quæ præcepit fieri, nisi ab illo donaretur vt fierent. Sed qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet vt istum librum Sapientiæ vbi legitur, Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius; omnibus tractatoribus anteponant: quoniam sibi eum antepõsuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere nisi diuinum testimonium crediderũt. Et certè beatissimum Cyprianum disputasse constat, vt celerioris mortis beneficium commendãret, à peccatorum periculis eos eripi, qui hanc vitam finiunt in qua peccari potest. In eodem libro ait inter cætera: *Cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quòd ad Christum vaceris, amplectẽris; & quòd diabolo careas, gratularis?* Et alio loco: *Pueri*, inquit, *periculum lubricæ ætatis euadunt.* Itemque alio loco: *Quid non*, inquit, *properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos*

Sap. 4. Ibid. Ezech.18. Iob 7. secundũ LXX. Sap. 4. Cyprianus lib. De mortalitate.

& copiosa turba desiderat, iam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute solicita. His atque huiusmodi doctor ille sententiis in catholicæ fidei luce clarissima, satis aperteq; testatur, vsque ad huius corporis depositionem peccandi pericula tentationesque metuēdas; deinceps nulla talia quenquam esse passurum. Quod & si non testaretur, quādo de hac re Christianus qualiscunque dubitaret? Quomodo igitur homini lapso, & in eodem lapsu istam vitam miserè finienti, atque ad pœnas eunti talibus debitas; quomodo, inquam, huic non plurimum summeque prodesset, si ex hoc tentationum loco priusquam laberetur, morte raperetur? Ac per hoc si absit nimis inconsiderata contentio, tota quæstio ista finita est de illo, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum eius. Nec ideo liber Sapientiæ, qui tanta numerositate annorum legi meruit in Ecclesia Christi, in quo & hoc legitur, pati debet iniuriam; quoniam resistit eis qui pro meritis hominū falluntur, vt veniant contra Dei manifestissimam gratiam, quæ maximè apparet in paruulis: quorum cùm alij baptizati, alij non baptizati vitæ huius terminum sumunt, satis indicant misericordiam & iudicium; misericordiam quidem gratuitam, iudicium debitum. Si enim iudicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præuenti, sed habituri essent, si viuerent; nihil prodesset ei, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum eius; nihil prodesset eis qui lapsi moriuntur, si antè morerentur: quod nullus dicere Christianus audebit. Quocirca nō debent fratres nostri, qui nobiscum pro catholica fide perniciem Pelagiani erroris impugnant, huic Pelagianę intantum fauere opinioni, qua opinantur *gratiā Dei secundum merita nostra dari:* vt quod illi audere non possunt, sentētiam veram planè, & antiquitùs Christianam, Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, destruere moliantur, & id astruere quod non dico crediturum, sed somniaturum neminem putaremus: secundum ea scilicet iudicari quemquam mortuorum, quæ gesturus fuerat, si tempore prolixiore vixisset. Ita quippe claret inuictum esse, quod dicimus, Gratiam Dei non secūdum merita nostra dari, vt huic veritati contradicētes ingeniosi homines hæc ab omnium auribus & cogitationibus abigenda dicere cogerentur.

CAPVT XV. *Prædestinationis illustrissimū exemplum Christus Iesus.*

EST etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ, ipse saluator, ipse mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: qui hoc vt esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis natura humana quæ in illo est, comparauit? Respondeatur quæso; ille homo, vt à verbo patri coæterno in vnitatem personæ assumptus, filius Dei vnigenitus esset, vnde hoc meruit? Quod eius bonum qualecunque præcessit? Quid egit antè, quid credidit, quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiam peruenire ret? Nónne faciente ac suscipiente verbo, ipse homo, ex quo esse cœpit, filius Dei vnicus esse cœpit? Nónne filium Dei vnicum femina illa gratia plena concepit? Nónne de Spiritu sancto & virgine Maria Dei filius vnicus natus est, nō carnis cupidine, sed singulari Dei munere? Nunquid metuēdum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio? An ideo in illo non libera volūtas erat, ac non tanto magis erat, quāto magis peccato seruire non poterat? Nempe ista omnia singulariter admirāda, & alia si qua eius propria verissimè dici possunt, singulariter in illo accepit humana, hoc est nostra natura, nullis suis præcedentibus meritis. Respondeat hic homo Deo, si audet, & dicat, Cur non & ego? Et si audierit, O homo, tu quis es qui respondeas Deo; nec sic cohibeat, sed augeat impudētiam, & dicat, Quomodo audio, Tu quis es ô homo? cùm sim quod audio, id est homo, quod est & ille de quo ago, cur non sim quod & ille? At enim gratia ille

Nestorius meritum hic statuere conatus post fuit.

Libertas à peccato.

Rom. 9.

A talis ac tantus est. Cur diuersa est gratia, vbi natura cōmunis est? Certè non est acceptio personarum apud Deum. Quis non dico Christianus, sed insanus hæc dicat? Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, vnde secundum vniuscuiusque mensuram se per cuncta eius membra diffundit. Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus: de ipso spiritu & hic renatus, de quo est ille natus; eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est vt nullum haberet ille peccatum. Hæc se Deus esse facturum profectò præsciuit. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum quæ in sancto sanctorum maximè claruit; quam negare quis poteſt rectè intelligentium eloquia veritatis? Nam & ipsum Dominum glorię inquantum homo factus est Dei filius, prædestinatum esse didicimus. Clamat doctor gentium in capite Epistolarum suarum, Paulus seruus Iesu Christi, vocatus B Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundum spiritū sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Prædestinatus est ergo Iesus, vt qui futurus erat secundum carnem filius Dauid, esset tamen in virtute filius Dei secūdum spiritum sanctificationis, quia natus est de Spiritu sancto & virgine Maria. Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis à Deo verbo susceptio singularis, vt filius Dei & filius hominis simul, & filius hominis propter susceptum hominem, & filius Dei propter suscipientem vnigenitum Deum veraciter & propriè diceretur, ne non trinitas, sed quaternitas crederetur. Prædestinata est ista naturæ humanæ tanta & tam celsa & summa subuectio, vt quo attolleretur altius, nō haberet; sicut pro nobis ipsa diuinitas quousq; se deponeret humilius, non habuit, quàm suscepta natura hominis cum infirmitate carnis, vsq; ad mortem C crucis. Sicut ergo prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam; & regnet quæ regnat Dei gratia per Iesum Christum Dominum nostrum, vnicum Dei filium Dominum nostrum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis inuenerit; ipse in nobis membris eius præcedentia merita multiplicatæ regenerationis inquirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, vt alienus ab omni obligatione peccati, de spiritu & virgine nasceretur. Sic & nobis vt ex aqua & spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum; & si nos ad lauacrum regenerationis fides duxit, non ideò putare debemus, priores nos dedisse aliquid, vt retribueretur nobis regeneratio salutaris: ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christū; D ille facit in hominibus principium fidei & perfectionem in Iesum, qui fecit hominem principem fidei & perfectorem Iesum; sic enim est appellatus, vt scitis, in Epistola quæ est ad Hebræos.

Colos. 3.

Dei filius prædestinatus.

Rom. 1.

Christus Schola.

Heb. 12.

VOCAT enim Deus prædestinatos multos filios suos, vt eos faciat membra prædestinati vnici filij sui, non ea vocatione qua vocati sunt qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippe vocatione & Iudæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalum est; & gentes, quibus crucifixus stultitia est: sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens ipsis vocatis Iudæis & Græcis prædicare se Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Sic enim ait, Ipsis autem vocatis: vt illis ostenderet non vocatos; sciens esse quandam certam vocationem eorum qui secundum propositum vocati sunt, quos

CAPVT XVI. *Duplex vocatio.*

Luce 14.

Dominus

1. Cor. 1.

quos præsciuit & prędestinauit conformes imaginis filij sui. Quam vocationem significans, ait, Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori. Nunquid dixit, non ex operibus, sed ex credēte? Prorsus etiam hoc abstulit homini, vt totum daret Deo. Dixit ergo, sed ex vocante; non quacunq; vocatione, sed qua vocatione fit credens. Hanc etiam inſtuebatur, cùm diceret, Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. Nā & ibi quid agebatur paulisper aduertite. Cùm enim dixisset, Nolo enim vos ignorare fratres sacramentum hoc, vt non sitis vobis sapientes; quia cæcitas ex parte in Israël facta est, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret, sicut scriptum est, Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem ab Iacob, & hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata eorū: mox addidit quod diligenter intelligendum est: Secundum Euangelium quidem inimici propter vos; secundum electionem autem dilecti, propter patres. Quid est, secūdum Euangelium quidem inimici propter vos; nisi, quòd eorum inimicitia qua occiderunt Christum, Euangelio, sicut videmus, sine dubitatione profecit? Et hoc ostēdit ex Dei dispositione venisse, qui bene vti nouit etiā malis; non vt ei prosint vasa iræ, sed vt ipso illis bene vtente, prosint vasis misericordiæ. Quid enim apertius dici potuit, quàm id quod dictum est, Secundum Euāgelium inimici propter vos? Est ergo in malorum potestate peccare. Vt autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei diuidentis tenebras & ordinantis eas, vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei. Legimus in actib. Apostolorū, quòd cùm dimissi à Iudæis Apostoli venissent ad suos, & indicassent quanta eis sacerdotes & seniores dixissent; leuauerūt illi vocem vnanimes omnes ad Dominum, & dixerūt; Domine tu es qui fecisti cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt, qui per os patris nostri Dauid, sancti pueri tui, dixisti, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim in veritate in ciuitate ista, aduersus sanctū puerū tuum Iesum quem vnxisti, Herodes & Pilatus & populus Israël, facere quanta manus tua & consiliū prædestinauit fieri. Ecce quod dictū est, secundum Euangelium quidem inimici propter vos. Tanta quippe ab inimicis Iudæis manus Dei & consilium prædestinauit fieri, quanta necessaria fuerunt Euangelio propter vos. Sed quid est quod sequitur, Secūdum electionem autem dilecti propter patres? Nunquid illi inimici qui in suis inimicitiis perierunt, & aduersantes Christo de gente ipsa adhuc pereunt, ipsi sunt electi atque dilecti? Absit. Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed vtrūq; licet sit inter se contrarium, id est, inimici & dilecti, quamuis non in eosdem homines, tamen in eandem gentem conuenit Iudæorum, & ad idem carnale semen Israël, aliis eorum ad claudicationem, aliis ad benedictionem Israël ipsius pertinentibus. Hunc enim sensum apertius superius explicauit, vbi ait, Quod quærebat Israël, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt; in vtrisque tamen idem ipse Israël. Vbi ergo audimus, Israël non est consecutus, vel cæteri excæcati sunt; ibi intelligēdi sunt inimici, propter vos: vbi verò audimus, electio autem consecuta est; ibi intelligendi sunt dilecti propter patres; quibus patribus vtique ista promissa sunt. Abrahæ quippe dictæ sunt promissiones & semini eius. Vnde & in ista oliua oleaster inseritur gentium. Iam porrò electio quam dicit, quia secūdum gratiam, non secundum debitum, debet vtiq; occurrere, quoniam reliquiæ per electionem gratiæ factæ sunt. Hæc

Rom. 9.

Rom. 11.

Esa. 5.

In malorum est potestate peccare: vt autē hoc vel illud malitia faciant, in solius Dei.

Acto. 4.

Psal. 2.

Rom. 11.

Galat. 3.

A electio consecuta est, cæteris excæcatis. Secundum hanc electionem Israëlitæ dilecti propter patres. Non enim vocatione illa vocati sunt, de qua dictum est, Multi vocati; sed illa, qua vocantur electi. Vnde & hic postquam dixit, secundum electionem autem dilecti propter patres; continuò subiecit, vnde agimus, sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei: id est, sine mutatione stabiliter fixa sunt. Ad hanc vocationem qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei, nec potest eorum quisquam dicere, credidi vt sic vocarer: præuenit eum quippe misericordia Dei, quia sic vocatus est vt crederet. Omnes enim docibiles Dei veniūt ad filium, quoniam audierunt & didicerunt à patre per filium, qui euidentissimè dicit, Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me. Istorum autem nemo perit, quia omne quod dedit ei pater, non perdet ex eo quicquam. Quisquis ergo inde est, omnino non B perit; nec erit indè qui perit. Propter quod dictum est, Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.

Matth. 20.

Rom. 11.

Esa. 54.

Ioan. 6.

1. Ioan. 2.

CAPVT XVII.

INTELLIGAMVS ergo vocationem qua fiunt electi, non qui eliguntur quia crediderunt; sed qui eliguntur vt credant. Hanc enim & Dominus ipse satis aperit, vbi dicit; Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Nam si propterea electi erant, quoniam crediderant; ipsi eum prius vtique elegerant credēdo in eum, vt eligi mererentur. Aufert autem hoc omnino, qui dicit, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Et ipsi quidem proculdubiò elegerunt eum, quādo crediderunt in eum. Vnde nō ob aliud dicit, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi; nisi quia non elegerunt eum vt eligeret eos, sed vt eligerent eum elegit eos: quia misericordia eius præuenit eos secūdum gratiam, non secūdum debitum. Elegit ergo eos de mundo cùm hic ageret in carne, sed iam electos in seipso, ante mundi C constitutionem. Hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ. Nam quid est quod ait Apostolus, Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem? Quod profectò si propterea dictum est, quia præsciuit Deus crediturōs, non quia facturus fuerat ipse credētes; contra istam præscientiam loquitur filius, dicens, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi: cùm hoc potius præsciierit Deus quòd ipsi eum fuerant electuri, vt ab illo mererentur eligi. Electi sunt itaque ante mūdi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit; electi sunt autem de mundo ea vocatione, qua Deus id quod prædestinauit, impleuit. Quos enim prædestinauit, ipsos & vocauit; illa scilicet vocatione secundum propositum: non ergo alios, sed quos prędestinauit, ipsos & vocauit: nec alios, sed quos ita vocauit, ipsos & iustificauit; nec alios, sed quos prędestinauit, vocauit, iustificauit, ipsos & glorificauit; ill D lo vtique fine qui non habet finem. Elegit ergo Deus fideles, sed vt sint; non quia iam erant. Apostolus Iacobus dicit, Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? Eligendo ergo facit diuites in fide, sicut hæredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat, eos elegit. Rogo quis audiat Dominum dicentem, Nō vos me elegistis, sed ego vos elegi; & audeat dicere, credere homines vt eligantur, cùm potius eligantur vt credant, ne contra sentētiam veritatis priores inueniantur elegisse Christum, quibus dicit Christus, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos?

Ioan. 15.

Iac. 2.

Diuites in fide quomodo Deus elegerit.

Ioan. 15.

CAPVT XVIII.

QVIS audiat Apostolum dicentem, Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cælestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum

Eph. 1.

Eph. 1.

liorum per Iesum Christum in ipsum; secundum placitum voluntatis suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ abundauit in nos in omni sapientia & prudentia, vt ostenderet nobis mysterium volũtatis suæ, secundum bonam voluntatem suam, quam proposuit in illo, in dispẽsatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo; quæ in cælis sunt & quę in terris in ipsõ; in quo etiam sortem consecuti sumus, prędestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur secundum consilium voluntatis suæ; vt simus in laudem glorię eius. Quis, inquam, hęc audiat diligenter & intelligenter; & audeat de hac, quam defendimus, tam clara veritate dubitare? Elegit Deus in Christo ante constitutionem mundi membra eius; & quomodo eligeret eos qui nondum erant, nisi prædestinando? Elegit ergo prædestinans nos; nunquid eligeret impios & immundos? Nam si quæstio proponatur, vtrum hos eligat, an potius sanctos & immaculatos, quid horum respõdeat qui requiratur, ac non statim ferat pro sanctis immaculatisq; sententiam? *Præsciebat ergo*, ait Pelagianus, *qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium; & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales futuros esse præsciuit, elegit. Elegit ergo*, inquit, *antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosq; præsciuit: vtique ipse non fecit, nec se facturum, sed illos futuros esse præuidit*. Intueamur ergo verba Apostoli, atq; videamus vtrum propterea nos elegerit antẽ mundi constitutionem, quia sancti & immaculati futuri eramus, an vt essemus? Benedictus, inquit, Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui nos benedixit in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo; sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed vt essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est; ideò quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinãs vt tales per gratiam eius essemus: Ita ergo nos benedixit benedictione spiritali in cælestibus in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mũdi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. Deinde quid adiungat, attendite; Secundum placitum, inquit, volũtatis suæ; ne in tanto beneficio gratiæ Dei, placito gloriaremur voluntatis nostræ: In qua gratificauit nos, inquit, in dilecto filio suo; in qua vtique voluntate sua gratificauit nos. Sic dictum est, gratificauit à gratia, sicut iustificauit dicitur à iustitia. In quo habemus, inquit, redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ abundauit in nos in omni sapientia & prudentia, vt ostenderet nobis mysterium voluntatis suæ; secundum bonam voluntatem suam. In hoc mysterio voluntatis suæ posuit diuitias gratiæ suæ, secũdum bonam voluntatem suam, non secundum nostram; quæ bona esse non posset, nisi ipse secundum bonam volũtatem suam vt bona fieret subueniret. Cùm autem dixisset, Secundum bonam volũtatem suam; subiecit, Quam proposuit in illo, id est in dilecto filio suo, in dispensatione plenitudinis temporũ instaurare omnia in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in terris in ipso: in quo etiam & sortem consecuti sumus, prędestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur secũdum consilium volũtatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius. Nimis longum est de singulis disputare. Cernitis autem, procùl dubiò cernitis, quanta manifestatione Apostolici eloquij defendatur hæc gratia, contra quam merita extolluntur humana, tanquam homo aliquid prior det, vt retribuatur ei. Elegit ergo nos Deus in Christo ante mundi constitutionem, prædestinans nos in adoptionem filiorum; non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus, sed elegit prædestinauitq; vt essemus. Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suæ, vt nemo de sua, sed de illius erga se voluntate glorietur: fecit hoc secundum diuitias gratiæ suæ, secundum bonam volũtatem suam, quam proposuit in dilecto filio suo, in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum non nostrũ, sed eius qui vniuersa operatur, vsqueadeò vt ipse in nobis operetur & velle. Operatur autem secũdum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ eius. Hinc est autem quod clamamus, vt nemo glorietur in homine, ac per hoc nec in seipso; sed qui gloriatur, in Dõmino glorietur, vt simus in laudem glorię eius. Ipse quippe operatur secundum propositum suũ, vt simus in laudem glorię eius, vtique sancti & immaculati, propter quod nos vocauit prædestinans ante mundi constitutionem. Ex hoc proposito eius est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperatur in bonum: quia secundum propositum vocati sunt sancti, & sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.

Deiis quos & quomodo eligat, iustos an immiſtos; quos tales per ſeipſos futuros præuidit, an quos vt tales fuceret, prædeſtinauit.

1.Cor.3. 1.Cor.1.

CAPVT XIX.

SED hi nostri, de quibus vel pro quibus nunc agimus, forsitan dicunt, Pelagianos hoc Apostolico testimonio refutari, vbi dicit ideò nos electos in Christo, & prædestinatos ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Ipsi enim putant; acceptis præceptis iam per nosipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos, in conspectu eius in charitate; quod futurum Deus quoniam pręsciuit, inquiunt, ideò nos ante mũdi constitutionem elegit & prædestinauit in Christo: cùm dicat Apostolus, Non quia futuros tales nos esse præsciuit, sed vt essemus tales per ipsam electionem gratię suę, qua gratificauit nos in dilecto filio suo: cùm ergo nos prædestinauit, opus suum præsciuit, quo nos sanctos & immaculatos facit. Vnde rectè hoc testimonio Pelagianus error arguitur. *Nos autem dicimus*, inquiunt, *nostram Deum non præsciſſe niſi fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem; ac prædeſtinaſſe, vt etiam ſancti & immaculati gratia atque opere eius eſſemus.* Sed audiant & ipsi in hoc testimonio, vbi dicit, Sortem cõsecuti sumus, prædestinati secundum propositum, qui vniuersa operatur. Ipse ergo vt credere incipiamus operatur, qui vniuersa operatur: vocationem quippe illam de qua dictum est, Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei; & de qua dictum est, Non ex operibus, sed ex vocante; cùm posset dicere, sed ex credente; & electionem quam significauit Dominus, dicens, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi; nec fides ipsa præcedit. Non enim quia credidimus, sed vt credamus elegit nos, ne priores eum elegisse dicamur, falsumq; sit, quod absit, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Nec quia credidimus, sed vt credamus vocamur; atq; illa vocatione, quæ sine pœnitẽtia est, id prorsus agitur & peragitur, vt credamus. Nec omnia replicanda sunt de hac re tam multa quæ diximus. Deniq; & in huius testimonij cõsequentibus; Deo gratias agit Apostolus pro his qui crediderunt, non vtiq; quia eis annunciatum est Euangelium, sed quoniam crediderunt. Ait enim, In quo & vos audiẽtes verbum veritatis Euangelium salutis vestræ, in quo credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius: propter hoc & ego audita fide vestra in Christo Iesu & in omnes sanctos, non cesso gratias agere pro vobis. Noua erat & recens eorum fides prædicato sibi Euangelio, qua fide audita, gratias Deo pro eis agit Apostolus. Si homini gratias ageret pro eo, quod illum vel putaret non præstitisse vel nosset, adulatio vel irrisio verius

Rom.9. Ioan.15. Ephe.1. Gal.6.

Galat.6. rius quàm gratiarum actio diceretur. Nolite errare, Deus non irridetur: donum enim eius est etiã incipiẽs fides, ne Apostoli falsa vel fallax gratiarum actio meritò iudicetur. Quid illud? Nónne initium fidei apparet Thessalonicensium, de quo tamen idem Apostolus Deo gratias agit, dicens; Propterea & nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cùm percepisſetis à nobis verbum auditus Dei, excepistis non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbũ Dei, quod operatur in vobis, cui credidistis. Quid est quod hinc Deo gratias agit? Nempe vanũ est atque inane, si cui gratias agit de hoc, quod ipse non fecit. Sed quia hoc vanum & inane nõ est, profectò Deus cui de hoc opere gratias agit, ipse fecit: vt cùm percepissent ab Apostolo verbum auditus Dei, exciperent illud non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbũ Dei. Deus igitur operatur in cordibus hominum, vocatione illa secundum propositum suum, de qua multum locuti sumus, vt non inaniter audiant Euangelium, sed eo audito conuertantur & credant, excipientes non vt verbum hominum, sed sicut est verè verbum Dei.

Fidei initiũ Dei donum eſt.

1.Theſ.2. 1.Theſ.1.

CAP. XX.

ILLVD etiam initium fidei hominum donũ Dei esse nos admonet cũ hoc significet Apostolus in Epistola ad Colossenses; Orationi instate, vigilantes in illa in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium verbi sui ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum, vt manifestem illud ita vt oportet me loqui. Quomodo aperitur ostium verbi, nisi cùm sensus aperitur audientis vt credat, & initio fidei facto, ea quæ ad ædificandam salubrem doctrinam prædicãtur & disputantur, admittat; ne per infidelitatẽ corde clauso ea quæ dicũtur, improbet ac repellat? Vnde & ad Corinthios ait; Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten; ostium enim mihi apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi. Quid hic aliud potest intelligi, nisi prædicato ibi per eum primitus Euangelio credidisse multos, & multos eiusdem fidei aduersarios extitisse, secundum illud Domini; Nemo ad me venit, nisi cui datum fuerit à patre meo: Et, Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum? Ostium ergo apertum est in eis quibus datum est; aduersarij autem multi ex eis, quibus non est datum. Itemque ad eosdem in secunda Epistola idem Apostolus; Cùm venissem, inquit, Troadem in Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inueni Titum fratrem meum; sed vale illis faciẽs exij in Macedoniam. Quibus vale fecit, nisi eis qui crediderant, in quorũ scilicet cordibus euangelizanti apertum est ostium? Quid autem adiungat attendite: Deo autẽ, inquit, gratias qui semper triumphare nos facit in Christo, & odorem notitiæ suæ per nos manifestat in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt; quibusdam quidem odor mortis in mortem, quibusdam aũt odor vitæ in vitam. Ecce vnde gratias agit miles acerrimus & defensor inuictissimus gratiæ: ecce vnde gratias agit, quia Christi bonus odor sunt Apostoli Deo, & in his qui salui fiunt gratia eius, & in his qui pereunt iudicio eius. Sed vt minus succenseatur ab hæc parum intelligentibus ipse admonet, cùm adiungit & dicit: Et ad hæc quis idoneus? Verũ redeamus ad ostij apertionem, qua initium fidei audientiũ significauit Apostolus. Quid est enim, Orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostium verbi: nisi apertissima demonstratio, etiam ipsum initium fidei esse donum Dei? Non enim orando peteretur ab eo, nisi ab ipso tribui crederetur. Hoc donum cælestis gratię in illam purpurariam descenderat, cui, sicut Scriptura dicit in Actibus Apostolorum, Deus aperuerat sensum eius, & intendebat in ea quæ à Paulo dicebantur: sic enim vocabatur, vt crederet. Agit quippe Deus quod vult in cordibus hominum, vel adiuuando, vel iudicando, vt etiam per eos impleatur quod manus eius & consilium prædestinauit fieri. Frustra itaque etiam illud, quod Regnorum & Paralipomenon Scriptura teste probauimus, cùm Deus vult fieri quod nõ nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda vt hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo & ineffabili operatur & velle; ad causam de qua disserimus, non pertinere dixerũt. Quid enim est aliud, nihil dicere, & tamen contradicere; nisi fortè cur eis hoc visum sit, rationem vobis aliquam reddiderunt, quam vos in literis vestris tacere maluistis? Sed quæ illa esse possit ignoro. An fortè quia ostendimus hoc Deum egisse in cordibus hominũ, & ad hoc perduxisse quorum ei placuit voluntates, vt rex constitueretur Saul siue Dauid? Ideo hæc exempla causæ huic conuenire non putant, quoniam nõ hoc est temporaliter regnare in hoc seculo, quod est in æternum regnare cum Deo: ac per hoc existimant ad regna terrena facienda Deum inclinare; ad regnum verò cæleste obtinendum Deum non inclinare quorum voluerit voluntates? Sed puto propter regnũ cælorum, non propter regnum terrenum esse dictum: Inclina cor meum in testimonia tua. Vel, A Domino gressus hominis diriguntur, & viã eius volet. Vel, Paratur voluntas à Dño. Vel, Fiat Dñs noster nobiscũ, sicut erat cum patribus nostris; nõ derelinquat nos, nec auertat nos à se; incliner corda nostra ad se, vt eamus in omnibus viis eius. Vel, Dabo eis cor cognoscẽdi me, & aures audientes. Vel, Dabo eis cor aliud, & spiritũ nouũ dabo eis. Audiant etiam illud; Spiritum meum dabo in vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Audiant; A Dño diriguntur gressus viri, mortalis autẽ quomodo intelligit vias suas? Audiant; Omnis vir videtur sibimetipsi iustus, dirigit aũt corda Dñs. Audiant; Crediderunt quotquot erant ordinati in vitam æternã. Audiant hæc & alia quæcunque non dixi, quibus ostẽditur Deus ad regnum etiam cælorum, & ad vitã æternam parare & conuertere hominũ voluntates. Cogitate aũt quale sit, vt credamus ad constituenda regna terrena hominũ volũtates operari Deũ, & ad capessendum regnũ cælorũ homines operari voluntates suas. Multa diximus, & fortasse iã dudũ potuimus persuadere quę volumus, & adhuc tã bonis ingeniis sic loquimur quasi obtusis, quibus & q̃ nimiũ est, non est satis.

Oſtij aperio in euangelio, quid.

1.Corinth.6. Colſ.4. Colſ.4. Actor.16. Ioan.6. Luc.8. 2.Corinth.2. Supra in epiſt. Hi anij 1.Reg.10. 1.Paral.2. Pſalm.118. Iſaiæ.36. Pro 8.ſec.70. 3.Reg.8. Baruch 2. Ezech.11. Ezech.36. Prouerb.20. Prouerb.21. Actor.13.

SED dent veniam, noua enim quæstio ad hoc nos cõpulit: quia cùm in prioribus opusculis nostris satis idoneis testimoniis egissemus donũ Dei esse etiam fidem, inuentum est quod contradiceretur, ad hoc valere illa testimonia, vt ostendant Dei donũ esse incrementum fidei: initiũ verò fidei quo in Christum primitus creditur, ab homine ipso esse, nec esse donum Dei; sed hoc exigere Deum, vt cùm id præcesserit, cætera tanquam hoc merito cõsequantur quæ Dei dona sunt, nec vllũ eorũ dari gratis, cũ in eis Dei gratia, quæ non nisi gratuita est, prædicetur. Quod videtis quã sit absurdum, propter quod institimus quantum potuimus, vt etiam ipsum initiũ fidei donũ Dei esse ostenderemus. Quod si & diutius fecimus, quàm forsitan vellent hi propter quos fecimus: hinc ab eis reprehẽdi parati sumus; dum tamen & si multo diutius quã vellent, & si cum fastidio ac tædio intelligẽtium, mirentur nos fecisse quod fecimus, id est etiam initiũ fidei, sicut continentiam, patiẽtiam, iustitiam, pietatem, & cętera, de quibus cum his nulla contentio est, donum Dei esse docuisse. Hic ergo sit huius voluminis terminus, ne offendat vnius nimia longitudo.

CAP. XXI.

LIBRI PRIMI FINIS.

D. AV-

D. AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI, AD PROSPERVM ET HILARIVM, Liber secundus, qui est de dono perseuerantiæ.

ARGVMENTVM.

Docet perseuerantiam vsque in finem vitæ, Dei esse donum.

CAP. I. IAM de perseuerãtia diligentiùs disputandũ est. Nam & in priore libro cùm ageremus de initio fidei, etiam de hac aliqua diximus. Asserimus ergo donum Dei esse perseuerantiam qua vsque in finem perseueratur in Christo: finẽ autem dico quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque vtrum quisque hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit, incertũ est. Si enim priusquam moriatur cadat, non perseuerasse vtique dicitur, & verissimè dicitur. Quomodo ergo perseuerantiam qui non perseuerauit, accepisse vel habuisse dicendus est? Nam si habeat aliquis continentiam, & ab ea decidat atque incontinens fiat, si iustitiam, similiter si patientiam, si ipsam fidẽ, rectè dicitur habuisse & non habere. Continens enim fuit vel iustus fuit, vel patiẽs vel fidelis fuit, quamdiu fuit: cùm verò esse desistit, non est quod fuit: qui verò non perseuerauerit, quomodo perseuerans fuit; cũ perseuerando quisque ostendat se perseuerantem, quod iste non fecit? Sed ne quisquam reluctetur & dicat, si ex quo fidelis quisque factus est, vixit, verbi gratia, decem annos, & eorum medio tempore à fide lapsus est, nónne quinque annos perseuerauit? Non contẽdo de verbis, si & illa perseuerantia putatur esse dicenda tãquam temporis sui; hanc certè de qua nunc agimus perseuerantiam qua in Christo perseuerat vsque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseuerauerit vsque in finem: potiusque hanc habuit vnius anni fidelis, & quantum infra cogitari potest, si donec moreretur fideliter vixit; quam multorum annorum, si exiguum tẽporis ante mortẽ à fidei stabilitate defecit.

De qua hic perseuerãtia disputatur.

CAP. II. Quo constituto videamus vtrum hęc perseuerantia, de qua dictum est; Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit; donum sit Dei. Quòd si non sit, quomodo verum est quod Apostolus ait; Vobis donatum est pro Christo, nõ solum vt credatis in eum, verumetiam, vt patiamini pro eo? Horum quippe vnum pertinet ad initium, alterũ ad finem: vtrunque tamen est Dei donum, quia vtrunque dictum est esse donatum, sicut & superius iam diximus. Quod enim est initium verius Christiano, quàm credere in Christũ? Quis finis melior est quàm pati pro Christo? Sed quod ad id pertinet vt credatur in Christum, qualiscunque inuenta est contradictio, vt donum Dei non initium, sed augmentum fidei diceretur; cui opinioni donante Domino satis superque respondimus. Quid autem dici potest, cur perseuerantia vsque in finem nõ donetur in Christo, cui donatur pati pro Christo, aut, vt expressius loquar, cui donatur mori pro Christo? Nam & Petrus Apostolus donũ Dei hoc esse demonstrans; Melius est, inquit, benefacientes, si velit voluntas Dei, pati, quàm malefacientes. Cùm dicit, si velit voluntas Dei, ostendit hoc diuinitus donari, nec omnibus sanctis, vt pro Christo patiãtur: neque enim quos non vult Deus peruenire ad experientiam gloriamque passionis, non peruenient ad regnum Dei, si perseuerauerint in Christo vsque in finem. Sed quis dicat istis non donari perseuerantiam, qui ægritudine corporis, vel quocunque casu moriuntur in Christo; cùm longè difficilior donetur illis à quibus suscipitur

Philip. 2.

Fides initii est hominis Christiani, martyrii pro Christo finis ipsius.

1. Pet. 3.

A & mors ipsa pro Christo? Multo quippe difficilius perseueratur, vbi hoc agit qui persequitur ne perseueretur, & propterea vsque ad mortẽ sustinetur, vt perseueretur. Illã proinde difficilius perseuerantiã, istam facilius est habere; sed cui nihil difficile est, facile est vtrãque donare. Hanc enim promisit Deus, dicens: Timorem meum dabo in cor eorũ, vt à me non recedant. Quod quid est aliud, quàm talis ac tantus erit timor meus quem dabo in cor eorum, vt mihi perseuerantes adhęreant? Cur autem perseuerantia ista poscitur à Deo, si nõ datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cùm id ab eo petitur quod scitur ipsum non dare; sed ipso non donante ęsse in hominis potestate: sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod nõ donauit ipse, nec fecit? Sed quod ibi dixi, hoc & hic dico. Nolite errare, inquit Apostolus, Deus nõ irridetur. O homo non verborum tuorum tantum, verumetiam cogitationum

Hiere. 32.

Lib. superius cap. 19. Galat. 6.

B testis est Deus; si aliquid à tanto diuite veraciter ac fideliter poscis, ab illo à quo poscis, te accipere crede quod poscis. Noli cum fabiis honorare, & super eum corde te extollere, credens à teipso tibi esse, quod ab illo te fingis orare. An ab illo perseuerantia ista fortè non poscitur? Iam hoc qui dicit, non meis disputationibus refellendus, sed sanctorum orationibus reuocandus est. An verò quisquam eorum est, qui non sibi poscat à Deo vt perseueret in eo, cum ipsa oratione quæ Dominica nuncupatur, quia eandem Dominus docuit, quando oratur à sanctis, nihil penè aliud quàm perseuerantia posci intelligatur? Legite aliquanto intentius eius expositionem in beati Cypriani martyris libro, quem de hac re condidit, cuius est titulus De Dominica oratione; & videte ante quot annos contra ea quæ futura erant Pelagianorum venena, quale sit antidotum præparatũ. Nam tria sunt, vt scitis, quæ maximè aduersus eos catholica defen-

Perseuerantiam tota pene oratione Dominica petimus.

Pelagiana deliria tria præcipuum capita.

C dit Ecclesia. Quorum est vnum, gratiam Dei non secundũ merita nostra dari; quoniam Dei dona sunt, & Dei gratia etiam conferuntur merita vniuersa iustorum. Alterum est; in quantacunque iustitia sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem viuere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum; nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione soluatur. Horũ trium hoc, quod loco vltimo posui, solum non tractatur in supradicto gloriosi martyris libro. De duobus verò cæteris tanta illic perspicuitate disseritur, vt supradicti hæretici nouiinimici gratiæ Christi longè antè reperiantur conuicti esse quàm nati. In his ergo meritis sanctorum, quæ nulla nisi Dei dona sunt, etiam perseuerantiam donum Dei esse sic loquitur. *Dicimus*, inquit; *Sanctificetur nomen tuum; non quod optemus Deo vt sanctificetur orationibus nostris, sed quòd petamus ab eo, vt nomen*

Cypria. ser. de 1. Dominica. Matth. 6.

D *eius sanctificetur in nobis. Cæterum à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit; sancti estote, quoniam & ego sanctus sum: id petimus & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus, perseueremus.* Et paulo pòst de hac ipsa re adhuc disputans, & docens nos perseuerãtiam petere à Domino; quod nullo modo rectè & veraciter faceret, nisi eius donum etiam hoc esset: *Hæc*, inquit, *sanctificatio, vt in nobis permaneat oramus, & quia Dominus & iudex noster, sanato à se & viuificato comminatur non delinquere, ne quid ei deterius fiat: hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus & noctibus postulamus, vt sanctificatio & viuificatio quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione seruetur.* In sanctificatione igitur perseuerantiam, hoc est, vt in sanctificatione perseueremus, nos ab eo petere iste doctor intelligit, cùm sanctificati dicimus, Sanctificetur nomen tuum. Quid

Leuit. 19.

est

Quomodo petamus quæ accepimus.

est enim aliud petere quod accepimus, nisi vt id quoq; nobis præstet, ne habere desinamus? Sicut ergo sanctus, cùm Deum rogat vt sanctus sit, id vtique rogat vt sanctus esse permaneat; ita vtique & castus, cùm rogat vt castus sit; continens, vt continens sit; iustus, vt iustus sit; pius, vt pius sit; & cætera, quæ contra Pelagianos dona Dei esse defendimus, hoc sine dubio petunt vt in eis perseuerent bonis, quæ se accepisse nouerunt. Quod si accipiunt, profectò & ipsam perseuerantiam magnum Dei donum quo cætera dona eius conseruantur, accipiunt. Quid cùm dicimus; Veniat regnum tuum: num aliud poscimus, nisi vt veniat & nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis? Ergo & hic qui iam sancti sunt, quid orant, nisi vt in ea sanctitate quæ illis data est, perseuerent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non aliis, sed his qui perseuerant vsque in finem, certum est esse venturum.

CAPVT III. *Matth. 6.*

TERTIA petitio est, Fiat voluntas tua in cælo & in terra: vel; quod in plerisq; codicibus legitur, magisq; ab orantibus frequentatur, sicut in cælo & in terra. Quod plerique intelligunt, sicut sancti angeli faciũt, & nos faciamus voluntatem tuam. Vult autem ille doctor & martyr, cælum & terram intelligi spiritum & carnem, & hoc nos orare, vt voluntatem Dei re vtraque concordãte faciamus. Vidit in his verbis & alterum sensum sanissimæ fidei congruentem, de quo iam suprà locuti sumus: vt scilicet pro infidelibus qui sunt adhuc terra, terrenum tantum hominem prima natiuitate portantes, orare intelligantur fideles, qui cælesti homine induti, non immeritò cęli nomine nũcupantur. Vbi euidenter ostendit, & initium fidei esse donum Dei, quando non tantùm pro fidelibus vt augeatur in eis vel perseueret fides, verumetiam pro infidelibus vt habere incipiant eam quam penitùs non habebant, & contra quam corda insuper inimica gestabant, sancta orat Ecclesia. Verùm nunc non de initio fidei, de quo in superiori libro multa iam diximus: sed de illa quæ habenda est vsque in finem perseuerãtia disputamus, quam petunt vtique etiam sancti qui faciunt voluntatem Dei, dicẽtes in oratione, Fiat voluntas tua. Cùm enim iam facta sit in eis, cur vt fiat adhuc petunt, nisi vt perseuerent in eo, quod esse cœperunt? Quamuis hic dici possit, non petere sanctos, vt voluntas Dei fiat in cælo; sed vt fiat in terra sicut in cælo: vt terra scilicet imitetur cælum, id est, vt homo angelum, vel infidelis fidelem: ac per hoc id sanctos poscere, vt fit quod nondũ est, non vt perseueret quod est. Quantalibet enim homines sanctitate prępolleãt, nondum sunt æquales angelis Dei; nõdum ergo sicut in cælo, in eis fit voluntas Dei. Quod si ita est, in ea quidem parte qua optamus, vt homines ex infidelibus fiant fideles, non perseuerantia, sed initium videtur optari: in ea verò qua optamus, vt homines in facienda voluntate Dei ęquentur angelis Dei, cùm hoc orãt sancti, perseuerantiam demonstrantur orare; quoniam nemo peruenit ad illam summam, quæ in regno est, beatitudinem, nisi in ea sanctitate quam sumpsit in terra, perseuerauerit vsque in finem.

Cælũ & terra quomodo in oratione Dominica accipiantur.

CAPVT IIII.

QVARTA petitio est, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Vbi beatus Cyprianus ostendit quomodo & hic intelligatur perseuerantia postulari: ait quippè inter cætera; *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti, & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.* Hæc verba sancti hominis Dei, perseuerantiam prorsus à Domino sanctos indicant poscere, quando hac intentione dicunt, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: ne à Christi corpore separentur; sed in

A ea sanctitate permaneant, qua nullum quo inde separari mereantur, crimen admittant.

CAP. V. *Matth. 6.*

QVINTO orationis loco dicimus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; in qua sola petitione non inuenitur posci perseuerantia. Præterita enim sunt peccata quæ nobis vt dimittantur oramus; perseuerantia verò, quæ in æternum saluos facit, tempori quidem huius vitæ, non tamen peracto, sed ei quod vsque ad eius finem restat, est necessaria. Operæpretium est tamen paulisper intueri, quomodo & in hac petitione iam tunc lingua Cypriani, tanquam telo inuictissimæ veritatis longè postea futuri confodiebantur hæretici. Etiam hoc Pelagiani audent dicere, hominem iustum in hac vita nullum habere omnino peccatum, & in talibus hominibus esse iam in præsenti tempore Ecclesiam non habentem maculam neque rugam aut aliquid eiusmodi, quæ vna & sola sponsa sit Christi: tanquam

Solos iustos omni peccato carentes Pelagius ad Ecclesiam volunt pertinere. Ephes. 5.

B sponsa eius non sit, quæ per vniuersam terram quod ab eo didicit, dicit, Dimitte nobis debita nostra. Sed attendite quomodo istos gloriosissimus Cyprianus interimat. Cùm enim locum ipsum Dominicæ orationis exponeret, ait inter cætera: *Quàm necessariè autem, quàm prouidenter & salubriter admonemur quòd peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur; vt dum indulgentia de Deo petitur, conscientiæ suæ animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur se peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare. Sic denique & Ioannes in Epistola sua ponens dixit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est:* & cætera quæ hic inserere longum est. Iam verò cùm dicunt sancti, Ne nos inferas in tentationem; sed libera nos à malo; quid aliud quàm vt in sanctitate perseuerent, precantur? Nam profectò concesso sibi isto Dei dono, (quod esse Dei donum, cùm ab illo poscitur, satis aperteque monstratur:) isto igitur concesso

1. Ioan. 1.

C sibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo sanctorum est, qui non teneat vsque in finem perseuerantiam sanctitatis: neque enim quisquam in proposito Christianitatis perseuerare desistit, nisi in tentationem primitùs inferatur. Si ergo concedatur ei quod orat, vt non inferatur in tentationem, in sanctificatione vtique, quam Deo donante percepit, Deo donante persistit.

SED *nolunt*; vt scribitis, *isti fratres ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit*; vbi quid dicant parum diligenter attendunt. De illa enim perseuerantia loquimur qua perseueratur vsque in finem; quæ si data est, perseueratum est vsque in finem; si autem non est perseueratum vsque in finem, non est data, quod iam & superius satis egimus. Non itaque dicant homines perseuerantiam cuiquam datam vsque in finem, nisi cùm ipse venerit finis, & perseuerasse cui data est, repertus fuerit vsque in finem. Dicimus quippè castum quem nouimus castum, siue sit, siue non sit in eadem castitate mansurus; & si quid aliud diuini muneris habeat, quod teneri & amitti potest, dicimus eum habere quamdiucunque habet; & si amiserit, dicimus habuisse. Perseuerantiam verò vsque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi qui perseuerauerit vsque in finem; multi eam possunt habere, nullus amittere. Neque enim metuendũm est, ne fortè cùm perseuerauerit homo vsque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseueret vsque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest; sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest. Cùm enim perseuerauerit quisq; vsq; in finem, neq; hoc donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finẽ. Quomodò enim potest amitti, per quod fit

CAP. VI. *Sup. in epist. II. cap.*

Cap. I.

Quoddã perseuerãtiæ meritum.

vt non

vt non amittatur etiã quod posset amitti? Sed ne fortè dicatur, vsque in finem perseuerantiam non amitti quidem, cùm data fuerit, id est, cùm perseuerati fuerit vsque in finem; sed tunc amitti quodammodo, quando agit homo per contumaciam, vt ad eam peruenire non possit: sicut dicimus hominem qui non perseuerauerit vsque in finem, amisisse vitã æternam, vel regnum Dei; non quod iam acceperat & habebat, sed quod acciperet & haberet, si perseuerasset: verborum controuersias auferamus; & nonnulla etiam quæ non habentur, sed haberi sperantur, posse dicamus amitti. Dicat mihi quisquis audet, vtrum Deus dare non possit quod à se posci imperauit? Hoc certè qui sapit, non dico desipit, sed insanit. Imperauit autem Deus, vt ei sancti eius dicant orantes; Ne inferas nos in tentationem. Quisquis igitur exauditur hoc poscens, non infertur in contumaciæ tentationem, qua possit vel dignus sit perseuerantiam sanctitatis amittere. At enim, voluntate sua quisque deserit Deum, vt merito deseratur à Deo. Quis hoc negauerit? Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, vt hoc non fiat. Et si exaudimur, vtique non fit, quia Deus non permittit vt fiat. Nihil enim fit nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit. Potens ergo est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas conuertere, ac dirigere in sibi placitum gressum. Cui non frustra dicitur; Deus tu conuertens viuificabis nos. Nõ frustra dicitur; Ne des ad mouendum pedem meum. Nõ frustra dicitur; Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori. Postremò ne multa commemorem, cùm vobis plura fortasse occurrãt, nõ frustra dicitur, Ne nos inferas in tentationẽ. Nam quisquis in tentationem non infertur, profectò nec in tentationem suæ malæ voluntatis infertur. Et qui in tentationem suæ malæ voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur. Vnusquisque enim tentatur, vt scriptum est, à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deus autem neminem tentat, tentatione scilicet noxia. Nam est & vtilis, qua non decipimur vel opprimimur, sed probamur, secundum quod dictum est, Proba me Domine & tenta me. Illa ergo noxia tentatione, quam significat Apostolus, dicens; Ne fortè tentauerit vos is qui tentat, & inanis sit labor noster, Deus, vt dixi, neminem tentat, hoc est, neminem infert vel inducit in tentationẽ. Nam tentari & in tentationem non inferri non est malum, imò etiam bonum est; hoc est enim probari. Quod itaque dicimus Deo, Ne nos inferas in tentationẽ; quid dicimus, nisi, ne nos inferri sinas? Vnde sic orant nonnulli, & legitur in codicibus pluribus, & hoc sic posuit beatus Cyprianus; Ne patiaris nos induci in tentationem. In Euangelio tamen Græco nusquam inueni, nisi, Ne nos inferas in tentationem. Tutiores igitur viuimus, si totum Deo damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus, quod vidit iste venerabilis martyr. Nam cùm eundem locum orationis exponeret, ait post cætera: *Quando autem rogamus, ne in tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ; dum sic rogamus, ne quis se insolenter extollat; ne quis sibi superbè arrogantérq; aliquid assumat, ne quis aut confessionis aut passionis gloriam suam ducat; cùm Dominus ipse humilitatem docens, dixerit; Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: vt dum præcedit humilis & submissa confessio, & datur totum Deo quicquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.*

Matth. 6.

Occupatio. Voluntate sua quisque deserit Deum, vt meritò deseratur.

Psal. 84. Psal. 65. Psal. 139.

Matth. 26.

Iaco. 1. Tentatio duplex.

Psal. 25.

1. Thes. 3.

CAPVT VII.

SI ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret; quia nihil nobis reliquit, in quo tanquã in nostro gloriemur. Siquidem & vt non discedamus à Deo, non ostendit dandũ esse nisi à Deo, cũ poscendum ostendit à Deo. Qui enim non infertur in tentationẽ, non discedit à Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nũc sunt; fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in angelis, qui diabolo cum suis cadente in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, peruenire meruerunt. Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, vt homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, vt homo non recedat ab eo. Hanc gratiam potuit in illo quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui vniuersa operatur; ac per hoc sicut operatur vt accedamus, sic operatur, ne discedamus. Propter quod ei per Prophetam dictum est, Fiat manus tua super virum dextræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi, & non discedimus à te. Iste certè non est Adam primus, in quo discessimus ab eo; sed Adam nouissimus, super quem fit manus eius, vt non discedamus ab eo. Christus enim totus cum membris suis est propter Ecclesiam, quæ est corpus eius, plenitudo eius. Cùm ergo fit super eum manus Dei, vt nõ discedamus à Deo, ad nos vtique peruenit opus Dei. Hoc est enim manus Dei, quoniã opere Dei fit vt simus in Christo permanentes cum Deo; non sicut in Adam discedentes à Deo. In Christo enim sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui vniuersa operatur. Manus igitur Dei est ista, non nostra, vt non discedamus à Deo. Manus, inquam, eius est ista, qui dixit, Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedãt. Propter quod & posci à se voluit, ne inferamur in tentationem; quia si non inferamur, nulla ab eo ratione discedimus. Quod poterat nobis etiam non orantibus dari, sed oratione nostra nos voluit admoneri, à quo accipiamus hæc beneficia. A quo enim, nisi ab illo accipimus, à quo iussum est vt petamus? Prorsus in hac re non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat, vt increduli credant; Deus ergo conuertit eos ad fidem. Orat, vt credentes perseuerent; Deus ergo donat perseuerantiã vsque in finem: hæc Deus facturum se esse præsciuit. Ipsa est prædestinatio sanctorum, quos elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essent sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum placitum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit eos in dilecto filio suo, in quo habent redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum secũdum diuitias gratiæ eius, quæ abũdauit in eos in omni sapientia & prudentia, vt ostẽderet eis mysterium voluntatis suæ secundum bonã voluntatem suam, quam proposuit in illo, In dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo quæ in cælis sunt, & quæ in terris in ipso, in quo etiam & sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum eius qui vniuersa operatur. Contra istam veritatis tam claram tubam, quis homo sobriæ vigilantisque fidei voces vllas admittat humanas?

In conditi hominis viribus erat, non discedere à Deo.

Ad solam nũc Dei gratiam pertinet vt ad Deum accedamus, et ab eo non recedamus.

Psal. 79.

Peti à se cur Deus voluerit, quæ posset etiam non orantibus dare.

Ier. 32.

CAPVT VIII.

SED *cur*, inquit, *gratia Dei non secundum merita hominum datur?* Respondeo, quoniam Deus misericors est. *Cur ergo*, inquit, *non omnibus?* Et hic respondeo: Quoniam Deus iudex iustus est: ac per hoc & gratis ab eo datur gratia: & iusto eius in aliis iudicio demonstratur, quid eis quibus datur, conferat gratia. Non itaque simus ingrati, quòd secundum placitum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ tam multos liberat misericors Deus de tam debita perditione; vt si

vt si inde neminem liberaret, non esset iniustus. Ex vno quippè omnes in condemnationem nõ iniustam iudicati sunt ire, sed iustam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debito bonitas, in exigẽdo æquitas intelligitur, nusquam esse apud Deum iniquitas inuenitur. *Sed cur*, inquit, *non solum in paruulorum, verumetiam in geminorum vna atque eadẽ causa, tam diuersum iudicium?* Nónne similis quæstio est, cur in diuersa causa idem iudicium? Recolamus igitur illos operarios, in vinea qui tota die laborauerunt, & eos qui hora vna, nempe causa diuersa est impensi laboris; & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Num quid & hic audierunt murmurantes à patrefamiliãs, nisi hoc volo? Ita quippè eius erga alios fuit largitas, vt erga alios nulla esset iniquitas. Et isti quidem vtrique in bonis sunt; verumtamen quantum ad iustitiam spectat, & gratiam, potest & de reo qui liberatur rectè dici, Volo; potest & de eo qui damnatur; Tolle quod tuũ est & vade; huic autem volo quod non debetur donare. An non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Hic ille si dicat, Cur non & mihi? meritò audiet; O homo tu quis es qui respondeas Deo? Quem certè in vno vestrum benignissimum largitorem, in te verò exactorem iustissimum, in nullo tamen cernis iniustum. Cùm enim iustus esset, etiam si vtrunque puniret: qui liberatur, habet vnde gratias agat; qui damnatur, non habet quod reprehendat. *Sed si iam*, inquit, *hoc oportebat, vt damnatis non omnibus, quid omnibus deberetur ostenderet, atque ita gratius suam gratiam vasis misericordiæ commendaret; cur in eadem causa me potius quàm illum puniet, aut illum quàm me potius liberabit?* Hoc non dico, si quæris quare; quia fateor me non inuenire quid dicam. Si & hoc quæris quare, quia in hac re sicut iusta est ira eius: sicut magna est misericordia eius; ita inscrutabilia iudicia eius. Adhuc pergat & dicat, *cur quibusdam qui eum coluerunt bona fide, perseuerare vsque in finem non dedit?* Cur putas, nisi quia non mentitur qui dicit; Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mãsissent vtique nobiscum? *Nunquid ergo hominum naturæ duæ sunt?* Absit. Si duæ naturæ essent, gratia vlla non esset; nulli enim daretur gratuita liberatio, si naturæ debita redderetur. Hominibus autem videtur, omnes qui boni apparent fideles, perseuerantiam vsque in finem accipere debuisse. Deus autẽ melius esse iudicauit, miscere quosdam non perseuerauturos certo numero sanctorũ suorum; vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione securitas, non possint esse securi: multos enim à perniciosa elatione reprimit quod ait Apostolus; Quapropter qui videtur stare, videat ne cadat. Voluntate autem sua cadit, qui cadit; & voluntate Dei stat, qui stat. Potens est enim Deus statuere illum: non ergo ipse seipsum, sed Deus. Veruntamen bonum est non altum sapere, sed timere. In cogitatione autem sua vel cadit quisque vel stat. Sicut autem Apostolus ait, quod & in libro superiori memorui; Non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Quem secutus beatus Ambrosius audet & dicit: *Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & nostræ cogitationes*: quod omnis qui humiliter & veraciter pius est, esse verissimum sentit. Hoc autem Ambrosius vt diceret in eo libro loquebatur quem De fuga seculi scripsit, docens, hoc seculum non corpore, sed corde esse fugiendum; quod nisi auxilio Dei fieri non posse disseruit. Ait enim: *Frequens nobis de fugiendo seculo istò est sermo, atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus & solicitus affectus: sed, quod petius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat; vt quod studeas euitare, hoc cogites animoq; voluas. Quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti magis eam esse rem quàm effectus, testatur Propheta dicendo; Declina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam: non enim in potestate nostra est cor nostrum & cogitationes nostræ, quæ improuiso offusæ mentem animumque confundunt, atque aliò trahunt quàm tu proposueris; ad secularia reuocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsoq; in tempore quo eleuare mentem paramus, inserti inanibus cogitationibus, ad terrena plerunque deijcimur.* Non itaque in hominum, sed in Dei est potestate, vt habeant homines potestatem filij Dei fieri. Ab ipso quippè accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quæ operetur per dilectionem; ad quod bonum sumendum & tenendum, & in eo perseuerãter vsque in finem proficiendum, non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; in cuius est potestate cor nostrum, & cogitationes nostræ.

Matth. 20.

Perseuaturis cur interdum non perseuaturos Deus admiscear.

1 Cor. 1 6.

Rom. 11.

2 Cor. 3.

Ambrosius de fuga seculi, cap. 1.

Psal. 118.

Ioan. 1.

Gal. 5.

2 Cor. 3.

CAPVT IX. Inscrutabilia Dei iudicium exempla.

EX duobus itaque paruulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate iam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur; aut nõ ita vocetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur; inscrutabiliora sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illũ non esse. Nam si fuissent ex nobis, ait vnus prædestinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc secretum, mansissent vtique nobiscum. Quid est quæso, non erant ex nobis; nam si fuissent, mansissent vtique nobiscum? Nónne vtrique à Deo creati, vtrique ex Adam nati, vtrique de terra facti erant, & ab eo qui dixit, Omnem flatum ego feci; vnius eiusdémque naturæ animas acceperant? Nónne postremò vtrique vocati fuerant, & vocantem secuti, vtrique ex impiis iustificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati? Sed si hæc audiret ille qui sciebat proculdubio quod dicebat, respondere posset & dicere; Vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant; veruntamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Quænam est tandem ista discretio? Patent libri Dei, non auertamus aspectum. Clamat scriptura diuina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati; non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consecuti, non erant prædestinati secundum propositum eius, qui vniuersa operatur. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent. Vt enim non dicam, quàm sit possibile Deo, auersas & aduersas in fidem suam hominum conuertere voluntates, & in eorum cordibus operari, vt nullis aduersitatibus cedant, nec ab ipso aliqua superati tentatione discedant; cùm possit & quod ait Apostolus facere, vt non eos permittat tentari super id quod possunt. Vt ergo id non dicam, certè poterat illos Deus præsciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita. An eò redituri sumus, vt adhuc disputemus, quanta absurditate dicatur, iudicari homines mortuos etiam de his peccatis, quæ præsciuit eos Deus perpetraturos fuisse, si viuerent? Quod ita abhorret à sensibus Christianis, aut prorsus humanis, vt id etiam refellere pudeat. Cur enim non dicatur & ipsum Euangelium cum tanto labore, passionibúsque sanctorum frustra esse prædicatum, vel adhuc etiam prædicari; si iudicati poterant homines, etiam non audito Euangelio secundum

1 Iohn. 2.

Isa. 57.

1 Cor. 1 8.

cundum contumaciam vel obedientiam, quã præsciuit Deus eos habituros fuisse, si audissent? Nec damnarentur Tyrus & Sidon, quamuis remissiùs, quã illæ ciuitates, in quibus non credentibus, à Dño Christo mirabilia signa sunt facta; quoniam si apud illas facta essent, in cinere & cilicio pœnitentiam egissent; sicut se habent eloquia veritatis, in quibus verbis suis Dominus Iesus altius nobis mysterium prædestinationis ostendit. Si enim quæratur à nobis, cur apud eos tanta miracula facta sint qui videntes ea non fuerant crediturí, & apud eos facta non sint, qui crederent si viderent; quid respondebimus? Nunquid dicturi sumus, quod in libro illo dixi, vbi sex quibusdã quæstionibus Paganorũ, sine præiudicio tamen aliarum causarum, quas prudẽtes possunt inuestigare, respõdi. Hoc quippè vt scitis, cùm Christus quare post tam longa tempora venerit, quæreretur: dixi *quod in his temporibus & his locis quibus Euangelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt*. Itẽ paulo pòst in eodem libro, atque in eadem quæstione: *Quid mirum, inquam, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis nouerat, vt eis prædicari merito nollet, quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat?* Hæc certè de Tyro & Sidone nõ possumus dicere, & in eis cognoscimus ad eas causas prædestinationis hæc diuina iudicia pertinere, sine quarum causarum latentium præiudicio, tunc ista respondere me dixi. Facile est quippè vt infidelitatem accusemus Iudæorum de libera voluntate venientem, qui factis apud se tam magnis virtutibus credere noluerunt.

Luce 10.

Cur Tyriis & Sidoniis credituris non sint facta miracula, quæ aliis facta fuere nõ crediturís. Epist. 49. quæst. 2.

Luce 10. Quod & Dominus increpans arguit & dicit; Væ tibi Corozaim & Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent. Sed nunquid possumus dicere, etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent; cùm eis ipse Dominus attestetur quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutũ. Et tamen in die iudicij punientur, quamuis minori supplicio quàm illæ ciuitates, quæ apud se virtutibus factis credere noluerunt. Secutus enim Dominus ait: Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis. Seuerius ergo punientur isti, illi remissius, sed tamen punientur. Porrò si etiam secundum facta quæ facturi essent si viuerent, mortui iudicantur; profectò quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis fuisset Euangelium prædicatum, non sunt vtique puniendi; punientur autem. falsum est igitur & secundum ea mortuos iudicari, quæ facturi essent si ad eos viuentes Euangelium peruenirет. Et si hoc falsum est, non est cur dicatur de infantibus qui pereunt sine baptismate morientes, hoc in eis eo merito fieri, quia præsciuit eos Deus si viuerẽt, prædicatũm que illis fuisset Euangelium, infideliter audituros. Restat igitur vt solo peccato originali teneantur obstricti, & propter hoc solum eant in damnationem: quoniam videmus aliis eandem habentibus causam, non nisi per Dei gratuitam gratiam regenerationem donari; & eius occulto iusto tamen iudicio, quoniam non est iniquitas apud Deum, quosdam etiam post baptismum pessimè viuendo perituros, in hac tamen vita quousque pereant detineri; qui non perirent, si eis corporis mors lapsum eorum præueniens subueniret, quoniam nullus mortuus iudicatur ex bonis seu malis, quæ fuerat si non moreretur acturus: alioquin Tyrij & Sidonij, non secundum ea quæ gesserunt pœnas luerent; sed potius secundum ea quæ gesturi fuerant, si in eis illæ virtutes Euangelicæ factæ fuissent, per grandem pœnitẽtiam, & per Christi fidem consequerentur salutem.

Rom. 9.

QVIDAM disputator catholicus non ignobilis hunc Euangelij locum sic exposuit, vt diceret, præsciisse Dominum Tyrios & Sidonios à fide fuisse postea recessuros, cùm factis apud se miraculis credidissent, & misericordia potius non eum illic ista fecisse; quoniam grauiori pœnæ obnoxij fierent, si fidẽ quam tenuerant, reliquissent, quam si eam nullo tempore tenuissent. In qua sententia docti hominis & admodum acuti, quæ sint adhuc merito requirenda, quid me nunc attinet dicere, cùm & ipsa nobis ad id quod agimus suffragetur? Si enim miseratione Dominus nõ fecit in istis virtutes, per quas fieri possent fideles, ne grauius punirentur cùm postea fierent infideles, quod eos futuros fuisse præsciuit; satis aperteque demonstratur de his peccatis neminẽ iudicari mortuorum, quæ præsciuit fuisse facturum, si aliquo modo ei ne illa faciat subuenitur: sicut Tyriis & Sidoniis, si sententia illa vera est, subuenisse dicitur Christus, quos maluit non accedere ad fidem, quàm scelere multo grauiore discedere à fide, quod eos si accessissent, præuiderat fuisse facturos. Quamuis si dicatur, cur non factum est vt crederent potius, & hoc eis præstaretur, vt antequam fidem relinquerẽt, ex hac vita migrarent; quid responderi possit, ignoro. Qui enim dicit, relicturis fidem beneficium fuisse concessum, ne habere inciperent quod grauiore impietate desererent, satis indicat non iudicari hominem ex eo quod prænoscitur, malè fuisse facturus, si ei quocunque beneficio vt id non faciat, consulatur. Consultum est igitur & illi, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectũ eius. Sed cur non ita consultum fuerit Tyriis ac Sidoniis vt crederent & raperentur, ne malitia mutaret intellectum eorum; forsitan responderet ille, cui placuit isto modo hanc soluere quæstionem. Ego verò quantum ad hoc quod ago attinet, sufficere video, vt secundum istam quoque sententiam, demonstrentur homines non iudicari de his quæ non fecerunt, etiam si facturi fuisse præuisi sunt. Quanquam, vt dixi, hanc opinionẽ, qua putantur in morientibus vel mortuis vindicari peccata, quæ præsciti sunt facturi esse si viuerent, etiam refellere pudeat, ne videamur & nos existimasse alicuius esse momenti, quam maluimus disputatione cohibere, quàm silentio præterire.

Cap. x.

Sap. 4.

PROINDE sicut Apostolus ait; Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei; qui & paruulis quib. vult, etiam non volentibus neque currentibus subuenit, quos ante constitutionem mundi elegit in Christo, daturus etiã eis gratiam gratis, hoc est nullis eorum vel fidei vel operũ meritis præcedentibus; & maioribus etiã his quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis crediturís, quibus non vult subuenire, non subuenit, de quib. in sua prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicauit: non enim est iniquitas apud Deum, sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius; vniuersæ autẽ viæ Domini misericordia & veritas. Inuestigabilis ergo est misericordia, quã cuius vult miseretur, nullis eius precedẽtibus meritis; & inuestigabilis veritas, qua quem vult obdurat, eius quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cuius miseretur plerunque communibus. Sicut duorum geminorum, quorum vnus assumitur, alius relinquitur, dispar est exitus, merita cõmunia. In quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur. Nunquid enim iniquitas est apud Deum? Absit. Sed inuestigabiles sunt viæ ipsius. Itaque misericordiã eius in his qui liberãtur, & veritatem in his qui puniũtur, sine dubitatione credamus: neq; inscrutabilia scrutari, neq; inuestigabilia vestigare conemur. Ex ore quippè infantium &

Capvt xi. Rom. 9.

Rom. 9. Rom. 11. Psal. 24.

Obdurationẽ in homine meritum.

Psal. 8.

tium & lactentium suam perfecit laudem: vt quod in his videmus, quorum liberationẽ bona eorum merita nulla præcedũt; & in his quorum damnationẽ vtrisq; cõmunia originalia sola præcedunt; hoc & in maioribus fieri nequaquã omnino cunctemur, id est, nõ putantes, vel secundũ sua merita gratiã cuiquã dari, vel nisi suis meritis quenquã puniri, siue pares qui liberantur atque puniuntur, siue dispares habeant causas malas: vt qui videtur stare, videat ne cadat: & qui gloriatur, non in semetipso, sed in Domino glorietur.

1 Cor. 1.

Cur autem *causam paruulorum ad exemplum maiorum*, sicut scribitis, *non patiuntur afferri homines*, qui contra Pelagianos non dubitant esse peccatum originale quod per vnũ hominem intrauit in mundum, & ex vno omnes isse in condemnationem? Quod & Manichæi non accipiunt, qui non solum omnes veteris instrumẽti scripturas in vlla auctoritate nõ habẽt, verumetiam eas quæ ad nouum pertinent testamẽtum sic accipiunt, vt suo quodam priuilegio, imò sacrilegio quod volunt sumant, quod nolunt reiiciant. Cõtra quos agebam in libris De libero arbitrio, vnde isti nobis præscribendum putant. Ideo quæstiones operosissimas incidentes enucleatè soluere nolui, ne nimium longum opus esset, vbi me aduersus tam peruersos testimoniorũ diuinorum nõ adiuuabat auctoritas. Et poteram, sicut feci, quodlibet horum verum esset, quæ non definitè interponebam, certa tamẽ ratione concludere, in omnibus Deum esse laudandũ, sine vlla necessitate credendi duas, sicut illi volunt, coæternas boni & mali permixtas esse substãtias. Denique in primo Retractationũ libro, quod opus meũ nondum legistis, cũ ad eosdem libros retractãdos venissem, hoc est, De libero arbitrio, ita locutus sum. *In his, inquam, libris ita multa disserta sunt, vt incidẽtes nõnullæ quæstiones quas vel enodare non poteram, vel longam sermocinationem in præsenti requirebant; ita differrentur, vt ex vtraque parte, vel ex omnibus earundem quæstionum partibus, in quibus non apparebat quid potius congrueret veritati, ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, vt quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur, vel etiam ostenderetur Deus. Propter eos quippe disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, & Deum, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt, eo modo volentes secundum suæ impietatis errorem, (Manichæi enim sunt,) immutabilem quandam, & Deo coæternam introducere naturam mali*. Item post aliquanta alio loco: *Deinde dictum est, inquam, ex qua miseria peccantibus iustissimè inflicta liberet Dei gratia, quia homo sponte, id est, libero arbitrio cadere potuit, nõ etiam surgere: ad quam miseriam iustæ damnationis pertinet ignorãtia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis suæ; nec ab isto malo liberatur quisquam, nisi Dei gratia. Quam miseriam nolunt Pelagiani ex iusta damnatione descendere, negantes originale peccatum: quamuis ignorantiã & difficultas, etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicuti in eodem libro tertio disputauimus. Quæ disputatio contra Manichæos habenda est, qui non accipiunt scripturas sanctas veteris Instrumenti, in quibus peccatum originale narratur. Et quicquid inde in literis Apostolicis legitur, detestabili impudẽtia immissum fuisse contendunt à corruptoribus scripturarum, tanquam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod vtraque scriptura commendat, quam se accipere profitentur.* Hæc dixi in primo libro Retractationum, cùm retractarem libros De libero arbitrio. Nec sola sanè ista ibi à me dicta sunt de his libris, verùm & alia multa, quæ huic ad vos operi inserere longum putaui, & non necessarium, quod & vos existimo esse iudicaturos, cùm omnia legeritis. Quamuis ergo in libro tertio De libero arbitrio ita de paruulis disputauerim, vt etiam si verum esset quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ; vincerentur tamẽ Manichæi, qui volunt duas, boni scilicet & mali, coæternas esse naturas: nunquid ideo fides in dubium vocanda vel deserenda est, quam contra ipsos Pelagianos catholica defendit Ecclesia, quæ asserit originale esse peccatum, cuius reatus generatione contractus, regeneratione soluendus est? Quòd si & isti fatentur nobiscum, vt simul in hac causã Pelagianorum destruamus errorem; cur putant esse dubitandum, quòd etiam paruulos Deus, quibus dat suam gratiam per baptismatis sacramentum, eruat de potestate tenebrarum, & transferat in regnum filij charitatis suę? In eo ergo quòd aliis eam dat, aliis non dat, cur nolit cantare Domino misericordiam & iudicium? Cur autem illis potius quàm illis detur, quis cognouit sensum Domini? Quis inscrutabilia scrutari valeat? Quis inuestigabilia vestigare?

Cap. 9.

Argumentum librorum de libero arbitrio.

Cap. 20.

Cap. 20. & 23.

Psal. 116.

Rom. 11.

CONFICITVR itaque gratiam Dei non secundum merita accipientium dari, sed secundum placitum voluntatis eius, in laudem & gloriam ipsius gratiæ eius, vt qui gloriatur, nullo modo in seipso, sed in Domino glorietur: qui hominibus dat quibus vult, quoniã misericors est; quòd & si non det, iustus est: & non dat quibus non vult, vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Dãdo enim quibusdam quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram suam gratiam esse voluit. Non omnib. dando, quid omnes mererentur ostendit. Bonus in beneficio certorũ, iustus in supplicio cæterorum; & bonus in omnibus, quoniam bonũ est, cùm debitum redditur; & iustus in omnibus, quoniam iustũ est cùm debitũ sine cuiusquam fraude donatur. Defenditur autem sine meritis Dei gratia, id est, vera gratia, etiam si paruuli baptizati, sicut Pelagiani sentiunt, non eruuntur de potestate tenebrarum, quia nulli peccato, sicut putãt, tenentur obnoxij, sed tantum in regnum Domini transferuntur: etiam sic enim sine vllis bonis meritis datur eis regnum quibus datur; & sine vllis malis meritis non datur eis, quibus non datur. Quod aduersus eosdem Pelagianos dicere solemus, quãdo nobis obiiciunt, quòd fato tribuamus Dei gratiam, dicendo eam non secundum merita nostra dari. Ipsi enim potius Dei gratiam fato in paruulis tribuunt, qui dicunt *fatum esse, vbi meritum non est*. Nulla quippe merita etiam secundum ipsos Pelagianos, possunt in paruulis inueniri, cut alij eorum mittantur in regnum, alij verò alienentur à regno. Sicut autem nunc vt ostenderem gratiam Dei non secundum merita nostra dari, secundum vtrunque sensum hoc defendere malui; & secundum nostrum scilicet, qui obstrictos originali peccato paruulos dicimus; & secundum Pelagianorum, qui originale negant esse peccatum; nec tamen ideo mihi est ambigendum, habere paruulos quod eis dimittat qui saluum facit populum suum à peccatis eorum: ita & in tertio libro De libero arbitrio secundum vtrunque sensum restiti Manichæis, siue supplicia siue primordia naturæ sint ignorãtia & difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur; & tamen vnum horum teneo. Ibi quoque à me satis euidenter expressum est, quòd non sit ista natura instituti hominis, sed pœna damnati. Frustra itaque mihi de illius libri mei vetustate præscribitur, ne agam causam sicut debeo agere paruulorum, & inde gratiam Dei non secundum merita hominum dari, perspicuæ veritatis luce contineam. Si enim quando libros De libero arbitrio laicus cœpi, presbyter explicaui, adhuc de damnatione infantium non renascentium, & de renascentium liberatione dubitarem, nemo,

1 Cor. 1.

Rom. 9.

Verum Dei gratiam defendi posse, etiamsi nullum esset, vt volebat Pelagius, originale peccatum.

Vide lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 6.

nemo, vt opinor, esset tam iniustus atq; inuidus, qui me proficere prohiberet, atque in hac dubitatione remanendum mihi esse iudicaret. Cũ verò rectius possit intelligi, non me propterea de hac re dubitasse credi oportere; quia contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt refellendi, vt siue pœna esset peccati originalis in paruulis, quod veritas habet; siue nõ esset, quod nonnulli errantes opinantur; nullo modo tamen quàm Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet & mali, permixtio crederetur: absit vt causam paruulorum sic relinquamus, vt esse nobis dicamus incertum, vtrum in Christo regenerati, si moriantur paruuli, transeant in æternam salutem; non regenerati autem trãseant in mortem secundam; quoniam quod scriptum est; Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines transiit; aliter rectè intelligi non potest: nec à morte perpetua, quæ iustissimè est retributa peccato, liberat quenquam pusillorum atque magnorũ, nisi ille qui propter remittenda & originalia & propria nostra peccata mortuus est, sine vllo suo originali proprióve peccato. Sed quare illos potius quàm illos? Iterum atque iterum dicimus, nec nos piget, O homo tu quis es qui respõdeas Deo? Inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Et hoc adiiciamus: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Videtísne charissimi quàm sit absurdum, & à fidei sanitate atque sinceritate veritatis alienum, vt dicamus paruulos mortuos secundum ea iudicari, quæ præsciti sunt facturi esse si viuerent? In hanc autem sentẽtiam, quam certè omnis sensus humanus quantulacunq; ratione subnixus, maximéque Christianus exhorret, ire compulsi sunt, qui sic à Pelagianorum errore alieni esse voluerũt, vt tamen gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, qua nobis vna post lapsum primi hominis, in quo omnes decidimus, subuenitur, secundum merita nostra dari sibi adhuc existiment esse credendum, & disputatione insuper proferendum. Quod ipse Pelagius ante orientales Episcopos iudices, damnationis suæ timore damnauit. Hoc autem si non dicatur de mortuorum scilicet operibus, quæ facturi erant si viuerent bonis aut malis, ac per hoc nullis, & in ipsa Dei præsentia non futuris; hoc ergo si non dicatur, quod cernitis quanto errore dicatur; quid restabit, nisi vt gratiam Dei non secundum merita nostra dari, quod contra hæresim Pelagianam catholica defendit Ecclesia, remota contentionis caligine fateamur; atque id maximè in paruulis euidẽtiore veritate cernamus? Neq; enim fato cogitur Deus illis infantibus subuenire: illis autem non subuenire, cùm sit vtrisque causa communis; aut res humanas in paruulis non diuina prouidẽtia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cùm rationales vel damnandæ vel liberandæ sint animæ, quandoquidẽ nec passer cadit in terrã sine voluntate patris nostri qui in cælis est; aut parentum negligentię sic tribuendũ est, quod paruuli sine baptismo moriũtur, vt nihil ibi agant superna iudicia; tanquã ipsi qui hoc modo malè moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propria de quibus nascerentur, elegerint: quid dicam, quòd paruulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat? Plerunque enim festinantibus parentibus & paratis ministris, vt baptismus paruulo detur, Deo tamẽ nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit vt daretur. Quid est, quòd aliquando paruulis infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit baptismate subueniri? Vbi certè ostenditur, quòd personarum apud Deum non sit acceptio; alioquin cultorum suorum potius, quàm inimicorum filios liberaret.

Rom. 9.
Rom. 9.
Rom. 11.
Eccles. 3.
Matth. 10.
Rom. 2.

CAPVT XIII.

IAM verò quoniam de dono perseuerantiæ nunc agimus, quid est quod moriturò non baptizato subuenitur, ne sine baptismate moriatur; & baptizato casuro non subuenitur, vt antè moriatur? Nisi fortè illi adhuc absurditati auscultabimus, qua dicitur nihil prodesse cuiquam mori antequã cadat, quia secundũ eos actus iudicabitur, quos eum præsciuit Deus acturum fuisse si viueret. Hanc peruersitatem sanitati fidei tam vehementer aduersam, quis patienter audiat, quis ferat? Et tamen hoc dicere vrgentur, qui non fatentur gratiã Dei non secundũ merita nostra dari. Qui autẽ nolunt dicere vnumquenque mortuorum secundum ea iudicari, quæ Deus illum præsciuit acturum fuisse si viueret, intuentes quàm manifesta falsitate, & quãta absurditate dicatur; nõ eis remanet cur dicãt, quod in Pelagianis damnauit, & ab ipso Pelagio dãnari fecit Ecclesia, gratiam Dei secundum merita nostra dari: cũ videant alios paruulos non regeneratos ad æternam mortẽ, alios autem regeneratos ad æternã vitam tolli de hac vita; ipsos quoq; regeneratos, alios perseuerantes vsq; in finem hinc ire; alios quousque decidant hic teneri, qui vtiq; non decidissent, si antequam laberentur, hinc exissent: & rursus quosdã lapsos quousque redeant non exire de hac vita, qui vtiq; perirẽt si antequã redirent, exirent. Vnde satis dilucidè ostẽditur, & inchoandi, & vsq; in finem perseuerandi gratiam Dei non secundũ merita nostra dari; sed donari secundũ ipsius secretissimã eandemq; iustissimã, beneficentissimã, sapientissimam voluntatem: quoniam quos prædestinauit, ipsos & vocauit vocatione illa, de qua dictum est; Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei: ad quã vocationẽ pertinere nullus est homo ab hominib. certã asseueratione dicẽdus, nisi cũ de hoc seculo exierit; in hac autẽ vita humana quæ tentatio est super terrã, qui videtur stare videat ne cadat. Ideo quippe (sicut iã suprà diximus) non perseuerturi perseuerturis prouidẽtissima Dei volũtate miscẽtur, vt esse discamus non alta sapiẽtes, sed humilibus cõsentiẽtes, & cũ timore & tremore nostrã ipsorũ salutẽ operemur. Deus est enim qui operatur in nobis, & velle & operari pro bona volũtate. Nos ergo volumũ, sed Deus in nobis operatur & velle; nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona volũtate. Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est pium, hoc verum, vt sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus; quod autem attinet ad pietatis viam & verum Dei cultum, non sumus idonei cogitare aliquid tanquã ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. *Non enim est in potestate nostra cor nostrum & nostræ cogitationes:* vnde idem qui hoc ait, itẽ dicit Ambrosius, *Quis autem tam beatus qui in corde suo semper ascẽdat? Sed hoc sine diuino auxilio quã fieri potest? nullo profectò modo. Denique*, inquit, *suprà eadem scriptura dicit, Beatus vir cuius est auxilium eius abs te Domine, ascẽsus in corde eius.* Hoc vtique vt diceret, non solum in literis sacris legebat, sed sicut de illo viro sine dubitatione credendum est, etiam in corde suo sentiebat Ambrosius. Quod ergo in sacramentis fidelium dicitur, vt sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini; de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere à sacerdote post hanc vocem quibus hoc dicitur, admonentur; & dignum & iustum esse respondent. Cùm enim non sit in nostra potestate cor nostrum, sed diuino subleuetur auxilio, vt ascendat, & quæ sursum sunt sapiat, vbi Christus est in dextra Dei sedens, non quæ super terram; cui de hac tanta re agendæ sunt gratiæ, nisi hoc facienti Domino Deo nostro, qui nos per tale beneficium liberando, de profundo huius mũdi elegit, & prædestinauit ante constitutionem mundi?

Iob 7.
1 Cor. 10. Cap. 8.
Rom. 12. Philip. 2.
2 Cor. 3.
De fuga seculi cap. 1.
Psal. 83.
In Canone Missæ.
Colos. 3.

SED

CAPVT XIIII. *Docet prædestinationis doctrinam vtilitati prædicationis non esse aduersam.* *Supra in epistola Hilarij & Prosperi.* Phil. 2. Philip. 1.

SED aiunt *prædestinationis definitionẽ vtilitati prædicationis aduersam.* Quasi verò aduersata sit Apostolo prædicanti. Nónne ille doctor gentium in fide & veritate prædestinationem totiens commendauit, & verbum Dei prædicare non destitit? Nunquid quia dixit, Deus est qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate sua; ideo non ipse, & vt velimus, quæ Deo placeant, & vt operemur, hortatus est? aut quia dixit; Qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet vsque in diem Christi Iesu; ideò vt inciperent homines & perseuerarent vsque in finem, ipse non suasit? Nempe ipse Dominus hominibus præcepit, vt crederẽt, atque ait, Creditis in Deum, & in me credite; nec tamen ideo eius falsa sententia est, nec vana definitio vbi ait, Nemo venit ad me, id est, nemo credit in me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Nec rursus, quia vera est hęc definitio, ideo vana est illa pręceptio. Cur ergo prædicationi, præceptioni, exhortationi, correptioni, quæ omnia frequentat Scriptura diuina, existimamus inutilem definitionem prædestinationis, quam commendat eadem Scriptura diuina? An quisquã dicere audebit Deũ nõ præsciisse, quibus esset daturus vt crederent? Aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quenquam? Quę vtique si presciuit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præsciuit. Hæc prædestinatio sanctorũ nihil aliud est, quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Cæteri autem vbi nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquũtur? Vbi Tyrij relicti sunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant; & tamen si Dei altiore iudicio, à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta diuina vel facta, per quæ possent credere, si audirent vtique talia vel viderent. In eadem perditionis massa relicti sunt etiã Iudæi, qui non potuerũt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisq; virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit Euangeliũ dicens. Cùm autẽ tanta signa fecisset coram eis, non crediderũt in eum, vt sermo Esaiæ prophetæ impleretur, quẽ dixit; Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? Et ideo non poterant credere, quia itẽrum dixit Esaias; Excæcauit oculos corũ, & indurauit cor illorum, vt non videãt oculis, nec intelligant corde, & conuertantur, & sanem illos. Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti signa vidissent; sed nec illis profuit quòd poterant credere, quia prædestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & inuestigabiles viæ; nec istis obfuisset quod non poterant credere, si ita prædestinati essent, vt eos cæcos Deus illuminaret, & induratis cor lapideum vellet auferre. Verùm quod dixit Dominus de Tyriis & Sidoniis, aliquo alio modo potest fortassis intelligi; neminem tamen venire ad Christum, nisi cui fuerit datum, & eis dari qui in illo electi sunt ante constitutionem mundi, proculdubio confitetur, à quo non surdis auribus cordis eloquium diuinum auribus carnis auditur: & tamen hæc prædestinatio quæ satis apertè etiam verbis Euangelicis explicatur, non prohibuit Dominum & propter incipiendum dicere, quod paulò antè commemoraui, Creditis in Deum, & in me credite: & propter perseuerandũ, Oportet semper orare, & non deficere. Audiunt enim hæc & faciunt quibus datum est, non autem faciunt siue audiant siue non audiant, quibus nõ datum est. Quia vobis, inquit, datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autẽ non est datum: quorum alterum ad misericordiam, alterum ad iudicium pertinet illius, cui dicit anima nostra; Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Nec prædestinationis igitur prædicatione impedienda est prædicatio fidei perseuerãtis & proficientis, vt quod oportet audiant, & quibus datum est vt obediant. Quomodo enim audient sine prædicante? Nec rursus prædicatione fidei proficientis, & vsque ad vltimum permanentis, impediẽda est prædicatio prædestinationis, vt qui fideliter & obedienter viuit, non de ipsa obedientia tanquàm de suo non accepto bono extollatur; sed qui gloriatur, in Domino glorietur. In nullo enim gloriãdum, quando nostrum nihil sit. Quod vidit fidelissimè Cyprianus, & fidentissimè definiuit, per quod vtique prædestinationem certissimam pronunciauit. Nam si *in nullo gloriandum est, quando nostrum nihil sit*, profectò nec de obedientia perseuerantissima gloriãdum est. Nec ita nostra, tanquam non sit nobis desuper donata, dicenda est. Et ipsa igitur Dei donum est, quod se daturum Deus vocatis suis illa vocatione, de qua dictum est, Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei: omni Christiano confitente præsciuit. Hæc est igitur prædestinatio, quam fideliter atque humiliter prædicamus. Nec tamen idem doctor & factor qui & in Christum credidit, & in sancta obedientia vsque ad passionem pro Christo perseuerantissimè vixit, ideò cessauit prædicare Euangelium, exhortari ad fidem piosq; mores, atque ad ipsam vsque in finem perseuerantiam; quoniam dixit *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit*, vbi veram Dei gratiam, id est, quæ non secundum merita nostra datur, sine vlla ambiguitate declarauit; quam se daturum quoniã præsciuit Deus, his Cypriani verbis proculdubio prædestinatio prædicata est; quæ si Cyprianum à prædicatione obedientiæ non prohibuit, nec nos vtique debet prohibere. Quãuis ergo dicamus Dei donum esse obedientiam; tamen homines exhortamur ad eam. Sed illis qui veritatis exhortationem obedienter audiunt, ipsum donum Dei datũ est, hoc est obedienter audire; illis autem qui non sic audiunt, non est datum. Non enim quicunque, sed Christus, Nemo, inquit, venit ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Et, Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum. Et de continentia, Non omnes, inquit, capiũt verbum hoc, sed quibus datum est. Et cùm Apostolus ad pudicitiam coniugalem coniuges hortaretur, Vellem, inquit, omnes homines esse sicut meipsum; sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius sic, alius autem sic. Vbi satis ostendit non tantùm cõtinentiam donum Dei esse, sed coniugatorum etiam castitatem. Quæ cùm vera sint, hortamur ad hoc quãtum cuique nostrũm datum est vt possit hortari, quia & hoc eius donum est, in cuius manu sunt & nos & sermones nostri. Vnde & Apostolus, Secundum gratiam, inquit, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui: & alio loco, Vnicuique, inquit, sicut Dominus dedit, Ego plãtaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat, aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Ac per hoc sicut exhortatur & prædicat rectè, sed ille qui accepit hoc donum; ita exhortãtem rectè atq; prædicantem profectò ille obedienter audit, qui accepit hoc donum. Hinc est quod Dominus cùm eis loqueretur, qui carnis aures apertas habebant, dicebat tamen; Qui habet aures audiendi, audiat, quas nõ omnes habere proculdubio nouerat. A quo autem habeant, quicunque habent, ipse Dominus ostendit, vbi ait, Dabo eis cor cognoscendi me & aures audientes.

Prædestinatio quid.
Iohan. 12.
Esa. 53.
Esaia 6.
Rom. 11.
Iohan. 14.
Luca 18.
Iohan. 14.
Iohan. 3.
Rom. 9.
Lib. 3. ad Quirin. ca. 4
Rom. 11.
Matth. 13.
Psal. 100.
Rom. 10.
Hier. 9.
1. Cor. 7.
1. Cor. 3.
Luc. 8.
Matth. 19.
1. Cor. 7.
Bar.

Aures audiendi voluntas est obediendi. Ioan. 6.

dientes. Aures ergo audiendi, ipsum est donum obediendi, vt qui id haberent, venirent ad eum, ad quem nemo venit, nisi fuerit ei datum à patre ipsius. Exhortamur ergo atque prædicamus; sed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt; qui verò eas

Matt. 13.

non habent, fit in eis quod scriptum est, vt audientes non audiant; audientes videlicet corporis sensu, non audiant cordis assensu. Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant; hoc est; cur illis datum sit à patre vt veniant ad filium, illis autem non sit datum,

Rom. 11. Rom. 9.

quis cognouit sensum Domini, aut quis eius consiliarius fuit? Aut tu quis es homo, qui respondeas Deo? Nunquid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus quod ita esse

Incommoda & inutilis formula prædicandæ prædestinationis.

perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit non possumus inuenire?

SED aiũt, vt scribitis, *neminẽ posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in cõuentu Ecclesiæ audientibus multis, Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate accepta obediẽdi voluntate veneritis ad fidem, vel accepta perseuerãtia maneatis in fide; cæteri verò qui in peccatorũ delectatione remoramini, ideò nondum surrexistis, quia necdum vos adiutoriũ gratiæ miserantis erexit. Veruntamen si qui estis necdũ votati, quos gratia sua prædestinauerit eligẽdos, accipietis eandem gratiam, qua velitis & sitis electi. Et si qui obeditis, si prædestinati estis reiiciendi, subtrahentur obediẽdi vires vt obedire cessetis.* Ista cùm dicuntur, ita nos à confitẽda Dei vera gratia, id est, quæ non secundum merita nostra datur, & à confitenda secundũ eam prædestinatione sanctorum deterrere non debent; sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, vt dicat; *Siue nunc rectè viuatis, siue non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præsciuit, vel boni si bonos; vel mali si malos.*

Nunquid enim si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque vertantur, & à labore procliues ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse, quod dictum est? Nónne si Deus illos bonos futuros esse præsciuit, boni erunt, in quantalibet nunc malignitate versentur; si autem malos, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus cur quædã non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat; qualiscunque nunc sim, talis ero qualẽ me Deus futurum esse præsciuit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero nõ proficiebat in bonum; sed vsque adeò profecit in malũ, vt deserta monasterij societate fieret canis reuersus ad suum vomitum, & tamen adhuc qualis sit futurus, incertum est. Nunquid ergo propter huiusmodi causas, ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel negandasunt vel tacenda; tunc scilicet quando si non dicantur, in alios itur errores?

Monasterium Augustini.

CAPVT XVI.

SVNT etiam qui propterea vel non orant, vel frigidè orant, quoniam Domino dicente didicerunt, scire Deum quid nobis necessarium sit priusquam petamus ab eo. Num propter tales huius sententiæ veritas deserenda, aut ex Euangelio delenda putabitur? Imò cùm constet Deum, alia etiam non orantibus; sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut vsque in finem perseuerantiam: profectò qui ex ipso hanc se habere putat, non orat vt habeat. Cauendum est igitur, ne dum timemus, ne tepescat hortatio, extinguatur oratio, accẽdatur elatio. Dicatur ergo verum, maximè vbi aliqua quæstio, vt dicatur, impellit, & capiant qui possunt; ne fortè cùm tacetur propter eos qui capere non possunt, non solùm veritate fraudentur, verùm etiam falsitate capiantur, qui verum capere quo caueatur falsitas, possunt. Facile est enim, imò & vtile, vt taceatur aliquod verum propter incapaces. Nam vnde est illud Domini, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò. Et illud Apostoli, Non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: quasi paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis? Quamuis modo quodam dicendi fieri possit, vt id quod dicitur, & paruulis lac, & grandibus esca sit. Sicut, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; quis Christianus tacere potest? quis capere? aut quid in doctrina sana potest inueniri grandius? Quod tamen & paruulis non tacetur, & nec grãdibus nec paruulis occultatur. Sed alia est ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum est omnes quærere vel inserere; quarum tamen est & hæc vna, ne peiores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores: qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt. Cùm autem res vera ita se habet, vt fiat peior nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest: nobis autem tacentibus, ille qui potest; quid putamus esse faciendum? Nonne potius est dicendum verum, vt qui potest capere capiat, quàm tacendum, vt non solùm id ambo non capiant, verumetiam qui est intelligentior, ipse sit peior? Qui si audiret & caperet, per illum etiam plures discerent. Quo enim est capacior vt discat, eo magis est idoneus vt alios doceat. Instat inimicus gratię atque vrget modis omnibus, vt credatur secundum merita nostra dari, ac sic gratia iam non sit gratia. Et nos nolumus dicere, quod teste scriptura possumus dicere: timemus enim videlicet ne loquentibus nobis offendatur, qui veritatem non potest capere, & non timemus ne tacentibus nobis qui veritatem potest capere, falsitate capiatur? Aut enim sic prædestinatio prædicanda est, quemadmodum eam sancta Scriptura euidenter eloquitur, vt in prædestinatis sine pœnitentia sint dona & vocatio Dei, aut gratiam Dei secundum nostra dari merita cõfitendum, quod sapiunt Pelagiani, quãuis ista sententia, quod sæpe iam diximus, legatur gestis Episcoporum orientalium etiam ipsius Pelagij ore damnata. A Pelagianorum porrò hæretica peruersitate tantùm isti remoti sunt, propter quos hæc agimus, vt licet nondum velint fateri prædestinatos esse, qui per Dei gratiam fiant obedientes atque permaneant; iam tamen fateantur, quod eorum præueniat voluntatem quibus datur hæc gratia. Ideò vtique, ne non gratis dari credatur gratia, sicut veritas loquitur; sed potius secundum præcedentis merita voluntatis, sicut contra veritatem Pelagianus error obloquitur. Præuenit ergo & fidem gratia, alioquin si fides eam præuenit, proculdubio præuenit & voluntas, quoniam fides sine voluntate non potest esse, Si autem gratia præuenit fidem, quoniam præuenit voluntatem, profectò præuenit omnem obedientiam, præuenit etiam charitatem, qua vna Deo veraciter & suauiter obeditur, & hæc omnia gratia in eo cui datur, & cuius hæc omnia præuenit, operatur.

Veritas aliquãdo tacẽda. Ioan. 16.

1. Cor. 3.

Idem lac paruulis, grandibus esca esse potest. Ioan. 1.

Verum tacendi vel non tacendi causa.

Fides sine voluntate esse non potest.

CAPVT XVII.

RESTAT in his bonis vsque in finem perseuerantia, quæ frustra quotidie à Domino poscitur, si non eam Dominus per gratiam suam in illo, cuius orationem exaudit, operatur. Videte iam à veritate quàm sit alienum, negare donum Dei esse perseuerãtiam vsque in finẽ huius vitæ; cùm vitæ huic quando voluerit ipse det finẽ: quẽ si dat ante imminẽtem lapsum, facit hominẽ perseuerare vsq; in finẽ. Sed mirabilior & fidelibus euidentior largitas bonitatis Dei est, quòd etiã paruulis quibus obediẽtia non est illius ætatis vt detur, datur hæc gratia. Ista igitur sua dona quibuscunque Deus donat, proculdubio donaturum se esse præsciuit, & in sua præscientia præparauit. Quos ergo prędestinauit, ipsos & vocauit vocatione illa, quã me sæpe commemorare non piget: de qua dictũ est, Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei. Nam in sua quæ falli mutariq́ue non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quicquã est prædestinare. Sicut autem ille quem castum futurum esse præsciuit, quamuis id incertum habeat, agit vt castus sit: ita ille quem castum futurum prædestinauit, quamuis id incertum habeat, non ideo non agit vt castus sit, quoniam Dei dono se audit futurũ esse quod quærit, imò etiam gaudet eius charitas, nec inflatur, tanquam id non acceperit. Nõ solum ergo prędicatione prædestinationis ab hoc opere non impeditur, verũ ad hoc adiuuatur, vt cùm gloriatur, in Domino glorietur. Quod autẽ dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, de charitate, de perseuerãtia, &, ne pergã per singula, hoc de omni obedientia qua obeditur Deo, veracissimè dici potest. Sed ij qui solùm initium fidei, & vsque in finem perseuerantiam sic in nostra constituunt potestate, vt Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deũ operari nostras cogitationes & voluntates, cætera verò ipsum dare concedunt, cùm ab illo impetrantur credentis fide, cur ad ipsa cætera exhortationem eorum, cæterorumq́ue prædicationem, definitione prædestinationis non metuunt impediri? An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nesciuit. Quod si & dantur, & ea se daturum esse præsciuit; profectò prædestinauit. Sicut ergo ipsi hortantur quoque ad castitatem, charitatem, pietatem, & cætera quæ Dei dona esse confitentur, eaq́ue ab illo esse præcognita, ac per hoc prædestinata negare non possunt, nec dicunt exhortationes suas impediri prædicatione prædestinationis Dei, hoc est, prædicatione de his donis eius futuris præscientiæ Dei; sic videant nec ad fidem, nec ad perseuerantiam impediri exhortationes suas, si & ipsa, quod verum est, esse Dei dona, eaq́ue præcognita, id est ad donandum prædestinata esse dicantur: sed impediri potius atque subuerti hac prædestinationis prædicatione illũ tantummodo perniciosissimũ errorẽ, quo dicitur gratia Dei secundum merita nostra dari; vt qui gloriatur, non in Domino, sed in seipso glorietur. Quod vt apertius propter tardiusculos explicemus, rememorationẽ meam ferant, quibus ingenio præuolare donatũ est. Dicit Apostolus Iacobus, Si quis vestrũm indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Scriptũ est & in Prouerbijs Salomonis, Quoniam Dominus dat sapientiam. Et de continentia legitur in libro Sapiẽtiæ, cuius authoritate vsi sunt magni & docti viri, qui longè ante nos eloquia diuina tractarũt. ibi ergo legitur, Cùm sciré, quia nemo esse potest continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiæ scire, cuius esset hoc donum. Hæc ergo Dei dona sunt, id est, vt de alijs taceã, sapientia & continẽtia. Acquiescunt & isti: (neque enim Pelagiani sunt, vt aduersus istam perspicuam veritatem dura & hęretica peruersitate contendant.) *Sed hæc*, inquiunt, *vt à Deo dentur nobis, fides impetrat, quæ incipit à nobis*: quã fidem & incipere habere, & in ea vsque in finem permanere, tanquam id non à Domino accipiamus, nostrum esse contendunt. Hic proculdubio contradicitur Apostolo dicenti; Quid enim habes, quod non accepisti? Contradicitur & martyri Cypriano dicenti, *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Cùm hæc & alia multa quæ piget repetere, dixerimus, atque ostenderimus & initium fidei, & vsq; in finem perseuerãtiam, Dei dona esse, nec vlla futura esse sua dona, & quæ danda essent, & quibus danda essent, Deum non

Rom. 8.

Rom. 11.

1. Cor. 1.

Iacob. 1.

Prouer. 2.

Commendat iterum librũ Sapientiæ. Sap. 8.

1. Cor. 4.

Lib. 3. ad Quir. cap. 4.

A præscire potuisse, ac per hoc prædestinatos ab illo esse, quos liberat & coronat; respondendum putant, *prædestinationis definitionem vtilitati prædicationis aduersam, eo quòd hac audita, nemo possit correptionis stimulis excitari.* Hæc dicentes nolunt hominibus prædicari dona Dei esse, vt veniatur ad fidem, & permaneatur in fide; ne plus desperatio quàm exhortatio videatur afferri, dum cogitant qui audiunt, incertum esse humanæ ignorantiæ cui largiatur Deus, cui non largiatur hæc dona. Cur ergo & ipsi nobiscum prædicãt, dona Dei esse sapientiam & continẽtiam? Quòd si hæc cùm Dei dona esse prædicantur, non impeditur hortatio qua homines hortamur esse sapientes & cõtinentes; quæ tandem causa est vt existiment impediri exhortationem, qua exhortamur homines venire ad fidem; & in ea permanere vsque in finem? Et si hæc dona Dei esse dicantur, quod scripturis eius testibus comprobatur, ecce vt de continentia taceamus, & de sola in hoc loco sapientia disputemus: nempe suprà memoratus Apostolus Iacobus dicit, Quæ desursum est sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordiæ & fructibus bonis, inæstimabilis, sine simulatione. Cernitisne obsecro, à patre luminũ sapientia quàm multis & magnis bonis referta descendat? Omne quippe datum optimum, sicut idem dicit, & omne donũ perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Cur ergo, vt omittam cætera, corripimus impudicos & contentiosos, quibus tamen prædicamus donum Dei esse sapientiam pudicam atque pacificam; nec timemus ne permoti diuinæ voluntatis incerto, plus in hac prædicatione desperationis quàm exhortationis inueniant, nec correptionis stimulis aduersus seipsos, sed potius aduersus nos excitentur, quia eos corripimus hæc non habentes, quę ipsi dicimus non humana volũtate proferri, sed diuina largitate donari? Cur denique ipsum

B

Iacob. 1.

C Apostolum Iacobum huius gratiæ prędicatio non deterruit corripere inquietos, & dicere; Si zelum amarũ habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse aduersus veritatem; non est ista sapientia desursum descendẽs, sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum. Sicut ergo corripiendi sunt inquieti, & diuinis eloquijs testibus & ipsis quos nobiscum isti communes habent actibus nostris; neque hanc impedit correptionem, quod sapientiam pacificam qua contentiosi corrigũtur atquẽ sanantur, donum Dei esse prædicamus: ita corripiendi sunt infideles, vel in fide non permanentes, non impediente istam correptionẽ prædicatione gratiæ Dei, quæ fidem quoque ipsam & in ea permansionem dona Dei esse commendat; quia & si ex fide impetratur sapientia, sicut ipse Iacobus cùm dixisset; Si quis vestrũm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei: mox addidit; Postulet autem in fide, nihil hæsitans: non tamen quoniam fides datur priusquam postuletur ab illo cui datur, ideo dicenda est non esse donum Dei, sed esse à nobis, quia data est nobis, non petentibus nobis. Apostolus enim apertissimè dicit, Pax fratribus & charitas cum fide à Deo patre & Domino Iesu Christo. A quo ergo pax & charitas, ab illo est & fides; propter quod ab illo eam non solùm augeri habentibus, verumetiam non habentibus poscimus dari. Neque isti propter quos hæc dicimus, qui prædicatione prædestinationis & gratiæ, exhortationem clamitant impediri, ad sola illa exhortantur dona, quæ non à Deo dari, sed à nobis esse contendunt; sicut sunt initium fidei, & in ea vsque in finem perseuerantia: quod vtique facere deberent, vt tantummodo infideles hortarentur, vt crederent, & fi-

Iacob. 3.

Iacob. 1.

Ephes. 6.

deles, vt credere permanerent. Ea verò quæ nobiscum Dei dona esse non negant, vt nobiscum Pelagianum demoliantur errorem: sicut est pudicitia, continentia, patientia, & cætera quibus rectè viuitur, & ex fide impetrantur, à Domino oranda monstrare & orare solum vel sibi vel aliis debuerunt, non autem quenquã vt ea capesseret, & retineret, hortari. Cùm verò & ad hęc exhortantur vt possunt, atq. exhortando esse homines confitentur; satis vtique ostendunt, nec ea prædicatione impediri exhortationes, siue ad fidem, siue ad perseuerantiam vsque in finem: quia & ista Dei dona esse nec à seipso cuiquam, sed ab illo tribui prædicamus. At enim *vitio suo quisque deserit fidem, cùm cedit tentationi atque consentit, qua cum illo agitur vt deserat fidem.* Quis negat? Sed non ideò dicenda est in fide perseuerantia non esse donum Dei. Hanc enim quotidie poscit, qui dicit, Ne nos inferas in tentationem; & si exauditur, hanc accipit; ac per hoc quotidie vt perseueret petens, profectò perseuerantiæ suæ spem non in seipso, sed in Deo ponit. Ego autem nolo exaggerare meis verbis, sed illis cogitandum potius relinquo, vt videat quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis quàm exhortationis afferri: hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in seipso, sed in Deo didicerit ponere; cùm Propheta clamet, Maledictus omnis qui spem habet in homine. Hæc vtique dona Dei, quæ dantur electis secundum Dei propositum vocatis, (in quibus donis est & incipere credere, & in fide vsque ad vitæ huius terminum perseuerare; sicut tanta rationum atque authoritatum contestatione probauimus) hæc, inquam, Dei dona, si nulla est prædestinatio quam defendimus, non pręsciuntur à Deo: præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio quam defendimus.

Matth 6.

Hier. 17.

CAPVT XVIII. Prædestinatio præsentiã interdum nomine significatur.

VNDE aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus, Non repulit Deus plebem suam, quam pręsciuit. Hoc quod ait, præsciuit, non rectè intelligitur nisi prædestinauit, quod circumstantia ipsius locutionis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Iudæorum, quæ saluæ factæ sunt, pereuntibus cæteris. Nam superius dixerat ad Israël dixisse Prophetam, Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem: & tanquam responderetur, Vbi sunt ergo factæ promissiones Dei ad Israël; continuò subiunxit, Dico ergo, nunquid repulit Deus plebẽ suam? Absit; nam & ego Israëlita sum ex semine Abraham de tribu Beniamin: tanquam diceret, nam & ego ex ipsa plebe sum. Deinde addidit vnde nunc agimus, Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit. Atque vt ostenderet Dei gratia fuisse relictas reliquias, non meritis operum eorum, secutus adiunxit, An nescitis in Helia quid dicit Scriptura? quemadmodum interpellat Deum aduersus Israël, & cætera. Sed quid dicit illi, inquit, responsum diuinum? Reliqui mihi septem milia virorum, qui non curuauerunt genu ante Baal. Non enim ait, relicta sunt mihi, aut reliquerunt se mihi; sed, reliqui mihi. Sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Et connectens illa quæ iam suprà interposui, Quid ergo? & huic interrogationi respondens, Quod quærebat, inquit, Israël, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt. In hac ergo electione & in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ factæ sunt, voluit intelligi plebem, quam propter ea Deus non repulit, quia præsciuit. Hæc est illa electio qua eos quos voluit elegit in Christo ante constitutionem mundi, vt essent sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate, prædestinans eos in adoptionem filiorum. Nullus igitur qui hæc intelligit, negare vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus, Non repulit Deus plebem suam quam præsciuit, prædestinationem significare voluisse. Præsciuit enim reliquias, quas secundum electionem gratiæ fuerat ipse facturus. hoc est ergo prædestinauit: sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit; sed prædestinasse, est hoc præscisse quod fuerat ipse facturus.

Rom. 11.

Esaiæ 65.

Rom. 11.

3. Reg. 19.

Rom. 11.

Ephes. 1.

CAPVT XIX.

QVID ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiã, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Magis autem fortasse voluerunt hoc verbo in ea re vti, quod & facilius intelligitur & non repugnat; imò & congruit veritati quæ de prædestinatione gratiæ prædicatur. Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse. Puto tamen eis qui de hac re sententias tractatorum requirunt, sanctos & in fide atque doctrina Christiana laudabiliter vsquequaque diffamatos viros, Cyprianum & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere, & debere ad vtrunque, id est vt & gratiam Dei gratuitam, sicut credenda atque prædicanda est, per omnia credant & per omnia prædicent; & eandem prædicationem prædicationi qua hortamur pigros, vel corripimus malos, non opinentur aduersam: quia & isti viri cùm sic prædicarent Dei gratiam, vt vnus eorum diceret *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit:* alter autem, *non est in potestate nostra cor nostrum & nostræ cogitationes:* non tamen hortari & corripere destiterunt, vt fierent præcepta diuina. Nec timuerunt, ne diceretur eis, Quid nos hortamini? Quid & corripitis, si nihil boni habeamus quod sit nostrum, & si nõ est in potestate nostra cor nostrũ? Hæc ne dicerentur eis, nequaquam illi sancti ea mente timere potuerunt, qua intelligebant paucissimis esse donatum, vt nullo sibi homine prædicante, per ipsum Dominum vel per angelos cælorum doctrinam salutis accipiant; multis verò id esse donatum, vt Deo per homines credant. Quolibet tamen modo dicatur homini verbum Dei, proculdubio qui sic audit vt illi obediat, donum Dei est. Vnde supradicti tractatores excellentissimi diuinorum eloquiorum, & gratiam Dei veram, sicut prædicanda est, prædicarunt, id est, quam nulla merita humana præcedunt; & ad facienda diuina præcepta instanter hortati sunt, vt qui haberent donum obedientiæ, quibus iussis obediendum esset, audirent: si enim gratiam merita nostra vlla præcedunt, profectò aut facti alicuius, aut dicti aut cogitationis est meritum, vbi & ipsa intelligitur voluntas bona. Sed breuissimè complexus est omnium genera meritorum, qui dicit *in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* Qui verò ait, *Non est in nostra potestate cor nostrum, & nostræ cogitationes:* nec ipse facta & dicta præteriit: non enim est dictum factúmue hominis, quod non ex cordis cogitatione procedat. Quid autem amplius de hac re agere Cyprianus martyr gloriosissimus, & doctor lucidissimus potuit, quam vbi nos in oratione Dominica etiam pro inimicis fidei Christianæ orare oportere commonuit; vbi de initio fidei quod etiã hoc donum Dei sit, quid sentiret ostendit; & pro perseuerantia vsque in finem, quia & ipsam non nisi Deus eis qui perseuerauerint, donat, Ecclesiam Christi quotidie orare monstrauit. Beatus quoque Ambrosius cùm exponeret quod ait Lucas euangelista, Visum est & mihi, *Potest,* inquit, *non soli visum esse, quod sibi visum esse declarat; non enim voluntate tantum humana visum est,*

Cypriani & Ambrosij testimonia.

Cyprianus lib 3. ad Quirinum cap. 4. Ambrosius de fuga seculi, cap. 1.

Paucissimis donatum, vt hominis nullus ministerio doctrinam salutis accipiant.

Ambrosius super Lucam, in expositione proœmij.

est, sed sicut placuit ei qui in me loquitur Christus, qui vt id quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit, operatur: quem enim miseratur, & vocat. Et ideo qui Christum sequitur, potest interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere, Visum est & mihi: quod cùm dicit, non negat Deo visum: à Deo enim præparatur voluntas hominum. Vt enim Deus honorificetur à sancto, Dei gratia est. Itemque in eodem opere, hoc est in expositione eiusdem Euangelij cùm ad illum venisset locum, vbi Dominum ad Hierusalem pergentem Samaritani recipere noluerunt; *Simul disce,* inquit, *quia recipi noluit ab iis quos sciebat non simplici mente conuersos. Nam si voluisset, ex indeuotis fecisset deuotos. Cur autem non receperint eum, Euangelista ipse monstrat dicens, Quia facies eius erat euntis in Hierusalem; discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant. Sed Deus quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit.* Quid euidentius, quid illustrius à verbi Dei tractatoribus quærimus, si & ab ipsis quod in scripturis clarum est, audire delectat? Sed his duobus qui sufficere debuerunt, sanctum Gregorium addamus & tertium, qui & credere in Deum, & quod credimus confiteri, Dei donum esse testatur, dicens: *Vnius deitatis quæso vos confitemini Trinitatem. Si verò aliter vultis, dicite vnius esse naturæ, & Deus vocem dari vobis à sancto spiritu deprecabitur: id est rogabitur Deus vt permittat vobis dari vocem, qua quod creditis, confiteri possitis. Dabit enim, certus sum; qui dedit quod primum est, dabit & quod secundum; qui dedit credere, dabit & confiteri.* Isti tales tantique doctores dicentes non esse aliquid, de quo tanquam de nostro, quod nobis Deus non dederit gloriemur; nec ipsum cor nostrum & cogitationes nostras in potestate nostra esse; & totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere confitentes, vt permansuri conuertamur ad eum; vt id quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, & velimus illud, vt honoremus Deum, & recipiamus Christum, vt ex indeuotis efficiamur deuoti & religiosi, vt in ipsam Trinitatem credamus, & confiteamur etiam voce quod credimus: hæc vtique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non à nobis esse testantur. Nunquid autem quisquam eos dicturus est, ita confessos istam Dei gratiam, vt auderent negare eius præscientiam, quam non solùm docti, sed indocti etiam confitentur? Porrò si hæc ita Deum nouerant dare, vt non ignorarent eum daturum se esse præsciisse, & quibus daturus esset non potuisse nescire; proculdubio nouerant prædestinationẽ, quam per Apostolos prædicatam contra nouos hæreticos operosiùs diligẽtiusque defendimus: nec tamen eis obedientiam prædicantibus, & ad eam sicut quisque poterat feruenter hortantibus, vllo modo rectè diceretur; Si non vultis obedientiam ad quam nos accenditis, in nostro corde frigescere, nolite nobis istam Dei gratiam prædicare, qua Deum dare fatemini, quæ vt nos faciamus hortamini.

Pro. 8. secundum 70.

Lib. 7 comment. in Lucæ cap. 9.

Gregorius Nazianzenus ora. in Pentecosten.

CAPVT XX.

QVAMOBREM si & Apostoli & doctores Ecclesiæ, qui eis successerunt, eosque imitati sunt, vtrunque faciebant; id est & Dei gratiam, quæ non secundum merita nostra datur, veraciter prædicabant; & piam obedientiam præceptis salubribus instruebant: quid est quod inuicta cõclusi violentia veritatis rectè se isti nostri dicere existimant: *Et si verum est quod dicitur de prædestinatione beneficiorum Dei, non est tamen populis prædicandum.* Prædicandum est prorsus, vt qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet, si non accepit ab illo qui ait, Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes? Certè qui non accepit, reiciat; dum tamen qui capit, sumat & bibat, bibat & viuat. Sicut enim prædicanda est pietas, vt ab eo qui habet aures audiendi, Deus rectè colatur, prædicanda est pudicitia, vt ab eo qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur, prædicanda est charitas, vt ab eo qui habet aures audiendi, Deus & proximus diligatur: ita & prædicãda est ista prædestinatio beneficiorum Dei, vt qui habet aures audiendi, non in seipso, sed in Domino glorietur. Quòd autem dicunt, *non opus fuisse huiuscemodi disputationis incerto minus intelligentium tot corda turbari; quoniam non minus vtiliter sine hac definitione prædestinationis, per tot annos defensa est catholica fides, tum contra alios, tum maximè contra Pelagianos, tot catholicorũ & aliorum & nostris præcedentibus libris:* multum miror eos dicere, nec attendere vt de aliis hic taceam, ipsos libros nostros & antequã Pelagiani apparere cœpissent cõscriptos & editos, & videre quàm multis eorum locis futuram nescientes Pelagianam hæresim cædebamus, prædicando gratiam, qua nos Deus liberat à malis erroribus & moribus nostris, non præcedentibus bonis meritis nostris, faciens hoc secundùm gratuitam misericordiam suam. Quod plenius sapere cœpi in ea disputatione quam scripsi ad beatæ memoriæ Simplicianum, Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ, in mei episcopatus exordio, quando & initium fidei donum Dei esse cognoui & asserui. Quid autem meorum opusculorum frequentius & delectabilius innotescere potuit, quã libri Confessionum mearum, cùm & ipsos ediderim antequam Pelagiana hæresis extitisset? In eis certè dixi Deo nostro, & sæpe dixi; *Da quod iubes, & iube quod vis.* Quæ mea verba Pelagius Romæ, cùm à quodam fratre coëpiscopo meo fuissent eo præsente commemorata, ferre non potuit, & contradicens aliquãto commotius, penè cum eo qui illa commemorauerat, litigauit. Quid verò nobis primitus & maximè Deus iubet, nisi vt credamus in eum? Et hoc ergo ipse dat, si bene illi dictum est, Da quod iubes. Et in eisdem etiã libris quod de mea conuersione narraui, Deo me conuertente ad eam fidem, quam miserrima & furiosissima loquacitate vastabam: nónne ita narratum esse meministis, vt ostenderem me fidelibus & quotidianis matris meę lachrymis ne peritem fuisse concessum? Vbi vtique prædicaui, non solùm auersas à recta fide; sed auersas etiam rectæ fidei, Deum sua gratia ad eam conuertere hominum voluntates. De proficiente porrò perseuerantia quemadmodum Deum rogauerim, & scitis & potestis recensere cùm vultis. Omnia itaque Dei dona quæ in eodem opere siue optaui, siue laudaui, quis non dicam negare, sed dubitare saltem audeat Deum daturum se esse præsciisse, & quibus daturus fuerit, nunquam potuisse nescire? Hæc est prædestinatio manifesta & certa sanctorum: quam postea diligentiùs & operosiùs, cùm iam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentiùs defenderetur scriptura diuina, quam si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem coëgit loca scripturarum, quibus prædestinatio commendata est, copiosius & enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt, *gratiam Dei secundum merita nostra dari:* quod quid est aliud quàm gratiæ omnino negatio?

Supra in epistola Prosperi & Hilarij.

Baruch 2.

In epistola Hilarij.

Lib. 10. cap. 29.

Lib. 3. cap. 11. & 12. & lib. 9. cap. 8.

Hæreses quid bonum per occasionem ecclesiæ adferant.

CAPVT XXI.

HÆC ergo vt ingrata Deo sententia destruatur, gratuitis Dei beneficiis quibus liberamur inimica, & initium fidei, & in ea vsque in finem perseuerantiã secũdum scripturas, vnde iam multa diximus, dona Dei esse defendimus; quoniã si à nobis esse dicimus initiũ fidei, vt eo cætera Dei dona mereamur accipere; concludũt Pelagiani gratiam Dei secũdum merita nostra dari. Quod ita exhorruit catholica fides, vt damnari timens,

timens, hoc Pelagius ipse damnauerit. Itéque si dicimus à nobis esse perseuerantiam nostram, non à Domino, respondent illi, ita nos à nobis habere initium fidei sicut finem; sic argumentantes, multo magis nos habere à nobis illud initium fidei, si à nobis habemus permanere vsque in finé; cùm perficere quàm inchoare sit maius: ac sic identidem cõcludunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari. Si autem vtrunque Dei donũ est, & hæc Deus dona sua, (quod negare quis potest?) daturum se esse præsciuit; prædestinatio prædicanda est, vt possit vera Dei gratia, hoc est, quæ non secũdum merita nostra datur insuperabili munitione defendi. Et ego quidem in illo libro cuius est titulus, De correptione & gratia, qui sufficere non potuit omnibus dilectoribus nostris, puto me ita posuisse donum Dei esse, etiam perseuerare vsque in finem, vt hoc antea, si me non fallit obliuio, tam expresse atque euidẽter, vel nusquàm, vel penè nusquam scripserim. Sed ita hoc nũc dixi, vt nõ ante me nemo dixerit. Beatus quippe Cyprianus in oratione Dominica, sicut iam ostendimus, petitiones nostras ita exposuit, vt in ipsa prima petitione perseuerantiam nos diceret poscere; id nos orare asserens, dicendo, Sanctificetur nomen tuum, cùm iam in baptismate sanctificati fuerimus, vt in eo quod esse cœpimus, perseueremus. Videant tamen ij quibus amantibus me, ingratus esse non debeo, qui propter hoc, quod in quæstionem venit, omnia mea, sicut scribitis, se profitentur amplecti: videant, inquam, vtrum in primi libri posterioribus partibus, eorum duorum quos mei episcopatus initio antequam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum scripsi, remãserit aliquid quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundum merita nostra dari: & vtrum ibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei: & vtrum ex ijs quæ ibi dicta sunt, non consequenter eluceat, etsi non sit expressum, etiam vsque in finem perseuerantiam non nisi ab eo donari, qui nos prædestinauit in suum regnum & gloriam. Deinde ipsam epistolam, quam iam contra Pelagianos ad sanctum Paulinum Nolanum Episcopum feci, cui epistolæ contradicere modò cœperunt; nónne ante annos plurimos edidi? Eam quoque inspiciant quam dedi ad Sixtum Romanæ ecclesiæ presbyterum, quando aduersus Pelagianos acerrima conflictatione certauimus, & talẽ reperient, qualis illa est ad Paulinum. Vnde recolant aduersus hæresim Pelagianam iam ante aliquot annos ista dicta esse atque conscripta, quæ nunc eis displicere mirandum est: quamuis neminem velim sic amplecti omnia mea vt me sequatur, nisi in ijs in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, vt nec meipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem, sed proficienter me existimo Deo miserante scripsisse, non tamen à perfectione cœpisse: quandoquidem arrogantiùs loquor quàm veriùs, si vel nunc dico me ad perfectionem sine vllo errore scribẽdi iam in ista ætate venisse. Sed interest quantum & in quibus rebus erretur; & quàm facilè quisque corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bonę quippe spei est homo, si eum sic proficientẽ dies vltimus vitæ huius inuenerit, vt adijciantur ei quæ proficienti defuerunt, & perficiendus quàm puniendus potius iudicetur. Quocirca, si hominibus, qui propterea me dilexerunt, quia peruenit ad eos, antequam me diligerent, aliqua mei laboris vtilitas, nolo existere ingratus; quanto magis Deo, quem non diligeremus, nisi prius dilexisset nos, & fecisset dilectores suos? quoniam charitas ex ipso est: sicut dixerunt quos fecit magnos, non solùm amatores, verumetiam prædicatores suos. Quid est autem ingratius, quàm

Cap. 6.

Duo libri ad Simplicianum.

Epistola ad Paulinum quæ est numero 106.

Epistola ad Sixtum 106

Bona spei homo.

A negare ipsam gratiã Dei, dicendo eam secundũ merita nostra dari? Quod in Pelagianis fides catholica exhorruit, quod ipsi Pelagio capitale crimen obiecit, quod ipse Pelagius non quidem amore veritatis Dei, sed tamen suæ damnationis timore damnauit. Quisquis autem dicere gratiam Dei secundum merita nostra dari, sicut catholicus fidelis exhorret; nec ipsam fidem subtrahat Dei gratiæ, qua misericordiam consecutus est vt fidelis esset: ac per hoc gratiæ Dei tribuat perseuerantiam quoque vsque in finem, qua misericordiam consequitur, quam poscit quotidie, vt non inferatur in tentationem. Inter initium autem fidei & perfectionem perseuerantiæ, media sunt illa, quibus rectè viuimus, quæ ipsi etiam donari nobis à Deo fide impetrante consentiunt. Hæc autẽ omnia, initium scilicet fidei, & cætera vsque in finem dona sua, Deus largiturum se vocatis suis esse præsciuit. Nimiæ igitur contentionis est, prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.

B Quae tamen non ita populis prædicanda est, vt apud imperitam vel tardioris intelligentiæ multitudinem redargui quodammodo ipsa sua prædicatione videatur: sicut redargui videtur & præscientia Dei, (quam certè negare non possunt,) si dicatur hominibus, *siue curratis siue dormiatis, quod vos præsciuit qui falli non potest, hoc eritis*. Dolosi autem vel imperiti medici est etiam vtile medicamentum sic alligare, vt aut non prosit, aut obsit; sed dicẽdum est, Sic currite, vt comprehendatis, atque vt ipso cursu vestro ita vos esse pręcognitos nouentis, vt legitimè curreretis: & si quo alio modo Dei præscientia prædicari potest, vt hominis segnitia repellatur. Quamuis ergo ita se habeat de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex infidelitate, accepta voluntate obediendi, conuertantur ad fidem, vel perseuerent in fide: cæteri verò qui in peccatorum damnabilium delectatione remorantur, si & ipsi prædestinati sunt, ideo nondum surrexerunt, quia nondum eos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Si qui enim nondum sunt vocati, quos gratia sua prædestinauit eligendos, accipient eandem gratiam, qua electi velint esse & sint. Si qui autem obediunt, sed in regnum eius & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt; nec vsque in finem in eadem obedientia permanebunt.

CAPVT XXII. Prædestinatio quomodo citra offensionem prædicãda.

1. Cor. 9.

C

Quamuis ergo hæc vera sint, non tamen isto modo dicenda sunt audientibus multis, vt sermo ad ipsos etiam conuertatur, eisque dicantur illa istorum verba quæ vestris literis indidistis, & quæ superius interposui: Ita se habet *de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate, accepta obediẽdi voluntate venerit is ad fidẽ?* Quid opus est dici, *alij ex vobis?* Si enim Ecclesiæ Dei loquimur, si credentibus loquimur, cur alios eorum ad fidem venisse dicentes, cæteris facere videamur iniuriam; cùm possimus cõgruentius dicere: Ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt ex infidelitate veneritis ad fidem accepta voluntate obediendi, & accepta perseuerantia maneatis in fide? Nec illud quod sequitur, est omnino dicendum, id est: *cæteri verò qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ miserãtis erexit*: cùm bene & conuenienter dici possit & debeat, Si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam. Quod tamen cùm feceritis, nolite extolli quasi de operibus vestris, aut gloriari quasi hoc non acceperitis; Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate: & à Domino gressus vestri diriguntur, vt eius viam velitis. De ipso autem cursu vestro bono rectoque condiscite vos ad prædestinationem diuinæ gratiæ pertinere. Item quod

Odiosa & fugienda prædicanda prædestinationis formula.

Corripit superiorem formulam.

Phil. 2.

quod sequitur & dicitur: *Veruntamen si qui estis nondũ vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos, accipietis eandem gratiam qua velitis & sitis electi*: durius dicitur quàm dici potest, si nos non quibuslibet hominibus loqui, sed Christi Ecclesiæ cogitemus. Cur enim non potius ita dicitur: Et si qui sunt nondum vocati, pro eis vt vocentur oremus? Fortassis enim sic prædestinati sunt, vt nostris orationibus concedantur, & accipiant eãdem gratiã, qua velint atque efficiantur electi. Deus enim qui omnia quæ prædestinauit impleuit, ideò & pro inimicis fidei orare nos voluit; vt hinc intelligeremus quòd etiam ipse infidelibus donet vt credant, & volentes ex nolentibus faciat. Iam verò quod illis verbis connectitur, miror si vllo modo potest in populo Christiano quisquam infirmus patienter audire, cùm dicitur eis; *Et si qui obeditis, si prædestinati estis reiiciendi, subtrahentur obediendi vires, vt obedire cessetis*. Hoc enim dicere quid videtur aliud esse, quàm maledicere, aut mala quodammodo prophetare? Sed si & de iis qui non perseuerant, aliquid placet dicere, vel necesse est, cur non potius ita saltem dicitur, vt paulo antè à me dictum est: primum, vt non de ipsis, qui in populo audiunt, hoc dicatur, sed de aliis ad ipsos, id est, vt non dicatur: *Si qui obeditis si prædestinati estis reiiciendi*: sed si qui obediunt, & cætera per verbi personam tertiam, non per secundam? Res enim non optabilis, sed abominabilis dicitur, & durissimè atque odiosissimè quasi in audientiũ frontẽ compellendo colliditur, quando quis eis quibus loquitur, dicit, *Et si qui estis qui obeditis: si prædestinati estis reiiciẽdi, subtrahentur obediendi vires vt obedire cessetis*. Quid enim sentẽtię deperit, si ita dicatur, Si qui autẽ obediunt, sed in regnum eius & gloriã prædestinati non sunt, temporales sunt, nec vsque in finẽ in eadem obedientia permanebunt? Nónne & veriùs eadẽ res & congruentiùs dicitur, vt non ipsis tantum malũ tanquam optare videamur, sed de aliis referre, quod oderint, nec ad se existimẽt pertinere, sperando orandoque meliora? Illo autem modo, quo id dicendum putant, eadem sententia eisdem penè verbis etiam de præscientia Dei, quam certè negare non possunt, pronunciari potest, vt dicatur, *Et si qui obeditis, si præsciti estis reiiciendi, obedire cessabitis*. Nempe hoc verissimum est: ita sanè, sed improbissimum, importunissimum, incongruẽtissimum, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito. Illum etiam modum, quo vtendum esse in prædestinationis prædicatione nos diximus, loquenti ad populum non existimo debere sufficere, nisi hoc vel huiusmodi aliquid addat, vt dicat: Vos itaque etiam ipsam obediendi perseuerantiam à patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere, atque hoc faciendo confidere, non vos esse à prædestinatione populi eius alienos, quia etiam hoc vt faciatis, ipse largitur. Absit autem à vobis ideò desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere iubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui spem habet in homine. Et, Bonum est confidere in Domino quàm confidere in homine, quia beati omnes qui confidunt in eum. Hanc spem tenentes, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quoniam de vita æterna, quam filiis promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram; sed faciet nos perseuerare in se vsque in eius vitæ finem, cui quotidie dicimus; Ne nos inferas in tentationem. Hæc atque huiusmodi cùm dicuntur siue paucis Christianis, siue multitudini Ecclesiæ, cur metuimus sanctorum prædestinatio-

Iacob. 1.

Hier. 17.
Psal. 117.

Psal. 2.

De vita æterna nemo in hac vita securus.
Iob 7.

Matth. 6.

A nem & veram Dei gratiam, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, sicut eam sancta scriptura prædicat, prædicare? An verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes eius ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus & infelicissimus poneret?

CAPVT XXIII.

ATQVE vtinam tardi corde & infirmi qui non possunt, vel nondum possunt scripturas, vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, vt magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc seculum. De hac enim re, quam nunc aduersus nouos hæreticos, non commemorare tãtùm; sed planè tueri & defensare compellimur; nunquam tacuit in precibus suis, etsi aliquando in sermonibus exerendam nullo vrgente aduersario non putauit. Quando enim nõ oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis eius vt crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, coniugem habuit infidelem, & non ei petuit à Domino mẽtem obedientem in Christianam fidem? Quis autem sibi vnquam non orauit, vt in Domino permaneret? Aut quis sacerdotẽ super fideles Dominum inuocantẽ, si quando dixit, Da illis Domine in te perseuerare vsque in finẽ, non solũ voce ausus est, sed saltẽ cogitatione reprehendere, ac non potius super eius talem benedictionẽ, & corde credente & ore confitente respondit amen: cũ aliud in ipsa oratione Dominica non orant fideles, dicentes maximè illud, Ne nos inferas in tẽtationẽ, nisi vt in sancta obedientia perseuerent? Sicut ergo in his orationibus; ita & in hac fide nata est & crescit & creuit Ecclesia, qua fide creditur, gratiã Dei non secundũ merita accipiẽtiũ dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia vt daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet & auersas & aduersas hominũ ad se cõuertere voluntates; nec oraret Ecclesia, vt perseueraret in fide Christi, nõ decepta vel victa tentationibus mundi, nisi crederet Dominũ sic in potestate habere cor nostrũ, vt bonum quod nõ tenemus nisi propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur & velle. Nam si hęc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed à seipsa sibi dari putat; non veras, sed perfunctorias orationes habet, quod absit à nobis. Quis enim veraciter gemat, desiderãs accipere quod orat à Dño, si hoc à seipso se sumere existimet nõ ab illo: præsertim, quoniã quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus, ait Apostolus, interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus? Qui enim scrutatur corda, scit quid sapiat spiritus, quia secundũ Deũ interpellat pro sanctis. Quid est, ipse spiritus interpellat, nisi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus, sed veracibus, quoniã veritas est spiritus? Ipse est enim de quo alio loco dicit; Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra, clamantem, Abba pater. Et hîc quid est, clamantẽ, nisi clamare faciẽtẽ, tropo illo quo dicimus lætũ diem, qui lætos facit? Quod alibi manifestat, vbi dicit; Non enim accepistis spiritũ seruitutis iterũ in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorũ, in quo clamamus, Abba pater. Ibi dixit, clamãtem; hic verò, in quo clamamus: aperiens videlicet quomodo dixerit, clamantem, id est, sicut iam exposui, clamare facientem. Vbi intelligimus, & hoc ipsum esse donum Dei, vt veraci corde & spiritaliter clamemus ad Deũ. Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis vt petamus, quæramus, pulsemus; & hoc esse dicunt quòd gratia præceditur merito nostro, vt sequatur illa, cùm accipimus petentes, & inuenimus quærentes, aperiurque pulsantibus: nec volunt intelligere etiam hoc diuini muneris esse, vt oremus, hoc est petamus, quæramus, atque pulsemus. Accipimus enim spiritum adoptionis filiorum, in quo clama-

Ecclesia totius in ipsis orationibus testimonium.

Rom. 8.

S. Spiritus quo sensu interpellet pro nobis et clamet.

Abba pater. Gal. 4.

Rom. 8.

clamamus, Abba pater. Quod vidit & beatus Ambrosius. Ait enim, *Et orare Deum, gratiæ spiritalis est; sicut scriptum est: Nemo dicit Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto.* Hæc igitur quæ poscit à Dño, & semper ex quo esse cœpit, poscit Ecclesia, ista Deus vocatis suis daturum se esse præsciuit, vt in ipsa prædestinatione iam dederit, quod Apostolus sine ambiguitate declarat. Scribens quippe ad Timotheum; Collabora, inquit, Euãgelio secundum virtutem Dei saluos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundũ opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna; manifestata autem nunc per aduentum saluatoris nostri Iesu Christi. Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis huius & gratiæ, quę nunc contra nouos hęreticos cura diligentiori defenditur; ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet aliquando eam non orasse, vel nõ veraciter orasse, siue vt crederent infideles, siue vt perseuerarent fideles. Quæ bona si semper orauit, semper ea Dei dona esse vtique credidit, nec ab illo esse præcognita vnquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædestinationis huius fidem, quæ contra nouos hæreticos noua solicitudine nunc defenditur, nunquam ecclesia Christi non habuit.

In comment. super Esaiã. 1. Cor. 12.

2. Tim. 1.

CAPVT XXIIII. *Conclusio.*

SED quid plura? Satis docuisse me existimo, vel potius plus quã satis, dona Dei esse, & incipere in Dũm credere, & vsq; in finẽ in Dño permanere. Cætera verò bona ad vitã piã, qua Deus rectè colitur pertinẽtia, etiã ipsi propter quos hæc agimus, Dei dona esse cõcedũt. Omnia porrò dona sua, & quibus ea fuerat largiturus, Deũ præsciisse negare non possunt. Sicut ergo cætera prædicanda sunt, vt qui ea prædicat, obediẽter audiatur; ita prædestinatio prædicãda est, vt qui obedienter hæc audit, non in homine, ac per hoc nec in seipso, sed in Domino glorietur, quia & hoc Dei præceptum est; & hoc præceptum obedienter audire, id est, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, similiter vt cætera, Dei donum est. Quod donum qui non habet, non dubito dicere, alia quęcunque habet, inaniter habet. Hoc Pelagiani, optamus, vt habeant, isti autẽ nostri vt plenius habeant. Non itaque simus in disputationibus prompti, & in orationibus pigri. Oremus dilectissimi, oremus, vt Deus gratiæ det etiam inimicis nostris, maximeque fratribus & dilectoribus nostris, intelligere & confiteri post ingentẽ & ineffabilẽ ruinam, qua in vno omnes cecidimus, neminem nisi gratia Dei liberari; eamque non secundum merita accipientium tanquam debitam reddi, sed tanquã veram gratiam nullis meritis præcedentibus gratis dari. Nullum autem est illustrius prædestinationis exemplum quàm ipse Iesus; vnde & in primo libro iam disputaui, & in huius fine commendare delegi: nullum est, inquam, illustrius prædestinationis exemplum quàm ipse mediator. Quisquis fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inueniat & seipsum. Fidelis, inquam, qui in eo veram naturam credit, & confitetur humanam, id est nostram, quamuis singulariter suscipiente Deo verbo, in vnicum filium Dei sublimatam, ita vt qui suscepit & quod suscepit, vna esset in Trinitate persona. Neque enim homine assumpto quaternitas facta est, sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabiliter faciente personæ vnius in Deo & homine veritatem. Quoniam non Deum tantum dicimus Christum, sicut hæretici Manichæi; nec hominem tantũ, sicut hęretici Photiniani; nec ita hominem vt aliquid minus habeat quod ad humanam certum est pertinere naturam; siue animam, siue in ipsa anima mentem rationalem, siue carnem, non de femina sumptam, sed factam de verbo in carnẽ conuerso atque mutato. quæ omnia tria falsa & vana hæreticorum Apollinaristarum tres partes varias diuersasque fecerunt. Sed dicimus Christũ Deum verum, natum de Deo patre sine vllo initio temporis, eundẽque hominẽ verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis, nec eius humanitatem; qua minor est patre, minuere aliquid eius diuinitatem, qua æqualis est patri; hoc autẽ vtrumque vnus est Christus, qui & secundum Deum verissimè dixit, Ego & pater vnum sumus; & secundum hominem verissimè dixit; Pater maior me est. Qui ergo hunc fecit ex semine Dauid hominem iustum, qui nunquàm esset iniustus, sine vllo merito præcedentis voluntatis eius; ipse ex iniustis facit iustos, sine vllo merito præcedentis voluntatis ipsorum, vt ille caput, hi membra sint eius. Qui ergo fecit illum hominem sine vllis eius præcedentibus meritis, nullũ quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum; ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Qui fecit illum talem vt nunquàm habuerit habiturusque sit voluntatem malam, ipse facit in membris eius ex mala volũtate bonam. Et illum ergo & nos prædestinauit, quia & in illo vt esset caput nostrum; & in nobis, vt eius corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præsciuit. Qui legunt hæc, si intelligunt, agãt Deo gratias; qui autem non intelligunt, orẽt vt eorum ille sit doctor interior, à cuius facie est scientia & intellectus. Qui verò errare me existimant, etiam atque etiam diligenter quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. Ego autem cùm per eos qui meos labores legunt, non solum doctior, verum etiam emendatior fio, propitiũ mihi Deum agnosco; & hoc per Ecclesiæ doctores maximè expecto, si & in ipsorum manus venit, dignenturque nosse quod scribo.

2. Cor. 1.

Prædestinationis illustrissimum exemplum Christus Iesus. Cap. 15.

De Christi incarnatione perniciose sentiunt Manichei, Photiniani.

Apollinaristæ, qui omnia tria fuere falsa.

Ioan. 10. Ioan. 14.

Pron. 2. secundum 70.

APPEN-

APPENDIX POSTERIORIS PARTIS TOMI SEPTIMI, CONTINENS PRIMVM EA QVÆ AD DOCTRINÆ B. AVGVSTINI, DE GRATIA DEI, PERTINENT DEFENSIONEM:

Deinde quæ falsò ei hactenus fuerunt adscripta.

D. PROSPERI AQVITANICI REGIENSIS EPISCOPI, aduersus calumniatores doctrinæ B. Augustini de Gratia Dei; RESPONSIONVM LIBER PRIMVS, qui est ad Capitula obiectionum Gallorum.

AD LECTOREM.

QVATVOR *horum librorum occasionem & argumentum habes in præfatione, quam præfiximus libris de Prædestinatione sanctorum & perseuerantiæ dono. Qui verò inter eos secundus est ordine, obiectionibus Vincentianis respondens, solus est qui in vulgatis exemplaribus perperam erat Augustino adscriptus, titulo,* Ad articulos falsò sibi impositos Augustini responsio. *Cæteros in gratiam adiecimus studiosorum.*

Præfatio.

DOCTRINAM quam sanctæ memoriæ Augustinus episcopus contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrij decomptores, per multos annos apostolicè asseruit, literisque mandauit: quibusdam visum est aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere. Et hoc quasi compendium cognitionis his, qui iudicio eorum ducebantur, afferre: vt quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse iactabant, breuium capitulorum indiculis publicarent: talique commento & detestationẽ eius quem impeterent, obtinerent; & ab his quæ infamassent, curam exterriti lectoris auerterent. Ne ergo hanc persuasionem temerè quis recipiat, & talem putet sensum scriptis catholici inesse doctoris, qualem eum, qui frustra calumniantur, ostentant, singulis capitulis, quæ rationis titulo prænotarunt, breui & absoluta professione respondeo: in nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in sancti viri disputationibus continentur: vt facilè vel tenuis diligentiæ aduertat inspector, quàm iniustis opprobriis catholici prædicatoris memoria carpatur: & in quod peccatum cadant, qui aliena instigatione commoti, scriptorem celeberrimi nominis promptius habeant culpare, quàm nosse.

OBIECTIO I. CAP. I.

Quòd ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate, homines ad peccata compulsi, cogantur in mortem.

PRÆDESTINATIONEM Dei nullus catholicus negat; fatalem autem necessitatem, multi etiam non Christiani refutant. Peccatum ergo ad mortem trahit, sed ad peccandum neminẽ Deus cogit. Nemini enim mandauit impiè agere: &, Odisti Domine omnes qui operãtur iniquitatẽ: perdes eos qui loquuntur mendacium. Proinde qui prædestinationis nomine fatum prædicat, tam non est probandus, quàm qui fati nomine veritatem prædestinationis infamat. Fati enim opinio vana est, & de falsitate concepta. Prædestinationis autem fides, multa sanctarum authoritate scripturarum munita est: cui nullo modo fas est ea, quæ ab hominibus malè aguntur, adscribi, qui in procliuitatem cadendi non ex conditione Dei, sed ex primi patris præuaricatione venerunt. De cuius pœna nemo liberatur, nisi per gratiam Domini nostri Iesu Christi præparatam & prædestinatam in æterno consilio Dei ante constitutionem mundi.

Eccl. 15.

Psal. 5.

OBIECTIO II. CAPVT II.

Quòd ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum.

OMNIS homo qui credens in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum regeneratur in baptismo, tam à propriis peccatis, quæ mala voluntate & actione contraxit, quàm ab originali, quod à parentibus traxit, absoluitur. Sed relapsum post baptismum ad infidelitatẽ & impios mores, qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quàm qui eundem adfirmat, non æterna morte esse damnandum. Qui enim recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter postrema crimina ea mente afficietur, quæ ei propter illa quæ remissa sunt, debebatur. Quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit: sine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædestinauit, & perituum nunquam ab æterna perditione discreuit.

OBIECTIO III. CAPVT III.

Quòd non prædestinati ad vitam, etiam si fuerint in Christo per baptismum generati, & piè iustèque vixerint, nihil eis prosit, sed tamdiu reseruentur, donec ruant & pereant: nec antè eos ex hac vita, quam hoc eis contingat, auferri.

A sanctitate ad immunditiam, à iustitia ad iniquitatem, à fide ad impietatem plerosque transire non dubium est: & tales ad prædestinationem filiorum Dei, cohæredum Christi, non pertinere, certissimum est. Quòd ergo huiusmodi in hæc prolapsi mala, sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereũdi habuerunt quia prædestinati non sunt: sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præsciti sunt. Quòd autẽ illos non eo tempore, quo in fide recta & bonis moribus erant, ab hac vita abstulit: ad occulta eius iudicia, quæ tamen nunquam sunt iniusta, referendum est. Quis enim nesciat intra vnam conditionem mortalitatis humanæ, ab vnius horæ infantia, vsque ad annosissimam senectutem, exitus morientium, impari ætatis sine variari? neque cuiusquam animam citiùs vel tardiùs quàm Deus voluerit, à corpore quod viuificat, abscedere? Si ergo aliquis in vitæ suæ longitudine deseruit Deum, bono, quod erat ex Deo, malè vsus est. Nam longæuitas non est nisi ex Deo. Et quod ex Deo est, non nisi bonum est: & quod bonum est, mali causa non est. Non itaque rectè opinatur, qui putat prorogatorem vitæ, lapsuris authorem esse peccati; cùm vtique non peccatum sit diu viuere, sed malè viuere: quod etiam in paucorum annorum ætate fieri potest. Igitur sicut bona opera ad inspiratorem eorum Deum, ita mala ad eos sunt referenda qui peccant. Non enim relicti sunt à Deo, vt relinquerent Deum: sed reliquerunt, & relicti sunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt. Atque ab hoc licet fuerint renati, fuerint iustificati, ab eo tamen qui illos tales præsciuit, non sunt prædestinati.

OBIECTIO IIII. CAPVT IIII.

Quòd non omnes homines vocentur ad gratiam.

NON omnes vocari ad gratiam eos, quibus omnibus Euangelium prædicatur, non rectè dicitur, etiam si sint qui Euangelio non obaudiant: nisi ad eos respicitur, quibus nondum sacramentum crucis Christi, & redemptio sanguinis eius innotuit. Quia etiamsi cõstaret, quòd iam in vniuersis nationibus, & omnibus finibus terræ totus mundus Euangelium recepisset (quod vtique futurum verissimè prænunciatum est) non esset tamen dubium, à tempore resurrectionis Domini vsque ad præsentem ætatem fuisse homines, qui ab hac vita sine Euangelij cognitione transierint: de quibus dici possit, quòd vocati non sint, quia nec spem vocationis audierint. Quòd si quisquam hanc vocationis

tionis plenariam generalitatem, ita ſemper aſſerit celebratam, vt ab aſcenſione Domini in cælum, ne vnus quidem annus effluxerit, intra quem non ad omnes prædicatio miſſa peruenerit, videat quomodo tunc Aſianos vocatos probet, quando Apoſtoli (ſicut ſcriptum eſt) vetiti ſunt à Spiritu ſancto, loqui verbũ Dei in Aſia, aut Bithynios, ad quos iidem Apoſtoli tentabãt ire, & non permiſit eos ſpiritus Ieſu. Videat etiam quomodo tueatur denunciationem ipſius veritatis, dicentis: Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Nutat namque (quod dici nefas eſt) fides verbi, ſi ante quadringentos annos Euangelio impletus eſt mundus, & adhuc Domini differtur aduentus. Poſtremò reſpiciantur etiam inter Chriſtianos populos tot milia parturorum, qui ab hac vita ſine baptiſmo tranſierunt, & aliquo modo probentur vocati, quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit ſubuenire.

Act. 16.

Matth. 24.

CAP. V.

OBIECTIO V.

Quòd qui vocati ſunt, non æqualiter ſint vocati; ſed alij vt crederent, alij vt non crederent.

SI vocatio in Euangelij tantùm prædicatione intelligatur, non veraciter dicitur, quòd aliis atque aliis, aliter atque aliter prædicetur: cùm vnus ſit Deus, vna fides, vna regeneratio, vna promiſſio. Si autem ad effectum plantationis & rigationis aſpicitur, aliud actum eſt cum eis, quorum exteriores aures corporali voce pulſatæ ſunt: aliud in eis, quorum interiorem ſenſum Deus aperuit, & in quorum corde poſuit fidei fundamentum, dilectioniſque feruorem. Quoſdam autem ideo vocatos dicere, vt non crederent, nimis abſurdum eſt, quaſi vocatio eis cauſa infidelitatis extiterit, & prædicatio fidei fecerit infideles. Quãuis enim diſpẽſatores verbi Dei quibuſdam ſint (ſicut ſcriptum eſt) odor mortis ad mortem: Deo tamen bonus Chriſti ſunt odor, qui prædicant Chriſtum crucifixum, Iudæis quidẽ ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Iudæis & Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Quòd ergo prædicatus Chriſtus crucifixus, Iudæis erat ſcandalum, & Gentibus ſtultitia, humanæ voluntatis faciebat auerſio. Quòd verò ipſis vocatis Iudæis & Græcis Chriſtus erat Dei virtus & Dei ſapientia, diuinæ gratiæ præſtabat operatio.

2 Cor. 2.

1 Cor. 2.

CAPVT VI.

OBIECTIO VI.

Quòd liberum arbitrium in homine nihil ſit; ſed ſiue ad bonum, ſiue ad malum, prædeſtinatio Dei in hominibus operetur.

LIBERVM arbitrium nihil eſſe, vel non eſſe, perperam dicitur: ſed ante illuminationem fidei in tenebris illud & in vmbra mortis agere, non rectè negatur. Queniam prius quàm à dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo iacet, in quod ſe ſua libertate demerſit. Amat ergo languores ſuos, & pro ſanitate habet, quòd ægrotare ſe neſcit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, vt incipiat noſſe quòd langueat, & poſſit opem medici deſiderare, qua ſurgat. Iuſtificatus itaque homo, id eſt, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum, quo medio adquirat & meritum; vt quod in illo inchoatum eſt per gratiam Chriſti, etiam per induſtriam liberi augeatur arbitrij, nunquam remoto adiutorio Dei, ſine quo nec proficere nec permanere in bono quiſquã poteſt. Prædeſtinationem autem Dei ſiue ad bonum, ſiue ad malum, in hominibus operari, ineptiſſimè dicitur, vt ad vtrumque homines quædam neceſſitas videatur impellere: cùm in bonis voluntas ſit intelligenda de gratia, in malis autem voluntas intelligenda ſine gratia.

CAPVT VII.

OBIECTIO VII.

Quòd Deus quibuſdam filiis ſuis, quos regenerauit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, ob hoc non det perſeuerantiam, quia non ſunt à maſſa perditionis præſcientia Dei & prædeſtinatione diſcreti.

Ex regeneratis in Chriſto Ieſu, quoſdam, relicta fide & piis moribus, apoſtatare à Deo, & impiam vitam in ſua auerſione finire, multis (quod dolendum eſt) probatur exemplis. Sed horũ lapſum Deo aſcribere, immodicæ prauitatis eſt; quaſi ideo ruinæ ipſorum impulſor atque author eſt, quia illos ruituros propria ipſorum voluntate præſciuit; & ob hoc à filiis perditionis nulla prædeſtinatione diſcreuit. Nã quomodo eos haberet præordinatam in Chriſto electio, cùm dubium non ſit, donum Dei eſſe perſeuerantiam in bono vſque ad finem: quam iſtos ex eo ipſo, quòd non perſeuerauerunt, non habuiſſe manifeſtum eſt. Non eſt calumniandum Deo quare iſtis non dederit, quod aliis dedit: ſed confitendum eſt, & miſericorditer eum dediſſe quod dedit, & iuſtè non dediſſe quod non dedit: ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur cauſa labendi, ita ex ipſo videatur & ſtandi: cùm illud humano fiat opere, hoc diuino impleatur ex munere.

OBIECTIO VIII.

CAPVT VIII.

Quòd non omnes homines velit Deus ſaluos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum.

SI circa vniuerſitatem generis humani ſaluandam, & in agnitionem veritatis vocandam, ita indifferens per omnia ſecula aſſerenda eſt voluntas Dei, vt vſquequaque neminem hominum prætermiſiſſe monſtretur, impenetrabilis iudiciorum Dei altitudo pulſatur. Quare enim in præteritis ſeculis dimiſerit Deus omnes gentes ingredi vias ſuas, quãdo Iacob elegit ſibi Dominus: & nõ fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua nõ manifeſtauit eis: Et cur qui aliquando non populus, nunc autẽ populus Dei ſit: & quorum aliquando non miſertus eſt, nũc autem miſereatur: & vbi dictum eſt, Non plebs mea vos, ibi vocentur filij Dei viui: &, quare quod quærebat Iſrael non ſit conſecutus, electio autem conſecuta eſt, cæteri verò excæcati ſunt: impoſſibile eſt comprehendere, & periculoſæ curioſitatis eſt quærere: cùm tamen, quòd nulla ſit apud Deum iniquitas, nemini liceat ignorare: nec alia gratia, aut alia fide, quenquam hominum ſiue ante legem, ſiue legis tempore iuſtificatum eſſe credendum ſit, quàm hac eadem, per quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, in fine ſeculorum venit quærere & ſaluare quod perierat. Cauſas verò operum & iudiciorum Dei, qui ex toto ad humanas voluntates & actiones refert, quas tamen in paruulorum adoptione aut abdicatione non inuenit, & diſpenſationes Dei ex liberi arbitrij vult mutabilitate variari, profiteretur ſibi ſcrutabilia iudicia Dei, & veſtigabiles vias eius. Et quòd doctor gentium Paulus non audebat attingere, hic ſe exiſtimat referatum poſſe vulgare. Quodque non minoris impietatis eſt, ipſam gratiam, qua ſaluamur, aut bonis meritis docet rependi, aut malis adfirmat arceri. Remoto ergo obſcuratum turbine quæſtionum, ad reuelatæ nos gratiæ latitudinem cõferamus; dicamuſque cum Apoſtolo, Quomodo Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: Et iterum dicamus cum Apoſtolo: Qui eſt ſaluator omnium, maximè fidelium. Et audiamus Dominum dicentem Apoſtolis ſuis: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, docentes eos quæcunque mandaui vobis. Audiamus quoque ad Abraham promiſſionem Dei, dicentis: In ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ. Et ſi filij promiſſionis ſumus, non hæſitemus diffidentia, ſed cum patre noſtro Abraham demus gloriam Deo, & pleniſſimè credamus, quoniam quòd promiſit, potens eſt & facere. Audiamus Dauid prophetantem: Commemorabuntur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu eius omnes patriæ gentium. Et alibi: Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Et alibi: Omnes gentes quaſcunque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabũt nomen tuum. Quæ promiſſionoes, quia veriſſimę ſunt, nec poſſunt ex vlla parte nutare, in his implentur qui ſalui fiunt per vniuerſos fines terræ: quoniam quod promiſit Deus potens eſt & facere. Hæc ergo eſt illa totius humani generis adſumptio, hæc filiorum Dei adoptio, hæc gentium plenitudo, præſcita & prædeſtinata in Chriſto ante conſtitutionem mundi. Hæc eſt Hieruſalẽ, quæ ab initio vſque in finem lapidibus viuis & electis ædificatur, vt ciuitas fundata in ipſo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in Domino. De his lapidibus nihil eiicitur, nihil minuitur, nihil rapitur. Veritas enim dicit: Omne quod dat mihi pater, veniet ad me; & eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Et iterum: Non creditis, quia non eſtis de ouibus meis. Oues meę vocem meam audiunt, & ego noui illas, & ſequuntur me, & ego vitam æternã do illis, & non peribunt in æternum, nec quiſquam rapiet eas de manu mea. Omnium ergo hominum cura eſt Deo: & nemo eſt quem non aut Euangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut ipſa etiam natura conueniat. Sed infidelitatem hominum, ipſis adſcribamus hominibus. Fidem autem hominum, donum Dei eſſe fateamur, ſine cuius gratia nemo currit ad gratiam. Et cum ducentis quatuordecim ſacerdotibus, quorum conſtitutionem contra inimicos gratiæ Dei totus mundus amplexus eſt, veraci profeſſione, quemadmodum ipſorum habet ſermo, dicamus, gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum, non ſolùm ad cognoſcendam, verumetiam ad faciẽdam iuſtitiam nos per actus ſingulos adiuuare: ita, vt ſine illa nihil veræ ſanctæque pietatis habere,

Pſal. 134.

Pſal. 147.

1 Pet. 2.

Oſee 2.

Rom. 11.

2 Pet. 19.

Rom. 11.

1 Tim. 2.

1 Tim. 4.

Matth. 28.

Gen. 26.

Rom. 4.

Pſal. 21.

Pſal. 71.

Pſal. 85.

Rom. 4.

1 Pet. 2.

Ioan. 6.

Ioan. 10.

habere, cogitare, dicere, agere valeamus. Neque hæc dona ita ex Deo eſſe opinemur, vt quia ipſe naturæ noſtræ autor eſt, per conditionem iam hæc contuliſſe videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem: ſed omnes eam in illo amiſimus, in quo omnes peccauimus. Vnde alia creatione, alioque principio renouari egemus in Chriſto: in quo ſumus noua creatura, nouumque figmentum: & per quem nobis, nullis bonis, & multis malis meritis præcedentibus, donatur, vt ſimus ex vaſis iræ, vaſa miſericordiæ.

OBIECTIO IX.

CAP. IX.

Quòd non pro totius mundi redemptione ſaluator ſit crucifixus.

NVLLVS omnino eſt ex omnibus hominibus, cuius natura in Chriſto Domino noſtro ſuſcepta nõ fuerit, quãuis ille natus ſit in ſimilitudine carnis peccati: omnis autẽ homo naſcatur in carne peccati. Deus ergo Dei filius, mortalitatis humanæ particeps factus abſque peccato, hoc peccatoribus & mortalibus contulit, vt qui natiuitatis eius conſortes fuiſſent, vinculum peccati & mortis euaderent. Sicut itaque non ſufficit hominum renouationi, natum eſſe hominem Ieſum Chriſtum, niſi in ipſo eodem de quo ipſe ortus eſt, ſpiritu renaſcantur: ſic non ſufficit hominum redemptioni, crucifixum eſſe Dominum Chriſtum, niſi commoriantur ei, & conſepeliantur in baptiſmo. Alioquin nato ſaluatore in carne ſubſtantiæ noſtræ, & crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat neceſſarium, vt renaſceremur, & ſimilitudine mortis eius complantaremur: ſed cùm ſine hoc ſacramento, nemo hominum conſequatur vitam æternam, non eſt ſaluatus cruce Chriſti, qui non eſt crucifixus in Chriſto. Non eſt autem crucifixus in Chriſto, qui non eſt membrum corporis Chriſti, qui non per aquam & Spiritum ſanctum induit Chriſtum. Qui ideo infirmitate noſtra communionem ſubiit mortis, vt nos in virtute eius haberemus conſortium reſurrectionis. Cùm itaque rectiſſimè dicatur ſaluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: poteſt tamen dici pro his tantùm crucifixus, quibus mors ipſius profuit. Dicit enim Euãgeliſta: quia Ieſus moriturus erat pro gente, non tantùm pro gente, ſed etiam vt filios Dei diſperſos congregaret in vnum. In ſua enim venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: Qui nõ ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Diuerſa ergo ab iſtis ſors eorum eſt, qui inter illos cõſentur, de quibus dicitur: Mundus eum non cognouit, vt poſſit ſecũdum hoc dici redemptor mũdi: dedit pro mundo ſanguinem ſuum, & mundus redimi noluit: quia lucem tenebræ non receperunt. Et tenebræ receperunt: quibus dicit Apoſtolus: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ipſe verò Dominus Ieſus, qui dixit ſe veniſſe quærere & ſaluare, quod perierat: Non veni, inquit, niſi ad oues quæ perierant domus Iſraël. Neque quia ſunt ſemen Abrahæ, omnes filij, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, id eſt, non qui filij carnis, hi filij Dei: ſed qui filij promiſſionis æſtimantur in ſemine. In iſtis ergo ſunt illi, de quibus dictum ſuprà memorauimus: quia Ieſus moriturus erat pro gente: non tantùm pro gente, ſed etiam vt filios Dei diſperſos congregaret in vnum. Quia non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus, per eum, qui vocat quæ non ſunt, tanquam quæ ſunt, & qui diſperſos Iſraël congregat, filij Dei filij promiſſionis in vnã eccleſiam congregentur: vt impleatur quod promiſſum eſt Abrahæ cui dictum eſt, quòd in ſemine eius benedicendæ eſſent omnes tribus terræ.

Pſal. 144.

2 Tim. 2.

Rom. 1.

Ioan. 11.

Ioan. 1.

Epheſ. 5.

Luc. 19.

Gen. 21.

OBIECTIO X.

CAP. X.

Quòd quibuſdam Euangelij prædicatio à Domino ſubtrahatur, ne percepta Euangelij prædicatione ſaluentur.

SI probari poteſt, quòd ex quo Euangelium prædicatur, nemo prorſus fuerit, cui Chriſtiana gratia adnunciata non fuerit, non rectè dicitur tacitum, quod oſtenditur prædicatum: Si autem aliquo modo inueniuntur homines, quibus Euangelium non fuerit prædicatum, non poteſt dici ſine iudicio Dei factum: quod nefas eſt ideo reprehendi, quia non poteſt comprehendi.

OBIECTIO XI.

CAPVT XI.

Quòd per potentiam Deus homines ad peccata compellat.

NVLLVS catholicorum dixit aut dicit, quòd Deus homines piè rectèque viuentes, per potentiam in peccata compellat, & innocentiæ humanæ poteſtas diuina vim faciat, vt eam à propoſito bonæ conuerſationis excutiat. Non ſunt Dei opera iſta, ſed diaboli: cuius gaudium eſt ruina ſanctorum: ſed alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos: quibus dat pœnitẽtiam; vt reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenebantur ad ipſius voluntatem. Cùm verò aliquos à Deo aut traditos deſideriis ſuis, aut obduratos legimus, aut relictos, magnis peccatis ſuis hoc ipſos meruiſſe profitemur: quia talia eorum crimina præceſſerunt vt ipſi ſibi pœnas debuerint, quę eis etiam ſupplicium verteret in reatũ. Atque ita nec de iudicio Dei querimur, quo deſerit meritos deſeri: & miſericordiæ eius gratias agimus, qua liberat non meritos liberari.

OBIECTIO XII.

CAPVT XII.

Quòd quibuſdam vocatis, & piè iuſtèque viuentibus obedientia ſubtrahatur vt obedire deſiſtant.

SI Deus hominem ſibi obedientem à pietate deturbat, & bene currentem cadere facit: ergo pro bonis mala retribuit, & iniuſtè punit, quod vt fiat impellit. Quid tam peruerſum, quid tam inſanum dici aut cogitari poteſt? Sed in talem ſenſum trahuntur, qui putant in omnibus hoc eſſe præſcientiam Dei, quod & voluntatem: cùm voluntas eius nunquam velit niſi bona: præſcientia autem & bona noſcit & mala: ſed bona quæ aut ipſe faciat, aut etiam vt nos faciamus, imperat: mala autem, quę omnino ipſe non fecit, neque fieri ſuaſit, aut impulit. Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam ſubtraxit, quia eum nõ prædeſtinauit: ſed quia receſſurum ab ipſa obedientia eſſe præuidit, ideo eum non prædeſtinauit.

OBIECTIO XIII.

CAPVT XIII.

Quòd quidam homines non ad hoc à Deo creati ſunt, vt vitam adipiſcerentur æternam: ſed vt habitum tantummodo ſeculi præſentis ornarent, & ad vtilitatem naſcerentur aliorum.

VNIVERSOS homines non ignoramus à Deo ſingillatim creari, & de hac vniuerſitate alios damnandos cũ diabolo, alios regnaturos eſſe cum Chriſto. Quòd ergo etiam hi creantur, qui æternæ vitæ participes non erunt, nulla eſt culpa creatoris, qui naturæ author eſt, non vitij, quod natura contraxit. Ornari autem etiam talium conditione mundi huius varietatem, quis non intelligat, qui videat ſtudiis & operibus quorundam impiorum tot commoda vitæ præſentis inſtructa in inuentione artium, in extructione vrbium, in conſtitutione legum, in confœderatione populorum? Quòd ſi quæritur an de iſtis, quos à vera religione impius error auertit, aliquid boni profectibus ſanctorum, & incrementis eccleſiæ prouidentia diuina contulerit, inſpiciatur primùm ipſa crux Chriſti: in qua magno ſcelere Iudæorum miſericors voluntas Dei, vt pro redemptione noſtra vnicus filius eius occideretur, impleta eſt. Inſpiciatur Apoſtolorum glorioſa tolerantia, inter perſequẽtium fremitus hac animi voce ad Deum clamantium: Conuenerunt ergo verè in ciuitate iſta, aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum quem vnxiſti, Herodes & Pontius Pilatus, cũ gentibus & populis Iſraël, vt facerent quæ manus tua & conſilium prædeſtinauit fieri. Inſpiciantur denique innumerabilium martyrum palmæ, quibus de crudeliſſima infidelium ſæuitia felix eſt collata victoria. Audiatur etiam Apoſtolus eccleſiam Dei ad perſeuerantiam pietatis inſtituens: In nullo, inquit, terreamini ab aduerſariis, quæ eſt illis cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo. Vobis enim donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini. De illis quoque erroribus conſulens nobis Dei bonitas ſentiatur, quos Deus in eccleſia contra eccleſiam permiſit exurgere: non vtique eos creans aut fouens, ſed per ipſos diligentiam filiorum ſuorum ad inquiſitionem & cuſtodiam veritatis exercens, dicente Apoſtolo: Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant in vobis. Quis autem reſpiciens ad tenebras impiorum, & ad illuminationem filiorum, non ad gratias agendas Deo, ex ipſa fiat collatione feruentior: & in ruina pereuntium diſcat, in quæ mala per liberum arbitrium rueret, niſi ei per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei gratia ſubueniret?

Act. 4.

Philip. 1.

1 Cor. 11.

OBIECTIO XIIII.

CAPVT XIIII.

Quòd qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædeſtinatione non credant: & quòd Deus ita definierit, vt quicunque non credunt, ex ipſius conſtitutione non credant.

INFIDELITAS non credentium Euangelio, nequaquam ex Dei prædeſtinatione generatur. Bonorum enim Deus author eſt, non malorum. Prædeſtinatio igitur Dei ſemper in bono eſt, aut ad retributionem iuſtitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas. Proinde infidelitas non credentium, non ad conſtitutionem Dei, ſed ad præſcientiam referenda eſt. Quæ non ideo ad neceſſitatem non credendi intulit, quia falli de ea, quæ futura erat, infidelitate,

Pſal. 24.

fidelitate, non potuit. Fides autem & charitatis opera, atque in eis vsque in finem perseuerantia, quia homini per Dei gratiam conferuntur, rectè & ista, & quæ eis retribuenda sunt, prædestinata dicũtur ex autoritate Apostoli, qui ait: Gratia Dei salui facti estis per fidem, & hoc nõ ex vobis, sed Dei donum est. Non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmẽtum, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. Tam ergo in errore est, qui infidelitatem impiorum ad Dei constitutionem refert; quàm qui fidei iustiuæque sanctorum, nõ Deum profitetur autorem. Qui enim quod acceperat perdidit. non inde id recipit vnde perdidit, sed ab illo recipit quod habeat, à quo quod amisit acceperat.

Ephes. 2.

Cap. xv.

OBIECTIO XV.

Quòd idem sit præscientia quod prædestinatio.

QVI præscientiam Dei in nullo ab ipsius prædestinatione discernit, quod tribuendum est Deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur ascribere. Sed cùm bona ad largitorem cooperatorémque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint, dubium non est, sine vlla temporali differentia Deum & præscisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant autore facienda, vel quæ malis meritis iusto erant iudicio retribuenda. Præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Potest itaque sine prædestinatione esse præscientia. Prædestinatio autem sine præscientia esse non potest. Quãuis ergo ad omnes obiectiones seu querulę imperitiæ, seu fallacis inuidiæ, planissimè ac plenissimè, quantum Dominus dedit, existimem esse responsum, professionem tamen sensus nostri etiam in breuia coartemus: vt sub paucorum verborum simplicitate, magis magisque appareat, nos, quod de suprà scriptis capitulis intelligimus, nulla circumloquendi arte pretexere, sed absolutè ac liberè & praua respuere, & cõsensum probabilibus non negare.

Capvt xvi. *Singulis obiectionum capitulis singulas opponit sententias.*

QVISQVIS igitur ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate homines in peccata compulsos, cogi dicit in mortem, non est catholicus. Nullo enim modo prædestinatio Dei iniquos facit, neque cuiusquam omnino est causa peccati.

I. ITEM, Qui dicit, quòd ab his qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatũ, non est catholicus. Sacramentum enim baptismatis, quo omnia prorsus peccata delentur, etiam in eis verum est, qui non sunt in veritate mansuri, & ob hoc ad vitam veram non sunt prædestinati.

II.

III. ITEM, Qui dicit, quòd non prædestinati ad vitam, etiam si fuerint in Christo baptismate regenerati, & piè iusteque vixerint, nihil eis prosit, sed tamdiu reseruentur, donec ruant: nec antè eos ex hac vita, quàm hoc eis contingat, auferri, tanquam ad constitutionem Dei talium hominum ruina referenda sit: nõ est catholicus. Quia non ideò Deus tempus ætatis cuiquã prolongauit, vt diu viuendo corrueret, & à fide recta in sua longæuitate deficeret: cùm inter beneficia Dei numeranda sit ipsa lõgæuitas, qua homo melior debuit esse, non peior.

IIII. ITEM, Qui dicit, quòd non omnes vocentur ad gratiam, si de his loquitur quibus Christus annunciatus non est, reprehẽdi non debet: quia scimus quidem in omnes fines terræ Euangelium destinatum, sed non putamus iam in omnibus terræ finibus prædicatum. Nec possumus dicere quòd ibi sit gratiæ vocatio, vbi matris ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio.

V. ITEM, Qui dicit, quòd qui vocati sunt, non æqualiter vocati sint, sed alij vt crederent, alij vt non crederent, quasi cuiquam vocatio causa fuerit non credendi: non rectè dicit. Quamuis enim fides non sit nisi ex Dei dono, & hominis voluntate: infidelitas tamen non est, nisi ex sola hominis voluntate.

VI. ITEM, Qui dicit, quòd liberum arbitrium in homine nihil sit, sed siue ad bonum siue ad malum prædestinatio Dei in hominibus operetur: non est catholicus. Arbitrium enim hominis gratia Dei non abolet, sed adolet, & ab errore in viam reuocat ac reducit: vt quod sua libertate erat prauum, spiritu Dei agẽte sit rectũ. Prædestinatio quoq; Dei semper in bono est: quæ peccatum, sola hominis voluntate commissum, aut remittendũ nouit cum laude misericordiæ, ac plectendũ cum laude iustitię.

VII. ITEM, Qui dicit, quòd Deus quibusdam filiis suis quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc perseuerantiã non dederit, quia à massa perditionis prescientia Dei, & prædestinatione non sint discreti: Si hoc vult firmare, quòd Deus huiusmodi homines in bonis quæ donauerat noluerit permanere, & ipse eis causa auersionis extiterit, cõtra iustitiam Dei sentit. Quamuis enim omnipotentia Dei potuerit vires standi præbere lapsuris: gratia tamen eius non priùs eos deseruit, quàm ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione præuidit, ideò in prædestinationis electione illos non habuit.

VIII. ITEM, Qui dicit, quòd non omnes homines velit Deus saluos fieri, sed certũ numerũ prædestinatorum, duriùs loquitur, quàm loquendũ est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei: qui & omnes vult saluos fieri, atq. in agnitionẽ venire veritatis; & voluntatis suæ propositũ in eis implet, quos præscitos prædestinauit, prędestinatos vocauit, vocatos iustificauit, iustificatos glorificauit: nihil amittens de plenitudine gentiũ, & de omni semine Israël, cui præparatũ est in Christo regnũ æternũ ante cõstitutionẽ mũdi. Ex toto enim mũdo totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur. Nec potest vllo modo per infidelitatẽ atq. inobedientiam multorum, Dei promissio vacillare, dicentis ad Abraham: In semine tuo benedicẽtur omnes gentes. Quod autem promisit Deus, potens est & facere: vt & qui saluãtur, ideo salui sint, quia illos voluit Deus saluos fieri: & qui pereunt, ideo pereant, quia petire meruerunt.

Genes. 26.

IX. ITEM, Qui dicit, quòd non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus; non ad sacramẽti virtutẽ, sed ad infidelitũ respicit partem: cùm sanguis Domini nostri Iesu Christi pretiũ totius mũdi sit: A quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate, redimi noluerunt: aut post redemptionẽ ad eandẽ sunt seruitutem reuersi. Non enim cecidit verbũ Dñi, neq. euacuata est mundi redemptio. Quia etsi non cognouit mũdus Deum in vasis iræ, cognouit tamen mundus Deum in vasis misericordiæ. Quæ Deus nullis eorum bonis meritis præcedentibus, eruit de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.

X. ITEM, Qui dicit, quòd quibusdam Euangelij prædicatio à Domino subtrahatur, ne percepta Euangelij prædicatione saluentur: potest obiectionis inuidiam declinare patrocinio ipsius saluatoris: qui apud quosdam, quos ait fuisse credituros, si mirabilium eius signa vidissent, noluit operari. Et quibusdã populis vetuit apostolos euãgelizare: & nũc aliquas adhuc gentes patitur extra gratiã suam degere: cùm tamẽ constantissima fide perceptum habeamus, in omnes mũdi partes ecclesiam dilatandã. Nec antè esse hoc seculum finiendum, quàm in vniuersas fines terræ Euangelium dirigatur, & omnis lingua confiteatur, quoniam Iesus in gloria Dei patris est.

Matth. 11.

Philip. 2.

XI. ITEM, Qui dicit, quòd per potentiã Deus homines in peccata compellat, meritò reprehenditur. Nec enim Deus, qui iustitiæ & bonitatis autor est, & cuius omnia statuta & mandata contra peccatum sunt, quenquam ad peccandũ cogere, & ab innocentia in facinora præcipitare credendus est. Si qui autẽ tam profundę impietatis sunt, vt extra remediũ correctionis habeãtur, non à Deo incremẽta iniquitatis accipiũt, sed per semetipsos deteriores fiũt: quia relinqui à Deo, ac sibi ac deceptoribus suis tradi propter præcedentia peccata meruerunt, vt eis peccatũ sit ipsa etiam pœna peccati.

XII. ITEM, Qui dicit, quòd quibusdam vocatis, & piè iusteque viuentibus, obedientia subtrahatur, vt obedire desistant: malè opinatur de bonitate Dei atque iustitia, vt videatur ad impietatem pios cogere, & innocẽtiam bonis adimere: cùm ipse sit pietatis atque innocentiæ & largitor & custos. Qui ergo Deo adhæret, spiritu Dei agitur: qui autem à Deo recedit, propria voluntate obedire desistit.

XIII. ITEM, Qui dicit, quòd quidam homines non ad hoc à Deo creati sunt, vt vitam adipiscerentur æternam, sed vt habitũ tantummodo seculi præsentis ornarent, & ad vtilitatem nascerentur aliorum: melius loqueretur dicens, quòd Deus, qui creator est omnium, non frustra etiam eos condat, quos præuidit vitæ æternæ participes non futuros: quia etiam in malis hominibus bonũ Dei opus est ipsa natura, & laudabilis est in impiorum damnatione iustitia. Non potest autẽ meritò reprehendi qui dicit, quòd etiam talium conditione mundus ornetur, & quòd hi, qui sibi sua iniquitate nocituri sunt, ad vtilitatem nascantur aliorum: neque enim quamlibet innumerabilis multitudo impiorum indecora est mundo, aut inutilis Dei regno: cùm etiam per ipsorum veniat propaginem regenerãda generatio, & in eis tolerandis ac diligendis, populus Dei fiat illustrior: ducens bonitatem & patientiam ab illo, qui pluit super iustos & iniustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos.

Matth. 5.

XIIII. ITEM, Qui dicit, quòd qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant: & quòd Deus ita definierit, vt quicunque non credunt, ex ipsius constitutione nõ credant: non est catholicus. Sicut enim fides, quæ per dilectionem operatur, Dei donum est: ita infidelitas constitutio Dei non est: quia Deus pœnas criminum nouit ordinare, non crimina. Nec consequens est, vt quod non remiserit, ipse commiserit. Prædestinatus itaque viuit ex fide sibi donata: non prædestinatus perit in fidelitate voluntaria, non coacta.

XV. ITEM, Qui dicit, quòd idem sit præscientia quod prædestinatio, in bonis sine dubio operibus nostris duo ista permiscet. Quæ enim ex Dei munere habemus, & quæ præscita dicuntur, non possunt non esse prædestinata: & quæ prædestinata appellantur, non possunt non esse præscita. In malis autem operibus nostris sola præscientia Dei intelligenda est. Quia sicut præsciuit & prædestinauit quæ ipse facit, & vt faceremus dedit: ita præsciuit tantum non etiam prædestinauit, quæ nec ipse fecit, nec vt faceremus exegit.

LIBRI PRIMI FINIS.

D. PROSPERI
REGIENSIS EPISCOPI, aduersus calumniatores doctrinæ B. Augustini RESPONSIONVM LIBER SECVNDVS, qui est ad Capitula obiectionum Vincentianarũ.

SVNT qui arbitrentur Vincentium hunc Lirinensem illum fuisse, cuius extat Opusculum aduersus profanas omnium hæreseon nouitates: certè hoc tempore in Galliis floruit.

Præfatio.

VIDAM Christianæ ac fraternę charitatis obliti, intantum existimationem nostram quoquo modo student lædere, vt suam se euertere, nocendi cupiditate, non videant. Contextunt enim, & qualibus possunt sententiis comprehendunt inepissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia: eáque ostendenda & ingerenda multis publicè ptiuatimque circumferunt: asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo. quæ falsò in nos, ad excitandam inuidiam iactitari, facilè & sufficiẽter subscriptione vnius probaremus anathematis, nisi malignitas eorum, qui se grauari putãt, si de nobis bene sentiatur, ipsam subscriptionis nostræ breuitatem suspectam esset habitura. Vnde ne huius querelæ inueniretur occasio, necessariũ conueniẽsque credidimus, vt siue ad calumniantium animos mitigandos, siue ad eos quorum auribus tale aliquid insonuit instruendos, quantũ adiuuante Domino fieri potuerit, plenè lucideq. pandamus, quid de peruersis definitionibus iudicemus. Propositis igitur singillatim sedecim capitulis, sub vnoquoque eorum, sensus nostri & fidei quam contra Pelagianos ex Apostolicæ sedis authoritate defendimus, verba ponemus: vt qui paululum se adlegenda hæc dignati fuerint occupare, euidenter agnoscant, impiarum profanarumque opinionum nullum cordibus nostris inhæsisse vestigium: & blasphemias quas perspexerint nostra professione damnari, in earundem repertoribus censeant debere puniri.

Cap. I.

OBIECTIO I.

Quòd Dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.

CONTRA vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura est, & vnde omnium concupiscentiarum morbus inoleuit, verum & potens ac singulare remedium est mors filij Dei Domini Iesu Christi: qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est. Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertrãseunt, redemptionis alieni sunt. Cùm itaque propter vnam omnium naturam, & vnam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captiuitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cuius mors non ita impensa est humano generi, vt ad redemptionem eius, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: sed ita, vt quod per vnicum exemplum gestum est pro vniuersis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra & virtute diuina, habet quidem in se vt omnibus prosit: sed si non bibitur, non medetur.

Capvt II.

OBIECTIO II.

Quòd Deus nolit omnes saluare, etiam si omnes saluari velint.

CVM Veritas dicat, Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis pater vester cælestis dabit bona petentibus se? quũ fieri potest, vt Deus, qui etiam illos saluat, de quibus dici non potest quòd saluari velint, nolit aliquos saluare etiam si saluari velint, nisi aliquæ causæ existant, de quibus, quamuis sint nobis incognoscibiles, ita tamen bene iudicat, de quo dici non potest, aliter eum quicquã facere debuisse, quàm fecerit? Remota ergo hac discretione, quam diuina scientia intra secretum iustitiæ suæ continet, sincerissimè credendum atque profitendum est, Deũ velle, vt omnes homines salui fiãt. Siquidẽ Apostolus, cuius ista sententia est, solicitissimè præcipit, quod in omnibus ecclesiis piissimè custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quòd multi pereunt, pereuntiũ est meritũ; quòd multi saluantur, saluãtis est donum: vt enim reus damnetur, inculpabilis est Dei iustitia; vt autẽ reus iustificetur, ineffabilis Dei gratia est.

Matth. 7.

1 Tim. 2.

Capvt III.

OBIECTIO III.

Quòd Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, vt illam perdat in æternum.

OMNIVM quidem hominũ Deus creator est: sed nemo ab eo ideo creatus est vt periret: quia alia est causa nascendi, & alia est pereundi. Vt enim nascantur homines, conditoris est beneficium: vt autem pereant, præuaricatoris est meritum. In Adam quippe, in quo omnium hominum præformata natura est, omnes peccauerunt: eademque sententia quam ille excepit, obstricti sunt. Neque ab hoc vinculo, etiam si propriis peccatis careant, resoluuntur, nisi in sacramento mortis & resurrectionis Christi per spiritum sanctum renascantur. Nimis ergo impius & indoctus est, qui vitium naturæ non discernit ab authore naturæ: à quo prorsus alienum est quicquid in vnoquoque damnãdum est. Creat enim homines vt sint homines: nec multiplicandis generationum successionibus opificium suũ subtrahit; secundum consilium bonæ voluntatis suæ reparaturus in multis quod ipse fecit, puniturus in multis quod ipse non fecit. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius hominis obedientiam iusti constituuntur multi.

Rom. 5.

Ibidem.

Capvt IIII.

OBIECTIO IIII.

Quòd maior pars generis humani ad hoc creetur à Deo, vt nõ Dei, sed diaboli faciat voluntatem.

INSANVM omnino & contra rationem est, dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri: & damnatorẽ diaboli eiusque famulorum, velle vt diabolo seruiatur. Sed hoc catholicis Pelagiani consequenter se obiicere existimant, qui à Adæ peccatũ transisse in omnes diffitentur. Quoniam si primam natiuitatem originalis culpa non obliget, non sint obnoxij diabolo paruuli: nec indigeant erui de potestate tenebrarum, qui nunquam à tuo autore discesserint. Nos autem, qui omnes in Adam perisse profitemur (venit enim filius quærere & saluare quod perierat) hoc dicimus ideo creari quemquam hominem vt diaboli faciat voluntatem: & agnoscimus omnem hominem non redemptum, diabolo esse captiuum. Præuaricatio enim hominum, dispositę à seculis creationis ordinem turbare non potuit, & meritò creatura peccatrix pœnalem dominationẽ illius patitur, cui, relicto vero Domino, sponte se vendidit. Hæc quippe seruitus non institutio est Dei, sed iudicium, quo fraus deceptoris diaboli facta est decepto & malè credulo homini pœna peccati. De qua nemo eruitur, nisi per mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, cuius gratuita gratia & multorũ malis meritis non tribuitur, & nullorum bonis meritis præuenitur.

Luc. 19.

Cap. V.

OBIECTIO V.

Quòd peccatorum nostrorum autor sit Deus, eo quòd malam faciat voluntatem hominum, plasmet substantiam quæ naturali motu non possit nisi peccare.

HVIVS quoque obiectionis vanitas de illa procedit schola, in qua natura humana immunis à peccato Adę, & illæsa defenditur; vt quia omnes homines præuaricationis reos & damnationi obnoxios nasci, perituroque nisi in Christo renascantur asserimus, eundem videamur dicere autorem culpæ, quẽ profitemur conditorem esse naturæ. Quod nos à sensu nostro penitus abdicamus, qui Deum iustum, bonũ, sic humanæ substantię & interiorum exteriorumq. sensuũ nouimus creatorẽ, vt prorsus

sus ab illo sit quicquid pertinet ad naturam, & prorsus non ab illo sit quicquid cõtra naturam est. Peccatum autem cõtra naturam est, de quo mors & omnia quę sunt mortis oriũtur. Quibus malis tunc se homo induit, quando illum fide obedientiaque priuatũ, in suas promissiones diabolus à Dei lege traduxit, omniaq. sibi posteritatis eius germina, per cõditionẽ deprauatæ stirpis, obstrinxit. Vnde si qua in Christo noua creatura est, libera sit diabolo, & subiiciatur Deo reformata à deformitate sua ad imaginẽ eius qui creauit eam. Quod nisi fiat, remanet in illo, in quo omnes moriuntur, nõ habens sortem in eo, in quo omnes viuificantur. Non igitur cuiusquam peccati autor est, sed naturæ creator est. Quæ cùm potestatem habuerit non delinquendi, sponte deliquit, & deceptori suo propria voluntate se subdidit. Nec naturali, sed captiuo motu versatur in vitio, donec moriatur peccato & viuat Deo: quod sine gratia Dei facere non potest: quia libertatem quam libertate perdidit, nisi Christo liberante non recipit. Non est enim aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri. Act.4.

OBIECTIO VI. CAPVT VI.

Quòd Deus tale in hominibus plasmet arbitrium, quale est dæmonum; quod proprio motu nihil aliud possit, vel velit, nisi malum.

TOTVS quidẽ mundus, sicut ait Ioannes apostolus, in maligno positus est: & multorum hominum talis est malitia, qualis & dæmonum. Qualibus dicebat Dominus: Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? &, Vos de diabolo patre nati estis, & concupiscentias patris vestri facere vultis. Sed hoc inter malos homines distat & dæmones, quòd hominibus etiã valde malis superest, si Deus misereatur, recõciliatio: dæmonibus autem nulla est in æternũ seruata conuersio. Sicut ergo præuaricatoribus angelis non Deus indidit illã, quæ in veritate non stetit, voluntatem: ita nec hominibus hunc affectum, quo diabolum imitarentur, inseruit. Mendax enim de proprio loquitur, & liber à mendacio non erit, nisi eum veritas liberauerit. 1 Ioan.6. Matth.3. Ioan.8. Ibidem.

OBIECTIO VII. CAPVT VII.

Quòd hæc sit voluntas Dei, vt magna pars Christianorum salua esse nec velit, nec possit.

SI de his hoc dicitur, qui pietatem Christianæ conuersationis & fidei deserentes, in profanos errores, aut in damnabiles mores irreuocabiliter transierunt, non dubium est, quòd talem voluntatem habentes salui esse nolũt: & quamdiu salui esse nolunt, salui esse non possunt. Sed nullo modo credẽdum est, huiusmodi homines in hanc desperationem ex Dei voluntate cecidisse, cùm potius alleuet Dominus omnes qui corruũt, & erigat omnes elisos. Nemo enim nisi illius gratia erigitur, nemo nisi illius gratia stabilitur. Dei ergo voluntas est, vt in bona voluntate maneatur: qui & priùs quã deseratur, neminem deserit: & multos desertores sæpe conuertit. Psal.144.

OBIECTIO VIII. CAPVT VIII.

Quòd nolit Deus, vt omnes catholici in fide catholica perseuerent, sed velit vt magna ex inde pars apostatet.

NON est dissimilis blasphemiæ huius impietas, à præcedẽte sententia: quod ergo ad illam, hoc etiam ad istam, quæ in nullo est diuersa responsum sit.

OBIECTIO IX. CAPVT IX.

Quòd velit Deus, vt magna pars sanctorum à sanctitatis proposito ruat.

NEC huius definitionis insania aliud sonat, quàm gemina obiectio prælocuta est. Vnde mirandum est, obiicientem tertiò repetisse, quod semel dixisse sufficerat: sed, vt res est, numerum criminationis augere voluit, quia sensum variare non potuit.

OBIECTIO X. CAP. X

Quòd adulteria & corruptelæ virginum sacrarum ideo contingãt, quia illas Deus ad hoc prædestinauit vt caderent.

DETESTANDA & abominanda opinio, quę Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit autorẽ: Cuius prædestinatio nunquàm extra bonitatem, nunquàm extra iustitiã est: Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas. Adulteria enim maritatarum, & corruptelas virginum nõ instituere nouit sancta diuinitas, sed damnare: nec disponere, sed punire. Quæ mala homines cùm admittunt, suis concupiscentiis & cupiditatibus seruiunt; quas ab illa prima voluntariæ præuaricationis labe traxerunt: cùm autem declinant à malo, & faciunt bonum, à Domino gressus hominis diriguntur, & viã eius volet. Propter quod dicit Apostolus: Oramus autem ad Dominũ, vt nihil mali faciatis: non vt nos probati appareamus, sed vt vos quod bonum est faciatis. Non ergo casus ruentiũ, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut excitauit, aut suasit, aut impulit: sed planè prædestinauit iudicium suum, quo vnicuique retributurus est prout gessit, siue bonum, siue malum. Quod iudicium futurum omnino non esset, si homines Dei voluntate peccarent. Erit autem manifestissimè. Et omnis homo quem discretio diuinæ scientiæ in sinistra constituerit parte, damnabitur: quia nõ Dei, sed suam executus est voluntatem. Psal.24. 2 Cor.13.

OBIECTIO XI. CAPVT XI.

Quòd quando incestant patres filias, & matres filios: vel quando serui dominos occidunt, ideo fiat, quia ita Deus prædestinauit vt fieret.

SI diabolo obiiceretur, quòd talium facinorum ipse author, ipse esset incentor, puto quòd aliqua ratione exonerare se hac posset inuidia, & talium scelerum patratorem de ipsorum voluntate vinceret: Quia etsi delectatus est furore peccantiũ, probaret tamen se non intulisse vim criminum. Qua ergo insipientia, quáue dementia definitur ad Dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in totum ascribi potest, qui in peccãtium flagitiis illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus est esse generator? Nihil ergo talium negotiorum Deus prædestinauit vt fieret: nec illam animam nequiter, turpitérque victuram, ad hoc, vt taliter viueret, præparauit: sed talem futuram nõ ignorauit, & de tali iustè se iudicaturum esse præsciuit. Atque ita ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod aut ad debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.

OBIECTIO XII. CAPVT XII.

Quòd Dei prædestinatione efficiantur de filiis Dei filij diaboli, & de templo sancti Spiritus templa dæmonum, & de membris Christi membra meretricis.

PRÆDESTINATIO Dei, etsi apud nos, dum in præsentis vitæ periculis versamur, incerta est, apud illum tamen, qui fecit quæ futura sunt, incommutabilis permanet: nec quæ illuminauit, obcæcat: nec quæ ædificauit, destruit: nec quæ plantauit, euellit. Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei: & firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius. Nullo igitur modo prædestinatio Dei facit, vt aliqui ex filiis Dei filij sint diaboli; aut ex templo sancti Spiritus, templa sint dæmonum; aut ex membris Christi, fiant membra meretricis: sed potiùs prædestinatio facit, vt ex filiis diaboli, fiant filij Dei; & ex templo dæmonum, templũ sit Spiritus sancti; & ex membris meretricis, membra sint Christi. Quia ipse alligat fortem, & vasa eius rapit, eruens ea de potestate tenebrarum, & transferens de contumelia in gloriam. Hi autem de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissẽt ex nobis, mansissẽt vtique nobiscum: voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei, multis est causa standi, nemini est causa labendi. Rom.11. 2 Tim.2. Mat.3. 1 Ioan.2.

OBIECTIO XIII. CAPVT XIII.

Quòd omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortem prædestinati sunt, quando ad vomitum suum relabuntur, vitio quidem suo hoc facere videntur: sed ipsius vitij causa est diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas voluntates.

IDEM blasphemiarũ spiritus perseuerat, & à præcedentibus mendaciis subsequens impietas non recedit: quam prorsus vera ratio reprobat, & incunctanter sana doctrina condemnat. Quia omnibus quidem à fide ad infidelitatem, à sanctitate ad turpitudinem relapsis, & ante finẽ vitæ nulla emendatione purgatis, nihil aliud quàm mors æterna debetur: sed nefas est Deo ascribere causas talium ruinarũ. Qui etsi ex æterna scientia præcognitũ habet, quid vniuscuiusque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quòd falli nõ potest, aut necessitatẽ, aut voluntatẽ intulit delinquendi. Si ergo à iustitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi pater, nihil filius, nihil agit spiritus sanctus: nec tali negotio quicquam diuinæ voluntatis interuenit: cuius opere multos scimus, ne laborentur, retentos; nullos autem, vt laberentur, impulsos.

OBIECTIO XIIII. CAPVT XIIII.

Quòd pars magna illa Christianorum catholicorum fidelium, atq. sanctorum, quæ ad ruinam & perditionem prædestinata est, etiam si petat à Deo sanctitatis perseuerantiam, nõ impetrabit: eò quòd

eò quòd mutari non potest diuina prædestinatio, quæ illos præordinauit, præparauit, præuptauit vt caderent.

AD præuaricationem legis, ad neglectum religionis, ad corruptelam disciplinæ, ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualiscunque peccati, nulla omnino est prædestinatio Dei. Nec fieri potest, vt per quem à talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur. Si ergo in sanctitate viuitur, si in virtutem proficitur, si in bonis studiis permanetur, manifestum munus est Dei, sine quo nullius boni operis fructus adquiritur. Si autẽ ab his receditur, & ad vitia atque peccata transitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & recessurum non deserit antẽ quàm deserat: & facit plerumque, ne deserat, aut etiam si discessit, vt redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat: nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare, cùm scire sufficiat, & ab illo esse quòd statur, & non ab illo esse quòd ruitur.

OBIECTIO XV. CAPVT XV.

Quòd omnes illi fideles & sancti qui ad æternam mortem prædestinati sunt, posteaquam ceciderint, sic à Deo dispensentur, ne possint vel velint per pœnitentiam liberari.

NON veraciter, nec sapienter hoc dicitur. Qui enim à fide & sanctitate exciderunt, sicut voluntate prolapsi sunt, ita voluntate non surgunt: & dominatum concupiscentiarum, quibus succubuerũt, spõte patiuntur. Si qui autem captiuitatem suam gemunt, & iudicãtes semetipsos, ad misericordiam Dei mutato corde confugiunt, nõ sine spiritu diuinæ visitationis hæc faciũt. Hęc enim mutatio dexteræ excelsi: qui innumeris lapsis dat pœnitentiam, vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenebãtur ad ipsius volũtatem. Nemini autem Deus correctionis adimit viam, nec quenquam boni possibilitate dispoliat. Quia qui se à Deo auertit, ipse & velle quod bonum est, & posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant qui talia obiiciunt, vt Deus, quibus pœnitentiam non dederit, resipiscẽtiam abstulerit: & quos non leuauerit, allisérit: cùm aliud sit insontem in crimen egisse, quod alienum est à Deo: aliud criminoso veniã non dedisse, quod de peccatoris est merito. Psal.76.

OBIECTIO XVI. CAPVT XVI.

Quòd magna pars illa fidelium atque sanctorum, quæ ad æternam mortem prædestinata est, quando dicit Deo in oratione Dominica: Fiat voluntas tua, nihil aliud, quàm contra se petat: id est, vt cadant & ruant: quia voluntas Dei hæc est, vt æterna morte pereant.

NON hoc veritas dicit, quòd hæc sit voluntas Dei, vt fideles & sancti à fide atque innocentia ruant, & pereant in æternum: sed veritas dicit: Hæc est voluntas eius qui me misit patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissimo die. Quod ergo pater filio dedit, filius omnino non perdit. Idem enim dicit: Omne quod dat mihi pater, venit ad me, & non eiiciã foras. Quòd si per generalitatẽ vocationis, & per abundantiã bonitatis Dei etiã nõ perseueraturi perseuerature admixti sunt, hi cùm à pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua volũtate deficiũt: nec impellũtur vt cadãt, nec eiiciuntur vt deserant: casuri tamen & recessuri ab eo, qui falli non potest, præsciuntur. Quamdiu itaque in oratione Dominica dicunt, Fiat voluntas tua, non hoc contra se petũt, quod Deus nullo modo vlla ratione facturus est: id est, vt cadant & ruant. Hoc enim ipsorum nequitia, ipsorum est consummatũ libertas. Sed planè illud contra se petunt, quod diuinæ volũtatis esse non dubium est: vt scilicet, cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & sederit super thronum gloriæ suæ, congregentur ante eum omnes gentes, & separet eos ab inuicem, alios ad dexteram, alios statuens ad sinistram. & audiant eum dextri dicentem: Venitẽ benedicti patris mei, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi. Audiãt & sinistri: Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius. Igitur qui facturi nõ sunt voluntatẽ Dei, & petũt vt fiat voluntas Dei, in eo quod Dei voluntate faciendũ est, audiuntur, vt imitatores diaboli cum diabolo iudicẽtur. Qui enim voluntatem Dei spreuerunt inuitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem. Ioan.6. Ibidem. Matth.25.

LIBRI SECVNDI FINIS.

Appendix tom.7.

D. PROSPERI REGIENSIS EPISCOPI, aduersus calumniatores doctrinæ B. Augustini RESPONSIONVM LIBER TERTIVS,

qui est ad excerpta quæ de Genuensi fuere ciuitate transmissa.

CAMILLO ET THEODORO VENERABILIBVS PRESBYTERIS, PROSPER.

EN libris, beatæ memoriæ, Augustini episcopi, quorum titulus est, De prędestinatione sanctorum, quædam sanctitatem vestram vel insolita aut minus clara mouerunt, quę ad humilitatem meam, de contextu disputationis excerpta, misistis: vt quo intellectu, vel quo iudicio ea acceperim, noscceretis: quasi plus in me, quàm in vobis ad hæc introspicienda esset ingenij: ac non magis in hoc examine vestræ facultatis debueritis exercere mensuram: & si aliqua vos morabatur obscuritas, decurrere ad patrem luminum, à quo descẽdit omne datum optimum, & omne donum perfectum, & à quo datur spiritus sapientiæ & intellectus: veruntamẽ præceptis vestris obsequium meum non subtraham, & adiuuante Domino, qui sapientiam præstat paruulis, de capitulis istis, quid cũ sanctis & eruditis fratribus sentiam, breuiter indicabo, perẽs, ne vbi est simplicitas obedientiæ, præsumptionem esse putetis doctrinæ. De excerptis itaque hæc prima proposuistis; in quibus verba sunt sancti Augustini episcopi. Præfatio. Iacobi 1. Psal.18.

DVBIVM I.

IACOB *dilexi, Esau odio habui. Ad hoc perduxi ratiocinationem, vt dicerem: Non ergo elegit Deus opera cuiusquam quæ ipse daturus sit, sed fidem elegit in præscientia. Vt quem sibi credituru esse præsciret, ipsum elegerit, cui sanctum Spiritum daret: vt bona operando etiam vitam æternam consequeretur. Nondum diligẽtius quæsieram, nec adhuc inueneram, qualis esset electio gratiæ.* Aug. lib. 1. de prædest. sanct. c. 3. Rom. 9.

DVBIVM II.

AC *deinde subiunxi: Quòd ergo credimus, nostrum est; quòd autem bona operamur, illius est, qui credentibus dat Spiritum sanctum. Quod profectò non diceremus, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ datur in eodem spiritu, vtrumque nostrum est propter arbitrium voluntatis; vtrumque tamen datũ est propter spiritum fidei & charitatis.* Ibidem. 1 Cor.12.

DVBIVM III.

AC *per hoc, quod etiam postea dixi: Quia neque velle possumus, nisi vocemur; & cùm post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi & Deus vires credentibus præbeat, & ducat quò vocat. Ac deinde subiunxi: Manifestum est ergo non volentis, neque currentis, sed misérentis Dei esse quod bene operemur. Omnino verissimum est, sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ sit secundum propositum Dei. Non enim omnium qui vocantur talis est, sed tantùm electorum.* Ibidem.

IN his tribus capitulis, licet diuisa sint à disputatione corpora, & eo ipso obscuriora sint facta, quòd & præcedentibus; & mediis, & subsequentibus non cohærent: intelligo tamẽ quòd vnam atque eandem causam scriptor exequitur: de eis loquens, qui dicebant eum primo conuersionis suę tempore meliora sensisse, quando æstimabat, quod fides qua Christiani sumus, non esset ex gratia, nec ex dono haberetur Dei, sed esset ex ipso homine & ex arbitrij libertate: Modò autem errare eum, quia asseret ipsam etiã fidem, Dei esse donum: & ad hãc quoque pertinere quod dictum est: Quid autem habes quod nõ accepisti, neque rectè eum nunc electionem Iacob ad propositum Dei referre, quam prius ad præscientiam retulisset. Ad hãc ergo obiectionẽ respondet, se antè quàm cognosceret gratię veritatẽ, & antè quàm regendæ præponeretur ecclesiæ, in hac opinione ignorãter erraſſe: sed in ipso episcopatus sui exordio, sanctę memoriæ Simpliciano Mediolanensi antistite, de Iacob electione & de Esau reiectione consulto, totam quęstionem ad hos genuinos pertinentem, sagaciore diligentia ventilasse: & omnibus ratiocinandi viribus hoc indubitanter agnouisse, quòd electionẽ gratiæ nulla merita humana præcedant: & quòd fides, vnde incipiunt omnia merita, donum sit Dei: ne gratia non sit gratia, si aliquid eam, propter quod tribuatur, anteuenit. Itaque in eo quod dictum est, Iacob dilexi, ostensum esse quid homini donaretur: & in eo quod dictum est, Esau autẽ odio habui, ostensum esse quid homini deberetur. Hoc autẽ se in libro Retractationũ secundo 1 Cor.4. Rom.11. Cap.

secundo suo opere studiosè recoluisse. Et cùm omnes opiniones suas censoria grauitate discuteret, istam, quam obtrectatores eius eligunt, improbasse, quam ante Pelagianæ hæresis ortum futuro errori amicam esse præuidit, & reuelata sibi gratiæ veritate reiecit. Quæ igitur ratio est, vt hanc viri huius professionē non approbemus, qua nos ad castigandas opiniones nostras, si quas fortè imprudenter incidimus, exemplo suæ correctionis instituit: & qua docet à Deo nos accipere, quod vt accipiamus iubemur orare? Si enim consideremus Pelagianæ argumenta perfidiæ, quid magis nititur obtinere, quàm vt videatur gratia Dei secundum merita nostra dari, vt in eo ipso, in quo gratiam necessariam confiterur, meritis eam humanæ voluntatis eneruet? Quam peruersitatem omnino incurrit, qui fidem ad Dei munera non putat pertinere: aut ideò eam se iactitat ad Deum referre, quia ab ipso sit creata natura, cui rationabilem inseruit libertatem, per quam vnusquisq. & credere & non credere in sua habeat potestate. Et de hoc naturali bono qui nullis præcedentibus meritis, cùm crearetur, accepit, cætera dona mereatur. Hoc autem qui asserit, fatetur, credo, nobiscum quod in primo Adam omnium hominum natura vitiata sit: nec negat eam in illo lapsu suas amisisse virtutes, quas nisi per gratiam recipiat, habere non possit. Quid est autem quòd eidem naturæ solam fidem non vult esse præreptam, quam nisi primam amisisset, cæteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo, non credidit Deo: & cùm spiritu superbię inebriatus esset, discessit à Domino cor eius: & factus est seruus apostatæ, dum liber vult esse iustitiæ. Cùm itaque non haberemus continentiam; nisi Deus daret: nec haberemus dilectionē sanctam, nisi charitas Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: cùm postremò nemo haberet sapientiam & intellectum, consilium & fortitudinem, scientiam & pietatem ac timorem Domini, nisi has virtutes Spiritus sanctus daret, quomodo fides in Adam perdita, in quo quam filiorum eius inueniretur, nisi eam idem spiritus, qui omnia in omnibus operatur, infunderet? Vnde si quod Adam perdidit, posteritas non amisit, ipsum solum læsit peccatum eius, & non genus humanum. Sed omnes in vno peccauerunt, & præuaricationis merito, tota eius propago damnata est. Omnes igitur quod Adam perdidit, perdiderunt. Perdidit autem primitus fidem, quam omnes, quia primam potuimus amittere, primam habemus accipere. Placeat ergo nobis hęc gratiæ prędicatio, qua fides donum Dei esse defenditur, & in nullo nobis potuerit Pelagianus error illudere: qui, vt gratiam persuadeat debitam, fidem non vult esse donatam. Quia ergo nec iusta, nec rationabilis intelligitur eorum fuisse persuasio, qui huius viri scientiam tot incrementorum profectibus ædificatam, tot annorū studiis expolitam, ad adolescentiæ rudimenta reuocabant, vt magis suffragaretur hæreticis, quod inter initia conuersionis suæ imperitè senserat, quàm prodesset catholicis, quod pontificali diligentiæ veritas reuelarat: meritò illos hoc præiudicio vtentes, & in his, quæ dudum abdicata fuerant, immorantes, pij doctoris grauitas notat: quod qui curauerunt omnes sensus ipsius indagare, noluerint cum eius eruditione proficere. Sed iam consideremus quale sit, quod de subsequentibus adnotastis.

Sap. 8. Rom. 5. Isa. 11.

1 Cor. 12.

Rom. 5.

Adam fidem perdidit.

CAPVT II. Eiusdem lib. cap. 5 Prosp. secundum vt. Ibidem cap. 5. & 6. 1 Cor. 4.

Rom. 11. Esa. 6.

Psal. 68.

Rom. 7.

DVBIVM IIII.

NON *quia credere vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ; sed in electis præparatur voluntas à Domino.*

Iungamus quod sequitur, vt quod propositum est, de connexo sermone sit clarius: *Ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet. Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Multi audiunt verbum veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est vtique: quid veniat de misericordia, quid de iudicio. Quod quærebat Israël, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est, Dedit illis spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant vsque in hodiernum diem. Et Dauid dicit, Fiat mensa eorum in laqueum, & in scandalum, & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Ecce misericordiam & iudicium: misericordia in electione, quæ consecuta est iustitiam Dei; iudicium verò in cæteros, qui excæcati sunt: & tamen illi quia voluerunt, crediderunt: illi, quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & iudicium, in ipsis voluntatibus facta sunt: electio quippe istis gratia est, non vtique meritorum. Superius enim dixerat: Sic enim in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia, iam non est gratia. Gratis ergo consecuta est quod consecuta est electio. Non præcessit eorum aliquid quod priores darent; & retribueretur illis. Pro nihilo enim saluos fecit eos. Cæteris autem qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitum est, in retributione factum est. Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Inuestigabiles autem sunt viæ ipsius. Inuestigabilis igitur misericordia qua gratis liberat, & veritas qua iustè iudicat.* Hæc omnia apud pium catholicum que lectorem, quid offensionis pariunt? quid contradictionis incurrunt? Nunquid falsum est, quòd præparatur voluntas à Domino? Nunquid non quotquot spiritu Dei aguntur hi filij Dei? Nunquid hominem ab homine natura discernit, ac non potius gratia ab infideli fidelem? Nunquid potest vllus dicere habere se, quod non accepit? aut quasi de non accepto, sed proprio gloriari? quod si non accepisset, vtique non haberet. Nunquid dubium est, cùm verbum veritatis prædicatur, alios voluntate credere, alios voluntate non credere? Sed cùm illorum cor Deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, discernendum est quid veniat de misericordia, quid de iudicio. Post commemorationem autem Apostolicæ sententiæ, quam prophetices testimoniis astruit, quòd iustitiam Dei, quam Israël quærens consecutus non est, electio sit consecuta per gratiam, cæteris ex retributione cæcatis, nunquid non verissimè dictum est, *Ecce misericordia & iudicium, misericordia in electione, quæ consecuta est iustitiam Dei; iudicium verò in cæteris, qui excæcati sunt?* Et paulò pòst: *Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio. Non præcessit aliquid eorum quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo saluos fecit eos. Cæteris autem qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitum est, in retributione factum est.* Quis hîc locus querimoniæ, nisi apud inimicos gratiæ: qui nisi ad retributionem referatur quod gratis datur, ad iniquitatem volunt pertinere quod redditur? Deinde quod de Prophetices intulit verbis: *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas*, quis negauit? Aut quod de Apostolico adnexuit sensu: *Inuestigabiles sunt autem viæ ipsius?* Inuestigabiles igitur sunt, & misericordia qua gratis liberat, & veritas qua iustè iudicat. Non est ergo sanarum mentium ista reprehendere: & inuestigabiles vias Domini, hoc est, dona misericordię & iudicia veritatis, Pelagianorum elationi penetrabilia deputare. Quia secundum ipsos nō latet consilium Dei, nec in occulto est diuinæ ratio voluntatis, si erga omnem hominem tam gratia Dei, quàm & ira meritò est.

Psal. 24. Rom. 11. Psal. 24. Rom. 11.

DVBIVM V.

POST hæc posuistis quod infrà dictum est: *Fides igitur & inchoata, & perfecta, donum Dei est. & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare.*

CAPVT III. Eiusdem lib. cap. 9.

Hoc qui non recipit, cuius videtur esse sententiæ, nisi dicētis: fides per quam iustificor, ex me est: & hoc bonum, ex quo iustus viuit, non accepi per gratiam, sed habeo per naturam? Si ergo fides donum Dei non est, frustra & Ecclesia pro non credentibus orat vt credāt, & sufficit impiis magisterium legis adhiberi: de qua dictum est: Si ex lege est iustitia, ergo Christus gratis mortuus est: quod similiter dici potest etiam de natura. Frustra etiam apostolus gratias agit Deo pro his qui Euāgelium receperunt: cùm hoc secundum Pelagianos non Dei sit præstitum munere, sed ex sola habeatur hominum voluntate. Et frustra quibusdam precatur idē Apostolus, vt sit eis pax & charitas cū fide à Deo patre & Dño Iesu Christo: vt iam nō solū de fide, sed etiam pace & charitate, superbia hęreticorum conuincatur dicere de proprio se has habere virtutes. Quòd si hæc ex homine sunt, quid obest vt non ex semetipso habeat & cætera bona quę inferiora sunt, cùm audeat sibi deputare quę summa sunt, & sine quibus alia, quamuis multa & clara, non prosunt? Nō potest itaq. meritò refutari quod dictū est: Fides igitur & inchoata & perfecta, donū Dei est: quia eadē & Apostoli vox est, dicētis, Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus: ne fortè quis extollatur. Et, Vobis donatum est pro Christo, nō solùm vt in eum credatis, sed etiā vt patiamini pro eo. Et iterum, Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, & cōsummatorem Iesum. Quibus, & plurimis aliis testimoniis diuinarum scripturarū, indubitanter agnoscitur: quoniam, sicut ab hoc viro definitū est, *fides & inchoata & perfecta, donū est Dei: & hoc donū*, inquit, *quibusdā dari, quibusdam non dari omnino non dubitat, qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare.* Non putemus hoc veraciter dictum, si omnes homines fideles sunt:

Abac. 2.

Gal. 2.

2 Thess. 2.

Rom. 1. 1 Cor. 13. Rom. 3.

Ephes. 2. Philip. 1.

Hebr. 12.

2 Thess. 3.

sunt: sed cùm alij credant, alij verò non credant, dicatque Apostolus, Non enim omnium est fides: quis non videat fidem, quam acceperunt qui habent, non accepisse qui non habent?

CAPVT III I. Eiusdem lib. cap. 9. Rom. 5.

DVBIVM VI.

DEINDE ait: *Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit ex vno omnes esse in condemnationem sine dubitatione iustissimam: ita vt nulla esset Dei iusta reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Vnde constat, magnam esse gratiam quòd plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in eis qui non liberamur agnoscunt: vt qui gloriantur, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed in Domino glorientur. Cur autem istum potius quàm illum liberet: inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ ipsius. Melius enim & hic audimus aut dicimus: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? quàm dicere audeamus, quasi nouerimus quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid iniustum velle non potuit.*

Rom. 9.

HÆC omnia si non rectè dicta sunt, scrutabilia sunt iudicia Dei, & vestigabiles viæ eius. Nec occultum est, quare ille potiùs quàm iste saluatur: & in se non in Domino gloriabitur, qui aliis vitio suo pereuntibus electione dignus inuētus est. Ac sic iustitia quidē erit quòd plurimi damnātur: sed nō erit gratia quòd plurimi liberātur. Absit hęc à catholicis cordibus, absit talis impietas, vt quenquam putemus meritis suis erui de potestate tenebrarum, & in regnū filij Dei debita, non gratuita adoptione transferri. Magno peccato periit Adam, & in illo omnes perierunt. Quia omni homini damnata natiuitate genito, hoc in Adam debetur vt pereat. Et sicut non possumus conqueri de eo quòd in prætereitis seculis dimisit omnes gentes ingredi vias suas: ita iustā nō haberemus querelam, si cū eis cū quibus nobis fuit causa communis, cessante adhuc gratia periremus. Quæ tamen sicut tunc de omni mundo eruit paucos: ita nunc de vniuerso genere hominum saluat innumeros: non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, & gratiam quę data est nobis in Christo Iesu ante tempora æterna.

2 Tim. 2.

CAP. V. Ibidem cap. 16.

DVBIVM VII.

SVBNEXVISTIS etiam, quod post multa differens ait: *Est ergo in malorum potestate peccare; vt autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei, dividentis tenebras, & ordinantis eas: vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.*

Ibidem.

QVOD cùm sit apertissimæ veritatis, miror inter obscura decerptum: quasi non ex cohærentibus potuerit omnis hæsitatio lectoris absolui. Inspicite ergo quod sequitur: *Legimus*, inquit, *in Actibus Apostolorum, quòd cùm dimissi à Judæis Apostoli venissent ad suos, & indicassent quanta eis sacerdotes & seniores fecerunt, leuauerunt illi vocem vnanimes omnes ad Dominum, & dixerunt: Domine tu es qui fecisti cœlum & terrā, & omnia quæ in eis sunt, qui per os patris nostri Dauid sancti pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnū, aduersus Dominum, & aduersus Christū eius? Conuenerunt enim in veritate, in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuū Iesum quem vnxisti, Herodes & Pilatus & populus Israël, facere quanta manus tua & consilium prædestinauit fieri.* Si ergo quæ per os patris nostri Dauid spiritus sanctus propheratuit, aliter intelligi vllo modo quàm ab Apostolis sunt intellecta, nō possunt, & Herodes ac Pilatus & populus Israël fecerunt, quanta manus Dei & consiliū prædestinauit fieri; quid inconueniens ait admirabilis disputator? *est*, inquiens, *in malorum potestate peccare; vt autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras & ordinantis eas: vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.* Malè enim velle facillimum est malis & eorum damnabilem voluntatem non dubium est à Dei potestate cōcludi, vt effectum cupiditatis suæ, nisi ille permiserit, habere non possint. Vti autem sapientiam & iustitiam Dei etiam malorum operibus, quæ ex ipsorum prodeunt appetitu, ad implenda consilia & iudicia sua, nullus, vel tenuiter secundum pietatem doctus, ignorat: qui videt Dei patris optimam voluntatem, non parcentis filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum, pessima traditorum Iudæ & Iudæorum voluntate completam. Et qui in Euangelicis paginis legit, dicente Pilato ad Iesum, Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittendi te? respondisse Dominum: Non haberes in me potestatē vllam, nisi esset tibi data desuper. Diuidit itaq. Deus inter lucē & tenebras: nec ideo inculpabiles

Act. 4.

Psal. 2.

Ioan. 19.

sunt tenebræ, quia eis bene vtitur Deus, qui etiam de opere ipsorum, quod filiis lucis in bonum procederet, ordinauit: tantum progredi sinens malitiam nocere cupientium, quantū eam sanctis suis vel castigandis nouit vtilem vel probandis: vt hinc etiam quòd faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.

DVBIVM VIII.

CAPVT V. Ex libro de dono perseuer. c. 14.

SEQVITVR deinceps quod in libro inuenitur secundo: *An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse quibus esset daturus vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quenquam? Quę vtique si præsciuit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præsciuit. Hæc prædestinatio sanctorum, nihil aliud est, quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur. Cæteri autem vbi, nisi in massa perditionis iusto diuino iudicio relinquuntur, vbi Tyrij relicti sunt, & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent? Sed quoniam vt crederent, non eis erat datum, etiam vnde crederent, est negatum.*

Matth. 11.

QVI istis resistunt, hoc sentire apertissimè probantur, quòd fides non sit donum Dei, & quòd gratia nō præueniat liberum arbitriū, sed sequatur, & quòd gratia Dei secundū merita nostra detur. Nam si aliquid conferri homini per gratiam confitentur, & id non accipit nisi fides, quæ accepta non est, in ipsa est meritum, cui non donum datur, sed debitum redditur. In hac sententia positi, consequenter sapiunt, eos esse prædestinatos in vitam æternam, quos per liberæ voluntatis arbitrium fideles futuros præscierit Deus, vt ipsa electorum prædestinatio non sit nisi retributio. Atque ita, in his qui prædestinati sunt secundum propositum eius qui vniuersa operatur, nō operetur Deus fidem: nec vlla sint hominis merita, si Deus operatur vniuersa. Verè qui ista sentiunt, fidem non acceperūt; aut quam acceperant perdiderunt, sequendo vanissimam Pelagianorum superbiam, & in se, & in Domino gloriando, qui operatur omnia in omnibus, bona profectò, non mala. Et si omnia bona, vtique & fidem, sine qua nemo potest placere: & quę est virtutum omnium fundamentum. Quale est autem, vt, cùm Dei sit ædificatio: Et nisi Dominus ædificauerit domū, in vanum laborent qui ædificant eam: aut nolint isti fundamentum ad ædificium pertinere, aut se velint inchoare, quod Dominus possit extruere? Non erit ergo illis principium filius Dei, non fundabuntur in ipso angulari lapide Christo Iesu: nec de eis dictum est, Firmum autem fundamentum Dei stat: quia totam electionem suam sōlubili arenæ & succiduo cineri superponunt. Agnoscamus itaque sapienter, piéque fateamur, præscisse incōmutabiliter Deū quibus esset daturus vt crederent, aut quos daturus esset filio suo, vt ex eis non perderet quenquam. Et si hæc præsciuit, beneficia sua illum, quibus nos dignatur liberare, præscisse. Et hanc esse prædestinationem sanctorum; præscientiam scilicet & præparationem gratiæ Dei, qua certissimè liberantur. Cæteros autem quicunque non liberantur, quos à generali perditione humani generis gratia non exemit, iustō nouerimus iudicio hō exemptos: & quid nobis remissum sit, in eis discamus, de quorū queri damnati ne non possumus. Non est enim iniquitas apud Deum, neque quisquam sub iudicio eius innocens perit. Si ut enim hic ipse insignis gratiæ prædicator alibi ait: *Reddet omnino Deus & mala pro malis, quomodo iustus est; & bona pro malis quomodo bonus est; & bona pro bonis, quomodo iustus & bonus est; tantummodo mala pro bonis non reddit quomodo iniustus non est. Reddit ergo mala pro malis, pœnam pro iniustitia; & reddit bona pro malis, gratiam pro iniustitia; & reddit bona pro bonis, gratiam pro gratia.* Cùm aliqui pereunt, non dubitemus ipsorum meritis deputari quòd pereunt; quos vtique posset Deus misericorditer liberare, si vellet. Et cùm aliqui liberantur, non audeamus definire, quòd digni fuerint liberari: quos vtique posset Deus iustè damnare si vellet. Quare autem nō omnes, aut quare illos potius quàm illos liberet, nec necessarium est quærere, nec possibile reperire: cùm omissis discretionis istius causis scire sufficiat, quòd nec misericordia iustitiam, nec iustitia auferat misericordiam apud eam, à quo nemo nisi iustè damnatur, nec nisi misericorditer liberatur. De Tyriis verò & Sidonis quid aliud possumus dicere, quàm non esse eis datum vt crederent, quos etiam credituros fuisse ipsa Veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, virtutum signa vidissent? Quare autem hoc eis negatum fuerit, dicant, si possunt, qui calumniantur: & ostendant, cur apud eos Dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit. Nos etiam si rationem facti, & profunditatem iudicij eius penetrare non possumus, manifestissimè tamē

1 Cor. 5. Psal. 126.

2 Tim. 2.

Rom. 4.

De gratia & libero arbitrio, cap. 23.

Matth. 11. Luc. 10.

scimus, & verum esse quod dixit, & iustum esse quod fecit. Et non solùm Tyrios & Sidonios, sed etiam Corazin & Bethsaida potuisse conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis Dominus voluisset operari. Neque enim vlli falsum videri potest quod Veritas ait, Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo: &, Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autē nō est datum: &, Nemo nouit filiū nisi pater, neque patrē quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare: &, Sicut pater viuificat mortuos, ita & filius quos vult viuificat: &, Nemo potest dicere Dominū Iesum, nisi in Spiritu sancto. His diuinarum vocum autoritatibus eruditi gratias agamus Deo qui dedit nobis spiritum fidei & virtutis, continentiæ & charitatis, sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis ac timoris sui. Quę bona si nō dedisset nobis, qui omnia operatur in omnibus, prorsus non haberemus in nobis: & cum his, qui non cognouerunt Dominū, aut cùm cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed hoc ipsum suæ sapientiæ deputātes, stulti facti & obscurato corde euanuerunt in cogitationibus suis: Cum his, inquam, sederemus in tenebris & in vmbra mortis, nec querelam habētes de pœna, nec excusationem de ignorantia, nec præsidium de natura.

Iohn. 6. Luc. 8. Matth. 11. Luc. 10. Iohn. 5. 1 Cor. 12. Ibidem. Rom. 1.

CAPVT VII. Ibid. cap. 15.

DVBIVM X.

NVNC iam quod sequitur, quale sit videamus: *Sed aiunt, vt scribitis, neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conuentu Ecclesiæ audientibus multis: Ita se habet de prædestinatione definita scientia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel accepta perseuerantia permaneatis in fide. Cæteri verò qui in peccatorum delectatione remoraminj, ideo nondum surrexistis, quia nedum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Verùntamen si qui estis nondum vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos, accipietis eandem gratiam qua velitis, & sitis electi. Et si qui obeditis, si prædestinati estis reijciendi, subtrahentur obediendi vires, vt obedire cessetis.*

STVPEO sanctitatem vestram obiectione m calumniantiū, à persona defensoris gratię non potuisse discernere: & verba obtrectantium ei ipsi, qui obtrectatoribus suis respondet, aptasse. Hæc enim de doctrina catholici viri quidam nequiter & nugatoriè iactitabant, quòd qui talem Dei gratiam prædicaret, vt fides & obedientia, cæteræque virtutes, & in eis vsque in finem perseuerantia, non nisi ex dono Dei habere posse credantur, cōsequens esse, vt talibus verbis vteretur ad populū, & huiusmodi denunciationibus omnem liberi arbitrij euitaret industriam. Quod quia piissimus doctor literis eorū, ad quos scribit, agnouerat, ideo ait: *Sed aiunt, vt scribitis*: & postea, *Ista cùm dicunt*. Ex hoc ergo potuistis aduertere non ipsum hæc dicere, sed eos, de quibus dixit, *Sed aiunt, vt scribitis*: &, *Ista cùm dicunt*. Quod similiter Apostolus ait, sicut aiunt nos quidam dicere, Faciamus mala, vt veniant bona. Inferius autem vbi plenius ad ista respōdet, multo manifestius patet, quàm hæc ab ipso nunquam talitèr dicta sint, & quātum ei huiusmodi prædicationis forma displiceat. Quam corrigens & mundans atque emendans, tolerabiliorem audientibus facit: quæ vera sunt temperans, quæ falsa sunt resecans, & post multa adiiciens: *Iam verò quod illis verbis connectitur, miror si vlla modo potest in populo Christiano quisquā infirmus patienter audire, cùm dicitur eis, Et si qui obeditis, si præscititis reijciendi, subtrahentur obedientiæ vires, vt obedire cessetis. Hoc enim dicere, quid videtur aliud esse, quàm malè dicere, aut mala quodam modo prophetare?* Et post hæc cùm diceret, qualiter de his loquendum esset in populo, proprij sensus verba connexuit, dicens: *Illum etiam modum, quo vtendum esse in prædestinationis prædicatione nos diximus, loquenti ad populum non existimo debere sufficere, nisi hoc, vel aliquid huiusmodi addat, vt dicat, Vos itaque etiam ipsam obediendi perseuerantiam à patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, & omne donū perfectum, sperare debetis, & quotidianis orationibus poscere: atque hoc faciendo considere, non vos esse, à prædestinatione populi eius alienos: quia etiam hoc, vt faciatis, ipse largitur. Absit autem à vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere iubemini, non in vobis. Maledictus enim omnis qui spem habet in homine; & bonum est considere in Domino, quàm considere in homine: quia beati omnes qui confidunt in eum. Et hanc spem tenentes, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: quoniam de vita æterna, quam filijs promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi cū summatu fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram: sed faciet perseuerare in se vsque ad huius vitę finem, cui quotidie dicimus, Ne nos inferas in tentationem.* Videtisne, obsecro, quantum distet hic sermo ab eo, quem composuit malignitas obloquentium: qui studuerunt etiam ea quæ rectè dicit, exquisita verborum fraude corrumpere? De quo idem doctor rectissimè ait: *Dolosi autem vel imperiti medici est, etiam vile medicamentum sic alligare, vt aut non prosit, aut obsit.* Et iterum de simili ineptia: *Nempe*, inquit, *hoc verissimum est, ita sanè, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum; non falsum eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis appositum.* Non igitur necesse est de his rationem reddere, quæ & ab aliis dicta, & ab ipso ostendimus improbata: ita tamen, vt nihil sibi per falsorum admixtionem præripi pateretur ex veris. Quamuis enim nūquam tam insipienter locutus sit ad populum Christianum, & id quod mendax obtrectatio ineptissimè finxit, horruerit: pia tamen, constanúque doctrina abundanter probauit, prædicandam esse Ecclesiæ prædestinationem, in qua est gratiæ præparatio: & gratiam, in qua est prædestinationis effectus: & præscientiam Dei, qua ante secula æterna quibus esset collaturus sua dona, præsciuit. Cuius prædicationis quisquis est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adiutor. Hoc autem quod in fine posuistis, superiori capitulo, vbi Tyriorum & Sidoniorum mentio facta est, debuit copulari: quia etiam in libri corpore, eidem causæ, sine cuinsquam diuersæ disputationis interiectione, connexum est. Vnde & responsio, quam præcedentibus subdidi, potest etiam ad istas sufficere: in quibus nulla est obscuritas, si de fide prædestinationis & gratiæ Dei, ex qua est omnium bonorum origo perseuerantiaque meritorum, hoc teneatur, quod habet veritas.

Rom. 3. Ibidem. Cap. 22. Ibidem. Iacobi 1. Heb. 10. Psal. 117. Psal. 2.

Finis libri tertij.

D. PROSPERI

REGIENSIS EPISCOPI, aduersus calumniatores doctrinæ B. Augustini RESPONSIONVM LIBER QVARTVS, qui est contra Collatorem.

ARGVMENTVM.

IOANNES *Cassianus monachus & presbyter, Chrysostomi fuit alij nauclo discipulus, qui Constantinopoli profugus Massiliam venit Galliæ ciuitatem; vbi ob pietatis & eruditionis opinionem non parū sibi honoris & authoritatis cōciliauit. Fuit autem is vel præcipuus qui doctrinæ illic B. Augustini De gratia Dei aduersus Pelagium, restitit, multorumq; animos à veritate ad hæresim Pelagianam abduxit. Vnde & inter cætera librum edidit, quem inscripsit, Collationes patrum: in quo coll. 13. cui titulus De protectione Dei, sub persona Cheremonis abbatis, quem ibi loquentē induxit, dicere conatur contra B. Augustinum, prima pietatis initia, quibusdam saltem, non ex Dei gratia, sed ex semetipsis esse, recidens in illud toties damnatum, gratiam Dei secundum merita nostra dari, eoq; nec verè gratiam esse. Eum librum hic Prosper refellit, sed honoris causa, nomine authoris suppresso.*

GRATIAM Dei, qua Christiani sumus, quidam dicere audent à sanctæ memoriæ Augustino episcopo non rectè esse defensam, libiósque eius contra errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumniis impetere non quiescunt. Quorum intus interstrepens domestica malignitas non minus spernenda esset, quàm foris latrans hæretica loquacitas; nisi eiectis extra ouile Dominicum lupis, sub nomine ouium suffragarentur, essentque eiusmodi, vt nec ordo eorū in ecclesia, nec ingenia despicienda videantur. Siquidem habentes speciem pietatis in studio, cuius virtutem diffitentur in sensu; trahunt ad se multos ineruditos, & nō habentia spiritum discretionis corda conturbant: atque in eum statum deducere causam ecclesiæ moliuntur, vt dum nostros affirmant non veraciter pro gratia locutos, inimicos gratiæ persuadeant iniustè damnatos esse. Non ergo negligendum est hoc malum, quod ab occultis paruis que seminibus augetur quotidie, & ab ortu suo latius longiusque distenditur: sed studendum est, inquantum Dominus adiuuat, vt fallacium calumniatorum hypocrisis detegatur, qui ex ipsa iniuriæ magnitudine, quam in vno cunctis, ac præcipuè Apostolicæ sedis pontificibus inrulerunt, ab indoctis & parum cautis, excellentioris scientię iudicantur, & misero

Cap. 1.

peruersoque successu facilem mendacio consensum eliciunt, quia reuerētiam sibi præsumptione pepererunt. Nec enim, cùm sint bonæ opinionis viri, creduntur vllo modo tarditate intelligentiæ, aut temeritate iudicij, in superfluæ querelæ conclamationem potuisse prorumpere; ac non potius magno ingenio ac vehementi studio laborasse, vt subtilissimi tractatoris disputationibus comprehensis, censura nunc districtior & inspectio sagacior inueniret, quod antea secutus fauor & benignitas incuriosa non viderat. Vnde ergo hæc diligentia tam seueri emersit examinis? Vnde in hanc austeritatem supercilium tam tetricæ frontis se armauit, vt mensuras sensuum, pondera locutionum, numeros syllabarum insidiosus scrutator euentilet, magnúmq. se aliquid conficere præsumat, si catholico prædicatori notam erroris affigat? quasi incognitum aliquod opus, & quod hactenus latuerit imperatur; ac non illa his morbibus doctrina lanietur, quæ nouorum hæreticorum commēta disiecit, & diabolicū tumorem Pelagianæ elationis elisit. Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei catholica acies huius viri ductu pugnat, & vincit. Vincit, dico, quia nō patitur respirare quos vicit, & in quorū excidium, vnam cunctorū sacerdotum manu sententiam scripsit. Pulsi pontificio, & communione priuati, querantur quasi de felicitate nostræ victorię, & arment in nos linguas suas, qui exulare à veritate, quàm ciues esse ecclesiæ maluerunt: nostri autem concorporales, ac participes gratiæ Christi, cur de his armis quibus communis fides est defensata, causantur? Cur bellum confectum retractant, & munitiones securæ dudum pacis infirmant? An victores displicent, & victi placent? tantáque insolentia damnati fouentur errores, vt prauitatis inuidia, & authores nostri pulsentur & iudices? An verò ita se nouorū censorum norma exactior temperauit, vt & nulla eorum quæ excisa sunt, asserat; & quædam ex his quæ defensa sunt, respuat? Ecce salua catholicæ pace victoriæ, salua indissolubilum reuerentia decretorum, parati sumus patronos doctrinæ emendatioris audire, & circumcisas ab omni errore lineas subtilissimæ discretionis agnoscere, constituatur in medio quod de nouis emersit ingeniis.

CAPVT II.

ET ne ad obscurandam scientiam doctiorum ea exagitare videamur, quæ vulgus ignobile, & procax ineptorū loquacitas intemperanter effundit, vnius potissimum definitiones, quem non dubium est illis omnibus in sanctarum scripturarum studio præstare, referemus. Quas etiam ob hoc solùm interim in disceptatione oportet adsumere, quia vtrum ita se habeant, non potest dubitari. Scriptæ enim sunt, & authoris sui editione publicatæ: nec iam, an sint, quærendum est: sed quid doceant, demonstrandum. Igitur in libro cuius prænotatio est, De protectione Dei, vir quidam sacerdotalis ordinis, qui disputandi vsu inter eos, quibus cum degit, excellit, abbatem quendam introducit de gratia Dei & libero arbitrio differentē, cuius se ostendit per omnia probasse, ac suscepisse sententiam. Vt iam non cum illo nobis sit negotium, qui fortè tales opiniones suas aut negando refutaret, aut corrigendo dilueret: sed cum isto, qui ad instrumentum inimicorum gratiæ Dei, talem studuit proferre doctrinam. Qui tamen inter initia disputationis, à veritatis pietate non dissonat, & iusto honotari præconio mereretur: nisi præcipiti læuoque progressu, ab inchoata rectitudine deuiaret. Nam post comparationem agricolæ, cui formam sub gratia ac fide viuentis aptauit, & cuius infructuosum esse dixit laborem, nisi per omnia Dei auxilio iuuaretur, intulit definitionem catholicissimam dicens: *Quibus manifestè colligitur, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum: qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis, dicente Apostolo: Qui dat semen seminanti, & panem ad manducandum: præstabit, & crescere faciet, fructus iustitiæ vestræ.* Hic, ne quis putaret nihil superesse, quod per liberum agereturarbitrium, non irrationabiliter adiecit quo probaret non auferri illud his donis, sed potiùs roborari: nisi reuolutum ad iniquitates suas, ab auxilio Dei se malit auertere. *Nostrum verò est vt quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur; ne dura ceruice & incircumcisis auribus eidem resistentes, per Hieremiam mereamur audire: Nunquid qui cadit, non resurget? aut qui auersus est, non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Hierusalem auersione contentiosa? Indurauerunt ceruices suas, & noluerūt reuerti.* Et infrà, cùm omnia virtutum studia Dei gratia indigere docuisset, probabiliter addidit, dicens: *Quæ omnia, sicut desiderari à nobis iugiter absq. diuina inspiratione non possunt: ita ne perfici quidem sine eius auxilio vllatenus queunt.* In septimo autē capitulo, generalē volens ostendere gratiam Christi, quę nullum vsquequaq. hominū prætermittat, & rebelles quoq. aduersosque non deserat: *Adest*, inquit, *inseparabiliter nobis semper diuina protectio, tantaq; est erga creaturam suam pietas creatoris, vt non solùm comitetur eam, sed etiam præcedat iugiter prouidentia.* In quo potest videri ob hoc comitem dixisse prouidentiam, quia etiam deserentes se plerumque nō deserat; vel quia omnes quos præuenit, eosdem etiam subsequatur. Sequitur autem, dicens: *Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ volūtatis inspexerit, illuminat eam cōfestim, atq. confortat & incitat ad salutem: incremētum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Et hic potest adhuc dicere, illius se ortū bonæ voluntatis significasse, cuius à Deo sint plantata vel inspirata principia: quia ab illuminatis iam cordibus possunt salubres prodire conatus, qui ideò ipsius hominis proprij esse dicuntur; quia iā bonorum conatuum acceperit facultatem, & eorū semina ad suū referantur authorem. Sed capitulo nono subdit, & dicit: *Vnde non facilè humana ratione discernitur, quemadmodum Dominus petentibus tribuat, à quærētibus inueniatur, aperiatq; pulsantibus. Et rursus inueniatur à non quærentibus sē, palam appareat inter illos, qui illum non interrogabant. Totā die extendat manus suas ad populum non credentem sibi & contradicentē: resistentes ac longè positos vocet: inuitos attrahat ad salutem. Peccare cupientibus, explendæ copiam subtrahat voluntatis: ad nequitiā properātibus, benignus obsistat.* Iam hic quasi per inscrutabilē diuersitatem introducitur definitio, qua docetur multos ad gratiam venire sine gratia, & húc affectū petendi, quærendi, atque pulsandi habere quosdā de vigilantia liberæ voluntatis. Quæ tamen in aliis tanta auersione obcæcata perhibetur, vt nullis cohortationibus sit reuocabilis, nisi per vim trahētis inuita ducatur: quasi nō toto multiformis gratiæ opere hoc in omniū agatur animis, vt ex nolentibus fiant volētes: aut quisquā ex his qui iā iudicio rationis vtūtur, possit fidē nisi volūtate suscipere. Vnde tā ineptū est dicere, quòd quisquā ad participationē gratiæ tendat inuitus, quàm asserere quòd vllus ad eam non spiritu Dei veniat incitatus. Citò ergo hic disputator præmissæ definitionis oblitus est, citò à sententia sua instabilitate & leuitate discessit. Dixerat enim, regulariter, non solùm actuū, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium. Et ne hoc de doctrina extrinsecus adhibita deberet intelligi, vigilanter addiderat: *Qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atq. opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne datum optimū, & donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum: qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur & consummat in nobis.* Doctor catholice, cur professionem tuam deseris? cur ad famosam falsitatis caliginem relicta serenissimæ veritatis luce deuolueris? Quod in petentibus, quærentibus, pulsantibusq. miraris, cur nō eidem gratiæ, quæ desideratur, adscribis? Vides bonos conatus, pia studia, & dubitas esse Dei dona? Latuerit opus gratiæ donec fides insita cogitationis claudebatur arcano: at vbi supplex oratio, vbi diligens inquisitio, vbi apparet crebra pulsatio: quare nō ex qualitate operis subministrationē intelligis inciātis? Et satis te contra Pelagianorū calumnias prēcauere existimas, si, quod in vniuersitate vocatorū sentiēdū est, id nobis in portione cōcedas?

Nunc est cap. 8. Cassianus collat. 13. Cap. 3. Iacobi 1. 2. Cor. 9. Act. 7. Hier. 8.

SED nec cum hæreticis tibi, nec cum catholicis plena concordia est. Illi in omnibus iustis hominum operibus, liberę voluntatis tuentur exordia: Nos bonarum cogitationum ex Deo semper credimus prodire principia. Tu informe nescio quid tertiūm, & vtricq. parti inconueniens reperisti, quo nec inimicorum consensum acquireres, nec in nostrorum intelligētia permaneres. Quo modo autem non aduertis, te in illud damnatū incidere, quod velis nolis conuinceris dicere, *Gratiam Dei secundum merita nostra dari*, cùm aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas? Non enim nullius meriti habari potest petentis fides, quęrentis pietas, pulsantis instantia: præcipuè cùm omnes eiusmodi, & accipere, & venire, & intrare dicantur. In quo superflum, imò impium est, sic velle meritis ante gratiam existēribus locū facere, vt nō ex toto verū sit, quod ait Dñs, Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, attraxerit eum, si cuiusquā hominis sine Dei illuminatione esset credēda cōuersio: aut vllo modo se voluntas hominis ad Deū sine Deo posset extēdere, qui cū vocatū ad filiū trahit; nō resistentem, inuitumq. cōpellit: sed ex inuito volentē facit, & quibuslibet modis infidelitatē resistētis inclinat:

CAPVT III. Matth. 7. Ioan. 6.

vt cor audientis, obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, vbi premebatur; ibi discat, vbi ignorabat; inde fidat, vnde diffidebat; inde velit, vnde nolebat. Etenim Dominus dabit suauitatē, & terra nostra dabit fructū suum. Sed videamus qualia subsequantur: *Cui autē facilè pateat, quo modo salutis summa nostro tribuatur arbitrio? De quo dicitur: Si volueritis, & audieritis me, quæ bona sunt terræ mēducabitis. Et quomodo nō volētis, neq. currētis, sed miserētis est Dei. Quid etiā sit illud, quòd Deus reddit vnicuiq. secundū opera eius. &, Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona volūtate: & hoc nō ex vobis, sed Dei donum est: nō ex operibus, vt ne quis glorietur.* Et cætera quæ collecta de scripturis, quasi alterno sibi sensu aduersa collegit, vt donis gratiæ studiū humanę cōmittat industrię: & hominū omniū diuisione facta, alij sint quos gratia Dei saluet, alij quos lex & natura iustificet. Sed lex potest, ne quid mali fiat, iubere: à malo autē nō potest liberare. Notū facit mandatū, sed obedienti non præstat affectū: nisi quod est occidens per imperiū literę, fiat viuificans per spiritū gratiæ. Post hęc cōcludit, dicēs: *Nisi quod in his omnibus & gratia Dei, & libertas nostri declaratur arbitrij. & quia etiam suis interdū motibus homo ad virtutū appetitus possit extendi, semper verò à Domino indigeat adiuuari.* Et vbi est, quod regulari definitione præmissum est, Non solùm actuum, verùm etiam cogitationū bonarū ex Deo esse principiū, qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & cōsummat in nobis? Ecce hic etiam si bonis cœptis necessarium Dei fateris auxilium: ipsos tamen laudabiles motus appetitusq. virtutū, remota gratia Dei nudæ libertati adscribis arbitrij: vt boni salubresq. conatus nequeant quidem proficere, nisi Deus adiuuet: possunt tamen, etiam si non à Deo inspirentur, incipere.

Psal. 84. — Esa. 1. — Rom. 9. — Matth. 16. — Philip. 2.

CAPVT IIII.

DEINDE, vt euidentius definiat, quid homo ex libero arbitrio habeat, quid sumat ex gratia Dei, addis, & dicis: *Nec enim cùm voluerit quis, sanitate perfruitur, aut de agritudinis morbo pro arbitrij sui desiderio liberatur.* Docēs ergo, non posse quidē hominē per semetipsum apprehēdere sanitatē, sed habere eū à semetipso desideriū sanitatis. Et sua tantū sponte venire ad medicum: nō etiam hoc ipsum medici esse, quòd veniat. Quasi verò anima ipsa nō langueat, & corpori suo remediū sana prospiciat. Atqui totus homo ex ipsa & cum ipsa in profundū miseriæ suæ decidit, vbi eam prius quàm à medico notitiam suæ calamitatis accipiat, iacēre delectat, amantē semper errores suos, & amplectentem falsa pro veris. Cuius salus prima est, vt sibi incipiat displicere, & vetustatē suæ debilitatis odisse. Sequens verò est, vt & sanari desideret, & à quo sanandæ sit, nouerit. Quæ curationē ipsius sic præcedunt, vt ei ab illo, qui ægram sanaturus est, inserantur. Ne, cùm ei vllo modo hæc inesse possint, merito videatur saluata, non gratia. Deinde adiicis: *Vt autem euidentius clareat, etiam per naturæ bonū (quod beneficio creatoris indultum est) nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia: quæ tamen, nisi à Deo dirigantur, ad consummationē virtutum peruenire non possunt, Apostolus testatur, dicēs, Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonū non inuenio.* Falsò ergo secundū hanc definitionem antè dixisti, Non solùm actuum, verùm etiam cogitationū bonarum ex Deo esse principium: qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis. Sed hoc nullo modo ex aliqua parte potest esse falsum. Cui nequaquam inferri contraria debuerūt: vt, quod rectè professus es ex gratia incipere, id postea confirmares per naturæ bonum, & per liberum arbitrium nos habere. Dixit quidem beatus Apostolus: Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Sed idem dixit: Nō quòd idonei simus cogitare aliquid ex nobis ipsis, sed sufficiētia nostra ex Deo est. Et idem dixit: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate. Non ergo Apostolus sibi contrarius est. Sed cùm donatum nobis fuerit bonum velle, non statim inuenimus & facere, nisi quærentibus, petentibus, atque pulsantibus qui dedit desiderium, præstet effectum. Vox namque ista dicentis, Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio, vocati est, sub gratia constituti: qui condelectatur quidem legi Dei secundum interiorem hominem, sed videt aliam legem in membris suis, repugnātem legi mentis suæ, & captiuantem se in lege peccati. Et quamuis acceperit scientiam rectè volendi, virtutem tamen in se non inuenit eorum quæ optat operandi: donec pro bona voluntate, quam sumpsit, mereatur inuenire qui faciat.

Sic & in respon. ad 6. obiect. Galliorū. — Rom. 7. — Ibidem. — 2. Cor. 3. — Philip. 2. — Rom. 7.

CAP. V.

POST hæc ponis plurima testimonia, quibus nunc validū, nunc infirmum liberum arbitrium demonstretur. Quasi quidā sint, qui propriis viribus impleant, quod alij facere Deo non adiuuante non possunt: aut ob aliud homo accipiat præceptum, nisi vt diuinum quærat auxilium. Concludis ergo, & dicis: *Et ita sunt hæc quodammodo indiscretè permista atque confusa, vt quid ex quo pendeat, inter multos magna quæstione voluatur. Id est: Vtrum, quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus: an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium. Multi enim singula hæc credentes, ac iusto amplius asserentes, variis, sibiq. cōrrarius sunt erroribus inuoluti.* Ecce, vt ubi videtur, quę permista erant, discreta sunt: & quę explicari nō poterant, absoluta. Duos enim esse contrarios sibi definis errores, quibus qui inter liberū arbitriū & gratiam quid tenendū sit nesciunt, implicētur. Et in vno cōstituis eos qui dicūt, ideò nostri misereri Deum, quia ex nobis præbita sunt bona initia volūtatis, significans sine dubio Pelagiani dogmatis sectatores, qui dicunt gratiam Dei dari secundum merita nostra: in alio autem illos ponis, qui dicunt, ex misericordia Dei bonarum voluntatū prodire principia, eos intelligi volens, qui inimicos gratiæ debellarunt. Si ergo error est, initia bonæ voluntatis non adiuto diuinitùs homini adscribere, & error est confiteri, quoniam præparatur volūtas à Domino, quò dirigendi sumus, vt vtrumq. vitemus? *Si vtrūque*, inquis, *sequamur, nos nulli errori acquiescemus.* Tu nos subdis duobus, & geminas, sicut intelligis, prauitates: diuidendo damnas, miscendo iustificas. Hac lege ac regula poteris prædicare, quòd tam errent qui dicunt, semper esse fallendum, quàm qui definiūt, nunquā esse fallendū. Sed vtin neutro peccetur, vtrumq. sectandū: quia nec semper declināda falsitas, nec semper negligenda sit veritas. Fallit te prorsus opinio tua: De duobus malis vnū fieri bonū non potest: Vnam vitutē duo vitia nō gignūt: Vnū verū, duo falsa non faciunt. Quæ enim paria sunt merito, non minuuntur coëundo, sed crescunt. Non itaq. oportuit eos qui bonarū voluntatum initia ex Dei asserūt inspiratione generari, ea sententia reprehēdi, qua arguūtur qui ad hęc liberū arbitriū putant sibi sine ope gratiæ posse sufficere. Harum enim definitionum vna ab ecclesia expugnata est, alia defensa. Nec eis vllo modo huius noui fœderis congruit pactū, quo catholica sit corruptior, quàm Pelagiana correctior. *Multi*, inquis, *singula hæc credentes, ac iusto amplius asserentes, variis sibiq. contrariis sunt erroribus inuoluti.* Placet igitur tibi, cū hæreticis catholicos, cū victis damnare victores: & eos erroris nota adurere, qui errorē ab ecclesia depulerūt? Secundū quippe tuā censurā, qua sanctarū & fidelium voluntatū asseris non in omnibus hominibus ex Deo esse principiū (quasi multū gratiæ tribuas, si hoc eam in quorundā operari mētibus adquiescas) erranit papa Innocētius & Petri sede dignissimus, qui cùm de istis loqueretur, qui in libero arbitrio gloriātur: *Nā quid*, inquit, *nos de eorū post hæc rectū mētibus existimemus, qui sibi se putant debere, quòd boni sunt?* Et iterū, cùm de primi hominis scriberet lapsu: *Liberū enim*, inquit, *arbitriū olim ille perpessus, dā suis incōsultis in vitium bonis, cadens in præuaricationis profunda demersus, nihil quemadmodū exinde surgere posset, inuenit: suaq. in æternum libertate deceptus, huius ruina iacuisset appressus, nisi eum post Christi pro sua gratia releuasset aduentus.* Errauerūt Orientales episcopi, in quorū iudicio Pelagius, eos qui dicūt gratiā Dei secundū merita nostra dari, vt catholicus posset videri, anathematizare compulsus est. Errauerūt Africana episcoporū concilia, quæ decretis suis constituere, *vtrumq. Dei donum esse, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus: vt ædificante charitate scientia nō possit inflare: quia, sicut de Deo scriptum est, Ille est qui docet hominem scientiam; ita scriptū est, Charitas ex Deo est.* Errauerunt ducenti quatuordecim sacerdotes, qui in epistola, quā suis constitutionibus prætulerunt, ita apostolicæ sedis antistitem beatū Zosimū sunt allocuti: *Constituimus, in Pelagiū atq. Cælestiū per venerabilē episcopū Innocentium de beatissimi apostoli Petri sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur, gratia Dei per Iesum Christū Dominum nostrū, non solùm ad cognoscendam, verumetiam ad faciēdam iustitiam, nos per actus singulos adiuuari: ita vt sine illa nihil vere sanctæq. pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.* Errauit sacrosancta beati Petri sedes, quæ ad vniuersum orbem papæ Zosimi sic ore loquitur: *Nos tamen instinctu Dei (omnia bona enim ad authorem suum referenda sunt, vnde nascuntur) ad fratrum & cōepiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus.* Errauerūt Africani episcopi ad eundem papam Zosimum rescribentes, eumq. in sententiæ huius salubritate laudantes, cùm aiunt: *Illud verò, quod in literis tuis, quas ad vniuersos curasti esse mittendas, posuisti, dicens: Nos tamen instinctu Dei (omnia enim bona ad authorem suum referenda sunt, vnde nascuntur) ad fratrum & cōepiscoporum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus:* sic accepimus

Notat 17. collat. Cassiani, in quæ dicit licitū esse aliquando mendacium.

Epist. 91. inter epist. Aug. — Vide epistolam 166. Milevitanorum & Carthaginensis cap. 4. — Psal. 93. — 1 Ioan. 4. — Idem respon. ad obiect. eiusdem Galliorū.

pimus dictum, vt illos qui contra Dei adiutorium extollūt humani arbitrij libertatem, districto gladio veritatis, velut cursim transiens amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quòd vniuersa in nostræ humilitatis conscientiam retulisti? & tamen instinctu Dei factum esse, fideliter, sapienterque vidisti, veraciter fidenterque dixisti. Ideò vtique, quoniam præparatur voluntas à Domino, & vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda filiorum. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei, vt nec nostrum sentiamus esse arbitrium, & in bonis quibusque ac voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium. Videsne regulas tuas inuictarum constitutionum soliditate confractas, & in fidei structura prauas ruinosasque iuncturas, velut Hierichontinos muros ad sacerdotalium tubarum ruisse concentum?

Rom. 8. — Isaiæ 6.

CAPVT VI.

CVM enim de sanctarum origine voluntatum, & fidei charitatisque principiis, inter nostros & Pelagianos quæstio versaretur, non ancipiti victoria, nec dubio diremptum est fine certamen: Vt adhuc nobis de iniquissima huius fœderis tui pace tractandum sit. Prostrata est inimica acies, bellum confractum est, victores sumus per illum qui fecit potētiam in brachio suo, qui dissipauit superbos mente cordis ipsorum: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles: Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Per illum, qui faciens misericordiam cum patribus nostris, memor fuit testamenti sancti sui, & iurisiurandi quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, datum se nobis, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus ipsi in sanctitate & iustitia in conspectu eius omnibus diebus nostris. Per illum, qui dedit nobis victoriam per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Per illum, à quo nō spiritum huius mūdi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Quid de elisarum argumentationum ratiunculis fracta studes arma colligere? Quid cineres extincti dogmatis refouendo, deficientes fumi indorem in reduiuam flammam conaris accendere? Non est periculum liberi arbitrij ex gratia Dei, nec voluntas aufertur, cùm in ipsa bene velle generatur. Nam si ideò non putanda est nostra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur: spoliantur libertate filij Dei qui aguntur spiritu Dei: perdunt vigorem rationalis animi, & omni voluntariæ deuotionis laude priuantur, quibus datur spiritus sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac timoris Domini. Prorsus qui his reformationibus se non putant indigere, de veteris morbi consuetudine in phrenesim transeunt: respuentes remedium, clamāt, insaniunt, reluctantur. Sed si repromissionis sunt filij, quiescent & sanabuntur.

Luca 1. — 1 Cor. 15. — 1 Cor. 2. — Rom. 8. — 1 Cor. 11.

CAPVT VII.

SED iam videamus quid inferat sobrietas disputātis: qui vt vitium vitio pelleret, & errorem errore curaret, contrarias sibi definitiones noua ante confudit: vtque hoc compositionis suæ poculum securis auditoribus propinaret, exemplis voluit celorare quod miscuit: ait enim, *Si enim dixerimus, nostrum esse bonæ voluntatis principium: quid fuit in persecutore Paulo? quid in publicano Matthæo? Quorum vnus creatori ac suppliciis innocentum, alius violentiis ac rapinis publicis incubans, attrahitur ad salutem? Si in verò gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus: quid de Zachæi fide? quid de latrone in cruce latronis pietate dicemus? qui desiderio suo vim quandam regnis cælestibus inferentes, specialia vocationis monita præuenerunt.* Per istam ergo quorundam principiorum dissimilitudinem probare nititur, hoc posse quosdam per liberum arbitrium sine adiutorio Dei, quod quidam nisi Deo cooperante, nō possint. Et hoc vult de quorundā tardiore obedientia & quorundā sequaciore consensu intelligi. Quasi vbi dura infidelitas Deo subditur, & Euangelio, quod diu impugnauit, repētè succumbit, ibi mutationem hominis dextera operetur excelsi: Vbi autem post tranquillam cohortationem solùm, veros mores, siue vlla hæsitatione diffidentiæ docilis auditor amplectitur, bonum talis cōuersionis humanæ sit tantummodo voluntatis. Quasi verò potentia gratię Dei eos tantùm ad filium attrahat, quos aut voce increpauerit, aut pœna obtriuerit, aut terrore tremefecerit: Illorum autem mentibus nihil suæ virtutis admoueat, qui ad promissiones redemptoris sui, spe alacri, & anido desiderio cucurrerunt. Sed veritas dicit: Nemo venit ad me, nisi pater, qui misit me, attraxerit eum. Si ergo nemo venit, nisi attractus: omnes, quocunque modo veniant, attrahuntur. Trahit igitur ad Deum contemplatio elementorum, omniumque quæ in eis sunt ordinatissima pulchritudo. Inuisibilia enim eius, à creatura mundi per ea quę facta sunt, intellecta conspiciuntur. Trahit rerum gestarum cognitio, & diuinorum operum relaturæ animū audientis inflammant, narrantes laudes Domini & virtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit. Trahit timor: Principium enim sapientiæ, timor Domini. Trahit lætitia: quoniam, Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Trahit desiderium: quoniam, Concupiscit & defecit anima in atria Domini. Trahit delectatio lectionis: Quàm dulcia enim faucib. meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo! Quis perspicere aut enarrare possit, per quot affectus visitatio Dei animum ducat humanum, vt quæ fugiebat, sequatur: quę oderat, diligat: quæ fastidiebat, esuriat; ac subitò commutatione mirabili, quæ clausa ei fuerant, sint aperta: quæ onerosa, sint leuia: quæ amara, sint dulcia: quæ obscura, sint lucida? Hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Quoniam Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu: id est, in manifestatione filij sui, qui est in sinu patris. Qui ergo illuxit in corde Matthæi publicani & Pauli tunc ecclesiā persequentis, ipse & in corde Zachæi, & in corde crucifixi latronis cū Domino, illuxit: nisi Domini vox fortè otiosa fuit, cùm Zachæum, qui quęrebat videre eum quis esset, compellare dignatus est, dicens: Zachæe festina, descende, quoniam hodie in domo tua oportet me manere: & non præparauit sibi eius animum, cuius elegit hospitium. Denique, cùm murmurarent omnes, quòd ad virum peccatorem introiisset hospitari: Zachæus iam pœnitentiam agens, dimidio bonorū suorum in paupetes erogato, redditurum se in quadruplū cùm fraudata promitteret, Dominus ait: Hodie salus huic domui facta est, quia & hic filius est Abrahæ. Et ne lateret causa huius salutis, adiecit, Venit autem filius hominis saluum facere & quærere quod perierat: Vt quē agnoscebamus saluum factum, sciremus à quærente præuentum. In latronis quoque iustificatione, etiam si nulla operantis gratię intelligerentur indicia, nōnne cum omnibus credentibus etiam ipsum acciperemus attractum, dicente Domino: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. &: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me? Inter omnia autem, hunc vel traditum esse, vel tractum, etiam ipsius confessio docet: qui cùm aliquandiu blasphemasset in IESVM CHRISTVM, repentè est mutatus, & dixit: Domine memor esto mei, cùm veneris in regnum tuum. Sed vnde in vno homine tanta compugnantium vocum sit orta diuersitas, instruat nos Apostolus, & dicat: Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu. &: Nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in spiritu sancto: Vt non dubitemus in eiusdem hominis voluntate, & de proprio fuisse quòd blasphemauit, & de Spiritu sancto quòd credidit. Frustra igitur disputator iste inscrutabilem vnius gratiæ varietatem ad argumentum definitionis suæ voluit aptare, vt portio iustificatorum, solius voluntatis suæ motibus ad Christum venire credatur: portio autem reluctans trahatur, & inuita compellatur, cùm Deus sit qui operatur omnia in omnibus, siue alios sic, alios autem sic attrahere velit: ad quem nemo, nisi aliquo modo trahatur, venit.

Psal. 77. — Prouerb. 1. — Psal. 121. — Psal. 83. — Psal. 118. — 1 Cor. 12. — 2 Cor. 4. — Luca 19. — Luca 10. — Ioan. 12. — Luca 23. — 1 Cor. 12. — 1 Cor. 1.

CAPVT VIII.

POST hæc subiicit testimonia sacræ historiæ, quib. ostendit, obseruantiā mandatorum Dei, consummationem q; virtutum diuinæ gratiæ deputandā: quod & nos prōptissimè confitemur. Et cōmemoratis exemplis de Balaam, quem volentem Israēlitis maledicere, Deus in benedictionis verba trāstulerit: & de Abimelech, qui peccare non permissus fit in Saram: & de Ioseph à fratribus vendito: quorum malam voluntatem in bonum Deus verterit: recurrit ad confirmationē definitionis suæ: vt liberū arbitrium, quod gratiæ se dicit iungere, à parte quadā humani generis, quantū in ipso est auferat, & in quadam parte constituat, dicens: *Hæc enim duo, id est vel gratia Dei vel liberum arbitriū, sibi quidem inuicem videntur aduersa, sed vtraq. concordant. Et vtraque nos pariter debere suscipere, pietatis ratione collegimus: ne vnum horū homini subtrahentes, ecclesiasticæ fidei regulā excessisse videamur.* Ecclesiastica regula est prædicante Apostolo; Nemo potest dicere Dominū Iesum, nisi in spiritu sancto. Ecclesiastica regula est: Quid autem habes quod non accepisti? Si autē accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Ecclesiastica regula est, Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua nō fuit, sed plùs omnibus illis laborui. Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Et: Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem. Ecclesiastica regula est: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Ecclesiastica regula est: Gratia saluati estis per fidem: & hoc non ex

Num. 22. — Genes. 20. & 37. — 1 Cor. 12. — 1 Cor. 4. — 1 Cor. 15. — 1 Cor. 7. — 2 Cor. 4. — Ephes. 2.

vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis extollatur. A
Philip. 1. Ecclesiastica regula est: In nullo terreamini ab aduersariis, quæ
est illis causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo: quia
vobis datum est per Christum, nõ solùm vt in eum credatis, sed
Philip. 2. etiam vt patiamini pro eo. Ecclesiastica regula est: Cum tremore & timore vestram ipsorum salutem operamini. Deus enim est
qui operatur in nobis, & velle & operari pro bona volũtate. Ec-
2 Cor. 3. clesiastica regula est: Non quia idonei sumus cogitare aliquid
ex nobis, quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.
Ioan. 6. Hanc regulam firmat Deus dicens: Nemo potest venire ad me,
Ioan. 15. nisi datum fuerit ei à patre meo. Et: Omne quod dat mihi pater,
Lucæ 10. venit ad me. Et: Sine me nihil potestis facere. Et: Non vos me e-
legistis, sed ego elegi vos. Et: Nemo nouit filium, nisi pater, neq;
Ioan. 5. patrẽ quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et: Sic-
Matth. 16. ut pater viuificat mortuos, ita & filius quos vult viuificat. Et:
Beatus es Simon Bariona, quoniam caro & sanguis non reuela-
uit tibi; sed pater meus, qui in cælis est. Hac regula nulli homi-
num aufertur voluntas: quia virtus gratiæ, non hoc in voluntatibus operatur vt non sint; sed vt ex malis bonæ, & ex infideli-
bus sint fideles: & qui ex semetipsis erant tenebræ, lux efficiantur in Domino; quod mortuum erat, viuificetur: quod iacebat,
erigatur: quod perierat, inueniatur. Hoc in omnib. prorsus hominibus, qui eruuntur de potestate tenebrarum, & transferuntur in regnum filij dilectionis Dei, sine cuiusquam exceptione
personæ agere credimus gratiam saluatoris. Quia, sicut hic idem
probabiliter, sed non stabiliter definiuit, dicimus atq; defendimus, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum
ex Deo esse principium: qui nobis & initium sanctæ voluntatis
inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum quę rectè cu-
Iac. 1. pimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre lumi-
num: qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur & consummat
in nobis. In qua sententia si auctor ipsius permaneret, ecclesiasticam regulam non excederet: neq; simul & libero arbitrio offensus, & gratiæ Dei esset ingratus. quorũ duorum dũ vnum in
Paulo & Matthæo, aliud in Zachæo & latrone iudicat operatũ:
non intelligit, in illis se liberũ arbitriũ, in istis gratiam sustulisse.

CAP. IX. DEINDE adiecit: *Nam cùm viderit nos Deus ad bonum velle*
Esa. 30. *deflectere, occurrit, dirigit, atq; confortat. Ad vocem enim clamo-*
Psal. 49. *ris tui statim vt audierit, respondebit tibi. &: Inuoca me*, inquit,
in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Quis nõ vi-
deat, quòd hæc doctrina meritum libero assignet arbitrio, quo
præueniatur gratia, quæ ei famuletur reddens debitũ, non conferens donum? Quæ definitio in Episcoporum Palæstinę synodo, etiam à Pelagio anathemate damnata est. In eo enim qui bonum incipit velle, & cupit ab iniquitate atq; ab errore discedere, gratiam Dei hoc ipsum profitemur operari. Quoniam à Dño
gressus hominis diriguntur, & viam eius volet. Et omnis vir vi-
Psal. 36. debitur sibi iustus, dirigit autem corda Dominus. Et à Domino
Prouerb. 20. & 21. diriguntur gressus viri. Mortalis autem quomodo intelligit vias
Rom. 8. suas? Et quod ait Apost. Non enim accepistis spiritum seruitutis
iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in
quo clamamus, Abba pater. Post hæc persequitur, & dicit: *Nec enim Deus talem hominem fecisse credendus est, qui nec velit vnquam, nec possit bonum. Alioquin nec liberum ei permisit arbitriũ, si ei tantummodo malum, & velle & posse: bonum verò, nec velle nec posse concessit. Et quo modo stabit illa Domini post præuaricationem primi hominis lata sententia: Ecce Adã factus est sicut vnus*
Genes. 3. *ex nobis, sciens bonum & malum? Non enim talis antè fuisse putãdus est, qui boni esset prorsus ignarus. Alioquin velut quoddã irrationabile atq; insensatum animal eum fatendum est fuisse formatum: quod satis absurdum, & à catholica fide omnimodè alienũ est.*
Eccles. 7. *Quinimò secundũ sententiam sapientissimi Salomonis, fecit Deus hominẽ rectum: id est, vt tantũ boni scientia iugiter frueretur. Sed ipsi quæsierunt cogitationes multas. Facti enim sunt, vt dictum est, scientes bonum & malum. Concepit ergo Adam post præuaricationem, quam non habuerat, scientiam mali: boni verò, quã acceperat, scientiam non amisit.* Rectum atq; omni vitio carentẽ creatũ esse hominẽ primum, in quo omniũ hominum cõcreata natura est, dubitare fas nõ est, eumq; tale accepisse liberum arbitrium, vt si auxiliantem sibi Dñm non desereret, posset in bonis quæ naturaliter acceperat perseuerare quia vellet: & merito voluntatiæ perseuerantiæ in eã beatitudinem peruenire, vt nec vellet decidere de terlora, nec posset. Sed ipso libero arbitrio, quo quãdiu voluit bonus mãsit, à proposita sibi lege discessit; nec denunciatæ sibi mortis suppliciũ formidauit, deserens Deũ, & sequẽs diabolũ: rebellis Dño seruatori, & inimico obediens peréptori.

Fuit ergo Adam, & in illo fuimus omnes. Periit Adã, & in illo perierunt omnes. Quod ita non falsò dixit beatus Ambrosius, sicut Ambros. lib. 7 in 15. cap. Lucæ.
nõ falsò ipsa veritas ait: Venit filius hominis quærere & saluare Lucæ 19.
quod perierat. Naturæ enim humanæ, in illa vniuersalis præuaricationis ruina, nec substãtia erepta est nec voluntas, sed lumen decusq; virtutũ, quib. fraude inuidentis exuta est. Perditis autẽ per quæ ad æternã atq; inamissibilem corporis animæq; incorruptionẽ poterat peruenire, quid ei remansit, nisi quod ad temporalẽ pertinet vitam, quæ tota est dãnationis & pœnæ? Propter quod, natos in Adam renasci oportet in Christo, ne in illa quis inueniatur generatione, quæ periit. Nam si posteri Adæ in illis
virtutibus naturaliter agerẽt, in quibus Adam fuit ante peccatũ, Ephes. 2. Ephes. 5.
non essent natura filij iræ: non essent tenebræ, nec sub potestate Colos. 1.
tenebrarum. saluatoris deniq; gratia non egerent: quia non frustra boni essent, nec iustitiæ præmio fraudarẽtur: habẽtes ea bona, quorũ amissione primi patres de Paradiso exulare meruerunt. Nunc autem, cũ sine sacramento regenerationis æternam
mortẽ nemo possit euadere: nónne ex ipsius remedij singularitate apertissimè patet, in quã profundum malũ totius humani ge-
neris natura demersa sit, illius præuaricatione, in quo omnes pec Rom. 5.
cauerunt, & quicquid ille perdidit, perdiderunt? Perdidit autem Adam peccãdo filiem perdidit.
B primitus fidẽ, perdidit continentiam, perdidit charitatẽ, spoliatus est sapientia & intellectu, caruit cõsilio & fortitudine, & impiè altiora sectando, à veritatis scientia, & obediẽtiæ pietate deiectus est: nec ipso saltem timore sibi reliquo, vt ab interdictis vel
metu caueret pœnæ, † qui abstinebat amore iustitiæ. Liberũ er- † al. qui non abstineret amore iustitiæ.
go arbitrium, id est, rei sibi placitæ spontaneus appetitus, vbi vsum bonorũ quæ acceperat fastidiuit, & vilescentibus sibi felicitatis suæ præsidiis, insanam cupiditatem ad experiẽtiam præuaricationis intendit, bibit omniũ vitiorum venenum, & totã naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit. Inde, priusquã edendo carnem filij hominis, & bibendo sanguinem eius lethalem digerat cruditatem, labitur memoria, errat iudicio, nutat incessu: neq; vllo modo idoneus est ad illud bonum eligendũ & concupiscendũ, quo se spõte priuauit. Quia nõ, sicut potuit Deo non impellente corruere, ita potest Deo non erigente consurgere. Non igitur rectè dictum est: *Non enim talem Deus hominẽ fecisse credendus est, qui nec velit vnquam, nec possit bonũ.* Quasi nos istã hominis debilitatẽ à creatore dicamus cõditam, & nõ peccati merito ab homine contractã. Qui ergo pu-
C tat consequens esse, vt si liberum arbitriũ obcæcatũ esse dicatur, obcæcatio ipsa ad naturæ referatur auctorem, vult persuadere, quòd tam sanũ sit in Adæ posteris liberum arbitriũ, quã in Adã fuit ante peccatũ: quod satis alienum à catholica fide ducimus. Quid enim peccato læsum est, si id læsum non est, vnde peccatũ est? Nisi fortè dicatur in Adæ posteros pœnam transisse, nõ culpam: quod omni modo falsò dicitur, & ob hoc fortè nõ dicitur. Nimis enim impiũ est, hoc de Dei sentire iustitia, quòd à præuaricatione liberos, cũ reis voluerit esse dãnatos. Patet ergo culpa, vbi non latet pœna, & societas peccati conuincitur de communione supplicij: vt quod est humanæ miseriæ, nõ de institutione creatoris, sed de retributione sit iudicis. Illud etiam ineptè positum est, & cõtra sensum omnium tractatorũ, quod ad probandã liberi arbitrij incolumitatem cõnexuit, dicens: *Et quo modo stabit illa Domini post præuaricationem primi hominis illata sententia, Ecce Adam factus est sicut vnus ex nobis, sciens bonum & malum:* Genes. 3.
Quasi diabolus Adæ vera promiserit, & Adam transgrediẽdo mandatum Dei profecerit in similitudinẽ Dei, & hoc ei fuisse collatum pronũciauerit Deus: cùm in his verbis significatum
D sit potiùs, quid nõ fuerit assecutus, qui superbiæ ingressus viam, quod habebat amisit, dum quod non acceperat concupiuit. Non minùs autem in ipsa huius sensus cõclusione peccatũ est, dum dicitur: *Concepit ergo Adam post præuaricationem quam nõ habuerat conscientiam mali: boni verò, quam acceperat, scientiam non amisit.* Scientiam boni Adam tunc habebat, quãdo bonum sanctum q; mandatum Dei fideli corde seruabat, & erat iustus manens in imagine creatoris sui, legisq; eius non obliuiscens. Postquam autẽ se, hoc est, imaginem & templum Dei deceptori suo subdidit, perdidit boni scientiã, quia perdidit bonã conscientiã. Iustitiã enim iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, continentiã concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidẽ, captiuitas abstulit libertatẽ: nec potuit illic vlla portio residere virtutũ, quò tanta irruperat turma vitiorũ. Nemo enim potest duobus Lucæ 6. Ioan. 8.
dominis seruire. &: Qui facit peccatũ, seruus est peccati. & : A 2 Pet. 2.
quo quis superat, est, ei seruus addictus est. Nemo autẽ seruit nisi cũ aliqua libertate: & nemo liber est, nisi cũ aliqua seruitute, dicẽte Apostolo: Cũ enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitię. Rom. 6.

Quem

Quem ergo fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis? A
Nam finis illorum mors est. Nunc autem liberi à peccato, serui
autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem, finẽ verò vitam æternam. Qui itaque seruit diabolo, liber est à Deo.
Qui autem liberatus seruit Deo, liber est diabolo: vt appareat
mutam libertatem potuisse haberi ex humanæ voluntatis defectu: bonam autem libertatem non potuisse recipi, sine liberatoris auxilio.

CAP. X. SED ne hæc primi hominis calamitas in progeniem eius
transisse videatur, quàm integro sit omnium hominũ natura iudicio, exemplo gentium probaturus hic doctor addidit, & dixit:
Rom. 2. *Deniq; non amisisse genus humanum post præuaricationem Adæ scientiam boni, etiam Apostoli sententia euidẽtissimè declaratur, qui dicit: Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt: hi legem non habẽtes, ipsi sibi sunt lex, qui ostẽdunt, opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddẽte eis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationib. accusantibus, aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit Deus occulta homi-*
Ephes. 2. *num.* Si de his Apostolus loquitur, qui ex præputio sunt vocati,
1 Petri 2. & cùm essent longè, facti sunt propè, credentes in eũ. Qui quorum aliquando non misertus est, nunc miseretur, & iustificans
Rom. 3. circumcisionẽ ex fide, & præputium per fidẽ, duos cõdidit in se-
Ephes. 2. metipso, destructoq; pariete inimicitiæ Iudæorum & gentium,
in vno nouo homine fecit pacẽ: concludens omnia in incredu-
Galat. 3. litate, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credẽtibus. Si, inquam, de his Apostolus loquitur, in quorum cordib. digito suo
Deus, id est, Spiritu sancto scribit nouum testamentũ, vt legis
plenitudinem & opera charitatis naturaliter exequantur, reformata scilicet renouataq; natura: quid hinc superbissimi sensus
Rom. 3. nouitas adiuuatur, cùm reconciliatio inimicorum nõ possit nisi
gratiæ mediatoris adscribi? Omnes enim peccauerunt, & egent
Rom. 11. gloria Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius. Ergo gratia, gloria Dei est, non meritum liberati. Quis enim prior dedit ei, vt retribuereturi illi? Nihil boni operis ex mortuis, nihil iustitiæ procedit ex impiis: tota ipsorũ salus, gratia est. Et ideo gloria Dei est, vt qui gloriatur, in illo, cuius gloria eguit, glorietur. Si autem (quod magis vult hic disputator intelligi) de illis ista dicuntur, qui alieni à gratia Christiana, quædam ad similitudinem legalium mandatorum proprio iudicio sanciebant, intelligẽtes, mores ciuitatum concordiamq; populorum non posse aliter contineri, nisi vt rectè factis præmia, & peccatis pœnæ decernerẽtur:
C quis ambigat, hanc sapiẽtiam humano generi ad temporalis vitæ vtilitatem, ex natura à Deo conditæ superesse reliquiis? Si enim nec ad ista terrena ordinanda rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed extincta natura. Quæ tamen etiamsi excellentissimis artibus, & cunctis mortalium eruditionũ polleat disciplinis, iustificari ex se non potest, quia bonis suis malè vtitur, in quibus sine cultu veri Dei impietatis immunditiæ que
Rom. 3. conuincitur, & vnde se defendi existimat, accusatur. Cùm ergo
Galat. 6. Paulus definiat, quòd non ex operibus legis iustificatur omnis caro: & quoniam in Christo neque circumcisio, neque præputium valeat aliquid, sed noua creatura: quid iste impiam infidelium libertatem naturalib. instruit bonis, & propriis vult iustificare principiis? Quid ad renouationem miseræ vetustatis, idoneam definit præuaricatrieis scientiæ nuditatẽ? Quasi ista scientia vel ex naturæ opibus residua, vel ex legalis doctrinæ eruditione quæsita, possit sui perceptione præstare, vt quod faciẽdum
nouerimus, etiam facere diligamus: aut vllus sit bonæ voluntatis
motus, nisi quem creauerit diffusæ per Spiritum sanctum cha-
Heb. 11. Rom. 14. Galat. 5. ritatis afflatus. Sine fide enim impossibile est placere Deo. &, D
Omne quod non est ex fide, peccatum est. & , In Christo Iesu
neque circumcisio aliquid valet, neq; præputium: sed fides quæ
per dilectionem operatur.

CAPVT XI. POST hæc in conclusione testimoniorum, quibus probare
voluit, quòd hi qui per increpationem prophetica surdi appellantur & cæci, possint ex facultate naturę & aures suas aperire ad
audiendum, & oculos suos ad videndum (quasi non de illis dẽ-
Ezech. 11. & 36. dicat Dominus: Et dabo eis cor aliud, & spiritum nouum dabo
eis, & euellam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor
carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iustificationes meas
obseruẽt, & faciant eas) addidit, & dicit: *Deniq; vt possibilitatem boni eis inesse designaret, increpans Pharisęos dixit: Quid autem*
Luca 12. *ex vobis ipsis*, inquit, *etiam non iudicatis quod bonum est? Quod vtique non eis dixisset, nisi eos iudicio naturali, quod æquum est, scisset posse discernere.* Iam non solùm voluntatem boni, sed etiam possibilitatem libero adscribit arbitrio: Tãquam ideo ab eis exigatur intelligentia, ideo iustitia reposcatur, quia possint hæc

A sine Dei donis, de naturæ proferre bonis. Imperatur autem ista homini, vt ex ipso præcepto Dei quo ei hoc quod accepit, indicitur; agnoscat id se suo vitio perdidisse, & non ideo iniquam esse exactionem, quia ad reddendum quod debet idoneus nõ est: sed à litera occidente confugiat ad spiritum viuificantem, & facultatem quam antè non inuenit in natura, quærat ex gratia. Quod si facit, magna est misericordia Domini; si non facit, iusta est pœna peccati. Deinde ad plenitudinem præmissæ disputationis, regulari sententia pronunciat, dicens: *Vnde cauendum nobis est, ne ita ad Dominum omnia sanctorum merita referamus, vt nihil nisi id quod malum atque peruersum est, humanæ adscribamus naturæ.* Quid euidentius, quid expressius secundùm Pelagij Cęlestiique commentum ab vllo discipulo potuit definiri? Illi dicũt, *gratiam Dei secundum merita nostra dari*; & iidem dicunt, *gratiam Dei non ad singulos actus dari.* Hic intra vnam sententiam blasphemiam vtranque conclusit, dicens: *Cauendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, vt nihil nisi quod malum atque peruersum est, humanę adscribamus naturæ.* Vult ergo esse multa propria hominum merita, quę non sint gratiæ largitate collata, quibus ad augendas naturales diuitias quædam de sursum munera debeantur. Vult nos gratiam
B Dei non ad singulos actus accipere: ac proinde non pro omni bono opere semper orare. Atque ita consequens erit, vt in Dei muneribus nullum meritum esse credendum sit: quãdo quidem sine merito sit, quem Deus in omnibus semper adiuuerit: aut si etiam in his quæ Deus tribuit, aliqua merita collocantur, constet etiam ipsa acquiri propria facultate potuisse, & ideo in aliquibus oporteat nos iuuari, vt possibilius fiat per gratiam; quod non erat impossibile per naturam. Ecce iam in ista paucorum breuitate verborum, nõ duarum tantum, sed multarum impietatum numerosa connexio est. Quæ si scrupulosioris diligentiæ discretione tractetur, in nullo à damnati erroris catena absoluta monstrabitur.

SED ne suspicionibus agere videamur, & latebras sensuum CAPVT XII.
vltra verba rimari, quid accrescat cognitis, deceant quę sequuntur. Qui ergo inter principia disputationis suæ dixerat, *Non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium: qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atq; opportunitatem eorum quæ rectè cupimus, tribuit peragendi:* nunc volens probare, quòd religiosæ cogitationes & san-
C cta consilia, nulla Dei inspiratione concepta de naturali possunt prodire sapientia, ponit verba Salomonis, dicẽtis: Voluit Dauid 3 Reg. 8. 1 Par. 28.
pater meus ędificare domum nomini Dñi Dei Israël. Et ait Dominus ad Dauid patrẽ meum: Quòd cogitasti in corde tuo ædificare domũ nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans. Verùm tamẽ non tu ædificabis domum nomini meo. Deinde vt ostẽdat, quomodo intelligendũ sit, infert ipse tractator: *Hæc ergo cogitatio, atque iste tractatus regis Dauid, vtrùm bonus ex Deo, an malus & ab homine fuisse dicendus est? Si enim bona & ex Deo fuit illa cogitatio, cur ab eo, à quo inspirata est, eidẽ negatur effectus? Si autem mala, & ex homine fuit, cur laudatur ab Domino? Restat ergo vt & bona, & ex homine fuisse credatur: in quem modum etiam nostras quotidie cogitationes possumus indicare. Neq; enim aut soli Dauid bonum ex semetipso cogitare cõcessum est, aut tobis ne quid boni vnquam sapere, aut cogitare possimus naturaliter; denegatur.* Nullo modo hoc testimonio atque argumẽto probare potest, quòd piæ cogitationes ex solo libero arbitrio, & non ex Dei inspiratione nascantur. Non enim ideò voluntas Dauid, quæ vtiq; bona erat, nõ ex Deo fuisse credenda est, quia templũ sibi Domino nõ ab eo ædificari, sed à filio ipsius voluit. Quærendum ergo est, de quo spiritu processerit affectus Psal. 131.
ipsius voluntatis, nẽpe de illo in quo dicebat; Si introiero in tabernaculũ domus meæ, si ascendero in lectũ stratus mei: Si dedero somnũ oculis meis, aut palpebris meis dormitationẽ. aut requiẽ temporib. meis, donec inueniã locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Quod cùm propheta concupisceret, non ignorabat verum illud, perfectum q; templũ ab illo esse cõdendum, qui cũ esset filius Dei, factus est etiam filius Dauid: quiq; cùm videret templũ à Salomone constructum, dicebat: Soluite Ioann. 2.
templũ hoc, & in triduo suscitabo illud. Dicebat autẽ de templo corporis sui. Vt ergo hoc templũ præfiguraretur, quod in Christo & in Ecclesia disponebatur, meritò ad extructionẽ eius non Dauid eligitur, sed filius Dauid: vt per filium hominis significaretur filius Dei & hominis; & per templum dissolubile, indicaretur tabernaculum incorruptibile; ad cuius condendam imaginem & voluntas Dauid probata est, & opus in eum translatum est, cuius persona magis eidem imagini congruebat.

Atque

Atque ita & ex Deo erat hoc velle Dauid: & ex Deo erat, hoc A
facere Salomonem. Quod vt exemplis magis lucescat, requiramus vbi fieri Deus noluerit, quod homines facere Deo volente
Matth 28. voluerunt. Dominus Apostolis suis præcepit, dicens: Euntes ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, & docentes eos seruare quęcunq; mandaui vobis. Quod cùm Apostoli audierent, sine dubio non verba nuda per corporales sonos exterioribus tantùm auribus acceperunt, sed virtute
al. viuentis iubentis verbi accensa est in cordibus eorum inextinguibilis flamma charitatis, qua ardentissimè vellent
Actor. 16. Euangelium Christi omnibus gentibus prædicare. Sed cùm vetiti sunt loqui verbum in Asia, & cùm tentarent ire in Bithyniã, prohibiti sunt à spiritu Iesu. Nunquid non ex Deo hanc voluntatem habebant, quòd eriam istorum optabant ad fidem corda conuertere, quos occulto iudicio Deus Euangelium tunc nolebat audire? Aut quòd Ecclesia quotidie pro inimicis suis orat: id est, pro his qui nondum crediderunt, nunquid non ex Spiritu Dei facit: Quis hoc dixerit, nisi qui hoc non facit, aut qui putat fidem non esse donum Dei? Et tamen quod pro omnib. petitur, non pro omnibus obtinetur. Nec est iniquitas apud Deũ, B
qui sæpe postulata non tribuit, quæ postulare donauit. Bonam igitur voluntatem, eam scilicet qua adhæretur Deo, nec negandum est hominis esse propriam, & confitendum est Deo inspi-
Luca 18. rante conceptam. Nam cùm nemo sit bonus, nisi solus Deus, quale erit bonum, quod auctorem non habet bonum? Naturæ quippe humanæ, cuius creator est Deus, etiam post præuaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, & sensus, & ratio, cæteráque corporis atque animi bona, quę etiam malis vitiosiq; non desunt: sed non in illis veri boni perceptio est, quæ mortalẽ vitam honestare possint, æternam autem conferre non possunt. Neq; enim ignotum est quantum Græcæ scholę, quantum Romana eloquentia, & totus mundi inquisitio circa inueniendum summum bonum, acerrimis studiis, ex ceilentissimis
Rom. 1. ingeniis laborando nihil egerint: nisi vt euanescerent in cogitationibus suis, & obscuraretur cor insipiens eorũ, qui ad noscendam veritatem semetipsis ducibus vtebantur. Si ergo quis de ęrumnosis vanitatibus & insanis fallacibus erubescens, tenebras esse & mortem, quicquid pro lumine ac vita amplectebatur, intelligit, & ab his se conatur abstrahere: non est ab ipso, quamuis non sine ipso fit ista conuersio: nec propria virtute ad principia C
salutis enititur: sed agit hoc occulta & potens gratia Dei, quæ dimotis tertenarum opinionum & operum mortuorũ fauillis, torrem obruti cordis exagitat, & desiderio veritatis inflammat: non vt inuitum hominem subigat, sed vt subiectionis cupidum faciat: nec vt ignorantem trahat, sed vt intelligentem, sequentémq; præcedat. Manens enim liberum arbitrium, quod vtique cum ipso homine Deus condidit, à vanitatibus & cupiditatibus suis, in quas neglecta Dei lege defluxit, non à seipso, sed à creatore mutatur, vt quicquid in eo in melius reficitur, nec sine illo fit qui sanatur, nec nisi ab illo fit qui medetur, cuius sumus noua
Ephes. 2. creatura, nouúmque figmentum, cẽati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

CAPVT XIIII. NVNC iam videamus quò disputantis progrediatur intentio. *Dubitari ergo*, inquit, *non potest, inesse quidẽ omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta: Sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incremẽtum perfectionis non poterunt peruenire, quia secundum beatum Apostolũ neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Adiacere autẽ homini in quamlibet partem arbitrij libertatem, etiam liber ille, qui dicitur Pastoris, apertissimè docet, in quo duo angeli vnicuiq; nostrum adhærere dicuntur, id est, bonus & malus. In hominis verò optione consistere, vt eligat quem sequatur. Et idcirco manet in homine liberum semper arbitrium, quod gratiã Dei possit vel negligere, vel amare.* Si dubitari non potest, *inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta*: solus Adã
Rom 5. præuaricatus est, & in peccato eius nemo peccauit: in nullis iniquitatibus concepti sumus, & in nullis nos matres nostræ peperẽre delictis: nõ fuimus natura filij iræ, nec fuimus sub potestate
Psal. 50. tenebrarum: qui manentibus in nobis naturaliter virtutibus, fi-
Ephes. 2. lij potiùs nati sumus pacis & lucis. Absit ab animis piorũ fallacis
Colos. 1. doctrinæ insidiosa deceptio. Virtutes cũ vitiis habitare non possunt: quæ enim participatio, inquit Apostolus, iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? Virtus nanq; principaliter Deus est: cui non aliud est habere virtutem, quã esse virtutem. Huius cùm participes sumus, habitat Christus in nobis,
2 Cor. 6. qui est Dei virtus & Dei sapientia: habitat fides, spes, charitas,
1 Cor. 1. continentia, intellectus, consilium, fortitudo, cæteræq; virtutes.

Cùm verò ab hoc bono recedimus, omnia nobis econtrario oriuntur ex nobis: discedente enim pulchritudine, quid succedat nisi deformitas? abeunte sapientia, quid resideat nisi insipientia? non regnante iustitia, quid dominetur nisi iniquitas? Virtutum itaque semina, quæ beneficio creatoris inserta sunt, præuaricatione primi parentis euersa sunt: nec haberi queunt, nisi eo restituente qui dederat. Reformabilis enim est natura humana formatori suo, & eorum bonorũ quæ habuit capax est: vt per mediatorem Dei & hominum hominem Iesum Christũ, in eo ipso quod ei remansit, possit recuperare quod perdidit. Remãsit autem ei rationalis animus, qui non virtus, sed virtutis habitaculũ est. Ex participatione enim sapientiæ & iustitiæ & misericordię, non sapientia, neque iustitia, neque misericordia; sed sapientes & iusti & misericordes sumus. Quæ bona, quamuis rationale nostrum vitiis occupatum sit, & præuaricantibus nobis Dei tẽ- Ioan. 1. 2.
plũ spiritus immundus inuaserit, possunt tamen rursus in ipsum Matt. 3.
rationale confluere, per eum qui mundi principem foras mittit: 1 Cor 2.
& ligans fortem, vasa eius rapit, fugatóque mundi huius spiritu, Rom. 8.
largitur nobis spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, qui autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Puto autem istum ver. similitudine decipi, & in specie falsarum errare virtutum, dum ea bona, quæ non possunt nisi ex Dei munere haberi, etiam in impiorum animis existimat reperiri: ideo scilicet, quia multi eorum sint iustitiæ, temperantiæ, continentiæ, & beneuolentiæ sectatores: quæ omnia non frustra quidem, neque inutiliter habent, multúmque ex eis in hac vita honoris & gloriæ consequuntur. Sed quia in iis studiis non Deo, sed diabolo seruiunt, licet habeant temporalẽ de vana laude mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non pertinent veritatem. Et ita manifestissimè patet, in impiorum animis nullam habitare virtutem: sed omnia opera eorum immunda esse, atque polluta, habentium sapientiam non spiritalem sed animalem, non cęlestem sed terrenam, non Christianam sed diabolicam, non à patre luminum sed à principe tenebrarum: dum per ea ipsa quæ non haberent nisi dante Deo, subduntur ei qui primus recessit à Deo. Qui ergo dicit, *sine vllo opere gratiæ naturaliter omni animæ semina inesse virtutum*; quid laborat ostẽdere, nisi de istis seminibus quædam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum? Denique vt videretur aliquid gratiæ tribuisse, *Ad perfectionis*, ait, *incrementum semina hæc peruenire non poterunt, nisi opitulatione Dei fuerint excitata*: vt scilicet opitulatio Dei sit cohortatio atq; doctrina: mẽs autem, quæ virtutum est opulẽta seminibus, vtatur facultate quam possidet: ad hoc tantùm iuuanda, vt earum virtutum adprehendat culmina, quarum sibi scit inesse principia. Igitur secundùm istum humana anima sic ædificabitur in Dei templum, vt non accipiat fundamentum, præter quod aliud nemo potest ponere, quod est 1 Cor. 3.
Christus Iesus. Quando autem hoc fundamẽtum incipitur, nisi quando fides in audientis corde generatur? Quæ si naturaliter inerat, nõ cœpium ibi est aliquid, sed superinstructum. Superfluò ergo infidelis videbatur, qui fidem habebat antequàm crederet. Hoc autem & de aliarum virtutum principiis potest dici, quas gratia augere debeat quia sunt, nõ donare quia desunt. Sed aliud nos omnia sanctarum scripturarum eloquia docent. Legimus principium esse sapiẽtiæ timorem Domini. Et legimus donum Dei hanc esse virtutem, Timor Domini, inquit, super omnia se superposuit. Beatus homo cui donatum est habere timorem Domini. Cùm ergo timor Dei principium sit sapiẽtiæ, quæ virtus haberi potest sine sapientia, cuius ex timore principium est? Beatus Petrus apostolus, Gratia vobis, inquit, & pax adim- 2 Pet. 1.
pleatur in recognitione Domini nostri Iesu Christi, qui nunc omnia nobis diuina virtute sua, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donauit. Nunquid ait, Qui virtutum semina, quæ naturaliter habebamus inserta, opitulatione sua excitauit in nobis? sed ait: Qui nunc omnia nobis quæ ad vitam & pietatem pertinent donauit. Quod dicendo, cuius virtutis initium in natura posuit, quod non ab eo collatum sit qui cuncta donauit? Propter quod & beatus Paulus: Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? 1 Cor. 4.
Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Ergo omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, non per naturã, quæ vitiata est, habemus: sed per gratiam, qua natura reparatur, accepimus. Nec ideo existimare debemus, in naturalibus thesauris principia esse virtutum, quia multa laudanda reperiuntur etiã in ingeniis impiorũ, quę ex natura quidem prodeunt: sed quoniam ab eo, qui naturã condidit, recesserunt, virtutes esse nõ possunt. Quod enim vero illuminatũ est lumine, lumen est: & quod eo- 1 Cor. 4.
dem lumine caret, nox est: Quia sapiẽtia huius mũdi stultitia est

apud

apud Deum. Ac sic vitium est quod putatur esse virtus: quan- A
doquidem stultitia est, quod putatur esse sapientia. Quomodo autem fieri potest, vt is qui in naturalium virtutum seminibus
al. quæ iste magnifica gloriatur. exuberare se putat, quas ipse magnificas esse gloriatur, ipsas virtutes suas ei doctrinæ subiiciat prouehendas, quæ dicit: Si quis
1 Cor. 3. videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens: & Quia
1 Cor. 1. in sapientia Dei non cognouit hic mundus per sapientiã Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credẽtes? Quid illa scientia scientiæq; præsumptio magis ineptũ esse censeat, magisque ridendũ, nisi spiritus Dei aspernationem subegerit superborum: rationesq; illas, quæ ignoræ virtuti, canina facundia repugnabant, gratiæ suæ virtute destruxerit: vt semẽ verbi præfulcata cordis terra concipiat, & dignos æternis horreis fructus Dei agricultura producat? Post illud autem nullius auctoritatis testimonium, quod disputationi suæ de libello Pastoris inseruit, & quo ostendere voluit, inter boni & mali cõtrarias suasiones, ita omnem hominem naturali iudicio & propriæ discretioni esse commissum, vt ei non plus à Deo præsidij, quàm à diabolo sit periculi, addidit definitionis suæ regulam, dicens: *Et idcirco manet in homine liberum semper arbitrium, quo gratiam Dei possit vel negligere, vel amare.* In qua sententia etiã hoc quod B
ait, *manere in homine liberum semper arbitrium*, ex aliqua parte non constat. Siquidem multa milia infantium in regnum Dei adsumptorum, aut à regno Dei extraneorum, sine vllius suę voluntatis arbitrio gratiam Dei aut accipiant, aut amittant. Multíque excordes ad omnia prorsus, & fatui, per sacramentum regenerationis ab æternæ mortis vinculis eruantur. Accipiamus tamen ita hoc dictum, vt ad eos propriè pertineat hæc definitio, qui vti possunt libera voluntate. Itáne libera est ista libertas, vt quantum ex se habeat fastidij vt negligat gratiam Dei, tantum ex se habeat delectationis vt diligat? Itane illum vetustæ infidelitatis glacialem rigorem nullus meridiani caloris spiritus relaxauit, & torpor mentis obstrictæ de suo algore concaluit: vt dicente Domino, Ignem veni mittere in terram, nulla ad cor fri-
Luca 12. gidum scintilla peruenerit, & cinis mortuus à semetipso in flãmam charitatis exarserit? Nihil tale in istius gratiæ dominatoribus factum est, quale illi experti sunt, qui dicebant: Nonne cor
Luca 24. nostrum erat ardens, cùm esset mus illo in via, & aperiret nobis scripturas? Sed nec illud in eisdem actum est, quod de Lydia, ciuitatis Thyatirorum purpuraria, quæ inter mulieres,
Actor. 16. quibus ibi ve Apostolus prædicabat, sola tunc ostenditur credidisse: Cuius, inquit, cor aperuit Dominus, vt intenderet his quæ à Paulo dicebantur. Et tamen est secundum istum liberi arbitrij vel incolumitas, vel facultas, vt charitatem, quæ in omnium arce virtutum est, non ex Dei munere, sed ex sola habeat voluntate. Quid ergo in anima à suo ædificatore parabitur? aut qua largitate gratiæ fiet ornatior, si illa sunt ei propria, sine quibus
1 Cor. 13. non possunt prodesse donata? Sed Apostolus, qui profitetur sine charitate non operationes miraculorum, non scientiam, non fidem, non prophetiam, non erogationes diuitiarum, non ipsam sæuissimorum suppliciorũ prodesse tolerantiam: vnde ipsa charitas non tacet, Quoniam charitas, inquit, Dei diffusa est in cor-
Rom. 5. Ephes. 6. dibus nostris per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis. Et: Pax, inquit, fratribus cum charitate & fide à Deo patre & Domino Iesu Christo. Sanctus etiam Ioãnes Apostolus instruat nos, vnde huius boni cœperimus esse participes. Charissimi, inquit, dili-
1 Ioan. 4. gamus inuicem, quia dilectio ex Deo est. Et ne possimus opinari, ideo dilectionẽ dictam ex Deo, quia in natura hominis hic satus esset affectus, paulò pòst ait: Non quòd nos dilexerimus D
Deũ, sed quoniam ipse dilexit nos. Et iterum: Nos diligamus Deũ, quia prior dilexit nos. Agnoscat ergo humana egestas, hoc quod de quibuslibet bonis rectè dicitur, multò rectius sibi dici de eo, sine quo bona cũcta nõ prosunt: Quid enim habes quod
1 Cor. 4. non accepisti? si autẽ accepisti, quid gloriaris, quasi nõ acceperis?

CAPVT XIIII. POST hæc autem, cùm tantum homini tribuisset ante gratiam, quantum ei fuerat fructuosissimum habere per gratiã, addidit quædam perplexè, atque confusa ad vigorem liberi arbi-
al. virtutis trij demonstrandum, & de his quæ iam donatis sibi viribus facit, vult illa munire quæ ei naturaliter inesse definit, vt quod est per adiutorium Dei perfecisse, hoc fit per arbitrij libertatẽ cœpisse. Verùm hæc vt tolerabilia transeamus: quia & nos liberum arbitrium ideo dicimus, bonæ voluntatis affectum fideiq; principium operante gratia concepisse, vt per hæc quæ illi nullo merito præeunte donata sunt, ea quæ operaturis sunt promissa mereatur: ab illo semper petens posse aliquid boni facere, qui ait:
Iacob. 1. 5. Sine me nihil potestis facere. His itaque prætermissis, id quod de sancti Iob passionibus posuit, retractemus. ait enim: *Quod*

A *etiam in Iob probatissimo athleta suo, cùm eum diabolus expetisset ad singulare certamen, diuinam legimus prouidisse iustitiam. Si enim contra inimicum non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratiã protegente congressus, & absque vlla virtute patientiæ suæ diuinã tãtum opitulatione suffultus, multiplices illas, ac tot a inimici crudelitate quæsitas tentationum moles & exitia pertulisset: quomodo non illum calumniosam diabolus, quam prius emiserat vocem, aduersus eum iustius iterasset: Nunquid Iob gratis colet Deum? nõ-* Iob 1.
ne tu vallasti eum ac domum eius, & vniuersam substantiam eius per circuitum? Sed auferat manum tuam, hoc est, sine eum solus mecũ viribus decertare, nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Sed & nullam huiuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus constetur: Licet etiam gratia Dei non in totũ illi dofuisse credenda sit, quæ tantum tentatori tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem, non enim ab illius impugnatione sic protegens, vt nullum virtuti humanæ relinqueret locum, sed hoc tantum procurans, ne violentissimus inimicus animam eius amentẽ faciẽs, & impotem sensu, impari eum atq; iniquo certaminis pondere prægrauaret. Quis hæc prædicari à catholicis inter catholicos crederet, nisi quæ in colluctationib. domesticis sæpe defensa sunt, B
etiam scripta legerentur? Itáne in omnibus hominibus intelligẽtiæ caligat obtutus, & à cunctis ecclesiæ filiis spiritus scientiæ & pietatis abscessit, vt non erubescant ingerere se iudiciis legentiũ tam inhonesto mendacio? Vir grauis, doctor sapiens, verax magister, redde nobis catholicã definitionẽ, qua inter initia disputationis tuæ aures nostras mentésq; cepisti. Pronunciaueras fidem Christianam voce ecclesiastica, *non solum actum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium*: qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim Iacob. 1.
datum optimum, & omne donũ perfectum de sursum est, descendens à patre luminũ, qui & inspirat quæ bona sunt, & exequitur & consummat in nobis, & huius sententię soliditate omnia hostilium reliquiarum machinamenta cõfrẽgeras. Cui professione mutata, quod destruxisti, ædificas: quod tuebaris, impugnas? Cur inuictissimę veritatis arce deserta, gradatim ad prę-
cipitia Pelagiana decurris? Qui enim definieras, neque sanctarũ cogitationum, neque piarum voluntatũ, neque bonorũ actuum ex nobis esse principia; sed inspiratione Dei, gratiaq; eius auxi-
C lio bona in nobis cuncta generari, & ad profectum, perfectionemque perduci: paulo post cœpisti donis gratiæ liberi arbitrij æquare conatus: vt principia, quæ Deo adsignaueras, posse hominem à semetipso habere monstrares, dicendo: *Quæ etiã suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus posset extẽdi: semper verò à Domino indiget adiuuari.* Et iterum dicendo, *Etiam per naturæ bonum, quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia: quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum peruenire non possint.* Et post hæc, vt quosdam præuenirì à gratia ostẽderes, in quorundam autem præeuntibus meritis causam percipiendæ gratiæ collocares, dixisti quid ex quo pendeat, dubitari: id est, vtrum, quia mitiũ bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus: an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium. Quas duas regulas ne in ambiguo relinquères, vtramq; exemplis vt tibi visum est idoneis munire cuiusti: vnã de Pauli & Matthæi coactitia conuersione confirmans: alteram de Zachęi & Latronis voluntaria fide roborans, quorũ desiderium tam violentũ dicis fuisse, vt ad inuadendum regnũ cęlorum speciali vocationis monita præuenirent. Deinde progressu disputationis, vt incolumitatẽ intentioris hominis pateficias, ipsum Adam concepisse quidẽ, quam non habebat scientiã mali: sed quã acceperat, boni scientiã non amisisse confirmas. Cumq; hoc etiam ex cõparatione impiorum probare voluisses, in id vsq; prolapsus es, vt proclamares, cauendũ nobis esse, ne ita ad Deum omnia sanctorũ merita referamus, vt nihil nisi quod malum est, humanæ adscribamus naturæ. Et ne hanc naturam vllas in prætiaricatione Adæ crederemus amisisse virtutes, definisti, tam incolumes esse omnium hominum animas naturaliter, quàm fuit primi hominis ante peccatum, dicendo: Dubitari ergo non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta. Considerati ergo his definitionibus tuis, non est occultum, quantum ab illius sententiæ sanitate defecturis: in qua quod tribuendum erat gratiæ, fallaciter prædicando, catholicarum tibi aurium iudicia conciliare voluisti, quibus de præmissæ professionis fronte securis, facilè sequentia irreperent, si prima placuissent.

SED

CAPVT XV.

SED hactenus nein tōtum videreris à præfixa regula discrepare, ita virtutum meritorúmq; principia ad liberum arbitrium à gratia transtulisti, vt ipsos bonorum desiderorum voluntarios motus sine auxilio Dei nec prouehi patereris posse, nec perfici. Nunc verò remoto longius Deo, & à sustentatione hominis separato, tantam libero arbitrio potentiam tribuis, vt non solùm amissionem multiplicium facultatum & totius simul familiæ ac necessitudinum acerbissimum finem constanter æquanimitérque suscipiat: sed ipsius quoque corporis proprij ineffabiles cruciatus proposito nudę voluntatis euincat. Et vt dubitari hinc disputante te nequeat, sancti Iob constituis exemplum, qui aduersus illam insignem diabolicæ sæuitiæ crudelitatem sine Dei præsidio decertârit: & argumento probare niteris, quòd ipse cruentissimus inimicus confessus sit, non Domini, sed Iob se virtute superatum, in eo, quòd sibi in grauiore cōflictu gratiam Dei obstitisse non dixit: quasi vir ille in damnis, atque orbitatibus debuerit superna protectione circumtegi, in carnis autem suæ, animæque tormentis non eguerit adiuuari. Si ergo hac magnitudine animi, quam illata per singulos omnésque artus tot mortium pœna non superat, nihil inter sanctorum palmas memorabilius, nihil inuenitur illustrius: eámque adseris, ex humana tantùm virtute subsistere: quid erit laudis ac meriti, quòd inter studia quietis ac pacis nequeat arbitrij obtinere libertas, quam in tanti fine certaminis de suis viribus coronasti? Quæro igitur abs te, videatúrne tibi vir iste, cùm illis quæ legimus suppliciis probaretur, habuisse in se Spiritum sanctum? Si habuisse dicis: certum est quia Deus, quem non deseruit, adiuuit: Si autem recessisse ab eo Spiritum sanctum dixeris: propheticus te eiusdem sermo conuincit, dicētis: Scio enim quòd redemptor meus viuat, & in nouissimo die de terra surrecturus sim: Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: quē visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & nō alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quod si de incarnatione Domini nostri Iesu Christi, ac resurrectione eius, qui est primitiæ dormientium, & de spe redemptionis, quæ in ipso reposita est omnibus sanctis, rectè intelligitur prophetatum: manifestè apparet, non discessisse à templo suo gratiam Dei: & fecisse iam tunc Dominum in hoc sancto suo, quod posteà in Apostolis & martyribus suis spondebat esse faciendum, dicens: Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: nō enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Quid cùm idem sanctus ineptis consolatoribus responderet, nōne in Dei fidebat auxilio, dicēs: Qui deridetur ab amico suo, sicut ego, inuocabit Dominum, & exaudiet eum? Aut nesciebat ex illo se habere quod habebat, de quo ait: Apud ipsum sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam: & quod dicit, In cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis. Et iterum, Expecto, inquit, donec veniat immutatio mea: vocabis, & ego respondebo tibi: Operi manuum tuarum porriges dexteram: Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parcis peccatis meis: Signasti quasi in sacculo delicta mea, sed curasti iniquitatem meam. Non ergo deseruerat Dominus, quem curabat: neque opem suam abstulerat ab eo, cui puri fiatoria remedia, quibus clariùs nitesceret, admouebat. Ad hanc passionum tolerantiam, in qua hic sanctus emicuit, etiam ille erat præparatus à Domino, qui dicebat: Nam etsi ambulem in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et illud: Salus iustorum à Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis. Ad hāc tolerantiam etiam ille erat paratus à Domino, qui & credere in Christum, & pro Christo pati referebat ad Christum, dicens: Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem & accessum habemus in gratia ista, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et iterum: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die, existimati sumus vt oues occisionis. Sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Huius tolerantiæ fortitudo vnde descenderet, beatus Petrus. & in illo omnis Ecclesia veritatis ipsius voce discebat, dicentis: Ecce Sathanas postulauit vt cerneret vos velut triticum: ego autem rogaui pro te Petre,

Iob 19.
Matth. 10.
Iob 12.
Ibidem.
Iob 14.
Psal. 22.
Psal. 36.
Rom. 5.
Rom. 8.
Psal. 43.
Matth. 22.

A ne deficiat fides tua. Quisquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adiuuari, ad quem quotidie corda vniuersorum fidelium clamant: Ne inferas nos in tentationem, sed libera nos à malo: quoniam custodit Deus animas sanctorum suorum, de manu peccatorum liberabit eos. Quòd autem dicis, *gratiam Dei ab Iob ex eo intelligendam non penitus recessisse, quòd tentatori eius tantam Deus tribuit potestatem, quantam & illum resistendi nouerat habere virtutem*: Nónne rectius veraciúsque loquereris, si vbi dixisti, *Quantam & illum resistēdi nouerat habere virtutem*: diceres potius, Quantam & illi resistendi nouerat se dedisse virtutem? Vnius enim verbi correctio totam istam gloriam, quam humanis viribus adsignare voluisti, sobrietate aliqua temperasset, vt illa mirabilis in tanta adflictione patientia, & Dei adiutorio & libero hominis adscriberetur arbitrio. Sed veritus es naturæ humanæ minuere laudē, si ei profitereris à Deo datam esse virtutem. Itaque conflictus illius atque victoriæ non vis credi cooperatorem Deum fuisse, sed tantummodo spectatorem: vt cui persuadere poteris, per naturalem arbitrij facultatem tam arduum certamen euictum, dubitare non audeat in leuioribus causis multò liberiores esse bonæ voluntatis effectus: atque ita in illius damnatæ sententiæ foueam cadat, qua dicitur, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, faciliùs possemus implere per gratiam, tanquam & si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possemus etiam sine illa implere diuina mandata. Quod quia catholici Pontifices dignum anathemate cēfuerunt, vtendum nobis est eo, quo vsi sunt testimonio, dicentes: De fructibus enim mādatorum Dominus loquebatur, vbi non ait: Sine me difficiliùs potestis facere: sed ait; Sine me nihil potestis facere.

Matth. 6.
Psal. 96.
Milevitan. Cānon. & Carthag. cap. 5.
Ioan. 15.

CAPVT XVI.

HIS autem definitionibus tuis, quas credidisti idonea auctoritate munitas, tanquam de cōsensu legentium securus adiungis, *Solere interdum Deum ad fidem nostram probandam plus offerre quàm sufficit, vt quàm infirma sit credentium fides, possit agnosci*: & hoc exemplo illius Centurionis ostendis, qui cùm pueri sui posceret curationem, Dominúsque se ad domum eius iturum esse promitteret, respondit: Non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed dic tantū verbo, & sanabitur puer meus. In quo eum Dominus tali admiratione laudauerit, vt pronunciaret, non se inuenisse tantam fidem in Israël. At exigua conclusione penè totum tu Pelagianum dogma confirmas dicēdo: *Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus, quod ipse donauerat, prætulisset*. Falsò ergo scriptum est: Qua nemo potest esse continens, nisi Deus det. Falsò prædicauit Apostolus, cùm de eadem virtute loqueretur, dicens: Volo autem omnes homines esse sicut meipsum: Sed vnusquisque proprium habet donum à Deo: alius sic, alius autem sic. Falsò docuit & ille qui dixit: Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, & dabitur ei. Nec secundùm veritatem dictum est: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum. Et: Nemo potest accipere quicquam, nisi datum fuerit ei de cælo. An dicendum est, Omnes quidem virtutes inter Dei dona numerandas: sed in illis hominē, quas de proprio habuerit, esse laudabilem? & ibi esse merita, vbi Dei dona non fuerint? Igitur secundùm regulam tuam, quibus donatum est, vt nō solùm crederent in Christum, sed etiam vt paterentur pro ipso, & laudem & meritum perdiderunt: nec habent veram gloriā, qui non in se, sed in Domino gloriantur. Sed rectiùs audimus prophetam dicentem: Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachij sui, & à Domino discedit cor eius. Et illum, qui ait: Diligam te Domine virtus mea. Et: In Domino laudabitur anima mea. Et: Fortitudo mea, & laudatio mea Dominus: vt manifestissimè nouerimus, nec laudem eos vllam habere nec meritum, in quibus non inueniuntur, quæ nisi Dominus dederit non habentur. Sic autē putasti de testimonio laudatæ fidei præindiciū donis gratiæ posse generari: quasi fides, vbi ostenderetur laudata, non doceretur esse donata. Laudat Apostolus Romanorū fidē, & pro hoc bono agit gratias Deo, dicēs: Primùm quidē gratias ago Deo meo per Iesum Christum: pro omnibus vobis: quia fides vestra adnunciatur in vniuerso mundo. Ad Corinthios quoq; simili scribit affectu dicens: Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu: quia in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia. Nunquid agendo gratias Deo, credentibus sustulit laudem? aut laudando credentes, merita negauit auctorem? De Ephesiorum etiam fide quid sentiat, audiamus: Propterea, inquit, & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino

Sap. 8.
1 Cor. 7.
Iac. 1.
Ibidem.
Ioan. 3.
Hier. 17.
Psal. 33.
Psal. 117.
Rom. 1.
2 Cor. 1.
Ephes. 1.

in Domino Iesu, & dilectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationib. meis, vt Deus Domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritū sapientiæ & reuelationis, in agnitionē eius illuminatos oculos cordis vestri, Habebant ergo isti fidē, habebant & opera charitatis, quæ nec laude poterant carere, nec merito: sed pro his virtutibus Apostolus gratias Deo agere non cessat, sciens à patre luminum hæc dona venisse: à quo se etiam petere protestatur, vt quibus dedit fidem, quæ per dilectionem operatur, det spiritum sapiētiæ & intellectus: vt inde se Ephesij nouerint accepisse quod habebant, à quo discūt & sperare quod nō habent. Pro Philippensibus quoque similes Deo gratias agit, & meritum eorum laudémq; non supprimit, dicens: Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationē faciens super cōmunicationem vestram in Euāgelio, à prima die vsque nunc, confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonū, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Cuius humanæ laudis ac meriti non hīc causa suspensa est? quid virtutis ac pietatis exceptum est, quod non ex gratiæ fonte profluxerit, vbi ab initio vsque ad finē & inchoatio & perfectio boni operis Domino reputatur: cui canitur de sanctis suis: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es.

Philip. 1.
8.

CAPVT XVII.

CONSIDERANDVM sanè est in hac sententia tua, quantum adiuues eos qui dicunt, *Gratiam Dei secundum merita nostra dari*: quos, vt catholicæ fidei defendaris vmbraculo, profanæ opinionis esse profiteris; dicens: *Nemo autem existimet hæc à nobis ob hoc fuisse prolata, vt nitamur adstruere, summā salutis in nostræ fidei ditione consistere, secundùm quorundam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei dispensari secundùm meritum vniuscuiusque definiunt*. Sed miror valde quomodo nō vides, aut ab aliis existimas nō videri, quòd teipsum tuo ore condemnas. Dicendo enim quòd *Centurio, cuius fides Domini voce laudata est, nullius laudis esset ac meriti, si id in eo Deus, quod ipse donauerat, prætulisset*: definisti Centurionem illum non donatam fidem habuisse, sed propriā, ac perinde nihil eius principiis collatum fuisse per gratiam: in eadem autem fide causam fuisse & laudis & meriti, quorum neutrum haberet, si id, cui & laus debetur, & meritum, Dominus contulisset. Frustra ergo vt inuidiam damnati erroris euadas, summam salutis negas in fidei nostræ ditione cōsistere: cùm omnino salus nisi ex fide esse non possit. Iustus enim ex fide viuit. Quoniā veritas dicit: Amen amen dico vobis, quoniam qui audit verbum meum, & credit in eum qui me misit, habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transibit de morte ad vitam. Et iterum: Hæc est voluntas patris mei, vt omnis qui videt filū & credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eū in nouissimo die. Et iterum: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscāt te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Cùm vtique huic fidei, quam ideo meritis & laudibus honorasti, quia mauis eam inter liberi arbitrij bona, quàm inter Dei dona numerari, æternam beatámque vitam constet esse partam: quomodo hoc vulnus declinabis, quo te ipsum configis, pronunciando eos profanos, qui gratiam dispensari secundùm merita humana definiant: & asserendo, quòd nec laudem cōstet habere, nec meritum eos, qui ex dono gratiæ sint fideles. Quoquouersum ergo te conferas, à temetipso & vinciris, & vinceris. Si enim gratiam merita non præcedunt, & fides non potest esse sine meritis: fides gratiam non præcedit, & omni modo ex gratia habetur, quicquid illud est ex quo meritum nascitur, quod ante gratiam non habetur.

Abac. 2.
Ioan. 5.
Ioan. 6.
Ioan. 17.

CAPVT XVIII.

VT igitur definitionum tuarum absurditas nō sibi repugnare videatur, inconuenientia miscere conaris, & vnitatem mēbrorum corporis Christi in duobus generibus fidelium noua præsumptione constituis; in vno scilicet, ad quod pertineat illud, quod inter principia dixisti, *Non solùm actuum, sed etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis*. In alio autē cui congruat regula ista, qua dicis, *Centurionem nec laudem vllam habiturum esse, nec meritum, si id in eo Dominus, quod ipse donauerat, prætulisset*. Et licet totum disputationis tuæ textum ad has duas formulas, quæ nullo modo conformes possunt esse, produxeris, nunc tamen distinctiùs atque expressiùs quid volueris firmare, pronuncias, dicens: *Per hæc igitur exempla, quæ de Euangelicis protulimus monumentis, euidētissimè poterimus aduertere, diuersis atque innumeris modis, & inscrutabilibus viis Deum salutem humani generis procurare: & quorundam quidem volentium ac festinantium cursum ad maiorem incitare flagrantiam: quosdam verò etiam nolentes inuitósque compellere. Et nunc quidem, vt impleatur ea, quæ vtiliter à nobis desiderata conspexerit adiuuare: nunc verò etiam ipsius sancti desiderij inspirare principia, & vel initium boni operis, vel perseuerantiam condonare. Inde est quòd orantes, non solùm protectorem ac saluatorem, sed etiam adiutorem ac susceptorem Dominum proclamamus. In eo enim, quòd prior aduocat, & ignorantes nos, atque inuitos attrahit ad salutem: protector atque saluator noster est: In eo autem, quòd adnitentibus nobis opem ferre, refugientesq; suscipere ac munire consueuit, susceptor ac refugium nominatur*. Hac ergo discretione præscripta erit, vt desinis, in vna ecclesia ista diuersitas; vt Dominus noster Iesus Christus (de quo dictum est, Et vocabis nomē eius Iesum; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Et de quo dictum est: Nec enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oportet saluos fieri) non omnium Christianorum, sed quorundam saluator, quorundam verò susceptor sit: vt hi tantū saluati, quos ad percipiendam gratiam Deus auersos, reluctantésque compulerit: hi autem susceptí sint, qui vocationem spontanei cursus feruore præuenerint: Et illis quidem conferatur gratuitum donum, istis verò debitum præmium rependatur. Illi nullius sint laudis ac meriti, qui nihil boni habeāt nisi quòd acceperint: isti autem & gloria abundent, & remuneratione ditescant, qui propria facultate deuoti, quod non acceperant obtulerint: atque ita Iesus Christus alios liberos inuenerit, alios liberarit: & non ad omnes pertineat quod ait, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: si sunt, à quibus cùm eos non elegisset, electus est: Non ad omnes pertineat, Nemo venit ad me, nisi datum fuerit ei à patre meo: si sunt, qui nō dante patre ad filiū venire potuerunt: Non ad omnes pertineat, quod ait Euangelista, Erat lumen verū, quod illuminat omnē hominem venientem in hunc mundū. si sunt, qui aut ita in hunc mundum venerunt, vt non essent tenebræ: aut ita lux esse cœperunt, vt illuminatione veri luminis nō egerent: Nec de omnib. adoptatis accipiendum sit, quod ait Apostolus, Qui eruit nos de potestate tenebrarū, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ: si quidē ipsi rumpunt vincula sua, & iugo veteris captiuitatis excusso, à dominatione diaboli, in regnū Dei libera alacritate transcurrunt. Hæc si possunt intra vnā ecclesiam prædicari, vt neutra opinio alteri cedat, sed inuicem sibi vtraque succumbat: potest fieri, vt recipiamus quod Pelagiani tenent, & Pelagiani recipiāt quod tenemus. Sed hoc modo non tam illi catholici, quā nos erimus (quod absit) Pelagiani: Contrariorum enim permixtio meliorum defectio est: quia cùm virtus vitiū recipit, non à vitio, sed à virtute discedit. Nullo igitur modo Christiāna corda susciptū, quod persuadere conatus es. Eos qui gratia Dei sunt quod sunt, nec laudem vllam habere, nec meritū: & ab eo, qui venit saluare quod perierat, partem Christianorū saluatam, partem verò esse susceptam: quoniam discipuli Euangelicæ Apostolicæque doctrinæ, non alta sapientes, sed humilibus consentientes, insaniam superbæ elationis horrescunt. In toto quippe ecclesiæ corpore, atque in singulis mēbris, quod mortuum erat, viuificarū est: quod captiuum fuerat, redemptū est: quod cęcatum erat, illuminatum est: quod perierat, quæsitū est: quod errauerat, inuentū est: Nec secundum notam partitionem aliorum saluator, aliorum susceptor: sed omnium vsquequaque fidelium & saluator, & susceptor est Christus. Nec merito ac laude priuantur, qui vnde æterna bona mereantur accipiunt: tantóque beatiores fiunt, quātò pauciora habuerint, quæ ipsorum sunt; & quantò plura, quæ Dei sunt. Non enim conturbat nos superbientium inepta querimonia, quia liberum arbitrium causantur auferri, si & principia, & profectus, & perseuerantia in bonis vsque in finē Dei dona esse dicantur: quoniam opitulationes diuinæ gratiæ, stabilimenta sunt voluntatis humanæ. Volentes oramus: & tamen misit Deus spiritum in corda nostra clamantem, Abba pater. Volentes loquimur: & tamen si pium est quod loquimur, non sumus nos loquētes, sed spiritus patris nostri, qui loquitur in nobis. Volentes operamur salutem nostram: & tamen ipsum velle atque operari Deus est, qui operatur in nobis. Volentes diligimus Deum, & proximum: & tamen charitas ex Deo est, diffusa in cordibus nostris per spiritū sanctum, qui datus est nobis. Hoc de fide, hoc de tolerantia passionum, hoc de pudicitia cōiugali, hoc de continentia virginali, omnibus quę virtutibus sine exceptione profitemur: quòd nisi donata essent nobis, non inuenirētur in nobis. Et quòd liberum arbitriū, naturaliter homini inditum, maneat in natura: sed qualitate & conditione mutata per me-

Rom. 8.
Matth. 10.
Marc. 13.
Philip. 2.
1 Ioan. 4.
Rom. 5.

per mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, qui ipsam voluntatem ab eo quod peruersè volebat auertit, & in id quod ei bonum esset velle conuertit: vt delectatione affecta, fide mundata, spe erecta, charitate accensa liberalem susciperet seruitutem, & seruilem amitteret libertatem.

CAPVT XIX. RESERATIS igitur definitionibus, quas hactenus quædam prætermittendo discussimus, non obscurum, neque ambiguum est, quid de gratia Dei sentiant, qui sincerissimis eius defensoribus obloquuntur: & pacē victricis ecclesiæ, resumptis de damnatorum schola quæstiunculis, inquietant: quas si, vt audiuimus, retexamus, fiet sermonis nostri immoderata prolixitas: cùm de his quæ ipsorum scholæ innotuerunt, facilè pius lector intelligit, ad quæ præcipitia peruenianturhisce callibus, & in istâ lutulentorum riuorum cœnosam vliginem, cuius voraginis humor exudet. Necessarium sanè existimo ante conclusionem voluminis, ea quæ ostendimus non congruere catholicæ veritati, breuiter coniunctim que digerere: vt quæ interiectis responsionibus nostris possunt recordationem legentium effugere, fideliùs simul recursa recolantur.

I. ergo definitione dictum est: *Non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat: & virtutem atque opportunitatē eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectũ desursum est, descendens à patre luminum: qui & incipit quæ bona sunt, & exequitur, & consummat in nobis.* Quod & nos amplectimur, catholicúmq. esse confitemur.

II. definitione dictum est: *Adest igitur inseparabiliter nobis diuina protectio: tantáque est erga creaturam suam pietas creatoris, vt non solùm comitetur eam, sed etiam præcedat ingiter prouidentia, quam expertus Propheta confitetur, dicens: Deus meus misericordia eius præueniet me. Qui cùm in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipse plantauit, vel nostro conatu viderit emersisse.* Iam hic à præmissa definitione disceditur, & quod totum gratiæ datum fuerat, ex parte nunc libero arbitrio deputatur.

III. definitione dictum est: *Nisi quòd in his omnibus, & gratia Dei, & libertas nostri declaratur arbitrij, qua etiam suis interdum motibus homo ad virtutum adpetitus possit extendi, semper verò à Domino indigeat adiuuari. Nec enim cùm voluerit quis, sanitate perfruitur, aut de agritudinis morbo pro arbitrij sui desiderio liberatur.* Quasi medicus noster non iam etiam hoc donet morbidis, vt veram desiderent sanitatem.

IIII. definitione dictum est: *Vt autem euidentius clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio creatoris indultum est, nōnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virtutum peruenire nō possunt, Apostolus testis est, dicens: Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Quasi Apostolus ex naturali affectu, & non ex gratiæ dono bonam habeat voluntatem, qui profitetur ex Deo sibi esse sufficientiam etiam cogitandi.

1 Cor. 3.

V. definitione dictum est: *Et ita sunt hæc quodammodo indiscretè permixta atque confusa, vt quid ex quo pēdeat, inter multos magna quæstione volutatur: id est, vtrum quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Dominus: an quia Deus misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium. Multi enim singulæ hæc credentes, ac iusto amplius adserentes, variis, sibiq; cōtrariis sunt erroribus inuoluti. Si enim dixerimus, nostrum esse bonæ principium voluntatis, quid fuit in persecutore Paulo? quid in publicano Matthæo? quorum vnus cruori ac suppliciis innocentũ, alius violentiis ac rapinis publicis incubans, trahitur ad salutem. Sin verò gratia semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide? quid de illius in cruce latronis pietate dicemus? qui desiderio suo vim quandam regnis cælestibus inferentes, specialia vocationis monita præuenerunt.* In errore esse dicitur & is, qui ex gratia nasci bonam asserit voluntatem; & is, qui dicit gratiam ex bona voluntate pendēre: & tamen vtraque sententia suscipienda decernitur, dum vnius in Paulo & Matthæo, alterius in Zachæo & latrone forma præfigitur.

VI. definitione dictum est: *Hæc ergo duo, id est, gratia vel liberum arbitrium, sibi quidem inuicem videntur aduersa, sed vtraq; concordant, & vtrumque nos pariter debere suscipere pietatis ratione colligimus: ne vnum horum homini subtrahentes, ecclesiasticæ fidei regulam excessisse videamur.* Quasi ita vtrumque recipiendum sit, vt in aliis hominibus voluntas gratiam, in aliis gratia præueniat voluntatem: & non ita, vt in omnibus voluntas gratiam subsequatur. Quoniam secundum ipsos, si auferatur liberum arbitrium cùm à gratia præuenitur, aufertur gratia cùm à libero arbitrio præuenitur.

VII. definitione dictum est: *Concepit ergo Adam post præuaricationē, quam non habuerat, scientiam mali: boni verò, quam acceperat, scientiam non amisit.* Cùm vtrumque sit falsum, quia & à quanto malo Adam cauere deberet, Deo monente prædidicit: & in quanto bono esset constitutus, dum diabolo credidit, oblitus est. Sicut autem pessima scientia mali est, malum esse: ita pessima ignorantia boni est, bonum non esse.

VIII. definitione dictum est: *Vnde cauendum nobis est, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, vt nihil nisi id quod malum est, humanæ adscribamus naturæ.* Quasi natura ante gratiam non sit in damnatione, non sit in cæcitate, non sit in vulnere: aut non gratis iustificati sunt, quorum inde sint merita, vnde iustitia.

IX. definitione dictum est: *Dubitari ergo non potest, inesse omni animæ naturaliter virtutum semina, beneficio creatoris inserta: sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt peruenire.* Quasi de spiritalibus nihil Adam præuaricando perdiderit: & virtus non vt habeatur danda, sed vt faciliùs perfectionem apprehendat, hortanda sit.

B X. definitione dictum est: *Quòd etiam in Iob probatissimo athleta suo, cùm eū diabolus expetisset ad singulare certamen, diuinam legimus prouidisse iustitiam: si enim contra inimicum nō sola virtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, & absque vlla virtute patientiæ suæ, diuina tantùm opitulatione suffultus, multiplices illas, ac totæ inimici crudelitate quæsitas tentationum moles, & exitia pertulisset: quomodo non illam calumniosam diabolus, quam prius emiserat, vocem aduersus eum iustius iterasset? Nunquid Iob gratis colit Deum? Nonne tu vallasti eum & vniuersam substantiam eius per circuitum? Sed aufer manū tuam, id est, sine eum suis mecum viribus decertare, nisi in faciem tuam benedixerit tibi. Sed cùm nullam huiuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum ausit iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur. Licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tribuit potestatem, quātam & illum resistendi nouerat habere virtutem.* Si ipse Deus sciuit tantummodo quòd Iob posset, non etiam donauit vt posset: testis patientiæ eius, non auxiliator fuit. Et in quo erit necessarium gratiæ adiutorium, si humanis solùm viribus tanta illa est parta victoria?

C XI. definitione dictum est de Centurionis fide: *Miratur eum Dominus, atque collaudat, cunctisq; illis, qui ex Israëlis populo crediderant, præfert, dicens: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël. Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Dominus, quod ipse donauerat, prætulisset.* Impius sensus, qui putat beatiorem esse hominem, cui Deus nihil dederit, quàm cui vniuersa contulerit.

XII. definitione dictum est: *Inde est, quòd orantes non solùm protectorem, sed etiam susceptorem Dominum proclamamus. In eo enim quòd prior aduocat, & ignorantes nos, atque inuitos attrahit ad salutem, protector atque saluator est: In eo autem, quòd adnitentibus nobis opem ferre, refugientésque suscipere, ac munire consueuit, susceptor ac refugium nominatur.* Huic sententiæ is potest præbere consensum, qui se à Christo non vult esse saluatum.

D HIS itaque definitionibus hoc docetur, hoc scribitur, hoc editis disputationibus prædicatur: quòd Adam peccante, anima eius læsa non fuerit, sanúmque in eo manserit vnde peccauit. Si quidem scientiam boni, quam acceperat, non amiserit, nec potuerint posteri eius id perdere, cuius damnum nec ille pertulerit. Inesse autem omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio creatoris inserta, vt possit qui voluerit, iudicio naturali Dei gratiam præuenire, & adiutorium eius, quo faciliùs ad perfectionem perueniat, promereri: quia nullius sit laudis ac meriti, qui donatis bonis, non propriis adornatur. Cauendum quoque esse, ne ita ad Deum omnia sanctorū merita referātur, quasi per se nihil boni possit agere ipsa humana natura: cùm tanta sit viriū eius integritas, vt contra ipsum diabolum, sæuitiamq. eius vsque ad extrema supplicia, sine auxilio Dei valeat dimicare. Hāc autem possibilitatē in omnibus esse hominibus naturalē, sed nō omnes ingeneratis sibi vti velle virtutibus: rātam autē circa vniuersos homines bonitatem esse creatoris, vt alij ab eo, quia spōte veniant, suscipiantur laudati: alij quia resistunt, attrahantur inuiti: atque ideo volentium susceptor, nolentium verò saluator sit. Et cùm pars ecclesiæ ex gratia, pars autē ex libero iustificetur arbi-

arbitrio, gloriosiores sint, quos natura prouexerit, quàm quos gratia liberârit: qui ad omne opus bonum tam libera sit voluntas in Adæ posteris, quàm in Adam fuit ante peccatum.

CAPVT XXI. Redit ad B. Augustini defensionem mitu propositā.

EN cuius dogmatis sunt magistri, qui vt catholicarū mentium castitatem gratiæ defensoribus calumniando corrumpant, præcipuum nostro tempore in doctrina ecclesiastica virum rabido ore discerpunt, credunt que se omnia autoritatum munimina posse conuellere, si hanc pastoralis speculæ validissimam turrim crebra Pelagiani arietis illisione pulsauerint. Firmū quidem fundamentum Dei stat, sed congruenter isti non desunt partibus suis. Dignum quippe est, vt quorum sequuntur sententiam, imitentur insaniam: Nec enim alia possunt dicere, quàm quæ damnatorum querelis, & procacissimis Iuliani sunt vulgata conuiciis. Paria sunt vnius seminis germina, & quod latebat in radicibus, manifestatur in fructibus. Non ergo cum istis noua acie dimicandum est: nec quasi contra ignotos hostes specialia sunt ineunda certamina: tunc istorum machinæ fractæ sunt, tunc in superbiæ socis ac principibus corruerunt, quando beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita apostolico mucrōne percussit: quando Pelagium ad proferendam in se fuósque sententiam, Palæstinorum Episcoporum Synodus coartauit: quando Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zosimus sententiæ suæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit antistitum: quando sanctæ memoriæ Papa Bonifacius piissimorum Imperatorū catholica deuotione gaudebat: & contra inimicos gratiæ Dei non solùm apostolicis, sed etiam regiis vtebatur edictis: & quando idem, cùm esset doctissimus, aduersus libros tamen Pelagianorum beati Augustini Episcopi responsa poscebat. Vnde & venerabilis memoriæ Pontifex Celestinus, cui ad catholicæ ecclesiæ præsidiū multa Dominus gratiæ suæ dona largitus est; sciens damnatis non examen iudicij, sed solum pœnitentiæ remedium esse præstandum; Celestium, quasi non discusso negotio audientiam postulantem, totius Italiæ finibus iussit extrudi: adeò & præcessorum suorum statuta, & decreta Synodalia inuiolabiliter seruanda censebat; vt quod semel meruerat abscindi, nequaquam admitteret retractari. Nec verò segniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberauit, quando quosdam inimicos gratiæ solum suæ originis occupantes, etiā ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam insulam studet seruare catholicam, fecit etiam barbaram Christianam. Per hunc virum etiam Orientales ecclesiæ gemina peste purgatę sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis antistiti, gloriosissimo fidei catholicæ defensori, ad execandam Nestorianam impieratem, apostolico auxiliatus est gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur. Per hunc virum intra Gallias istis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas, quādo consultantiū actione suscepta, & librorum, qui errantibus displicebant, pietate laudata, quid oporteret de eorum autoritate sentiri, sancto manifestauit eloquio: euidenter pronuncians, quantum sibi præsumptionis istius nouitas displiceret, qua auderent quidam aduersus antiquos magistros insolenter insurgere, & indisciplinata calumnia prædicationi veritatis obstrepere: *Augustinum*, inquiens, *sanctæ recordationis virum, pro vita sua, atque pro meritis, in nostra semper communione habuimus: nec vnquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor asperſit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos etiam à meis semper prædecessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserant, vtpote qui vbique cunctis & amori fuerit, & honori.* Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonij dignitatem audet quisquā malignæ interpretationis murmur emittere? & perspicuæ, sincerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? vt scilicet, quia in epistola Papæ librorum, pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos, & istam in sanctum Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam. Maneat, planè maneat ista conditio, vt horum librorum nouitas repudiata videatur, si in eadem causa eiusdem viri dissentit antiquitas: & vt inutile aut incongruum iudicetur, quod ab his, quæ contra Pelagianos condidit, dissonans inuenitur. Vt itaque omittamus ea volumina, in quibus ab exordio Episcopatus sui multò prius quàm impugnatores gratiæ exurgerent, pro gratia disputauit: legantur Tres ad Marcellinum ipsius libri. Ad sanctum Paulinum Nolanum episcopum epistola retractetur: Ad beatissimum quoque apostolicæ sedis tunc presbyterum Sixtum, nunc verò Pontificem, emissæ paginæ recurrantur: Ad sanctum Pinianum, Ad Valerium comitem, Ad seruos Christi Timasium & Iacobum, distinctim edita volumina reuoluantur. Sex libri priores contra Iulianum, Vnus ad sanctum Aurelium Carthaginensem Episcopum de gestis Palæstinis, Alius ad Paulum & Eutropium sacerdotes, contra Pelagij & Celestij quæstiones, & Ad beatæ memoriæ Papam Bonifacium libri quatuor explicentur. Ac sic in omnibus operibus, multísque aliis quę enumerate longum est, idem doctrinæ spiritus, eadémque prædicationis forma præcessit. Agnoscant calumniatores, superfluò se obiicere, quod his libris non speciale, neque discretum testimonium sit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apostolica enim sedes, quod à præcognitis sibi non discrepat, cum præcognitis probat; & quod iudicio iungit, laude non diuidit. Qui ergo hos proximè libros refutant, anterioribus acquiescant, & iis quę pro gratia christiana prius sunt scripta, cōsentiant. Sed non faciunt; sciunt enim omnia Pelagiana sibi esse cōtraria, & nihil sibi posse competere ad consequentium resolutionem, si confiteantur in præcedentibus consistere veritatem. Igitur huiusmodi hominum prauitati, non tam disputationum studio, quàm authoritatum priuilegio est resistendum: vt de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum sinatur assurgere. Quia notum est, ita se falsitatis istius habere versutias, vt si eis liceat prætentæ correctionis imagine aliquod sibi fauentium radicis suę germen excipere, totam se possit in exigua sui parte reparare. Vbi enim non aliud habet summa quàm portio, non est deuotionis dedisse propè totum; sed fraudis retinuisse vel minimum. Quod ne hypocritarū obtineatur insidiis, confidimus Domini protectione præstandum, vt quod operatus est in Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Celestino, operetur & in Sixto: & in custodia dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic restituata pastori, vt sicut illi lupos abegêre manifestos, ita hic depellat occultos. Illo auribus suis doctissimi senis insonante sermone, quo collaborantem secum hortatus est, dicens: *Sunt enim quidam iustissimè damnati, qui impietates adhuc liberius defendendas putant; & sunt qui occultius penetrant domos, & quod in aperto clamare iam metuunt, in secreto seminare non quiescunt. Sunt autem qui omnino siluerunt, magno timore compressi, sed adhuc corde retinentes, quod ore iam proferre non audent, qui tamen esse fratribus possunt ex priore ipsius dogmatis defensione notissimi. Proinde alij seuerius sunt coercendi, alij vigilantius inuestigādi; alij tractandi quidem lenius, sed non segnius sunt docendi, vt si non tument, ne perdant, non tamen negligantur ne pereant.*

Pelagiana heresis ex Britannia prodijt. Palladius dictus is fuit.

Hanc epistolam habes ipsi operi subiectā.

Refellit quorundam cauillationem adversus Celestini testimonium.

Epistola 105. ad Sixtum, paulo post initium.

SVFFICIENTER, vt arbitror, demonstratum est, reprehensores sancti Augustini & vana obiicere, & recta impugnare, & prauā defendere; peremptorumque armis intestinum bellum mouentes, dictis diuinis, atque humanis constitutionibus rebellare. Quorum tamen dum adhuc non sunt à fraterna societate diuisi, toleranda est magis intentio, quàm desperanda correctio: vt donec Dominus per ecclesiæ principes, & legitimos iudiciorum suorum ministros, hęc quę per paucorū superbiam, & quorundam imperitiam sunt turbata, componat: nobis Deo adiuuante sic studium quieta modestaque patientia odiis dilectionem reddere, & ineptorum vitare cōflictus, veritatem non deserere, nec cum falsitate certare, semperque à Deo petere, vt in omnibus cogitationibus, in omnibus voluntatibus, in omnibus sermonibus atque actionibus nostris, ipse teneat primatum qui dixit se esse principium. Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

CAPVT XXII. Conclusio.

Responsionum B. Prosperi pro B. Augustino libri quarti & vltimi finis.

EIVSDEM IN OBTRECTATOREM B. AVGVSTINI EPIGRAMMA.

CONtra Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum liuor adussit edax:
Qui caput obscuris contectum vtcunque cauernis,
Tollere humo miserum perpulit anguiculum.
Aut hunc fruge sua æquorei pauere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.
Quæ concepta fouet, promat; quæ parturit, edat:
Seu vetere armatur dogmate, siue nouo.
In quoscunque sinus spirarum torqueat orbes,
Et fallax multa contegat arte caput;

Pelagianis & Italianum intelligit; quorū ille Britannus, hic Campanus fuit.

Curventem attritos super aspidas & basiliscos
Declinare senem vipera non poterit.

Aliud eiusdem in eundem.

Quidam doctiloqui libros senis Augustini
Carpere, & aduersum condere fertur opus.
Vsqueadeóne bonum ingenium, & facundia diues
Ostentare artem non aliter potuit,
An noua prostratas acies nisi bella cieret?
Impiaq; extinctis hostibus arma daret?
Hæc pugna, incentor, mors est tua; te stylus iste
Conficit, & verbis perderis ipse tuis.
Dumq; doces quantum valeat mens libera, monstras
Velle tuum tibimet sufficere vt pereas.
Verte gradum, fuge perniciem, stratosq; rebelles
Oris Apostolici fulmine vbiq; vide.
Nec te mutato defendi nomine credas:
Si pastorem ouium lædere vis, lupus es.

FINIS.

CELESTINI PONTIFICIS ROMANI PRO B. AVGVSTINO, DE GRATIA DEI, AD EPISCOPOS GALLIARVM, EPISTOLA.

Epistolæ huius occasionem habes in præfatione nostra in libros de Prædestinatione sanctorum, & dono perseuerantiæ.

CAP. I. DILECTISSIMIS fratribus Venerio, Mario, Leontio, Auxonio, Arcadio, Philtatio, & cæteris Galliæ episcopis Celestinus episcopus. Apostolici verbi præcepta sunt, apud Iudæos atque gentiles sine offensione nos esse debere: hoc quisquis Christianus est, tota animi virtute custodit. Quod cùm ita sit, non parum periculi illum manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiã fidelibus exhibere. Nam qualiter nos qui neminẽ perire volumus, ista contristẽt, quæ auctoritatibus Christianis percellũt animos Christianos, Dominicus in Euãgelio sermo testatur. Ait enim ipse Saluator, quòd expediat scandalizanti vnum de pusillis, in maris profundã demergi: & ideo quæ sit eius iam pœna quæramus, cui tale supplicium legimus expedire. Filij nostri præsentes Prosper & Hilarius, quorum circa Deum nostrum solliciudo laudanda est, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensioni ecclesiarum studeant, sunt apud nos prosecuti, vt indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare aduersantia veritati, sed vestræ dilectioni iustius imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi. Legimus supra magistrum non esse discipulum, hoc est non sibi debere quenquãad iniuriam doctorum vindicare doctrinam. Nam & hos ipsos à Deo nostro positos nouimus ad docendũ; cùm sit, dicente Apostolo, eis tertius locus intra ecclesiã deputandus. Quid illic sperandum est, vbi magistris tacentibus hi loquuntur; qui, si ita est, discipuli non fuerunt? Timeo ne conniuere, sit hoc tacere; timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talib. causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Meritò nanque causa nos respicit, si cum silentio faueamus errori. Ergo corripiantur huiusmodi, non sit his liberum habere pro voluntate sermonẽ. Desinat, si ita res sunt, incessere nouitas vetustatẽ, desinat ecclesiarum quietẽ inquietudo turbare. Conantur sæpe naufragio mergere, quos intra portum stantes statio facit fida securos. Fida quippe est omnium statio, quorum perfectis gressibus vestigia non mouentur. Recurrerũt ad Apostolicam prædicti sedem, hæc ipsa nobis quæ tentat perturbatio, conquerentes. Habetote fratres charissimi pro catholicæ plebis pace tractatum; sciant se, si tamen censentur presbyterij dignitate vobis esse subiectos; sciant omnes qui malè docent, quod sibi magis discere competat, quã docere. Nam quid in ecclesiis vos agitis, si illi summã teneant prædicãdi? Nisi fortè illud obsistat, quod non auctoritate, non adhuc ratione colligitur, vt aliqui è fratrum numero, nuper de laicorum consortio in collegium nostrum fortassis admissi, nesciant quid sibi debeãt vindicare? Super his multa iam dicta sunt eo tẽpore, quo ad fratris Tuentij dedimus scripta responsum, nunc tamen repetẽtes sæpius admonemus, vt vitentur huiusmodi, qui laborãt per terras aliud, quàm ille noster iussit agricola seminare; nec tamẽ mirari possumus, si hæc erga viuentes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare.

1 Cor. 10.

Matth. 8.

Delicta presbyterorum episcopis imputanda.

Lucæ 6.

1 Cor. 12.

Prædicandi summa episcoporum cura.

AVGVSTINVM sanctę recordationis virum pro vita sua, atq; meritis in nostra cõmunione semper habuimus, nec vnquã hũc sinistræ suspicionis saltem rumor asperſit; quẽ tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, vt inter magistros optimos etiam à meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, vtpote qui vbique cunctis & amoti fuerit, & honori; vnde resistendum talibus, quos malè crescere videmus. Nefas est hæc pati religiosas animas, quarũ afflictione, quia mẽbra nostra sunt, nos quoq. conuenit macerari; quamuis maneat hos beatitudo promissa, quicunque probantur persecutionem propter iustitiam sustinere, quibus quid promittat Dominus in futurum, sequens sermo declarat. Non est agentium causa solorum quando vniuersalis ecclesia, quacunque nouitate pulsatur, intelligamus hæc ipsa vobis, quæ nobis non placent, displicere. Quod ita demum probare poterimus, si imposito improbis silentio, de tali re in posterum querela cessauerit. Deus vos incolumes custodiat fratres charissimi.

B. Augustini ac doctrinæ eius commendatio.

QVIA nonnulli qui catholico nomine gloriantur, in damnatis autẽ hæreticorum sensibus seu prauitate, siue imperitia demorantes, piissimis disputatoribus obuiare præsumunt; & cùm Pelagium, atque Celestium anathematizare non dubitẽt, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur, eaq̃ tautummodo sequi, & probare profitẽtur, quæ sacratissima beati apostoli Petri sedes contra inimicos gratiæ Dei per ministerium præsulum suorũ sanxit, & docuit. Necessarium fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ ecclesiæ de hæresi, quæ eorum temporib. exorta fuerat, iudicarint, & contra nocentissimos liberi arbitrij defensores quid de gratia Dei sentiendũ esse censuerint, ita vt etiã Africanorum conciliorum quasdã sententias iungeremus, quas vtiq; suas fecerũt Apostolici antistites, dũ illas cõprobarunt. Vt ergo plenius, qui in aliquo dubitant, instruantur, constitutiones sanctorum patrum compendioso manifestamus indiculo, quo si quis non nimium est cõtentiosus, agnoscat omniũ disputationũ connexionem ex hac subditarum auctoritatum breuitate pẽdere, nullámque sibi cõtradictionis superesse rationẽ, si cũ catholicis credat, & dicat.

CAPVT II. Decret Romanorum pontificum sententiis, de gratia Dei quid sentiendum.

C

INprærauaricatione Adæ omnes homines naturalẽ possibilitatem, & innocentiã perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberũ arbitrium posse consurgere, nisi eũ gratia Dei misérentis erexerit, pronunciante beatæ memoriæ papa Innocẽtio, atq. dicente in epistola ad Carthaginense conciliũ: *Liberum enim arbitrium ille perpessus, dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens in prærauaricationis profunda, demersus est, & nihil, quẽadmodum exinde surgere posset inuenit. Suaq; in æternũ libertate deceptus huius ruina tacuisset oppressus, nisi cũ post Christi pro sua gratia releuasset adiũctus, qui per noua regenerationis purificationem omne præteritum vitium sui baptismatis lauacro purgauit.*

CAPVT III. Innocentius papa epist. 91. apud Augustin.

D

NEMINEM esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus, quod in eisdẽ scriptis eiusdem pontificis sentẽtia protestatur dicens: *Nam quid nos de eorum post hac rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant debere quòd boni sunt; nec illum considerant cuius quotidie gratiã consequuntur, qui sine illo tantum se adsequi posse confidunt?*

CAPVT IIII. Idem ibidem.

NEMINEM etiã baptismatis gratia renouatũ idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad euincẽdas carnis concupiscentias, nisi per quotidianũ adiutorium Dei perseuerantiã bonę conuersationis acceperit, quod eiusdẽ antistitis in iisdem paginis doctrina confirmat dicens: *Nam quamuis hominẽ redemerit à præteritis ille peccatis; tamen sciens illum iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum & post ista corrigere, multa seruauit, atq; quotidiana præstat ille remedia; quibus nisi freti, confisiq; nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.*

CAP. V. Idem ibidem.

CAPVT VI. Innocentius epistola 93.

QVOD nemo, nisi per Christũ, libero bene vtatur arbitrio, idem magister in epistola ad Milevitanum conciliũ data prædicat dicens: *Aduerte tandem ò prauissimarum mentium peruersa doctrina, quòd primum hominem ita libertas ipsa decepit, vt dum indulgẽtius frenis eius vtitur, in prærauaricatione præsumptione cõciderit; nec ex hac potuit erui, nisi ei prouidẽtia regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset aduentus.*

CAPVT VII. Zosimus papa ad totius orbis episco. sed non extat epistola.

QVOD omnia studia, & omnia opera ac merita sanctorũ ad Dei gloriam, laudemq; referenda sint; quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo, quod ipse donauerit, in quam nos sententiã dirigit beatæ recordationis papæ Zosimi regularis auctoritas, cùm scribens ad totius orbis episcopos ait: *Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suũ referenda sunt, vnde nascũtur) ad fratrum, & coepiscoporum nostrorũ conscientiam vniuersa retulimus.* Hunc autẽ sermonem sincerissimæ veritatis luce radiãtem tanto Afri episcopi honore venerati sunt, vt ita ad eundem virum scriberent: *Illud verò quod in literis, quas in vniuersas prouincias curasti esse mittendas, posuisti dicens, Nos tamen instinctu Dei, &c. sic accepimus dictum, vt illos qui contra Dei adiutorium extollũt humani arbitrij libertatẽ, districto gladio veritatis, velut cursim transiens, amputares. Quid enim tam libero fecisti arbitrio, quàm quod vniuersa in nostræ humilitatis conscientiã retulisti; & tamen instinctu Dei factũ esse fideliter, sapienterq; vidisti, veraciter, fidenterq; dixisti? Deo vtiq; quia præparatur voluntas à Dño, & vt boni aliquid agãt paternis inspirationib. suorũ ipse tãgat corda fidelũ. Quotquot enim spiritu Dei agũtur, hi filij Dei sunt, vt nec nostrũ deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusq; volũtatis humanæ singulis motib. magis illius valere nõ dubitemus auxiliũ.*

Neque hæc epistola extat.

Pro. 8. secundum 70. Rom. 8.

CAPVT VIII.

QVOD ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisq; motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus. Ad hãc enim nos professionem idem doctor instituit, qui cùm ad totius orbis episcopos de diuinæ gratiæ opitulatione loqueretur, *Quod ergo, ait, tẽpus interuenit, quo eius non egeamus auxilio? An omnibus igitur actibus, causisq; cogitationibus, motibus adiutor, & protector orandus est. Superbum est enim, vt quicquã sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo, Non est nobis colluctatio aduersus carnẽ, & sanguinem, sed contra principes, & potestates aëris huius, cõtra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Et sicut ipse iterum dicit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Et iterum, Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed plus illis omnibus laborui; non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Zosimus ibidem.

Ephes. 6. Rom. 7.

1 Cor. 15.

CAPVT IX. Carthaginense concilium.

ILLVD etiam, quod intra Carthaginensis synodi decreta cõstitutum est, quasi propriũ apostolicæ sedis amplectimur, quod scilicet tertio capitulo definitũ est, vt *quicunq; dixerit gratiã Dei, qua iustificamur per Iesum Christum, Dominum nostrũ, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt; non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema sit.* Et iterũ quarto capitulo: *Vt quisquis dixerit, gratiam Dei per Iesum Christũ propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccãdum, quia per ipsum nobis reuelatur, & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appẽtere, aut quid vitare debeamus; non autẽ per illam nobis præstari, vt quod faciendũ cognouimus, etiã facere diligamus, atq; valeamus, anathema sit. Cũ enim dicat Apostolus, Scientia inflat, charitas verò ædificat, val de impiũ est, vt credamus ad eã, quæ inflat nos habere gratiam Christi, & ad eam, quæ ædificat, nõ habere; cùm sit vtrunq; donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus, vt ædificante charitate scientia non possit inflare. Sicut autẽ de Deo scriptum est, Qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est, Charitas ex Deo est.* In quinto capitulo, vt *quisquis dixerit, ideo nobis gratiã iustificationis dari, vt quod facere per liberũ iubemur arbitriũ, facilius possimus implere per gratiam; tanquã si gratia non daretur, non quidẽ facilè, sed tamen possimus etiã sine illa implere diuina mãdata, anathema sit. De fructibus enim mãdatorum Dominus loquebatur, vbi non ait, Sine me nihil difficilius potestis facere, sed ait, Sine me nihil potestis facere.*

Psal. 93.

1 Iocan. 4.

Ioan. 15.

CAP. X. Catholicæ ecclesiæ orationes ad Deum.

PRÆTER beatissimæ & apostolicæ sedis inuiolabiles sanctiones, quib. nos piissimi patres pestiferę nouitatis elatione deiecta, & bonæ voluntatis exordia & incrementa probabiliũ studiorũ, & in eis vsq; in finem perseuerantiã ad Christi gratiam referre docuerunt; obsecrationũ quoq; sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradãta toto mũdo, atq; in omni catholica ecclesia vniformiter celebrantur, vt legem credẽdi lex statuat supplicandi. Cùm enim sanctarũ plebium præsules mandata sibimet legatione fungũtur apud diuinã clementiam, humani generis agũt causam, & tota secũ ecclesia congemiscẽte postulant, & precãtur, vt in fidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, vt hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant, vt schismatici spiritũ rediuiuæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, vt deniq; catechumenis ad regenerationis sacramenta perducẽtis cęlestis misericordiæ aula referetur. Hæc autẽ nõ perfunctoriè neq; inaniter à Dño peti rerum ipsarũ monstrat effectus, quãdoquidẽ ex omni errorũ genere plurimos Deũ dignatur attrahere, quos eruto de potestate tenebrarũ trãsferat in regnũ filij charitatis suæ, & ex vasis iræ, faciat vasa misericordiæ. Quod adeò totũ diuini operis esse sentitur, vt hęc efficiẽtũ Deo gratiarũ sempiterna laudisq; cõfessio pro illuminatione taliũ, vel correctione referatur.

Ioan. 12. Matth. 12. Marci 3. Esa. 67.

Colos. 1. Rom. 9.

CAPVT XI. Exorcismi & exufflationes in baptismo caeremonia.

ILLVD etiã quod circa baptizandos in vniuerso mũdo sancta ecclesia vniformiter agit, nõ otioso contẽplemur intuitu. Cùm siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniũt sacramẽtum, non prius fontẽ vita adeunt, quã exorcismis, & exufflationibus clericorũ spiritus ab eis immũdus abigatur, vt tũc verè appareat quomodo princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, & deinceps vasa eius diripiantur, in possessionẽ translata victoris, qui captiuã ducit captiuitatẽ, & dat dona hominib. His ergo ecclesiasticis regulis, & ex diuina sumptis auctoritate documentis, ita adiuuante Dño conformati sumus, vt omniũ bonorum affectũ, atq; operũ, & omniũ studiorum, omniumq; virtutũ, quibus ab initio fidei ad Deũ tenditur, Deũ profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita præuenirì, per quem fit vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo vtiq; auxilio, & munere Dei nõ auferitur liberum arbitriũ, sed liberatur, vt de tenebroso lucidũ, de prauo rectũ, de languido sanũ, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus; nec otiosa esse in nobis patitur, quę exercenda, nõ negligẽda donauit, vt & nos cooperatores simus gratiæ Dei; ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illũ solicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimit de interitu vitam nostrã. Et cui quotidie dicimus, Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo. Profundiores verò, difficiliores q; partes incurrentiũ quæstionum, quas latiùs pertractarũt, qui hæreticis restiterũt, sicut non audemus contẽnere, ita nõ necesse habemus astruere. Quia ad cõfitendã gratiã Dei, cuius operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendũ est, satis sufficere credimus, quicquid secundũ prædictas regulas apostolicę sedis nos scripta docuerũt; vt prorsus nõ opinentur catholicũ, quod apparuerit præfixis sentẽtiis esse cõtrariũ.

Psal. 102.

Matth. 6.

CANONES CONCILII ALTERIVS ARAVSICANI, A LEONE PAPA EIVS NOMINIS PRIMO INDICTI.

Aduersus reuiuiscentes per Gallias Pelagianæ hæreseos errores.

VM ad dedicationẽ Basilicę, quã illustrissimus Præfectus & Patricius filius noster Liberius in Arausica ciuitate fidelissima deuotione cõstruxit, Deo propitiante & ipso inuitãte conuenissemus, & de rebus, quę ad ecclesiasticam regulam pertinent, inter nos fuisset spiritualis obortа collatio; peruenit ad nos, esse aliquos, qui de gratia & libero arbitrio minus cautè, & non secundùm fidei catholicæ regulam, sentire velint. Vnde & nobis secundum auctoritatem & admonitionem sedis Apostolicæ, iustum & rationabile visum est, vt pauca capitula, ab apostolica nobis sede transmissa, quæ ab antiquis patribus de certis scripturarum voluminibus in hac præcipuè causa collata sunt, ad docẽdos eos, qui aliter quàm oportet, sentiunt, ab omnibus obseruanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus. Quibus lectis, qui hucusque non sicut oportebat, de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ noueniunt, animum suum inclinare non differat.

1 Si quis per offensam præuaricationis Adæ non totum, id est, secundum corpus & animã, in deterius dicit hominem cõmutatum; sed animi libertate illæsa durante, corpus tãtumnodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduersatur scripturæ dicenti: Anima quę peccauerit, ipsa morietur, & Ne scitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis? Et à quo quis superatur, eius & seruus addicitur.

2 Si quis soli Adæ præuaricationem suã, non & eius propagini, asserit nocuisse, aut certè mortem tantũ corporis, quę pœna peccati est, non autem & peccatũ, quod mors est animæ, per vnum hominẽ in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti; Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatũ mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt.

3 Si quis inuocatione humana gratiã Dei dicit posse cõferri; non autẽ ipsam gratiam facere, vt inuocetur à nobis; contradicit Esaiæ prophetæ, vel Apostolo idẽ dicenti; Inuentus sum à non quærentibus me; palàm apparui his qui me non interrogabant.

4 Si quis, vt à peccato purgemur, voluntarẽ nostram Deum expectare contendit; non autẽ vt etiam purgari velimus per sancti spiritus infusionem & operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi spiritui sancto, per Salomonem dicenti; Præparatur voluntas à Domino; & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.

5 Si quis sicut augmentũ, ita etiã initium fidei ipsum q; credulitatis affectũ, quo in eum credimus qui iustificat impiũ, & ad regenerationem baptismatis peruenimus, non per gratiæ donũ, id est, per inspirationẽ spiritus sancti corrigentẽ voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem; sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, beato Paulo dicente; Confidimus quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in diem Domini nostri Iesu Christi. Et illud; Vobis datum est pro Christo, non solùm vt in eũ credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Et, Gratia salui facti estis per fidẽ, non ex vobis; Dei enim donũ est. Qui enim fidem, qua in Deũ credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab ecclesia Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse, definiunt.

6 Si quis sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderãtibus, conantibus, laborantibus, vigilãtibus, studentibus, petẽtibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiã dicit cõferri diuinitũ; non autẽ vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionẽ & inspirationẽm S. Spiritus in nobis fieri confitetur; & aut humilitati, aut obedientiæ humanę subiungit gratiæ adiutoriũ, nec vt obedientes & humiles simus ipsius gratiæ donũ esse consentit, resistit Apostolo dicenti; Quid habes quod nõ accepisti? &, Gratia Dei sum id quod sum.

7 Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, siue salutari, id est, euangelicæ prædicationi consentire posse cõfirmat, absque illuminatione & inspiratione spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo & credendo veritati; hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei, in Euangelio dicentis; Sine me nihil potestis facere. Et illud Apostoli; Non quòd idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.

8 Si quis alios misericordia, alios verò per liberũ arbitrium, (quod in omnib. qui de præuaricatione primi hominis nati sunt, cõstat esse vitiatum) ad gratiam baptismi posse venire cõtendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberũ arbitrium per peccatũ primi hominis asserit infirmarũ, aut certè ita læsum putat, vt tamen quidã valeant, sine reuelatione Dei, mysteriũ salutis æternæ per semetipsos cõquirere. Quod quàm sit contrarium, ipse Dñs probat, qui non aliquos, sed neminẽ ad se posse venire testatur, nisi quẽ pater attraxerit. Sicut & Petro dicit, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et Apostolus; Nemo potest dicere Dominum Iesum Christum, nisi in spiritu sancto.

De adiutorio Dei.

9 Diuini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, vt operemur, operatur.

10 Adiutorium Dei etiã renatis ac sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonũ peruenire, vel in bono possint opere perdurare.

De obligatione vororum.

11 Nemo quicquam Domino rectè vouerit, nisi ab illo acceperit, sicut legitur; Quæ de manu tua accepimus, damus tibi.

Quales nos diligat Deus.

12 Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

De reparatione liberi arbitrij.

13 Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi, non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde ipsa veritas dicit; Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.

14 Nullus miser de quantacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia præuenitur, sicut dicit Psalmista; Citò anticipet nos misericordia tua Domine. Et illud; Deus meus, misericordia eius præueniet me.

15 Ab eo quod formauit Deus, mutatur Adam, sed in peius, per iniquitatem suam; ab eo quod operata est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius, per gratiam Dei. Illa ergo mutatio, fuit præuaricatoris primi; hæc, secundum Psalmistam, mutatio dexteræ excelsi.

16 Nemo ex eo, quod videtur habere, glorietur, tanquã non acceperit; aut ideo se putet accepisse, quia litera extrinsecus, vel vt legeretur, apparuit; vel vt auditetur, insonuit. Nam sicut Apostolus dicit, Si per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est; porro autem si non gratis mortuus est. Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Inde habet, quicũque habet. Quisquis autem inde se habere negat, aut verè non habet, aut id quod habet, auferetur ab eo.

De fortitudine Christiana.

17 Fortitudinẽ gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordib. nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per spiritum sanctũ, qui datus est nobis, nullis meritis gratiam præuenientibus.

18 Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant.

Neminem nisi Deo miserante saluari.

19 Natura humana, etiã si in illa integritate, in qua est cõdita, permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo nõ adiuuante, seruaret. Vnde cùm sine gratia Dei, salutẽ non possit custodire, quã accepit; quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?

Nihil boni hominem posse sine Deo.

20 Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo.

De natura & gratia.

21 Sicut eis qui volentes in lege iustificari, à gratia exciderunt, verissimè dicit Apostolus; Si ex lege iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est, sic & his qui gratiam quam cõmendat, & percipit fides Christi, putant esse naturam, verissimè dicitur: Si ex natura iustitia, ergo Christus gratis mortuus est; iam hic enim erat lex, & non iustificabat; iam hic erat & natura, & non iustificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est, vt & lex per illum impleretur, qui dixit; Non veni legem soluere, sed adimplere; & natura per Adam perdita, per illum repararetur, qui dixit, venisse se quærere & saluare quod perierat.

De his quæ hominum propria sunt.

22 Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatũ. Si quid autem habet homo veritatis atq; iustitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, vt ex eo quasi guttis quibusdã inrorati, non deficiamus in via.

De voluntate Dei & hominis.

23 Suam voluntatẽ homines faciunt, non Dei, quãdo id agunt quod Deo displicet. Quando autẽ ita faciũt quod volunt, vt diuinæ seruiãt voluntati; quamuis volentes agant quod agũt, illius tamẽ volũtas est à quo præparatur, & iubetur, quod volũt.

De palmitibus vitis.

24 Ita sunt in vite palmites, vt viti nihil conferãt, sed inde accipiant, vnde viuãt. Sic quippe vitis est in palmitibus, vt vitale alimentũ subministret eis, nõ sumat ab eis. Ac per hoc & manẽtem in se habere Christũ, & manere in Christo, discipulis prodest, & nõ Christo. Nã præciso palmite, potest de viua radice alius pullulare. Qui autẽ prę cisus est, nõ potest sine radice viuere.

De dilectione, qua diligimus Deum.

25 Prorsus donum Dei est, diligere Deũ. Ipse, vt diligeretur, dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes, amati sumus, vt fieret in nobis vnde placeremus. Diffundit enim charitatẽ in cõrdibus nostris spiritus patris & filij, quem cum patre amamus & filio. Ac sic secundum suprascriptas sanctarum scripturarũ sententias, vel antiquorum patrũ definitiones, hoc Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis, ita inclinatũ & attenuatum fuerit liberum arbitriũ, vt nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia diuina præuenerit. Vnde Abel iusto, & Noẽ, & Abraham, & Isaac & Iacob, omniq; antiquorũ sanctorũ multitudini, illam præclarã fidem, quam in ipsorũ laudẽ prædicat apostolus Paulus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam: quam gratiam, etiã post aduentum Domini, omnib. qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio habere, sed in Christi nouimus simul & credimus largitate conferri, secundum illud quod iam suprà dictum est & prædicat Paulus apostolus, Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Et illud; Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsq; in diẽ Domini nostri. Et illud; Gratia salui facti estis per fidẽ, & hoc non ex vobis; Dei enim donũ est. Et quod de seipso ait Apostolus; Misericordiam cõsecutus sum, vt fidelis essem. Non dixit, quia erã, sed, vt essem. Et illud; Quid habes quod nõ accepisti? Et illud; Omne datũ bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum. Et illud; Nemo habet quidquam boni, nisi illud illi datũ fuerit desuper. Innumerabilia sunt sanctarũ scripturarum testimonia, quæ possint ad probandam gratiã proferri; sed breuitatis studio prætermissa sunt, quia & reuera, cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam secundũ fidem catholicã credimus, quòd accepta per baptismum gratia, omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante quæ ad salutẽ pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solũ non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quòd in omni opere bono nõ nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur; sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, vt & baptismi sacramẽta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio ea quæ sibi sunt placita, implere possimus. Vnde manifestissimè credendũ est, quòd & illius latronis, quem Dominus ad paradisũ patriã reuocauit, & Cornelij centurionis, ad quem angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed diuinæ largitatis donum. Et quia definitionẽ antiquorum patrum, nostramq; quæ suprà scripta est, non solùm religiosis, sed etiam laicis, medicamẽtum esse & desideramus & cupimus; placuit ergo vt etiã illustres ac magnifici viri, qui nobiscum ad præfatam festiuitatẽ conuenerunt, propria manu subscriberent. Cęsarius in Christi nomine Episcopus, constitutionẽ nostram relegi, & subnotans subscripsi, quinto Nonas Iulij, Decio Iuniore viro clarissimo cõsul.

Iulianus episcopus subscripsi. Constantius episcopus subscripsi. Cyprianus episcopus subscripsi. Eucherius episcopus subscripsi. Heraclius episcopus subscripsi. Principius episcopus subscripsi. Philãgrius episcopus subscripsi. Maximus episcopus subscripsi. Prætextatus episcopus subscripsi. Aletius episcopus subscripsi. Lupercianus episcop⁹ subscripsi.

Vindemialis episcopus subscripsi. Petrus, Marcellinus, Felix, Liberius viri clarissimi & illustres Præfecti prætorij Galiarum atq; patricij, cõsentiẽtes subscripserũt. Syagrius vir clarissimus cons. subscripsit. Opilio vir clarissimus cõs. subscripsit. Pantagathus vir clarissimus cons. subscripsit. Deodatus vir clarissimus cons. subscripsit. Cariattho vir clarissimus cõs. subscripsit. Marcellus vir clarissimus cons. subscripsit.

Subscriptiones.

HYPOGNOSTICON ADVERSVS PELAGIANOS ET CELESTIANOS, INCERTI AVTHORIS, LIBER PRIMVS.

Censuram libri huius inuenies in Scholiis.

CAP. I.

ADVERSARII fidei catholicæ, dum contra regulã veritatis diabolicis armis pugnare nitũtur, nos solicitudine rapiendi faciunt cautiores; se verò decipiunt, antequã nostrorũ valeãt aliquem vulnerare. Cùm enim cæci euacuare thesauros fidei concertant, spe fidei vacuati, faciunt plenitudinem fidei Ecclesię opitulante Dei gratia gloriari; & dum in hypocrisi vigilant nocituri, (de quibus propterea dictũ esse pũto per Prophetam; Ablatus est somnus ab oculis eorũ, nõ enim dormiunt nisi malè fecerint,) nos quodammodo excitant dormientes, vt arrepto clypeo veritatis, falsitati eorũ cordẽ resistẽte vigilemus, Euangelica tuba nostris auribus insonãte; Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Cõfidunt ergo hæretici, catholicam fidem impugnantes in virtute sua, id est, in audacia cordis sui, gratia desolati, & in abundantia diuitiarum suarũ, in operib. scilicet voluntatis suæ gloriãtes. Sed Deus dissipauit ossa hominum sibi placentium, confusi sunt, quia Dominus spreuit eos. Confidamus & nos, resistẽtes eis, in gratia Domini, quæ est gloria nostra, redimens nos à circumdantibus nos, & intellectũ dãs nobis, & instruens nos in via hac quã ingredimur, confirmando super nos oculos suos, quia in Deo salutare nostrũ & gloria nostra, Deus auxilij nostri, & spes nostra in Deo est. Sed iã de quibus vel contra quos ista prædixerim, oportet consequẽti narrare sermone, atq; eorum peruersis dogmatibus, inquantum nos sua gratia Dominus dignatus fuerit instruere, respondere. Igitur cõtra Pelagianos & Celestianos hæreticos, quos Dominus tales futuros suo vitio ante constitutionẽ mundi præsciuit, & exortos in mundo iudicio iusto damnauit; sermo nobis est respondendi. Istos ostendebat apostolus Petrus in Epistola sua secũda futuros, dicens; Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo. sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos Deum negant, superducẽtes sibi celerem perditionem: & multi sequẽtur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabũtur; quibus iudicium iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Igitur de magisterio gratiæ Dei confidẽs his respondendum, tanquam hypognosticon abbreuiatum hũc facere libellum curaui. Quem si quis legere voluerit, nõ verborum mediocritatem contempletur, sed fidei rationem: & si placet, Deo qui docet hominem scientiam, gratias referat. Si quã verò sunt in quib. nolentes erraũimus, si tamen aliqua sunt corrigenda, intuitu charitatis, Deo iudice corrigat, sed is cui sensus est catholicus corrigendi. Si autẽ nihil sciens vel inuidiosus fuerit, vitiare quæ sana sunt non præsumat; quia mecum stabit ante tribunal Christi, rationem redditurus quisquis ille fuerit. Huiusmodi ergo dogmatis est ista, nefanda blasphemia: *Adã*, inquiunt, *siue peccasset, siue non peccasset, moriturum fuisse. Tamen peccatum eius neminem nisi solum nocuit ipsum. Posse hominẽ per liberum arbitrium tanquam per se sibi sufficientem implere quod velit; vel etiam meritis operum à Deo gratiam vniciuq; dari. Libidinem naturale esse bonum; nec in ea esse quod pudeat. Et paruulos, baptizatorum filios non trahere originale peccatum, neq; perituros à vita æterna, si sine sacramento baptismi ex hac vita migrauerint.* O malũ dogma quod pacis inimicus inuenit! O dogma per quod scinditur matris vnitas Ecclesię renatorum! O dogma quod sub nomine Christi euertere & mutare nititur Christi fundamenta! O dogma cui nefanda sunt nomina, mille nocẽdi artes! Arma contra legem sumit ex lege; impugnat Euangelium ex Euangelio pugnans, & in sui perniciem de veris mẽdacia fingens, prouocat ad mẽdacium veritatem. Sed hæc sunt sibi pœna quæ inordinatè proferẽs putat esse victoriã, vt in eis quod scriptum est impleatur; Per quæ enim quis peccat, per hæc & torquetur.

Capita propositionum contra quæ libri differtur.

CAPVT II. Contra primũ articulum.

ADAM ergo, inquiunt, *siue peccasset, siue non peccasset, moriturum fuisse.* Respondemus: Falleris hæretice, falleris; nõ ita est. Aut si ita est, & non falleris, diuinis astrue documentis. Sed abest, vt in Scripturis sanctis authorem mortis Deum valeas reperire. Scriptum est enim; Nolite zelare mortem in errore vitę vestræ, quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim vt essent omnia, & sanabiles nationes orbis terrarum. Item in eodem libro; Deus, inquit, creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem suam fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terratum. Si vides, vide mortem non à Deo authore, sed per errorem vitæ venisse hominibus in paradiso deliciarum positis: id est, cùm per rationem animæ qua boni & vitales erant instituti, erraũrũt à mandato diuino, inuidia scilicet & seductione serpentis. Audis testãtem Prophetam, Deum mortem non fecisse, sed in libro Geneseos protoplasto futurã, si cõtigisset lignum vetitum, prædixisse.

Sap. 1. 1.
Sap. 2.

Sic enim

Genes. 2. Sic enim scriptum est; Et dixit Dominus Adæ, De omni ligno quod est in paradiso, edetis; de ligno autē scientiæ boni & mali, non edetis; qua die autem manducaueritis, morte moriemini.

Sap. 1. Hæc audis, & authorem mortis dicere Deū audes? Mors igitur ex inuidia diaboli veniens introiuit in orbem terrarum, & Deo iudice iusto pro pœna in peccatorē permissa est dominari. Rectè enim perdidit vitam qui mortem noluit cauere prædictā, ne vitam perderet. Tamen verax & misericors Dominus nō lętatur in perditione viuorū. Quæ est enim perditio viuorū, nisi mors? Sed viuorum malè viuentium, qui in secunda morte peribunt; non viuorū iustorum, id est, requirentiū Deum, quibus tantum propter peccatum Adæ quod traxere nascentes, mors nō secunda, sed prima debetur. Si ergo secundū vos Deus auctor est mortis; lætari debet in occasū viuorum tanquam in opere suo bono.

Psal. 103. Quia scriptum est; Lætabitur Dominus in operib. suis: & quia

Genes. 1. nihil odiēs fecit, sed omnia quę fecit; valde bona sunt: Sic enim

Sap. 11. scriptum est; Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorū quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti. Vel cur contra eam de eius obnoxio peccato corpore carnem suam absq; noxa suscepit, si eam ipse corporis iaculum fecit? Nihil enim in cōtrarium sibi dum mundū faceret, Deū fecisse cognouimus. Nā vt inimicam mortē vinceret, vel eius matrē peccatū, ideò Dei filiū hominē suscepisse, si oculos caligine mortis non perdidistis, attendite. Nam quod impossibile erat legi, inquit Paulus vas electionis, in quo infirmabatur per carnē,

Rom. 8. misit Deus filiū suum, in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatū in carne. Quid est autē impossibile legi, nisi quod sibi nec obedientem nec perfectū facere poterat deputatū: nec peccatū tollere, nec mortē vincere præualebat? Sed quare id implere non possit, subiungens ait; In quo infirmabatur per carnem. Iubēdo enim infirmo & non iuuādo infirmatur, quia per carnem, id est, per concupiscentias carnis ex peccato venientes, quas solo arbitrio liberò homo vincere non potest; nisi eum præcedēte gratia

Heb. 7. Dei, legis factor esse non poterit: sicut & ait idē Apostolus; Lex enim ad perfectum nihil adduxit. Quid est ergo filium Dei venisse in similitudine carnis peccati; nisi non habēs caro eius vl-

1 Petr. 1. lum peccatum, sicut nostra; dicēte Petro apostolo; Qui peccatum non fecit, id est non habuit, nec inuentus est dolus in ore eius? Dicendo enim, in similitudine carnis peccati; illam absque peccato, nostram verò peccatricē ostendit. Nam ille ideo in similitudine, quia non per libidinis vsum vt nos, sed inspiramine

Rom. 8. mystico ex virginis vtero in vera natus est carne. Et de peccato, inquit, damnauit peccatū in carne; de humana videlicet peccatrice naturam peccatricē; peccatricem dico, non Deo auctore, sed homine delinquente. Carnem, vt dixi, suscipiēs absq; culpa, & hanc innoxiam crucifigens, peccatū, quod nos damnauerat per inobedientiam in Adam terreno, in Adam cælesti obediente damnatur. Nos enim peccato morimur victi, Christus autē innocens mori voluit, vt moriēdo mortem captiuaret & vinceret. Quodammodo enim eā sibi passus est dominari, cùm patienter se occidendum eius obtulit voluntati. Sed cùm mors in inferno cum iniquis videret & iustum, non habens vnde eidem sicut & cæteris insultaret, resurgentē tenere non valuit, quinimo victa, prostrata est atq; damnata. Et ideo Apostolus extollens victoriā

Rom. 6. Christi de morte, seruis eius gaudēs annunciat; Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel; quòd autem viuit, viuit Deo. Hoc dicendo quid aliud intelligere nos voluit, quàm Deum mortē non fecisse, nec lætari in perditione

Sap. 1. & 2. viuorum, qui absq; peccato vt eā vinceret in infirmitate carnis, voluit habere consortium mortuorū. Vnde si inuidia diaboli per peccatū mortem in orbeim terrarum introisse non credideritis, nihil aliud astruitis, nisi Deum mortem fecisse; propterea vt peremptis hominibus, quibus suam donauit imaginē, nasceretur ei eum ea necessitas dimicandi vel etiā moriendi & resurgēdi. Sed absit hocà fide catholica, quæ per vnū hominem peccatum intrasse in mundū, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines pertransisse credit, Paulo fidei magistro docēte, ac Christum mortuū propter peccata nostra, & resurrexisse propter iustificationē nostram, reconciliātem nos in suo corpore Deo patri per crucem. Erubescite ergo & conticescite. In vestram enim mortē perpetuam Deum accusatis, in morte diabolum excusatis; & hoc ideo, quia non Deum, sed diabolū timetis offendere. Dicite ergo; Si Deus mortē fecit, cur Christus Deus mortuum

Ioan. 11. fleuit Lazarum secundū carnem? Non enim quod ipse fecerat dolere debuit; sed dolens Deum & plorans ostēdit, quos Deus vitales fecerat, diabolū per culpam fecisse mortales. Quem ideo

Rom. 5. Rom. 4.

A suscitat, vt diabolus nihil se occidēdo profecisse cognoscat; nec quisquam hominū ad Deum pertinens de morte desperet, quia Deo dormiunt quos diabolus perisse putabat. Nolo, inquit per prophetam Ezechielem Dominus, mortem peccatoris, sed vt Ezech. 18. conuertatur & viuat. Si eius, vt prædicatis, auctor est Deus; cur eam, dicēdo, Nolo, repellit à peccatore, & non patitur quod suū est permanere? Mortem nolo, inquit, peccatoris, quā ego ei non feci, sed ipse eam sibi, dum in me præuaricator extitisset, inuenit. Sed reuertatur & viuat, id est, vitam me miserante recipiat, quam se peccante perdiderat.

CAPVT III. NVLLI itaq; fideliū dubium esse potest, primos homines factos fuisse sic vitales, vt si in libertate animæ, qua immaculati creati sunt, serpentis contempsissent seductionē mortiferā, vita fruerentur æterna; si verò secuti essent, amitterent. Quibus propterea prædixit Deus, ne vetita contingerent, vt quicquid victis postea cōtigisset aduersum, nō præmonenti, sed sibi inobedientibus imputarent. Nunquid enim cū delinquentib. mortē futuram prædixisset, quod futurū erat ipsum fecisse credendum est? Quid enim eam caueri præmonuit, si eius in eorū occasū factor est ipse? Sed nec eis per diabolū veniēs peccantib. succedere valuisset, nisi Dñs iudicio iusto in vindictam propter inobedientiā

B permisisset. Igitur vt moriantur homines, pœna peccati est; vt reuertantur ad vitā, Domini miserantis est. Sed ille reditad veram vitā, qui per bonam cōuersationem ex gratia Dei venientē, sanguine Christi sanctificatus ingreditur in regnū cælorum, & quasi reuersus in regionem suā Domino placiturus, de qua peccato fuerat exulatus, gaudēs & insuliās morti, dicit animæ suæ; Conuertere anima mea in requiem tuā, quia Dominus benefe- Psal. 114. cit mihi. Quoniam eripuit animā meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Placebo Domino in regione viuorū. Placebo, vnde? Quia Dominus benefecit mihi. Nam & peccator recipit vitā; non autem reditad vitā. Reditus enim vitæ in regno cęlorum est; quod omnis in peccatis suis, vel sine baptismo moriens non potest possidere. Recipit enim vitā in corpore non moriturus, sed ita victurus in corpore, vt sit mortuus vita, vel corpore viuens semper in pœna, & vita & corpore cum diabolo mortis auctore damnato. Vnde & Dominus in Euāge- Matth. 25.

C lio, sis qui ad sinistram erunt in die iudicij, id est, impiis & peccatoribus; Ite, inquit, in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius. Iustis verò qui à dextris erunt; Venite benedicti patris mei, percipite regnū paratum vobis ab origine mundi. Et tunc illi, ait, ibunt in supplicium æternum, iusti verò in vitam æternam. In qua vita glorificati, id est, mutati de corruptione in incorruptionem, de mortalitate in immortalitatem, fulgebunt, ac cum Christo in perpetuum regnantes, insultabunt damnatæ morti dicētes; Absorpta est mors in victoriam. 1 Cor. 15. Vbi est mors victoria tua, vbi est mors aculeus tuus?

CAPVT IIII. MORS itaq; priuatio vitæ est, nomen tantū habens, non essentiā; & ideò Deus eius auctor esse dici non potest. Quicquid enim Deū fecisse dicimus, habet essentiam, id est, species est. Essentia enim dicitur ab eo quod est, quæ tantū de solo Deo dici debet, secundū illud quod scriptum est in Exodo Moysi; Dices eis, id est, populo, Qui est misit me ad vos. Tamen & de cæteris creaturis dici potest quòd habeāt essentiā, sed non sicut de Deo qui initium non habet quod est, sed ex quo accipientes initium quod sunt esse cœperunt. Mors ergo nihil est nisi nomen recedente vita. Sicuti fames, escarum defectus; sitis, egētia potus; tenebræ, absentia lucis; sterilitas, defectus fructus; silētium, vocis absentia; inopia, priuatio facultatum; & si qua sunt alia quæ rerū

D priuatione nihil esse nisi nomen inueniuntur. Opinor nanque quòd ideo mors hoc vocabulum accepit, eo quòd morsu quodammodo venenosi serpentis, id est diaboli, in paradiso Adam fuerit interēptus. Tunc enim serpens morsu decepit Adā, quando per cōcupiscentiam mordere, hoc est, edere suasit illicita; &; vt dixi, propterea mors quasi à morsu nomen accepit. Vnde & Dominus in Osee propheta morti minitans dicit, Ero mors tua Osee 13. ô mors, ero morsus tuus inferne. Mors & infernus in diaboli persona dicta intelliguntur, quia per ipsum delinquenti homini accedit mors, id est, priuatio vitæ, & per ipsum peccatores conuertuntur in infernum, tāquam in eius carcerē vbi damnatus est ipse. Sed quærendū est, quemadmodum Christus Deus Dei filius mors extitit mortis, & morsus inferni. Sine dubio quòd in susceptacarne in qua suum mors nihil habebat, (vt ipse ait; Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquā) tentatus Ioan. 14. post baptismū in deserto, eius non obediuit concupiscētiis, vbi ait; Dic lapidibus istis vt panes fiant; &c. Vel quod se clauorum Matth. 4. motsu iustus & innocens affigi passus est cruci, & ore lanceæ

Mors vnde dicta.

transforari.

Luca 21. transforati. Os autem lanceæ dixi, secundum quod dictum est de peccatoribus; Et cadent in ore gladij. Et lācea vtique gladius est. Et quod descendens in infernum velut in os mortis: (vnde

Psal. 68. dicit in Psalmo, Nō absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum, id est, infernus) detineri eum fuit à diabolo impossibile. Vnde hominem quem susceperat pro homine, id est, carnem suam, quæ non vidit corruptionem, die tertia suscitans, tanquam Ionam ex ore ceti produxit. Quia hoc fuit

Matth. 12. infernus Christo quod Ionæ cetus, dicente ipso Domino, Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; ita erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Morsus ergo factus est inferni, cùm se ab eo tanquam escam, id est, carnem suam suscipi passus est, qua non satiaretur sicut de peccatoribus; sed absorberetur propter quod

1 Cor. 15. Amos 9. dictum est; Absorpta est mors in victoriam. Sed & illud testimonium quod est in Amos propheta, puto propterea dictum esse, cùm peccanti populo Dominus promittens futura mala dicit; Et si celauerint se ab oculis meis in fundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos. Quid est enim, Et si celauerint se ab oculis meis in fundo maris, id est, etsi permanserint in operibus malis, auertentes se ab oculis meis, à præceptis scilicet spiritalibus, quia oculi Dei sunt spiritus Dei, qui legem, id est, præcepta dedit, in fundo maris, in altitudine videlicet desperationis: ibi mandabo serpenti & mordebit eos; ibi in eadem desperatione contemptus; mandabo; potestatem dabo serpenti, hoc est diabolo, qui ab initio serpens est nominatus, & mordebit eos, morsu vtique diuersarum concupiscentiarum quo peccantes occidit, mortificabit eos, sed morsu mortem facit. Non autem mors est sicuti feræ bestiæ, vel omne genus animalium iracundorum, quæ morsu suo nonnunquam mortificāt homines, & tamen non ipsa sunt mors; sed morsū insanabili mortem, id est, priuationem faciunt vitæ, quemadmodum etiam ictus gladij, percussio lapidis, vel quicquid potest hominem occidendo vita priuare.

CAPVT V. ILLVD præterea prætermittere non debeo, ne fortè aliquis inimicorum veritatis, qui non sit rationum certarum quæsitor, sed quæstionum perplexarum ad subuersionem audientium inuentor atque propositor, dicat; Si nihil est mors nisi nomen, quemadmodum superius disputasti, eo quòd mors Christum C iustum in inferno cum iniquis viderit, & quia in eo peccatum non fuit, resurgentem tenere non valuerit, vt eidem sicut cæteris peccantibus insultaret, & ideò victa, prostrata atque damnata est. Si ergo nihil est, videre, tenere, insultare, vel vinci, prosterni & damnari quomodo potest quod nihil est? Respondemus: Ipsum nihil, quid est? Quia interdum cùm nominamus, nihil, addimus, est. Sicut est illud de Euangelio, Et sine ipso fa-

Ioan. 1. ctum est nihil; substantia est, an nomen substantia carens? Solet enim dici, vt præfatus sum, à plurimis, dum aliquid despicitur, aut pro paruo æstimatur, vel certè quod penitus non sit, nihil est. Cùm ergo dicimus, nihil, nomen insubstantiale nominamus; cùm verò addimus, est, rem significamus. Cur ergo nomē insubstantiale, id est, nihil, tanquam verè aliquid sit dicimus, addendo, est? Omne enim quod dicimus, est, esse aliquid æstimamus; tamen cùm aliquoties dicimus, nihil est, pro consuetudine locutionis addimus, est, ad nihil: cùm nomen tantum sit nihil, & non res. Sic & de morte pro consuetudine verbi, vel ad comparationem egētis dicimus; Videt mors, aliquid agit, insultat, vel damnata est, victa est, & quicquid illud est quod dici D possit, quia mors faciat aut patiatur. Cùm ergo hæc de morte dicantur, omnia ad authorem mortis, per quem priuatio vitæ facta est, diabolum referuntur. Ipse enim quæ ad mortem pertinent, aut facit, dum captiuat & perimit; aut patitur, dum vincitur & damnatur. Diabolus enim natura est angelus, sed quod natura est, opus Dei est; quod verò diabolus, vitio suo est, vtendo malè naturæ suæ bono: opera verò eius mala quæ vitia dicuntur, actus sunt, non res, quæ tanquam per se agere dicuntur aliquid, cùm ea & per ea totum agat diabolus. Vel damnata dicuntur, cùm ipse pro his damnatur, pro quibus damnatur & homo, cùm per liberum arbitrium his illectus tradit assensum. Et ideo hæc in futuro seculo iam non erunt, quia in auctore suo diabolo damnabuntur, cùm ille scilicet damnatus in gehenna, vt peccent homines amplius, potestatem hæc agere non habebit.

Hypognosticon libri primi finis.

Appendix tom. 7.

HYPOGNOSTICON CONTRA PELAGIANOS ET CELESTIANOS LIBER SECVNDVS.

ITEM *peccatum Adæ*, aiunt, *neminem nocuit, nisi solum ipsum.* Respōdemus: Si peccatum primorum hominum solis obfuit illis, & nemini nostrū; quē- admodum quæ in illos pro peccato lata est, in nos sententia pertransiuit, in quos non transiuit & culpa? Nisi fortè secundū vos Iniustus Deus, qui expertes eorum delicti, passus est nos eorum pœnæ astringi vinculo. Hæc est enim in illis post peccatum diuina sententia, postquam scilicet suasor ad prēuaricandum maledictus est serpens. Mulieri autem dixit Deus: Multi- Gen. 3. plicans multiplicabo mærores tuos, & gemitum tuū. In tristitia paries filios, & ad virum tuum conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Et Adæ dixit; Quoniam audisti vocem mulieris tuæ, & manducasti de ligno, de quo præceperā tibi de hoc solo ne mānducares; maledicta terra in operibus tuis, in mærōribus mānducabis ex illa omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & edes fœnum agri. In sudore vultus tui edes panem tuum, donec reuertaris in terram dē qua sumptus es, quia terra es, & in terram ibis. Hac nos pœnæ sententia colligatos, ipsa sibi B humana natura totum per orbē terrarum diffusa testimonium perhibet; dum se paternis cruciatib. sanctæ legis testimonio pertidet laborare. Quod qua iustitia, si hæredes parentū peccati nō sumus, patimur? Si vobis solis æquitas süppeditat naturalis qua iustiora sint iudicia vestra quàm Dei, inter nos & Deum residētes in superbiæ solio iudicate. Nullū enim hominem tam amatorem vel defensorem sui erroris, ad Dei iudicia reprehendēda, vel etiam refellenda diabolus potuit inuenire, nisi Pelagium & Celestium houæ legis iura trādētes. Adam igitur factus est absque peccato natura: cùm verò peccauit homo, natura peccauit, & facta est natura iam peccatrix, id est, vitium habēs peccati; nō ipsa effecta vitium vel peccatum. Post peccatū ergo homo peccator dictus est, non homo peccatū. Peccator enim à peccando, non homo à peccando dicitur. Et ideò peccator homo genuit hominem, sine dubio peccatorē; quia de natura, vt dixi, peccato vitiata, non nisi natura nascitur vitiosa, id est, peccatrix; secundum quod ait apostolus Paulus; Qualis terrenus, tales & ter- 1 Cor. 15. reni. Et hoc quomodo nisi per seminis sparsionem?

CAPVT II. Obiectio. SED ais mihi ediuerso veniens: *Ergo semen peccatum est?* Iam superius dixi, quia cùm peccauit homo, natura peccauit, cuius Sap. 12. sunt semina; & semē ergo vitiatum est, nō vitium, sicut scriptum est; Semen enim maledictū erat ab initio. Maledictū videlicet Gen. 3. post peccatū; quia maledicta, inquit, terra in operibus tuis. Sed vitium trahi non potest protoplasti, neq; esse homini sine seminis effusione. Quod confirmat Apostolus dicens; Per vnum ho- Rom. 5. minem peccatum intrauit in mundū, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiuit, in quo omnes peccauerunt: solus autē Dominus Iesus Christus absq; semine ex virgine factus est homo, & expers delicti natus est Deus & homo. Audis itaq; per vnum hominē peccatum intrasse in mundū, & per peccatū mortē, & ita in omnes homines pertrāsisse, in quo omnes peccauerunt; & audes dicere hæretice, *Adæ peccatum nulli nisi soli nocuit ipsi?* Et verè tunc soli nocuit, cùm solus esset ipse & Eua mulier eius. Sed in illis vnis omnes eramus, quia natuta humani generis erant, sicut in nobis omnibus illi vni sunt, D quia natura eorum sumus.

CAPVT III. Obiectio. SED respondentes dicitis, vt dicere consueistis; *Apostolus si voluisset intelligi, quia per seminum conceptionem dicebat peccatum in omnes homines pertransisse, non per vnum hominem dixisset, sed per duos homines, quia sine femina de solo masculo homo nasci non potest.* Si cordis oculos non amisistis, attendite dictū esse; Iam non sunt duo, sed vna caro. Et iterum; Erunt duo in car- Gen. 2. ne vna. Nam ideo per vnum hominem dixit Apostolus, quia cū in viro suo mulier vna sit caro, in semine progenies imputatur. Audite adhuc & alium sapiētissimum dicentē ad vestram confusionem; Ex muliere initiū factum est peccati, & per illā omnes morimur. Ecce hæretice, factum est tibi satis, per duos homines in humanum genus peccatum vel mortem pertransisse. Eccl. 25.

CAPVT IIII. Obiectio. SED quid adhuc dicturus sis, sicut soletis dicere, noui. *Peccatum*, inquis, *per vnum hominem in mundum intrasse, Apostolus non seminis propagatione, sed morum imitatione dixit.* Respōdeo: Si peccatum morū imitatione constat; quē imitatus est diabolus, vt delinqueret, dicite; qui primus inuenitur esse peccator? Quia si de Adam interrogauero, respondebitis forsitā, quòd sit diabolum ^nitatus. Esto, Adam vt peccaret, diabolū fuisse imi-

tatum, dicite mihi, diabolus quem imitatus sit, quia peccatum morum imitatione cõstare defenditis. Sed quid immoror, sciẽs nihil vos responsuros? Quem enim dicturi estis imitatum fuisse, cùm author sui lapsus ipse sit? Adam certè peccasse nihil aliud legimus in lib. Geneseos, nisi quòd inobediens extitit diuinum seruare præceptum. Cain ergo primogenitus filius eius quẽ sit imitatus dum fratrem occidit, homicidium facere, vt ostẽdatis interrogo. Quatuor enim tunc homines fuisse legimus, Adam scilicet & Euam, ipsam Cain & Abel fratrem eius, & ex his neminem fecisse primò homicidiũ inuenimus, nisi, vt dixi, Cain. Dic ergo hæretice, vnde hoc didicerit, quémve fuerit imitatus, si morum ex altero in alterũ transire constat imitatione peccatũ, & non conceptione contractũ? Omne enim quod imitandũ est, aut videtur oculis, aut certa relatione concipitur. An excusabis homicidiũ nõ esse peccatum? Et quid nequius? Dic iam, dic tõtiens interroganti mihi; Cain quem viderit, à quo narratum audierit homicidium perpetratum? sed constrictus vinculo veritatis, nec ianuam tuæ propositionis patentem inueniens exeundi, ad ianuam sermonis apostoli Pauli repedabis, vt iter rectum, si velis, possis incedere, atq; mihi interroganti dicere veritatẽ. Verè non morum imitatione, sed seminis spargione constat per vnum hominem peccatũ intrasse in mũdum, & per peccatũ mortem, & ita in omnes homines pertransisse, in quo omnes peccauerunt. Ex peccatore ergo Adam, genitore suo, Cain primus peccatum in vtero matris contraxit; & tertius homo natus est peccator ex vtero eius. Mens interna patrio peccato erat iam captiuata, à diabolo inde imbutus est in zelum, inde inuidiam habuit & liuorem; inde non morum imitatione homicidium, sed volũtate præcipitatus admisit. Qui enim vnum peccatum, id est diabolus præuaricantibus primis inflixit hominibus, ipse per hoc quod omnes (absq; solo, vt suprà dictum est, Christo) nascendo traxerunt, illicit etiam cætera, dum ei per liberum arbitrium cõsentitur, committi peccata. Peccatum ergo protoplasti omnes trahimus, non morum imitatione, sed seminis cõceptione, sicut scriptum est; Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Constant etiam & imitatione morum peccata, imitando scilicet malos: sed vt quis imitetur malos, naturæ est vitiũ deprauatæ qua factus est malus & malitiosus, non natura à Deo conditus malus. Ob hoc enim & natura filij iræ, ab Apostolo iam baptizati fuisse diciũtur. Omnis enim carnaliter nascens, natura filius iræ rectè dicitur; quia natura est protoplasti, quæ prior in illo propter delictum iram iudicis Dei iustè suscepit. Si enim delictum eius, per quod, vt dixi, ad iram Dominum prouocauit, non traheremus, nunquã natura filij iræ diceremur. Et ideo peccatum eius non solùm ipsum, sed omne nocuit genus humanum; cũ eius damnatione simul & culpam suscepimus. Eius enim nos vulneratos esse delicto, vas probat electionis, cùm dicit; Non enim est distinctio, omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Dicendo, omnes, nullum excepit; quinimo totum declarauit genus humanum. Peccauerũt enim omnes, cùm ex vno peccatore omnes nascimur peccatores. Propter quod iterum idem dicit Apostolus; Nam iudicium ex vno in condemnationẽ. Ex quo vno nisi ex Adam, vel eius vno peccato? In qua condemnatione, nisi in culpa eius, qua ille est condemnatus? Quid est autem, & egent gloria Dei; nisi gratia Dei patris, per Iesum Christum qui est in gloria Dei patris? Et quid est, egent? id est, nemo idoneus per se quòd nascitur carnaliter vel operibus meritorum vitam recipit perditam, nisi per Dominum nostrum Iesum Christum spiritaliter renascatur, qui venit patris & sua, sanctique spiritus indebita misericordia, saluare & quærere quod perierat? Quid enim perierat? Nunquid animalia irrationalia? Aut nunquid de bobus cura est Deo? Vtique humanum genus per peccatum, propter quod se sponte immaculatus morti tradens atque resurgens, gratiæ gratuitæ largitate à peccato vel morte redemit.

Genes. 4.

Rom. 5.

Psal. 50.

Ephes. 2.

Roman. 3.

Roman. 5.

1 Corinth. 9.

Hypognosticon libri secundi finis.

HYPOGNOSTICON ADVERSVS PELAGIANOS ET CELESTIANOS, LIBER TERTIVS.

CAP. I. Tollit arbitrium.

INTERVM *posse dicunt hominem per liberum arbitriũ tanquam per se sibi sufficientem implere quod velit; vel etiam meritis operum à Deo gratiam vnicuique dari.* Respondemus: Neminem posse per se sibi, id est per liberum arbitrium sufficere implere quod velit rectè dicimus, nisi protoplastum solum potuisse, cùm voluntas liberi arbitrij fuisset sana eidem ante culpam. Lex enim eidem in paradiso constituto non poneretur seruanda, nisi liber esset tam velle eandem quàm nolle seruare; sicut scriptum est; Et locutus est Dominus Adæ, dicens; De omni ligno quod est in paradiso edetis; de ligno autem scientiæ boni & mali non edetis: & cætera. Dicendo ergo Dominus, De omni ligno quod est in paradiso edetis, taliter velle permisit. Et vetando, De ligno autem scientiæ boni & mali non edetis; huiusmodi nolle præmonuit. Sed cùm & velle & nolle præmonuit, docuit, cui ad vtrunque posse liberum donaret arbitrium; quo malè vtens incautus, dum sponte serpenti præbet suadenti consensum, Domini præteriit præceptum, amisso possibilitatis bono, solum arbitrium ad velle potitus est vulneratum. Hoc ergo vulnere cuncti libero claudicamus arbitrio, nec implere nobis naturaliter sufficit posse bonũ; quia iam, vt superiùs disputaui, de natura vitiata peccato, id est, de protoplastis hominibus, quorũ sumus & ipsi natura, in quibus est vitiata libertas, homo voluntatis sanæ perfecto videlicet libertatis arbitrio quo sibi sufficiat, non potest exoriri.

Gen. 2.

CAPVT II.

NAM vt calcatius liberum arbitrium cum possibilitatis bono, quo valeret implere quod voluisset, Adam factum intelligas, audi quid dicat scriptura sancta in libro Ecclesiastico; Deus, inquit, ab initio fecit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata & præcepta; Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & fidem facere beneplacitam in perpetuum. Apposuit tibi ignem & aquam; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem est vita & mors, bonum & malum; & quod voluerit, dabitur illi. Quid est autem, Et reliquit illum in manu consilij sui; nisi dimisit eum in possibilitate liberi arbitrij sui? In manu enim possibilitas intelligitur. Ipsa est prima gratia qua primus homo stare potuisset, si seruare mandata Domini voluisset. Hac ergo per inobediẽtiam desolatus homo, iudicio iusto factus est serpenti, id est, diabolo cui maluit obedire quàm Deo, captiuus. Et ideo scriptum est; A quo enim quis superatus est, huic & seruus addictus est. Et iterum; Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Quod confirmat apostolus Paulus iam baptizatis dicens; Cùm essetis serui peccati, liberi fuistis iustitiæ; videlicet alieni eratis à iustitia. Per se ergo homo lapsum facere potuit, quia voluit; sed non sicut per se lapsus est, continuo à lapsu per se, id est, per propriam voluntatem consurgere valuit, nisi manu Domini misericordissima, quando eius placuit pietati, fuisset erectus. Propter quod scriptum est; Allevat Dominus omnes qui corruũt, & erigit omnes elisos. Quòd si homo propriæ voluntatis virtute, & non per Dominum sibi sufficit elisus assurgere, quo in paradisum, de quo inobediẽs pulsus est, Deo reconciliãdus redeat; ergo Christus gratis mortuus est. Et vt quid ad sanos medicus venire voluit, vel cur se ad saluandum atq; quærendum quod perierat, venisse dixit; qui secundum dogma vestrũ, nihil perditũ, nihil quod saluaret inuenit?

Ecclesi. 15.

2 Petri 2.

Ioan. 8.

Roman. 6.

Psal. 144.

Gal. 2.

CAPVT III.

TE igitur sancte Paule apostole, vas electionis, magister gẽtium, quæso, cur Christus in mundum venerit; dicas; vt sciamus quid hæreticis, qui aduentum eius nihil profuisse humano generi, quod per se sibi sufficere prædicant, respondeamus? Fidelis sermo, inquit, & omni acceptione dignus; quia Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere; quorum primus ego sum. Audis Pelagiane hæretice, pelago perditionis demerse, siue Celestiane, cælesti iudicio periture, vas electionis veritatis tuba canentem, Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum se primum esse dicit: & conaris astruere cùm prædicas hominem naturaliter posse quod velit, Christum nullum in eo vulnus quod curaret, nullam infirmitatem inuenisse, quam gratiæ suæ gratuitæ medicamento sanaret? Intantum estis in stultitiæ profundum demersi, vt nõ intelligatis Christum Dominum ad nostram reparationem, reformationem, redemptionem, reconciliationemque formam serui suscipere voluisse? Quid enim opus erat Deo, si status integer naturæ maneret humanæ, carnem suscipere nostram, contumelias sustinere à Iudæis, perpeti mortem; quæ vtique omnia pro nostra salute dignatus est sustinere, Dominus bonus & misericors pro seruis malis & impiis, liber pro captiuis, iustus pro iniustis, vita pro mortuis, spes pro desperatis, reconciliatio pro offendentibus: sicut dicit Ioannes apostolus de eo; Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Item apostolus Petrus; Qui peccata, inquit, nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viueremus, cuius liuore sanati estis: eratis enim sicut oues errantes. Item ipse in eadem Epistola; Quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo mortificatos carne, viuificatos autẽ spiritu. Audis electos & idoneos testes spiritu Dei loquentes, Christum propitiationem pro peccatis mundi venisse, peccata nostra propterea pertulisse in corpore suo super lignũ, vt iustitiæ viueremus, eius liuore nos esse sanatos, qui eramus sicut ones errantes. Audis semel pro peccatis nostris mortuum iustum pro iniustis, vt nos offerret Deo, id est, peccato exules reuocaret ad Deum: & in tenebris conscientiæ tuæ tractans eructas nebulas, quibus lumen verum detrahere conatis, & dicis posse hominem per liberum arbitrium, tanquam per se sit idoneus, implere quod velit? Idem ipsum est enim & illud quod flagitãtis voce superba, *Si volo, sanctus sum; si volo, pecco; si nolo, non pecco.* Nihil videlicet astruitis ista dicendo, nisi, vt superius iam dictũ est, Christus veniẽs nihil nobis præstitit, nihil saluis, nihil adiutorij contulit, mors eius nihil profuit nobis, salus nostra naturalis est nobis. Talia prædicantibus fides catholica dicit anathema; credit enim, quòd salus hominis ex Deo sit Christo, cuius vulnere liberum nostrum curatur & reformatur arbitrium vulneratum, qui auersos à se gratuita gratia sua conuertit ad se, & vt Deo placeant operibus bonis, operatur in eis & velle & posse: quorum cursum in hac vita propter futuram verã vitam, misericordia præueniendo & subsequendo perficit ipse. Igitur liberum arbitrium hominibus esse, certa fide credimus & prædicamus indubitanter.

1 Timoth. 1.

Ad quid valeat post peccatum liberũ arbitrium.

CAPVT IIII. Liberum arbitrium quid.

SED cur dicatur liberum arbitrium, est paululum differendum. Arbitrium ab arbitrando rationali consideratione vel discernendo quid eligat, quidue recusẽt, puto quòd nomen accepit: ideo liberum dictum, quòd in sua positum sit potestate, habens agendi quod velit possibilitatem, quod est vitalis & rationalis animæ motus. Sed huiusmodi, vt antè iam dixi, fuit in homine protoplasto, cùm ante peccatum maneret illæsus. Non enim per aliud contraxit offensam, nisi per id quo potuit ne delinquere resistere suadenti. Per velle ergo malum rectè perdidit posse bonum, qui per posse bonum, potuit vincere velle malum. Quem iustè Deus iam delicto captiuum voluntati deprauatæ dimisit, vt hæc eidem esset pœna in non faciendo quod velit, qui semper si Deo fuisset obediens, sufficere posset ad omne bonum quod voluisset. Malum vtique velle non ex naturæ suæ conditione bona habuit, tanquam ex congenito malo, vt Manichæus credit; sed ex accidenti desiderio prauo concepit, videlicet cùm, vt iam superius dixi, ad manducandum vetitum lignum, quod nolle debuit, assensum serpenti, id est, diabolo præbuit: quod tanquam à radice vitiata omnis ex illa orta humana propago contraxit, absque solo Christo, qui aduentu spiritus sancti nõ humano semine, ex carne virginis factus est caro. Per peccatũ ergo, liberũ arbitriũ hominis possibilitatis bonum perdidit, non nomen & rationẽ. Esse fatemur liberũ arbitriũ omnibus hominibus, habens quidẽ iudiciũ rationis, nõ per quod sit idoneũ quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut certè peragere: sed tantùm in operibus vitæ præsentis, tam bonis quàm etiam malis. Bonis dico quæ de bono naturæ oriũtur: id est, velle laborare in agro, velle mãducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domũ, vxorẽ velle ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarũ rerum bonarum, velle quicquid bonum ad præsentem pertinet vitam, quæ omnia non sine gubernaculo diuino subsistunt, imò ex ipso & per ipsum sunt, vel esse cœperunt. Malis verò dico, vt est, velle idolum colere, velle homicidium, velle adulteriũ facere, res alienas velle diripere, Deum viuentẽ in secula blasphemare, velle turpiter viuere, velle maleficia discere, velle inebriari & luxuriosè viuere, velle quicquid non licet vel non expedit operari. Sed ista non pertinent ad substantiam vitæ præsentis, quia nõ sunt à Deo, imò malè desiderata maculãt vitã quæ est à Deo. Ista sunt zizania animæ carnisq;, quæ inimicus homo, id est, diabolus dormitante Adam, Dei videlicet præceptum non cõseruãte, in libero seminauit arbitrio, in quibus procliuior & paratior est quàm in prosperis vulnerata & deprauata voluntas. Ista sunt diaboli opera, quæ Christus Dei patris verbũ, quod est gladius bis acutus, in hunc mundum venieris, ex virgine natus, de credẽtium libero arbitrio gratuita sua gratia amputat, idoneã in eisdem ad † credendum præparans voluntatem, per quam possint tam Dei patris quàm suam sanctique spiritus iustã pagere voluntatem. Nam ea esse opera diaboli & per Christum tolli, dilectus Christi Ioannes apostolus probat in epistola sua dicens, Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniã ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera diaboli. Item apostolus Petrus in Actibus Apostolorum inter cætera de Christo ait, Qui pertransiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniã Deus erat in illo. Item apostolus Paulus ad Hebræos, Qui cùm sit, inquit, splendor gloriæ & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorũ faciens, sedet ad dexteram patris. Item in eadem epistola, Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiã nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti? Perge adhuc hæretice, & tantis doctoribus veritatis resistens, dic liberum arbitrium sic ex Adã susceptum, vt medicina Christi nõ indigens, per se sibi sufficiat implere quod velit. Audis Dei filiũ sic apparuisse, vt opera dissolueret diaboli. Audis ideò eum pertrãsiisse, vt benefaciẽdo sanaret omnes oppressos à diabolo. Audis verbo virtutis suæ purgationem peccatorum fecisse. Audis sanguinẽ suũ offerendo se immaculatã hostiam Deo, mundasse conscientiã nostram ab operibus mortuis ad seruiendũ Deo viuenti: & gratiæ eius ingratus existẽs, sanũ te naturaliter putas liberum arbitriũ possidere? Si sanus est homo vt Adã à Deo primum fuerat institutus; &, vt ais, nullum vitium postea ex illo delinquente cõtraxit exortus, interrogo, de quo Dei filius apparens opera dissoluit diaboli? Quem pertranseũdo & benefaciẽdo sanauit oppressum à diabolo? In quo purgationem peccatorum fecit? Cuius emundauit conscientiam ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti? Nisi fortè falsa hæc Apostolos qui sunt in Ecclesia catholica clarissima lumina prædicasse dicatis, experimentum videlicet quærentes eius, qui in eis locutus est Christi, Quid enim orbati lumine veritatis nõ dicere præsumãtis, qui nec legi Dei, nec Prophetis, vel Euangelio Christi, eiusque Apostolis spiritu Dei canentibus credere vultis, peccato primi hominis humanum genus mortale factum, cæteris sque libero arbitrio deprauato obnoxiũ subiacere peccatis, Dei quoque filiũ ad hoc saluandũ, reparandum, ac viuificandum venisse in similitudine carnis peccati, sustinuisse mori, resurrexisse à mortuis.

Matth. 13.

al. crescendum

1 Ioan. 3.

Ad. 10.

Heb. 1.

Heb. 9.

2 Cor. 13.

CAP. V.

IGITVR cùm de libero arbitrio agimus, non de parte hominis agimus, sed de toto: quia cùm peccauit homo primus, non in parte aliqua, sed tota qua cõditus est, natura deliquit. Nũquid enim interdũ cùm tantum animã nominamus, corpus aut spiritum separamus ab anima; aut cùm spiritum dicimus, animã separamus & corpus à spiritu; vel cùm corpus appellamus, seiungimus spiritũ animamque à corpore? Vitiato ergo libero arbitrio, totus homo est vitiatus, per quod absque adiutorio gratiæ quod Deo placeat, nec valet incipere, nec perficere sufficit. Præuenitur autem medicina, id est, Christi gratia, vt sanetur, & reparetur in eodem vitiata atque præparetur voluntas, quæ semper indigens adiutorio illuminante gratia saluatoris possit tã Deum cognoscere, quàm secundum eius viuere voluntatem. Cùm enim dicit per Prophetam Dominus, Et dabo in vos cor nouum & spiritum nouum; quid aliud significat, nisi voluntates hominum lapsas præuaricatione veteris hominis, per Christum nouum hominem reparari, & præparari ad Dei voluntatem, sicut scriptũ est, Præparatur voluntas à Domino? Iterũ apostolus Paulus, Deus est, inquit, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate; ea vtique quę est in eis, vt dixi, à Domino tã reparata quàm præparata, vt esset bona: in qua se iã fidelis homo cognoscens illuminatum, vt ad Dei semper sit paratior voluntatem, secutus clamat ad eum dicens, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. &, Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. &, Notam fac mihi Domine viam in qua ambulem. &, Domine ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus. Quòd si vox ista iam credentis non est, quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Non ergo homo voluntate sua adhuc in vitio liberi arbitrij claudicante, præuenit Deum vt cognoscat, & quærat eũ, tanquã gratiã pro meritis accepturus; sed præcedit, vt iam dixi, misericordissima gratia sua Deus hominis ignorantis, & nondum se quærentis voluntatem liberi arbitrij, vt eũ se scire & quærere faciat, sicut dicit Ioannes apostolus in epistola sua, Scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio eius. Hic est verus Deus & vita æterna. Et Dauid in Psalmo, Deus meus misericordia eius præueniet me. &, Deus tu conuertens viuificabis nos. Et Dominus in Euãgelio discipulis suis, Non vos me elegistis, sed ego vos elegi. Item Ioannes apostolus, In hoc, inquit, apparuit charitas Dei in nobis, quoniã

Rom. 10.

Pro. 8. secun. dum 70.

Phil. 2.

Psal. 50.

Psal. 118.

Psal. 142.

1 Ioan. 5.

Psal. 58.

Psal. 87.

Ioan. 15.

1 Ioan. 4.

filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

CAPVT VI. Ephes. 2. NVLLVM autē esse hominis meritū in accipienda gratia ad salutē, Paulus apostolus docet scribens ad Ephesios, Deus autē qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati. Propter nimiam, ait, charitatem suam qua dilexit nos, non propter nostram, quasi priores dilexerimus eum, cùm essemus mortui peccatis. Item post pusillum in eadē epistola, Gratia enim estis saluati per fidē, & hoc nō ex vobis. Dei enim donū est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Item ad Timotheū, Noli itaq. erubescere testimoniū Domini nostri, neq. me vinctū eius, sed collabora Euangelio secūdum virtutē Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione sancta, nō secundū opera nostra, sed secundū propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia. Audis ante tēpora secularia, quādo in Dei erat homo præscientia, & non in seculo, quia nondū erat seculū; & præponis dono eius opera voluntaria, cæcus veritati resistens? Quærens enim tuam iustitiam statuere, iustitiæ Dei subiectus esse nō potes. Itē ad Titum, Cùm autē benignitas, inquit, & humanitas apparuit saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrū regenerationis & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum. Quid ad hæc hæretice adhuc respondebis? Quid inimice gratiæ Dei adhuc contra gratiam tanto magistro gentium teste, quòd nullis hominum meritis detur, excogitabis opponere? Rogo quid conamini resistere vera prædicanti, tam excellenti doctori, qui nō de se in se, sed ex Deo coram Deo in Christo Euangeliū prædicans loquitur, id est in simplicitate & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali? Nam quòd vera annunciet, audite eum attestantē, & nolite esse increduli, sed fideles. Deus, ait, & pater Domini nostri Iesu Christi scit, qui est benedictus in secula, quòd nō mentior. Et iterū, Veritatē dico in Christo Iesu, non mentior, testimoniū mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto. Itemque, Veritatē dico, non mentior, doctor gentium in fide & veritate. Auditis, non mentior, & tanquam mentientem redarguitis, cùm ex vestro dogmate peruerso, quod ille non ita esse prædicat, meritis hominum gratiam dari annunciatis. Imò videte, quia non tantū Paulum, sed & Christum in eo loquentem redarguitis.

2 Tim. 1. Rom. 10. Tit. 3. Rom. 9. 1 Tim. 2.

CAPVT VII. Obiectio. SED respondens mihi inquies, Si nō vnusquisq. pro sua voluntate qua nos dicimus eum inquisisse Deum, accipit gratiam, sed præuenit voluntatē eius sua gratia, qua in eū credere possit; cur non hoc ergo in omnibus operatur? An personarū acceptor est Deus? Si gratiæ illuminatione sensus tuus hæretice tenebris insipientiæ esset exutus, crederes tantum testimoniis diuinis quę antè iam dixi, vel quæ non dixi, & in sanctis scripturis reperiuntur innumerabilia, Deum nullis meritis hominum gratiā suam dare, per quam se eis ostendat ad credendū & seruiendū sibi: & non quæreres, imò non discuteres, Deus quare id non in omnibus operetur, qui bene & iustè semper omnia quæcunque vult operatur, & voluntati eius nemo resistit: propter quod omnia quæcunq. voluit fecit. Ideò cur hoc illi operetur, illi non operetur, metuentē me & trementem iudicia eius inscrutabilia & incōprehēsibilia, nolo interroges; quia quod lego, credo & veneror, non autē discutio. Quis est enim homo qui respōdeat Deo? Nūquid dicit figmentū ei qui se finxit, Quare me sic fecisti? Habet enim potestatē figulus luti, ex eadē massa aliud quidem vas facere in honorē, aliud in contumeliam. Sed interroga eum qui dixit, Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum. &, Non omnes capiunt verbū, nisi quibus datum est. &, Vobis datū est nosse mysteriū regni cælorū, cæteris autē non est datū. &, Nemo nouit filium, nisi pater; neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. &, Sicut pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius suscitat mortuos, & viuificat quos vult. &, Quia spiritus vbi vult spirat. &, Quia non potest homo à se facere quicquam, nisi datum fuerit illi desuper. Item interroga eum qui dixit, Vobis donatum est pro Christo non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini. &, Non volētis, neque currentis, sed miserentis est Dei; & cui vult miseretur, & quem vult indurat. Et quia Spiritus sanctus dona charismatum suorum diuidit singulis prout vult, non prout volunt. Et quibus voluerit, non qui voluerint notas fecit Deus diuitias gloriæ sacramenti sui. Istæ sunt vniuersæ viæ Domini inestigabiles, misericordia & veritas; quas si scire quæris, Paulum interroga, & respondebit tibi dicens: Altum sapere noli, sed time: quia quis cognouit sensum Domini, quis instruxit eum? aut quis cōsiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula. Interroga etiam Dauid, & dicet tibi, Quis sapiens, & intelliget hæc? Aut quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Ista igitur cùm facit Deus incōprehensibilis & inuestigabilis atq. inenarrabilis, non personarum acceptione facit, nec iniusto iudicio, sed planè iusto atq́ue secreto: quia hęc est fides catholica, quam si sequi velis, non eris de iudiciis Dei incomprehensibilibus curiosus & cōtentiosus, sed eris cum catholicis humilis & mansuetus. Non vt dicas Deo, interrogando, quæ est voluntas tua? sed tremendo, fiat voluntas tua: quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia. Modò enim quia iudicia Dei in operibus eius ab homine narrari nō possunt, ideo iniustus est Deus? Imò iustus est & incomprehensibilis iudicio iustitiæ suæ, & irreprehensibilis operatione voluntatis suæ. Taceat reprehensibilis, mendax & iniustus homo, vt faciat irreprehensibilis verax & iustus Deus quæcunque voluerit. Si tantùm attendas ad peccatum primorum hominum, quo massa humani generis damnari meruit, quia secundum testimonium Pauli apostoli, Ex vno omnes in condemnationem; poteris cognoscere iudicia Dei esse iustissima. Inde est enim malum meritum in hominibus, tam in paruulis quàm in maioribus præcedens iudicia Dei, vt iusto eius iudicio puniantur. Quare autem in hoc, vt dixi, malo merito præcedenti, non omnes puniuntur, aut cur inde non omnes saluantur; ego seruiens Domino in timore & exultans cum tremore, misericordiam ei & iudicium cantabo: quia iudicium facit præcedente causa; salutē verò donat ac misericordiam, præueniendo malam causam. Res igitur eius sumus. Oculus tuus hæretice, vt quid nequam est? habet potestatē paterfamiliās iustus & misericōrs de re sua facere quod vult: de reo mortis, iudicis est quam vult ferre sentētiam.

Psal. 113. Rom. 9. Ioan. 6. Matth. 19. Matth. 13. Matth. 11. Ioan. 5. Ioan. 3. Ioan. 16. Phil. 1. Rom. 9. 2 Cor. 12. Rom. 11. Psal. 106. Psal. 105. Psal. 61.

CAPVT VIII. AVDI tamē adhuc calcatius, vt ad propositū superioris disputationis reuertamur, quia homo vulnerato libero arbitrio per Adæ peccatū, sine gratia Dei, id est, per se solū sanare se non potest, nec spōte ad paradisum reuertī, sanctorū numero sociādus, nec eum gratiā meritis vllis accipere, sed totū sua misericordia Deum petagere. Homo quidam, ait Dominus in Euangelio, descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerūt eum, & plagis impositis abierūt, semiuiuo relicto. Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo, præteriuit: similiter & Leuita, cùm esset secus locū & videret eū, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eū, & videns eū, misericordia motus est. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleū & vinū, & imponēs illū in iumentū suum, duxit in stabulū, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait, Curam eius habe, & quodcūnq. supererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi. Homo iste quidā ipse est genus humanū, descendēs ab Hierusalē in Hiericho, id est, de paradiso in hunc mundū. Hierusalem enim Hebraicè dicitur, Latinè autem Visio pacis interpretatur. Rectè ergo in visione pacis paradisum dicimus. Antè enim quàm peccaret homo, in visione pacis erat, hoc est, in paradiso, vbi quicquid videbat, pax erat & lætitia. Inde descendēs, id est, humiliatus & miser factus per peccatum, in Hiericho in mundum videlicet; Hiericho enim in qua mūdus ponitur, luna interpretatur. Quia sicut luna oritur & occidit, ita & mundus, cùm in eo orta occidū, & iterū oriuntur. Incidit in latrones, id est, in diabolum & angelos eius: per inobedientiam enim, vt sæpe dictum est, primi hominis, diabolus humanū genus despoliauit, & vulnerauit, morū scilicet ornamētis, & bono possibilitatis liberi arbitrij perdito. In illo enim peccāte plagam fecit, in nos verò plagas, cùm per vnum illius peccatū quod nascentes trahimus, superaddimus multa peccata. Quid est autē, Relicto eo semiuiuo, abierunt? Rectè dictus est semiuiuus; habebat enim vitalem motum, id est, liberum arbitrium vulneratum, quod ei solum ad æternam vitam quam perdiderat, redire non sufficiebat, & ideò semiuiuus dicitur. Iacebat ergo humanū genus vulneratum in mūdo. Sed cur iacebat, dicite, si per se surgere poterat vel sanari, nullius indigens adiutorio? Sed iacebat vulneratus, quia vires ei propriæ ad surgendum, quò ad sanandum se, medicum, id est, Deum requireret, non sufficiebāt. Descendens sacerdos eadem via cùm videret illū, præteriuit. Similiter & Leuita cùm videret eum, pertransiit. In his duobus, id est, sacerdote & Leuita, duo tempora intelligūtur, Legis scilicet & prophetarum. In sacerdote lex, per quam sacerdotiū & sacrificia instituta sunt. In Leuita vaticinium prophetarum, quorum tēporibus omne humanum genus sanari non potuit; quia regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiā in eos qui non peccauerunt in similitudine preuaricationis Adæ, qui est forma futuri, id est, etiā in omnibus sanctis & in paruulis, qui præuaricati non sunt sicut Adam: & tamen propter peccatū preuaricationis, quod nascentes ex eo traxerunt, tanquam chirographo paterno constricti, stipendium peccati moriendo soluerunt. Stipēdium est enim peccati mors. Et quia per legem cognitio peccati, non abolitio. Lex enim iubet vt cognoscat se homo peccatorem esse, quod antea ignorabat, nō peccatū tollit: ideò & Apostolus, Nā concupiscentiam, inquit, nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. Lex itaque nihil ad perfectum adduxit: quia si ex lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia: Sed cōclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi, qui omnia peccata tollit, daretur credentibus. Plenitudo enim legis & prophetarum Christus, qui venit non soluere legem & prophetas, sed implēre. Sacerdote ergo & Leuita prætereuntibus, iter faciēs Samaritanus venit secus eū. Samaritanus iste, ipse est saluator Christus, quia Samaritanus custos interpretatur, cui rectè dicimus, Custodi me Domine vt pupillam oculi, stib vmbra alarum tuarū ptotege me. Quid est autem, venit secus eū? Id est, venit in similitudine carnis peccati, non vt ille qui latebat in carne peccati, sed secus eum, quia in similitudine. Et videṡ eū, misericordia motus est: videns eum, quid? iacentem. Nunquid surgentem & currētem? Et ideò misericordia motus est, quia in eo quo curari dignus esset, meritum nullum inuenit. Et appropiās alligauit vulnera eius. Quid est, alligauit vulnera eius? Sicut scriptum est, Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatū fecit: de peccato scilicet damnauit peccatum in carne. Infundens oleum & vinum, hoc est chrisma sanctum & sanguinem suum. Et imposuit illum in iumentū suū, in adiutoriū videlicet gratiæ incarnationis suæ; quia, sicut scriptū est, Hic peccata nostra portauit, & pro nobis doluit. Et duxit in stabulum, scilicet donans ei fidem ad credendum in se. Duxit in Ecclesiā suā, quæ omnib. ambulantibus in via fidei, tanquā stabulū patet ad succedendū. Et altera die, quasi tempore alio, post resurrectionem vtique & ascensionem suā, protulit duos denarios, duo videlicet vetus & nouum testamenta, in quibus vnum numisma Dei regis est. Et dedit stabulario, Paulo apostolo, qui est vas electionis, cui solicitudo est omnium Ecclesiarum. Et ait, Curam eius habe, id est; quæ ad fidem meam pertinent, quomodo eum oportet ad plenam sanitatem peruenire, doce illum. Et quodcūque supererogaueris, dum rediero reddam tibi. Si quid ergo super Euangeliū meum, tanquam misericordiā meam consecutus vt esses fidelis, ad eius vtilitatem sapueris, cum rediero iudicaturus mundum; & vnicuique redditurus secūdum opera sua, reddam tibi. Quid est autē quod super legē & Euangelium plus Paulus etogauit? Illud quod puto ipse ait ad Corinthios, De virginibus autē præceptum Domini non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino vt sim fidelis; vel illud etiam vbi de coniugibus ait, Nam cæteris ego dico, nō Dominus, &c. Ista interim iā à maioribus Ecclesiæ catholicæ tractatoribus dicta vel exposita sunt: sed tunc à nobis limes fidei sanæ defenditur, quando termini quos posuerunt sancti patres, non transferuntur, imò obseruantur & defensuntur à nobis. Ecce quemadmodum curatur hominis liberum arbitrium vulneratum. A die ergo aduentus sui Dominus, quo venit sanare vulneratum iacētem, vsque ad diem reditus sui, quo iudicaturus est mūdum, stabulario curam habere iubet sibi traditi sauciati: significās quòd à die quo datur homini à Deo per motum misericordiæ eius, nō per meritum quod in vulnerato non inuenitur, vt sanetur, vsque ad diē assumptionis eius, nisi sub cura gratiæ fuerit, ad perfectum peruenire non posse. Sicut stabularius eius Paulus docet, scribēs ad Philippēses, Confidēs hoc ipsum; quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Item Petrus apostolus in Epistola sua prima, Deus autē omnis gratię, inquit, qui vocauit nos in æternam gloriam suam in Christo Iesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidābitque, ipsi gloria & imperium in secula seculorum, amen.

Hierusalem idem quod visio pacis. Hieriho idem quod luna. Allegoricè interpretatur parabola hominis descendentis de Hierusalē in Hiericho. Lu. 10. Rom. 5. 2 Cor. 5. Esa. 53. 2 Cor. 11. 1 Cor. 7. Phil. 1. 1 Pet. 5.

CAPVT IX. Luce 15. al. cortem. QVID etiam aliud ostenditur & in oue illa perdita ex centū ouibus, nisi liberū arbitriū possibilitatis boni vitio primi hominis perdito à iustorum errasse consortio, nec per se ad † cohortem, id est, ad paradisum de quo exiuit, fidelium numero restituū posse reuerti, nisi indebita gratia sua, vtiq. voluntate sua, bonus pastor Christus, qui pro nobis animam suā posuit, de deserto errantē, hoc est, de isto mūdo in quo homo diuini præcepti desertor exulatus est, & errat libero arbitrio in operibus diaboli, humeris suis superimpositum in adiutoriū scilicet fidei & charitatis suę reuocauerit? Hoc enim, vt dixi, ipse Dominus probat, cùm in parabola volens hominem intelligi, ouē dicit errasse, quæ nō spōte redierit, sed à pastore requisita ad ouile propriū eius sit humeris reportata. Vel cùm vulneratum à latronibus, nō proprio gressu, sed iumento superimpositū ad stabulū dicit esse delatum, quòd magister ille gentium gratia fidei illuminātē videns de se præsumentibus dicit: Igitur non volentis, neq. currentis, sed miserentis est Dei. Sed ais mihi: Si nō volentis, neque currentis est inuenire Deū, quomodo scriptū est in Psalmis, Et ex voluntate mea confitebor illi. Et iterum in Apostolo, cùm in figura vasorū de peccatoribus dicit, Si quis ergo emūdauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Dño ad omne opus bonum paratum? Accipe fidei rationem. Alia causa est adhuc non credētis, alia iam credētis. De nō credēte, id est, adhuc Deū ignorāte, vt cognoscat & credat in quo opera bona nulla sunt, dictum est, Non volentis neq. currentis, sed miserentis est Dei: quia in vanitate sensus atque in tenebris obscuratum habens intellectum, liberi arbitrij lumen verum quod illuminat omnem hominē venientē in hunc mundū, videre nō potest, nisi Deus propter suam misericordiam, qui dixit de tenebris lumen splēdescere, illuxerit in corde eius, ad illuminationē sciētiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu, vt ablato velamine, id est, nebula peccati de corde eius, conuerti possit ad Dominum, qui spiritus est. Cùm autem acceperit spiritum Domini, erit in eo libertas ad capessenda Domini præcepta, quia vbi spiritus Dñi, ibi libertas. Habet autem thesaurū istum in vase fictili, in corpore videlicet suo terreno, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex ipso, & ideo nō volentis, neq. currentis, sed miserētis est Dei. Fit hoc etiam multifariè multisque modis, & in his qui iā Deo seruiūt, cùm gratiæ eius miseratione subitò ad ea peruenīunt bona quæ non voluerunt, neq. cucurrerunt. Iā verò credētis, id est, illuminati atq; reparati in libero arbitrio per gratuitam gratiā Saluatoris vox est, Et ex voluntate mea confitebor illi. Sed vt possit eidē confiteri, non in se, sed gloriatur in Domino; cùm dicit; Dominus adiutor meus & protector meus, in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum, & refloruit caro mea: propterea sequitur, Et ex voluntate mea confitebor illi. Sua est vtique omnis volūtas bona, cùm in eo per Christum vt esset bona, de lapsū est reparata. Quapropter quicquid vult bonum, quicquid potest, à Domino est; quia sine me, ait Dominus in Euangelio discipulis suis, nihil potestis facere. Item in eodem Euangelio, id est, secundum Ioannem, Non potest homo à se facere quicquam, nisi datum fuerit illi desuper. Item apostolus Paulus ad Corinthios, Fiduciam autem talem, inquit, habemus per Christum ad Deū, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu. Litera enim occidit, spiritus autem viuificat. ita ergo & illud est quod dicit Apostolus, Si quis ergo emūdauerit se ab istis, erit vas sanctificatum in honorem, & vtile Domino ad omne opus bonum paratū. Cùm enim deliquerit iam redemptus per gratiam baptismi propria voluntate, & in peccatis suis permanens ex hoc migrauerit mūdo, efficitur vas ligneum, quod facilè detrahitur ab igne gehēnæ: aut certè fictile, quod comminui possit virga recta, virga regni Christi, id est iudicio æquitatis eius; quem, sicut dicit Apostolus, benignitas Dei saluandum ad pœnitentiam adduxerit, secundū quod iterum ad Timotheum dicit; Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem; & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem: & cibauerit eum pane lacrymarum, potumque dederit ei in lacrymis & mensura, emundat se ab huiusmodi vasis: quia cum Dei misericordia se præueniente, agit & ipse satis per liberum arbitrium, vt emūdetur. Sola autem voluntate sua si præsumat, mundari non potest, imò nec ex corde pœnitere compellitur, quia Petrum nisi Dominus respexisset, nunquam pœnitentia motus amarè fleuisset. Pœnitentia ergo res est optima & perfecta, quæ defectos reuocat ad perfectum. Sed omne datum optimum; Iacobus inquit apostolus, & omne dōnum perfectum desursum est, descendens à patre luminum, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio. Oportet ergo ea orare pœnitentem, quæ ad eius mundationem expediunt. Quod vt faciat vnde sit audi. Similiter autem ait Paulus apostolus; Et spiritus adiuuat infirmitatē nostram. Nā quid oremus sicut

Rom. 9. 2 Tim. 2. Psal. 27. 2 Tim. 2. Psal. 79. Matth. 28. Iac. 1. Rom. 8.

sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis: id est, spiritus postulare nos facit gemitibus inenarrabilibus.

CAP. X. EST igitur liberum arbitrium, quod quisquis esse negauerit, catholicus nõ est: & quisquis sic esse dixerit, quòd sine Deo bonum opus, id est, quod ad eius sanctum propositum pertinet, nec incipere, nec perficere possit, catholicus est. Quibus enim dicitur in Psalmis, nisi liberum arbitrium habentibus,
Psal. 33. Venite filij, audite me, timorem Dñi docebo vos? Item à Domino in Euangelio discipulis, Omnis qui audit verba mea hęc,
Matth. 7. & faciet ea. Et iterum, Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego
Ioan. 15. mando vobis. Et ab Apostolo Corinthiis, Hoc enim vobis vtile
2 Cor. 8. est, qui nòn solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore; nunc verò & facto perficite, vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi. Et multa alia quæ tã in veteri quàm in nouo testamẽto continẽtur, quæ nimis propter fastidiũ lectionis, longũ est enarrare. Quomodo autẽ vnicuique secundum sua opera redderetur in die iudicij, nisi liberum esset arbitrium? Et ideo non est personarum acceptio apud Deũ.
Rom. 2. Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. In omni itaque opere sancto prior est volũtas Dei, posterior liberi arbitrij, id est, operatur Deus, cooperatur homo. Quòd si dicas, vt dicere consuesti, *Quia ego prior volui, Deus voluit*: iam meritum facis, vt gratia ex operibus iam non sit gratia, sed merces.
Rom. 11. Hoc loco redarguit te Apostolus, dicens, Si autem gratia, iã nõ ex operibus, alioquin gratia iam nõ est gratia. Gratia igitur donatur, nòn redditur; quia si redderetur quasi ex debito, non ab Apostolò non ex operibus diceretur.

CAPVT XI. OMNIS ergo Christianus cui iam donatum est posse per gratiam vt Dei faciat voluntatem, abundare debet in operibus bonis, quia labor eius non erit inanis in Domino: sic tamen vt
1 Cor. 15. non in se, sed semper in Domino glorietur, cuius, vt dixi, gratia eruditur abnegare impietatem & secularia desideria, vt sobriè, iustè & piè viuere possit in hoc seculo; sicut dicit Apostolus
Tit. 2. scribens ad Titum, Apparuit enim gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ Dei magni, & saluatoris nostri Domini Iesu Christi. Nemo sit segnis & remissus ad seruiendum Deo, nec sic de gratia confidat, tanquã Deus liberi arbitrij eius, quod per mortem filij sui reparauit & C sibi præparauit, opera non requirat, imò declinet à malo, & faciat bonum. Vigilet, quærat, petat, pulset, contendat vincere seculum, Deo placere sic, vt dum per mundi pelagus currit, quemadmodum sæpe dictum est, ancoram gratiæ ceruicibus reuinctam fiducia liberi arbitrij non soluat: quia siue in prospero cursu ne extollatur, siue in tempestate tentationum ne mergatur, eius gubernaculo, quoadusque ad portũ paradisi perueniat, poterit permanere securus: & cùm impleuerit cursum, fidenter dicat cum apostolo Paulo, Bonum certamẽ certaui, cursum
2 Tim. 4. consummaui, fidem seruaui. Hæc enim ille cùm diceret, non in
1 Cor. 1. se, sed in Domino gloriabatur. Ipse enim dixit, Vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Quomodo enim potuit bonum certamen certare, cursum consummare, fidem seruare, antè iam dixerat, Non ego autem, sed gratia Dei mẽcum. Amputauit autẽ omnem humanam gloriam, & dedit soli Deo, cùm iterum dicit,
2 Cor. 1. Vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos. Et iterũ, Gratia autẽ Dei sum id quod sum. Rectè namq.
1 Cor. 15. arbitror comparari liberũ arbitrium iumento; vnde & dictum
Comparatio iumenti cum libero arbitrio, sessoris cum gratia. est, Velut iumentum factus sum apud te; gratiam verò sessori: D quia sicut iumentum animal viuacissimum vt dometur ad opus homini necessarium, de armento vagum apprehẽditur, & incipit per curam domantis se ad eius proficere voluntatem; ita
Psal. 72. & liberum arbitrium, quod vulneratum viuit in homine, gratia Dei apprehenditur de armento luxuriæ seculi, in quo sub pastore diabolo vagabatur per incongruas voluntates. Pastorem diabolum dixi secundum Zachariam prophetam, de eo dicentem; O pastor & idolum! Apprehenditur ergo gratia, vt dixi,
Zach. 11. ad domandum liberum arbitrium, vt & malæ conuersationis deposita feritate humilietur, & vt ad obediendum in opus Domino necessarium cortigatur, & ita per eius semper curã incipiat in Dei proficere voluntatem. Sicut enim iumentum illud dum in via dirigitur, sessoris manu regitur, vt iter rectum siue leniter seu cursim, secundum sedentis in se voluntatem possit incedere quoadusque ad locum peruenias destinatum; ita & liberũ arbitrium, dum in via, id est, in Christo, (quia ipse ait, Ego
Ioan. 14. sum via, veritas & vita) cœperit esse, gratiæ regimine regitur, vt in semitis Domini recto corde, siue patientia charitatis, siue ferueute spiritu, id est, secundum diuisiones gratiarum spiritus, 1 Cor. 12.
qui per gratiam diuidit singulis prout vult, possit ambulare quoadusque ad promissum regnum cælorum peruenias: ideò &
Psal. 143. in Psalmis ait, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Et vt illud cùm aliquotiens sub sessore pastum largioribus cibariis incumbens freno, cursu extollitur, sessoris flagello cæditur, vt secundum eius ambulet voluntatem; similiter & liberum arbitrium dum homo gratię Dei immemor in prosperis efficitur, & tanquam de sui possibilitate gloriatus extollitur, eius flagello corripitur, cùm in variis tribulationibus & afflictionibus paululum subiugatur: vt humiliatus homo in sua infirmitate ad gratiæ recurrat auxilium. Sicut ergo homo sedens in iumento, cùm peregerit iter quod incessit, dicit, Feci hodie vtputa triginta miliaria: cum illo sedente, iumẽtum cucurrit triginta miliaria, sed non ea cucurrisset, nisi à sessore tam directum in via, quàm gubernatum fuisset. Rectè ergo sessor quem gratiã figurat, dicit, feci trigintа miliaria. Ipse enim fecit qui iumẽtum facere fecit, & tamẽ vtrisque labor itineris imputatur: ita & gratia & liberum arbitrium peragit sine dubio iter fidei liberũ, dũ B Dei Christianus facit præcepta, sed nõ, vt suprà dixi, sine gratia
Psal. 36. dirigẽte vel gubernãte; propter quod dicitur in Psalmis, Dirige
Ibidem. in conspectu tuo viam meam: & à Domino gressus hominis diriguntur. Itaque nec gratia sine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratia. Et tamen paruulos sine vsu liberi arbitrij facit gratia habere beatam, & perpetuam æternamque vitam. Eos autem qui iam rationis capaces sunt præuenit atque docet, vt bonum velint & possint.
Act. 16. Scriptum est enim in Actibus Apostolorum, Et aperuit Deus cor Lydiæ purpurariæ, vt audiret ea quæ dicebantur à Paulo. Item in Euangelio post resurrectionem de duobus euntibus in
Luc. 24. via, Tunc illis, inquit, aperuit sensum vt intelligerent scripturas.
Psal. 93. & in Psalmis, Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Et in prophera Ezechiele Dominus, Et
Ezech. 36. faciam, ait, vt faciatis voluntatem meam, & in præceptis meis ambuletis.

CAPVT XII. DONO igitur gratiæ Dei patris, & Christi eius sanctique spiritus, iustos qui fuerunt ante legem, vel sub lege, tam electos quàm gubernatos fuisse, ex multis testimoniis accipe pauca in libro Genesis. Noë autem, ait, inuenit gratiam ante Domi-
Gen. 6. num Deum: statimque sequitur, Noë homo iustus & cõsummatus erat in genere suo, & placuit Deo. Nota igitur post inuentam gratiam, Deo donante iustum & consummatum dictum esse & placuisse Deo, non ante gratiam. Saluandum ergo per electionem gratiæ assumpsit eum à consortio iniquorum, quibus iustè iratus inducturus erat diluuium Deus; non actu meritorum, cũ in Adæ præuaricatione natus sit reus: aqua enim diluuij baptismus illi fuit, & arca Ecclesia. Non solùm autem illi fuit, sed & vxori eius & filiis & mulieribus secum in reparationem hominum conseruatis: licet hanc illi salutis fuisse fidem per gratiam habenti præputium, quæ nunc est per Christum in præputio gentium, quia & ille & nos gratia salui facti sumus, vt dicit Apostolus, non ex operibus, ne quis glorie-
Ephes. 2. tur. Item illic Dominus ad Abraham, Noli timere Abraham,
Gen. 15. Ego protegam te, & merces tua magna erit nimis. Protegam
Gen. 12. te, gratia vtique mea: quia priusquam me inuocares, vocaui te vt exires de terra & cognatione tua, & inuocares me. Ideo &
Gen. 18. ipse Abraham ad Dominum, cùm ei apparuisset ad ilicem Mambre, Domine, ait, si inueni gratiam ante te, ne transeas D puerum tuum: & c. Per gratiam ergo quæ non est ex operibus, dictum est ei, Merces tua magna erit nimis; quia nemo prior
Rom. 11. dedit Deo, & retribuetur ei. Quod confirmat Apostolus dicẽs,
Rom. 4. Quid ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secũdum carnem? Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Itẽ in Genesi de Ioseph cùm
Gen. 39. venditus esset Phutiphar spadoni, Vidit autem dominus eius, inquit, quòd esset Dominus cum eo, & quia quæcunque faciebat, Dñs prosperabat in manibus eius, & inuenit Ioseph gratiam ante dominum suum. Non ex se habuit, sed inuenit, Domino vtique donante, qui erat cũ eo, & prosperabat opera eius,
Gen. 41. & somniorum interpretationem ei donauerat. Item cùm missus esset in carcerẽ, ait scriptura, Et erat Dominus cum Ioseph, & perfudit eum misericordia, & dedit ei gratiam ante principem carceris. De qua gratia non in se gloriabatur, sed in Dño, cuius donum esse sciebat, cùm dicit Pharaoni de interpretando somnio eius, Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni. Itẽ in
Exo. 21. Exodo, Dominus autẽ dedit gratiam populo coram Ægyptiis, & accom-

modo dauerunt illis, & prædati sunt Ægyptios. Quomodo enim eis dedissent quos odio habebant, vasa sua aurea & argentea, vel vestem, nisi donum gratiæ fuisset? Item in eodem
Exod. 33. libro Moyses ad Dominum, Ecce tu mihi dicis, inquit, Deduc populum hunc, tu autem non demonstrasti mihi quem simul dimittas mecum: & dixisti mihi, Scio te præ omnibus, & gratiam habes apud me: nunc ergo si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè vt videam te, & sim inueniens gratiam ante te, vt sciam quia populus tuus & gens hæc habeat gratiam apud Deum; sed ex Deo, non ex se: Denique cùm dicit, Si inueni gratiam in conspectu tuo, inuenisse se, non habuisse gloriatur. Et cùm dicit, Ostende mihi temetipsum manifestè, vt videã te, vt sim inueniens gratiam ante te: quid aliud indicat, nisi vt dum te video manifestè, cognoscam non mei fuisse meriti, sed dono gratiæ tuæ? ideo & ait, vt sim inueniens gratiam ante te. Item post pusillũ ait ad Dominum, Nisi & ipse exeas nobiscum; ne me educas hinc; & quomodo scietur verè, quia inueni gratiam apud te ego & populus tuus, nisi tu pariter nobiscum fueris, & gloriabimur ego & populus tuus præ omnibus gentibus quæ sunt super terrã? Quoniam non in nobis, sed in te, à quo accepimus gratiam gloriandi. Item Dominus ad Moysen, Et hoc verbum tibi quod dixisti faciam: Inuenisti enim gratiam in conspectu meo, & scio B te præ omnibus. Sed ideo faciam, quia miserante me inuenisti gratiam meam, non ex Adam peccante natus habuisti tuam.
Iosue 1. Nam & cùm dicit Dominus ad Iesum filium Naue, Sicut eram cum Moyse, sic ero & tecum, & non derelinquam te, neque desiciam te: quid aliud dicit, nisi, vt ait Moysi, Inuenisti gratiam in conspectu meo, & scio te præ omnibus? Nõ enim Moysi locum accepisset, nisi vt ille ante Deum gratiam inuenisset.
Iud. 6. Item in libro Iudicum, Dixit angelus Domini ad Gedeon; Quoniam Dominus est tecum, & percuties Madian tanquam virum vnum. Et dixit ad eum Gedeon, Si inueni gratiam ante oculos tuos, vt facias secundum ea quæ loqueris mihi, & c. Id est, quoniam me idoneum non agnosco implere quæ promittis, & vidisse te, nõ fuit meritorum meorum, nisi esset donũ Dei. ideo & ait, Si inueni gratiam ante oculos tuos. Dono enim Dei eum vidisse angelum; vox diuina confirmat, cùm patien- C tem & trementem consolatur dicens, Pax tibi sit; ne timeas, non morieris: id est, vt videres angelum, gratiæ meæ fuit; quapropter in pace vites, & facies quæ tibi annunciaui. Item in
2 Reg. 15. Regnorum libro, Et dixit rex Dauid ad Sadoch sacerdotem, Circumage arcam Domini in ciuitatem: Si inuenero gratiam ante Dominum, reducet me, & videbo eam & decorem eius: id est, Non enim confido in virtute mea liberare me, sed in gratia Dei, quam donare in eius est potestate. ideo & ait, Si inuenero gratiam ante Dominum, quod confirmat in Psalmis ipse dicens,
Psal. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Quid enim euidentius de gratia & operibus dici potuit, vel probari, quàm quod dictum est Hieremiæ prophetæ? Aut si nomen eius in eodem loco iterum
Hier. 17. cuit, nunquid non gratia sua gratuita hoc operatus est Deus in illo, cùm ei dicit, Priusquam te formarem in vtero, noui te; & priusquam exires de vulua, sanctificaui te, & prophetam in gentibus posui te? Planè manifestat gratiæ donum, & non ex operibus. Quæ enim erant eius opera necdum formati in vtero, necdum nati ex vtero? Igitur non ex operibus, sed ex vocãte dictum est ei, Priusquam te formarem in vtero noui te, & priusquam exires de vulua sanctificaui te, & prophetam in gentibus posui te. Ecce verè non volentis neque currentis, sed miserentis
Baruch 1. est Dei. Item in Hieremia, Et det, ait Dominus, virtutem nobis, & illuminet oculos nostros, vt viuamus sub vmbra Nabuchodonosor regis Babylonis, & sub vmbra Balthasar filij eius, & seruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conspectu eorum; quia peccatis scilicet nostris, pro quibus traditi sumus in manus eorum, requiem inuenire non meremur, donec inueniamus gratiam per quam veniam possimus accipere. Ideo item subsequens dicit, Exaudi Domine orationem nostrã & deprecationem nostram, & eripe nos propter te, & da nobis gratiam ante faciem eorum qui nos abduxerunt. Eripe nos, ait, propter te, & da nobis gratiam: id est, quia potestas & misericordia tibi est, & iustè humiliasti nos, ob hoc gratiã vt dones pe-
Prou. 10. secundum 70. timus propter te, non propter nos, quos in captiuitatem malis præcedentibus meritis tradidisti. Item in Salomone, Labia, in-
Prou. 12. quit, iustorum distillant gratiam: hoc est dono gratiæ grata & iusta loquuntur. Non enim distillarent gratiam, nisi fonte gratię rigarentur. Item illic, Qui diligit disciplinam, diligit sensum: qui autem odit increpationes, insipiens est. Melior qui inuenit gra-

tiam ante Dominum. Quia videlicet diligere disciplinam, & A obedire increpanti se propter Dominũ, per se solum nõ potest, nisi dono gratiæ fuerit eruditus: ideò iterum ipse dicit, Cor viri
Prou. 16. cogitat rectum; vt à Deo corrigantur gressus eius. Cogitat enim iam recta, qui inuenit gratiã ante Dominum; & corrigit gressus eius Dñs, cùm in eo & non in se cõfidens dicit, Perfice gressus
Psal. 16. meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Item in libro Sapientiæ; Quoniam gratia Dei, ait, est in sanctis illius.
Sap. 4. Ecce generaliter dictum, neminẽ sanctorũ sine gratia Dei fuisse vel esse, sed vt in eis sit ad confirmandos eos, acceperunt gratis per fidem quæ à Deo est; non habuerunt ante fidem: quia, vt ait
Psal. 53. Dauid, Pro nihilo saluos faciet eos. Item in libro Tobiæ; Ego
Tob. 1. autem, ait, custodiui animam meam, ne manducarẽ de esculis eorum. Et quoniam memor fui Dei in toto corde meo, dedit mihi summus Deus gratiam ante Salmanasar regẽ, & elmebã illi omnia, iens in regionem Mediã, vsque dũ mortuus est. Quod verò præposuit dicens, Quoniã memor eram Dei in toto corde meo: he proprium esse videretur & non donum; quòd memor esset Dei, continuò subiungens ait; Dedit mihi summus Deus gratiam vt confirmaret eius dono, non merito suo; Dei memorem fuisse, & locum dilectionis ante regem Salmanasar inuenisse;
Prou. 8. secũdum 70. B Præparatur enim voluntas à Domino, à quo omne datum op-
Iacobi 1. timum, & omne donum perfectum est, vt omne os obstruatur,
Rom. 3. & subditus fiat omnis mundus Deo, quia ex operibus non iustificabitur omnis caro coram illo: quia iustitia Dei præuentu misericordiæ per fidem Iesu apparuit super omnes qui crediderunt. Ideo & subiungens, inquit, idem Apostolus, Iustifica-
Rom. 5. ti gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sangunine ipsius, & c. Ecce audisti, iustificati gratis per gratiam Dei. Nolli ei præponere opera propria, nec ex eisdem gloriari,
Rom. 3. quia, vt iam superius dictum est, ex operibus non iustificabitur omnis caro coram illo.

CAPVT XIII. ERGO, inquies, *damnas opera liberi arbitrij bona, quia dicis iustitiam ex operibus non deberi. Si ita est, cur nobis præcipit Apostolus abundare operibus bonis, quia labor noster non erit inanis in Domino?* Audi hæretice stulte, & inimice fidei veritatis. O
Quæ opera reprehendantur à iustificatione. pera liberi arbitrij bona, quæ vt fiant præparantur per gratiæ
1 Cor. 15. præuentum; nullo liberi arbitrij merito, sed ipsa faciente, gubernante & perficiente vt abundent in libero arbitrio, non damnamus; quia ex his vel huiusmodi homines Dei iustificati sunt, iustificantur, iustificabuntur in Christo. Damnamus verò authoritate diuina opera liberi arbitrij, quæ gratiæ præponuntur, & ex his tanquam meritis, in Christo iustificari extol-
Rom. 11. luntur. Quis enim prior dedit ei, & retribuetur illi? Paulus hoc dicit non à se, sed in se Christo loquente: Sed Pelagius non ce-dit. Dic hæretice, cui est dicẽdum anathema? Imò dicat Paulus ore suo, proferente Christo sententiã, Sed licet nos, aut angelus,
Gal. 1. ait, de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit; sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis; anathema sit. Ille in spiritu Dei dicit extollentibus se de se, Quis
Rom. 11. prior dedit illi, & retribuetur? Tu in sapiẽtia carnis, quę inimica
Rom. 8. est Deo, respondes, Ego prior dedi Deo, & retribuit mihi. Quid deinde testat vt audias, nisi anathema? Sed clamas iterum & dicis, *Si nullum est meritum operantis, quomodo scriptum est, Et tu reddes vnicuique secundum opera sua?* Ausculta & intelli-
Matth. 16. Rom. 2. D ge, si tamen aures habes audiendi, & cor non sit induratum intelligendi. Propter liberum arbitrium quo bona & mala operantur homines, dictum est, vnicuique reddi secundũ opera sua: habet enim homo malum meritũ, cùm vitio suo iam baptizatus declinat à bono, & facit malum, id est, cùm derelinquit Deum, & diligit seculum, sicut fecisse Demam & Hermogenem testa-
2 Tim. 4. tur Apostolus. Vel cùm etiam quis totam spem habens in vanis simulacris, Deũ verum agnoscere non vult, quem cognoscendi in hoc seculo habet potestatem, si velit summus Deus, tam per indebitam gratiam qua iustificat impium, saluare, quàm etiam cùm se auertit, iudicio iusto traditum in reprobum sensum, futuro gehennæ supplicio reseruare, vt reddat ei secundum opera sua. Habet nihilominus & bonum meritum, cùm in omnibus gratiæ Dei bona in se operanti non resistit, sed cooperator existit, & omnem spem suam habet in illo, cùm autem suam & cor Deo loquenti intus, hoc est in interiore homine præbet, & non foris in malis seculo petstrepenti, quod meritum nõ habet propter præsentem vitam, tanquã in præsenti seculo recepturus; sed propter futuram veram vitam, quæ erit in secula seculorum: quia si in hac vita tantum in Christo speramus, miserabiliores sumus

1 Cor. 15. Rom. 8. sumus omnibus hominibus: Spes enim quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? si autem quod nõ videmus, speramus, per patientiam expectamus. Quapropter de meritis Christianus extolli in hoc seculo non debet, quia nemo in hac vita positus, gloriabitur se habere purum cor, nec quisquam dicit se esse sine peccato. In præsenti nãque labor indictus est, vt fiant merita per auxilium gratiæ, non præmissorum reddito meritorum: ideò & Apostolus, Non quod iam, inquit, acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si comprehendã, in quo & cõprehensus sum à Christo Iesu: & cætera. Quicquid ergo homo in præsenti fuerit consecutus, donum est, non Phil. 3. meritum. Cùm autem corruptibile hoc induerit incorruptelam, & mortale hoc induerit immortalitatem, vbi iã nulla erit malorũ cupiditas, sed perfecta iustitia, vt sit Deus omnia in omnibus; tunc meritum reddetur iustis secundum opera sua, quorũ per totam seculi vitam meritum omne fuit gratia, vt gaudentes 1 Cor. 15. iam, meritò dicant animæ suæ, Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum eius. Benedic anima Psal. 102. mea Dominũ, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miseratione & misericordia. Audis Pelagiane, in miseratione & misericordia; & cæcus extolleris pro meritis solarum virium tuarum te coronandum? Intellige miseratione & misericordia Dei, non in factione meritorum, animam coronari.

CAPVT XIXI. OMNES igitur sancti Dei, quos superius memoraui, vel nõ memoraui, quiante aduentum fuere incarnationis Domini nostri Iesu Christi, fide non alia nisi quæ nunc est, salui facti sunt. Hebr. 11. Quod cùm diceret Apostolus in Epistola ad Hebræos, Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit Gen. 4. Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Enoch translatus est ne videret mortem, Gen. 5. & non inueniebatur quia transtulit illum Deus; ante translationem enim testimoniũ habebat placuisse Deo: sine fide autem, ait, impossibile est placere Deo: sic & de cæteris, quos electionis ordo commemorat, sed non solũ fide, imò & gratia, quæ nunc per Christũ donata est: quia nec fides sine gratia, nec gratia sine fide, dicente Apostolo ad Timotheum, Superabundauit autem gratia Domini nostri cùm fide & dilectione quæ est 1 Tim. 1. in Christo Iesu. Nam eandem, vt dixi, esse fidem quæ salutem contulit in cognoscendo Deum, & illis & nobis, apertissimè demõstrat Apostolus, scribẽs ad Galatas, Prius autẽ, ait, quàm Gal. 3. veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat. In eam vtique, quæ semper temporibus tacitis erat in Dei seruis per Dei verbum, & reuelanda erat in gẽtibus per incarnatum idem verbum, quia, vt ait iterum Apostolus ad Hebræos, Iesus Christus heri & hodie, & ipse in secula. Hebr. 13. Tempora itaque mutata sunt, non fides. Iustificatio ergo per fidem Iesu Christi data est, datur, & dabitur credentibus; quæ fides donũ est sicut & gratia, non merces: quia, vt superius cõmemoraui dixisse Apostolum, Superabundauit gratia Domini nostri Iesu Christi cum fide. In quo enim nostrũ fides prius quàm 1 Tim. 1. veniret erat, quæ, sicut dixit Apostolus, reuelanda erat? Nemo penitùs glorietur se fidẽ ex proprio sensu genuisse in se, per quã possit credere Deo; sed agnoscat tam ante legem quàm sub lege & post legem, fidem quæ est in Christo Iesu, per illuminationẽ gratiæ, quæ à Deo patre est, vnicuique reuelatam ad salutem, vt apertissimè in Euangelio Dominus noster & saluator ostendit, vbi dicit discipulis suis, Quem dicunt homines esse filium Matth. 16. hominis? & cætera. Vos autem, inquit, quem me esse dicitis? Respondens Petrus ait, Tu es Christus filius Dei viui. Et Dominus, Beatus es Simon Bar-Iona, quia non caro & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis. Ecce clarũ fidei donũ. An non est donum cùm dicitur, quia non caro & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cælis? Item apostolus Paulus Gal. 1. ad Galatas, Cùm autem placuit, ait, ei qui me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filiũ suum in me, vt euangelizarem eum in gentibus. Cognouerat quippe in Euangelio quid Petro responderit Dominus se confitenti: ideò & dixit, Cùm autem placuit ei qui me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me: tanquam diceret, Non caro & sanguis mihi filium Dei reuelauit, sed pater qui in cælis est: ideo non dixit, eùm voluissem ego, sed, cũ placuit ei qui me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit; nõ per meritum meum, sed per gratiam suam:

A vnde & idẽ dicit in alia Epistola sua, Misericordiam consecutus 1 Cor. 7. sum, vt essem fidelis. Itẽ ad Ephesios, vbi dicit, Huius rei gratia Eph. 3. ego Paulus vinctus Christi Iesu pro vobis gentibus: & inter cætera sequentia, Per Euangelium, ait, cuius factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi. Audi & crede Pelagiane secundum donum gratię vnumquemque fidelẽ esse, non secundum meritum propriæ voluntatis.

SED ais mihi, quia oculis hæretico dolore turbatis intendere CAPVT lumen veritatis non potes. *Ergo nullum est prorsus meritum propriæ voluntatis, si discernas inter voluntatem & gratiam?* Audi XV. ergo breuiter, propriæ voluntatis tunc est meritum bonum, quando gratiæ donum præcedit vniuscuiusq. voluntatem, & operatur vt meritum faciat homo per propriam voluntatem. Vt euidentius ergo cognoscas donum esse gratiam & fidem, quæ perditum hominem reuocant ad salutem, audi Apostolum Ephesiis prædicantem, Gratia salui facti estis per fidem, & hoc Eph. 2. non ex vobis; Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Omnes igitur qui fuere, vel sumus, & futuri sunt, per vnicam fidem & gratiam quæ est in Christo Iesu, in Deum credi-
B dertunt, credimus & credituri sunt, salutem receperunt, recepimus & recepturi sumus. Sine Christo enim nemo hominum potest in Deũ credere vel adipisci salutẽ; sicut dicit in Actibus Act. 4. apostolorum Petrus apostolus de Christo, increpãs infidelium insaniã Iudæorũ, Hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificãtibus, qui factus est in caput anguli, & nõ est in alio aliquo salus. Nec enim nomẽ aliud est sub cælo datũ hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Quamobrẽ & apostolus Paulus scribens Corinthiis, id est ostendens eandem fidem, iisdem sacramentis, quibus & nos & patres nostros omnes fuisse redemptos dicit, Nolo enim vos ignorare fratres, ait, quoniam patres no- 1 Cor. 10. stri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse, hoc est per Moysen baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Biberunt autem de spiritali, consequente eos petra; petra autẽ erat Christus. Item ad Corinthios secunda, Habentes autem eundem 2 Cor. 4. spiritum fidei, sicut scriptũ est, Credidi, propter quod locutus Psal. 115. sum: & nos credimus propter quod & loquimur. Omnem verò amputauit imperitorum suspicionem ancipitem, & nostram
C definitionem nullo hæreticorum ariete quassandam muro vallauit, cùm scribit Ephesiis, Vnum corpus & vnus spiritus, sicut Eph. 4. vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui super omnes & per omnia & in omnibus nobis. Item illic post pusillum, Donec occurramus, ait, omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Nota dictum hæretice, omnes, & in vnitatem fidei, sed fidei quæ est in Christo Iesu, quæ cũ gratia, vt superiùs probauimus, gratis, nõ meritis à Deo patre ad salutem omnibus credentibus est tributa. Hæc magisterio gratiæ quæ est in Christo Iesu Domino nostro, de gratia & libero arbitrio dicta sufficiant. Imò gratias Deo qui quantum voluit donando, quod voluit fari permisit; & vbi voluit tacendũ, linguæ terminũ posuit.

Finis libri tertij.

HYPOGNOSTICON
CONTRA PELAGIANOS ET CELESTIANOS LIBER QVARTVS.

D ITEM aiunt *libidinem naturale in homine esse bonum, nec in ea esse quod pudeat*. Et respondemus: Libido CAP. I. *Refellit articulũ quartũ.* non est naturale bonum in hominibus, sed per peccatum primorum hominum accidens malum, atque pudendum, cuius non Deus author est, sed diabolus. Quod vos errantes, & alios in errorem mittentes ideò naturale bonum esse dicitis, quia Deum pestis huius authorem creditis, non diabolum. Omne enim, quod natura bonum est, Deus summè bonus ex nihilo fecit, nõ diabolus: nos autẽ libidinẽ non naturale bonum, sed naturale esse malum dicimus credimusq. Naturale autẽ malũ sic dicimus, nõ quia sit naturæ Deo opifice congenitũ, sed quòd à peccante natura transierit in peccatricẽ naturã, id est, quòd sit naturæ peccantis vitiũ, nõ ipsa natura. Omne enim malũ nõ est natura, sed actus accidẽs defectu boni. Quamobrẽ quod natura nõ est, Deus non fecit, quia natura est omne quod fecit. Hoc ergo malo in Adam, qui malè bonum illicitum concupiuit, vt dixi, humana natura est vitiata, quod

quod omnis trahit ex semine natus. Sed forsitan queris à me dicens, *Quemadmodum potuit malum serpentis, hoc est diaboli, in bonum hominis transire naturæ?* Auscultа: Serpentis nonnunquã venenato flatu hominem & mori nouimus statim, & vt mori possit grauiter perurgeri: quapropter interrogo, responde, quomodo potest alienæ naturæ virus flatile humanæ sic præualere naturæ, vt omnes artus eius flatu mortifero farciat, & vitalem flatum ex ea cogat exire? Sed noui, quia nihil dicturus eris: Per peccatum enim protoplasti non credis miseram esse factam humanam naturam & mortalem, vnde potest qualibet accidente infirmitate facilè deprimi vel occidi. Audi ergo. Sicut nunc in peccatore serpentis flatu pestifero venenum infligitur, & per illum mori compellitur, & à Marso, id est, incantatore inspectus afflatitius dicitur, quia serpens illum, inquit, afflauit, & statim pro salute eius parat antidotum quo possit venenum tuperare: ita tunc in peccante Adam, cùm serpenti, hoc est diabolo magis suadenti, quàm Deo præmonẽti ne faceret, sese incautus præbuisset; auertente se ab illo irato Deo, fraudifero flatu venenosa & mortifera libido inflicta est, tanto eũ deinceps opprimens dominatu, vt etiam peccare nolentem, sicut venenum
B trahit ad mortem: peccare, id est malum velle, incitaret inuitũ. Hinc peccator, hinc vitiatus vitiosusque factus & dictus est, hinc priuationem meruit vitæ. Contra hoc venenum malum ne præualeat, misericordia inspiciente Dei, remediũ, id est antidotum, per Iesum Christum donata est gratia, ne omnis homo penitùs interiret. Quod si nõ credere vis, quæso vt dicas, quomodo potest molli sibilo serpẽs venenum vt perimat, homini propinare, quod contingere hominum nullus ignorat? Sed quantumlibet tergiuersens, intercedente peccato sub diaboli serpẽtis malo natura humana potuit captiuari, sicut serpentis terreni potest flatili veneno exanimari: quia sic illud potuisse transire credimus, sicut istud posse fieri cognoscimus & videmus; quod penitùs nec illic potuisset, nec hic, si natura nostra inculpabilis permansisset.

CAPVT II. QVÆRENDVM est igitur, cur hoc malum, de quo agitur, libido dicatur. Sine dubio à libendo, id est à libitu per deriuationem libido est nuncupata. Sed ais mihi, *Ergo omne quod libet libido est?* Respondeo, Non omne quod libet, libido est; sed omne quod malè libet, libido est. In bono enim libitu libido dici non potest, sed voluntas de ratione scilicet mentis naturalis exoriens. In malo verò libitu non voluntas est, sed voluptas,
C quam fecit transgrediens protoplasti voluntas: cùm scilicet illicitum malè libuit suadente serpente, cuius sibilo venenoso, vt suprà iam dixi, hunc morbum quem non habuit ante culpam eius delinquens natura concepit, & per coitum semen transiuit in posteros. Factos enim primos homines absque libidinis malo, Scriptura sancta testatur, cùm dicit, Et erant ambo nudi, Adam & mulier eius, & non confundebantur. Quid est, nõ confundebantur? Id est nullis ad peccandum, sicut contigit post peccatum, libidinis stimulis vrgebantur. In voluntate enim eorum creatus erat licitus genitalium vsus ad gignendos videlicet filios, non in voluptate luxuriæ; post peccatum verò hanc eisdẽ accidisse ipsa item Scriptura demonstrat, dicens, Et aperti sunt oculi eorum, & sciuerunt quia nudi erant, & consuerunt folia fici, & fecerunt sibi tegumenta. Sed nunquid clausis oculis erãt creati, quia dictum est, & aperti sunt oculi eorum? Quòd si clausi fuerunt oculi eorum, quomodo verum erit quod scriptũ est, Et vidit mulier, quia bonum est lignum ad escam, & quia optimum est videri oculis, & speciosum ad intuendum? Aperti ergo erant oculi eorum ad intuendum opera Domini, quæ valde bona creauit; clausi verò erant ignorantia mali, quod creator bonorum omnium non creauit. Et aperti sunt conscientia delicti pulsante, vel cùm in se viderent, id est, sentirent iam nudati animæ carnisque pace, motum quendam turpissimum atque præcipitem nouiter accidisse, vnde confusi ad fici folia cucurrerunt, & his libidinis pudore solicitata membra texerunt. Quòd si naturale bonum est secundum vos ista libido, & nihil est in ea quod pudeat, quæro qua ex causa post transgressionem naturalia membra texerunt, & non sicut ante peccatum fuerant permanserunt, quando vtique nudi erant, & non confundebantur? Nihil enim Deus vnde confunderetur homo cùm eum plasmaret ad suam imaginem, in eius forma creauit. Quòd si non secundũ fidem nostram de accidentis malo libidinis post peccatum confusi sunt; secundum dogma vestrum Deus in eis fecit vnde confunderẽtur: nec enim aliud dicitis, cùm turpissimæ libidinis Deum esse authorem prædicatis.

CAPVT III. SED respondes forsitan, *Absit vt Deus fecerit quempiam in*

A *protoplastis pudorem*. Iterum ergo, iterumq. percontor: Si nihil vnde pudeat, Deus fecit, & plena fide dicitur, quia penitùs non fecit, & malũ libidinis ex diabolo non est, quod recta fide nõ dicitur, quia ex ipso est; dicite, Cur texerunt genitalia mẽbra post culpam, quæ à die institutionis suæ inuicem videbant & nõ tegebant? Si dixeris, propter peccatũ, ergo confitere & accusa malam libidinẽ, cuius impudentiam pudentes foliis fici texerunt. Quod si dicere nequis, apertè Deum pudoris huius authorem esse criminaris; quia cùm ex malo libidinis à vobis negatur cõfusio contigisse, Deus apertissimè hominũ opifex accusatur. Sed vtinam sic vos istam libidinẽ laudare erubescetis, sicuti tũc illi cùm se peccasse eius conuincente motu deprehẽderent, erubuerũt. Quid verò indicãt folia fici, quibus, vt dixi, nõ Deo authore pudenda mẽbra, sed per peccatũ facta texerũt, nisi quendam pruritum libidinis tũpẽ? Imò cur illas corporis partes texerũt; & nõ potius manus quibus prohibita attrectauerũt, aut ora quibus malè desiderata ederunt? Sed illa membra texerũt, in quibus peccati cupiditas exardescens concupiscẽtiam incõtinentis gutturis accusabat. Ista est vestra laudabilis atq. dilecta cupido, per quam, vt ait Apostolus, caro concupiscit aduersus spiritum; Gal. 5.
B cõtra quam spiritus spem habens in Deo, nisi fortiter concupiscat, nec caro nec spiritus vitã possidebũt æternã. Sic stulti estis; 2 Cor. 15. vt istam discordiã carnis & spiritus, diabolũ excusantes, Deum accusantes, fecisse credatis. Sed absit absit hoc malũ à catholicis sensib', vt Deũ authorẽ libidinis esse audeãt cogitare vel dicere.

CONTRA hoc venenum de gratiæ antidoto confidentes, CAPVT omnes sancti castigantes corpus suum, & in seruitutem redigẽ- IIII. tes, ne fortè à fide Christi reprobi efficerẽtur, fortiter pugnauerunt & pugnant. De hac enim congressione loquebatur apostolus Paulus, cùm dixit; Ego igitur sic cursro, non quasi in incer- 1 Cor. 9. tum, sic pugno non quasi aërem verberans: & tanquam econtrariò responderetur ei, quis est, vel vbi est aduersarius tuus, cõtra quem pugnas: respondens ait, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: id est, in corpore meo est, non in aëre contra quem pugno: libido est scilicet inimica vitæ meæ, quæ me currentem & placere Deo per ducatum gratiæ eius volentẽ, diuersorum libitu malorum per momenta aculeis impugnat & prouocat, quo agonis mei cursum impediens, authorem suum diabolum faciat esse victorẽ. Ideo castigo corpus meum, vbi portò hostẽ meum in me, pugnanti cõtra me virtute gratiæ cõfortatus repugno pro me. Sed tunc hostis potentiam destruo, cùm castigans corpus meum infirmor in me: Cùm enim infirmor, tunc 1 Cor. 12. fortior sum & potens. Gratias autẽ Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominũ nostrũ Iesum Christũ. Quòd si nõ propterea castigabat corpus suum, quo malarũ concupiscentiarũ appetitus vel stimulos superaret libidinum, cur hoc se facere dicebat, illo melius sapientes & docentes exponite. Non enim naturale esse bonum libidinẽ prædicaretis, si castitatis virtutem intuentes, vt Paulus, corpora vestra castigaretis; imò impudenti fronte lasciuientes, eius motũ sic procaci lingua laudatis in publico, vt cunctis pateat quid à vobis geratur in secreto: si tamen quod laudare publicè non pudet, eligat vel secretum. Rogo erubescite, vnde protoplasti, vt iam dictum est, post peccatum erubuerunt; quorum & ipsi peccatores sumus filij, & credite malum ex diabolo, non bonum ex Deo esse libidinem. Quam Apostolus le- Rom. 7. gem, hoc est, malam consuetudinem nominat, & esse dicit in membris contrariam legi mentis, ne obediatur legi Dei.

AVDITE ergo quanta sit iniquitas huius mali, quídue hinc CAP. V. homo patiatur infirmus, Apostolo dicente & disputante inter cætera: Nam concupiscentiam, inquit, nesciebam, nisi lex dice- Ibidem.
D ret, Non concupisces. Non dixit, Concupiscẽtiam non habebã; Exod. 20. sed, nesciebam quid? vtrum malum esset. Habebã igitur, sed tãquam naturale bonũ esse credebã. cùm autẽ lex diceret, Nõ cõcupisces: cognoui non naturale bonum, sed per peccatum accidens esse malum cõcupiscentiam. Occasione autẽ accepta, peccatum per mandatũ operatum est in me omnẽ cõcupiscentiam. Cùm ergo sperarem, quòd viribus propriis iubente lege possem concupiscentiam vincere, maioribus magis eius vrgebar stimulis, & infirmante me, eius cupiditas augebatur. Sine lege enim peccatũ mortuum erat. Quod peccatũ? Libido vtique, quæ & concupiscentia mala dicitur. Non dixit, non erat; sed, mortuum erat: id est, cùm præceptum legis, quod est ei contrarium, adhuc non esset, in peccatore latebat, quia legis imperio demõstratum est. Ego autem sine lege viuebam aliquando; priùs quam scirem legis mandatum, in operibus totius cupiditatis me viuere arbitrabar. Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit, ego autẽ mortuus sum. Vixit enim intentione mortifera prima lege, id est, quando

quando in paradiso captiuauit Adam; & reuixit eadem fallacia secunda lege, & occidit me tanquam captiuum filium trãsgressoris: quia per legem cognitio peccati, nõ victoria de peccato. Et inuentum est mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Optimè dixir, inuentum est mihi, id est, non mãdatum Deus ad mortem dedit, sed visum est mihi tanquam mortiferũ, eo quòd illud virtute propria implere non possem: cùm ego nõ mandati vitio, sed stimulo concupiscentiæ mortis percussus moriar. Stimulus enim mortis peccatum. Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit. Videns peccatum, quod est, vt sæpe dictum est, cupiditas vnde libido exorta est, de legis authoritate nihil me valete contra se: sicut Adam, interiecto mandato ad præuaricandum, de quo vitium peccandi contraxi, seduxit & me, tanquam denuo dicens,

Genes. 3. Non morte morieris, si de ligno manducaueris interdicto, imò aperientur oculi tui, & eris sicut dij, sciens bonum & malum. Ideo & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, & mandatũ sanctum & iustum & bonum. Nõ igitur imputo legi Dei, quòd vitio meo factus infirmus, præceptum eius implere nequeo: quę etsi iubendo non iuuat, tamẽ sua sanctitate & iustitia malũ esse concupiscentiam, quod nesciebam, ostendit: quia peccatum, ait, non cognoui, nisi per legem: & docuit ad superandos eius illicitos appetitus, cùm in me deficio, debere diuinum auxilium implorare. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Nunquid enim mandatum bonum, quod contra mortis opera datum est, in mortem mihi est commutatum? Absit. Ego videlicet quòd morior, non mandati boni vitio morior, sed mandato bono vitio meo transgresso. Sed peccatum vt appareat peccatũ, per bonum mihi operatum est mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Vt ergo concupiscentię malũ quæ radix est omnium malorum, cognoscatur malum, per mandatum bonum præualuit in me magis, non defecit, quia lex subintrauit vt abundaret delictum. Mortem ergo mihi operatum est delictum, cùm ex delicto, id est, ex concupiscentia mala, infirmante me virtute propria ad obediendum legi, delicta creuerunt. Et factum est supra modum peccans peccatum per mãdatum, cùm per legem, vt dixi, non defecit, sed magis immoderatis cupiditatibus creuit: quia virtus peccati lex est, prohibendo, & non auxiliando. Scimus enim quòd lex spiritalis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato. Spiritu igitur Dei tã docente quàm iuuante, quo lex data est, non solum voluntate carnalis legis possunt impleri præcepta, quia per legem vitia mea tantum agnosco, non aufero. Frustra de carnis infirmitate præsumo, hostem meũ cui Dei iudicio iusto sum traditus propter peccatum, cui me voluntas vendidit protoplasti, solus superare non valeo. Iubet Deus, imò faciat, vt fiat quod iubet. Venundatus sum sub peccato iuxta suam sententiam; qua me peccantem damnauit; me misericordia mutare dignetur. Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum; ipse me comporem suæ faciat legis, vt spiritus virtute præcinctus, perfectæ legis tuba gratia præcedente, possim inimicum in corpore superare. Quod enim operor non intelligo; quod mala videlicet concupisco, non ea vt veniant quæro vel opto, quia natura non tali sum institutus: sed hoc malum quod est per noxam vitiata natura, authorem præbeo legi, caliginosis subitò ac prauis desideriis conturbor illectus. Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Legis mandato de propriæ voluntatis conatu parere volo, & nõ valeo. Peccato verò dum resisto, consentire delector. Si autem quod nolo illud facio, consentio legi quoniam bona est. Cùm ergo volo, vt nullum concupiscentiæ malum cõcipiam appetitu, & magis hoc facio; magnum verè malum esse concupiscentiam in membris meis agnosco, quæ me peccare cum quadam delectatione sollicitat; legi consentio, id est, credo, & per ipsam agnosco, quia cum sua bonitate mihi dicit, Non concupisces:

Rom. 7. venenum mortis in concupiscentia esse designat. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Igitur hoc malum quod discordare facit corpus & spiritum, vt sit in me, non ego opto vel facio, qui illud demonstrante lege, ex quã malum esse cognoui; ne sit in me, consentire legi contendo. Sed dum de meo velle & posse id superare non valeo, idem peccatum, quod in me inflictum est per peccatum, manens in me, ea quæ nolo operatur aduersum me. Scio enim quia nõ habitat in me, hoc est in carne mea bonũ. Certus sum ergo, quòd hæc concupiscentia, quæ est conatui meo aduersa in corpore meo, non est bonum. Cùm enim resistitur ei & defecisse putatur, magis magisq. sua malitia in variis appetitionibus innouatur. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Volo quidem tam hoc peccatum vincere, quàm legis præcepto parere. Quod vtrumque bonum vt perficiam, posse mihi de me cum velle meo non sufficit, quia sufficientia nostra non ex nobis, sed à Deo est. Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Ad bonum igitur peragendum voluntas mea de se præsumens, & non de Deo, nihil proficit; ad malum verò etiam quod non vult, aliquoties inclinatur vt velit. Si autem quod nolo illud facio, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Cùm vtique nolle meum concupiscere prouocatur, vt velit, non voluntas resistens id agit, sed peccati cupiditas, quæ à sola mea volũtate superari non potest: quia sine me, ait Dominus, nihil potestis facere. Inuenio Ioan. 15. igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Quia igitur malum concupiscentiæ adiacet mihi, id est, sponte, & cùm non desideratur occurrit, & vt perpetretur est voluntati deprauatæ possibile; quia sine Deo, vt iam dictum est, non potest eneruari; tamen videtur mihi de me præsumenti ad perficiendum bonum, legis videlicet mandatũ, vt cœpi, fore possibile, si secundum interiorem hominem, hoc est, animæ rationem, contra mortales corporis mei motus tota voluntatis intentione, totisque naturæ meæ viribus non destitero repugnare. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: & ecce video in me, id est, sentio contrariam legem, concupiscẽtiam scilicet malam, morbo libidinis sordidatam, obuiantem & resistentem & præualentem legi mentis meæ, intentioni videlicet animi mei naturali, & captiuum me ducentem in lege peccati, hoc est, in præuaricatione protoplasti, quæ est in membris meis: quia per vnum hominem peccatũ intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt.

CAPVT VI. Ecce quanta mortifera bella, ecce quæ pericula, quantaq. naufragia, de malo laudabilis & dilectæ vestræ concupiscentiæ diabolo seminante exorta sint. Ecce cuius pestis onus leue esse prædicatis, & iugum suaue. Sed Paulus, cuius estis apertissimi inimici, non cum illo malum libidinem esse sentientes; legerat scriptum esse de isto malo iugo: Graue iugum super filios Adã Eccl. 40. à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. Et ideò prædicabat fidelibus contra vos de isto iugo, dicens, Nolite iugum ducere cum infidelibus: id 2 Cor. 6. est, nolite æquales effici infidelibus, laudãtes cum illis quod est execrabile, & dicentes quod malum est bonum: quia, Væ eis Esa. 5. qui dicũt quod dulce est, amarum; & quod amarum est, dulce. Bella igitur ista doctor ille gentium in fide & veritate secundum datam sibi sapientiam contra vos, in omni esse genere humano in se deprehendit, & contra eam fortiter dimicauit. cùm enim in persona sua dicit: Peccatum non cognoui nisi per legem: &, Concupiscentiam nesciebam: &, Peccatum per mãdatum operatum est in me omnem concupiscentiam: &, Ego autem viuebam sine lege aliquando: &, Ego autem mortuus sum: &, Inuentum est mihi mandatũ quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem: &, Peccatum per mandatum seduxit me, & per illud occidit: &, Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit: &, Peccatum per bonum mihi operatum est mortem: &, Lex spiritalis est, ego autẽ carnalis sum, venundatus sub peccato: &, Quod operor non intelligo: &, Non quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio: &, Si autem quod nolo illud facio, cõsentio legi quoniam bona est: &, Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: &, Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonũ: &, Velle enim adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio: &, Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago: &, Si autem quod nolo illud facio, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: &, Inuenio legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet: &, Condelector legi Dei: &, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Manifestè hæc se contra concupiscentiam bella peregisse testatur, nec tamẽ gloriatur de propriis viribus se fuisse triumphum victoriæ consecutũ. Et ideò cùm de se, pro se, in se, contra tantum malum infirmatus nullũ victoriæ adiutoriũ inuenisset, displicens sibi, oculos ad Christi propugnacula quibus defendi possit eleuauit, dicens: Infelix ego homo, quis me liberabit de morte corporis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Gratia est hæreticè, qua liberamur de corpore mortis, id est, de motibus concupiscentiæ, quibus corpus

corpus nostrum percutitur, vt anima perimatur; non sola virtus propriæ voluntatis.

CAPVT VII. Pergite adhuc per campos loquacitatis vestræ, quã tantæ turpitudinis squalorem laudare non erubescitis, & clamare secundum consuetudinem vestram, dicentes; *Libido calor bonus est genitalis, nec est in ea quod pudeat: quia si malum esse dicatur, nuptiæ iam damnabuntur; sine illa enim non poterit proles existere.* Ex hoc aduertant dilectæ vestræ castissimi expugnatores, quantum libet, quod tantum laudare delectat; aut si non libet, cur suadetis vt libeat, & castitas expugnatur à vobis? Cur bonum prædicatis; quod in vobis aduersum esse sentitis: rogo erubescite. Nemo vnquam quod sibi est inimicum, bonum dicere delectatur & laudum præconiis adornare. Fallimini prorsus, & fallitis, imò decepti estis & decipitis. Non est ille calor bonus, nec genitalis in bonis genitalibus membris, quæ formauit Deus, sed malus, vt sæpe dictum est, authore diabolo præcedente peccato. Isto calore si vigor mentis vestræ ad illicita non dissolueretur, non à vobis tam licitè laudaretur, quin potius sicut à catholicis damnaretur. Sed iterũ respõdetis, vt superiùs dixi, tãquam clypeum vestro dogmati opponẽtes, ne vobis valeat simplices quos decipitis resistere, & dicitis: *Nuptiæ damnabuntur, si libido damnabitur, quia absque illa soboles non gignitur.* Quid præstigiosissimis assertionibus vestris diem in noctẽ mutare tentatis? Quid nebulis serena conuoluitis? Quid intuentibus lucem feruentes in calore turpi, quem optimum prædicatis, vt cordis eorũ oculos perturbetis, fumi amaritudinẽ eructatis? Nuptiæ authore Deo valde sunt bonę, nec damnantur prorsus, cùm voluptuosa libido damnatur. Nuptiæ filiorũ procreandorum causa sunt institutæ, sicut scriptum est, Crescite & multiplicamini, & replete terram: quarum licitus vsus non in luxuria libidinis institutus est, sed in imperio honestissimæ voluntatis, tantum, vt dixi, causa natorum. Quia Adæ & Euæ ante peccatum, cùm adhuc scilicet in eis morbus iste nõ esset, dixit Deus, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Post peccatum verò, vt iam superius disputatum est, sibilo venenosi serpentis, cuius callidis decepti sunt blandimentis, hanc inquietã & mortiferam pestem eorum corpora conceperunt: & per licitũ vsum posteaquam de paradiso proiecti sunt, in posteros transmiserũt, tanquam peccati sui testimonium hæreditario iure dimittentes nobis; vt ex hoc præuaricatorum nos esse filios cognoscentes nõ gloriemur de nobis, id est, de natura nostra peccatrice in cõspectu iudicis iusti Dei: sed eius misericordiæ, quæ non in meritis consistat, semper colla flectamus, quo dignetur nos in paradisum reuocare, vnde illos meritò exules fecit. Et in cõiugatis igitur & in omni homine libido mala est: nonnunquam enim ad illicita trahit, quia voluntati peccatrici, qua factum est vt esset in membris, contraria est in tantum, vt ipsorum coniugatorum ad licitũ vsum ardore sui sic anhelantes præcipitet mentes, quo eadẽ licẽtia acti potius quàm agentes agãt. Fit enim volũtas incontinẽs, dum illecta vincitur voluptate; sed venialis est in cõiugatis, malo bene vtentibus. Quod ostendit Apostolus cùm causa continentiæ orationis tempus indicit coniugatis, & ad ipsum iterũ reuertendum propter incontinentiam tentationis satanæ præcipit; 1 Cor. 7. dicens, Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autẽ dico secundũ indulgentiam, non secũdum imperiũ. Damnabilis est verò in adulteris & fornicatoribus, malo malè vtentibus. Iam ergo cognoscite vtrum Apostolus de malo veniam promiserit coniugatis, an de bono; de malo ad tempus orationi vacandum abstinere præceperit, an de bono? Erratis prorsus, quia Deus qui iussit fieri bonum, nusquam à bono prohibuit, sed à malo, dicens per Dauid, Declina à malo, & fac bonum. Incunctanter omnino dicitur, bene vti hoc malo veniali cõiugatos filiorũ gignendorũ videlicet causa, qui nascuntur Deo opifice, non de accidentis libidinis malo, sed de bono licentiæ nuptiarũ. Nunquid enim cùm vitiis vndique deserente agricola fuerit sentibus occupata, & tẽpore suo iacens in dumis produxerit botros, de contrariis sibi spinis, quibus premitur, vuã produxit? Absit. Sed de naturę suæ bono licet spinarum aculeis corrupto, bonos attulit fructus. Similiter & triticum, si natum circumquaque zizaniis operiatur, inquantũ spicã produxit, de naturæ suæ bono, non de zianiorũ malo quibus impeditur, bonũ intulit germẽ: sic filij de naturæ bono boni sunt fructus, nõ de malo libidinis corrũpentis & vitiãtis, cum quo nascitur omnis homo. Vnaquæque ergo res manens in naturæ suę bono, accidentibus sibi aduersitatibus arescit atque torpescit, cultoris semper indigens manu vel diligentia, vt naturæ suæ, cui nihil est contrarium ab authore suo Deo congenitum, valeat respondere. Hoc agitur & in nostra peccatrice natura; semper indiget authore & cultore suo atque conseruatore Deo, vt spinis & tribulis zizaniisque libidinis, vel omniũ malarum concupiscentiarũ, quas, vt sæpe diximus, non authore Deo, sed peccando contraxit, manu gratiæ suæ, quàm diu in terrã, de qua sumpta est, redeat, expietur, de terra iterum in nouum seculum purissima reditura, per eũdem Dominum nostrum Iesum Christum suscitata. Iterum ergo iterumque repeto: Libido mala nihil bonis impẽdit nuptiis, quia nõ ab initio in eius sordibus sunt, sicut iam suprà diximus, ordinatæ. Deus enim qui sine cõcubitu apes fœtare creauit, & agrorum cũcta semina absque libidine seminare vel nasci decreuit; hominẽ quoque ex homine si non peccasset, per concubitũ voluntarium, non per libidinis sordũ exoriri in paradiso permisisset. Cui qualiter id contigerit, in huius disputationis capitulo, quantum Dominus reuelauit, iã me arbitror ostendisse. Ideoque nuptiarum licentiam bonam valde fatemur, & malam concupiscentiarũ in coniugatis damnabilẽ & voluptuosam esse catholico ore clamamus, vestrũque dogma in eius turpitudine horrendum, sanctarum scripturarũ authoritate damnamus.

CAPVT VIII. Paulus apostolus Christi est, non Pelagius, discipulus Antichristi, qui dicit concupiscentiam in carne sua, non bonum habitare, imò apertissimè malũ dicit esse. Peccatũ esse testatur, stimulum carnis suæ nominat, à quo colaphizari se clamat, ne magnitudinẽ reuelationum exultaturi; cuius malum considerans in corpore mortis suæ, in quo bellum intestinum cum inuisibili hoste gerebat, remedium salutis suę nullum penitus nisi solam gratiam Dei in Christo Iesu liberantem se inuenisse testatur, ipse dicit scribens ad Colossenses, Mortificate mẽbra vestra quæ sunt super terrã, fornicationem, immunditiã, libidinẽ, concupiscentiam malam, &c. Respondete huic tanto doctori; cur ea mortificanda præcipit, si naturalia bona sunt? Sed melius in vobis Pelagio & Cælestio loquẽtibus, quàm Christo in Paulo, secũdũ prædicatis cum laudabili plausu, dicentes, Viuificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem mũdam, libidinem bonam, concupiscentiam optimam. Demens & secundum voluntatem tuam in reprobum sensum dimisse hæretice: de istarũ sordium malo itẽ dicit idem Apostolus scribens ad Romanos, Non regnet peccãtum in vestro mortali corpore, Rom. 6. vt obediatis concupiscentiis eius. Ille in veritate docendo prohibet his immunditiis obedire: tu in errore Pelagiano suades, ille concupiscentiam menti contrariã, peccãtũ vocat; tu eã laudãdo, vel in ea delectando, bonum asseris naturale. Stulti, iã aliquando sapite, & nolite de tanto malo gloriari, neque mẽdaces esse aduersus veritatem, quæ per os sanctorum suorum laudabilem dilectamque vestrã concupiscentiã malã, & libidinẽ punit immundam. Ex his enim diuersæ tentationes oriuntur, quibus per momenta cùm Deo placere contẽdimus, præpedimur, vt ait apostolus Iacobus: Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Iac. 1. Deo tẽtatur: Deus enim intentator malorũ est, ipse autẽ neminem tentat, vnusquisque verò tentatur à cõcupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm cõceperit, parit peccatum; peccatũ verò cùm consummatũ fuerit, generat mortem. Videte dilectã vestrã simul & laudatã vestram, concipientem dolorem, parturientem peccatum, generantẽ mortẽ. Cuius authorem cùm Deũ esse prædicatis, sine dubio arguitis tantum Apostolum, & Deum esse malorũ dicitis tẽtatorem: quia ipse creauit secundũ vos, vnde tẽtentur homines, abstrahantur & illiciantur: ac per hoc ipse vnde pereãt, fecit. Quod si ita nõ sentiretis, Deũm mortem fecisse minimè diceretis. Sed audite adhuc repercutientem virga sapientiæ cælestis vaniloqua ora vestra eundem apostolũ Iacobũ, Vnde, inquit, bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? Auditis quale officium habeat nimium dilecta vestra concupiscentia, id est, bella & lites, quibus discordare facit corpus & spiritum vestrũ: & in eius castris hostilibus, atque sub lege mortifera te hæretice militare delectat? Si pacem fidei catholicæ sequeris à turbine bellorum horum & litium, quo in cordis tui pelago circumquaque iactaris, ne ad portũ peruenias veritatis, facilè gratia gubernãte poteris liberari, & cognoscere malum, quod in malo positus putas esse pulcherrimum. Audi & alium super Iesu pectus recumbentem, & contestantẽ concupiscentiam non esse ex patre Deo, sed ex mundo, & eam cũ mũdo transituram, Ioannem dico Apostolum, Nolite, ait, diligere 1 Ioan. 2. mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mũdum, non est charitas patris in eo, quoniã omne quod est in mũdo, cõcupi-

cupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est, & mundus transit & concupiscētia eius: Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Claudite adhuc, si placet, oculos cordis vestri ad videndum, & obturate aures ad audiendum tanti Apostoli veritatem, & clamate dicentes, ne scilicet dilectæ vestræ faciatis iniuriam. *Ex Deo est concupiscentia carnis, non ex mundo, & ideo calor bonus est genitalis.*

CAPVT IX.

SED quid vltrà in proferendis testimoniis, quibus defensio vestra probatur esse damnabilis, nitar promulgare sermonem? Quia si omnia de legis diuinæ thesauris producantur, tempus me deficiet enarrantem. Audite ergo breuiter, non breuia; sed crimine ingentia caloris vestri amantissimi opera, quibus in illicitum coitum præcipitat heberata corda mortalium, & erubescite & conticescite tandem. Isto calore succensus & turpiter illectus nonnunquam pater inclinat filiam, & operatur incestū: filius etiam patris thorum maculat, cùm matri vel nouercæ aliquando miscetur. In sororem frater cupidine ductus incurrit cognatam non erubescit opprimere. Virgo licentiam non sustinet nuptiarum, sed stuprum tempore concupiscit illicito. Maritus minimè contentus licitis vxoris amplexibus, vteros contaminat alienos. Similiter & vxor immemor proprij mariti cubilis, adulterino amore vxoris thorum occupat alienæ. Nam & masculi relicto naturali vsu feminæ, exardescunt in desideriis suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. Horret etiam plus iis quæ diximus dicere, quòd dum homo immemor suæ naturæ rationalis, irrationali naturæ, & alienæ à sua natura pecudi coire compellitur. Quid de ruina aliquantorum seruorum Dei, & sacratum virginum dicam, quæ hac tempestate naufragia patiuntur? Quidue de diuersis immunditiis, in quibus eorū authorem ipsum sibi puto pro vobis diabolū displicere? Ecce calor ille amantissimus vester in quas ignominiarum sordes humanas ire illicit & præcipitat mentes? Ecce quam illuuiem etiā in sanctis Christi membris fuisse dicere nō tremuistis. Ecce cuius obscœnitatis & turpitudinis estis acerrimi laudatores, impudentissimi defensores, &, si non fallor, cùm adhuc non displicet, forsitan & factores. Quis enim de vobis bene sentiat, quos de tanto malo bene sentire cognoscit? Si igitur in vobis vllus est pudor, si honestas aliqua, si castitatis intentio, tantam mali necessitatem, id est, concupiscentiam carnis sordibus libidinis mixtam, bonam dicere & laudare desinite; cuius authorem non Deum, sed diabolum esse credite, præcedente protoplasti peccato; & quòd eam voluntas humana in turpissimis motibus refrenare non valeat, nisi singularis gratia per Christum Dominum nostrum subuenerit saluatoris.

HYPOGNOSTICON
CONTRA PELAGIANOS ET CELESTIANOS, LIBER QVINTVS.

CAP. I. Refellit animinum quinetum.

ITEM inquiunt, *paruulos non trahere originale peccatum, neque perituros à vita æterna, si sine sacramento baptismatis ex hac vita migrauerint.* Respondemus: Multum quidem iam de originali peccato, quo & paruuli tenentur obstricti, superius disputauimus; à luce veritatis ostendimus omne humanum genus hoc vitio claudicare. Dei etiam filium in similitudine carnis peccati ob hoc venisse, vt morte sua per crucem vinceret mortem, & gratia sua gratuita, nostra vulnera curaret. Verumtamen falsa esse de paruulis hæretice quæ prædicas, non solùm nostro, sed & eorum, saluatore Christo iuuante, scripturarum authoritate conuincam. Quid igitur apertius, quòd paruuli Adæ peccato nascātur obnoxij, dici potuit, quàm quod dictū est per Dauid, Ecce in iniquitatibus cōceptus sum, & in delictis peperit me mater mea? Ille enim cùm adulterium deflere, & homicidium quod Bethsabeæ causa commisit, hanc veritatem in suæ confessionis gemitu eructauit, tanquam diceret, Non quòd ex o solo facinore perpetrato peccator sim, qui antequā id facerem sine peccato non eram, imò iam peccator ab vtero matris meæ erā; Ecce in iniquitatibus cōceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Vitium ergo peccati seminatus & cōceptus de parentibus sumpsi, per quod adulteriū & homicidiū propria peccata peregi. Cùm enim subiugens inquit, Ecce veritatē dilexisti: peccata propria voluntate cōmissa fatetur; quia veritatē dicit Deo pœnitens, quando nihil illi de commissis suis sceleribus celat, nō quòd si voluntatē celauerit, Deus ignoret, sed veritatē sibi ab eo dici vult, vt veniam consequatur. Si verò aliquamentē exciderint, confiteatur veritatem Deo, & cùm generaliter dixerit, Deus qui nosti occulta cordis, tu scis opera mea, & delicta mea à te non sunt abscondita, quibus veniam largiaris: & hęc vtique est veritas confitentis quam diligit Deus. Eua ergo peccatum à diabolo mutuauit, Adam consensu cautionē fecit, vsura posteritati creuit. Hinc est, quòd infans in vtero matris hæreditatio iure constrictus antè promittat debitum quàm cautionem patris agnoscat, vel debitorē etiam genitorem. Huius chirographi vsuræ sunt, illæ malignissimæ passiones, quibus tam maiorū ætate quàm paruulorum animæ deprimuntur, à quibus liberari neminem posse nisi per Christum Dauid ipse, qui in iniquitatibus conceptum & in delictis natum se esse dicit, ostendit, cùm in septuagesimo primo Psalmo de persona Christi loquitur, dicens, Liberauit pauperem à potēte, & inopem cui non erat adiutor: id est, humanum genus à diabolo dominatu. Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Ex vsuris & iniquitate liberauit animas eorū. Christus vtiq. Adæ debitū, quod nos vsuris obligauerat, soluit, cùm nullis suū corpus peccatis obnoxiū in patibulo crucis suspēdi permisit: ipsius enim in Psalmo vox est, Quę non rapui, tunc exoluebam. Quapropter ex vsuris & iniquitate & paruulorū liberat animas, quia, vt dicit Apostolus, Vnus pro omnibus mortuus est. Et iterū, Ergo omnes mortui sunt. Et si omnes mortui sunt, stimulo vtiq. mortis percussi, mortui sunt, quia stimulus mortis peccatū. Dic ergo quærenti mihi, Si peccatum paruulus nullus carnaliter natus attraxit, cur breuis dierū sorte mortis astringitur? Quia vbi peccatum non est, vtique mors esse non debet: non enim me fingente, sed Apostolo prædicante dictum est; Per peccatum mors, ac per hoc secundum errorem vestrum, iniquus Deus, vt mori paruulum patiatur non habentem peccatum per quod posset vita priuari.

Psal. 50. — Psal. 68. — Ibidem. — 2 Cor. 5. — 1 Cor. 15. — Rom. 9.

CAPVT II.

SED ad illam fallaciam dogmatis vestri respiciens, cui iā superius responsum est, inquies mihi; *Deus mortem fecit, quia mortalem hominem fecit; peccatum autem non fecit, quia in primordio hominem prohibuit ne peccaret.* Imò quid aliud dicitis, cū Deum mortē fecisse creditis, nisi & peccatū Deus fecit, vt per peccatū mors intrare possit in mundū, quia vt quod item est repetēdum dicente magistro gentium, Per peccatū mors: respōdetis, Absit, Deus peccatum non fecit, ergo occasionem peccandi homini tribuit, vt opus eius, sicut dicitis, mors homini possit cōtingere. Sine peccato enim mors esse nō poterat, quia, velitis nolitis, per peccatū mors. Nec occasionem, vt dicitis, peccandi Deus homini dedit, quo mori posset, sed mortalem fecit. Iam respōsum est scriptum esse, Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Et iterū; Deus creauit hominē inexterminabilē. Si ergo peccatum non fecit, nec occasionem peccandi homini dedit, quod rectè dicitur; bonum mortis secundū vos, quod rectè non dicitur, quomodo per malum peccati ad hominē potuit peruenire? Quid enim luci cum tenebris, aut quæ pars iustitiæ cum iniquitate? Videre infelices, si tamen videre potestis, quas amicitias inter Deum & diabolum faciatis; quod absit à Domino. Deum enim mortem fecisse dicitis, diabolum peccatū; si tamen vel hoc assignatis diabolo: miscuerūt opera sua, ex cōsensu tanquam sibi in auxiliū veniētes, vt hominem vita priuare possint; & ideo dictum est; Per peccatum mors. Iam hoc aduertite, imò qui sani sunt sensu aduertāt, quia soletis nos dicere Manichęos, quis nostrum sit Manichææ pestis assertor; nos, qui nihil commune luci ad tenebras dicimus; an vos qui opus lucis, vt putatis, id est, mortē, opere tenebrarū diabolo, id est peccato cōfunditis? Nisi enim crediderit is mortem & peccatum vtraque esse mala, & nullius horum authorem esse Deum, sed diabolum delinquentibus inflixisse protoplastis; prorsus Manichæos adiuuatis, imò estis similes Manichæis. Manichæus autem non credit, sed catholicus dicēti Paulo, quòd per vnum hominem peccatū introuit in mundū, & per peccatū mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Hæc est fides nostra, fatemur incunctanter peccatum in paruulis, & per peccatū mortem pertransisse in omnes homines. Et paruuli natura homines sunt. Quapropter quanti fuerint, omnes homines sunt, quibus dum cōtigerit mori, propter peccatū, quod in eis nō actione, sed vterina conceptione pertransiit, moriuntur. Non enim morerētur, nisi cœno peccati necarentur. Per peccatum enim, vt sæpe est repetendum, mors, non sine peccato; hac morte, ne in æternum pereāt, morte Domini redimuntur. Hoc cœno peccati quo nascuntur squalidi, vt in regnum cælorum ingrediantur immaculati, immaculato per baptismum sanguine Christi mundantur.

Sap. 1. — Sap. 2. — 2 Cor. 9. — Rom. 5.

CAPVT III.

AVDI & alterum, Dei sapientiam inquirentem, & per illam veritatē mortalibus prædicantē. Audi aliter quidē quàm Dauid loquentem, sed non aliter prophetantem: in vno vnico spiritu vera dicentē, quòd Adæ peccato & paruuli nascendo premātur.

Psal. 50. — Eccl. 49.

Dauid enim inquit, vt suprà iam dictum est, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea: iste ait in libro Ecclesiastico, Graue iugum super filios Adā, à die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. Quod est hoc graue iugū, nisi peccatū? Et quare dictum est iugum, nisi quia ex duobus Adam & Eua veniat, vel duorū premat & conterat colla, id est, masculi & feminę, maiorum videlicet atque minorum, quia in vtroque sexu iugū sunt. Ideo ait generaliter, Graue iugum super filios Adam. Dicendo ergo, super filios, ætates non discreuit vel sexus, & comparando iugum peccato, propter Christum, qui vt cæteri ex vsu coniugatorum natus non est; omnes cæteros esse peccatores æquauit. Hoc iugo, id est originali peccato reuincti maiores atque minores, vitium ex ipso ortu tanquam aratrum trahimus quādiu sumus in mortis corpore, cuī cupiditatis vomere proscinditur, hoc est corrumpitur terra nostra. Propter quod in libro Sapientiæ dictum puto, Corpus autem quod corrumpitur aggrauat animam. A cuius iugi labore & onere, vel aratri corruptione vt requiescat, nemo soluitur propria voluntate & potestate, nisi ab illo iustè iudicante & indebitè miserante, qui ait, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Quomodo verò ad eum vocati eant, ipse ostendit, dicens, Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: pro iugo peccati aspero & graui, quo carnaliter nati premuntur, vocatis tollendam super se iugum suauē, & onus leue præcipit. Superius iam diximus, cui peccato iugum sit comparatum, nunc spiritale Christi iugum & onus intelligere debemus, charitatem qua iubemur diligere Deum & proximum: quia in his duobus præceptis tanquam in iugo, lex omnis pendet & Prophetæ. Quid enim suauius ac leniuscharitate, qua nos diligens Deus, per mortem filij sui ex duobus populis Iudæis scilicet & gentibus vinculo gratiæ in vnitate fidei cōiugauit, & fecit vtraque vnum? Christi itaque iugum ceruices, quas pressérat iugum peccati, suspendit, nō premit, ad cælum leuans: quia charitas, sine qua nemo promeretur Deum, nunquam cadit, & cooperit multitudinem peccatorum. Ipsa est etiam onus leue, quam qui habuerit, Deum portat, quia charitas Deus est. Ideo & Apostolus, Glorificate, inquit, & portate Deum in corpore vestro. In hac vocatione sunt & paruuli, qui assumuntur in fide credentium, non obedientia voluntatis, sed dilectione nimia charitatis. Propter quod in Psalmis dictum est de ipsis, Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum. Super quos nisi fuerit dono gratiæ charitatis iugū suaue & onus leue Christi, requiescere à labore & onere originalis iugi non possunt. Grauantur enim in labore & onere diuersarum passionum, quas eos in lacte positos perpeti videmus & stupemus. Vexantur enim nonnunquam à dæmonibus diuersis doloribus, & vulneribus cruciantur, multisque, vt dixi, ærumnarum generibus affliguntur; & in his omnibus cùm quid patiantur, hoc dicere non possint, tamen pœnis se cruciari variis quodam modo loquuntur, cùm aculeo pūcti dolorum, confusos vocū eiulatus emittunt. Qui si minimè stimulo peccati protoplastorum percussi, ex quorum peccatrice carne peccati caro sunt, pati tūtur secundum errorem vestrum, Deus qui talē fecit naturā, vt pœnalibus anima passionibus conuexetur, crudelis est, aut certè iniustus, vt innocētiam sanctā & nullus penitus errotis obnoxiā tātis permittat vrgeri periculis, & in ipsis nonnunquā vita priuari. Quod nisi eos peccati originalis causa pati credideritis, sine dubio Deum, qui valde bona omnia fecit, arguitis. Sed absit vt sit iniquus, inferens irā, imò iustus iudicia faciens. Pœna enim peccati est vt pœnis plectantur, non in actu, sed ortu paruuli peccatores. Quia, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea: &, Graue iugum super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium: non ego fingens, sed Prophetæ Dei spiritu veritatis sancto acti dixerunt.

Sap. 11. — Matth. 11. — Ioan. 6. — Matth. 22. — 1 Cor. 13. — 1 Pet. 4. — 1 Ioan. 4. — 1 Cor. 6. — Psal. 67. — Psal. 50. — Eccl. 20.

CAPVT IIII.

AVDI & alium athletam fortissimum per omnia diaboli flagella transeuntē, & patientia sua eius impatientiam superantem, beatū Iob dico, quid spiritu Dei quo probatus & fortis est factus, de humanæ naturæ sententia labe, etiam paruulos dicens à peccati sordibus immunes esse nō posse, hosque adducēdos in iudicium coram Deo. Homo, inquit, natus ex muliere, breuis vitæ, & plenus iracundia, & sicut flos cùm floruerit, decidit fugitq. vt vmbra, & nō permanet. Nonne etiā huius curā habuisti, & hūc fecisti venire in iudiciū coram te? Quis enim erit mūdus à sorde? Nec vnus quidem, etiamsi vnius diei fuerit vita eius super terram. Est ne aliquid dubitandum, tam clarissima authoritate, paruulos peccati illuuie maculatos esse nascētes? Cū enim dicit, Nonne etiam huius curam habuisti, & nunc fecisti venire in iudicium coram te, statim propter iudicia iustissima Dei cur in iudicium veniat, causam præcedētem ostendit. Quis enim, inquiens, mundus à sorde? Ne vnus quidem est, etiamsi vnius diei fuerit vita eius super terrā. Id autē est propter peccati sordē, quā trahit à peccante natura, quia nascitur immundus in mundo. Hæc secundum Septuaginta interpretum editionē, quæ ex Græco in Latinū sermonem versa est, posuimus. Audite apertius ad sugillationem vestram idipsum, qualiter ex Hebræo verbo sit in Latinum translatum. Quis, ait, potest facere mundū de immundo conceptum semine? Nōnne tu qui solus es? Est ne deinceps contentio? Imò esse debet à vobis vlla contradictio? Audis de paruulo dici, Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nōnne tu qui solus es? & adhuc dubitabitis baptismū Christi per gratiam habere, quod mundet in paruulo? Nisi enim esset immundus, non diceret, Quis potest facere mundum: sed cùm addidit, de immundo conceptum semine; parentum sordidatum dicit esse peccato: quorum sunt immunda semina, non conditione naturæ, sed præuaricantis vitio protoplasti. Sive igitur Septuaginta ex Hebræo in Græco, sive alius similiter ex Hebræo in Latino sermone, vnum atque idem, & si mutatis verbis, non tamen veritate; paruulos peccati sorde reos esse dixerunt. Quam enim iniustitiam, sicut sepè pro diuersitate propositarum à me causarū interrogati, apud Deū dicitis, vt nulla existētē causa secundum errorem vestrum, sicut suprà diximus dixisse Iob, paruulus breuis vitæ & plenus iracundia sit, cùm quid sit ira rationis vsu omnino nesciat: vel quare vt flos decidit, fugitque vt vmbra, & in vita multorum dierum sine annorum non permanet, sicut nouimus multis contingere paruulis: vel cur eum ad iudicium venire coram se facit, cùm mandatū legis eius nō cognouerit faciēdum, nec contēpserit volūtatem? Hoc vtique secundum vos, vt dixi, iniustè paruuli patiuntur à iusto iudice, si nulla peccati contagione tenentur obnoxij. Sed quantalibet latitudine mendaciorum vestrorum verbis muros hæresi vestræ circūquaque construatis, veritas vincit: cuius arietes impulsus gratiæ manibus, totū quassat & destruit, vnde repugnatis atque cōfiditis. Quia iustus Dominus nihil facit iniustum, & verax non potest esse mendax. Paruuli vtique, vt dicit Apostolus, natura filij iræ sunt, Adæ scilicet parentis, sicut sæpe diximus, offensione connexi. Non enim dicerentur filij iræ, nisi iram, id est, peccatum primi plasti, qui peccando Deum ad iram primus in genere nostro protocauit, traherent seminati. Ideo dictum est, Quis enim erit mundus à sorde? Ne vnus quidem, etiam si vnius diei fuerit vita eius super terram. Vel, sicut dictum est alio modo, tamē idem; Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nōnne tu qui solus es? Ob hanc igitur solam sordem peccati quam trahit, non de coniugij bono, sed de libidinis malo, paruulus breuis vitæ & plenus iracundiæ est. Decidit etiam vt flos, fugitque vt vmbra nec permanet, atque in iudicium coram Domino veniet iudicandus. Cui nisi baptismi gratia per Christum subuenerit, disperiet de populo Christiano. Sicut lex perituram dixit paruulum de populo Iudæorū, nisi die circumcisus fuisset octauo. Scriptū est enim, Infans qui octauo die circumcisus non fuerit, disperibit anima illa de populo suo. Dic igitur mihi, A quo facinore circumcisio paruulos liberat? Aut quare incircumcisi de populo Dei anima peribat, si nihil, vt de sanaretur vel disperiret, habebat? quin potius parētū eius, nisi circumcisus fuisset, debuit præendi periculo, qui vsum obedientiæ & liberi habebant arbitrij, & non paruulo ignorantī bonum & malum. Sed esto quòd parentes ob hanc negligentiam, quod scriptum non est, subeant perituri supplicia, nunquid damnatis illis, si incircumcisus mortuus fuerit paruulus, animę poterit interitum abolere? Deus enim locutus est, non homo, dicens, Infans qui octauo die circumcisus non fuerit, disperiet anima illa de populo suo. Narrate ergo, si potestis, Dei iustitiam, in qua multum vos posse iactatis, imò totum posse naturæ vribus, cur disperdat innocētiam incircumcisam, quidū circumcidi iubet, si nulla donantur circumcisione delicta? Respondeteis planè, Iustus Deus in iudicando. Hæc enim soletis quasi diligentes Deū dicere, sed ore vestro, corde autē mentiētes ei. Si itaq. iustus Deus in iudicando, rogo dic causam incircumcisi paruuli periturī,

Iob 14. secundum 70. — Gen. 17.

turi. Actualia certè nulla sunt eius delicta. Quæ enim esse potuerunt octo dierum? Trahere enim originale peccatum & propter hoc damnari, credere non vis. Vnde iniusta Dei iudicia? Dic iam apertè, *Iniustus Deus & impius, vt damnet paruulum, quem damnabilis nulla causa præcessit*. Nec enim aliud in cordis tui tenebris sentire cognosceris, si tamen incircumcisum teste Dei lege fideli, perire paruulum credis. Aut si de vobis aliud sentiendum est, iudicent orthodoxi.

CAP. V. SED more illo vestro, veritatis videlicet luce deserti atque refelliti, *Deus*, inquitis, *præscius operum eius malorum quæ facturus erat ætate perfecta, periturum dixit de populo suo*. Itane Pelagiane insane, Deus qui iustus est in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, pro huiuscemodi credendus est incircumcisum paruulum iudicare, vt tanquam factorẽ pro non factis sceleribus puniat; tempus imputet quoddam vbi vita non vixerit, vbi velle & nolle non fuit voluntatis? Absit hoc apud iudicem iustum, qui vnicuique vel obedienti vel contemnenti vsu liberę voluntatis, reddit secundum opera sua: paruulo autem incircũcisio solũ pro delicto, quod est opus diaboli, quod ex Adam seminatus attraxit, & circumcisione fraudatus nõ caruit, hoc in paruulo Deus odit & punit; ita nunc fit & in populo Christiano. Circumcisio enim illa octaui diei, figuram resurrectionis Dñi Saluatoris & gratiã baptismi gestabat. Vos autẽ, & si paruuli baptizati non fuerint, vitam illã æternã promittitis, quia scilicet Christi eis gratiam baptizatis nihil auferre, conferre creditis nihil. Si enim intelligeretis quare dixerit Dominus, Non opus est sanis medicus, sed malè habentibus; crederetis vtique, nõ eos sanos, sed vulneratos medico Saluatori ad stationem baptismi sanandos offerri; nec habituros vitam, nisi ipsius qui est vita, manducauerint carnem, & sanguinem biberint. Ipse enim dixit, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam æternam in vobis: & qui mãducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinem, habet vitã æternam. Quomodo igitur vitam regni cælorũ promittitis paruulis, non renatis ex aqua & Spiritu sancto, non cibatis carne, neque potatis sanguine Christi, qui fusus est in remissionẽ peccatorũ? Eius enim edictũ est, Si quis renatus nõ fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorũ. Intrare quippe in regnum cælorũ non aliud est, quàm in vita beata viuere, quę permanet in sęcula sęculorũ. Ecce nõ baptizatus, vitali etiã cibo poculoque priuatus, diuiditur à regno cælorum vbi fons viuentium permanet Christus. Da mihi præter hunc alterum locum, vbi vitæ possit requies esse perennis. Primum enim locum fides catholicorum diuina authoritate regnum credidit esse cælorum, vnde, vt dixi, non baptizatus excipitur. Secundum, gehennam, vbi omnis apostata vel à Christi fide alienus, æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus, imò nec esse in scripturis sanctis inuenimus. Finge Pelagiane locum ex officina peruersi dogmatis tui, vbi alieni à Christi gratia vitam requiei & gloriæ possidere paruuli possint. Dextera est iusti iudicis sedentis & sinistra, regnum est & gehẽna, vita est & mors, iusti & iniqui. In dextera igitur iusti sunt constituti, in sinistra operarij iniquitatis. In regno requies baptizatorũ, in gehenna pœna incredulorum. Vita ad lætitiam gloriæ, mors ad fletum & stridorem dentium. Iusti in regno patris cum Christo, iniqui in igne æterno parato diabolo, & angelis eius. Sed hoc dicens, non diuisiones locorum multorum dedi, nisi duorum tantum, quoniam ad duo, regnum videlicet & gehennam, hæc omnia referuntur, etiam si plura dicantur: dextera enim vita, iusti, vel, sicut dixi, addamus iustitia, sanctitas, beatitudo, & cætera bona ad regni cælorum requiem referuntur. Sinistra verò, id est, ij qui sinistræ astabunt, iniqui, mors, iniustitia, dolositas, impietas & quantalibet mala ad gehennæ tormenta, vbi mors quæ secunda dicitur non finitiua, sed cruciatu durabilis erit. Qui baptizatus ergo non est, in iis quæ regni cælorum sunt, non potest reperiri. Et si non ibi, quia verè non ibi, putásne Pelagiane iam sentis vbi, aut certè dic vbi?

Matth. 9.

Ioan. 6.

Ioan. 3.

Consule Scholia.

CAPVT VI. RESPONDE more illo solito: *Dominus inquit, In domo patris mei mansiones multæ sunt. In his mansionibus, mansiones habẽt vitæ & refrigerij non baptizati paruuli.* Hiccine est putas ille tertius locus quem fingẽdum ante paululum ex officina dogmatis tui popo[illegible]erã? Percutiat hoc opus virga sua ferrea Christus, qua gentes hæreditatem suã & possessionẽ suã terminos terræ regit: qua probat vasa misericordiæ suæ, & reprobat contumeliæ, vt si mansérit in quassatum, permittat illic susceptos vestros, quibus sine illo vitam promittitis paruulos habituros. Dic age, adesto assertionijtuæ, refelle meam. Mansiones istas n[illegible]tas quasin medium protulisti de thesauris Euangeliorum, certũ est veritate dicente esse apud Deũ patrem. Sed quæro abs te, vtrũ sint in regno cælorũ, an foris? Pater enim Deus in regno cælorũ est, & illic sunt hæ vtique mansiones. Si verò in regno cælorũ nõ sunt, ergo pater alienus est à regno cælorum: quia, vt dixit, vbi pater est, ibi & multæ sunt mansiones. Quid dicis hæretice? Vnum elige ex duobus cuius partis defensor existere possis. In regno est pater & mansiones, an extra? Si dixeris, in regno: perdidisti locum, quem multa fabricaueras arte paruulis. Non enim intrat in mansiones istas non baptizatus; quia qui dixit, In domo patris mei mansiones multæ sunt: ipse dixit, Qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Ecce virga fortis Christi, quoniam comminuit opus tuũ. Si autem dixeris, foris, attende quid respondeas Manichæo. Aliquo enim bello secundum te superatus, ab aliquo pater exceptus est de regno cælorum, nec ad eum opus filij sui pertinet baptismus paruulorum, nec ad ipsum etiam mansiones patris, ac per hoc diuisum est regnum eorum. Christus enim recipit baptizatos in regnum cælorum; pater non baptizatos in mansiones loci sui. Ecce quales sensus impregnata à diabolo peperit hæresis vestra: ecce officina illa Pelagiana, siue Celestiana, de qua nimium docti & acuti ad interitum processistis, qualem locum miseris paruulis fabricauit, vt & pater videatur regno exclusus, & Christus è mansionibus patris? Quid deinceps à vobis decepti facient paruuli, quos catholica ratio sine medico Christo in mansiones patris vobis docentibus non sinit introire? Quibus dum absque Christo promittitis vitam, aufertis vitam: dum sanos pollicitatione ad mortem perducitis; dum spondetis requiem, præcipitatis in gehennam. Mansiones igitur istæ apud patrem non sunt diuisæ cellulis ad habitandum iustis, sed coniuncta charitate bonorum præmia meritorum, quæ sunt in regno cælorum, quod est indiuisum in possessionem vnicæ concordiæ deitatis, patris & filij & Spiritus sancti: & non est vt quoddam grande palatium vnde concludi aut excludi possit: nec terminũ habet quomodo regnum terræ, vt vltrà regnandi non habeat potestatẽ. Ipse enim qui implet omnia & excedit omnia, pater & filius & spiritus sanctus, Deus vnus est, omnia in omnibus, vnũ potẽs atque omnia potens, cuius regni finis non est. Magnus enim Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis; & regnũ eius regnum omnium sęculorũ, & dominatio eius in omni generatione & progenie. In parte verò gloriæ sanctorum & beatitudinis vitæ æternæ diuisum à gehenna dici tantum potest, vnde impij & peccatores omnisque non baptizatus est separatus, & parti gehennæ est mancipatus; Dei autem potentia non in parte est, & in parte non est, quia & sanctorum requiei & peccatorum damnationi ipse regnat in sęcula sęculorum.

Matth. 9.

Psal. 47.

SINITE itaque paruulos venire ad Christum vitam, vt eis perditam per Adam medicina sua redonet vitam. Venit enim non inaniter quærere & saluare quod perierat. Vos videbat præscientia sua futuros hæreticos, vosque increpabat in Apostolis suis dicens, Sinite infantes venire ad me, & nolite eos prohibere: talium est enim regnum cælorum. Talium, ad comparationem videlicet ad se venientium dixit, non omnium paruulorum generaliter, etiam & qui in eo renati non sunt: ideo, inquit, Sinite paruulos venire ad me, id est, nolite eos credere me non indigere, nõ enim possunt venire in regnum patris mei nisi per me. Denique ait, Ego sum via, veritas & vita; nemo venit ad patrem, nisi per me. Quomodo eos ergo non baptizatos in domo mansionum patris mansuros creditis, cùm nemo vadat ad patrem, nisi per Christũ, qui via est; nemo æternam habeat vitã, nec maneat in veritate, nisi per ipsum qui vita est & veritas? Sine me, inquit, nihil potestis facere. Nam sicut nemo venit ad patrẽ, nisi per Christum, sic nemo saluandus venit ad Christum, nisi attrahente patre. Ipse enim dixit, Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. Et venite ad patrem & filium nemo potest, nisi operante Spiritu sancto patris & filij, qui vbi vult spirat, & gratiam diuidit singulis pro vt vult: quam gratiam non à se dissociatam, sed indiuisa manu atque potentia in homine tota vnus Deus & trinitas operatur. Quisquis ergo opus in se nõ habet trinitatis, id est, baptismum salutarem: æternam vitam cum viuentibus sanctis in regno cælorum non potest adipisci. Baptismus enim Christi opus est trinitatis, quia ipse est, dicente apostolo Paulo, plenitudo diuinitatis; & non est, sicut & Petrus dicit in Actibus Apostolorum, in aliquo alio salus. Nec enim nomen aliud datum est sub cælo hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Ecce princeps Apostolorum Petrus in veritate loquitur veritatem, in nullo alio nomine hominibus datam sub cęlo salutem, nisi in Christo. Tu in mendacio da nomen aliud quod saluare possit paruulos, minimè in Christi nomine, qui est, vt dixi, plenitudo diuinitatis, baptizatos. Quisquis enim in Christo tingitur, in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, quod est plenitudo diuinitatis in remissionem peccatorum, salutis gratia baptizatur.

Ioan. 3.

Matth. 28.

Col. 2.

Act. 4.

CAPVT VII. *In remissionẽ peccatorum quomodo dicant Pelagiani paruulos baptizari.*

ET *nos*, inquies, *sicut aliquoties à vobis auditimus, in remissionem peccatorũ, tam maiores ætate quàm paruulos baptizamus.* Et cùm vobis ita contradictum fuerit à nobis, ergo est peccatũ in paruulis, quod eis in sacro baptismate remittatur; respondetis, *Nullum; tantùm in adoptionem filiorum baptizantur. Habet enim in eis gratia quod adoptet, non habet vnda quod diluat: propter solam verò symboli formulam; vt tradita consuetudo seruetur, tinguntur in remissionem peccatorum. Maiores autem propter quod vsu liberi arbitrij peccata contrahere potuerunt, in remissionem peccatorum baptizantur.* O cæca vestrorum sensuum corda! O magisterium quod obuolutum mortali nebula vobis diabolus propinauit! Quis hæc catholicorum sapientissimus ferat? Quis vos non horreat potius nominare, quàm cernere vt verbum Dei fidele in parte veri, & in parte mendacij esse prædicetis: id est, in maioribus verax, quia verè in remissionem peccatorum baptizantur: in paruulis autem mendax, quia sic in remissionem peccatorum, vt non in remissionem peccatorũ tingantur. Quando iam vel quid à vobis dicitur verũ, aut dicetur, cùm in illo loco, vbi veritas Christus in Spiritu sancto baptizãs omnes curat ad se veniẽtes peccati vulnere saucíatos, Deo mẽdacium dicere non timetis? Verba namq. Dei sunt symboli verba, non fefellit Deus tradens per Apostolos suos Ecclesiæ suæ sanctæ catholicæ, credẽtes in remissionem peccatorũ baptizari. Vt quid enim iussit in remissionẽ peccatorũ, si non facit verè remissionẽ? Imò ideò iussit, quia facit. Est enim Deus verax, omnis autẽ homo mendax. Omnino in remissionem peccatorum baptizantur & paruuli, alioquin non habebunt in regno cælorũ vitam. Dimittitur enim eis regeneratione spiritali, quod traxerunt, vt sępe dixi, ex Adam generatione carnali. Stultè hæreticé, respice ad Iesum, qui propterea vocatus est Iesus, id est, Saluator: quia sic dicit Euangelista, Ipse saluum faciet populũ suum à peccatis eorũ. Attende edictui eius, Non opus est sanis medicus, sed malè habẽtibus; & aduersus eum fallum de paruulis dicere conticesce, qui eis potũ non sanis, sed ægrotantibus baptismum in suo sanguine procurauit, qui propterea catechizãtur & exufflantur ac baptizantur, vt princeps huius mundi diabolus ex eis foras mittatur. Aut si non in illis diabolus exufflatur, cuius opere, id est, vitio peccati per Adam tenentur obnoxij, dicite cur imagini Dei fit iniuria? Verùm, opinor, quòd eis baptismo vestro baptizandis minimè exufletis, ne nõ imagini Dei, sed diabolo faciatis iniuriam. Aut si exufflatis nullum, vt putatis, crimẽ habentibus, quem in eis vrgeatis dicite. Exufflatur ergo & increpatur in eis in catholica Ecclesia opus diaboli, non quod ipsi sunt, sed quod in ipsis est. Ipsi enim quòd homines, opus Dei sunt: quod verò in ipsis est peccatum, opus diaboli est, hoc est, quod in illis odit Deus, nõ ipsos opus suum. Ob hoc si indebita gratia eius per baptismum mundati non fuerint, penitus Christianorũ vitam non habebũt, & in regnũ cælorũ non ingredientur; erunt autem illic vbi circumcisi paruuli Iudæorum. Duas sanè fides & duo baptismata vos habere, si ipsi in tenebris ambulantes non cognoscitis, catholicorũ nullus ignorat. Alia enim fide, vt superius ostendi, vobis dicẽtibus, baptizatis ætate maiores; alia paruulos, cùm scilicet verbum eos in remissionem peccatorũ, baptizatos percipere corde non credatis. Nos verò anathematizantes vos, Paulum in quo locutus est Christus, auscultamus prædicantem & sequimur, qui vnum corpus & vnum spiritum esse dixit Ecclesiæ catholicæ in Christo, vnam fidem, vnum baptismum, vnum Deum & patrem omnium, qui super omnes & per omnia, & in omnibus nobis.

Psal. 115.

Matth. 1.

Matth. 9.

Eph. 4.

HYPOGNOSTICON
CONTRA PELAGIANOS ET CELESTIANOS LIBER SEXTVS.

CAP. I. LICET latiùs de Gratia & Libero arbitrio superius disputatum sit, tamẽ addere etiam nonnihil quàm maximè huic operi oportet, vt & vestra calumnia quam nobis obiicere soletis, per illuminationem gratiæ Saluatoris reuincatur, imò refutetur, & nostræ fidei integritas comprobetur. Credere quippè nos vel prædicare suggillatis, quia cum lege Dei & Prophetis, cum Euangelio Christi eiusque Apostolis prædestinationem dicimus, eò *quòd Deus quosdam hominum sic prædestinet ad vitam regni cælorum, vt si nolint orare, aut ieiunare, aut in omni opere diuino vigiles esse, eos omnino perire non posse, nec prorsus debere sui esse solicitos, quos Deus quia voluit, semel iam eligendo prædestinauit ad vitam: quosdam verò sic prædestinauit in gehennæ pœnam, vt etiam si credere velint, si ieiuniis, & orationibus omnique se voluntati diuinæ subiecerint, in his Deum non delectari, & vitam illis æternam in toto dari non posse, sic electione prædestinatos esse vt pereant. Deum nos taliter operantem personarum esse acceptorem dicere.* Non miramur vos de nobis, id est, homines de hominibus falsa posse confingere, cùm videamus vos sic à diabolo esse fascinatos, vt scripturas sanctas & veridicas, ad voluntatis vestræ intellectum mutare nitamini, fidem Christi Apostolorum prædicatione fundatam euertere, falsum dogma vestrum anteponere veritati. Hinc est vtique, vt non possitis agnoscere veritatem; imò hinc est, vt corrupti & abominabiles facti sitis in voluntatibus vestris. Inclinate igitur aliquantulum patienter aurem cordis vestri, & qualiter mysterium prædestinationis credamus, qualitérue prædicemus, audite. Animositatem etiã contradicendi diuinis eloquiis deponite. Potestis enim dono Dei veritatem facilè reperire vel agnoscere, si contentiosi disciplinæ silentio esse destiteritis. Prius ergo ipsum nomen prędestinationis quid indicet, exponamus: deinde esse apud Deũ, qui sine acceptione personarum est, prædestinationem diuinarum scripturarum authoritate probabimus.

CAPVT II. *Prædestinatio & præscientia.*

PRÆDESTINATIO quippe à præuidendo & præuenendo vel præordinando futurum aliquid dicitur: & ideo Deus cui præscientia non accidẽs est, sed essentia, fuit semper & est. Quicunque antequã fit, sic præscit, prædestinat, & propterea prædestinat, quia quale futurũ sit, præscit. Ideo & Apostolus, Nã quos præsciuit, inquit, & prædestinauit. Sed non omne quod pręscit, prædestinat; mala enim tantum præscit, & non prędestinat. Bona verò & præscit & prædestinat. Quod ergo bonum est præscientia prædestinat, id est, priusquam sit in re præordinat. Hoc cũ ipso authore esse cœperit, vocat, ordinat, & disponit. Vnde & sequitur, Nã quos prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, illos & iustificauit; quos autẽ iustificauit, illos & glorificauit. Iã igitur apertius disseramus quod loquimur, quomodo erga humanum genus præscientia sua & prædestinatione Deus generaliter, in quo iniquitas nõ est, vtatur. Massæ itaque humani generis, quæ in Adam & Eua præuaricatione dãnabilis mortalisque facta est, non cõditione diuina generaliter, sed ex debito pœna cruciatúsque gehennæ debetur; venia verò non merito, sed Dei iusti iudicis misericordiæ largitate confertur. Quia verò iustus & misericors Dominus Deus præsciusque futurorum, ex hac damnabili massa non personarum acceptione, sed iudicio æquitatis suæ irreprehensibili, quos prędscit misericordia gratuita prępparat, id est, prędestinat ad æternam vitam; cęteros autem pœna, vt prædixi, debita punit, quos ideo punit, quia quid essent futuri præsciuit: non tamen ipse fecit puniendos vel prædestinauit, sed tantum, vt dixi, in damnabili massa præsciuit.

Rom. 8.

CAPVT III. QVÒD si à me quæris scire, cur duos ita differentes fecit Deus, si personarum acceptor nõ est, quia generaliter, aut punire debet iustitia, aut misericordia liberate, contende cum Paulo; imò si audes, argue Paulum, qui dixit Christo in se loquente, O homo tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmẽtum ei qui se finxit, vt quid me sic fecisti? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Ego autem hoc dico quod dixi, quia quicquid Deus agit, misericorditer, iustè sanctéque facit, quia solus ipse præsciendo scit quod homo nesciendo nescit. Quis enim cognouit sensum Domini? Quis instruxit eum? Aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi & retribuetur ei? Aut quis dicit ei quid fecisti? Non potest tantũ iustus dici Deus aut solùm misericors, sed iustus & misericors. Sic legimus, sic credimus. Propterea quando illi cum Dauid misericordiam & iudicium cantamus, cantamus metuentes: non interrogamus quæ sit voluntas eius de iudicio & misericordia conquirentes. Quòd si adhuc animositati tuæ, q[illegible] contentionis curru raptus per quæstionum campos inanis efferteris, hæc minimè responsa sufficiunt; audi & alia quæ de altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, expauentes incomprehensibilia iudicia eius & inuestigabiles vias eius, sola tantum fidei cõsideratione proferimus: quia si scrutari voluerimus secretum

Rom. 9.

Rom. 11.

Psal. 100.

tum Dei, quod iustitiæ ipsius sollus notum est, comprehendere
Psal.63. non valemus, & impletur in nobis quod scriptũ est, Defecerunt
scrutantes scrutinio. Quare? Quia accedit, inquit, homo ad cor
altum, & exaltabitur Deus. Si fortè cùm sitis reprehẽsibiles, iudiciorum Dei esse vos comprehensibiles iactatis, melius scilicet
Deo placentes quàm Paulus apostolus, qui esse incomprehẽsibilia per spiritum eius iudicia prædicauit; perpẽdite itaque quo
iudicio dictum est à Paulo & Barnaba prædicantibus verbum
Act.14. Dei in Lystris, In præteritis generationibus dimisit omnes
gentes ingredi vias suas, vt in idololatria simulachrorum perirent, & vnam tantum gentem, id est, Iacob elegit sibi Dominus, & Israël in possessionem sibi: cui soli vtique legem
ad cognoscendum se, postpositis, vt dixi, cæteris generationibus dedit: vel cur iterum amissio facta est Iudæorum, vt mundi fieret reconciliatio, id est, omnium gentium, sicut dicit Apo-
Rom.11. stolus, Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ
assumptio nisi vita ex mortuis? Quasi impossibile erat Deo
omnipotenti vno tempore vniuerso mundo legem dare, salutem
gratiæ Christi conferre, vel, vt ita dicam, ab initio lapsus Adæ
id agere, quod diuersitate temporum fieri eius arbitrio cedit.
Docete etiam quare misso à Spiritu sancto Paulo & Barnaba
Act.16. portare nomẽ Domini salutis causa in gentibus, cùm transirent
prædicantes Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti sunt à Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia? Et cùm venissent in Mysiã volentes ire in Bithyniã, nõ permisit eos, inquit, spiritus Iesu.

CAPVT IIII. SCIEBAT, inquies, *Deus quia crediturí non essent, & ideo*
non eos ire permisit ad loquẽdum verbum Dei. Stulte, Deus est qui
Psal.58. iustificat impium, non præuentus humana voluntate, sed ipse
præueniens hominis voluntatẽ misericordia sua. Deus enim, inquit, meus, misericordia eius prẽueniet me. Audi & aliũ Prophetam dicentem, Conuerte me Domine, & conuertar; sana me
Hier.17. Domine, & sanabor. Vnde Apostolus, Iustificati, inquit, gratis
Rom.3. per gratiam ipsius per redemptionẽ, quæ est in Christo Iesu: audi, gratis, & tace de meritis. Nunquid prohibitio ista sancti Spiritus aliud ostendit, quàm verbũ Domini Iesu dicentis in Euan-
Ioan.3. gelio, Spiritus vbi vult spirat? Hinc cogita, hinc pande aliquid
quare spirat vbi vult, & non vbique? Dicite etiam, quare prædicantibus prædictis Paulo & Barnaba apud Antiochiam Pisidiæ
Iudæis ac gentibus salutem, nullus credidit, nisi quos exinde
Dominus præordinauit vt crederent? Sic enim de ipsis pagina
Act.13. sancta testatur, Et crediderunt, inquit, quotquot erant præordi-
nati ad vitam æternam, hoc est, prædestinati. Ecce in omnibus
quæ ex authoritate diuina protulimus, habes misericordiam &
Rom.2. iudicium: & certum est, quia personarum acceptor non est
Deus, nec cuiusquam personam reuereretur. Descende ergo si
vales in profundum misericordiæ Dei, ascende si sufficis in altitudinem institiæ iudicij eius, descende in longitudinem & latitudinem inuestigabilium viarum eius, & si liquidò penetraueris, hæc nobis tam metuenda & incomprehensibilia secreta, de
Rom.11. quibus Paulus expauit, ipse intrepidus pande. Si autem, vt superius dixi, iactatus curru inanium quęstionum cadis in fluctus
vanæ contentionis, & velut nauis deserta gubernaculo per diuersa & incognita litora volueris, nec prorsus ibi prosperè navigare potes: reuertere & sede in portu fidei catholicæ, vbi te
nulla possit fluctuosæ curiositatis tempestas turbare vel merge-
1 Cor.2. re. Quantumlibet enim scire coneris, iudicia Dei comprehen-
dere non vales, nec valebis: quia sicut nemo scit hominum quæ
sunt hominis, nisi spiritus qui in ipso est; ita quæ Dei sunt, nemo scit nisi spiritus Dei. Si qua ergo attingere valuerimus, non
nostra solertia, sed dono Spiritus sancti reuelata esse debemus
agnoscere. Si autem scire non datur quod supra nos est, nec à
nostra pusillanimitate quæratur. Præceptum est enim à scriptu-
Eccl.3. ra sancta, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fue-
Rom.11. ris in vanitate. Et, Altum sapere noli, sed time. Timendum est
prorsus & venerãdum profundum Dei, quod nos ritè fatemur
Sap.11. inuestigare non posse. Omnia, inquit, in mensura & numero &
pondere constituisti Domine. Quis igitur hanc mensuram, hũc numerum, & hoc pondus Dei sufficit comprehendere, vt constitutiones eius vniuersas in his tribus definitionibus valeat enarrare? In mẽsura puto quòd constet qualitas, in numero quãtitas, in pondere ratio peræquata. Sed hæc tria, id est, qualitas & quantitas & ratio peræquata, in iudicio & misericordia Deicõstant; quia in his duobus terminis sanctis conclusa sunt, in quibus per hæc mundum constituit, gubernat, & iudicaturus est. In his Deus iudex iustus comprehendi non potest, nec potest reprehendi. Omnia ergo quæ superius diximus, vel dicemus, in claustro horum trium nobis abscondita nunc latent: quæ solis

A claui bus iudicij & misericordiæ Dei tunc reserabũtur, vt sciantur, quando in aduentu Domini illuminabũtur abscondita te- 1 Cor.4.
nebrarum, & reuelabuntur consilia cordium, vt sit laus vnicuique à Deo vel pœna. Oportet igitur vt ad ea quæ superius disputare cœpimus, reuertamur.

DIXIMVS nãque de damnabili humani generis massã Deũ CAP. V.
præscisse misericordia, non meritis, quos & electione gratiæ
prædestinauit ad vitam: Cæteros verò, qui iudicio iustitiæ eius
ab hac gratia efficiuntur expertes, præscisse tantum vitio proprio perituros, non vt perirent prædestinasse. Sed, vt dixi, quos
in operibus impietatis & mortis præsciuit, non præordinauit,
nec impulit, in quibus Deũm prouocantes ad iracundiam, salutis fidem aut prædicatam sibi accipere nolunt, aut Deo iudice
non possunt, vel accepta malè vtuntur, & eb hoc traduntur in
reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt; his pœnam prædestinatam esse ritè fatemur. Quod vt probare valeamus, solum reor ad exemplum sufficere Iudam. Hunc enim
Deus cùm præscisset in vitiis propriæ voluntatis pessimum fore,
id est, electione discipulatus sui bene à Christo conferenda malè
vsurum, & auaritia ardentem pretio Iudæis Dominum traditu-
B rum: pœnam ei prędestinauit ex merito, dicente per Dauid Spi-
ritu sancto, Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris Psal.108.
& dolosi super me apertum est, id est, Iudæ vel Iudæorum in
Christum. Iudæ, cùm dicit, Quid vultis mihi dare, & ego vobis Matth.26.
eum tradam? Et post pecuniæ sponsionem dans signum traditionis, Quemcunque, inquit, osculatus fuero, ipse est, tenete eũ.
Ideo super me, ait, apertum est. Cùm enim signũ dedit, ore doloso aperuit quẽ tenerent. Iudæi quoque cùm eũ volentes dolo
perdere, vt Euangelium pandit, clamauerunt dicentes: Crucifige Ioan.19.
crucifigẽ eum. Et post pusillum sequitur: Constitue super eum
peccatorem, id est, super Iudam, & diabolus stet à dextris eius.
Cùm iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter. Est
post cætera quę de eo sequuntur: Pro eo, inquit, quòd non sit recordatus facere misericordiã: Et persecutus est hominẽ pauperẽ
& egenum, & compunctum corde morti tradidit; & sequentia reliqua quæ in eius prædicta sunt persona. Nam sicut narrat
liber actuum Apostolorum, de eo prædicta & in ipso completa
esse, sanctus probat apostolus Petrus, cùm loco eius vnum ex
his qui cum Apostolis congregati erant, propter testimonium
C resurrectionis Iesu Christi subrogari oportere denũciat, dicens:
Viri fratres, oportet impleri scripturam quam Spiritus sanctus Act.1.
prædixit per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum, qui connumeratus erat in nobis, & sortitus
est sortem ministerij huius. Et hic quidem possedit agrum de
mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt
omnia viscera eius. Notum autem factum est omnibus habitantibus Hierusalem, ita vt appellaretur ager ille lingua eorum
Acheldemah, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum, Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui Psal.68.
inhabitet in ea, & episcopatum eius accipiat alter. Et post pauca
sequentia: Statuerunt, inquit, duos, Ioseph qui vocabatur Barsabas, qui cognominabatur Iustus, & Mathiam: & orantes dixerunt, Tu Domine, qui corda hominum nosti, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius &
apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum
suum, & cætera. Vbi ergo commemoratio operum eius malorum à sancto sit Spiritu in psalmis: priusquã esset, prẽscitus est,
nõ factus, quòd talis aduersus filium Dei futurus esset. Si enim
D factus esset, inculpabilis esset, & Dei opificio reputaretur, non
Iudæ; iniustè etiam in eum prolata damnatio esset. Sed absit
hoc à summo bono iudice, authore omnium bonorum Deo,
damnatore verò cunctorum malorum; quia mala Iudæ, vt prædixi, præsciuit, non fecit: & tamen in quibus præsciuit, iudicio
iusto tradens eum in reprobum sensum, vt impleret permisit.
Et ideo permisit, quia per Spiritum sanctum eum perituru antè
prædixit. Quia sicut Christum oportebat pati per Iudam, præcinente per Prophetas sancto Spiritu: ita oportebat Iudam perire eodem sancto Spiritu prædicente: de eo enim dictum est, Ioan.17.
Nemo periit, nisi filius perditionis. Nam pœnam illi prædestinatam pro malis suis, in quibus, vt sæpè dixi, præscitus est tantum, non prædestinatus, illic planè agnoscimus, vbi de eo dicitur
ab apostolo Petro, Vt iret in locum suum, translato scilicet in Act.1.
alterum honore episcopatus eius. Vel certè vbi legitur, quòd
damnatus sit antequam natus, secundum id quod disputatione prediximus. Talis ergo perituro rum omnium causa est, licet culpa sit à culpa dissimilis.

VERVM

CAPVT VI. VERVM autem esse quod diximus, licet plenè sit disputa-
A tum, id est, perituris pœnam esse prædestinatam, audi Petrum
apostolum, cùm futuros esse pseudoprophetas & magistros
mendaces & apostatas in Ecclesia dicit, sicut fuerunt in populo
2 Pet.2. veteri, Quibus iudicium, inquit, iam olim non cessat, & perditio
eorũ non dormitat. Item Iudas apostolus, Subintroierunt, ait,
quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc iudiciũ impij, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solũm
dominatorem & Dominum Iesum negantes Christum. Et
Matth.25. Dominus in Euangelio peccatoribus, Ite in ignem æternum,
quem præparauit pater meus diabolo & angelis eius. Prædestinatis autẽ, Venite benedicti patris mei, percipite regnum paratum vobis ab origine mundi, id est, prædestinatum. Tenenda est
igitur inconcussè huius disputationis regula, quæ diuinis testimoniis clauit, peccatores in malis propriis antequam essẽt in
mundo, præscitos esse tantùm, non prædestinatos; pœnam autẽ
eis esse prædestinatam secundum quod præsciti sunt. Paruulos
quoque non renatos ex aqua & Spiritu sancto, prædestinatę pœnæ esse obnoxios, qui præsciti sunt non propriis voluntatibus,
quorum nullæ vel bonæ vel malæ sunt, nisi tantum in Adæ pec-
B cato, quod traxerunt nascentes, & in hoc manentes, soluerunt
tẽpus vitæ præsentis. Quid enim de his iudicium iustitiæ fa-
Ioan.6. ciat, quibus misericordia non subuenit, qui pura fide credit di-
centi Domino, Qui non manducat carnem meam, & bibit meũ
sanguinem, non habebit in se vitam; intelligit, & à contentione
recedit. Qui verò secundum propositum Dei viuunt, præscitos
esse & prædestinatos electione gratuitæ gratiæ eius, & regnum
eis cælorum esse prædestinatum, sine dubitatione dicendũ est.
Hoc enim apostolus Paulus probat, cùm ante eos prædestina-
Ephes.1. tos & electos esse testatur, quàm mundus constitueretur. Scri-
bens enim Ephesiis dicit, Sicut elegit nos in ipso, id est in Christo, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati
in cõspectu eius in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. Taceat humana
lingua, nec prorsus in prædestinatione de meritis extollatur.
Attende dictum, ante mundi constitutionem. Diuinæ voluntatis est hoc donum, non humanæ fragilitatis meritum. Denique
attende quid sequatur: In quo habemus, ait, redemptionem per
C sanguinem eius remissionem peccatorum secundùm diuitias
gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia &
prudentia, vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suę,
secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo, in dispensationem plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo
quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso. In quo etiam sumus
prædestinati secundum propositum eius, qui omnia operatur
secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem gloriæ
eius, qui sperauimus in Christo. Audi, secundum diuitias, inquit, gratiæ eius quæ superabundauit in nobis, id est, qua præuenit nos, inquit, vt notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ. Audi, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ; nunquid meæ vel tuæ, aut alterius, vt meritis cõstet?
Absit; sed suæ, qua etiam in his quos prædestinauit opera bonæ
præparat voluntatis, vt in his ambulent, secundum quod idem
Ephes.2. in eadem epistola dicit, Gratia enim estis saluati per fidẽ, & hoc
non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis
glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in
operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.
Audi, in operibus bonis quæ præparauit Deus. Et si quid te boni posse vides, age gratias præparanti quod potes, non propriæ
voluntati: quia omnino sine illo nihil potes, qui dixit, Sine me
Ioan.15. nihil potestis facere.

CAPVT VII. NOLITE itaque putare quòd hæc & huiusmodi dicentes,
liberum voluntatis amputemus arbitrium, cùm tamen constet
ea quæ loquimur, ex authoritate diuina pendere; vel vt nobis
calumniam obiiciis, quòd operari bona, & oportere esse in Dei
proposito solicitos prohibeamus. Quin potius, qui se dono gratiæ ad Dei misericordiam sentiunt peruenire, hortamur oportere incumbere orationibus, obsecrationibus, ieiuniis, vigiliis,
omnique operi voluntatis diuinæ. Prædestinatis enim dicit
Apostolus, cùm tamen generale sit quod illis dicitur à Christo
prædestinato secundum carnem ex semine Dauid, prædestinãte
autem secundum potentiam Dei patris cum patre & Spiritu
Matth.26. sancto, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Item, Vigi-
Luca 21. late in omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista
Luca 13. omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Item, Con-
Ioan.15. tendite intrare per angustam portam. Item, Vos amici mei estis,
si feceritis quæ præcipio vobis. Et multa alia, quæ longum est

A enarrare. Sed, vt superius nominaui, qui eis dixit, Sine me nihil Ibidem.
potestis facere, per ipsum quæ iubentur facere possunt. Huiusmodi in Christo esse electos Dei, ait Apostolus, in quo prædestinati sunt secundum propositum eius qui omnia operatur. Intellige dictum, qui omnia operatur, & crede opus esse Dei, opera eorum qui ambulant secundum propositum Dei. Qui ergo absque prædestinationis gratia sunt, id est alieni à proposito Dei, & perdurant in operibus malis, si etiam ex hac vita migrauerint, nos eos dicimus vt vos putatis, ita à Deo omnium opifice ordinatos vt perirent, tanquam ipse illis mores malæ vitæ creauerit, ipse ad omne opus mortis inuitos præcipitauerit. Absit à diuino proposito. Non enim volens est iniquitatem Deus, Psal.5.
nec mandauit cuiquam impiè agere, nec alicui dedit laxamentũ Sap.1.
peccandi. Fecit enim vt essẽt omnia, & sanabiles nationes or- Sap.2.
bis terrarum. Inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui sunt ex parte illius. Nec dicimus, vt fingitis, *& si credere velint vel bonis operibus Dei vacare, Deum hæc illis nolle præstare*; cùm huiusmodi velle Dei sit donũ. Si ergo ex Deo est quod volũt, vult Deus perfectum fieri quod donauit. Si autem ex Deo non est, sed est de iactantia propriæ
voluntatis, qua se meritis Deum æstimant promereri, manifestè
quod volunt capere non possunt: quia non volentis, inquit A- Rom.9.
postolus, neq. currentis, sed miserentis est Dei. Et quia non po- Ioan.3.
test homo à se facere quicquam, nisi datum illi fuerit desuper, non hoc agit Deus summè bonus malitia, sed iustitia; nec personarum acceptione, sed causarum secretarum discretione. Nouimus nõnunquam quosdã volentes æternæ vitæ fidem accipere,
& eam adipisci, quosdam autẽ non. Aliquos etiam nolentes cõsequi, cùm eis diuina gratia, aut dederit, vel immutauerit voluntatem, aliquos non. Nouimus aliquos etiam perfectos ex labore multorum annorũ, prolapsos in vltimo vitæ suæ & periisse. Aliquos verò ab ineunte ætate sua in omni scelere & damnabilitate vsque ad decrepitam ætatẽ perdurasse, & repentè cælitus inspirata salute, raptos esse ad requiem regni cælorũ. Nouimus etiam paruulos, quibus vsus liberi arbitrij non est, vt de bonis aut malis eorum meritis iudicemus, parentum manibus ad gratiam sacri baptismatis deportatos: & cùm in vno eorum per manus sacerdotis mysterium fidei adimpleretur, aliquotiens alterum in
B parentum manibus factum exanimem, fraudatum gratia salua-
toris. Quis sapiens & intelligens hæc? Aut quis idoneus erit horum reddere rationem? Dicamus cum Dauid, Iustus Dominus Psal.144.
in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. &, Quàm magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundę fa- Psal.91.
ctæ sunt cogitationes tuæ! Dicamus etiam cum apostolo Paulo, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incom- Rom.11.
prehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!

SED si adhuc hac reddita ratione vultis esse contentiosi, nec CAPVT VIII.
acquiescere veritati, nobis tamen eò quòd malè de Deo iusto ac
misericordissimo sentiamus, calumniari desinite; sed ipsum potius Dominum Iesum Christum, cuius Euangelium sequimur,
si audetis arguite; cum illo iurgium sumite litigandi; illi, quod
absit, malè sensisse de Deo patre suo calumniamini, qui ait, Mul- Matth.22.
ti quidem vocati, pauci verò electi. &, Nemo potest venire ad Ioan.6.
me, nisi pater qui misit me, traxerit eum. &, Nemo potest venire
ad me, nisi datum ei fuerit à patre meo. &, Non omnes capiunt Matth.19.
verbum hoc, nisi quibus datum est. Cætera etiam quàm plurima. *Falsum est ergo*, inquies, *quod ait Apostolus de Deo, Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis suæ venire?* 1 Tim.2.
Omnino non est falsum, quia omne quod vult Deus, facere potest, nec prorsus humana voluntate quod vult præpeditur. Sed
D quæro à vobis vt dicatis, quare Deus qui vult omnes homines
saluos fieri; quorundã, vt dicit Esaias propheta, excæcat oculos Esa.6.
ne videant, & obdurat corda ne intelligant, ne conuertantur & sanentur? Quod verum esse Ioannes euangelista confirmat, dicens de Iudæis, Propterea nõ poterãt credere, quia dixit Esaias, Ioan.12.
Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt nõ videant Esa.6.
oculis, & intelligant corde, & conuertantur & sanem eos. Item in Euangelio secundum Marcum, cùm Iesum interrogarent discipuli sui de parabola seminis, Vobis, inquit, datum est nosse Mat.4.
mysteriũ regni Dei; illis autẽ qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, vt videntes videant & nõ videant, & audientes audiant & non intelligãt, ne quando conuertantur & dimittatur eis peccata. Dicite igitur, quare Deus qui personarũ acceptator non est, & vult omnes homines saluos fieri, aliquorum corda referat ad credendum, oculos illuminat ad videndum, & ad sciendum mysterium regni cælorum, quo scilicet salui fieri possint; aliorum verò, vt scriptionis textus dixit, inuoluens in parabolis veritatem,

obtundit

obtundit cor, excæcat oculos, claudit aures, ne Euangeliũ salutis agnoscãt, ne remissionẽ accipiant peccatorũ? Dicite, quæso, qualiter hæc loca Euangelij accipitis? docete, quid hic de Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, sentitis? Ecce iam omnes generaliter salui nõ sunt, cùm aliis datur viam nosse salutis, aliis nõ datur. Hæc itaq. cùm facit Deus, non personarũ acceptione facit, nõ iniustitia; sed iustitia inenarrabili, & misericordia indebita. Quoniam verò hinc liquidò vtraq. pars dicere nihil valemus, credamus tantũ reum mortis ex iudicis volũtate pendere. Ne quisquã autẽ putaret diuino iudicio fieri, non omnes homines saluari, dixit Apostolus, qui vult omnes homines saluos fieri. Quapropter omnes homines qui saluãtur, Dei voluntate saluantur; Deus enim noster Deus saluos faciendi, & Domini Dñi

1 Tim. 2.

Psal. 67.

A exitus mortis. &, Quia ira in furore eius, & vita in voluntate ipsius. Intelligite itaq. in furore iustitiam, in voluntate misericordiam. Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse breuiter probauimus, immanis blasphemia est; quam non tantùm, sicut soletis dicere, in Apostolis debemus accipere; sed in Patriarchis & Prophetis, & martyribus & cõfessoribus, in omnibus sanctis & dignè seruientibus Deo. Hinc nemo glorietur, nemo desperet. Solus enim Dominus scit qui sunt eius. Inquã- 2 Tim. 2.
tum autem possumus, omnes homines ad bonũ opus exhortemur, nulli desperationẽ demus, pro inuicẽ oremus, in cõspectu Dei nos humiliemus, dicentes, Fiat voluntas tua. Ipsius erit po- Matth. 6.
testatis, iudicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædestinationis indebitam prærogare.

Psal. 29.

HYPOGNOSTICÔN FINIS.

DE PRAEDESTINATIONE ET GRATIA, SVSPECTI

AVTHORIS LIBER.

CAP. I.

QVM in sacrarũ voluminibus literarum, seu futurorum quid Prophetico spiritu prænuncianti-
bus, seu præteritorum historica veritate narrantibus, seu vitæ monita Apostolica authoritate tradentibus, aliqua veluti diuersum sonante sententia vel mouetur lector, vel solicitatur
auditor, certa & inconcussa fide cognitum tenere debet, vnius
atque eiusdem spiritus, & eius præter quem nihil est veritatis,
apertius alibi, paulo occultius alibi sonare mysteria. Ac proinde si quid occulta significatione suspensum, aut à conscribente
breuiter indicatum, minúsque quàm humani cordis obtusio
poscebat, expositum est, hic lucidius apparere, ibi altius latere,
nusquam deesse nouerit veritatem. Quòd si etiam pro magni-
tudine rei, de qua quæritur, non facilè intellectus sensibus quæ-
rentis occurrit, maximè si de incommutabili voluntate omni-
potentis Dei diuersum sonet canonicæ authoritatis vtraque
sententia; ita illa omnia ad pietatis regulam dirigenda sunt, vt
nec iniustum Deum esse, nec merita singulorum confusa quadam personarum acceptione taxantem, nec infirmum, qui
quod voluerit non valuerit explicare, inconcussa definitione tenea-
tur.

CAPVT II.

SVB huius igitur definitionis iugo, ne in sacrilegam temeritatem malè libera colla luxurient, quæstionis huius, quantum
Deo donante possumus, occulta memoremus: quam beatus
apostolus Paulus diuersis in locis, non parum discrepantibus
verbis studiosis proponit scrutatoribus, eisque per ipsam loqui-
tur veritatem. Sententiã siquidem in Dei gratia præcedente, la-
tissima & robustissima disputatione confectam ita concludens,
ait, Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Cùm in
alia epistola de diuina beneuolentia ipse sic dicat, Qui vult om-
nes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Oc-
currit enim, cur pereant ex his aliqui, cùm omnipotens Deus
omnes homines saluos fieri velit, & in agnitionem veritatis ve-
nire: deinde cur rursus indurat alios, misertus aliorum, aut quo-
modo omnes saluos fieri velit homines, cùm ipse nonnullos ne
saluentur induret. Hoc quantum ad humanam iustitiam vide-
tur iniustum. Sed quis ita desipiat, vel potius quis ita blasphe-
met, vt dicat de iustitia Dei, lege humanæ iustitiæ disputandũ?
quæ profectò si iustitiæ Dei aduersatur, iniusta est. Ab illo enim
qui summè iustus est, omne quod qualitercunque iustum est,
manare manifestum est. Quis ergo erit qui incommutabiliter
manentem, & omnia quę sunt condentem, regentem atque serua-
ntem Dei sapientiam, pendat humanæ sapientiæ arbitrio? De
qua idem Apostolus dicit, Quia sapientia carnis inimica est
Deo. Et alibi, Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.
Non est ergo de illa maiestate diuinæ sapientiæ humanæ vani-
tatis arbitrio disputandum.

Rom. 9.
1 Tim. 2.
1 Cor. 3.

CAPVT III.

SI quis autem peccata sua ita nutriendo, figura, vel vmbra, vel typ[illegible] superbiæ blandiente decipitur, vt dicat, quod
nonnullos esse dicturos statim vidit beatus Apostolus. sub-
iũxit enim: Dicet aliquis, Si cuius vult miseretur, & quem vult
indurat, q[illegible]id adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resi-
stit? Nouerit hac plus nos ad humilitatem ac pietatem cogi ar-
ctarique sententia. Cùm enim totum ad Deum referens, hu-

Rom. 6.

B manis viribus neget doctor amplissimus, quid aliud quàm vt in
Deum toto corde suspẽsi, ab eo salutis auxiliũ postulemus, hor-
tatur? Quem ergo mouet hæc in diuinæ gratiæ dispensatione
diuersitas, & iniustum putat, negari alteri quod alter acceperit,
intelligat quemadmodum diuinitùs dixerit Psalmista, Vniuer- Psal. 24.
sæ viæ Domini misericordia & veritas: atq. agnoscat tali Deum
agitare res humanas iudicio, vt debitas pœnas aut iustè reddat,
aut misericorditer donet. Vitiatæ enim radicis macula, ita propa-
ginis traduce per generationum sarmenta diffusa est, vt nec in-
fans quidem vnius diei à culpa sit primæ præuaricationis alie- Iob 14. secundum 79.
nus, nisi per indebitã Saluatoris gratiã fuerit liberatus. Quod si
nec hic quidẽ sine peccato est, qui proprium adhuc habere non
potuit, conficitur vt illud traxerit alienum, de quo Apostolus Rom. 5.
dicit, Per vnum hominem peccatum intrauit in mũdum, & per
peccatum mors, & ita in omnes pertrãsiit, in quo omnes pecca-
uerunt. Quod qui negat, negat profectò primum nos esse mor-
tales. Si enim, vt dicit Apostolus, per vnum hominem peccatũ
intrauit in mundum, & per peccatum mors: mors intrare non
C potuit, nisi intrante peccato. Et quoniam mors non naturæ con-
ditio, sed pœna peccati est, sequatur necesse est pœna peccatum.
Quia verò in omnes homines mors pertrãsiit, in omnes necesse
est pertransisse peccatum. Peccatũ quomodo cum paruulis ori-
ginale nascatur, carnis oculis videre non possumus. Quia verò
omnes ex Adã carnaliter natos, etsi illi iam etiam in Christo re-
nati sunt, videmus mortis lege cõstringi: per hoc quod videmus,
illud quod nõ videmus cogimur cõfiteri. Facilius enim fieri pos-
set, vt quãuis transeũte peccato, pœna minimè sequeretur, quàm
vt nulla communicatione peccati partem sumat pœnæ, qui nõ
habet culpæ. Si ergo, vt apparuit, de præuaricatoris semine om-
nes nascimur debitores, (quoniam in ipso omnes, vt ait Apoſto- Ibidem.
lus, peccauerunt) & ipsa iam in principio vnde descendimus,
massa damnata est, nullus de duritia sua, nullus de pœna sua cõ-
queri audeat, quæ etiam non existentibus peccatis propriis, sola
nascendi conditione debetur. Quòd verò Deus aliis gratuita
vocatione conuersis, misericordiam largitur indebitam, non ad
D dispensatoris iniustitiam, sed ad donantis misericordissimã lar- Simile.
gitatem, veritatis ratione referendũ est. An audebit debitor cre-
ditorem iniquitatis arguere, si alteri donãs, ab eo quod debebat
exegerit? Si ergo inter contractus hominum, nullus ex hoc præ-
scriptionis locus est, vt à se dicat debitor iniustè exigi, quia scit
alteri debitori ab eodem quod debebat creditore donatum, quis
in tantam insaniam profanæ vocis erumpat, vt iniustitiæ Deum
arguat, si vni indebitam donauerit gratiam, alteri reddiderit de-
bitam pœnam?

CAPVT III.

ITAQVE ex superiori huius parte sentẽtiæ, quę dicit, Cuius
vult miseretur: puto quòd nullus nisi indignus misericordia au- Rom. 9.
deat disputare. Quod verò sequitur, Quẽ vult indurat; ibi pau-
lulũ humanæ mentis intẽtio vel bi nourrate cõfunditur. Sed nõ
ita intelligendũ est, quasi Deus in homine ipsam quæ non esset
duritiã cordis operetur. Quid enim aliud est duritia, quàm Dei Duritia cordis.
obuiare mandatis? Vnde illud beatus Stephanus dicebat ad quid sit.
populum, Dura ceruice, & non circumciso corde & auribus, Actor. 7.
vos semper spiritui sancto restitistis. Quam qui à Deo fieri pu-
tat, propterea quod dictum est, quem vult indurat: ipsum præ-
uarica-

uaricationis intuetur exordium, & Deo donante mandatum,
A qui transgressionis culpam in corde fuerit operatus, attendat,
quamuis ne ab ipso quidem si negaret assensum, potuit tenta-
tore compelli. Ergo quicquid post illam præuaricationem na-
tus supplicij homo patitur, iustè reddi meritoque fateatur. In-
durare enim Deus dicitur eum, quem mollire noluerit. Sic etiã
excæcare dicitur eum quẽ illuminare noluerit. Sic etiam repel-
lere eum, quem vocare noluerit. Quos enim prædestinauit, il-
los & vocauit: & quos vocauit, illos iustificauit. Ipse enim dedit
vt simus, ipse vt boni esse possimus.

Duo sensa indurare, excæcare, repellere dicitur Deus. Rom. 8.

CAP. V.

PRÆSCIVIT enim nos eius diuinitas, sapientia condidit,
iustitia damnauit, gratia liberauit. Mundus enim quamuis pro
tempore ex quo factus est cœperit, in illa diuinæ præsciẽtiæ luce
faciendus nullum potuit habere principiũ: & quanticunque vel
ex Adam vsq, in hodiernũ diem homines nati sunt, vel post no-
stram ætatem generationis sunt propagine nascituri, apud Deũ
nati sunt iam, & decurso totius vitæ tempore transierunt, in illo
nihilominus diuini obtutus lumine permanentes. Deus enim
qui nec loco clauditur, nec tempore præuenitur, omniũ rerum
tam præteritarum memoria, quã imminentium scientia plenus
est, nec reminiscens voluitur in præteritũ, nec sperans tẽditur in
futurum. Et quæcunq; omnino sunt, quæ temporũ motibus a-
gitantur, ab eo principio in quo erat verbũ, & verbum erat apud
B Deum, & Deus erat verbũ, vsque in finem omniũ seculorũ. (De
quo fine cũ diceret beatus Moyses, Domine, inquit, qui regnas
in seculum & seculũ, & adhuc:) nec sperantur futura, nec præ-
terita transierũt, sed in præsentia diuinitatis præsenti semper luce
cernuntur. Ab illo ergo quia æternus & præscius, quia & iustus
& pius est, qui exercet debitam seueritatẽ, & exhibet indebitam
pietatem, & habet in creandis atq; eligendis hominibus, sicut in
luto figulus, potestatem, facta sunt alia quidẽ vasa in honorem,
alia verò in contumeliã. Antequam faceret nos, præsciuit nos, &
in ipsa nos præscientia cùm nondum fecisset, elegit. Sed à quo
hoc fieri potuit, nisi ab eo qui vocat omnia quæ nõ sunt tãquam
ea quæ sunt? Apostolus enim dicit, Qui elegit nos ante mundi
constitutionem. Intra mundum facti sumus, & ante mundum
electi sumus: atque ita vno eodemque nec transeunte nec futu-
ro, sed continuo tempore, vel si quo alio modo dici potest, si ta-
men potest, apud Deum est & præscire & facere & eligere, &
præscientia sua incommutabiliter permanẽte, eligere faciẽdos,
quos facturus fuerat eligendo. Hæc quidem quantum ad fidei
regulam, Deo illuminante prædicta sint.

Exodi 15.
Psal. 24.
Rom. 4.
Ephes. 1.

CAPVT VI. Occupatio.

SED iam video quid etiam hinc calumniosa prauitas possit
opponere. Sequitur enim, vt si eos quos prædestinauit, illos &
vocauit, & si eos quos vocauit, illos & iustificauit, qui nec præ-
destinati nec vocati, ac per hoc nec iustificati sunt, ab omni cul-
pa debeant esse innocentes, iniusteque ab eis pro vitæ prauitate
transactæ, in illo agnitionis die sint poscenda supplicia. Dicat
istis Paulus apostolus, Nunquid iniquitas apud Deum? Statim
ipse respondeat: Absit. Cumq; hoc fuerit in hominis mẽte, sana
pietate fundatũ, quòd nulla sit iniquitas apud Deum, ita intelli-
gat, Cuius vult miseretur, & quẽ vult indurat: quasi diceretur,
cuius vult miseretur, & cuius non vult, non miseretur. Itemque
hoc ipsum rursus intelligat, quasi diceretur, cui vult donat, & à
quo vult debitum poscit. Quod qui dicere perseuerat iniustum,
ab Apostolo audiat, O homo, tu quis es qui respondeas Deo?
Congruè siquidẽ huiusmodi impietatem Apostolica reprehen-
dit auctoritas, tantum de exaggeratione nominum põdus incu-
tiens, cùm dicit, O homo, tu quis es qui respõdeas Deo? homo
Deo, lutum figulo. Subiunxit enim idem Apostolus, Nunquid
dicit figmentum ei qui se finxit, quare sic me fecisti? An non ha-
bet potestatẽ figulus luti ex eadem massa facere aliud quidẽ vas
in honorẽ, aliud verò in contumeliam? Si ergo habet, imò quia
habet potestatẽ figulus luti facere ex eadem massa aliud quidẽ
vas in honorem, aliud verò in contumeliã: O homo, tu quis es
qui respondeas Deo, quia cuius vult miseretur, & quẽ vult in-
durat? Sed priusquam ad huiusmodi cõclusionem beatus Apo-
stolus disputationis ordine peruenirет, hoc potissimũ de veteri-
bus literis sumpsit exemplũ, in quo indurationẽ quæ à Deo fieri
dicitur, edoceret. Dicit, inquit, scriptura Pharaoni; Quia in hoc
ipsum excitaui te, vt ostendã in te virtutem meam, & vt annun-
cietur nomen meũ in vniuersa terra. Indurasse autem cor eius
Deus in eadem scriptura apertissimè dicit, cùm Moysi de signis
quæ in Ægyptios per eum facienda fuerãt loqueretur. Sic enim
dicit, Ego autem indurabo cor Pharaonis ne dimittat populũ.
Hinc iam per aperta se iactans calumniator astutus, iustitiã Dei
ad suũ libret arbitrium, & quanta potest vociferatione respon-

Rom. 9.
Exodi 4.

A deat, Si cuius vult miseretur, & quem vult indurat, quid adhuc Rom. 9.
queritur? Volũtati enim eius quis resistit? Huius elationi Apo-
stolus dicat: O homo, tu quis es qui respõdeas Deo? Qui autem
piè quęrens aliquid desiderat inuenire, illum locũ eiusdem scri-
pturæ relegat, vbi primo Moysi in rubo ignis apparuit, atque ita
cor eius ardore diuinę charitatis igniuit, vt in conspectu regum,
sicut Dauid dicit, testimonia eius sine confusione loqueretur, & Psal. 118.
ibi inueniet totũ hoc, quòd indurasse Deus cor Pharaonis præ-
mittit, non ad operationem Dei, sed ad præscientiam pertinere.
Loquens enim Dominus de rubo, sic dicit, Ego autẽ scio quòd Exodi 3.
non dimittet vos Pharao rex Ægypti, nisi per manum magnam.
Sed extendens manum meam, percutiam Ægyptios in omni-
bus mirabilibus quæ faciam, & postea dimittet vos. Hæc pri-
ma vox Dei est, qua futuram voluntatem Pharaonis sicut
præuiderat, indicabat. Postea iam inter ipsos miraculorum im-
bres dixisse legitur, Ego autem indurabo cor Pharaonis, ne di-
mittat populum. Vbi iam apertè intelligitur primã iterasse sen-
tentiam. Quid est enim, indurabo, nisi, non molliam? Apparet
enim in alios manante iustitia, in alios gratia profluẽte, scriptu-
ræ illius sententiam fuisse cõpletam, qua dixit Deus Pharaoni,
In hoc ipsum excitaui te, vt ostendã in te virtutem meam, & vt
annuncietur nomen meum in vniuersa terra. Vtente enim Deo
B bene etiam malis, induratione Pharaonis, flagellis Ægypti, &
tot ac tantis in illa gẽte miraculis pariter aceruatimque peractis,
quid aliud gestum est, quàm vt Dei virtus apud se magna, in se
plena, ad humani generis notitiam peruenirет, nõ Deo, sed ipsis
relegentibus & credentibus profutura? Pharaonẽ non esse mu-
tandum, & illam omnem gentẽ, quæ post tot verbera vix sibi e-
rutum populum Dei, armis etiam insectari conabatur & bello,
alta illa Deus prouidentiæ suæ luce præsciuit. Sed perituro rum
interitum prædestinatis à se vasis misericordiæ, salutis voluit es-
se argumentum, & aliorum perditione ad salutem vsus est alio-
rum: quia potestatem habet figulus luti ex eadem massa aliud
quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam facere.

CAPVT VII.

HOC etiam diuinę potestatis in hominum electione iudiciũ,
paulo antè cõmemorans beatus Apostolus robustissimis mon-
strauit exemplis, cùm de Rebeccæ partu adhuc intra vterũ con-
stituto, totum ad gratiam Dei referens loqueretur. sic enim ait,
C Sed & Rebecca ex vno concubitu habens Isaac patris nostri, cũ Rom. 9.
nondum nati fuissent, nec aliquid boni egissent & mali, vt se-
cundum electionem propositum Dei maneret, nõ ex operibus,
sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori: sicut scri-
ptum est; Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Statimque sub- Malach. 1.
iecit, Quid dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Negans-
que respondit, Absit. Vt iam cætera quæ sequuntur, ad hãc sen-
tentiam suspensa referantur, & relata soluantur, qua negauit a-
pud Deum esse iniquitatem. Sed hic quid egerit Apostolicæ
disputationis intentio, satis admodum claret. Non solùm enim
fratres, sed & geminos; nec solùm geminos, sed vno etiam con-
cubitu fusos in vtero comparauit, vt quoniam in nondum nati
nondumq; aliquid operatis, nulla esse poterant momenta meri-
torum, ne ex parentum quidem meritis quæ diuerso tempore
varia esse potuerunt, aliquid contra gratiam relinqueretur ob-
staculi. Quæ vtique parentum merita, etiam si permittamus
diuinum paruulis vel auertisse vel conciliasse præsidium, seu bo-
na seu mala circa geminam prolem, quæ eodem concepta con-
cubitu, eodemque in lucem proiecta momẽto est, paria esse de-
buerunt. Quòd si futuros eorum mores dicitur diuinũ discre-
uisse iudicium, profectò illud euacuabitur quòd præmisit Apo-
stolus dicens, Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia Rom. 9.
maior seruiet minori. Non enim ait, ex præteritis operibus, sed
cùm generaliter dixerit, Non ex operibus, ibi & præterita intel-
ligi voluit & futura: præterita scilicet quæ nulla erãt, futura quæ
nondum erant. Prædestinatus est ergo Iacob vas in honorem,
sed nõ ex operibus; quia non ex operibus, sed ex vocãte dictum
est, Maior seruiet minori.

D

CAPVT VIII.

ET ne fortè vasa in honorem prædestinata, suis aliquid viri-
bus tribuendo, negarẽt gratiam creatoris, alio eos loco Apoſto-
lus vasa misericordiæ nominauit, vt totum quicquid essent, se-
cundum misericordiam se esse cognoscerent. Sic enim & alibi
dicit idem Apostolus, Et hoc non ex vobis, sed Dei donum Ephes. 2.
est. Beatus etiam Moyses in Deuteronomio dicita populum,
Et ne dicas in corde tuo: Fortitudo mea & potentia manus meæ Deuter. 8.
fecit mihi virtutem magnam hanc; sed memorabis Domi-
ni Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem, facere virtutem, vt
statuat testamentum suum quod iurauit patribus vestris. Item
paulo pòſtibidem ad eos; Ne dicas, inquit, in corde tuo, cùm

consumpserit Dominus Deus tuus gentes istas ante faciem tuam, dicens, Propter iustitias meas induxit me Dominus hæreditare terram bonam istam: Non propter iustitiam tuam, neque propter sanctitatem cordis tui intras hæreditare terram eorum, sed propter iniquitatem gẽtium istarum Dominus disperdet eas à facie tua. Ecce quàm antiquum spiritus sancti dogma, non solum in Apostolicis literis prædicatum, sed etiam in Propheticis, atque in ipsis Israëlitici populi exordiis, sancti spiritus voce firmatum, nouellæ præsumptionis impietas conatur euertere. Clarè siquidem in vno atque eodẽ scripturæ loco, bonitatem & seueritatem Dei Propheta beatus ostendit, dicens: nõ propter iustitias suas populo hęreditatẽ terrę illius reddi, sed gratia tantum miserante donari, illos autem propter iniustitias suas pelli. Ecce in illis iustè punitur iniquitas, in istis gratis nulla iustitia muneratur. Nec suffecit beato Moysi quod dixerat, non propter merita ipsorum, hæreditatem terræ illius Israëlitico populo fuisse concessam, nisi etiam adderet quod adiunxit, vnde eos omni bono monstraret indignos. Sequitur enim post illud quod suprà memorauimus, Et scies hodie, quia non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dat tibi terram istam bonam hæreditare, quoniam populus duræ ceruicis es tu. Quis hic secundum debitum præcedentium meritorum mercedem reddi tam dicat? Quis non gratiam fateatur indebitam? Quotiẽs ait Propheta, tentauerunt eum in deserto? Quotiens iracundiam Dei cordis auersione meruerunt, & saluauit eos propter misericordiam suam, vt notam faceret potentiam suam? Hoc iterum Apostolus dicit, Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, vt ostẽderet diuitias suas in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.

Deuter. 9. — Ibidem. — Psal. 94. Psal. 105. — Roman. 9.

CAPVT IX. Ne verò rursus homo in vltimam fecem desidiæ resolutus, arduum virtutis iter, & quamuis adiuuante gratia Dei, non nisi labore gradiendum, inerti sibi crederet posse deferri, & nullius laboris industriam studio sui profectus adhiberet, ita inter se atque homines Deus tempora officiaque distribuens ordinauit, vt vocatione ipsius bonorũ principia sumeremus; vocati autem atque illuminati, vias mandatorum eius rationis ingenitæ intelligentia nosceremus, & eas libero vel eligeremus vel relinqueremus arbitrio. Quas tamen si ipsius fulti adiutorio, continua deuotione sequeremur, in fine rursus non repugnantem mandatis suis, subiectam in nobis obedientiam coronaret. Liberũ verò, quod ab eo habemus arbitrium, prono ad nequitiã lapsu fluit, & cùm ad virtutis indolem, Dei auxilio deserente, nihil possit, ad genus omne peccati idonea fultum virtute subsistit. Trahit enim nos lex in mẽbris nata peccati, & Deus à leni iugo mandatorum suorum leuiq; sarcina recedentes, atque in peccati durissimam seruitutem, libero à iustitia voluntatis arbitrio defluẽtes, secundum suam iustitiam derelinquit: Eos verò qui vocationis munus congrua pietate susceperint, qui carnalibus non subiugantur illecebris, qui iactantiæ vitio, auaritiæ facibus, vẽto superbiæ caruerunt, & quantum in homine est, Dei in se dona seruantes ad spiritalia exercitia omne studium contulerunt, & in agone huius vitæ certantes adiuuat, & coronas vincentib. largitur æternas: ipse rursus delinquentes deserit, resistentes indurat, contemnentes condemnat.

Liberum arbitrium ad peccandum sibi sufficit. — Roman. 7.

CAP. X. De horum graduum distributione, quam vel in nobis Deus operatur, vel nos iubet aliquid operari, ipsum interrogemus de cuius verbis orta est quæstio: quam, si Dominus adsit, eo nodare conabimur, vt eius sensib. per diuersa volumina varia quidẽ locutione, sed vna atque eadem intentione digestis, si quid in hoc loco latet, alterius sentẽtię collatione reseretur. Vocatum à Deo apostolum Paulum vel in eo libro legimus, vbi eius gesta canonica veritate narrantur, vel ipse in Epistola sua confitetur, dicens, Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus. Secundo autem loco vocationem secutus, & totum quod in homine fuerat operatus, ipse sic dicit, Plus omnibus illis laboraui. Sed ne hoc ipsum quidem sibi tribuens, solicita pietate subiunxit, Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Iam ergo & vocato & vocationem per opera iustitię subsecuto, quid supererat aliud, nisi vt liberatus de corpore mortis huius, ad illius alterius vitæ, quæ sanctis omnibus veritatis ore promissa est, beatitudinem peruenireret? Quod profectus humanis meritis reddi, sed Dei docens gratia largiente donari, sibi ipse respondet post gemitus quibus dixerat, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore huius mortis? Gratia Dei, inquit, per Iesum Christum Dominum nostrum. Hanc itaq; ne distributionem qua diximus à Deo homines nullis existentibus meritis vocari, & vocatos vt boni aliquid operẽtur, Dei adminiculis adiuuari, sumpto de veterib. litteris Apostolus monstrat exemplo. postquam illam de duobus geminis electionem omni repulsa laude meritorum, ad Dei gratiam iudicium que retulerat, videns quid impia posset blasphemare garrulitas, dixit, Nũquid iniquitas est apud Deum? Et sequitur, Absit. Et quasi diceretur ei, vnde probas? Parum putauit auctoritatem suæ valere doctrinæ, nisi sententiam suam etiã legis doceret exemplo. Sic enim intelligi voluit quod Moyses dixerat, Misereor cuius miserebor, & misericordiã præstabo, cui misericors fuero, vt primã à Deo misericordiam vocatione credamus hominibus prærogari, quæ sola ad rectè viuendũ non sufficit, si deferat qui vocauit. Ideoq; additum est, Et misericordiã præstabo cui misericors fuero: vt à Deo accipi manifestũ sit etiam ipsa misericordiæ opera, quæ cùm videmur impendere, Dei misericordiam promeremur. Sic enim in Euangelio dicit, Beati misericordes, quoniam ipsis miserebitur Deus. Quod nisi sic intellexisset Apostolus, nũquam probationis gratia, disputationi suæ hoc testimonium curasset inserere.

Roman. 9. — Exodi 33. — Matth. 5.

CAPVT XI. Si quem verò mouet, quòd nõ omnes etiam de his qui iam vocati sunt, ad secundam gratiam, id est ad rectè viuendi donum peruenire mereantur, sicut Dominus in Euangelio dicit, Multi sunt vocati, pauci verò electi: hinc intelligat, quale sit quod cõtra Dei gratiam defensare molitur, qui de libero sibi blanditur arbitrio. Quicunque enim diuinæ vocationis munere derelicto, ad impiam rursus defluxere perfidiam, ipsis, Dei gratia deserente, ad implendum quod voluerant sufficit arbitrium. Vide enim quemadmodum Psalmista, misericordiarum Dei ordinem quem ex Moysi sensu interpretatur Apostolus, prophetici spiritus veritate decantet. Audi, inquit, popule meus, & testificabor tibi. Quid eos volebat audire, quib. cum testificatione loquebatur? Quid vtique nisi mandata vitæ? Sicut alius Propheta dicit, Audi Israël mandata vitæ. Sed quæ sint ista mandata vitæ, Psalmista subiungit, & sequitur, Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Et hæc esse mãdata vitæ, in oratione qua discipulos suos patri Dominus commendabat, ostendit dicens: Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christũ. Post hanc vocationem illud sequitur, quod & vult ad conatus hominum pertinere, & ostendit sine se non posse compleri: hoc est enim quod dicit Apostolus, Quoniam ab ipso habemus velle & perficere, pro bona voluntate. Ab ipso enim habemus velle, quia vocat & illuminat: ab ipso perficere, quoniã ad nos pertinet conari bona, quæ & velle donauit. Nec incautè ab Apostolo cùm dixisset, Quia ab ipso habemus & velle & perficere: additũ est, pro bona voluntate: vt etiam atque etiam videant, vbi habeant à Dei iustitia liberum, de quo gloriãtur, arbitrium. Sed illum ordinem quo misericordias diuersa Dominus temporum dispẽsatione distribuit, sicut Moysen dixisse sensit Apostolus, etiam in continua Psalmi huius oratione videamus. Quid enim ait, postquam vocatos docuerat dicens, Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti? Dilata, inquit, os tuum, & ego adimpleboillud. Hic aliquid rursus apparet homini fuisse seruatum, quod per liberum facere deberet arbitrium. Dilatate enim iubetur os suum, sed Deus se implere promittit. Sicut etiam discipulis suis in Euãgelio dixerat, Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Hoc solum ad illos retulit, vt omnem tribulationis necessitatem libenter pro veritate susciperent, penes se autem promissi effectum. Libero ergo qui locus reseruatur arbitrio, vt sine Dei adiutorio ad explẽdum quod voluerit rationali dignitate suffulta, sibi ipsi sufficiat humana natura, continuò Psalmista ostendit, Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi. Quid dixerat cùm vocaret, Audi popule meus & loquar; Israël & testificabor tibi? Quid testificans commendauerat mentibus audientium? Dominus Deus tuus ego sum. Quid etiam ab ipsis fieri iusserat, quos de terra Ægypti & ignorantiæ tenebris liberatos, in luce mandatorum suorum splendore vocationis eduxerat? Dilata, inquit, os tuum. Statimque quasi diceret, sed dilatare te deserente me, nihil proderit; ita addidit, & implebo illud. Quid ergo qui vocauerat, & vocatos docuerat, querula de iisdem voce subiungit, Et non audiuit, inquit, populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi. Exeat nunc liberi cõtra Dei gratiam defensor arbitrij, audiat dicentem Apostolum, cùm de bonis suis laboribus loqueretur, Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Audiat Dei vocẽ in Psalmo de his quos deseruerat dicentem, Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in voluntatibus suis. Audiat vnũ eundemq; Apostolum de

Matth. 20. — Psal. 80. — Psal. 80. — Psal. 80. — Psal. 80. — I Corinth. 15 — Psal. 80.

lum, de vitæ suæ variis temporibus sibi tantùm mala, gratiæ autem Dei bona omnia tribuentem; Qui prius sui blasphemus; inquit, & persecutor. Et alio loco; Gratia Dei sum id quod sum. Cùm diceret, Qui prius fui blasphemus & persecutor; nulla gratiæ mentio iniquo operi copulatur: quia sufficit sibi, sicut dictum est, ad nequitiam natura libertatis humanæ. Cùm verò de præsentis vitæ beatitudine loqueretur, Gratia, inquit, Dei sum id quod sum. Et illum ordinem quo miseretur Deus vocando, miseretur deinceps in cœptis conatibus adiuuando, sicut serie Psalmi narratum atque digestum est; beatus etiam apostolus Paulus continua narratione seruauit. Si enim in ordine, quæ passim posuit, excerpta testimonia relegantur, ita sequuntur; Gratia Dei, inquit, sum id quod sum. Hæc est prima misericordia, quam liberæ voluntatis opera consequuntur. Sed vt apostoli Pauli vocationem bona opera sequerentur, quid ait; Et gratia eius in me vacua nõ fuit. Quid enim fecisti? Plus, inquit, omnibus laboraui. Ne multum superbias ô liberi defensor arbitrij, audiens Paulum de suis laboribus gloriantem: attẽde quod sequitur; Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Puto sanè quòd nullus de his qui contra Dei gratiam exaltato ante ruinam, sicut scriptum est, corde blasphemant, tantum arrogantiæ impudentis assumat, vt beati Prophetæ Dauid meritis aut æquandum se, aut etiam existimet præferẽdum. Cuius, vt de illa prima remuneratione, quam nullus non fateatur vt indebitam, delati scilicet regni interim taceam; orationum & confessionum eius intentiones, affectusque pensemus. Ipse siquidem definit in Psalmo; Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Sed videamus vtrum ipsi iam erudito, & omni legis scientia secundum institutionem Iudaicam sufficienter instructo, ad beatitudinem res hæc sola suffecerit. Cur ergo rursus idem clamat ad Dominum; Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo? Parum erat quod ad scrutandam legem poposcerat intellectum; nisi etiam ad custodiendam necessarium significaret auxilium, dicens; Et custodiam illam in toto corde meo: quasi diceret; Tunc custodiam illam in toto corde meo, si tù dederis intellectum.

I Timoth. 1. — I Cor. 15. — Proverb. 16. — Psal. 93. — Psal. 118.

CAPVT XII. Adhvc superbus ille propriæ voluntatis defensor ad ista respondeat, quòd Prophera ad intelligenda tantum mandata diuina, quæ tamen propria virtute impleturus fuerat, opem diuini postulauerit auxilij. Quæ si ita sunt, à te paululũ libet, beate Dauid, sensuum tuorum occulta perquirere. Vnde, rogo, tibi pugna carnis & spiritus? Vnde Apostolicum, sicut ipse fateris, certamen? Etiam vtique illuminatus atque eruditus intelligentiæ munere, quam diuinitùs postulaueras, clamas & dicis; Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Nam intellectu certè discernendæ vanitatis à veritate, sicut poscebas, accepto, cur oculos tuos à vanitate quæ displicet, non auertis? Si auaritiam reprehendis, cur non ab ea proprio separatus arbitrio, cor tuum ad mandata salutis inclinas, sed tanquam infirmus in omnibus clamas ad Deum; Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam; nisi quia suggerit auaritiam in membris nata lex peccati? Et ab hac vult oculos suos, nec per se potest, vir sanctus auertere: ac sic caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem; ex qua lite non liberat, nisi gratia, quæ per Dominum nostrum Iesum Christum paruis magnisque donatur. Velle enim adiacet, perficere autem non inuenio; quamuis & ipsum velle non ex nobis, sed Dei donum est; quoniam ab ipso habemus & velle & perficere, pro bona voluntate. Beatus ergo es, quoniam cũ Apostolis Christi, & doctrinæ & pugnæ æqualitate concordas: quia & in scriptis tuis Apostolorum bella cognoscimus, & tua certamina in Apostolicis literis inuenimus.

Psal. 118. — Galat. 5. — Rom. 7. — Philip. 2.

CAPVT XIII. Vnde ista in vno eodemque homine, qui ex anima & corpore constat, rerum voluntatumque diuersitas, nisi quia iusto diuinitatis iudicio, contemnens homo Deum, creatura creatorem, infimus summum, intra semetipsum inobedientiæ pœnas ex contumacia inferioris inuenit? Qua enim iustitia, quamuis meliori deterior, creaturæ tamen creatura seruiret; si ipsi qualiscumq; creatura seruire noluit creatori? Sed ne hoc quidem sufficit ad pœnam, vt pars illa deterior melioribus repugnaret cordis affectibus, nisi etiam plerunque superaret, in captiuitatẽ duceret, possideret, nõ solùm natos in Adam homines, lex illa peccati ad motus sui ministerium vendicaret, nisi etiam renatos in Christo, manente suggestione pulsaret: quia reuerà per illud regenerationis munus reatus dimissus est, nõ soluta conditio gratiæ est; vèterum delens chirographa debitorum, non à passione carnali iam separans adhuc hominem in carne viuentẽ; vt omnis homo futuro tempore diuinum per singulos dies imploret auxiliũ. Et quoniã lex non tã auferre potuit quàm mõstrare peccatum, quod peccatũ in se nascentes passim sibi homines vẽdicabat, & cõcupiscentiæ consensione possessos, in ęternũ mergebat interitũ; Dns noster Iesus Christus filius Dei, verbũ patris, æquale & coæternũ patri, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: & cùm peccatũ ipse non esset, factus assumpta carne peccatũ, vt peccato carnis homine sanato, peccatũ damnaret in carne, venit quærere quod perierat, sanare quod ægrotabat, erigere quod iacebat; potestatem habens dimittere peccata, quod nõ debebat donare, quod ei debebatur dimittere, deletis q; omnibus veteris culpæ maculis quã fecerat, reparare naturam. De his quib. pœnã seueritas iusta decreuerat, secundũ ineffabilem dispositionis occultæ misericordiam, elegit vasa quæ faceret in honorẽ, & alios à ventura ira dono gratuitę vocationis absoluit: alios derelinquens ad æqualitatis iudiciũ reseruauit, nulli tamen agnoscendæ veritatis abstulit facultatem: & ita plenitudo diuinę præscientiæ in alios manante iustitia, in alios gratia profluente completa est; vt pereuntibus quos præscierat Deus esse perituros; & saluatis, quos in illa secreta electione præscierat esse saluandos, toto orbe diffusa multiplicaretur Ecclesia.

Philip. 2. — Psal. 118. — Psal. 118. — Psal. 118. — Rom. 9. Ioan. 15.

CAPVT XIV. Gratvlare igitur, ô quicunq; illuminatus es, & gratiã quã non merebaris agnosce; geme quicunq; induratus es, & iustitiã confitere. Dic quicunq; ab originali cõtagio, lauacro gratiæ te gratularis ablutũ; Misericors & miserator Dns, patiens & multæ misericordiæ. Non secundũ peccata nostra fecit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Dic quicunque dãnaris; Iustus es Dne in omnib. quę fecisti nobis, & omnia iudicia tua vera; quia in veritate & iudicio superinduxisti omnia hæc, propter peccata nostra: & noli iniustitiæ Dei culpã tuæ indurationis ascribere: quia omnes viæ Domini misericordia & veritas; vt nec hi qui misericordiã fuerint consecuti à Deo, iudicio veritatis de meritis suis aliquid gloriẽtur; nec hi qui indurati atq; damnati sunt, excusationẽ culpæ ex hoc habere posse se credant, quòd nullã qua conuerterentur, sint misericordiam consecuti. Hanc ergo Pharao misericordiã non accepit, & ideo ei ad pereundũ, liberum sufficit arbitrium: quem quidem nullus ita ignarus diuinarũ Scripturarum erit, qui audeat dicere illa omnia iniustè esse perpessum. An fortè si piè de Deo sicut expedit sentiamus, etiã Pharaoni datam misericordiam repetiemus? Patiẽtia enim Dei valere ei debuit ad salutẽ, qua differens iustũ meritumq; supplicium, miraculorũ verbera crebra densabat. Nunquid non potuit, sicut flagellis cædens expulit populũ; ita miraculis credens, Deũ tantę virtutis, agnoscere? Si dicitur iam, Pharaonem non potuisse mutari, quia eum præsciuerat Deus nõ esse mutandũ: Respondetur, Dei præscientiam non cogere hominem vt talis sit, qualem præsciuit Deus; sed præscire talem futurum, qualis futurus est, quãuis eum nõ sic fecerit Deus. Quem si cõgeret esse, hoc vtiq. cogeret quod non est. Porrò si hoc præscierat futurum esse quod non est, præscientia non est. Quod de Deo quàm impiè dicatur, aduertit quisque qui peccatis suis inde blãditur, quod Deus eum peccatorem futurum esse præscierit.

Psal. 144. — Psal. 102. — Psal. 24.

CAP. XV. Existere nihilominus fortasse aliquẽ reor qui dicat, minus idoneã ad salutem viam, si nulla intrinseca vocatione pulsatus, tantũ quispiam flagelletur. Vnde Nabuchodonosor pœnitentiã meruit fructuosam? Nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnũ quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autẽ ipsis flagellis est durior effectus & periit. Hic mihi rationẽ reddat, qui diuinum consilium nimiũ altùm sapiẽti corde diiudicat, cur medicamentũ vnius medici confectum, alij ad interitũ, alij valuerit ad salutẽ; nisi quia Christi bonus odor, aliis est odor vitæ in vitã, aliis odor mortis in mortẽ? Quantũ ad naturam, ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo reges; quantũ ad causam, ambo captiuum populũ Dei possidẽtes; quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quòd vnus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei misericordissimã veritatem pugnauit arbitrio? Hic quicunq; respondet, illi vt mutaretur affuisse diuinũ, huic vt indurateur, defuisse præsidium, & hoc contendit iniustum, propter quod rerũ ipsarum fines in Dei voluntate constituens, dixit Apostolus: Cuius vult miseretur, & quẽ vult obdurat, dicẽte Domino; Sine me nihil potestis facere: intelligit illa omnia, vel adiuuante Domino perfici, vel deserente permitti; vt noluerit tamen, nolente Domino nihil prorsus admitti.

Exodi 14. — 2 Cor. 2. — Daniel. 4. — Lucæ 19.

CAPVT XVI. Sed reditur ad paruulos, reditur ad geminos, quorum est quod dixi, reditur ad necdum natos, qui & eodem concubitu seminati, & eodem momento in lucem fuerant proferendi. Eis dis-

Eis discrepans diuersumque iudicium diuinæ voluntatis apparens, sensus hominum de voluntate Dei superbè nimium disputantes, magnitudo quæstionis obturbat. Exalta iam viribus vocem tuam ô iniuste accusator iusti, & dic mihi, quid ille mali commisit, quid boni ille meruit? Et respondet tibi, non ego, sed Paulus apostolus, nihil quidem ambo meruerunt: sed habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud quidem in contumeliam. Dicturus es, quare? Quæ est iudicij huius tam confusa diuersitas? Rursus hanc præsumptionem ille confutet & dicat, O homo tu quis es, qui respondeas Deo? maximè quia ad illam humanorum actuum comparationem rursus intentio conuersa respondet, iniustitiæ nõ posse argui creditorẽ, qui de duobus debitoribus tale voluerit habere iudicium, vt vni donet, ab alio exigat, quod ab vtrisque debetur. Et certè in omnibus humanæ conuersationis actibus atque contractibus ad discernendum aliquid, ac diiudicandum, hanc qua videmur aliquam probare iustitiam, ex ineffabili diuinæ iustitiæ plenitudine in humilitatis nostræ corda manare manifestum est, beato Ioanne hoc in Euangelio suo confirmãte: Quoniam omnes de plenitudine eius accepimus. Quod si ita est, qua tandem impudentia homo de Deo, lutum de figulo iudicabit, non solùm dicens, quid me fecisti sic? sed etiam de aliis damnabili curiositate perscrutans & dicens, quare de eadem massa fecisti alium quidem sic, alium verò sic? Si humanum genus, quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debito mortis & peccati origine nasceretur, & tamẽ ex eis creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum: quis omnipotenti creatori diceret, quare fecisti sic? Qui enim cũ non essent, esse donauerat, quo fine essent, habuit potestatem: nec dicerent cæteri, cur paribus omnium meritis diuinum discreparet arbitrium: quia potestatem habet figulus luti ex eadẽ massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliã. Nunc autem cùm damnatis pœna iusta reddatur, saluatis autem gratia donetur indebita; quis vsqueadeò humanæ conditionis oblitus, diuini sensus arcana discutiat, vt cùm ipse pœnam merito fuerit consecutus, queratur cur alius gratiã quæ non debebatur ei, acceperit? Hanc itaque diuinam electionem non meritis reddi, sed sola volentis munificentia donari hominibus, Moyses cùm iam tunc quamuis carnalem populum doceret, ostendit. sic enim euidenter in Deuteronomio dicit ad populum: Ecce Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli, terra & omnia quæ sunt in ea: veruntamen patres vestros elegit Dominus diligere eos, & elegit semen eorum post ipsos, vos præ omnibus gentibus. Et adiecit, Circumcidimini ergo à duritia cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis amplius. Sed hanc in eis mansisse duritiam cordis, sicut suprà iam diximus, beatus Stephanus cùm Iudæos increparet, ostendit. In actibus enim Apostolorum ipse sic dicit, Dura ceruice & incircumcisi corde & auribus, vos semper spiritui sancto restitistis. Vnde dura ceruix in illo populo, qui ex omni mundo electus est, qui de seruitute decem miraculis meruit liberari, cui lex data est, cuius saluti ora prophetarum omnium militarunt, ex quo factus secundũ carnem, & ad quos missus est Christus: nisi quia cæcitas ex parte in Israël facta est, donec Israël adoptatus ex plenitudine gẽtium intraret in regnum, & conclusi in incredulitate omnes Dominus, vt omnes indigerent misericordia saluatoris? Cuius diuini consilij sacramenta perstringens, & maiestatis mysterium, quæ quamuis magnitudine reuelationum nouerat, tamen pro humana infirmitate succumbens etiam ille qui prius persecutor & blasphemus, vas electionis meruit nominari, miratus exclamat, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! & inscrutabiles vias eius, & inscrutabilia confitens Dei esse iudicia. Cum illo ergo quando de talibus quæritur, admiremur, & manente sententia, quòd non sit iniquitas apud Deum, si quid est illud quod quæritur, quod modum nostri sensus excesserit, & intellectus nostri non dignatur angustias, in illa iustitiæ, misericordiæ, præscientiæque diuinæ plenitudine permanere inconcussa æquitate fateamur: ne de superioribus diuinæ voluntatis arcanis aliter quàm modus cõditionis nostræ patitur disputantes, Dei iustitiam relinquamus, & nostram statuere cupiẽtes, in imam contumaciæ voraginem decidamus.

Romian. 9.

Ioan. 1.

Duri sententia, & aliena ab Augustini doctrina.

Deut. 10.

Actor. 7.

Roman. 11.

Roman. 9.

LIBRI DE PRÆDESTINATIONE ET GRATIA FINIS.

DE PRÆDESTINATIONE DEI ALTERVM EIVSDEM FARINÆ OPVSCVLVM.

CAP. I.

DE prædestinatione Dei locuturi, anxietatibus quibusdam inuoluimur, quia dum conscientiam nostrę stoliditatis perscrutamur, ab appetitu tam arduæ disputationis reprimimur. Sed dum ad omnipotentiam illius, qui per os asinę irrationalis, rationali sessori verba voluntatis suæ monstrauit, mentem reducimus, sub spe superni adiutorij, ad audendum vires accipimus; scientes quia quicquid boni loquimur vel facimus, non ex nobis hoc, sed ex Deo accipimus.

Num. 22.

CAPVT II.

IN primis nefas est dicere, Deum aliquid nisi bonum prædestinare. Sed prædestinationum aliæ sunt alligationis, alię cõditionis; istæ sunt iustitiæ, illæ potentiæ. Vt lucidius fiat quod dicitur, quæ sunt alligationis & potentiæ, quæ conditionis & iustitiæ, demonstretur. Creauit Deus cælum & terram, solem & lunam, diem & noctem; prædestinauit insuper vt cælum semper volueretur, terra immobilis circumuoluenti cælo loco centri haberetur; sol & luna diei noctique præessent; dies & nox certis temporibus vicissim succederent. Hæ prædestinationes potentiæ sunt & alligationis. Vnumquodque enim eorum quæ prædiximus, sic alligatum est suo operi per prædestinationem Dei, vt ab eo dimoueri non possit. Creauit Deus hominem, & prædestinauit, vt obediens esset, ac à gustu vetiti pomi se abstineret, in vita permaneret; sin autem inobediens esset, sententiam mortis subiret. Hæc prædestinatio conditionis est & iustitiæ. Non enim Deus ante casum hominis sic eum per potentiam alligationis prædestinauit mori, vt necesse esset eum mori; sed sub ea conditione, si peccaret. Quia igitur peccauit homo, iustum erat vt moreretur; si non peccaret, nullo vinculo prædestinationis diuinæ, morti alligaretur.

MORTIS itaque prædestinatio sub conditione fixa fuit in Deo, propter casus humani præscientiam: non tamen vim faciens in homine per potentiam, vt duceret eum ad mortis sententiam. Ergo prædestinatio huiusmodi non absolutè est causa mortis, sed peccatum causa prædestinationis & mortis. Non enim sic dicitur de hominis morte, vt de cæli volubilitate. Interrogantienim alicui, quare cęlum voluitur? respõdemus, quia Deus prædestinauit. Hæc responsio absoluta est, nec aliam quærit. Si autem aliquis quærit, quare homo moritur? non absolutè respondere possumus, quia Deus prædestinauit; non enim prædestinaret, nisi eum peccaturum præsciret. Peccatum quippe in homine, in Deo incitat zelum iustitiæ; zelus verò iustitiæ, prædestinationem; prædestinatio autem attrahit mortem. Et huius concatenationis initium & finis in homine est. Quare enim homo moritur? Quia Deus prædestinauit. Quare Deus prædestinauit? quia iustus est, & iustè facit. Quare iustè facit? Quia homo peccauit. Ecce ex homine peccatum, & in homine mors.

CAPVT III.

Est qui dicat; quomodo possit esse peccatum causa prædestinationis, cùm esset prædestinatio antequam peccaret homo? Ille audiat, quia omnia antequam fiant, Deus quasi iam facta pertractat, & siue sint punienda, siue muneranda, in præsciẽtia sua diiudicat. Ecce homo infelix alligatur morti, non per Dei prædestinationem, sed per suam offensionem. Quamuis enim prędestinatio offensionem præcurrat tempore, offensio tamen prędestinationem præcedit effectione. Nam prædestinatio non fieret, nisi offensio futura esset: quam offensionẽ qui præsciuit esse, offensionis vltionem vt iustus iudex prædestinauit. Ex præsciẽtia igitur offensionis, prædestinatio emanauit vltionis; sicut ex præscientia virtutis, prædestinatio fieri solet remunerationis.

Quæstio.

Responsio.

Vnde

Rom. 8. Vnde Apostolus ad Romanos, Quos præsciuit, hos & prædestinauit.

CAPVT IIII.

FORTASSIS est qui dubitet vltionem offensionis à Deo esse, quia grauis est & mala: virtutis autem remunerationem à Deo esse manifestè fateatur, quia dulcis est & bona: cùm Deus nullius mali, sed totius boni sit author. Huic dicẽdum est, quia vltio offensionis etsi homini est mala dum pœnam ingerit, apud Deum est iusta dum peccata punit. Quod autem iustum est, bonum est. Prædestinatio igitur vltionis, quia iusta est, & bona. Vnde fons & origo boni per Esaiam sic loquitur, Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras; pacem faciens, & creans malum. Quasi dicat, Ego Dominus faciens pacẽ ex me, creans malum ex te tibi. Pro peccatis enim tuis bellum tibi triduo quod mereris; quod etsi apud me sit iustum, ex te tamẽ tibi fit malum: quia non ex me, sed ex te peccasti: & pro peccato pœnam tibi creo, quæ apud me est iusta, tibi autem mala. Huiusmodi ergo malum creat Deus, quod per se sibi sit iustum, ex homine sit homini malum. Vna enim eademque res aliter atq. aliter inter homines etiam accepta, bona est & mala: vt bellũ de quo suprà diximus, victis est malum, vincẽtibus bonum. Quapropter & mors, quæ est vltio præuaricationis, & iusta est & mala. Iusta quidem ex iusto iudice, mala autem ex misero peccatore. Hæc etiam eademque mors quibusdam hominibus est mala, quibusdam autem bona: quia hos de ignominia ducit ad gloriam, illos verò de gloria ad ignominiam. Ignis quoque lignis, stipulis, vestimentis est nocuus, cupro autem & argento & auro proficuus: quia hæc excoquit & puriora reddit, illa verò inflammat, & penitus consumit. Cùm hæc ita sint, nõ vereamur dicere, mortem esse prædestinatam à Deo: quia etsi nobis est mala, à Deo tamen propter præscientiam præuaricationis prędestinata est iusta. Vnde & Psalmista, Quia tu reddis vnicuique iuxta opera sua. Vnde enim & bonis gloria perennis, & malis mors infelix, nisi ab eo qui reddit vnicuique secundum opera sua? Non tamen purè à Deo mors, sed fit ex hominis prę-uaricatione per iustitiam Dei in hominis pœnam. Hoc ideo, quia sunt nonnulli qui diabolum sic ponunt mortis auctorem, quasi vltionis iudicem. Auctor est quidem mortis per suggestionem peccati, sed per potentiam retributionis nec auctor, nec creator. Est & pœnarum custos & exhibitor, nec tamen ex propria potentia, sed ex concessione diuina.

Esa. 45.

Psal. 61.

Mortis auctor aliter diabolus, aliter Deus.

SED iis quæ præscripsimus quidam opponunt quod scriptum est, Mortem Deus non fecit vnquam. Quibus non surda aure prætereundum est, quod aliàs scriptum est, Mors & vita à Deo est. Nam opponenti, mortem Deus nõ fecit vnquam: oppono, mors & vita à Deo est. His quippe oppositionibus in literatura nulla reconciliatio est, in Intelligẽtia nulla repugnantia. Mors enim sicut & vita, non tantum dupliciter; sed etiam tripliciter intelligi potest. In primo nãque homine & animam & carnem Deus creauit immortalem. Ante peccatum ergo vixit anima, vixit caro, non sub interitus timore, sed sub immortalitatis conditione. At dum homo peccauit, anima obiit. Hæc est mors quam Deus non fecit. Caro tamen vixit post mortem animæ, sed sub mortis expectatione. Mors ergo animæ peccatum, mors carnis dissolutio elementorum: mors animæ & carnis; pœna infernalis. Sic & vita, alia est carnis & animæ ante peccatum, alia carnis post peccatum; alia animæ & carnis post dissolutionem elementorũ. Vita quidẽ omnis à Deo est, sicut & mors carnis, quę est dissolutio elementorum: & mors animæ & carnis, quæ est vltio offensionis. Mortem autem animæ, quæ est cęterarũ principium & causa, nunquam fecit Deus, quia scriptũ est, Qui peccaturi non fecit. Sed mortẽ animæ non sic intelligas vt mortem carnis. Moritur namq. caro, solutionẽ sui patiendo: moritur autem anima nõ sic, sed vitam mutando. Iam quæ sint prædestinationes alligationis, quæ conditionis, satis, vt reor, dictum est. Sed earum quæ conditionis sunt, aliæ ad gloriam, aliæ ad pœnam. Quos enim Deus suos fidei opere futuros esse prę-nouit, hos prædestinauit ad gloriam: quos absque correctione diabolicæ persuasioni militaturos esse præsciuit, hos pro certo prædestinauit ad pœnã. Nauis mentis nostræ, nisi exercitio bonæ meditationis regatur, ventis vanarum cogitationum afflantibus, per diuersa fluctuabit, & demum sub periculo dimersionis conquatietur.

Mors & vita tripliciter dicuntur.

CAP. V. Sap. 1.

Eccl. 11.

1 Pet. 2.

FINIS.

ANTVERPIÆ EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS, ARCHITYPOGRAPHVS REGIVS, ANNO DOMINI M. D. LXXVII. KALENDIS MARTII.